Aj 1 14
. 1. 162.
aj: 15.

Ajb
8

Tom 2. after p. 501

Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/summaevirtutumac00guil

GVILLELMI
PERALDI,
ORDINIS PRAEDICAT.
SS. THEOLOG. PROFESS.
AC EPISCOPI LVGDVNENSIS.

SVMMÆ VIRTVTVM AC VITIORVM,
TOMVS PRIMVS. -SECUNDUS

Hâc postremâ editione,
IN GRATIAM CONCIONATORVM,
CONFESSARIORVM, ET RELIGIOSÆ VITÆ CVLTORVM.

Iuxta nouas Concordantias Romanæ Correctionis, à mendis, & erroribus purgatæ, & SS. Scripturæ locis correspondentibus (aliàs omißis) notisque marginalibus illustratæ.

Studio & operâ R. P. F. RODOLPHI CLVTII, eiusdem Ordinis Alumni.

CVM INDICIBVS LOCVPLETISSIMIS.

ex Bibliotheca fratrum praedicatorum polignensium

PARISIIS,
Apud LVDOVICVM BOVLLENGER, viâ Iacobæâ,
sub signo sancti Ludouici, è regione D. Yuonis.

M. DC. XLVIII.
CVM LICENTIA SVPERIORVM.

27430
ALMA COLLEGE LIBRARY 239.15 P41

REVERENDO, RELIGIOSO, DOCTRINAQVE PRÆSTANTI VIRO. P. FR.

COSMÆ MORELLES, SS. THEOLOG. DOCTORI,

APOSTOLICÆ SEDIS INQVISITORI, ſtudii Conuentus Colonienſis Regenti vigilantiſſimo, Patri ſuo in Chriſto plurimum colendo.

CVM elapſis proxime diebus, REVERENDE ET EXIMIE PATER, ad manus hic liber mihi perueniſſet, ſub titulo SVMMA VIRTVTVM ET VITIORVM R^mi. D^ni. GVILLELMI PERALDI, Epiſcopi quondam Lugdunenſis, eùmque reccuratius intuitus fuiſſem, ob grauitatem & pondus ſententiarum, quæ velut in gnomologia hic perpetuo occurrunt: quibus & ad virtutes ſectandas excitat, & à peccatorum cœno deterret, mirifice me delectauit; ac profecto ab eximiam, claram, catholicam, profundamque doctrinam, quę ANGELICI DOCT. NOSTRI D. THOMAE ſapientiam redolebat, non prius, quam iucundo hoc paſtu ſatiatur eſſem, è manibus deponendum iudicaui. Aſt, maximam cum partem lectitando percurriſſem, reperi, imprimentium iniuria, prælique vitio, adeo grauibus mendis & erroribus, quibus minus cautus ac prudens lector in manifeſte falſas opiniones facillime induceretur: præter innumerabilia etiam ortographica monſtra vndecumque reſperſum atque repletum, vt pene neceſſarium foret, aut eam ita impreſſum nullibi vendere, aut denuo diu, noctuque laborare, vt correctior prodeat. Conſpiciens itaque intra memetipſum ex vna parte naturale & intrinſecum huiuſmodi operis emolumentum, vtilitamque cum ſpiritus, tum intellectus, quæ veluti ab exuberanti fonte piis ab eo Lectoribus, ſi bene correctum iterum prælo

imprimendum traderetur, & ad communem omnium Catholicorum vtilitatem & commodum in lucem prodiret, facile prouenire posset, omni apposita diligentia, totis & animi, & corporis viribus ad hoc à mendis expurgandum me contuli & penitùs adiudicaui: adeò, vt nunc (Deo auspice) ab omnibus, absque vllo discrimine quoquam cæspitandi, aut in aliquem labendi errorem legi possit. Is igitur, qua fieri potuit diligentia tersus, & suo nitori tandem restitutus gestat rursus in lucem exire, nec est quod diu deliberem, cui potissimum studium & laborem inscribam atq; offeram. Nam circumspicienti mihi TVA ex omnibus REVER. & EXIMIA PATERNITAS primo mihi occurrit, quæ ea nominis sui auctoritate, virtutumque splendore posset, ac vellet ab inuidorũ calumniis vindicare. Quid enim de præclaris animi tui virtutibus, quæ, tum propter multitudinem, tum propter magnitudinem & raritatem earum, omnibus te charum & admirabilem reddunt, dicam? Quid primum aut postremum? Mirentur alij singularem in verbis facundiam, alij in cathedra fluentem quasi ex immenso Oceano profundam doctrinam Scholasticam: alij in nodosis & intricatis argumentorum solutionibus facilitatem & claritatem, alij demùm in conuersatione comitatem; alij alias. Ego verò potissimum admirabor & prædicabo, vbique decantabo summum tuum in Religione Romana Catholica defendenda zelum & constantian, quam non modò priuatim, sed etiam plublicis operibus reducendo ad gremium S. matris Ecclesiæ hæreticos, declarasti. Testatur idipsum triumphalis & victoriosa disputatio inter Orthodoxos sectarios Francofurti habita, qua illorum furorem, & impietatem falsæ doctrinæ euertisti. Testatur & alia Parisiis, toto Regis Francorum Parlamento præsente, fœliciter in exaltationem Romanæ Ecclesiæ expedita, quæ toti retrò posteritati de insigni tua obtenta victoria, doctrina, religione, testimonium fecit. Nec ideò mirandum, quod Sanctissimum Christi in terra Vicarius, huius nominis Diuina Prouidentia PAVLVS V. melioris iudicij de te Generalem Prouinciæ Rhenanæ prauitatis hæreticæ Inquisitorem fecerit, maioribusque te honoribus cumulare cogitet. Sed pedem refero, & alia tua, non modò in vniuersum Ordinem nostrum beneficia, sed etiam priuatim in me (quem non modò in studiis Philosophicis, sed etiam Theologicis instituisti & promouisti) collata prætereo: tum ne panegyricum alicui scribere, & supra veritatem res ipsas exaggerare videar; tum ne P. T. in nimiis laudibus (quas illa sacris litteris edo-

cta summoperè fastidit) congerendis, quod necessariò, si omnia velim attingere, futurum esset, molestus sim.

Accipe igitur, R. & Eximie P. munus hoc litterarium, in prçmium pietatis tuæ erga Deum, zeli & studii in Catholicam Religionem, & beneuolentiæ erga me testimonium, gratitudinis & officii symbolũ de iure à me debitum. Neque id vitio mihi vertendum erit, quod nõ tam proprium fœtum, quàm probati huius Auctoris vtilitatem librũ ab iniuria temporum & mendarum nebulis, nonnulla etiam luce addita, Rdæ. & Exim. Pti. T. liberatũ obtulerim, cũ multorũ scripturiendi prurigo nunc doctis & grauibus viris non immeritò displiceat, quamuis (qui non prauo aliàs hoc morbo inductus animum ad scribendum appulerit) per hoc haud absterreri debeat. Quod quidem genus officii eo gratius fore confido, quod hæc, quam offero, SVMMA, illud argumentum contineat, de quo, magno cum Monasticæ perfectionis fructu, in celeberrimo nostro Conuentu Coloniensi Theologicas habuit disputationes; vt interim taceam alia id genus domestica exercitia & conferentias perutiles, in quibus partim scripturæ sacræ mysteria, partim etiam scholasticorum dogmata laudabiliter explicauit. Recipe inquam, quâ solos, R. & exim. P. benigna manu debitum, quod cliens tuus pro sui officii ratione promptus exsoluit, & viue Ecclesiæ Christi, & Ordini sacro Prædicatorio per multos annos incolumis.

Reu. & Eximiæ P. V.

Obseruantiss.

F. ROD. CLVTIVS,
Ord. Prædicatorum.

REVERENDISSIMI AC EXIMII SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS GVILLELMI PERALDI, EPISCOPI LVGDVNENSIS, EX SACRO ORDINE PRÆDICATORVM, IN TOTVM primum, qui SVMMA VIRTVTVM appellatur.

PROLOGVS.

CVM *circa vtilia etiã docere debeamus, exẽplo Salomonis dicẽtis:* Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meã, vt animam meam transferrem ad Sapientiam, deuitarémq; stultitiam, donec viderem quid esset vtile filiis hominum. *Eccl. 2. Vtilia etiã docere debeamus exemplo Domini dicentis Esa. 48.* Ego Domin⁹ Deus tuus, docẽs te vtilia. Virtutibus vero nihil sit vtilius in hac vita hominibus, *Sap. 8. circa virtutes specialiter versari debet studium & doctrina, præcipue cum sine studio & doctrina virtus vix vel nunquã haberi possit. Sen. Virtus sine studio sui esse non potest. Bernard Primũ opus virtutis est doceri: Virtus cum humilitate vult doceri, cum labore quæri, cum amore haberi potest. Item Senec. Cito nequitia surripit: difficile virtus inuenta est, ducem rectoremque desiderat: sine magistro vitia discuntur. Idem: Erubescimus discere bonam mentẽ: & turpe est huius rei quærere magistrum: desperandum est posse casu tantum bonum nobis influere: præcipua pars Philosophiæ est (quæ circa virtutes versatur) studiosis minimè negligenda. Vnde Senec. dicit, Philosophiam studium esse virtutis. Ideo ego minimus de ordine fratrum Prædicatorum desideraui colligere aliqua, quæ diffuse in scripturis inueniuntur de Virtutibus. Quod cum dissuaderet mihi ingenij paruitas & materiæ difficultas, (Materias enim grandes ingenia parua non sustinẽt, vt ait Hieron.) præualuit superioris auctoritas, qui hoc onus mihi iniunxit: cui non ausus fui contradicere, sciens quod* omnis potestas à Deo est: & qui potestati resistit: Dei ordinationi resistit. *Rom. 13. Et in memoria habens illud verbum Saluatores, Luc. 10.* Qui vos audit, me audit: *verbũ à ministro eius dictum habui, ac si de cælo*

ſonuiſſet. Fiduciam ergo habens in Deo quod vellet mihi miniſtrare, quod per miniſtrum ſuum à me dignabatur exigere: cum tamen ſciret me niſi ab ipſo hæc habere non poſſe. Incaſſum enim laborat in doctrina virtutum, qui aliunde eam ſperandam putat, quam à Domino virtutum, ad gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt Virtus & Sapientia Dei Patris, auſus ſum aggredi Tractatum Virtutum, ad vtilitatẽ humilium. Superbi enim dimittendi ſunt ſibi: quia ſeparatum eſt conuiuium eorum, *Oſee. 4. Dedignantur enim ſedere ad communem menſam cum alijs, ſcripta communia contemnentes. Vnde eo ipſo quod aliqua ſcriptura humilibus publicatur, ſuperbis abſconditur. Facies enim eorum nimis inflata non ſinit eos videre quæ ab alijs videntur. Matth. 11.* Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, &c. *Superbi erubeſcunt aliquid diſcere, ex quo ſemel dictum eſt: cum tamen dicat Senec. quod nunquam nimis dicitur quod ſatis non dicitur, quibuſdam remedia demonſtranda, quibuſdam inculcanda ſunt. Gregor. Oportet ſæpe reminiſci quod modus cogit obliuiſci. Superbi nolunt aliquid dicere poſtquam bene illud ſciunt: cum tamen Socrates inquirenti cuidam quomodo poſſet optime dicere, dixit: Si nihil dixeris, niſi quod bene ſcieris. Auguſt. in lib. de vtilitate credendi: Miſeri homines quibus cognita vileſcunt, & nouitatibus gaudent: libentius diſcunt, quã norunt, cum cognitio ſit finis diſcendi: malunt veſci, quam ſaturari, cum finis voluptatis ſit nec eſurire nec ſitire. Nec de ſolis Scripturis ſacris teſtimonia volui aſſumere in opere isto: ſed etiam de ſcripturis Philoſo. Iuxta verbum Senec. In aliena caſtra tranſiens, non tanquam transfuga, ſed tanquam explorator. Nec hoc reprehẽſibiliter: Sicut enim dicit Auguſtin. in lib. de Doctr. Chriſtiana: Si Philoſophi aliqua forte vera & fidei noſtræ accommoda dixerunt, non ſolum formidanda non ſunt, ſed etiam ab eis tanquam ab iniuſtis poſſeſſoribus in vſum noſtrum vindicanda. Et Exod. 12. Aegyptij ab Hebræis præcepto Domini ſpoliantur. In principio vero operis, de Virtute in communi aliqua tangere volui. Secundo proſequimur de tribus virtutibus Theologicis. Tertio de quatuor Cardinalibus. Quarto de donis. Quinto de beatitudinibus.*

IOANNES TRITEMIVS ABBAS SPANHEIMENSIS, LIBRO DE SCRIPTORIBVS Ecclesiasticis suo, 6. Calend. Maij, Anno Domini 1492.

GVILLELMVS PERALdus, natione Gallus, Ord. S. Dominici, Lugdunensiũ Episcopus: Vir in scrip. S. studiosus & eruditus, atque in secularibus litteris, maximè in Philosophia Aristotelica, satis egregiè doctus: ingenio promptus: eloquio scholasticus: in declamandis ad populum sermonibus excellentis industriæ fuit. Edidit in vtraque facultate plura instructa volumina, quibus nomen suum non solùm tunc præsentibus, sed etiam futuris notum facit. E quibus extant.

Summa Virtutum & Vitiorũ	*Lib. II.*
De Eruditione Religiosorum	*Lib. I.*
Sermones de Tempore	*Lib. I.*
Sermones de Sanctis	*Lib. I.*

Et alia complura, quæ ad notitiam meam adhuc minimè peruenerunt.

HIc Liber nil continet quod sapiat hæresim. sed dilucidè Virtutes & Vitia vtiliter omnibus palàm facit.

Franciscus Doncker Scholasticus & Sigillifer.

Ode Tricolos Tetrastrophos,

DE SVMMA VIRTVTVM DOMINI D. GVILLELMI PERALDI. &c.

Ad Lectorem beneuolum.

QVisquis sacrati propositi tenax,
Largúsque Diuûm cultor & impiger,
Excelsa virtutum volatu,
Astra paras superare cæli:
Quisquis Tonantis sic tibi creditas
Oues sacratis pascere ferculis,
Diæque virtutis suaui
Ambrosiâ recreare curas:
Huc, huc potenti remigio tuæ
Mentis sagacis non reses aduola;
Dextráque nocturnâ PERALDVM,
Atque etiam replica diurnâ.
Hic anteibit perpetuus viæ
Dux, hic profanum vulgus & impium
E criminum raptum barathro,
Reddere cælicolis docebit;
Quin & sequaces propositi boni,
Tandem sacratam sic benè semitam
Virtutis emensos, Deorum
Sedibus emeritos locabit.

Ad

Ad R. P. Fr. RODOLPHVM CLVTIVM, Ord. Prædicatorum, veteri splendori restituentem SVMMAM VIRTVTVM, &c.

QVod nunc, repulsa nocte mendarum procul,
Suo relucet lumine,
PERALDVS ISTE, *ferimus acceptum tuo,*
CLVTI, *labori sedulo,*
Sic, eia, veteres, perge, restaura libros,
Mundus perennem gloriam,
Deus rependet lucidi sedes poli,
Dignum labore præmium.

Cecinit Ioann. Marcus Aldringen.
Artium Magister & Professor
Montanus.

TITVLI VTRIVSQVE TOMI VIRTVTVM & *VITIORVM ordine Alphabetico dispositi.*

De Acedia.
De Adulatoribus.
De Ambitione.
De Amicitia.
De Auaritia.
De Bilinguis.
De Blasphemia.
De Charitate.
De Choreis.
De Clementia.
De Compassione.
De Contemplatione.
De Continentia.
De Cordis munditia.
De Derisoribus.
De Desperatione.
De Detractoribus.
De Dilectione.
De Discordia.
De Dotibus.
De Ebrietate.
De Feruore indiscreto.
De Fide.
De Fortitudine.
De Gula.
De Humilitate.
De Hypocrisi.
De Incendiariis.
De Indeuotione.
De Inuidia.
De Ira & odio.
De Iudicijs falsis.
De Iustitia.
De Linguæ peccato.
De Lusoribus.
De Luxuria.
De Maledicis.
De Martyrio spirituali.
De Mendacio.
De Misericordia & compassione.
De Monachorum silentio & vitio proprietat.
De Multiloquio.
De Munditia cordis.
De Murmure claustralium.
De Obedientia
De Pace.
De Patientia.
De Paupertate.
De Periurio.
De Perseuerantia.
De Prælatis.
De Proximi dilectione.
De Prouidentia.
De Proprietate.
De Prudentia.
De Raptoribus.
De Silentio.
De Simonia.
De Singularitate.
De Spe
De Superbia.
De Suspicione.
De Temperantia.
De Timore.
De Tribulatione.
De Verbi Dei efficacia.
De Victoria
De Vita Contemp.
De vita æterna.
De Virtutibus.
De Vitiis.
De Vsurariis.

Alia quærito in Indice rerum.

SVMMÆ VIRTVTVM GENERALIS distinctio materiarum.

Tomus primus, qui appellatur SVMMA VIRTVTVM, *diuiditur in quinque Tractatus, quorum* Tituli *generales hi sunt.*

I. De Virtute in communi. Pag. 1
II. De Virtutibus tribus Theologicis. 19
III. De Quatuor Virtutib. Cardinalib. 187
IV. De Donis. 398
V. De Beatitudinibus. 448

Sequitur particularis eorundem titulorum subdiuisio.

PRIMA PARS PRINCIPALIS, AGIT DE VIRTVTE IN COMMVNI, habétque Capita tredecim.

Caput 1. Quod expediat Virtutem commendari. Pag. 1
2. *de Virtutis cognitione, seu notificatione.* 2
3. *Virtutis descriptio definitióque.* 4
4. *Virtutis triplex commendatio.* 6
5. *Virtutem res omnes excellere.* 7
6. *Virtutem esse solum bonum nostrum, veramque possessionem.* 8
7. *Virtutem magnæ esse dignitatis.* 9
8. *Virtutis statum proximè ad felicitatem accedere.* 10
9. *Virtutis gaudium, mundi gaudium longe vincere.* 11
10. *In Virtute quæ sint Gaudij materiæ.* 12
11. *Virtutis commendatio, futurorum bonorum respectu.* 14
12. *Virtutis commendatio ex Saluatoris nostri verbis.* 15
13. *Virtutis multiplices laudes ab effectibus.* 15

SECVNDA PARS PRINCIPALIS QVÆ AGIT DE THEOLOG. VIRTVTIB. diuiditur in quatuor Tractatus.

ij. Partis TRACTATVS I. agit de numero & ordine Theologicarum Virtutũ. 18

ij. Partis TRACTATVS II. agit de Fide, habétque Capita triginta. 19

Caput 1. de Fidei necessitate. ibid.
2. *de Fidei descriptione.* 22
3. *Quod vna, eáque Christiana sit Fides.* 24
Argumenta, quibus Fides Christiana vnica & vera ostenditur. 26
4. *de Fidei commendatione.* 33
5. *de Fidei articulis.* 42
6. *de Errore eorum qui negant Deum esse.* 46
7. *de Errore Idololatriæ.* 51
8. *de Manichæorum Erroribus.* 59
9. *de Ciborum distinctionibus.* 75
10. *de Iis, qui ponunt Veterem legem à Principe Dæmoniorum datam.* 76
11. *de Iis qui damnant Patres Veteris Testamenti.* 79
12. *de Iis qui asserunt Animas de nouo non creari.* 80
13. *de Errore eorum, qui dicunt Animas esse Angelos apostatas.* 87
14. *de Iis qui dicunt duas Animas corpori inesse.* 88
15. *de Iis qui aiunt Animas simul esse creatas.* ibid.
16. *de Iis qui credunt Animas, vt corpora, de semine nasci.* ibid.
17. *de Negantibus Christum veram humanam naturam habuisse.* 90

18. *de Condemnantibus Ioannem Baptistam.* 91
19. *de Negantibus pluralitatem vel æqualitatem diuinarum personarum.* 93
20. *de Negantibus Filij Dei Incarnationem.* 99
21. *de Affirmantibus Animam perire cum Corpore.* 100
22. *de Negantibus Resurrectionem Corporum.* 106
23. *de Credentibus vnumquemque saluari sua Fide.* 180
24. *de Negantibus Animas in Mortali peccato descendentes non puniri æternaliter.* 110
25. *de Affirmantibus Animas in charitate discedentes, nulla Purgatorii pœna puneri.* 113
de Iis qui dicunt nullum peccatum esse veniale. ibid.
26 *de Iis qui credunt cum culpa, semper & pœnam dimitti.* 114
27. *de Negantibus, Defunctis suffragia Ecclesiæ non prodesse.* 115
28. *de Eorum causis octo.* 116
29. *de Fidei diuersitatibus.* 118
de Fide viua & mortua. ibid.
Ficta & non Ficta. 119
Magna & Modica. ibid
de Fide Explicita & Implicita. 120
30. *de Quibusdam Fidem commendantibus.* 120

ij. Partis TRACTATVS. III. qui est de Spe per sex Capita.

Caput 1. de Spei descriptionibus. 121
2. *de Commendatione Spei.* 122
3. *de Considerationibus quatuor Spem adiuuantibus.* 126. *Species 1. est directe in Deum. ibid. Species 2. circa ea quæ pro Deo agimus vel sustinemus.* 127. *Species 3. circa Dei beneficia generalia vel particularia.* 128. *Species 4. circa Sanctorum merita.* 129
Et hæc subdiuitur in 4. alias Species.
1. *Circa mediatorem Dei & hominũ Iesum Christum.* ibid.
2. *Circa mediatricem Virginem Mariam, vbi agitur de eius misericordia.* 301
3. *Circa Angelos.* 133
4. *De His quæ Spei aduersantur.* 134. *De speratione nempe, & Confidentia in Creaturam.* 134. *de Causis Desperationis.* 135
5. *de Rebus Sperandis.* 137
de XII. quæ valent ad futuræ gloriæ cognitionem. ibid.
de XII. fructibus ligni Vitæ. 139
de multiplici materia futuri gaudij. ibid. 140. & 141
de Differentia futuri gaudij. 142
de Duodecim cognitionibus intellectis per XII. stellas. 143
6. *de Spei diuersitatibus.* ibid.

ij. Partis TRACTATVS IV. agens de Charitate, habens Cap. octodecim.

Caput 1. Charitatis descriptio. 144
2. *Charitatis commendatio.* 146
3. *de Amore Dei, & ad eum quæ incitent.* 157
4. *Quæ sint quæ reddant nos Deo dilectos.* 161
5. *Modus amandi Deum.* 164
6. *de Diuersis speciebus diuini amoris.* 165
7. *de Signis diuini amoris.* 166
8. *de Iis quæ incitant ad amorem Proximi.* 167
9. *Quæ reddant nos Proximo acceptos.* 170
10. *Modus amandi Proximum.* 171
11. *de Diuersis speciebus amorem Proximi. Et de amore parentum.* 175
12. *de Amore viri & vxoris.* 176
13. *de Amore bonorum.* 178
14. *de Inimicorum dilectione, & quæ eò inducant.* ibid.
15. *de Amicitia vera. Amicus quo modo eligendus.* 180
16. *de Charitatis ordine.* 182
17. *Quæ Charitati aduersentur.* 183

18. *de Diuersis Charitatis gradibus.* 183.

TERTIA PARS PRINCIPALIS diuiditur in sex Tractatus.

iij. Partis TRACTATVS I. est de ipsis Virtutibus Cardinalibus.

Caput 1. *Quare istæ 4. Virtutes Cardinales nominentur.*
2. *de Numero prædictarum Virtutum.* 188

iij. Partis TRACTATVS II. de Prudentia, habet Capita sex.

1. *Prudentiæ diuersis significationibus* 190.
2. *Prudentiæ descriptio & definitio.* 191.
3. *Prudentiæ officia quæ.* 193
de Stultitiis, quibus prudentes in bello spiritualis succumbunt. 196
4. *de Prudentiæ commendatione.* 197
5. *de Speciebus Prudentiæ & eius triplici diuisione.* 201
de Memoria & obliuione. ibid.
de Prouidentia. 203
Prudentiæ diuisio ex Senec. 204
de alia eius diuisione. 205.
de XII. quæ iuuant vt aliquis debitè doceat. 206
Vt quis benè addiscat, quid requiratur. 209
6. *de His quæ Prudentiæ aduersantur.* 212.
de XII. Stultitiis, quibus peccantes mortaliter adhærent.

iij. Partis TRACTAT. III. de Temperãtia, habens Cap. octodecim.

Caput 1. *de ordine Cardinalium Virtutum.*
2. *de Diuersis Temperantiæ acceptionibus.* 218
3. *Temperantiæ descriptio.* ibid.
4. *Temperantiæ commendatio.* ibid.
5. *de Partibus Temperantiæ ex sententia M. Ciceronis, & primùm de Continentia.* 220.
6. *Clementiæ descriptio: quodque ea principi vero maximè necessaria.* 223
7. *de Modestia.* 225
8 *de Temperantiæ partibus.* 227.
9. *de Sobrietate: & eius commendatione.* 228. *de officiis Sobrietatis.* 231
10. *Temperantiæ diuisio, quæ attenditur circa delectationes Tactus.* 231
11. *de Virginali continentia.* 233
Virginitatis distinctio, descriptio, commendatio. ibid.
Quænam specialiter Virgines timere debent. 237
de Aureola triplici, Prædicatorum, Virginum & Martyrum. 240
12. *de Viduali continentia.* 242
13. *de Castitate ministrorum Ecclesiæ: & octo causis quare castitas eis competat.* 243
14. *de Continentia coniugali: & in eos qui matrimonium damnant.* 245.
15. *de Matrimonij commendatione.* 247
16. *de Modo contrahendi Matrimonium.* 249
17. *Carnale opus quando licitum, & quando illicitum.* ibid.
Quæ requirantur in tali opere vt sit sine culpa. 251
de Matrimonij inseparabilitate. ibidem
18. *de Temperantia delectationum, secundum visum, auditum, & olfactum.* 253.

iij. Partis TRACTATVS IV. de Fortitudine diuisus in partes decem.

Pars 1. *agit de distinctione nominis Fortitudinis.* 254
2. *agit de Fortitudinis descriptionibus & definitionibus.*
3. *de commendatione Fortitudinis.* 256
4. *de his quæ Fortitudinem iuuant.* ibidem
5. *agit de Fortitudinis partibus: primò de Securitate.* 258

de XII. Solatiis contra timorem mortis. 259
de timore inordinato. 261
de Securitate laudabili & vitiosa.
[Pars 6. agit de Patientia, capita habens sex.]
Caput 1. Patientiæ descriptio ac distinctio. 263
2. *Patientiæ commendatio.* 264
3. *Patientiam adiuuantia, ac de tribulatione.* 268
de Tribulationibus, eorumque vtilitatibus. 271
4. *Patientiæ diuisio.* 279
5. *de Tentationibus Dæmonum.* 280
de Vtilitate tentationum. 281
de Modo impugnandi quem habet Tentator. 282
Mundus repugnandi Diabolo. 286
6. *de Aliis diuisionibus Patientiæ.* 289
[Pars 7. quæ agit de Constantia. 292
8. *de perseuerantia.* 294
9. *de Magnanimitate.* 296
10. *de Fiducia & Magnificentia.* 297
de Officiis Magnificentiæ. idid.

iij. Partis TRACTATVS V. de Iustitia, quæ diuiditur in partes xvi.

[Pars 1. de iustitiæ diuersis acceptionibus. 298
2. *Iustitiæ descriptio & definitio.* 299
3. *Iustitiæ commendatio.* 300
4. *Iustitiæ diuisio & distributio.* 301
5. *de Latria & Relig. vt Cicero Religio. sumit.*
6. *de Dulia, habens tria capita.* 306
Cap. 1. de Duliæ descriptione ac distinctione, ibid.
2. *de Speciebus Duliæ.* 307
3. *de Errore illorum qui dicunt Ecclesiam idololatrare circa Sanctos ac eorum Imagines.* 308
[Pars 7. de Oratione habet capita decem.
1. *de Orationis nominibus & significationibus.* 310
2. *Orationis definitio & descriptio.* ibid.
3. *Orationis commendatio.* 311
4. *de Orationis præparatione.* 315
5. *de Impedimentis Orationis.* 317
6. *Quando sit orandum.* 319
7. *Vbi sit orandum.* 320
8. *Quomodo sit orandum.* 321
9. *Quid in oratione sit petendum.* 322
10. *de Speciebus Orationis.* 323
[Pars 8. de Laude Dei, & quod illum laudare perpetuò oporteat. 325
9. *de His qui hominem prouocant ad gratiarum actionem.* 328
de Beneficijs pro quibus homo Deo gratus esse debet. ibid.
10. *de Obedientia habens Capita septem.*
Caput 1. Obedientiæ descriptio. 331
2. *Obedientiæ commendatio.* 332
3. *de Iis quæ Obedientiam adiuuant.* 340.
4. *de Gradibus Obedientiæ.* 341
5. *de Obedientiæ partibus.* 345
6. *de His, quæ Obedientiæ aduersantur.* 346
7. *de Errore illorum, qui iactant soli Deo obediendum.* 347
[Pars 11. de Disciplina, & subdiuiditur in 7. Capita.
Cap. 1. de Disciplinæ diuersis significationibus 349
2. *Quæ incitent ad Correptionem faciendam.* 350
3. *de Impedimentis Correptionis,* 351
4. *de Modo corripiendi.* 352
5. *de Iis, quæ incitant ad Correptiones libenter accipiendas.* 356
6. *de Disciplinæ partibus, & primò de Ieiunio.* ibid.
7. *de Erroribus circa disciplinam, præsertim de ijs, qui aiunt nullum esse excommunicandum.* 360
de Illis, qui dicunt maleficos non esse temporaliter puniendos. 361

[*Pars* 12. *de Aequitate & Pietate, ex definitione Ciceronis & Macrobij.* 365
de Pietate. 366.
13. *de Gratia, vti Cicero de ea loquitur.* ibid.
Quæ sint obseruanda docenti vel accipienti Beneficia. 368
Vindicatio quid sit. 369
14. *de Misericordia per capita septem.*
Caput 1. *Misericordiæ descripiones.* ibid.
2. *Misericordiæ commendatio.* ibid.
3. *Quæ Misericordiam adiuuent & promoueant* 377
4. *de Misericordiæ diuisionibus & Operibus Spiritualibus,* 378
5. *Eleemosyna de quibus rebus dando.* 386
6. *Eleemosyna cui sit danda.* 386
7. *Eleemosyna quomodo sit danda.* ibid.
[*Pars* 15. *de his quæ omnibus debemus, videlicet dilectione, veritate & fide.* 388
de Errore illorum qui aiunt, Veritatem non deberi Iuramento firmari, 396
16. *de Fide, quæ idem est quod Fidelitas* 394
iij. Pars TRACTATVS VI. agens de Virtutum Cardinalium diuisione, ex Macrobio.
iv. Patris de Donis Tractatus diuiditur in duodecim partes.

1. *de Donis, & quare vocentur Dona.* 398
2. *de Donorum commendatione & eorum numero.* 399
3. *de Dono Timoris: quæ subdiuiditur in capita.* 4.
Cap. 1. *Doni Timoris descriptio.* 402
2. *de Commendatione Timoris.* 403
3. *de Speciebus Timoris.* 406
4. *de Incutientibus Timorem, quæ sunt.* 409
de Inferni pœnis. 415
[*Pars* 4. *de Pietatis dono.* 417
5. *de Scientiæ dono.* 418
6. *de dono Fortitudinis.* 421
7. *de dono Consilij.* 422
8. *de vitæ contemplatiuæ præeminentia, respectu actiuæ.* 424
9. *de distinctione contemplationis à simplici consideratione.* 426
10. *de* 12. *quæ præparant ad contemplationem.* 440
de 8. *Grad. ex Bern.* 443
de 7. *Grad ex Aug.* ibid.
de triplici specie visionis. 444
11. *de Intellectus dono.* 445
12. *de dono Sapientiæ.* 446
v. Partis Tractatus de Beatitudinibus diuisus in duodecim partes.

1. *de Beatitudinis descriptione.* 448
2. *de Obseruandis quinque in doctrina nouæ Legis.* 449
3. *de Paupertate Spiritus.* 452
Quare pauperes spiritu sint beati. 453
Quare pauperum spiritu sit regnum cælorum. ibid.
Paupertas spiritus dono Timoris adaptatur. 454
4. *Subdiuiditur in quinque capita.*
Caput 1. *de Humilitatis descriptione.* ibid.
2. *de Humilitatis commendatione.* 456
3. *de Causis Humilitatis.* 465
De Iis qui valent ad Humilitatem. 467
4. *de Humilitatis signis.* 469
5. *de Diuisione Humilitatis,* 470
[*Pars* 5. *de Paupertate.* 472
6. de *Mansuetudine & eius descriptione.* 471
de *Mansuetudine commendatione.* ibid. 477
7. *de Luctu & eius descriptione.* 480
De speciebus luctus. ibid.
Quare lugentes sint beati. 482
de Virtute lacrymarum. 483
de impedimentis lacrymarum. 494
Coaptatione luctus in Donum scientiæ. 485

8. *de Esurie Iustitiæ.* ibid.
9. *de Misericordia.* 487.
10. *de Munditia cordis, & eius descriptione.*
de his quæ efficiunt munditiam. idid.
quare mundi corde sint beati. ibid.
de Iis quæ faciunt ad commendationem munditiæ. 492
de Partibus munditiæ. 494
11. *de Pace.* ibid.
de Pacis commendatione. 495
de Iis quæ valent ad habendam pacem. 497
de Iis quæ aduersantur paci. 498
de Diuisione pacis. ibid.
Qui sint pacifici. 499
Quare pacifici sint beati. 500
Paci adaptatur Donum Sapientiæ, ibid.
12. *de Patientia persecutionum.* 501

Finis Indicis particularium Titulorum.

SVMMÆ VIRTVTVM ET VITIORVM, PER FIGVRAS.

SVMMARIVM.

Tituli Summarij Summæ Virtutum.

De Fide.
De Spe.
De Charitate.
De Dilectione proximi.
De Prudentia.
De Temperantia.
De Iustitia.
De Fortitudine.
De Victoria.
De Patientia.
De Martyrio spirituali.
De Tribulatione.
De Paupertate.
De Humilitate.
De Obedientia.
De Timore.
De pace.
De Continentia in genere.
De Continentia virginali.
De Munditia cordis.
De Misericordia & compassione.
De vita actiua.
De Contemplatione & Consolatione.
De Perseuerantia.
De efficacia verbi diuini.
De Prælatis, & primò de ætate eorum.
De Soplicitudine eorum.
De Continentia eorum.
De Constantia eorum.
De vita eorum.
De Contemplatione eorum.
De Scientia eorum.
De Prædicatione eorum.
De Misericordia eorum.
De Ambitione dignitatum.
De Pluralitate beneficiorum.
De Simonia.
De Dotibus Animæ.
De Dotibus corporis.
De Vita æterna.

Tituli Summarij Summæ Vitiorum.

De Vitiis in genere.
De Gula.
De Ebrietate.
De Remediis gulæ.
De Luxuria.
De Speciebus luxuriæ.
De Remediis contra luxuriam.
De Choreis.
De Auaritia.
De Vsuris.
De Raptoribus.
De Monachis propietariis.
De Lusoribus.
De Acedia & Otio.
De Indeuotione.
De Desperatione.
De Indiscreto feruore.
De Ira & Odio.
De Guerris.
De Incendiariis.
De Homicidio.
De Remediis iræ.
De Inuidia.
De Superbia.
De Superbia vestium.
De Hypochrisi.
De Peccato linguæ.
De Blasphemia.
De Murmure claustralium.
De Periurio.
De Mendacio.
De Bilinguibus.
De semine discordiæ.
De Derisoribus.
De Maledicis. *De Detractione.*
De Adulatoribus. *De Iactantia.*
De Multiloquio.
De Silentio Religiosorum.
De Singularitate.
De Susplicione & falsis Iudiciis.

SVMMÆ

SVMMÆ VIRTVTVM ET VITIORVM,

PER FIGVRAS, SVMMARIVM.

FIDES generat { Victoriam, Iustitiam, Gloriam.

De primo, 1. Ioann. 5. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Sed nota quod omne quod est in mundo, aut est concupiscentia,*&c, 1. Ioan. 2. *Ista tria vincuntur fide incarnationis, passionis, ascensionis.* De secundo, Genes. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est,*&c. De tertio, Apoc. 2. *Esto fidelis vsque ad mortem.* Hæc notantur ad Heb. 11. *ibi, Sancti per fidem vicerunt,* &c.

Item Fides { A peccato purgat, Animam saluat, In tentione confortat.

De primo, Act. 5. *Fide purificans corda eorum.* De secundo, Luc. 17. *Fides tua te saluam fecit.* De tertio. Hebr. 11. *Fortes facti sunt in bello. Est enim sicut clypeus & lorica,* 1. Thess. 5. *Induti loricam fidei,* Eph. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei.* Heb. 11. *Fide muri Iericho corruerunt.*

Item Fides { Mentem illuminat, Tentationes mittigat, Filios Dei parit.

De primo Luc. 18. *Respice, fides tua te saluum fecit.* De secundo Heb. 11. *Fide transierunt mare rubrum.* De tertio, Ioan. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei,* &c.

Item Fides { Virtutes generat, Confusionem deuitat, Christũ ad orandũ incitat.

De primo, Aug. Fides bonorum operum fundamentum, Fides humanæ salutis est indicium, Matth. 7. *Fundata enim erat supra firmam petram.* Hac ratione dicitur mater & radix virtutum: & hoc intellige quo ad motus, non quoad habitus. De secundo, Rom. 10. *Qui credit in illum, non confundetur.* De tertio, Ioan. 17. *Non pro his rogo tantùm: sed & pro hic qui credituri sunt per verbum eorum in me.*

Item Fides est { Miraculorum, Sacramentorum, Scripturarum.

De primo, Marc. 17. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur.* Item: *Omnia possibilia sunt credenti.* Eiusd. 9. De secundo, Greg. Fides non habet meritum cui, &c. De tertio, Heb. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum.*

Item Fides { Vitam tribuit, Beatum reddit, Terrena contemnit.

De primo, Apostolus Roman. 1. *Iustus ex fide viuit.* Ioann. 11. *Qui credit in me, et iam si mortuus fuerit, viuet.* Intellige de vita gratiæ. Item gloriæ, Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit,* &c. De secundo, Ioan. 20. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* De tertio, Hier. Qui veram fidem de Deo habet, nõ quærit in his miseriis fieri diues. Nota quod iste contemnit diuitias, delicias, & honores. Quæ tria notantur Heb. 11. *Fide Moyses grandis factus.*

Item Fides debet esse { Charitate formata, Constantia fundata, Humilitate subiecta.

De primo, Iacob. 2. *Fides sine operibus mortua est.* De secundo, Matth. 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis.* Licet modicum sit, tamen est acerbum & feruidum: sic fuerunt martyres qui sua corpora tradiderũt. De tertio, Apostolus 2. Corinth. 10. *In captiuitatem redigentes*

omnes intellectum in obsequium Christi. Fides super omnem sensum est, & naturam & intellectum.

Spes operatur { A peccato liberationẽ, A diabolo protectionẽ, Orationis exauditionẽ.

De his tribus in Psal. 90. *Quoniam in me sperauit,* &c. August. Dulcis Iesus, sub quo nemini desperandum.

Item est spes { Veniæ, Gratiæ, Gloriæ.

De primo, Aug. O breue verbum Peccaui. O tres syllabæ, quæ portas aperiũt paradisi! De secundo, Iob 14. *Lignum habet spem, si præcisum fuerit.* De tertio, August. Nos cum illo per spem in cœlo, ipse nobiscum in terra per charitatem. Greg. Spes sine meritis non est spes, sed præsumptio.

Item spes confert { Gratitudinem, Agilitatem, Dei inhabitationẽ.

De primo, Psal. 39. *Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius.* De secundo, Esa. 40. *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* De tertio, Psal. 5. *Lætentur omnes qui sperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis.*

DILIGERE DEVM EST { Vtile, Delectabile, Honestum.

De primo, 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate.* De secundo, Augustin. Solus sine molestia animatur, cum iucunditate amplectitur, cum securitate desideratur. De tertio, Augustin. Suaue mihi factum est, &c. vnde vestis nuptialis dicitur.

Item Charitas { Rationabilẽ illuminat, Cõcupiscibilẽ inebriat, Irascibilem confortat.

De primo, Anselm. O immarcessibilis decor, & purus. De secundo, Aug. Quis mihi det, vt venias in cor meum, &c. Est enim charitas vinũ cypri. De tertio, Cãt. *Fortis est vt mors dilectio.* Hæc inseparabilem separauit, immortalẽ occidit. Laurentiũ assauit, Bartholomæũ excoriauit.

Item Charitas { Incipientes mundat, Proficientes ditat. Perfectos glorificat.

De primo, Luc. 7. *Dimissa sunt ei, &c.* De secundo, Aug. Sectamini charitatem, sine qua diues pauper est, & cum qua pauper diues. De tertio, Iud. 5. *Domine, qui diligunt te; quasi sol in ortu suo splendet, ita rutilant.*

Item diligitur Deus { Intellectu sine errore, Memoria sine obliuione, Voluntate sine cõtradictione.

De primo, Apost. 1. Corint. 12. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.* De secũdo, Prou. 17. *Omni tempore diligit qui amicus est, quia amore Dei delectatur iugiter.* De tertio, Aug. Gratis ametur, & opus quo ministratur ei merces sit cũ illo.

Itẽ Charitas { Opera facit vtilia & aurea, Restituit amissa, Aliena facit propria.

De primo, Greg. Nõ habet aliquid viriditatis ramus boni operis, &c. Apost. 1. Cor. 13. *Si linguis ho. loquar.* Honorabilis esset lapis, quo, si quidquã tãgeretur, totũ aureũ esset. De secundo, nota quod charitas est ãnus Iubileus, in quo redibũt possessiones ad proprios possessores. De 3. Aug. Quidquid in alio diligo, mea facio.

Item Charitas { Mentem accendit, Securum reddit, Peccata operit.

De primo, Luc. 12. *Ignem veni mittere, &c.* Aug. O amor qui semper ardes? De secũdo, Aug. Habe charitatẽ, & fac quod vis. De tertio. 1. Pet. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum,* est enim quasi cappa quæ reddit inuisibilem, hanc si haberet aliquis captus, multum gauderet.

Item Charitas { Deo vnit, Mãsiones in cœlo disiungit, Christi discipulos ostendit.

De primo, Oseæ 11. *In funiculis Adam traham eos &c.* Est enim quasi bitumen quo linita fuit Arca. De secundo, not. quod significata est per auream virgam

qua mensurauit Angelus longitudinem & latitudinem Ierusalem. Apoc.31. De tertio, Ioan. 13. *In hoc cognoscent omnes, quia mei dis. &c.*

Item Charitas { Fessos alleuiat. Legem obseruat. Mœstos lætificat.

De primo, Matth. 11. *Iugum enim meum suaue est.* De secũdo, Greg. Charitas operatur magna, si est. Item Rom. 13. *Qui diligit proximũ, Legem impleuit.* De tertio, Aug. Infunde Domine dilectionẽ tuam.

Item Charitas impedit { Inhæsionem temporalium, Obliuionem Christi beneficiorum, Tentationes affligentium.

De primo, Aug. Tanto quisque à superno amore disiungitur, quãto inferius delectatur. De secundo. Vis scire homo, quare Deum non diligis? Idem Super omnia te mihi reddit amabilem calix. De tertio exẽplum: quia sicut magnus ignis per vẽtum augetur: sic paruus extinguitur, ita dilectionem modicam tentatiões annihilant.

Item in charitate habes { Finem, Modum, Ordinem.

De primo nota exemplum de B. Francisco, de quo legitur quod quidquid in rebus reperit delectamenti, redegit ad gloriam Dei. De secundo, Bern. Causa diligendi Deum. Deus est modus sine modo. De tertio, Cant. 2. *Ordinauit in me charitatem*, scilicet vt primò Deum, deinde nos, pòst proximum.

Dilectio proximi debet esse { Munda, Vera, Gratuita.

Primum est, quod homo non ad malũ diligatur: vt Herodes & Pilatus qui facti sunt amici, vt dicitur, Luc. 23. De secũdo, 2. Ioan. *Quos ego diligo in veritate*, &c. quia tunc cor concordat cum ore: sic nõ facit Iudas, nec ille 1. Reg. 10. qui dixit ad Amasam, *Salue mi frater*, tenens mentum *eius, &c.* De tertio, Matth. 5. *Si diligitis tantùm eos qui vos diligunt, quam mercedem*, &c. Ecclesiastic. 6. *Est amicus socius mensæ.* Hæc est amicitia Laban ad Iacob. Sic sequitur musca mensam, cadauera lupi.

Item diligendus est proximus, quia { Hæres est regni, Imago Dei, Socius prælii.

De primo, Psalm. 60. *Dedisti hæreditatem ei*, &c. Apost. Rom. 8. *Si filij, & hæredes.* De secundo, 1. Ioann. 2. *Qui diligit fratrem suum*, &c. De tertio, Prou. 18. *Frater qui adiuratur à fratre, quasi ciuitas firma.* Sed de quibusdam dicitur: cum fueris felix. Christus autem dilexit inimicos, dicens: *Pater ignosce illis, quia*, &c. Luc. 23.

Item diligendus est proximus, vt { Ius naturale impleatur, Charitas Dei habeatur, Ad diligendum prouocetur.

De primo, Matth. 9. *Quacunque vultis vt faciant vobis homines.* Etiam naturaliter, simile simili congaudet. De secundo, 1. Ioann. 3. *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, &c.* Idem: *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, &c.* De tertio, Apostolus Rom. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.*

PRVDENTIA { Beatum constituit, Claritatem tribuit, Omnia bona adiicit.

De primo, Eccles. 12. *Beatus vir qui in sapientia morabitur.* De secundo, Dan. 12. *Docti fulgebunt sicut stellæ*, &c. De tertio, Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, &c.

Item prudentia { Virtutes dirigit. Iras compescit, Insidias non metuit.

De primo, Leuit. 2. *In omni sacrificio sal. off.* De secundo Prou. 15. *Stultus suscitat rixas, sapiens autẽ mitigat suscitatas.*

De tertio, Sap. 7. *Et proposui pro luce habere illã.* Prou. 7. *Dic Sapientiæ, soror mea es: & prudentiam vóca amicam tuam.* Sic non fecit Samson, Amasa, Nabal.

Item prudentia acquiritur { Studio scripturarum, Contẽptu deliciarum, Exemplo creaturarũ.

De primo, Psalm. 18. *Præceptum Domini lucidũ, illuminans oculos.* Item de septẽ artib. De secundo, Apostolus 1. Cor. 3. *Si quis vult sapiens fieri, stultus fiat,* scilicet terrena contẽnendo, vt sit sapiẽs. Nõ enim inuenitur in terra suauiter viuentiũ Iob. 28. De tertio, Matth. 10. *Estote prudentes sicut serpentes.* Prou. 6. *Vade ad formicam, ô piger.*

Item prudens considerat { Præterita, Præsentia, Futura.

De primo Apocalyps. 4. & Ezech. 1. *Animalia erant plena oculis, antè & retrò.* De secundo, Naum 3. loquens de voluptate mundi: *Omnis qui viderit te, à te resiliet:* est enim transitoria, amaritudine permixta, & nociua. De tertio, Prouerb. 4. *Palpebræ tuæ gressus tuos præcedãt.* De his tribus Bernard. Vide homo vnde veneris, & erubesce &c. Item Deuteron. 32. *Vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent,*

Item habet Prudentiam { Pugnatoris, Mercatoris, Nauigatoris.

De primo, August. Arma virtutis nõ deferas, aduersarium tuum atteras. Apostolus ad Ephes. 6. *Nõ est nobis colluctatio aduersus carnem.* De secundo, Augustin. Vis esse optimus mercator &c. Matth. 25. *Domine, quinque talenta tradidisti mihi.* De tertio, Augustin. Stude habere remos charitatis Dei & proximi, & haustorium confortationis, & velum crucis: & cum ventos tribulationis videris, ad littus tẽde perpetuæ beatitudinis. Psalm. *Hoc mare magnum, &c.*

Item sis prudens contra deceptionem { Mundi, Carnis, Diaboli.

Mũdus enim decipit sicut calamus qui trahitur ante catum: & sicut lignum putridum de nocte lucẽs, & sicut somnium. Caro autem decipit, sicut Papelardus, qui dicit se infirmum & pauperem, cùm non sit: & sicut vinum inebrians potentem: & sicut latro qui se socium simulat in via, donec decipiat. Diabolus verò decipit vt cuculus arundineus, & sicut venialis, & sicut ille qui vult canem submergere.

Item prudẽter cognosce { Interiora vt custodias, Superiora vt diligas, Inferiora vt timeas.

De primo, Bernard. Multi multa sciunt &c. Idẽ: Integritatis sis curiosus explor. De secũdo. Ier. 2. *Si obliuisci potest mulier ornamenti sui.* De tertio Psalm. *Descendunt in inferiora terræ.* Bernard. Ne descendant morientes.

TEMPERANTIA { Beatum ostendit, Decorem tribuit, Gloriæ cõiungit.

De primo, *Medium tenuere beati.* Bernard. Tene medium, si non vis perdere modum. De secundo, nota quod sol qui est decẽdissimus Planetarum est medius inter illos. De tertio, nota quod comparatur ligno vitæ quod est in medio paradisi ferens fructus vberes.

Item Tẽperantia { Afflictiones tẽperat, Vitia refrenat, Medium seruat,

De primo, Apostolus Rom. 12. *Rationabile obsequium vestrum.* Nota, quod modus in omnibus commendatur, & sæpè plus quàm actio. Item forma dignior est materia. De secundo, nota quod Temperãtia comparatur ferro limæ quæ tollit super fluum De tertio: *Medio tutissimus ibis.* Hoc medium seruauit Dominus quando fecit Euam, non de manu vel de pede, sed de costa: & quando fecit hominem partim corporalem, partim spiritua-

lem, & etiam posuit eum inter creaturas partim spirituales & partim corporales.

IVSTITIA
- Hominem beatum facit,
- Floridũ ante Deũ cõstituit
- Suum vnicuique tribuit.

De primo, Eccles. 14. *Beatus vir qui in sapientia mor. & qui in iustitia mea.* De secũdo. Psal. 91. *Iustus germinabit sicut liliũ:* Itam: *Iustus vt palma flor.* &c. Tertium patet, quia reddit Deo honorem, proximo compassionem, sibi sustẽtationem. Vnde hæc via regia, nec ad sinistram, nec ad dexteram declinabit.

Item iustus
- A Domino deducitur,
- Christo in cælis iungitur,
- De angustijs liberatur.

De primo Sapient. 10. *Iustum deduxit Dominus per vias rectas*, De secundo. Psalm. 24. *Innocentes & recti adhæserunt mihi.* Et notãdum quod lilium habet rectum stipitem, in summo florem: sic rectus per iustitiam Christum habebit florem. De tertio, Prou. 11. *Iustus de angustia liberatus est.*

Item iustus
- Viuet æternaliter,
- Epulabitur delectabiliter
- Securus erit finaliter.

De primo, Psal. 67. *Iusti autem in perpetuum viuent.* De secundo, Psal. *Iusti epulentur*, &c. De tertio, Prouer. 28. *Iustus quasi leo confidit.* hoc & in morte.

Item iustus
- Seruat rectitudinem,
- Inducet pulchritudinem,
- Recipiet benedictionem.

De primo, Psal. 31. *Latamini in Domino, & exultate iusti.* Rectum autem est cuius medium non exit ab extremis. De secundo, Sapien. 3. *Fulgebunt iusti &c.* Plal. *Lux orta est iusto.* De tertio Prouerb. 10. *Benedictio Domini super caput iusti.*

Item iustitia corrumpitur
- Amore,
- Timore,
- Rancore.

De primo, Esa. 5. *Qui iustificatis impiũ pro numeribus.* Nota, quod duplex amor corrumpit iustitiam: scilicet personæ & pecuniæ. De secũdo. Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, Item Ioannes Baptista potius voluit occidi, quàm non veritatem dicere. Item exemplum in Eleazaro 1. Machab. 7. De tertio, Matth. 27. *Sciens quod per inuidiã tradidissent eũ.*

Item in iustificatione impii concurrunt.
- Infusio gratiæ,
- Dimissio culpæ,
- Remissio pænę æternę.
- Dolor pœnitentiæ.

Vltimũ est ex parte nostri, alia ex parte Dei. De primo, Apostolus 1. ad Corinth. 1. *Gratiã Dei sum id quòd sum.* De secundo Esa. 43. *Ego sum qui deleo iniquitatem propter me.* De tertio, Sapient. 3. *Iustorũ animæ in manu Dei sunt.* De quarto Ioël. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu.*

FORTITVDO consistit
- In aggressione arduorũ,
- In cõtemptu prosperorũ,
- In perpessione aduersorũ.

De primo, Psal. 26. *Viriliter age, & cõfortetur cor tuum.* Aug. Libenter debet facere immortalis futurus. De secundo, Luc. 14. *Qui non odit patrem & matrem.* De tertio Cant. 8. *Fortis est vt mors dilectio.* Apostolus ad Romanos 1. *Quis nos separabit à charitate Christi; &c.*

Item Fortitudo
- Mentem protegit,
- Perseuerãtiã adducit,
- Regnũ cælorũ tribuit.

De primo, nota quod protegit, sicut vestis à pluuia. Prouerb. vltim. *Fortitudo, & decor indumentum eius.* Item sicut arma. Boëtius: Talia contuleramus arma, &c. Item sicut custos castrum. Luc 11. *Cum fortis armatus &c.* De secundo, nota quod est sicut cæmentum tenens lapides ne soluantur, & quasi bonum fundamentum, Matthæi 7. *Venerunt flumina & flauerunt venti.* De tertio, Matt. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti &c.* Prou. 31. *Mulierem fortem quis inueniet?*

Itẽ firmi simus contra
- Mũdũ, vt diuitias cõtẽnamus,
- Corpus, vt delicias respuamus,
- Diabolum, vt honores non appetamus.

De primo, nota quod Samson vicit Phi-

listhęos in mandibula asini, id est, amore paupertatis. Prouerb. 30. *Leo fortissima bestiarum.* Si ergo leo. De secundo, Apostolus ad Gal. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum.* Vnde nota: Si ea quæ nobis vicina sunt, nō prosternimus, inaniter ad ea, quæ longe sunt à nobis impugnanda transimus: Sed in his tene modum: qui carnem multum affligis, ciuem tuum occidis. Si plus debito reficis, hostem nutris. De tertio, 1. Reg. 17. Qualiter Dauid Goliam vicit: sic & tu diabolum baculo crucis, & fundâ orationis. Item nota quod cibus & potus confortat. 3. Reg. 9. Elias ambulauit in fortitudine cibi illius, & Petrus potatus gratiâ Spiritus S. dixit Act. 5. *Oportet magis obedire Deo, quàm hominibus*, qui prius dixit: *Nō noui hominem.* Matth, 26.

victoria { Hominem in cælo collocat, Fortitudinē incorruptionis prę(parat), Ferculis æternis cibat.

De primo Apoc. 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* De secundo, Apocalyp. 3. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.* De tertio, Apocalyp. 2 *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.*

Item victori dabitur { Gloria ineffabilis, Corona admirabilis, Laus interminabilis.

De primo, Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum quod nemo scit, nisi qui accipit.* In hoc quod dicit absconditum, notatur ineffabilitas: de qua Apostolus 1. Cor. 2. *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit.* De secundo, Apostolus 2. Tim. 2. *Nemo coronabitur, nisi qui legitime certauerit.* Nota quod victores olim coronabātur lauro. Itē cantica de ipsis fiebāt, sicut 1. Reg. 18. *Saul percussit mille, & Dauid decē millia.* Adapta de tertio, Apoc. 3. *Qui vicerit, non delebo nomē eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius corā Patre meo & angelis eius.* Item Amb. Lauda ducis virtutē, sed cùm venerit ad triūphum: lauda nauigantis facilitatem, sed cùm peruenerit ad portum.

Itē victoria { A morte gehennę liberat, claritatē ęternā expectat, Vestitu regio decorat.

De primo, Apoc. 2. *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.* Itē de secundo, ibidem. *Qui vicerit, dabo illi stellam matutinam.* De tertio Apoc. 3. *Qui vicreit, vestietur vestimentis albis.*

Patientia { Christo assimilat, Iocunditatem expectat, Sustinendo coronat.

De primo, Luc. 13. *Pater ignosce illis.* Bern. Vtrumque es mihi Domine Deus, & speculum patienti, & præmium patiētis. Sed quidam dicūt se nō meruisse dolorem. Tales potius volunt assimilari latroni, qui propter culpā passus est, quàm Christo. De secundo, Ecclesiast. 1. *Vsque in tempus sustinebit patiens, & postea redditio iocunditatis.* De tertio, Ioan. 12. *Qui odit animam suam in hoc mūdo.* Item malum in bono conuertit, de felle fauū elicit, de mœrore gaudiū facit. Deut. 33. *Inundationes maris quasi lac suget.*

Item patiens { Martyr probabitur, Beatus ostenditur, Miraculis decoratur.

De primo, Gregorius: Sine ferro martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter conseruamus. De secundo, Matt. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur.* De tertio, Gregorius. Ego virtutē patiētiæ maiorem puto signis & miraculis.

Item patientia { Iram temperat, Linguam refrænat, Mentem gubernat.

De primo, Apostolus Rom. 12. *Noli vinci à malo.* De secundo, Prouerbiorum vigesimo sexto, *Non respondeas stulto.* De tertio, Lucæ vigesimo primo: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

Item patientia debet esse in { Iniuria verberum, Molestia verborum, Ablatione rerum.

De primo, 1. Petr. 2. *Qui cum maledi-ceretur, non maledicebat.* Exemplum in vitis Patrum qui munera dedit iniuriātibus. De ſecundo, Iob. 2. *Si bona ſuſcepimus, &c.* Vnde patiens aſſimilatur adamanti. De tertio, Matt. 5. *Si quis aufert tunicam, dimitte ei & pallium.* Exemplū in Vitis Patrum, de ſenibus qui neſciebāt litigare pariter.

SPECIES martirij ſpiritualis ſūt { Abſtinentia in abundātia, Abiectio in gloria, Manſuetudo in iniuria.

De primo, Hieronymus: Duplex eſt ſpecies martyrij. Vna, quando quis pro Chriſto occiditur. Alia, quādo caro Deo maceratur. Primo martyrio dabitur corona de roſis. Secundo, de liliis. Congaudendum eſt tali, qui in aqua non ſubmergitur, ſicut Ionas & filij Iſrael in mari rubro. Et inter ſpinas non ſuffocatur, & in luto non coinquinatur. De ſecundo, Apoſtolus 2. Corinth. 8. *Cum eſſet diues, propter vos egenus factus eſt.* Exemplum in Balaam de quatuor gladiis. De tertio, Matth. 5. *Si quis te percuſſerit in maxillā, &c.* Iſte eſt quaſi ſcorpius, qui ſub lapide non frangitur.

Item ſpecies martyrij ſunt { Continētia in iuuentute, Largitas in paupertate, Gaudium in aduerſitate.

De primo, Matt. 19. *Sūt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter reg. cæ.* De ſecundo, exemplum in muliere, quæ miſit duo minuta, Marc. 12. De tertio, Actor. 5. *Ibant Apoſtoli gaudentes, &c.*

Item ſpecies martyrij ſūt { Charitas cum litigioſis. Iuſtitia cum peruerſis, Obedientia in contrariis.

De primo, Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros.* Pſal. *Cum his qui oderunt pacem, &c.* Iſti cum ſint inter beſtias, non dilacerantur: ſicut Daniel. De ſecundo, Pſal. 17. *Cum ſancto ſanctus eris.* Sed iſte licet picem tangat, non inquinatur: licet in rota ſit, non moritur, & hoc mirabile eſt. De tertio, Gregorius: Obedientia quæ habet aliquid de ſuo, nulla eſt.

TRIBVLATIO { Viam ad cælum parat, Lætificat, Coronat.

De primo, Actuum 14. *Per multas tribulationes opor. &c.* Exod. 13. *De columna ignis in nocte, &c.* Item filiis Iſrael erāt aquæ pro muro. De ſecundo, Iacob. 1. *Omne gaudium exiſtimate fratres &c.* gl. *ne indignemini, &c.* Actuum. 5. *Ibant Apoſtoli gaud. &c.* De tertio Iac. 1. *Beatus vir qui ſuffert tenta. &c.* Item in Vitis Patrum de VII. coronis, quas meruit quidam nocte vna. Iob. 2. *Pellem pro pelle.*

Item tribulatio { Erudit, Veſtit, Deum attrahit.

De primo, Eſa. 28. *Vexatio dabit intellectum auditui.* De ſecundo, Apoc. 7. *Iſti ſunt qui venerunt ex magna trib.* De tertio, Pſal. *Cum ipſo ſum in tribulatione.* Sicut cum Suſanna Daniel. 13.

Item tribulatio { Probat, Roborat, Refrigerat.

De primo, Tob. 12. *Qui acceptus eras Deo.* Eccleſ. 27. *Vaſa figuli probat fornax.* Nota de illo in Vitis Patrum, qui furi dixit, Ecce oblit⁹ es. De ſecūdo, Apoſtolus 2. Cor. 12. *Quando enim infirmor, tunc potens ſum.* Sicut teſta in igne: ſic nobilis lapis cum ſculpitur, non frangitur. De tertio, Pſal. *Tranſiuimus per ignem & aquam.*

Item tribulatio { A peccato conuertit, Peccata tollit, Pœnam peccati ſoluit.

De primo, Pſal. 31. *Conuerſus ſum ærūna, &c.* De ſecundo, exemplum in tribus pueris quibus ignis ſoluit tantùm vincula, vnde tribulatio eſt quaſi roſarium, vel ſcopa, vel pecten tollens immunditiam. De tertio, Apocalyp. 21. *Abſterget Deus omnem lacry.* 3. Reg. 6. *Sonus malleorum non audiebatur in temp.*

Item tribulatio { Stimulat, Humiliat, Glorificat.

De primo, Psal. 82. *Imple facies eo ig. &c.* Vnde est quasi ventus pellens nauem, & quasi calcar. De secundo, Apostolus 2. Corinth. 12. *Ne magnitudo reuelationum.* Exemplum in marina. De tertio, Roman. 8. *Non sunt condignæ paßiones huius temp.* id est, id quod in præsenti est. Greg. Considerato præ.v.f.

Item tribulatio { Consolationem tribuit, Virtutes perficit, Acceptum Deo reddit.

De primo, Psal. 22. *Virga tua, & baculus tuus, &c.* Apostolus 2. Corinth. 1. *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* De secundo, Apostolus 2. Cor. 12. *Virtus in infirmit. perficitur.* De tertio. Tob. 12. *Qui acceptus eras Deo.* Apoc. 3. *Ego quos amo, arg.*

Item tribulatio { Beatum constituit, Filium Dei ostendit, In tentatione defēdit.

De primo Iob. 5. *Beatus homo qui corripitur à Domino.* De secūdo, Apostolus Hebr. 12. *Flagellat omnem fi. &c.* Exemplum de illo qui fleuit, quia eum Dominus vno anno per infirmitatem non visitauit. De tertio, Os. 2. *Sæpiam vias spinis.*

Item tribulatio { Conuiuium in cœlo præparat, Inimicum debilitat, Charitatem inflammat.

De primo, Matth. 20. *Voca operarios, &c.* Nota quod canis libenter vult proiici cum carnibus quas comedat. De secundo, Eccles. 33. *Virga & onus & cibus asino.* De tertio, August. Accendebas nos validè, nota quod paruus ignis extinguitur, sed magnus accenditur vento. Quidam in vitis Patrum osculabatur cuidam furi manus in morte.

Item tribulatio { Paradisum reserat, Conscientiam seruat, Virtutes augmentat.

De primo, Actor. 7. *Ecce video cælos apertos,* vnde comparatur flammeo gladio. August. hic vre, hîc seca, &c. De secundo, Tob. 3. *Post tempestatem tranquillum facis.* Item Dominus mutauit aquam in vinum. Ioann. 2. De tertio, Exod. 1. *Quantò magis opprimebant eos, tantò magis crescebant.*

PAVPERTAS meretur. { Curam Dei in exilio, Iudicandi potestatem in iudicio, Laudem perpetuam in cælo.

De primo, Psal. 39. *Mendicus sum & pauper, & Dominus solicitus est mei,* sicut pater de filio, magister de discipulo, medicus de infirmo, aduocatus de cliētulo, speculator de castro, agricola de agro. De secundo, Iob 36. *Pauperi iudicium tribuit.* De tertio, Psalm. *Pauper & inops laud. &c.*

Item pauperes { Orantes exaudiuntur, Venientes recipiuntur, Morientes ad patriam reducuntur.

De primo Psal. 10. *Desiderium pau. &c.* De secundo Psal. 93. *Factus est mihi Dominus in refugium.* De tertio, Luc. 16. *Factum est vt moreretur mend.*

Item pauperes. { Imitatores Christi se esse ostendunt, Diaboli manum effugiunt, Obliuionem Dei non incurrunt.

De primo, Apost. 2. Corinth. 8. *Cùm esset diues, propter vos egenus, &c.* Item Matth. 8. *Filius hominis non habet vbi caput reclinet.* De secundo, Psal. 9. *Tibi derelictus est pauper, tanquam paruulus proiectus à matre.* Psalm. 26. *Pater meus, & mater mea derelinquerunt me.* De tertio, Psal. ibidem: *Quoniam nō in fi. obl. er. pau.*

Item paupertas. { Hominem perfectum facit, Beatum ostendit, Pondus deponit.

De primo, Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, &c.* De secundo. Matth. 5. *Beati pauperes spiritu.* De tertio, Luc. 18. *Facilius est camelum transire, &c.* Vnde Socrates proiecit thesaurum suum in aquam,

aquam, dicens: Mergã te, ne mergas me.

Item paupertas { Securum efficit, / Regnum tribuit, / Iudicem lenit.

De primo, Poëta: *Cantabit vacuus coram latrone viator*. De secundo, August. Paupertate comparatur regnum, labore requies, dolore gaudiũ, ignominia gloria. De tertio, Matth. 11. *Venite ad me omnes qui labo. & one. estis*. Nota exemplum de stipendiis, quod non dantur libenter his, qui prius acceperunt.

HVMILITAS meretur { Dei memoriam, / Spiritus sancti gratiam. / Cælestem gloriam.

De primo, Psal. 135. *In humilitate nostra memor fuit*. De secũdo, Psal. 103. *Inter medium montium pertrans. aquæ*, & 1. Pet. 5. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*, De tertio, Prou. 29. *Humilem spiritu suscip. gloria*.

Item humilitas meretur { Spiritus Sãcti inhabitationẽ, / Honorabilem exaltationem, / Ostij cælestis apertionem.

Primum datur in exilio. Secundum in iudicio. Tertium in cælo. De primo, Esa. *66. Super quem requiescet spiritus meus, nisi super hu.* Item Cant. 2. *Ego flos campi & lil. conual.* De secundo, Luc. 14. *Qui se humiliat, exalta.* Item: *Amice, ascende superius*. De tertio. Apoc. 3. *Quia modicã habes virtutem, &c.*

Item in humilitate { Præceptum Dei seruatur, / Christus imitatur, / Orationis efficacia habetur.

De primo. Eccl. 7. *Humilia valde spiritũ tuũ.* De secũdo, Matt. 11. *Discite à me quia mitis sũ, & humilis corde*, Nota, Christus asinũ equitauit, Iudę pedes lauit. De tertio, Eccles. 35. *Oratio humiliantis se, &c.*

Item humilitas { Erudit, / Vestit, / Deo iungit.

De primo, Prou. 11. *Vbi humilitas, ibi sapiẽtia.* Psal. 118. *Declaratio sermo tuorũ illum. & intellectum dat, &c.* De secundo, Esa. 18. *Palliũ breue vtrũque oper.* De tertio, Marc. 10. *Sinite paruulos venire ad me.* Hæc est præcursor charitatis & socia.

Item humilitas { Liberat, / Saluat, / Virtutes seruat.

De primo, Psal. 141. *Humiliatus sum, & libe. me.* exemplum de laqueis quos vidit beatus Antonius per totum mundũ. De secũdo, Psal. 17. *Quoniam tu populum hu. sal. fac.* De tertio, Greg. Qui virtutes sine hum. congre. quasi pul. in ven. por. Bern. In veritate didici, vnde ipsa est mater virtutum, & cinis conseruans ignem. Quid autem humiliare debeat, require de miseria vitæ præsentis.

OBEDIENTIA { Christo assimilat, / Victimas superat, / Victoriam parat.

De primo, Apostolus ad Phil. 2. *Christus factus est pro nobis obediens.* Imo ei cuncta obediunt. Iob. 38. Stellæ vocatæ dixerunt: Assumus. De secundo, 1. Reg. 15. *Melior est obedientia*, &c. gloss. quia dum alienæ voci, hic subditur, nosipsos superamus, quasi diceret propriam carnem mactamus, sed ibi alienã. De tertio, Prou. 21. *Vir obediens loquitur victoriam:* quia Adam fuit inobediens, victus est.

Item obedientia { Deo est grata, / Angelis iucundia, / Sibi fructuosa.

De his Bernard. Nihil angelis charius, nihil Deo acceptius, nihil hominibus fructuosius, quàm in suscepta cõuersatione subsistere.

Item obedientia debet esse { Parata, / Ordinata, / Ardua.

De primo, Bernard. illum optimum obedientiæ dixit, &c. Augustin. Verus obediens mandatũ non procrastinat, aures parat auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, &c. De secundo, Actuũ 5. *Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.* De tertio, Bernard. Ille tuus minister est, Domine, qui non intuetur audire quod voluerit, sed velle quod au-

dierit. Talis fuit Abraham, Genesis 12. *Egredere de terra.* Item 12. *Tentauit Deus Abraham.*

Item obediẽtia debet esse { Vniuersalis, Lætabilis, Rationabilis

De primo, dixit beata Virgo ministris in nuptiis, Ioan. 2. *Omnia quæ dixerit vobis, facite.* De secundo, Psalmista: *Paratus sum, & non sum turbatus.* De tertio, Gregorius: Scito quod propter obedientiam malum nunquam debet fieri, sed bonum quandoque potest intermitti. Iosue 1. *Qui cunctis non obedierit ser.*

Item est obedientia { Sufficiens, Abundans, Superabundans.

Prima est, quando obeditur maiori. Secunda, quando æquali. Tertia, quando minori. De primo, Apostolus ad Heb. 13. *Obedite præpositis vestris:* post, *Non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis,* Apostol. Rom. 13. *Qui potestati contradicit, Dei ordinationi contradicit.* Vnde quia Adam nõ obediuit suo superiori, inobediens ei factum est suum inferius. De secundo, exemplũ de duob⁹ fratribus in Vitis Patrum, quorum vnus iussit alterum accendere toties lucernam, &c. De tertio, Luc. 2. *Et erat subditus illis.*

TIMOR alius est { Seruilis, Initialis, Finalis.

De primo, Ecclef. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* De secundo, Psalm. 111. *Beatus vir qui timet Dominum.* De tertio, Actuum 10. *In veritate comperi, &c.*

Item timor { Peccatum pellit, Beatum ostendit, Acceptabilem reddit.

De primo, Eccles. 1. *Timor Domini expellit peccatum.* De secundo, Psal. ibid. *Beatus vir qui timet Dominum.* De tertio, Actuum. 10. *In veritate comperi, &c.*

Item timor { Sapientiam generat, Mentem roborat, In fine remunerat.

De primo, Eccles. 1. *Radix sapientiæ est timere Deum.* De secundo. Eccles. 17. *Nisi in timore Domini tenueris te.* De tertio, Eccl. 1. *Timenti Deũ bene erit in extremis.*

Item timor Domini { Animam ditat, Peccatũ deuitat, Gratiã conseruat.

De primo, Psal. 33. *Non est inopia timẽtibus eum.* De secũdo, Prou. 15. *Timore Domini declinat omnis à malo,* & per consequens à malo pœnæ. vnde Matt. 10. *Nolite timere eum qui cor. occi.* De tertio, Eccles. 15. *Qui timet Deum faciet bona.*

Item timor Domini { Cor delectat, Negligẽtiã fugat, Vitam prolongat.

De primo, Eccl. 1. *Timor Domini delectabit cor, & dabit gaudium, & lætitiam, long. dierum.* De secũdo Eccl. 7. *Qui timet Deum nihil negli.* De tertio, Prou. 10. *Timor Domini apponet dies.*

Item timens Deum { Iustitiam exequitur, Respectũ Dei meretur, Fonte vitæ irrigatur.

De primo, Malach. 1. *Si ergo Dominus, vbi est timor meus?* De secundo, Es. 66. *Ad quem autem respiciã, nisi ad pau. & contri. spiritu?* De tertio, Prou. 14. *Timor Domini fons vitæ, vt declinet à ruina mortis.*

PAX { Consilium Dei firmat, Pœnam deuitat, Inimicos reconciliat.

De primo. Ioan. 14. *Pacem relinquo vobis.* Hanc non habuit Cain & Ioab. De secundo, Apostolus Heb. 12. *Pacem sequimini, & sanctimo. sine qua nemo videbit Deum.* August. Qui in pace non fuerit inuentus, abdicatur à Patre, exhæredatur à Filio, & à Spiritu Sãcto alienus efficitur. De tertio, Apostolus, Rom. 12. *Si esurierit inimicus tuus,* & sequitur. *Hoc enim faciens carbo.* Psal. *Cum his qui oderunt pacẽ.*

Item est pax { Temporis, Pectoris, Æternitatis.

De tertio, Augustinus: Tantum bonũ est pax, quod etiam in suo cõtrario quæ-

ritur. Genes. 13. *Diuisi sunt alter ab altero.* De secundo, Luc. 2. *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hoc dicitur sabbatum delicatum. De tertio, Esa. 32. *Sedebit populus meus in pompa.* Hæc in cælo ordinat hierarchias.

Item pacificus { Dei filius ostenditur, / Angelis associatur, / Christo assimilatur.

De primo, Matth. 5. *Beati pacifici, quoniam filij Dei voc.* De secundo, Basilius: homo cōsortium angelorum merebitur. De tertio patet: quia Christus propter mansuetudinem agno comparatur. Si ieiunas vel vigilas, diabolus his non terretur, quia his non vtitur. Sed si pacem habeas, expavesce: quia hoc seruas in terris quod ille noluit in cœlis.

CONTINENTIA alia est { Coniugalis, / Vidualis, / Virginalis.

De primo, Augustinus loquēs de Abraham. O virum factis vtentem viriliter, vxore temperāter, ancilla obtemperanter, nullo intemperanter. De secundo, 1. ad Tim. 5. *Quæ vere vidua est & desolat asperet in Deo, & instet orationibus & obseruationibus nocte & die.* De tertio, Apostolus 2. ad Corinth. 1. *Despondi vos vni viro virginem cast. &c.*

Item virginitas { Mandatum custodit, / Decorem tribuit. / Hominē beatū ostēdit.

De primo, Luc 12. *Sint lumbi vestri præcin.* De secundo, *Psal.* 44. *Audi filia, & vide, &c.* Hæc est arca deaurata intus & foris: hæc est sol inter planetas. De tertio, Matth. 5. *Beati mundo corde.*

Item virginitas { Deo locum parat, / Pretiū de longè portat, / Dignitatem Angelorum ministrat.

De primo, Cant. 2. *Qui pascitur inter lilia.* De secundo, Prouerb. 31. *Mulierem for. quis inueniet?* De tertio, Eccles. 16. *Non est condigna ponderatio continentis animæ.* Propter hoc erat August. dicens: Da quod iubes, &c.

Item hæc est hortus qui { Floribus ornatur, / Fontibus irrigatur, / A iuuonculis inhabitatur.

De primo. Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas.* De secundo, Cant. 4. *Fons hortorum.* De tertio, Cant. 2. *Sonet vox tua in aur.*

VIRGINITAS { In cœlo se Deo iungit, / Canticum nouū instruit, / Aureolam imponit.

De primo, Sap. 6. *Incorruptio proximū facit esse Deo.* De secundo Apoc. 14. *Et nemo poterat dicere canticum.* De tertio, Cantic. 4 *Veni de libano, &c.*

Item { Amissa non recuperatur. / Christum in cœlo sequitur, / In oratione exauditur.

De primo, Hieronym. Cum Deus possit omnia, &c. bene ergo custodientibus, est flos iste ne marcescat. De secundo. Apocalyp. 14. *Sequitur agnum quocunque, &c.* De tertio, Cantic. 2. *Sonet vox tua in aur. meis.* Vnde de sancta Catharina cantatur, Vox de cœlis intonuit

Item per hanc { Consilium Dei seruatur, / Anima pulchre vestitur, / A Deo virgo iuuatur.

De primo, Matth. 19. *Sunt eunuchi qui seipsos, &c.* De secundo, Prouerbior. 3. *Purpura & bissus, &c.* Psal. 44. *Astitit regina à dext. &c.* De tertio, Psalm. 45. *Adiuuabit eam, &c.*

Item virgo { Honestè contrahit, / Delectabiliter parit, / Vtiliter diligit.

Primum patet, qui sponsū accipit pulchrum, diuitem, fortem, virtuosum Secundum patet, quia proles sunt opera bona, de quibus Psal. *Vt videas filios filiorum tuorum*, id est mercedem, quæ sequatur operationem. Can. 7 *Vmbilicus tuus crater tor, vallatus liliis.* De tertio, nota quod in his nuptiis dos est vita æterna, thalamus cordis munditia, amplexus gratia. Cant 5. *Læua eius sub capite meo.*

Mvnditia cordis { Beatificat, Vitam præstat, Mentem decorat.

De primo, Matth. 5. *Beati mundo corde.* De secundo, Prou. 4. *Omni custodia serua cor tuum.* De tertio, Apoc. 1. *Præcinctum ad mammillas.* Nota cum florent vineæ fugiunt serpentes: decorat ergo sicut flores campum, sicut arbores hortum, sicut carbunculus annulum. Gen. 2. *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis.*

Item { Dominus Deo præparat, Sedem illi collocat, Deum pro sigillo seruat.

De primo, 3. Reg. 7. *Fecit rex Salomon thronum & templum, vbi fuit mensa & candelabra.* De secundo, 3. Reg. 22. *Vidi Dominum sedentem super sol.* Vnde similis est ordini thronorum. De tertio, Cant. 8. *Pone me sicut signaculum super cor tuum.*

Item mentem { Ordinat, Sanat. Irrigat.

Propter primum comparatur claustro. Vnde distingue in mente officina. Propter secũdum comparatur theriacæ, quæ morsus serpẽtis & venena curat radicitùs: immunda verò cogitatio morsus serpentis, mala radix est. Propter tertium, comparatur fonti, vnde Ezech. 16. *Effundam super vos aquam mundam*, Gen. 2. *Fons egrediebatur de loco vol.*

Item { Hostem interficit, Mortem excludit, Turpia fugit.

De primo, Hieronym. Non est timendus hostis qui, &c. Gen. 3. Ipsa conteret caput. De secundo, Ierem. 9. *Mors intrauit per fenestras.* De tertio, Eccles. 13. *Qui tangit picem, &c.* Sed illas cogitationes quas diabolus immittit contra voluntatem hominis, ipse diabolus cõfiteatur & satisfaciat, & non homo.

Item gratiæ fructum { Producit, Colligit, Custodit.

Propter primum comparatur ficulneæ. Propter secundum, similis est apothecæ. Sed nota, *Vbi est thesaurus tuus, ibi, &c.* Matth. 6. Hoc patet in statera: quia illuc ponderat, vbi magis grauatur. Propter tertium comparatur castro. Luc. 10. *Intrauit Iesu in quoddam castellum.* Expone tropologicè.

Misericordia, siue cõpassio { Vincit sacrificium, Efficit beatum, Pauperum est refugium.

De primo, Oseæ 6. *Misericordiam volui, & non sacrificium.* De secundo, Matth. 5. *Beati misericordes.* De tertio, Psalm. 9. *Et factus est Dominus refu. pau.*

Item { Præceptum naturæ seruat, Charitatem manifestat, Regnum cæli comparat.

De primo, Matth. 7. *Quæcunque vultis vt faciãt vobis, &c.* Apostolus Rom. 12. *Gaudete cum gaudentibus, &c.* De secundo, 1. Ioan. 3. *Qui viderit fratrem suum necessitatem pati.* Nota sex opera misericordiæ, quibus charitas ostenditur. vnde Matth. 25. *Esuriui, & dedistis mihi, &c.* De tertio, Apostolus 2. ad Timoth. 2. *Si compatimur, & conregnabimus.*

Item { Vocem Christi audit, Martyrem spiritualem facit, Duritiam emollit.

De prim. Cant. 5. *Anima mea liquefacta,* &c. De secundo, Greg. Qui dolorem excipit in aliena necessitate, crucem portat in mente. Apostolus 1. Corinth. 12. *Si dolet vnum membrorum, &c.* De tertio, Ezechiel. 11. *Auferam à vobis cor lapideum.* Vnde comparatur oleo, cuius est emollire.

Item { Amicum probat, Vitam prolongat, In iudicio commendat.

De primo, Luc. 10. *Quis horum tibi videtur proximus fuisse illi?* De secundo, Apostolus 1. ad Timoth. 4. *Pietas ad omnia valet.* De tertio, Matth. 25. *Esuriui, & dedistis mihi, &c.*

Item opera misericordię spiritualia sût { Peccantem corripere, Ignorantem instruere, Delinquenti ignoscere.

De primo, Matth.18. *Si peccauerit in te frater tuus*. De secundo, Iac. 5. *Qui conuerti fecerit pcc*. De tertio, Luc. 6. *Dimitte & dimit. &c.* Gregor. Districtio debetur vitiis, compassio naturæ.

Actiua vita meretur { Retributionem, Exultationem, Dei commendationem.

De primo, Matth. 20. *Voca operarios, &c.* De secundo, Psal. 125. *Qui seminãt in lacrymis*, &c. De tertio, Matth. 25. *Esuriui, & dedistis mihi, &c.*

Item actiua vita { Merita multiplicat, Tẽtationem declinat, Charitatem propalat.

De primo, Cant. 7. *Venter tuus sicut acervus*, Psal. *Vt videas filios filiorum*. Filij sunt opera filiorum sunt præmia quæ debẽtur operibus. De secundo, Hierem. Semper aliquid operis facito. De tertio, 3. Ioan. 3. *Qui viderit fratrem suum neces. pati*. Et de operibus misericordiæ.

Item { Meretur beatitudinem, Implet Dei ordinationem, Imperat ad contemplationem.

De primo, Psal. *Labores manuum tuarum*, &c. De secundo, Genes. 3. *In sudore vultus tui*. De tertio, Gen. 32. Quia prius vocatus est Iacob, sed post Israël. Item primò Iacob dixit Liam, post Rachel. Item Benjamin primò vocatus est Bennon. Item prius sumus viatores, quàm comprehensores.

Item vita actiua { Meretur exaltationẽ, Expectat satietatem, Euadit mẽdicitatem.

De primo, Luc. vlt. *Nonne oportuit Christum pati?* De secundo, Ap. 2. ad Thess. 3. *Qui non laborat, non manducet*: ergo è cõtra. De tertio, Prou. 20. *Propter frigus piger arare noluit*. Eiusd. 6. *Vade ad for. &c.*

Contemplationis species sunt { Lectio, Meditatio, Oratio.

Primo modo, non solùm fit contemplatio in libro vitæ vel creatore, sed etiã creaturæ: *Quia inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspic*. Rom. 1. De secũdo, Apostolus ad Philip. 3. *Nostra cõuersatio in cælis est*. Sap. Stans in terra, scilicet corpore, cęlũ tãgebat, scilicet mente. De tertio, Apostolus ad Philipp. 4. *In omni oratione pet. vestræ innot.*

Item contemplatio operatur { Vitiorum eiectionem, Virtutum irrigationem, Conscientiæ decorem.

De primo, August. Suaue mihi factum est: &c. De secundo, Esaiæ 58. *Eris quasi hortus irriguus*. Cogitatio enim de Deo quasi canalis est positus ad fontem vitæ. Gen. 2. *Filius egrediebatur, &c.* De tertio, Cant. 1. *Lectulus noster floridus*, Eiusd. 2. *Fulcite me floribus*.

Item conuersandum est in cælo, vt { Dulcedo hauriatur, Idioma angelicum discatur. Familiaritas acquiratur.

De primo, Augustin. Infunde Deo dilectionem tuam. Vnde contemplatiuus quasi apes volat in horto cælesti supra flores gaudiorum. De secundo, Apostolus 1. Corinth. 12. *Si linguis hominum loquar*. Sed qui de terra est, de terra loquitur. Ioann. 3. De tertio, Apostolus Ephes. 2, *Iam non estis hospites*, quasi dicat, etiam hoc prius fuistis. Sed heu! quibusdam dicitur: *Amen dico vobis, nescio vos*. Matth. 25.

Item contemplatiuus à Deo. { Diligitur, Exauditur, Cibatur.

De primo, Cant. 2. *Ne suscitetis dile, &c.* nam contẽplatio somnus est eiusd. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat*. De secũdo, Ps. 36. *Delectare in Domino, &c.* De tertio, Eccl. 15. *Cibauit illum pane vitæ, &c.*

Item contemplatio. { Illuminat intellectum, Accendit affectum, Præparat Deo dominum.

De primo, Eccles. 11. *Dulce lumen &*

delectabile, &c. vnde scimus quod aquila irreuerberatis oculis intuetur solem, & proprium pullum eiicit qui non idem facit. De secũdo, August. Accendebas nos tam valide. De tertio, Prouerb. 11. *Sapientia ædificauit sibi do.*

Item { Temporalia contemnit, Secreta petit, Finiri nescit.

De primo, Psalm. 76. *Renuit consola. anim.* Bernardus: Delicata est diuina consolatio. ne facile, &c. Gregor. Tanto quisque à superno amore dis. quanto inferius delect. De secundo, Tren. 3. *Sedebit solitarius, & tacebit.* Hoc ideo facit, quia *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Prouerb. 13. Exemplũ in topazio. De tertio, Luc. 10. *Maria optimam partem elegit, &c.*

Item mentem { Eleuat, Lætificat, Inebriat.

De primo, Apoc. 12. *Luna sub pedibus eius.* De secundo, Psal. 15. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, propter hoc lætatum est cor meum.* De tertio, Can. 5. *Comedi fauum, &c.* Aug. Quis mihi det vt ven. &c.

Item { Angelicum officium assumit, Dilectionem ingerit, Secreta pandit.

De primo, patet: quia Angeli semper vident faciem Patris, & speculum æternitatis intuẽtur: sic & iste. Apoc. 4. *Plena oculis ante & retro.* De secundo, Augustinus: Memoria tua super mel dulcis. vnde tales quandoque rapiuntur in iubilum: est autẽ iubilus, gaudium quod pro sui dulcedine vel magnitudine taceri nõ potest, & tamen propter immensitatem rei non potest exprimi: & sic quatuor de causis vel insinuandam nostram infirmitatem, vel desiderij immensionem, vel rei, quam expectamus immẽsitatem, vel ad causandam nimiam rei dilationem. De tertio, Apostolus 2. Cor. 12. *Scio hominẽ raptũ*, talis in secreto sit loco. Cant. 6. Ego dilecto meo, & dilectum meus mihi, *&c.*

Item contemplatiuus gaudium cœli iam inchoat, habens { Dei præsentiam, Societatem angelicam, Dotum quãdam gloriam.

De primo, 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet*, sed sicut dicitur, Vbi Papa, ibi Roma: ita potest dici: Vbi Deus, ibi vita æterna, Luc. 17. *Regnum Dei intra vos est.* De secundo, Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem.* Tertium patet: quia iam habẽt quandam cognitionem dilectionum, claritatem consciẽtiæ, agilitatem in bono opere. Aug. Ducis me in quandam inconsuetam dulcedinem.

Item inhæret anima Deo per contemplationem. } sicut { Ramus trũco, Cera sigillo, Nauis pelag.

De primo, Ioan. 5. *Sicut palmes non potest facere fructum à semetipso, nisi manserit in vit.* &c. Secundum patet: quia sicut cera recipit imaginem sigilli, sic anima virtutum similitudinem. Apostolus Ephes. 5. *Imitatores Dei estote, sicut filij chariss.* De tertio, Psal. 71. *Mihi autem adhærere Deo bonum est:* quia in procellis tribulationum non mouetur animus in Deo fixus: vnde cum Diabolus læsisset Iob in corpore, rebus, & pueris, anima non metuit, quia illam in cœlo fixit, vbi diabolus non habet agere.

Perseuerantia { Viam rectam custodit, Maledictionem euadit, Opera ad perfectionem perducit.

De primo, 2. Petr. 2. *Melius est viam veritatis non agnoscere.* De secundo, Heb. 6. *Terra sæpe venientem super se bibens imbrem.* Sic Paulus euasit quod Iudas incurrit. De tertio, illud Philosophi: Cuius finis bonus est, ipsum to. bo. Item: *Hic homo cœpit ædificare*, Luc. 14. Item vna manus ædificans.

Item { Saluat,
Coronat,
Damnationem declinat.

De primo, Matth. 10. *Qui perseuerauerit vsque in finem.* Nota in vespere laudatur serenitas. De secundo, Apocal. 2. *Esto fidelis vsque ad mortem.* Apostolus 2. Timoth. 2. *Nemo coronabitur, nisi qui legitime cetera.* De tertio, nota exemplũ Dan. 2. Vbi statua quæ incœpit ab aureo capite consummata est in fictili, & contrita est per lapidem præcisum de monte sine manibus.

Item { Animam vestit,
Ianuam cœli aperit,
Instabilitatem contemnit.

De primo, nota quod hæc est tunica talaris, qua filij regũ indui solebant. De secundo, Lucæ. 11. *Si perseuerauerit pulsans,* &c. De tertio, Thren. 1. *Peccatum peccauit Ierusalem.* Nota exemplum in Vitis Patrum, de dæmone qui gloriabatur quod intra 40. annos deiecit vnum monachum.

Item { Christum imitatur,
Claritate remuneratur.
Laude digna monstratur.

De primo, Ioan. 13. *Cum dilexerit suos, vsque in fin. dilexit eos,* vnde dum clamarent Iudæi, Matth. 27. *Si rex Israël est, descendat de cruce,* perseuerauit pendens. De secũdo, Apoc. 2. *Qui vicerit, dabo illi stellam matut.* De tertio, Gregor. Lauda nauigantis felicitatem, cum venerit ad portum: lauda ducis virtutem, cum peruenerit ad triumphum.

Item { Brauium percipit,
Acceptum Deo reddit,
Virtutes ad maturitatem ducit.

De primo, Apost. 1. Cor. 9. *Omnes quidem currunt: sed vnus,* id est, perseuerans, *recipit brauium.* De secũdo, Leu. 22. Hostia sine cauda nõ offertur: imo ouis sine cauda mõstruosa res non esset. De tertio, nota si fons irrigans hortum deficeret, herbæ perirent. Propter ista Psal. 72. dicit: *Mihi adhærere Deo bonum est.*

Item { Amicum Dei verùm ostendit,
Insidias diaboli non metuit,
Stultitiam expellit.

De primo, Eccles. 6. *Est amicus socius mensæ, & non permanet.* Item Prou. 17. *Omni tempore dil. qui amicus est,* sic non fuit Petrus, dicens Luc. 22. *Non noui illũ.* Sed nota quod turpius eiicitur quàm non admittitur hospes. Aug. Peccatum est spreto incõmutabili bono, &c. Gen. 3. *Insidiaberis calc. eius, & ipsa conteret caput tuum.* Sciendum, quod diabolus interdum suadet bonum homini instabili, vt per residuum grauius peccet: vnde facit illud, Gen. 19. *Noli respicere retro,* &c. De tertio, 2. Pet. 2. *Canis reuersus ad vomitum,* &c. Item stultus esset, qui agrum bene seminaret, & non meteret: vel thesaurum diu collectum dispergeret, vel clypeum in fine certaminis proijceret.

Verbum Dei { Mundat,
Illuminat,
Cibat.

De primo, Ioan. *Iam vos mundi estis.* De secundo, Psalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum,* Psalm. 18 *Præceptum Domini lucidum illuminãs oculos, &c.* De tertio, Matt. 4. *Non in solo pane viuit homo,* &c. Cant. 2. *Qui pascitur inter li.* &c.

Item { Sanat,
Irrigat,
Dulcorat.

De primo, Sap. 16. *Neque herba, neque malagma,* &c. Psal. 106. *Misit verbum suum, & sa. eos.* De secundo, Gen. 2 *Fons egred. de loco, &c.* De tertio, Apoc. 10. *Comedit librũ.* Psal. 118. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua.*

Item { Ad bonum incitat,
Tentationes mitigat,
Dæmones fugat.

De primo. Eccles. 12. *Verba sapientium sicut stimuli.* De secundo, Psal. 106. *Dixit, & stetit spiritus procellarum,* vnde comparatur verbum Dei incantatoribus serpentum. De tertio, Marc. 16. *In nomine meo dæmonia eiicient.*

Item { Iustificat, Beatificat, Confortat.

De primo, Iac. 1. *Non auditores tantùm.* De secundo, Luc. 11. *Beati qui audiunt verbum Dei*, De tertio psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt.*

Item { Vias demonstrat, Mentem penetrat, Deum homini reconciliat.

De primo, Matth. 2. *Stellam quam viderant Magi in Oriente*, &c. De secundo, Ezech. 3. *Qui audit*, scilicet foris, *audiat intus.* Apostolus Hebr. 4. *Viuus est sermo Dei, & efficax*, &c. De tertio, Prou. 21. *Qui obturat aurem suam.* Similiter exponit illud Esa. 28. *Munda remunda*, &c.

Item { Mortuos viuificat, Filios Dei generat, Mala extirpat.

De primo, Ioann. 5. *Venit hora & nunc est.* Psal. 67. *Dabit voci suæ vocem virtutis*, gloss. suscitandi mortuos. Sed hoc erit in die iudicij. De tertio, Iac. 1. *Genuinos verbo veritatis.* Nota tria habent virtutem, scilicet: herbæ, lapides & verba. De tertio, Ier. 1. *Ecce constitui te*, &c.

Item { Conuertit, Erudit, Præmunit.

De primo, Psal. 18. *Lex Domini immaculata conuertens animas*, &c. De secundo, Psal. ibid. *Testimonium Domini fidele sapie. præstãs*, &c. De tertio, Ezech. 3. *Speculatorem dedi te*, &c.

Item { Vitia necat, Gratiam initiat, Affectum inflammat.

De primo, Apost. Ephes. 6. *Gladium spiritus, quod est verbum*, &c. Apoc. 1. *Ex ore eius ex vtraque parte acutus.* Propter secũdum comparatur semini, quod est initium fructuum. Lucæ 8. *Semen est verbum Dei*, &c. De tertio Lucæ 24. *Nonne cor nostrum*, &c. Act. 2. *apparuerunt illis dispertitæ linguæ.*

Item { Animum emollit, De peccato extrahit, Omnia bona adducit.

De primo, Cant. 5. *Anima mea liquefacta est.* Ier. 23. *Nonne verba mea quasi malleus*, &c De secundo, Luc. 5. *In verbo autem tuo lux a.* &c. De tertio, Sap. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

Item generat { Admirationem, Correctionem, Cognitionem.

De primo, Psal. 118. *Mirabilia testimonia tua Domine. ideo scru.* &c. De secundo, Psal. ibid. *In quod corrigit adol. viam suã?* De tertio, Iac. 1. *Qui auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur.* Psalm. ibid. *Tunc non confundar cùm perspe.* &c.

Prælatus debet habere ætatem vt per hoc { Christo conformetur, Maledictio declinetur, Grex viriliter custodiatur.

De primo Luc. 3. *Et ipse Iesus erat annorum* 30. De secundo Ecclesi. 40. *Væ terræ, cuius rex puer est.* De tertio, Iud. 8. *Iuxta ætatem robur est hominis.* Sed heu! hodie committitur cura animarum homini, cui non committitur cura porcorum vel pomorum. Item: *Quomodo arcebit puer lupum à grege?* &c.

Item solicitus sit { Ne de illo querimon. moueatur, Vt Christi patrimon. deseruiatur, Ne velut infidelis cõdẽnetur.

De primo, Ecclesi. 41. *De patre impio conquerentur filij.* Sed Dominus fecit sententiam, Gen. 41. *Non videbitis faciem meam, donec adduc. fratrem vestrum minimum.* De secundo, Bern. lucrantur cantando, reddẽt flendo. De tertio, Apost. 1. ad Tim. 5. *Qui suorum, maxime domesticorum non habet*, &c. Sed hodie maxima cura est de lana & lacte: sicut dicitur Ezech. 34. minima de animabus.

Item

Item solicitus sit { In sui ordinis executione, In subditorum cognitione, In vitiorum extirpatione.

De primo, nota quod magis iam student in schacco, quàm in antiphonario. Vnde officium vel ex toto negligũt, vel differunt, vel more fœminæ faciunt, aut malo modo. De secundo, Prou. 27. *Diligenter cognosce vultum pecoris tui.* De tertio, Ier. 1. *Ecce constitui te super gentes & regnum, vt euellas.* Sed magis laborant in euacuandis bursis, quàm peccatis. Item semper sit sollicitus qualiter respõdeat Deo in die iudicij faciẽti has quæstiones:

Quæstiones { Quomodo intrasti? Quomodo vixisti? Quomodo rexisti? Quomodo expendisti?

De primo, Ioan. 10. *Qui non intrat per ostium,* &c. De secũdo, 1. Mach. 6. *Refulsit sol in clypeos aureos.* Debet autem vita prælati quasi regula esse subditi: sed modo incorrecta, & furati sunt eam sicut Achor. De tertio, Prou. 6. *Fili, si spoponderis pro amico tuo,* &c. Item Esa. 62. *Super muros tuos Ierusalem consti. custo. die & nocte.* Sic ergo præsit vt prosit. De quarto, exemplum in filio prodigo.

Continens sit prælatus, { Vt in hoc mandatum Dei seruetur, Ne pœna incurratur, Ne irreuerenter Christus tractetur.

De primo, Luc. 12. *Sint lumbi,* &c. De secundo, exemplum in Oza, qui tangens arcam percussus est, 1. Reg. 6. Ps. 22. *Fiat mensa eorum,* &c. De tertio, Esaiæ 52. *Mũdamini qui fertis vasa Domini,* in huius signum albam induunt.

Item hæc continẽtia { In lege præfiguratur, In scripturis commendatur, A Domino remuneratur.

De primo, exemplum Exod. 12. vbi comedẽtes agnum renes accingebãt. Item sacerdos ministraturus vtebatur femoralib⁹, Exod. 28. De tertio, Cant. 3. Lectulum Salomonis ambiunt.

Constans sit { Bonos defendendo, Malos puniendo, Tentationes vitando.

De primo, Ioan. 20. *Bonus pastor animam suam,* &c. Gloss. super illud 2. ad Cor. 11. Dimissus sum in sporta per murum, dicit: quòd quando persona quæritur, fugere potest prælatus. Sed quando commune bonum periclitatur, tunc non debet fugere: sed animam ponere. De secundo, Gen. 1. *Vt præsit in volatilibus,* id est superbis, *& piscibus,* id est luxuriosis, *& bestiis,* id est auaris. Nã subditi, inquãtum boni sunt, similes sunt prælatis. De tertio, Ezech. 3. *Vt adamantem posui te.*

Item constans sit { Iustitiæ rectitudine, Fortitudinis magnitudine, Perseuerãtiæ longanimitate.

De primo, Greg. Misericordia & iustitia multum destruũtur, si vna sine altera teneatur: vnde gigas non est occidendus cum acu, & pulex cũ securi. De secũdo, Greg. nõ hunc prospera eleuent, nec aduersa perturbent. Vnde mulier nõ suscipit characterẽ ordinum. De tertio, dicit Bern. quod noui sacerdotes primo anno sunt angeli, secundo homines, tertio dæmones, vnde cõparantur statuæ, Dan. 2. quæ caput habuit aureũ, tandem terminabatur in fictili, sed stola datur eis in signum perseuerantiæ.

Bona vita prælati { Affectum subditorum inflammat, Exemplo intellectum illuminat, Scandalum infirmorum declinat.

De primo, Luc. 12. *Lucernæ ardentes in man.* Sed heu! sol conuertitur in tenebras & lun. in scilicet. Item secũdum notatur in acolitatu. Item superiora per influxũ virtutis suæ regunt inferiora. Tertium patet: quia dolente capite, dolent omnia membra, & sequitur; *Qui scandalizat vnum,* &c.

Item per bonam vitam { Subditos sáctitate præcellat, Alios curans, se non negligat, Maledictionem euadat.

De primo 2. Regum 4. *Saul ab humero sur.* Greg. tantùm eminere debet prælatus subditis, quantùm gregem præcedere solet vita pastoris. De secũdo, Apostol. 1. ad Cor. 9. *Castigo corpus meum.* Vnde portat superhumerale. De tertio, Matth. 23. *Væ qui decimatis mentham, & prætermittitis,* &c.

Item Prælatus { Virtute decoretur, Doctrinæ propriæ conformetur. Laudabilis comprobetur.

De primo, Psalm. 131. *Sacerdotes tui induantur iusti.* De secundo, Esa. 1. *Super mon. excel.* &c. Gen. 27. *Vox quidem vox Iacob est.* Matth. 23. *Super cathedrã Moysi.* De tertio, 1. Petr. 2. *Vos estis genus electum, reg. sacerdot.* Sed hæc omnia modo possunt legi per contrarium.

Item sint bonę vitæ propter { Efficaciam prædicationis, Euasionem diuinæ correptionis, Honorem sacerdotalis dignitatis.

De primo, Aggæi 1. F*actum est verbum Domini, &c.* vnde Gallus cantans, primò alis percutit se. De secundo, Ier. 11. *Quid est quod dilectus meus in domo*, &c. De tertio, Gen. 1. F*aciamus hominem ad imaginem.* Item datum est eis quod non angelis: scilicet, consecrare corpus Christi. Item corona traditur eis in signum regalis dignitatis.

Item sit bonæ vitæ, ne { Famam perdat, Exemplo corrumpat, Indignus prælaturam teneat.

De primo, Apost. 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo.* vnde consecratur chrisma, in quo ponitur balsamus. De secũdo, Osæ. 5. *Facti estis laqueus venationi siue speculationi.* vnde comparatur gladio versatili quo clauditur paradisus, Gen. 3. quia nec ipsi intrant, nec alios sinunt intrare. Matth. 24. De tertio, Psalm. 23. *Quis ascendet in montem Domini?*

Item viuas { Sobriè sibi, Iustè proximo, Piè Deo.

De primo, Apostolus ad Timoth. 3. *Oportet episcopum irreprehensibilem esse.* Sed incrassatus est, dilatatus: vnde potest dici prelatus quasi prę aliis latus: scilicet in crassitudine & in vitiis. Nam modo aliqui plus terunt tabernas quàm Ecclesias, & diem expendunt in ebrietate, & noctem in luxuria. De secundo, Prou. 22. *Pondus & pondus, &c.* De tertio, legitur Num. 18. quod Leuitę non habebant hęreditatem inter tribus, quia pars illorum Deus. Sed modo prælati, possũt dici prę-lati: & ministri Christi sunt, sed seruiunt antichristo.

CONTEMPLATIVVS sit prælatus per { Studij lectionem, Sanctam meditationem, Deuotam orationem.

De primo, Apocal. 10. *Comedi librum*, &c. Item animal quod non ruminat, immundum est. Leuit. 10. De secundo, Apostolus ad Philip. 3. *Nostra conuersatio in cœlis est.* Quare vt hauriret in contemplatione quod effunderet in prædicatione, dico vobis cum fiducia quod vos qui claues Petri geritis, & clauos Christi nõ respicitis, dæmonium incurretis. De tertio, Eccles. 44. *In tempore iracundiæ factus est reconciliatio.*

SCIENTIAM prelatus habeat, { Ianuam cæli aperiat, Fidem defendere sciat, Sibi commissos puniat,

De primo, Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum*, sed istas modo resignauerunt & assumpserunt claues mortis & inferni: quia nec ipsi cælum intrant, nec alios intrare permittunt. De secundo, 1. Pet. 2. *Vt sciant rationem reddere omni poscenti de ea, quæ in vobis est, spe.* Malac. 2. *Legem requirent de ore eius.* Quia officium eorum esset ad eam scitè respondere, & scire Articulos fidei implicite &

explicitè. De tertio, Luc. 6. *Si cæcus cæcũ ducit.* Talis facit sicut medicus impius qui cauterizat cornua.

Item sciẽtia prælati { Fulgore clarificat, Maledictionem declinat. Salubriter fructificat.

De primo, nota quod clarificat in futuro per gloriam. Daniel. 12. *Qui docti fuerint.* In præsẽti per gratiam. Exod. 28. *Pones in rationali iudicij doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron.* Deuteron. 27. *Maledictus qui errare fecerit cæcum in via. Et dicet omnis populus, amen.* Sint ergo prælati animalia plena oculis, nõ loculis. De tertio, Psal. 1. *Erit tanquam lignum quod plantatum est.* Sap. 8. *Venerunt mihi omnia bona, &c.* sed è contra dicitur de ignorantia, *Quia tu scientiam repuli.* Oseæ 4.

Prædicator debet esse prælat⁹ { Ne pro subditis damnetur, Vt incautus præmuniatur, Vt iussio diuina seruetur,

De primo, Exod. 28. Tintinnabula audiri debent Aaron ingrediente ad ministerium in Sancta sanctorum. Greg. Sunt nonnulli, qui magni videri volunt: & tamen magni non sunt. De secundo, nota quod tubis vtebantur & in bellis, conuiuiis, & tabernaculorum eleuatione. De tertio, Ioan. 21. *Pasce oues meas.*

Item doceat { Verbo prædicationis, Exẽplo bonę operationis, Fama sanctæ opinionis.

De primo, 2. ad Timoth. 4. *Prædica verbum, insta, &c.* Item Ioann. 21. *Pasce oues meas.* De secundo, Ioan. 1. *Ego vox clamantis in deserto.* Et hoc, ne vna manus sit ædificans, alia destruens, Bern. Multi sunt catholici prædicando qui hæretici sunt operando: & tantò grauiores sunt, quantò præualẽt opera. Iob. 19. *Arcus meus in manu mea.* Vnde os Prophetę calculo mũdabatur. Esa. 6. De tertio, 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo,* sed heu! dispensatores, modo sunt dissipatores.

Item prælatus prædicando { Affectum subditorũ irrigat, Intellectum illuminat, Fidelem se demonstrat.

De primo, Genes. 2. sed ipsi sunt canalis, quo aqua fontis egrediẽs de loco voluitur, transit, & vacuus tandem remanet, & lixiuia alios lauãs ipsa sordidatur. De secundo. Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum,* sed modo prælati comparantur faci, quæ lucens hominibus seipsam consumit. De tertio, Matth. 24. *Quis, putas, est fidelis seruus & prudens, &c.*

Benignitas & misericordia prælati. { Bonitati diuinæ se conformat, Seueritatem iudicij declinat, Humilitatis indicia demonstrat.

De primo. Chrys. Si Dominus largus, &c. Item Deus semper punit citra condignum. Confitemur enim in tribus personis potentiam, sapientiam, bonitatem, quæ signantur per tria quæ fuerũt in arca. De secundo, Iac. 2. *Iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam:* sit ergo flos per pietatem, non rhamnus. De tertio, Matth. 7. *Qui vides festucam in oculo fratris tui, Non ergo camelum glutiat, & culicem excol.* Ibidem 23. Sic fecit Dauid cum dixit ad Angelum percutientem: *Vertatur obsecro manus, &c.* 2. Reg. 24. Gregorius: Quare Domus Petrum negantem cadere permisit? scilicet vt sua culpa disceret qualiter aliis misereri debuisset.

Item mansuetus sit prælatus. { Per misericordiæ compassionem, Per patiẽtiæ lenitatem, & Correctionis moderationem.

De primo, Ier. 9. *Quis dabit capiti meo, &c.* Apostolus ad Rom. 12. *Flete cum flentibus, &c.* Sed sic non sunt modo: quia pastores mutati sunt in tonsores, imo excoriatores. De secũdo. 2. Reg. 3. *Quasi tenerrimus ligni vermiculus,* ex eis manus inungantur in consecratione. De tertio,

nota quod stultus esset qui persequeretur pulicem cũ securi, Matth.13.*Imponũt onera, &c.* Sed non quod in subcinendo strictior pars ad proprium subiectum conuertitur.

AMBITIONEM dignitatum fugiat propter { Christi conformitatem, Pœnarum declinationem, Humilitatis probationem.

De primo, exemplum in Christo qui fuit raptus in regem. Ioan. 6. sed è cõuerso rhamus ingessit se prælationi lignorum cæterorum. Iudic. 9. Item inclinato capite quasi fugit titulum vbi scriptum fuit, Rex *Iudæorum*, Ioan. 19. De secundo, Luc. 14. *Ne fortè veniat qui te inuita. & incip. cum rub. nouiss. locum tenere.* Item Num. 16. Dathan & Abiron absorpti sunt, Giezi leprosus factus est, 4. Reg. 5. De tertio, Apost. ad Hebr. 5. *Nemo assumat sibi hono.* &c. Item Ier. 1. *A, a, a, Domine Deus, nescio loqui.* Matth. 23. Amant primos recubitus.

Vnico beneficio sit contentus, vt { Ordinatio Apo. seruetur, Res figuræ conformentur Stultitia declinetur.

De primo, Apost. 2. ad Timoth. 3. *Vnius vxoris virum*, Psal. 77. *Vnam petij à Domino, hanc requir. &c.* Cant. 6. *Vna est columba mea.* De secundo. Gen. 6. *In vno cubito consummabis eam:* scilicet arcam. Tertium patet: quia stultus est, qui vni Ecclesiæ regendæ non sufficit. quod se de pluribus intromittit. Item, quia ad impossibilia se obligat, quia in vtra que Ecclesia debet horas dicere, missas celebrare, & onus importabile sibi est impositum.

SIMONIACÈ NON intret, ne { Leprâ inquinetur, Perditione damnetur, Cœlo priuetur.

De primo, exemplum in Giezi, 4. Reg 5. De secundo, Act. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* De tertio, Matth. 21. *Christus eiecit ementes & vendentes,*

Item simonia { Maledictionem inducit, Fures discernit, Iussa diuina contemnit.

De primo. Amos 6. *Væ qui ingredimini pompaticè in domum Domini* Item Mich. 3. *Væ qui ædificatis Sion in sanguinib.* De secundo, Ioan. 10. *Qui non intrat per ostium,* &c. De tertio, Matth. 11. *Gratis accepistis, gratis date.*

DOTES animæ erunt { Cognitio primæ veritatis, Dilectio summæ bonitatis, Fruitio diuinæ maiestatis.

De primo, Esa. 60. *Tunc videbis, & affiues*, &c. Matth. 5. *Beati mundo corde*, &c. Ioan. 17. *Hæc est vita æterna*, &c. De secundo, Esa. 31. *Cuius ignis in Sion*, &c. Gen. 6. Arca linita fuit bitumine. Item propter charitatem, quod proprium est singulorum, commune est omnium. De tertio, Ans. Anteueniat oro tempus. Itẽ nota circa primam, dicentur animæ scil. cognitionũ, quod illa visio cognitio erit matutina, vespertina, meridiana. Prima in verbo. Secunda in proprio genere. Tertia, in aperta Dei visione. De primo, Gen. 1. *Factum est vespere & mane*, &c. Nam sicut modo creaturæ sunt speculũ creatoris: sic erunt tunc è conuerso. De secũdo, Greg. Quid est quod non videt, qui videt omnia? Bern. Fili, ad scholas propera. De tertio, August. Videbimus tuæ maiestatis, &c. Esaiæ 33. *Videbũt oculi tui regem in decore suo.*

DOTES corporis erunt { Claritatis pulchritudo, Agilitatis promptitudo, Subtilitatis aptitudo, Impassibilitatis fortitudo

De primo, Matth. 13. *Fulgebunt iusti* &c. Psal. 102. *Renouabitur vt aquilæ*, &c. Nota quod pulchritudo Absalonis est ibi fœditas. De secundo, Esa. 40. *Assument pennas vt aquilæ.* Aug. Protinus vbi voluerit spiritus, &c. Nota quod agilitas Azaëlis esset ibi claudicatio. De tertio, Sap. 3. *Tanquam scintillæ in*, &c. Ioan. 10. *Intrauit Iesus ianuis clausis.* Exemplum de sole qui vitrum transit. De quarto,

Esa.25. *Præcipitabit mortem in sempiternũ.* Nota, quod fortitudo Samsonis esset ibi infirmitas, Moysi sanitas esset ibi vilitas, Saulis strenuitas esset ibi debilitas, Dauid & Ionathæ amicitia ibi esset peruersitas, Absalonis formositas ibi esset deformitas, Salomonis sapientia ibi esset stoliditas, Assueri diuitiæ ibi essent mendicitas, Augusti liberalitas ibi essent mendicitas.

In vita æterna erit { Affluentia diuitiarum, Influentia deliciarum, Confluentia bonorum.

De primo, Gen.15. *Ego ero merces tua magna nimis.* De secundo, Leu.20. *Dabo tibi terram fluentem lacte & melle.* De tertio, Psal.8. *Gloria & honore coro.* Esa. 61. *Vt darem eis coronam pro cinere.*

Item ibi erit Deus { Speculum visui, Cithara auditui, Mel gustui, Flos tactui, Balsamus olfactui.

De primo, Sap.7. *Candor lucis æternæ, speculum sine macula.* De secundo, Esa.16. *Venter meus quasi cithara.* Item exemplũ de cithara eremitæ, De tertio, Eccl. 24. *Spiritus meus super mel dulce.* Psal.30. *Quàm magna multi. dulc. tuæ.* Aug. Ducis me in quandam dulce De quarto, Cãt.2. *Ego flos campi,* &c. De quinto, Ec. 24. *Sicut cinnamomum & balsamum arom.* &c.

Item ibi erit gloria sine { Contrarij permissione, Finis terminatione, Fastidij abominatione.

De primo, Esa. 1. *Excoquam ad purum,* &c. De secundo, Sap.5. *Iusti autem in perpetuum,* &c. Nota quod vita Mathusalem esset ibi mors. De tertio, Eccl.24. *Qui edunt me, adhuc esurient.*

Item ibi gaudebimus { de { Periculorum euasione, Mansionum ordinatione, Felicitatis communitate.

De primo, Psal.88. *Misericordias Domini in æternum cantabo.* De secundo, ibi, Locabuntur omnes secundum ordinem primogenituræ. De tertio, Aug. Bonum singulorum erit omnium, & quod quisque non habet in se, habebit in alio.

Item ibi erit { Conuiuium iocunditatis, Pax tranquilitatis, Facultas libertatis.

De primo, exemplum in conuiuio Assueri. Esth.1. Bernard. Angelorum & hominum vnum conuiuium. Item actor seruitor. De secũdo, Esa.32. *Sedebit populus meus in pulchritudine.* De tertio, Cessabit omnis prælatio.

Item ibi erit { Gaudium in corde, Melos in ore, Redolentia in corpore.

De primo, Esa. 9. *Lætabuntur coram te sicut,* &c. De secundo, Esa.51. *Gaudium & lætitia audietur in ea.* Exemplum de auicula quæ 300. annis cantauit. De tertio, Eccl.24. *Sicut cinnamomum,* &c.

Item gaudebimus { Supra, de diuina consolatione, Infra, de loci amœnitate, Iuxta, de amicabili societate.

De primo, Apoc.21. *Absterget Deus omnem lacrymam,* &c. De secũdo, Apoc. 21. *Platea & muri eius,* &c. De tertio, Bernard. Angelorum & hominum vnum erit conuiuium. Item de corporis & animæ glorificatione, Esa.35. *Fugiet dolor & gemitus,* &c. Luc. 6. *Mensuram bonam & confertam.*

Item ibi erit { Amœnitas vernalis, Lux æstiualis, Vbertas autumnalis, Quies hyemalis.

De primo, Ansel. O immarcessibilis decor! Ibi igitur rosæ, lilia, & violæ. De secundo, Apoc. 2. *Ciuitas illa non eget sole & luna.* De tertio, Ps.143. *Promptuaria eorum plena,* &c. De quarto, Esa. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine,* &c. Idem: *Sedebit vnusquique sub ficu sua.* Mich.4.

Item implebitur { Rationalis sapientiæ illustratione, Concupiscibilis desiderabilium adoptione, Irascibilis triũphi decoratione

De primo, Bern. Fili ad ſcholas propera, &c. De ſecundo, Pſal.102. *Qui repleι in bonis deſiderium*, &c. De tertio, de Dauid de quo cantabant 1. Reg. 29. *Et Dauid decem millia in millibus ſuis.*

GENERALITER omne peccatum fugiendum eſt, quia { Dæmonibus placet, Deo diſplicet, Homini nocet.

Primum patet per hoc quod diabolus ſemper homines tentat, vt in peccata pręcipitet. Greg. Nihil ſe feciſſe ęſtimat, cùm animas non ſauciat. Idem. Aſſidua tentatione diabolus tentat vt ſaltem tædio vincat. Secũdum patet per hoc quod Deus sẽper eſt paratus peccata deſtruere, ſicut dicit Ezec. 18. *Quacunque hora peccator ingemuerit*, &c. Item patet per hoc quod nullum tantùm amat, quem nõ pro peccato mortali damnaret, ſi id faceret. Item per hoc quod filium tradidit, vt peccata deſtrueret, & ſimiliter matrem pati permiſit, ſicut dicitur Luc.2. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* De tertio, Greg. Quidquid patimur, peccata noſtra meruerunt. Nota peccatum mortale eſt cõtemptus DEI, fuga ANGELI, odium ſanctorum, clauſura regni Dei, perditio virtutum, obtenebratio animæ, conformitas ſatanæ, meritum gehennæ, Veniale peccatum eſt, diſtractio ſenſuũ, impedimentum feruoris charitatis, obſtaculum diuinæ cõſolationis, via peccati mortalis, dilatio futuræ retributionis.

Item peccatum fugiendũ eſt, quia { Benignitatem furibundam reddit, Angelum cuſtodiæ ab homine repellit, Corpus & animã occidit.

De primo, Pſal. 6. *Domine, ne in furore tuo arguas me*, &c. De ſecundo, Exemplum in Vitis Patrum: quod quando loquebantur mala, dæmones in ſpecie porcorum volutabant ſe coram illis gaudentes, & angeli à longe ſtabant. De tertio, exemplum 1. Reg 31. De Saul qui occidit ſe gladio proprio: ſic quilibet peccato proprio. Item peccatum etiam occidit quaſi venenum. Item quaſi ſerpens. Item quaſi ſagitta diaboli.

Item peccatum fugiendum eſt, quia { Mala præterita reuocat, Vitã temporalẽ breuiat, A Deo elongat.

De primo, Matth. 18. *Serue nequam, omne debitum*, &c. De ſecundo, Pſal. 54. *Viri ſanguinum & doloſi*, &c. Exemplum in Sodomis, in Dathan & Abiron, in mari Rubro, in Adam & Eua. De tertio, exẽplum in filio prodigo *qui abiit in regionẽ longinquam diſſ.* Luc. 15.

Item peccatum { Excæcat rationabilem, Excæcat concupiſcibilem, Debilitat iraſcibilem.

De primo, exemplum Tob. 2. De ſecundo, Pſal. 142. *Anima mea ſicut terra ſine aqua*, &c. vnde tales æterno incendio præparantur. De tertio, exemplum in Samſone, qui poſt abſciſſionem crinium, id eſt, donorum Spiritus ſancti, non potuit aduerſariis reſiſtere. Iud. 16.

Item peccatum fugiendum eſt, quia { In naturalib⁹ vulnerat, Gratuitis ſpoliat, Maculando deturpat.

De primo, Eſa. 1. *A planta pedis vſque ad verticem cap.* Thren. 4. *Quomodo obſcuratum eſt aurum?*

Item peccatum { Hominem captiuat, Conſcientiã amaricat, Premendo grauat.

De primo, Pſalm. *Educ. de carc.* &c. Idem: *Anima noſtra erepta eſt*, &c. Peccatum autem ligat omnia membra, vt ad Chriſti obſequium ſint inhabilia. De ſecundo, Iere m.2. *Vide quàm malum & amarum eſt dereliquiſſe te.* &c. Pſalm. 51. *Conuerſus ſum in ærum.* &c. Eſa. 66. *Vermis eorum non morietur.* De tertio, Pſal. 17. *Sicut onus graue grauata, &c.* nota quod omnes montes non poſſent hominem premere tam profunde ſicut vnum mortale peccatũ. Eſt enim mortale peccatum ſicut lapis ſuſpenſus in collo canis qui ſubmergi debet. Et ſicut canis primo ſentit ponderoſitatem lapidis quando

de manu proijcitur: sic anima primò sentit grauitatem peccat cùm exierit de corpore.

Item peccatum { Apostasiam inducit, Insensibilem reddit, Ad plura peccata trahit.

De primo, exemplum in filio prodigo qui abiit, Luc. 15. Facit autem peccator cõtra illud promissum baptismale, Abrenuntio Satanæ, &c. & quia talis nõ soluit Deo promissionem suam: nec Deus soluit ei suam. De secundo, Psalm. 13. *Aures habent, & non aud.* Satis insensibilis est qui non audit tonitruum prædicationis, & tubæ nouissimæ, & clamoris Christi in cruce. Item qui iacens in igne concupiscentiarum mundi non sentit. Item qui captiuus tenetur, & quotidie moritur, non sentit. De tertio, Greg. Peccatum quod per pœnitentiam non di. &c. & hoc ideo est, quia per peccatum iste efficitur minus potẽs resistere, quia naturalia vulnerantur: & armis suis, id est, virtutibus spoliatus adiutorem suum amisit.

Item peccatum { Deum damnificat, Angelum defraudat, Hominem contristat.

Primum patet: quia animam aufert quam proprio sãguine redemit, & Deũ de domo propria expellit. Secũdum patet: quia Angelus fraudatur illo gaudio, quod de gloria istius habiturus esset, sicut dicit August. quod vnusquisque tantùm ibi gaudet de bono alterius, sicut si esset in seipso. De tertio, nota quod peccatum istius nocet hominibus in mundo per vnius adiutoris amissionem. Ecclesia enim est, *vt castrorum acies ordinata.* Item nocet his qui sũt in purgatorio per suffragiorum diminutionem. Item illis qui sunt in inferno per ignis augmentationem: quia non minus ardet, qui cùm multis ardet: imò plus, quia materia igni augmentatur.

Item peccatum { In præterito de paradiso expulit, In præsenti omnia mala inducit, In futuro iudicio hominem confundit.

De primo patet, Genes. 3. De secundo, Greg. Quidquid patimur, peccata nostra meruer. Igitur si odimus illum, qui interficit patrem nostrum, magis est odiendum peccatum, quod mortalitatem inducit, & omnes parentes nostros interfecit. Genes. 2. *Quacunque hora comed. morte*, imò Christum occidit peccatum. Vnde 1. Pet. 2. *Qui peccata nostra pertulit in corpore*, scilicet super. De tertio, Apostol. Hebr. 4. *Omnia nuda & aperta sunt.* Dan. 7. *Antiquus dierum sedit.*

GVLA fugiẽda est, } quia { Deijcit, Idololatriam inducit Spiritualia bona contemnit.

De primo, exemplum in Adam qui propter cibum vetitum deiectus est de paradiso. Genes. 3. De secundo, Exod. 32. *Sedit populus mandu.* &c. Apost. Phil. 3. *Quorum Deus venter est*, De tertio, exemplum in Esau, Gen. 25.

Item Gula { Diabolo domum præparat, Spiritum grauat. Seruum contra se armat.

De primo, Matth. 8. *Mitte nos in porcos.* Item exemplum in dialogo de illa quæ comedit dæmonem in lactuca. De secũdo, Luc. 21. *Videte ne grauentur corda vestra crapu. & ebri.* De tertio Prou. 29. *Qui delicatè nutrit seruum suum.* Eccl. 33. *Virga & cibus*, & *onus asino*, &c.

Item Gula { Luxuriam inducit, Homicidia & Acediam malam facit, Bursam vacuam reddit.

De primo, Apost. Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Exemplum in Loth, Genes. 19. De secundo, Exemplum in Ioanne Bapt. & filijs Iob, & Aman, qui omnes in conuiuijs perierunt.

De tertio, Salomon Prou. 12 *Quia amat pinguia, non ditabitur.*

Item gula inducit mortem { Naturæ, Culpæ, Gehennæ.

De primo, Genes. 2. *Quacunque hora comede. mori.* De secũdo, Apost. 1. Tim. 5. *Vidua viuens in deli. mor. est.* De tertio, Gen. 41. *Septem boues, septem anni sunt,* &c. Esa. 17. *Auferetur gloria Iacob & ping. car. eius mar.* Vnde quidam in Vitis Patrũ afflixit se in sole propter cucumerem quem concupiuit. Species huius quinque sunt. Vnde versus. *Præ, properè, lautè, nimis ardenter, studiosè.*

EBRIETAS { Hominem maledicit, Æternam sitim inducit, Apostatare facit.

De primo, Esaiæ, 5. *Væ qui mane sur. &c.* De secundo, Luc. 6. *Mitte Lazarum vt inting. &c.* De tertio, Eccl. 19. *Vinum & mulieres apostatare faciunt.*

REMEDIA Gulæ { Spiritualium ciborum frequens sumptio, Futuræ carnis consideratio, Æternæ cœnæ meditatio.

De primo, Deuter. 8. *Non in solo pane viuit homo.* Vnde quidam in Vitis Patrum propter diuina colloquia, ciborũ sunt obliti sumptione. De secundo, Eccl. 20. *Cum moritur homo, hæreditabit serpentes, bestias & vermes.* Peccator tres habet hæredes: Amici namque auferunt res, diabolus animam, vermes corpus. De tertio, Luc. 34. *Quidam homo fecit cœnam magnam.*

LVXVRIA fugienda est, { quia { Placet dæmonibus, Displicet Angelis, Deo est contumeliosa, Proximo iniuriosa.

De primo, Iob. 40. Behemoth: *Dormit in locis humentibus.* De secundo, exemplum in Angelo qui obstruxit aures. De tertio, quia tẽplum Dei iniquinat. Apostolus 1. Cor. 6. *Qui autem fornicatur, in corpus, &c.* Item quia sponsam Christi violat. Apost. 2. Cor. 11. *Despondi vos vni viro virg. &c.* De quarto, quia proximum scãdalizat. Oseæ. 5. *Facti estis quasi laqueus speculationi, & quasi rete expansum subter montem Thabor.* 2. Reg. 12. *Non recedet gladius meus de domo tua,* Hoc dicitur ad Dauid propter Bersabee.

Item luxuriosis. { Pars vilissima datur, Mens infatuatur, Christus de corde repellit.

De primo, Genes. 3. *Quia obedisti voci vxoris tuæ plus quàm meæ, maledicta terra, &c.* De secundo, 4. *Vinum & ebrietas auferunt cor.* De tertio. Exemplũ de monacho, qui filiam sacerdotis idolorum voluit accipere vxorem. Matt. 6. *Non potestis Deo seruire & mammonæ.* Item: *Vulpes foueas habent.* ibit. 8. Item in peccato luxuriæ delinquitur tripliciter: Corde, ore, & opere.

Corde, per { Cogitationem, Delectationem, Consensum.

Hæc tria signata sunt, Genes. 3. per serpentem, mulierem & virum. De primo, Iob. 3. *Pepigi fœdus cum oculis meis.* Et quidam dixit in Vitis Patrum mulieri roganti quod haberet sui memoriam, rogo Deum vt auferat memoriam tui à me, De secundo, Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum.* De tertio, Ier. 9. *Intrauit mors per fenestras, &c.*

Item ore tripliciter delinquitur, scilicet { Turpiter, Cum turpibus, De turpibus.

De primo, Psalm. 140. *Pone Domine custod. ori meo.* De secundo, Eccles. 9. *Colloquium eius sicut ignis exar.* Exemplum Genes. 39. de Ioseph. De tertio, Psalm. 100. *Qui loquitur ini qua, non dir. in conspectu oculorum meorum.* Talis similis est scrophæ, quæ semper rostrum ponit in stercore.

Item

Item opere delinquitur { Ipso facto, Intuitu incauto, Tactu inordinato.

De primo, Exod. 20. *Non mœchaberis.* De secundo, exemplum in Dauid, Bersabee, & Ioseph, Iudith, & Susanna. De tertio, Eccles. 23. *Qui tãgit picem, inquinabitur ab ea.* Eiusd. 26. *Qui tenet eam, quasi qui apprehendit scorpionem.*

REMEDIA huius peccati sunt { Mortis extrema cogitare, Occasiones fugere, De se non nimis præsumere.

De primo, Eccles. 7. *Fili mi, memorare nouissima tua, & in æternum non pec.* Hieronymus: Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum. De secundo, Apostolus 1. ad Corinth. 6. *Fugite fornicationem, &c.* nam contra alia vitia pugnandum est, istud tantùm fugiẽdum est. De tertio, nota quomodo Dauid cecidit sanctissimus, Salomon sapientissimus, Samson fortissimus.

Item remedia sunt { Frequens occupatio, Carnis mortificatio, Tentationis repugnatio.

De primo Ecclesiast. 11. *Malitia vnius horæ obli.* Item de secundo, 2. Regum 11. *Factum est eo tempore, quo reges solent ad bella procedere, &c.* Matth. 17. *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi in oratione & ieiu.* Hieron. Non sanat oculum quod sanat calcaneũ. De tertio, Iac. 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* de hoc nota exemplũ in Vitis patrum, de illo qui impugnabatur à spiritu fornicationis, & sæpius veniens ad senem non est liberatus: Tandem seni ostensa est illius negligentia: qui quando dæmones ludebant coram ipso in specie diuersarum mulierum, ipsis condelectabatur plus debito. Item de illo qui accepit carnes putridas illius mulieris de qua tentabatur & posuit in cella sua. Item de monacho qui fecit limosam mulierem & filiam.

PER choream { Deum offendimus, Idololatriam introducimus, Festis iniuriam facimus.

De primo, Exod. 32. qualiter multa millia interfecta & tabulæ testamẽti fractæ, quando coram vitulo cœperunt ludere. Secundum patet, quia processiones soli Deo exhibendæ sunt, & isti diabolo faciunt, vel hirco, pro quo chorizant. De tertio, Aug. dicit Melius est in dominicis dieb⁹ arare, quàm chorizare, vel choreas ducere. Exod. 20. *Memento vt diem sabbati sanctifices,* id est, te sanctum facias in eo: scilicet orãdo, bonis operibus vacando, non Deum impugnando.

Item per choreã { Exercitus diaboli contra Deũ congregatur, Proximus scandalizatur, Miseria præsens non attenditur.

De primo, 1. Machab. 9. *Congregati sunt inimici nostri, & gloriantur:* tot autem gladij sunt ibi, quot mulieres ornatę. Hier. Species mulieris gladi⁹ igneus est. De secundo, Matth. 18. *Qui scandalizauerit:* scilicet vana audiẽdo, stulta loquendo, nociua tangendo. De tertio, Eccles. 11. *In die bonorum ne immemor sis malorum:* scilicet præteritorum quæ recolimus, præsentium quæ sentimus, futurorum quæ timemus.

Item chorizatores { Mendaces se ostendunt, Impios se faciunt, Sacramẽta Ecclesię contemnunt.

Primum patet: quia contra illam promissionem faciunt: Abrenuntio satanæ, &c. De secundo, Psal. 11. *In circuitu impij ambulant.* Tertium patet, quia baptismalem innocentiam amittũt, Confirmationis signum deponunt, Eucharistiam quam sumpserunt paulò antè contemnunt; & sic de aliis sacramentis, scilicet Pœnitentia, extrema Vnctione, &c.

Item istorum { Passus omnes numerantur, Gaudium in tristitiam vertetur, Via temporalis breuiabitur.

De primo, Iob 13. *Vestigia pedum me. considera.* De secundo, Luc. 6. *Væ qui ridetis, quia flebitis.* Esa. 3. *Erit pro zona funiculus.* De tertio, Apostolus 1. ad Cor. 11. *Propter quod dormiunt multi, &c.*

AVAR. { Naturæ contrariatur, A Domino maledicitur, Scelestus demonstratur.

Primum patet: quia creaturæ se communicant, quod ipse non facit. Item terram super omnia diligit, quam natura infirmam ordinauit. De secundo, Esa. 5. *Væ qui coniungitis domum ad domũ.* August. Maledictus dispẽsator auarus, cuius largus est Dominus. De tertio, Ecclef. 10. *Auaro nihil est scelestius:* dat enim Christum pro denario. Vnde quãtum ad hoc peior est Iudâ.

Item auarus est iniquus { In Deum, In seipsum, In proximũ.

Primum patet: quia Deum suis donis impugnat. Secundum patet: quia transeundo maria & Alpes seipsum euiscerat. Tertium patet: quia proximum pro eleemosynarum subtractione iugulat. De primo, Psal. 34. *Retribuunt mihi mala pro bonis.* De secundo, Ioan. 4. *Impij laborauerunt, & alij in labores eorum intro.* scilicet raptores vel mali filij: vnde diuitias quas ipsi acquirunt cum labore, possident cum timore, amittunt cum dolore. Isti similes sunt araneæ, quæ faciendo telam vt muscas capiat, seipsam euiscerat. De tertio, Ambrosius: Pasce fame morientem: quòd si non pauisti, occidisti: & hoc ideò, quia in necessitate omnia sunt communia.

Item auaritia { Introitum paradisi claudit, In infernum demergit, Idololatram hominem constituit.

De primo, Matth 19. *Facilius est camelum per fora. &c.* De secundo, Augustinus, Naufragium fugies, & plumbum amplecteris: Vnde Socrates magnam massam pecuniæ proiecit in fluuium, dicens: Mergam te, ne demergas me. Item tertium patet: quia dat fidem auarus, spem & charitatem pecuniæ, quibus in Deum debemus moueri. Apostolus Eph. 5. *Auaritia est idolorum seruitus.*

Item amor pecuniæ { Dominum interficit, Doctrinam contemnit, Cœcitatem spiritualem inducit.

De primo, habemus exemplum in Iuda. De secundo, nota quod Christus docuit nos auaritiam declinare verbo & exemplo. Verbo, Matth. 5. *Beati pauperes spiritu.* Item exemplo, Matth. 8. *Vulpes foueas habent.* Luc. 2. *Inuenietis infantem pannis inuolutum.* De tertio, exemplum Tob. 2.

Item auaritia { Hominem captiuat, Hominem inquinat, In homine omnia vitia parat.

De primo, Gloss. super Lætatus sum: Amor temporalium fastus est pennarum cœlestium siue æternarum. Apostolus 1. ad Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum, Diaboli.* De secundo, Oseæ 2. *Vt quid aggrauant contra se densum lutum.* Exod. 1. *In luto & latere.* De tertio, 1. ad Tim. 6. *Radix omnium malorum,* &c. Ex hac enim sequuntur oppressiones. Sen. Quietissimè viuerent homines, si hæc duo pronomina tollerentur, Meum & Tuum. Item sequuntur lites. Exemplum habes in Abraham & Loth: Gen. 13. Item ex hac sequũtur gula, luxuria, inuidia, superbia &c.

Item auaritia { In seruitutem redigit, In terra mentem figit, Insatiabilem facit.

De primo, Eccles. 10. *Pecuniæ obediunt omnia.* Sed difficile est tali dominæ seruire, quæ facit famulam mori fame. Si quis

seruit auaritiæ, non audet ad sufficientiã comedere. De secundo. Gen. 3. *Supra pectus tuum gradieris.* Talis comparatur talpæ. Sed nota, leuia tendunt sursum. vnde pauperũ est cælum: quia in vltima sponda dabitur illis, quibus primo non fuit datum: De tertio, Eccles. 5. Auarus non implebitur pecunia, vnde comparatur hydropico, & sacco pertuso, & inferno, qui nunquam dicit, Sufficit: & mari, cui omnia influunt, & tamen non redundat. Hieron. Auaro tam deest quod habet, quàm quod non habet. Vnde accidet ei sicut cani, qui voluit in aqua vmbram carnis capere, & illam quam habuit, amisit.

Vsurarius { Rem mortiferam sitit,
Magnum pretium negligit,
Expensas super nobile pignus recipit. }

De primo, Iob. 20. *Diuitias quas deuorauit euomet:* vnde comparatur sanguisugæ. De secundo, Augustinus: Fœnerare, & centuplum accipies. Item: Vis esse optimus mercator, egregius fœnerator, da quod non potes retinere, vt cõsequaris quod non potes amittere. Bernard. Optimus mercator, qui nil suorum sibi præferendum putat. Item tertium patet, quia recipitur super animam,

Item Vsurarius { Viam paradisi obstruit
De aqua ignẽ accendit,
Proprios filios occidit. }

Primum patet: quia cum *arcta sit via quæ ducit ad vitam*, Matth. 7. Ipse tamen magnum pondus super se ponit. De secundo, Ecclesiastici. 3. *Aqua extinguit ignem, ita eleemosyna.* Igitur cum quo deberet ignem extinguere, ignem accẽdit. De tertio, Oseæ. 9. *Ephraim ad occisionem filios suos ducit.* Vnde in inferno pater filio maledicit, & èconuerso: quia vterque potest alteri causam damnationis imponere. Ecclesiast. 41. *De patre impio conqueruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio.*

Item vsurarius { Naturæ ordinem peruertit,
Requiem & lucem vendit,
Festa Sanctorum contemnit. }

Primum patet: quia naturæ est vis insita rebus ex simil. similia procreans. Ipse autem ex auena facit triticum, & sui nũmi frumentum pariunt, & hoc singulis diebus. De secundo, Ezech. 7. *Qui vendit, ad id quod vendidit non reuertetur.* ergo vsurarius luce perpetua carebit. Non ergo cantetur ei, *Requiem æternam.* Vendit & tempus, quod commune est omnibus. De tertio, habemus quod colligens ligna sabbato mortuus est. Num. 15. Præterea omnes sancti derelinquent eum in die iudicij, quorum dies vendidit.

Item vsurarius { Legem triplicem transgreditur,
Vix ab hoc vitio compescitur,
Diabolo assimilatur. }

De primo, Gen. 3. *In sudore vultus tui, &c.* Sed iste sine labore vult comedere. Psal. 72. *In labore hominũ non sunt.* Item facit contra illud, Deut. 23. *Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno.* vnde quantum ad hoc peior est Iudæo. Secundum patet, quia vix restituit. vnde peior est inferno, qui aliena in passione Domini restituit. Iste autem passioni Domini nil restituit, imò prędicationem eius fugit, sicut buso odorem floris vinearum. Item ipse peior est Iuda, qui xxx. denarios restituit. Tertium patet: quia sicut diabolus non dormit, ita nec iste quantum ad lucrum. Ex quo igitur vsurarius nocte & die ad infernum tendit, non est mirum si citius peruenit. Item diabol. aliena rapit, & est astutus in lucro animarum, sic & ille:

Item vsurarius { Plura peccata simul in diuersis locis perpetrat,
Plus quàm latro spoliat,
Stultum se esse demonstrat. }

Propter primum comparatur grandini, quæ propter suam dilatationẽ simul in diuersis locis nocet: vnde quantum ad hoc peior est aliis peccatoribus, ex quo ergo rustici pulsant contra grandinem,

multò fortiùs pulsare deberent adueniente vsurario. Quia cùm grando percutit fructus in campo, percutit & fruges: iste vero pertulit ex arca frumentũ, denarium de bursa, lectum de dorso, pallium de collo. Secundum patet: quia lacrymas & sanguinẽ pauperum deuorat. Esa. 9. *Vestimentum mixtum sanguine erit in combust. & cibus ignis.* ècontra dixit Dauid. 2. Reg. 25. *Viuit Dominus, non bibam sanguinem virorum, quicum periculo hauserunt aquam.* vnde peior est lupo: quia lupo sufficeret vna capra, isti nõ sex porcæ. Præterea lupus tantum dẽtibus; sed quidquid iste habet, comedit, immò & homines. vnde Esa. 33. *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?* Item vsurarius spoliabitur cælo, terra, & omnibus bonis: quò ergo deueniet cum diuidetur: quia datur caro vermibus, anima dæmonibus, res parentibus. De tertio, nota quod stultus esset, qui asino suo vel iumento diuitias congregaret: sic iste facit corpori, nõ animæ. Item stultus apparet: quia Deum decipere putat, cùm vsuram diuersis nominibus palliet, sed nonne est ita sicut asinus qui diuersi modè nominatur, & tamen semper est asinus.

Raptores { In oratione non exaudiũtur, / Preces pro eis factæ frustrabuntur, / Pro spoliatis damnabuntur. }

De primo, 1. *Cum multiplicaueritis orationes vestras, non exaud.* Secundum patet: quia lacrymæ pauperum obsistũt Eccles. 35. *Non despicit Deus preces pupillorum, immò lacrymæ viduarum per maxillam descendunt, & exclamatio super deducentem eas*, scilicet super raptorem. Eiusdem 34. *Vnus orans, & alter maledicens; cuius vocem exaudiet Dominus?* Nihil potest obtinere in curia regũ, qui ibi multos habet aduersarios. De tertio, Sapient. 5. *Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum.*

Item raptores { Homicidæ iudicantur, / In iudicio damnabũtur, / Diabolo assimilantur. }

De primo, Eccl. 34. *Qui aufert in sudore panem, quasi qui fratrem suum occidit.* De secundo, Esa. 33. *Væ qui prædaris, &c.* Greg. Qui mihi visibiliter rapit vrgente exitu, inuisibiliter rapietur, & certè rapietur vt fur, cuius collo imponitur furtum. Tren. 1. *Iniquitates meæ circumuolutæ sunt & ligatæ collo.* Hæc attendens quidam in Vitis Patrum, qui cum cucumerem rapere voluit, in sole se afflixit. Tertium patet: quia diabolus in cælo rapere voluit, & in paradiso, & adhuc facit. Item diabolus affligit malos, isti autem bonos & malos, Esaiæ 59. *Qui recessit à malo, prædæ patuit.* Item deferunt angelo ad custodiam deputato, iste non: vnde quantum ad hoc, peiores sunt diabolo.

Item rapina { Deo est odibilis, / Proximo detestabilis, / Sibi damnabilis. }

De primo, Esa. 61. *Ego Dominus amans iudicium, & odio habens rapinam.* Eccles. 34. *Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui vic. fil. in conpat.* Secũdum patet, quod plus nocet proximo, quàm fur vel vsurarius: nocet enim manifeste & violenter. Item lupo comparatur qui semper viuit de alieno, imo sibi quandoque sufficit capra vna, isti non. Item sunt nuntij diaboli, quia perimunt homines in mundo, sicut ille in inferno, vnde eis Matth. 25. dicitur, *Ite maledicti in ignem æternum*, & sequitur, *qui paratus est diabolo & angelis eius.* De tertio, Augustin. Lucrum in arca, damnum in anima. Item si damnabũtur qui aliena rapiunt? Vnde potest Dominus dicere, *Esuriui*, & non solum dedistis mihi manducare, sed quod comedere debui, mihi abstulistis, & sic de aliis operibus misericordiæ.

Monachus proprietarius.
- Furtum committit,
- Vilem se ostendit,
- Damnationem incurrit.

De primo, Ios. 6. Achior furatus est chlamydem coccineam & regulam auroã contra prohibitionem Domini, propter quod multi sunt puniti. Item Gen. 31. Rachel furata est idola patris. Ananias & Saphira fraudãtes de pretio agri, mortui sunt. Actuum 5. De secundo, Hieron. Monachus habens obolum, non valet obolum: imò comparantur tales Iudæ, qui loculos habuit. De tertio, Actuum 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, ita dixerunt sancti patres ad quendam sepeliendum, sicut legitur in diabolo. Greg. vnde de porta cœli facit portam inferni, claustrum enim porta cæli est, Genes. 38. *Vidit Iacob scalam, &c.* & quia huiusmodi furtum est, meritò talis sicut fur suspenditur, imò vt gallus gallinaceus.

Item
- Sacrilegium committit,
- Apostasiam incurrit,
- Stultum se ostendit.

Primum patet: quia sacrum de sacro tollit: animas quoque fraudat, propter quas eleemosinæ datæ sunt. Secundum patet: quia non magis habere proprium potest, quàm non ire de claustro. Item molam asinarium amotam de collo iterum alligat, & in spinas quas euaserat iterato se proiicit: & luto quod proiecerat secundario se inquinat, vt sus lota, & canis reuersus ad vomitum, & vxor Lot respiciens retrò. Luc. 9. *Nemo mittens manum ad aratrum*. Tertium patet: quia cùm in naui sit, guttam haurit vt in mari seipsum submergat. Cum sit in horto, sal spargit, ne herba gratiæ sibi crescat: & fontem pietatis obstruit, ne sibi fluat. Item cum mortuus sit mundo, timet fame mori. Item facit sua pretiosiora seipso.

Lusor
- Idololatriam incurrit,
- Proximum corrumpit,
- Multa bona perdit.

Primum patet: quia Haschart dominum appellat, & ipsum inuocat & plus obedit taxillis, quàm sanctus Martinus Domino: quia ille dedit tantùm dimidium pallium, iste totum. Secundum similiter patet, quia conuenientes ad ludum ad similia incitantur. Personæ quæ locant taxillos, asserem & lumen, omnes peccant, imò porrigunt illis gladium vt se interficiãt. Tertium patet: quia perdit tempus, gratiam & gloriam, diabolus autem nunquam perdit. Ad minus enim lucratur duas animas.

Item lusor
- Maledictionem inccurrit,
- Plura peccata committit,
- Stultum se ostendit.

De primo, Esa. 65. *Maledictus puer centum annorum*. Secundum patet: quia ibi sunt periuria, vituperia, maledictiones, iræ, rixæ, homicidia, mendacia, auaritia, furta, scandala, blasphemiæ. Vnde tales quandoque puniuntur, sicut quidam qui iurauit per oculos Dei, & suus exiliit. Item quidam voluit sagittare Deum, & cruentata sagitta rediit. Tertium patet, quia illum ordinem peruertit. Eccles. 3. *Est tempus flendi & tempus ridendi*. Nota exemplum in Barlaam, de quatuor gladiis.

Acedia fugienda est, ne
- Præceptum Domini negligamus,
- Maledictionẽ incurramus.
- A creaturis cæteris discrepemus.

De primo, Gen. 3. *In sudore vultus tui*. De secundo, exemplum de ficu, quam Dominus maledixit, quia folia tantùm habuit. De tertio, nota quod exemplum debemus sumere in corporibus inanimatis sicut in herbis & arboribus, quæ licet in hyeme sint nudæ, tamen virtutem suam seruant, & tempore suo redeunt ad cõsueta. Item in corporibus sensibilibus. Prouerb. 6. *Vade ad formicã, ô piger.*

Item in rationabilibus. Augustin. O si tales essemus amatores vitæ permanẽtis, quales illi sunt vitæ fugientis! Idem: Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

Item acedia fugienda est,
- Vt denarius diurnus recipiatur,
- Ne tempus amittatur,
- Ne vita temporalis succidatur.

De primo, Matth. 10. *Ite & vos in vineam meam.* De secundo, Bernard. Nihil pretiosius tempore. hoc ideo dicit, quia breui hora potest quis acquirere veniã, gloriam, & gratiam, & sequitur in auctoritate. Sed heu! nihil vilius reputatur. Dicunt homines, Venite, ducamus tempus, cùm breue sit. De tertio, Luc. 13. *Succide illam, vt quid etiam terram occupat?* Dignum est vt inutiliter vitam expendens, vitam amittat.

Item acedia fugienda est
- Vt futuram famem præueniamus,
- Ne expectantẽ Deum contemnamus,
- Ne cæli gloriam negligamus.

De primo, Apostolus 2. Corinth. 9. *Qui parcè seminat, parcè & metet.* Prouer. 20. *Propter frigus piger arare noluit.* De secundo, Esaiæ 5. *Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas.* De tertio, exemplum in fatuis virginibus. Matt. 25. Item qui non mercatur in nundinis, postea non habebit. Item qui propter pigritiam non extendit manum ad recipiendam gratiam, postea non habebit gloriam.

Item acedia
- Deo displicet,
- Diabolo placet,
- Homini nocet.

De primo, Apocalyp. 3. *Vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, &c.* displicet autem Deo, quòd in luto iacens propter prigritiam nonvult surgere, & in igne concupiscentiæ, & in stillicidio præsentis miseriæ. De secundo, Matthæi 8. *Mitte nos in porcos*, & quum porcus mactandus est, permittitur in quiete pinguescere. Sed stultus est, qui propter pulchram viam tendit ad mortem. De tertio, Prou. 24. *Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant, &c.* Nota quod aqua corrumpitur ex quiete, & ferrum rubiginem contrahit. Augustinus, Differebam viuere in te, & non differebam in me mori.

Item acediosus
- Hostem contra se armat,
- Diabolo locum parat,
- Tentandi fiduciam præstat.

Primum patet: qui corpus per quietem nutrit, lasciuere facit, 1. Petr. 5. *Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabol. tanquam leo. &c.* De secundo, Hieron. Semper aliquid operis facito vt te diabol. inueniat occupatum. Est puluinar diaboli otiosus homo. Nota, quòd patellam vacantem libenter petunt vicini non occupatam: sic & diabolus. Item muscæ libenter incidunt ollæ tepidæ nõ feruidæ. De tertio, dixerunt sancti in Vitis Patrum, quod monachum operantem vnus dæmon impulsat, otiosum innumeri. Est enim otiosus homo quasi vrbs absque murorum ambitu, & sicut signum positum ad sagittam, & quasi cera subitò liquescens ad ignem.

Item
- Deum à se elongat.
- Dæmonum pœnis se sociat,
- Stultum se esse demonstrat.

De primo, Iob 28. *Non inuenitur in terra suauiter vi.* De secundo, Psal. 72. *In labore hominum non sunt.* Tertium patet, quia metere vult, & non seminare. Item languens & paralyticus, & claudicans non quærit medicum, sciens se esse in aquis, non mouet manum. Vincula non vult per pigritiam soluere.

Item nimis est acediosus qui { Furem fodiẽtem parietem non repellit, Se receptaculum sordium facit. Tonitrua audiens non surgit.

De primo, Matthæi. 24. *Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret*, mors fur quotidie tollit vnum asserem: id est, vnum diem. Exemplum in Balaam de vnicorne. Senec. Incertum est quo loco te mors expectet, ideo tu illam in omni loco expecta. De secũdo. Bern. Omnium tẽtationum sentina est otium: nam occasio est luxuriæ. 2. Reg. 11. *Factum est eo tempore quo solent reges ad bella procedere, &c.* Item nugarum. Athenienses ad nihil vocabant, nisi, &c. Item curiositatis. 1. ad Timoth. 5. *Discunt circuire domos.* De tertio, Cantic. 5. *Vocaui, & non respondit mihi.* Tonuit autem Christus in prædicatione, & tonabit etiam in die iudicij.

Item piger est qui { Ad cælum non scandit, Stercora de oculo non eiicit, Iaculum de vulnere non extrahit.

De primo, Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur*, sed tardè perueniret ad locum, mouens vnum pedem hodie, per annum alterum: sic & illi quorum motus est pes intellectus, sed non affectus. De secundo, exemplum in Tob. 2. Matth. 7. *Eyce primum trabem de oculo.* De tertio, cantamus. *Peccata mea do. sicut sang.* Stultus est, qui vulnera non præcauet arma sumendo, Boëtius. Talia tibi cnosulueramus arma, quæ nisi prior abiecisses inuicta de infirmitate tuerentur.

Indeuotio nascitur ex { Remorsu conscientiæ, Cibi spiritualis esurie, Vitio superbiæ.

De primo, August. Palato non sano pœna est pa. qui sano, &c. & oculis ægris odiosa luxque puris, &c. De secundo, Psal. 101. *Aruit cor meum, quia oblitus sum come. &c.* Isti semper sunt in pasculis & macilenti manent: & hoc ideo, quia tædium habent terere aromata, & applicare olfactui. De tertio, 2. Reg. 1. *Montes Gelboë, nec ros nec pluuia ve.* Isti semper iuxta ignem frigidi manent: quia inter ipsos & solem iustitiæ ponitur mons superbiæ.

Item indeuotio nascitur ex defectu { Timoris, Amoris, Occupationis.

De primo, Ecclef. 7. *Qui timet Deum, nihil negligit.* Est enim timor Domini quasi stimulus agitans. De secundo, Gregor. Qui amat ardentius, currit velocius, & peruenit citius. Christus est ignis mobilis, & anima spiritualis subleuans hominem, & reddens agilem. Tertium patet, quia aqua ex quiete putrescit, & ferrum rubiginem contrahit.

Desperatio { Deo displicet, Dæmonibus placet, Homini nocet.

De primo, Hieron. Magis offendit Iudas quòd se suspendit, quàm quòd Deum tradidit. Secundum patet: quia homo per desperationem efficitur similis diabolo. De tertio Prouerb. 24. *Si desperaueris lapsus, in die angustiæ minuetur fortitudo tua.* Nota, nimis arctũ haberet cor, qui timeret mori fame, si mũdus plenus esset panibus. Sic qui desperat, cùm misericordia Domini plena sit terra, secundum Psalm.

Item talis { Infinito finem ponit, Fontem misericordię Dei obstruit, Deum inexorabilem credit.

De primo, August. Deus est inter omnia non inclusus, extra omnia non exclusus: quanta autem Dei est maiestas, tanta & bonitas. vnde idem, Ingenti libertate atque vbertate replet omnes creaturas pro capacitate earum. De secundo, Ans. O æternum & incessabile, clarum & dulce profluuium, cuius vnda sine ortu, pro-

fundum sine fundo, cuius altitudo incircumscriptibilis, cuius puritas imperturbabilis, Cant. 4. *Fons hortorum, puteus aquarum*. De tertio, nota quod iste credit Deum nunc crudeliorem, quàm quando latronem saluauit, Mariam Magdalenam, Paulum, Petrum, & deprehensam in adulterio.

Item remedium desperationis est consideratio { Dominicæ passionis, Diuinæ veritatis, misericordiæ virtutis.

De primo, Bernard. Duplici ratione debetur vita æterna, scilicet filiali hæreditate, & meriti virtute, ideò vnum sufficit, aliud mihi reliquit. Sic respondit diabolo volenti eum in desperationem ducere. Item desperãs vilipendit passionem Christi, quasi nõ sufficiat delere peccata. De secundo, Ezech 23. *Quæcunque hopec. &c.* Item. *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mor.* Nota quod peccator dicitur magnus propter peccatorũ magnitudinem vel multitudinem. Contra hoc misericordia Dei magna est & multa. Psalm. 50. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, &c.* Tanta verò Dei est misericordia, quod geometrici nequeunt mensurare eius magnitudinem, nec arithmetici possent numerare eius multitudinem. Ansel. Quanto Deus maior est homine, tanto mea malitia inferior est bonitate eius De tertio, Dixit beatus Martinus ad diabolum, Si adhuc ageres pœnitentiam, consequereris veniam.

FERVOR indiscretus aufert { Corpori boni operis effectũ, Spiritui affectum, Deo honorem diuinum.

Primum patet: quia arcus nimis tensus frãgitur. Exemplum de illo, qui propter nimiam festinantiam, frangit ollas. De secundo, Prouerb. 10. *Qui festinus est pedibus, offendet.* Nota quod periculosa est infirmitas quæ est ex calore. Item peius est equum habere inter hostes sine calcaribus, quàm cum calcaribus. Tertium patet, quia aufert Deo debitum sacrificium, quia sine sale. Item quia magistrum, scilicet Christum, volunt excedere: & eius obsequium fuit rationabile. Rom. 12. *Rationabile obsequium vestrum.* sis ergo animal findens vngulam.

Item tales { Diurnum bonum breuiter destruunt, Arma nimis ponderosa sumunt, Vanam gloriã in se nutriũt.

De primo, Psal. 58. *Fortitudinem meam ad te cu. &c.* Nota cùm equo subtrahitur auena, facit malam dietam. Eccles. 33. Virga, & onus, & cibus asino. De secundo, exemplum de Dauid, quando debuit pugnare. Nota nauis nimis onerata submergitur. De tertio, Bernardus: Quæ maior superbia, quàm quod vnus homo toti congregationi iudicium suum præferat, tanquam solus habeat spiritum Dei.

IRA { Imaginem Dei dissipat, Hospitium Spiritus sãcti turbat, Execrabilem se demonstrat.

De primo, Augustinus: Mansuetudo imaginem Dei in nobis seruat, qui semper tranquillus est: sed ira dissipat, & multis virtutibus priuat. De secundo, Gregorius: Dum ira animum pulsat, Spiritui sancto hospitium suum turbat. Eccles. 27. *Furor & ira vtraque execrabiles sunt.* Et dicit gloss. interlin. in conspectu Dei.

Item ira { Diabolum introducit, Se Deum ostendit, Templum Dei incendit.

Pimum patet, quia sicut in pace factus est locus Dei: sic ira locus diaboli. Secundum patet, quia vindictam, quæ Deo seruanda est, sibi vsurpat. Rom. 12. *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Vnde quidam in Vitis Patrum, Domine, non es nobis necessarius. De tertio, Psal. 73. *Incenderunt igne sanctuarium tuum*, Ioëlis 1 *Ignis comedit speciosa deserti.* Isti sunt similes draconi, qui vomit ignem.

Item

Item ira { Excæcat, Captiuat, Mortificat.

De primo, actor. 7. *Domine, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt, &c.* Item dixit Christus. De secundo, Luc. 6. *Dimitte, & dimittemini, &c.* De tertio, Iob 5. *Virum iniustum interficit iracundia,* & furiosi solent se occidere, de his Augustinus: Qui per corpus suum mittit gladium, vt lædat tunicam alterius: talis, primò deberet vindicare in seipso, quia se occidit.

Item talis { Iudicium extremum præuenit, Aures Dei sibi claudit, Infirmum se esse ostendit.

De primo, Apostolus 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare.* talis vult esse actor & iudex in eadem caussa. August. Dicit malus, Domine occide malum. Respondet tibi Deus. Quem vestrûm? imò sic orando facis te iudicem, & Deum vis esse tortorem, quod est officium diaboli. De secundo, Ecclesi. 28. *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam.* Item Luc. 7. *Duo debitores erant cuidam fœneratori, &c.* Tertium patet, quia ira tremere facit hominem, sicut febris mouens hominem decies in die. Vnde talibus infirmis potius est miserádum, quàm irascendum. Vnde vngendi sunt consolationibus, & non mortui lacerandi, sicut domus.

Item iracundus { Seipsum perdit, Stultum se ostendit, Bonum sibi malum facit.

De primo, Luc. 21. *In patientia vestra poss. &c.* Prou. 16. *Melior est patiens viro forti.* Ibidem: *Melior est patiens expugnatore vrbium.* Sancti temporalem pœnam lucrum putant, quia per hanc æternam euadere non ignorant. Secundum patet, Qui aufert tibi pallium bonæ famæ, da tunicam innocétiæ. Tertium patet, quia talis auro tribulationis obruitur, & fornace tribulationis annihilatur.

Per guerras { Fraternitas violatur, Maius periculum non precauetur, Regnum animę desolatur.

Primum patet, quia sumus omnes fratres, & Deus pater noster est. De secúdo, nota quod minores guerræ sedeant propter maiores quæ imminét, scilicet propter mundum, carnem, & diabolum. De tertio, Matth. 12. *Omne regnum in se diuisum desolabitur.*

Item per has { Beatitudo amittitur, Peccatum incurritur, Diabolus in extremis inuitatur.

De primo, Matth. 5. *Beati pacifici.* De secundo, nota quod ex talibus sequútur rapinæ & incédia. Innocentes opprimútur & pauperes. De tertio, Prou. 7. Semper iurgia quærit malus, angelus autem crudelis mittetur contra eum.

Peccatum incendij { Spiritui sancto contrariatur, Diabolo assimilatur, Stultum monstratur.

Primum patet: quia puræ malitiæ est nec quidquam excusationis habebunt in iudicio: cum enim Dominus improperabit in iudicio quibusdam: *Hospes fui, & collegistis me:* tunc istis dicet, qui non solùm non collegerunt eum, sed & expulerunt. Secundum patet, quia diabolus nunc incendit per concupiscentiam, & in inferno per pœnam. Tertium patet, quia seipsum incendit, tenetur enim ad restitutionem. Item parat sibi ignem æternum.

Homicida { Filium Dei occidit, Gladio peribit, Angelo contumeliam facit.

De primo, Matth. 23. *Vnus est pater vester, Deus.* De secundo, Matt. 26. *Omnis qui accipit gladium, gladio peribit?* Illo inquam gladio de quo Apoc. 1. *Et gladius*

ex vtraque parte acutus exibat. Tertium patet, quia occidit eũ, cui angelus est ad custodiam deputatus.

Item homicidium { Ad Deum clamat, Diabolo se assimilat, Christum inhonorat.

De primo, Gen. 4. *Ecce vox sanguinis, &c.* De secũdo, Ioan. 8. *Ille homicida erat.* Tertium patet ex eo, quod naturam quã Christus assumpsit, iugulat, & imaginem ad quam homo factus est, dissipat.

Remedia iræ sunt, { Silentij obseruatio, Mollis responsio, Dominicę passionis recordatio

De primo, Prou. 26. *Cum defecerint ligna, ignis extinguetur.* Nota quod ex collisione duorum lapidũ elicitur ignis: sic ex amaris verbis duorum ira. De secundo, Prou. 15. *Responsio mollis frangit iram.* Eiusdem 26. *Quasi qui canem auribus apprehendit, sic, &c.* Rom 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* De tertio, Greg. Si passio Domini ducitur ad memoriam. Vnde respicientes serpentem æneum.

Inuidus { Per lumen excæcatur, De vita moritur, Diabolo assimilatur.

Primum patet, quia ad bona proximi torquetur: vnde comparatur noctuę, quę lumen diei non potest sustinere. Secundum patet: quia sicut omnia munda mũdis, sic omnia istis nociua, sicut febricitanti boni cibi sunt contrarij. De tertio, Sapient. 2. *Inuidiâ diaboli intrauit mors.* nimis esset inuidus qui vellet erui oculum, vt alij sic fieret: sic facit diabolus; & isti per hoc quod aliis inuident, sibi magis nocent. Vnde nota exemplum de inuido & auaro. Sicut ergo dicit Domin⁹. Ioan. 13. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis:* sic potest diabol⁹ dicere de inuido.

Item inuidia { Proximum occidit, De vuis spinas colligit, Sen[s]us corrumpit.

De primo, Gen. 37. *Fera pessima deuorauit filium meum,* hæc enim occidit Abel, & Ioseph vendidit, nec Domino Iesu Christo pepercit. vnde Marc. 15 *Sciens quod per inuidiam tradidissent eum.* De secundo, Senec. Vtinam inuidi omnium oculos & aures haberent, vt de omnium profectibus torquerentur. Tertium patet, quia amara dulcia facit, & ècõuerso. Esa. 5. *Væ qui dicitis bonum malum.*

Item contrariatur { Spiritui sancto, Tollit bona proximi. Morẽ gerit perfidi.

Primum patet: quia diuinitas omnia bona communicat, & bonum hominis sibi placet, mala verò displicent. De secundo Hugo de sancto Victore: Superbia aufert mihi Deum, inuidia proximum, ira meipsum. August. Quidquid in alio diligo, meum facio, bonum vel malum. Tertium patet, quia facit vt canis mordens à tergo, cum cauda blanditur in facie, & sicut fur qui subtrahit occulte, & sicut perfidus homo qui lædit alium, qui non contradicit ei prius, & talis magis nocet. Greg. Iacula quæ præuidentur minus feriunt.

Superbia { Diabolo assimilatur, Gloriam Dei vsurpat, Perfectos impugnat.

De primo, Iob 41. *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* Vnde est signum per quod diabol⁹ suos cognoscit, sicut Christus suos per charitatem. De secundo, Esa. 42. *Gloriam meam, alteri non dabo.* De tertio, August. Superbia etiam bonis operibus insidiatur vt pereant, vnde est quasi turris Babel, ad cælum, id est, cælestes viros pertingens, inexpugnabilis vt castrum in alto situm.

Item superbia { Deo odibilis, Proximo detestabilis, Sibi damnabilis.

De primo, Eccleſ. 25. *Tres ſpecies odiuit anima mea*, &c. Pauper ſuperbus eſt homo reſpectu angeli. Secundũ patet, quia ſubueniendum eſſet pauperibus de talibus, quibus mulieres ornatæ ſunt, quaſi laqueus, & rete, & hamus, & gladius, & ſagitta diaboli. De tertio, Apocal. 18. *Quãtum glorificauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.* Item amittit quod expendit in huiuſmodi.

Item ſuperbia { Bona expellit præſẽtia, Excludit abſentia, Falſificat omnia.

De primo, Greg. Superbia virtutes deſtruit. De ſecundo, 2. Reg. 1. *Montes Gelboë, nec*, &c. De tertio. Eccl. 13. *Qui tangit picem, inquinabitur ab ea*, eſt autem ſuperbia quaſi cuprum diaboli, quo falſificatur moneta Chriſti. Aug. Superbia etiã bonis operibus inſidiatur, vt pereant.

Item ſuperbia { Auxilium Dei ſubtrahit, Alia vitia parit, Homines deijcit.

De primo, Hugo de ſancto Victore. Superbia aufert mihi Deum. De ſecũdo, Eccleſ. 10. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia*, ſcilicet hæreſis, contẽtionis, rapinæ, &c. vnde nõ venit ſola, ſed cum exercitu quaſi regina vitiorum. De tertio, exemplum in Lucifero & Adam, Lucæ 14. *Qui ſe exaltat, humiliabitur.* Scandentes libenter cadunt: & qui ſe eleuant, ſub oſtio humiliter lædunt caput.

Item ſuperbia { Memoriam hominis annihilat, A Deo elongat, Deum impugnat.

De primo, Eccleſ. 10. *Memoriam ſuperborum.* Pſal. 33. *Vt perdat de terra memoriam eorum.* De ſecũdo, nota quod elongatio à Deo eſt diſſimilitudo. Chriſtus autem fugit ne fieret rex. De tertio, nota quod quando alia cauentur, tunc iſtam præcipuè exercent homines: ſcilicet ſacro loco, & ſacro tempore.

Item ſuperbia { Hominem confundit, Apoſtatam facit, Ordinem Dei peruertit.

De primo, Eſa. 3. *Erit pro Zona, &c.* De ſecundo, Eccleſ. 10. *Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à Deo:* quia votum iſtud tranſgreditur, Abrenuntio Satanæ. De tertio. Eccleſ. 3. *Eſt tempus flendi, & tempus ridendi.* Præterea iſti ancillam ornãt, dominam nudant: præterea mulieres cõtra naturæ ordinem cornua ſibi faciũt & caudas. In Vitis Patrum, quomodo diabolus equitauit ſuper cauda talis.

Item ſuperbia { Hominem decipit, Scandala tendit, Stultitiam facit.

De primo, Matth. 23 *Sepulchra dealbata.* De ſecundo, nota mulieres videntes hoc, inuident, & quærunt ſimilia; & maritis ſuis ſunt moleſtæ, vt veſtiantur permittẽtes eos fieri vſurarios. Pſal. 139. *Iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.* Tertium patet, quia magna pro paruis vendũt, ſcilicet laude. Item ſtultus eſſet qui iudicaret equum ſuum ornatum fele. Item tales plus laborant vt oculos hominum reficiant quàm ſuum ventrem.

Item ſuperbia { Inflat, Captiuat, Damnat.

De primo, Sap. 4. *Dirumpet illos inflatos.* Nota, inflati non poſſunt currere: ita nec iſti ad regnum cœlorum. De ſecũdo, nota quod aues cum magnis pedibus capiuntur de facili cum laqueis. Item iſti capillos nutriunt, & veſtes multiplicant vt teneri poſſint à diabolo.

Item iſti offendunt { Deum, Sanctos, Angelos.

Primum patet, quia templum Dei incendunt: id eſt, corda intuentium. Pſalm. 73. *Incenderunt igne ſanctuarium tuum*, Item vexillum inimici ſui, id eſt, diaboli, ponũt in caſtro ſuo, & deponitur ſignum Chriſti, id eſt, crucis. Secundum patet, quia in feſtis ſanctorum ſe ornant. Eſa. 3.

In die illa auferet. Tertium patet, quia clientulos angelorum mortificant.

Superbia vestium reprehenditur { Pretiositate, Mollitie, Superfluitate.

De primo, Luc. 16. *Induebatur purpurâ & bysso.* Contra secundum, est consideratio vestium infernalium. Esa. 14. *Subter te sternetur tinea.* De tertio, Iacob. 5. *Vestimenta vestra à tineis comestæ sunt.* vnde perticæ clamare possunt in die iudicij, quia nimis onerabantur. Nota quod pellis catti comburitur, ne aliquis furetur, propter pulchritudinem ergo prædicantur vestes.

Item vestis reprehenditur ex { Colore, Forma, Ostensione.

De primo, Esa. 13. *Facies combustæ vultus eorum.* Eiusd. 3. *Erit pro Zona funiculus,* &c. De secundo, Genes. 3. *Fecit eis tunicas pelliceas.* Nota quod artifex dolet, cuius forma alteratur: Sic Dominus indignari potest nobis. Contra tertium, quia in Christo apparuit humanitas, latuit quod nobilius fuit, scilicet diuinitas. Nota quod circulus est signũ vẽditionis vini, & frondes in capite signum venditionis equi.

Hypocrita { Homines decipit, Duplicitate viuit, Diabolum se facit,

De primo, nota quod assimilatur vulpi, & falsæ monetæ, & simulacro in horto. De secundo, Deut. 21. *Non indueris veste,* &c. talis comparatur simiæ quæ imitatur actus humanos, non tamen est homo. De tertio, 2. Cor. 11. *Angelus satanæ transfigurat se,* &c. vnde est quasi dæmonium meridianum.

Item hypocrisis { Animam deturpat. Spiritum sanctum fugat, Conspectu Dei se priuat.

Propter primũ comparatur sepulchro dealbato, & mirum est, quia omnia sua sunt munda, ipse autem turpis. *Tales lauant de foris quod calic.* &c. De secundo, Sap. 1. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* De tertio, Iob. 13. *Non veniet in conspectu eius omnis hypocrita.*

Item hypocrita { A Deo maledicetur, In iudicio confundetur, Martyr diaboli efficitur.

De primo, Matth. 23. *Væ vobis hypocritæ.* Nota de secundo, quod accidit ei, sicut coruo, qui accommodauit pennas ab omnibus auibus; quibus ablatis, confusus stetit. De tertio, nota quod isti portant crucem sicut Simon Cyrenæus. vnde propter te mor. tota die.

Item { Virtutes in se corrumpit, In infernum se demergit, Lupum se constituit.

De primo, Luc. 12. *Attendite à fermento Phar.* Isti sunt quasi arbores cum foliis sine fructu. De secundo, Apoc. 6. *Ioannes vidit equum pallidum, & infernus sequebatur eum, & qui sedebat super eum, nomen illi mors.* Sic isti sunt equus pallidus per sanctitatem quam prætendũt. Matt. 6. *Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes,* & mors, id est, diabolus equitat eos, infernus autem sequitur: id est, æterna damnatio. De tertio, Matth. 7. *Veniunt in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*: quia hypocritæ spoliant homines.

Mala locutio { Angelos fugat, Pyxidẽ Christi deturpat, A gratia cor euacuat.

De primo, exemplum in Vitis Patrum, de porcis, qui venerunt, &c. Secundum patet, cum enim homo communicat os suum, quasi pyxis Christi est. De tertio, Eccles. 20. *Gratiæ stultorum effundentur.*

Item mala locutio { Nocet loquenti, Nocet audienti, Et illi de quo fit sermo.

Primum patet, quia talis aperit inimicis suis portas castri sui, Ierem. 9. *Intrauit mors per fenestras.* De secundo, Iac. *Lingua inquietum malum est.* Propter tertium comparatur gladio & sagittæ, quia nocet à remotis. Psal. 139. *Acuerunt linguas suas sicut serpentes.*

Item { Vagum reddit, In iudicio confundit, In inferno punit.

De primo, exemplum in equo sine fræno, & naui sine gubernaculo, & momento in statera, quod inclinatur vbi maius est pōdus: sic qui de terra est, de terra loquitur. De secundo, Matth. 12. *De omni verbo otioso*, &c. ergo & de nociuo. De tertio, Luc. 16. *Mitte Lazarū, vt intingat*, Apoc. 16. *Commanducauerunt linguas suas præ dolore.* Propter hæc omnia tribus annis quidam portauit lapidem in ore, ne verbis excederet. Nota etiam exemplum de duabus mulieribus in Vitis Patrum, quæ disponebant non loqui secularia.

BLASPHEMIA { Essentialiter damnat, Subito mortificat, Insanum demonstrat.

De primo, Matth. 12. *Spiritus blasphemiæ non dimittetur.* De secundo, patet, quia sæpe videtur quod vel exilit oculus, vel lingua punitur. Exēplum de illo, qui voluit sagitare Deum, & sagitta rediit cruentata. Tertium patet, quia canis non mordet Dominum suum, nisi sit rabidus.

Item talis { Iudæos superat, Deum sine causa inhonorat, Mala pro bonis donat.

Primum patet: quia Iudæi blasphemāt tantum mortalem & ignoranter, iste immortalem & scienter. Item peior est bufone & serpente, quia omnis creatura Deum laudat suo modo, iste autem vituperat. De secundo, Ierem. 2. *Quid inuenerunt in me patres vestri?* Item Michææ 6. *Popule meus quid feci tibi?* &c. vnde homo facit Deo quod non faceret garcioni. De tertio. Psal. 34. *Retribuebant mihi mala pro bonis.*

Item talis { In statuam salis se conuertit, Ordinē diuinum peruertit, De alieno se intromittit.

De primo, in Vitis patrum, Qui querulosus est, monachus nō est: quasi dicat, idolum est, siue statua & simulachrum. Secundum patet, quia plus ponderat pabulum quàm pacem: mirum esset, si mortuus loqueretur vel iumentum. Ipsi autē tales sunt. Psal. 72. *Vt iumentum factus sum.* Sed isti assueti monstris, vt Balaam non curant. De tertio, Bern. Qui curam vestri semel nobis commisisti, &c.

MVRMVRATORES in claustro. { Fel in escam Dei ponunt, Vacuos gratia se ostendunt, De alieno se intromittunt.

De primo, Psal. 68. *Dederunt in escam meam fel.* Secundum patet: quia crepant ad ignem tribulationis, sicut vasa vacua. Item vt currus non vnctus, murmurant. Eccles. 33 *Præcordia fatui quasi rota carri*, de hoc potest dici: Ecce homo plenus querela, falsus Dei cultor. De tertio, Bernard. Dominus docet animas in hoc mūdo perdere, hypocritas saluare, cuius cōsilio acquiesces, cuius vis esse discipulus. Idem, Puta te quæso esse monachum nō medicum.

PERIVRVS { Manum diabolo porrigit, Sigillum Domini corrumpit, Peiorem diabolo se ostendit.

Primum patet, quia manum contra Deum extendit: vnde quando talis se benedicit, hoc manu diabolo facit. Secundum patet, quia scripturam sanctam vel reliquias ducit in testimonium de falso. Vnde excommunicatus est, sicut qui bullam Domini Papæ falsificat. Tertium patet similiter: quia licet diabolus sit mendax & pater eius, non tamē periurus est.

MENDAX { Deum contemnit, Proximum fallit, Seipsum lædit.

Primum patet, quia veritatem necat, Deum autem est Veritas. Secundum patet, quia est velut denarius falsus, maximè enim fallit in mercationibus. Vnde Cain legitur primus mendax, qui interpretatur maledictionē passus. De tertio, Ac. 5.

De Anania, &c. Sap. 1. *Os quod mentitur, occidit animam.*

Item { Diabolo assimilatur, Filius diaboli ostenditur, In lingua punietur. }

De primo, Ioan. 8. *Mendax est, & pater eius.* Gen. 3. *Nequaquam moriemini,* &c. De secundo, Ioan. 8 *Vos ex patre diabolo estis.* De tertio, Sap. 11. *Per qua quis peccat, per hac & punietur.*

BILINGVIS est { Deo odiosus, Sibi damnosus, Proximo monstruosus. }

De primo, Prou. 8. *Os bilingue detestor,* &c. quia tales sunt apostoli diaboli: loquuntur enim variis linguis. De secũdo, Eccles. 28. *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes.* Iste est similis serpẽti qui tortuosum habet incessum, quia modò mouetur huc amicabiliter loquẽdo, modò illuc detrahendo, vel deridẽdo. Tertium patet, quia duplicem videtur habere linguam. Vnde exemplum in Aniano, de illo qui propter duplicem flatum expulsus est. Genes. 27. *Vox quidem vox Iacob.* vnde versus: *Si Deus elinguem faceret quemcunque bilinguem.* Vnaquaque die multi fierent Zachariæ.

SEMINATOR discordiæ est { Odibilis Deo, Similis diabolo, Damnandus in iudicio. }

De primo, Prou. 6. *Septimum detestatur anima eius,* &c. Et est ratio: quia ipse pro concordia voluit mori, & videtur peccatum in Spiritum sanctum. De secundo, Ioan. 10. *Lupus rapit & dispergit oues.* De tertio, Apost. Gal. 6. *Qua enim seminauerit homo, hæc & metet.*

DERISOR { Deo exprobrat, Se damnat, Proximum irritat. }

De primo, Prou. 14. *Qui deridet pauperem exprobrat,* &c. Hi sunt vulpeculæ quæ demoliuntur vineas, id est, bonos, imò quasi bufones non sustinẽt odorem florentis vineæ. De secundo, Matth. 5. *Qui dixerit fratri suo fatue.* De tertio, Exod. 22. *Si egressus ignis inuenerit spicas,* &c. Et post: *Reddet damnum, qui ignem succenderit.* sed iste cor proximi incendit. Isti etiam quasi noctuæ lucem odiunt: & vt Pharao, & Herodes, paruulos, id est, nouiter conuersos occidunt.

MALEDICVS { Regnum cœlorum amittit, Seipsum interficit, Vacuum gratiâ se ostendit. }

De primo, 1. ad Cor. 6. *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* De secundo, Prou. 26. *Qui voluit lapidem, reuertetur ad eum* August. Dicit malus, Domine, occide me. Vilis esset sagitta, quæ emissa pertineret sagittantem. Tertium patet; quia quod est in vase, de vase egredietur. vnde sicut facit, sic fiet ei in iudicio. Gen. 27. *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus.* Detractionis tria distinguentur genera super illud Psal. 100. *Detrahentem secretò proximo suo.*

Gaudent { Malum de aliquo dicere, Audita mala cum augmento referre, Detractiones libẽter audire. }

De primo, Leu. 19. *Non maledices surdo.* Talis est vt canis rabidus mordens retrò. Eccles. 19. *Sicut sagita in femore canis.* De secundo, Luc. 19. *Carnem cum sanguine non comedetis.* De tertio, dicit Bernard. Nescio vtrum maius peccatum sit, detrahere vel detrahentem audire.

Item detractor crudelis est { Sibi, Deo, Proximo. }

Primum patet, quia os inquinat, Psal. 5. *Sepulcrum patens est guttur eorum.* vnde comparatur porco qui rostrum ponit in stercore, & ciconiæ, quæ venenosis animalibus pascitur. Secundum patet, quia bonos qui Dei sunt, malos esse dicit: vnde peiores sunt inferno qui tãtum malos deuorat. De tertio, Eccl. 10. *Si mordeat serpens in silent.* &c. in sexta feria comĕ-

dunt carnes, imò vno morcello hominem deuorant, dicentes: Ille nullus est.

Item detractor { A Domino maledicitur, Furi comparatur, Stultus ostenditur.

De primo. Gen. 4. *Maledictus Cain*: talis vrso comparatur, Daniel 7. qui habebat tres ordines dentium: quia iste sibi nocet, & auditori, & ei cui detrahit. De secundo, Ambr. Tolerabiliores sunt qui vestes diripiunt, quàm qui famam nostrā lacerāt: imò quasi lupi qui oues errantes inuadunt, quæ potius essent reducendæ. De tertio, Matth. 7. *Eiice primum trabem de oculo tuo*. Item nota, quod vnius hominis testimonium, vel vilis, non est accipiendum. Seneca. Non refert de his garsionibus aut superioribus, quia nō minus à superiori quàm ab inferiori ferent.

Adulator { Deum gloriâ suâ priuat, Proximum in peccato ligat, Contra se maledictionem congregat.

De primo, Apostolus 1. ad Timoth. 1. *Soli Deo honor & gloria*. Secundum patet: quia est quasi cæmentum quo peccator linitur, vt fortior sit in malo. Esa. 3. *Popule meus qui te beatum*, &c. De tertio, Esa. 5. *Væ qui dicunt bonum malum, & malum bonum*. Ex isto patet quod sunt incātatores diaboli: quia dicunt bonum malum, & èconuerso. sed nota quod qui laudem non habet, laudare non potest.

Item talis { Nutritor diaboli dicitur, Sacerdos eiusdem ostēditur, Proditor esse probatur.

De primo, Prou. 1. *Fili, si te lactauerint peccato*. &c. De secundo, Gregor. Tunc mortuus mortuum sepelit, cùm peccator peccatorem aggere adulationis premit. Inungitur etiam oleo in extremis. Psal. 104. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*. De tertio, Luc. 22. *Osculo filium hominis tradis*. Prou. 27. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula*.

Per iactantiam homo { Proprios filios occidit, Gratiam Dei effundit, Idolum seipsum facit.

Primum patet: quia bona opera sunt filii Dei quæ per iactantiam amittimus. De secundo, Eccles. 10. *Gratiæ stultorum effundentur*. istis cōtingit sicut gallinæ, quæ cum facit ouum cantat, & sic amittit. Tertium patet: quia seipsum colit per iactantiam. Nota, quòd duo sunt in bono opere, gratia videlicet & vtilitas. Vnum Deus sibi tenuit, & aliud nobis dedit. Si ergo Deum fraudamus in parte sua, ipse fraudabit nos in parte nostra.

Multiloquium { Iustificationē impedit, Peccatum inducit, In iudicio punit.

De primo, Iob 11. *Nunquid verbosus iustificabitur?* quia vbi multum est de palea, parum est de grano. De secundo Eccles. 10. *In multiloquio peccatum non deerit*. De tertio, Matth. 12. *De omni verbo otioso*, &c. propter ista, equo est frenum ungendum, & vineæ sepes,

Item multiloquium { Pacem dissipat, Hominem præcipitat, Diabolo viam parat.

De primo, Prou. 26. *Qui imponit stulto silentium, iras mitigat*. Vnde gladius acutus in vagina seruandus est. Psalm. 56. *Lingua eorum gladius acutus*. & fera crudelis incarceranda est Iacob. 3. Linguam nullus hominum domare potest. Secundum patet, quia fouea cauenda est, in qua sæpe cadēs collum fregit. De tertio, Iob 20. *Quasi rupto muro*. &c.

Fractio silentij { Cōtēplationē impedit, Furem facit, Tempus amittit.

De primo, Thren. 3. *Sedebit solitarius & tacebit & leua*. Nota: foramina obstruenda sunt, ne virtus vini euaporet. Secundum patet, quia lingua religiosi prælato est tradita: vnde si loquatur sine licentia, violator templi videtur, vel fur. Nota si brutum animal loquatur, mirum videtur. Psalm. 72. *Vt iumentum factus sum*

De tertio, Greg. Licet fabulari, aiunt, donec hora pertrāseat, quam sibi ad pœnitentiam agendam ad obtinendā veniā, ad quærendam gratiam, ad promerendā gloriam miseratio conditoris indulserat. Nota, quod lingua religiosi est calamus Spiritus sancti, quo non debemus inutiliter vti. Psal. 44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.*

Singularitas { Deo priuat,
Mentem sordidat,
Animam mortificat.

De primo, Thren. 1. *Quomodo sedet sola ciuitas?* De secundo, Bern. vbi angulus, ibi sordes. De tertio, Aug. Vbi singularitas, ibi angelus.

Item { Lucem fugat,
Maledictionem ostendit,
Exemplum bonorum destruit.

De primo, Ioann. 3. *Qui malè agit, odit lucem.* Numer. 11. *Extrema castrorum consumpsit ignis.* talis comparatur vespertilioni. De secundo, Eccles. 3. *Væ soli ecōuerso, Ecce quàm bonum & quam iucundum*, &c. Bernard. Arbitror quod tu qui in cōgregatione es, &c. De tertio, Apost. 1. ad Cor. 9. *Omnibus omnia factus sū*, &c.

Suspicio { Iudicium contra se prouocat,
Officium diuinum vsurpat,
Plus alios, quàm se, curat.

De primo, Matth. 7. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Secundum patet: quod solus Deus nouit intentionem hominis. De tertio, Bernard. Integritatis tuæ, &c. talis alienum hortum colit, suum relinquit.

Item { Spiritui sancto detrahit,
Tempus iudicij præuenit,
Stultum se ostendit.

De primo, Ambrosius: Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Act. 2. *Factus est repente de cœlo sonus.* Gregor. Qui videtur malè facere, subitò potest bonus esse. De secundo, Apostolus 1. ad Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare.* Tertium patet: quia stultus est, *qui trabem habens in oculo, &c.* Item *qui glutiens camelum*, &c.

FINIS.

PRIMA PARS PRINCIPALIS DE VIRTVTE IN COMMVNI.

CAPVT PRIMVM.

Quòd expediat Virtutem commendari.

S*I separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris*: Hier. 15. Pretiosum est anima: Prouerb. 9. Mulier animam viri pretiosã rapit. Ideo filius Dei seipsum pretium animarum posuit, ne animæ nobis vilescerent. Pretiosæ etiam sunt virtutes: Bern. Veræ diuitiæ non sunt opes, sed virtutes, quas secum conscientia portat vt in perpetuum diues fiat. Vile verò est corpus, animi enim pondus ac pœna est, vt ait Senec. Immò quod plus est, factum est immunditiès & materia propinqua vermium. 1. Mach. 2. *Gloria impij, stercus & vermis.* Gloria impij vocatur corpus. Vilia etiam sunt bona temporalia, etiam quæ pretiosiora videntur. Aurum enim & argentum (secundùm Bernard. in quodam sermone de Aduentu) sunt terra rubra & alba, quæ solus error hominum facit, aut magis reputet pretiosa. Sap. 7. *Omne aurum in comparatione ipsius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Pretiosum à vili separat, qui pretiositatem virtutum ostendit, & temporalium vilitatem, & animam ab amore temporalium seiungit, & ad amorem virtutum inducit: & talis quasi os Dei est. Saluator enim os suum aperiens, doctrinam suam à contemptu temporalium inchoauit, dicens Matth. 5. *Beati pauperes, &c.* Et de amore virtutis subdidit: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, &c.* Vnde doctrina quæ contemptũ temporalium inducit, & ad amorem virtutis allicit, quasi processisset ex ore Dei habenda est. Frater Guido Carthunensis: Rationalis creaturæ vera perfectio est, vnamquamque rem tanti habere quanti habenda est. Senec. Quid tam necessarium quàm pretia rebus im-

Moralis doctrinæ partes sunt tres. ponere? Secundùm Senec. tres sunt partes moralis doctrinæ. Prima rebus dignitates distribuit, & pretia imponit, maximè vtilis. Secunda impetum animi reprimit. Tertia actionem regit: ostendens quando vnumquodque & vbi, & quemadmodum agi debeat. Ideò commendationi virtutis in hac prima parte operis insistemus, vt eius pretiositas appareat, & vt ad amorem eius homines alliciantur. Magna enim pars bonitatis est, vt ait Senec. velle fieri bonum. Et August. Socratis sententia est, quibus hominibus satis persuasum esset vt nihil mallent se esse quàm bonos viros, his reliquam facilem esse doctrinam. Virtus commendatione indiget: quia hęc thesaurus est absconditus in agro cordis: qui ideo non quæritur, quia ignoratur, Matth. 13. Est etiam velut lapis pretiosus qui conculcatur ab his à quibus virtus eius ignoratur. Eccles. 6. *Quasi lapidis virtus probatio erit in illis:* hoc est dictum de sapientia, quæ est de sapore virtutum condita scientia, quem reprobant & despiciunt qui eius virtutem non agnoscũt. Matth. 7. *Neque mittatis margaritas ante porcos, nè fortè conculcent eas pedibus suis.* Ex ignorantia pretiositatis virtutis accidit, quod ipsa adeo despicitur, quòd si esset venalis, non inueniretur qui eam emeret. Senec. Bona mens nec commodatur, nec venditur. Et puto si venalis esset, non haberet emptorem: at mala quotidie emitur. Gregor. Carnalium mentes bona pensare non valent nisi quæ carnaliter vident. Aug. Vix est aliquis qui diligat interiora bona quæ sola diligenda sunt: cæteris autem ad necessitatem vtendum, non ad gaudium perfruendum est. Virtus quia non agnoscitur, ideò à Deo non petitur nec accipitur, qui paratus est eam dare si esset qui desideraret eam accipere. Hebr. 12. *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.* Et 1. Pet. 1. *Sperate in eam quæ vobis offertur gratiam.* Extentam habet Deus manum dexteram ad largiendum bona spiritualia, sed non est qui accipiat. Omnes enim ad finistram aspiciunt, vt inde temporalia recipiant. Commendationi verò virtutis aliqua, quæ pertinent ad eius notificationem, breuiter præmittemus.

Margin notes: 1. 2. 3. — Virtus laudanda. — Quare virtutes non appetantur.

Capvt II.

De notificatione Virtutis.

Notandùm ergo quod nomen virtutis antiquitus fuit solius fortitudinis, vt ait Tullius. Ratio verò huius hæc est: quia non statim innotuit hominibus virtuositas aliarum virtutum: sed virtuosi semper apparuerunt, qui laboribus & doloribus non facilè vinci potuerunt. Sed post experientia docuit, animum habere multa certamina contra diuitias, delicias & honores, quorum victoria difficilis est & vtilis: vnde & virtuosi nominati sunt, qui tales vincere potuissent. Item notandum, quòd nomen virtutis in canone Sacræ scripturæ vt frequentius sumitur pro fortitudine, vel pro potentia, vel pro opere mirabili. Ratio autem prout hîc de ea intendimus. Sed quod Philosophi in morali doctrina virtutem vocant, Scriptura sacra vt frequentius, gratiam nominat. Ratio autem huius diuersitatis hæc est. Virtus duplicem habet comparationem. Vnam ad id à quo est, scilicet ad Dei liberalitatem, cuius donum est, & sic dicitur gratia. Et est gratia donum à Deo gratis datum, habentem se, Deo gratum faciens: & opus eius Deo gratum reddens. Aliam comparationem habet Virtus ad id quod ab ea est, scilicet ad opus suum: & sic vocatur Virtus: & sic nominant eam Philosophi faciem habentes ad donum Dei, & dorsum ad datorem. Aug. 4. lib. Conf. Dorsum habebant ad lumen, & ad ea quæ illuminant faciem, & ipsa facies, quâ illuminata cernebam, non illuminabatur. Philosophi fuerunt propriæ gloriæ amatores, & diuinæ gloriæ neglectores, de propriis viribus confidentes, conditori suo

gratias non agentes; secundùm illud dictum de ipsis. Rom.1. *Non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis.* Sancti verò faciem habentes ad lumen, in lumine Dei agnoscunt insufficientiam suam. 2. Cor.3. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Item agnoscunt boni ad quam tendimus eminentiam, quod supra vires nostras est. Vnde super illud Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, &c.* dicit glossa. Grandis violentia est in terra nasci, & cœlum rapere, & habere per virtutem quod per naturam non possumus. Agnoscunt etiam hostium inuisibilium præeminentiam secundùm potestatem & statum malitiæ. Iob.40. *Non est potestas super terram quæ comparetur ei.* Nos quasi locustæ sumus, & ipsi velut gigantes. Numer. 13. *Vidimus monstra filiorum Enac de genere gigantaneo: quibus comparati locustæ videbamur.* Origenes. Vult Dominus Iesus mirabiles res facere: vult enim de locustis superare gigantes, & de his quæ in terra sunt, cælestes vincere nequitias. Ideò sancti intelligentes adiutorium gratię adeo eis esse necessarium, vt sine eo nihil possint, neque bonum agere, neque tueri: oportet enim gratiam præuenire vt velint, & subsequi ne inaniter velint, secundùm Greg. Parum enim prodest homini bonum velle, nisi tentanti postea possit resistere, & tueri bonum quod acquisitum est, omnia Deo attribuunt, & radicem meriti, virtutum scilicet, & præmium, non videntes nec in se, nec in alio bonum aliquod, nisi gratiam Dei. 1.Corinth.15. *Gratia Dei sum id quod sum.* Et Ioannes testatur se vidisse Iesum plenum gratiæ. Ioan.1. Et Angelus Mariam plenam gratia nominat Luc.1. Et Gabriel monet natum ex sterili Ioannem vocari, quod gratiam sonat Lucæ 1. Anima ex se sterilis secundùm naturam, non potens ad meritum regni æterni, gratiam Dei reputare debet tam meritum quàm præmium. Rom.6. *Gratia Dei vita æterna.* Gloss. Confitendũ est gratiam Dei vitam æternam vocari: quia his meritis redditur quæ gratia contulit homini. Simile Ioãn. 1. *Gratiam pro gratia.* Et initium boni & finis gratia est. August. in libr. de Correctione & gratia. Desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est. Psalm. *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Apocalyp. 4. *Viginti quatuor seniores mittebant coronas suas ante thronum, ostendendo sedenti in throno deberi honorem, quòd coronas recepissent.* Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Esa. 26. *Omnia opera nostra in nobis operatus es Domine.* Ro. 7. *Velle adiacet mihi, adiacet, inquã quasi infirmum: perficere autem bonum non inuenio.* 1. Corinth. 15. *Abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Philipp. 2. *Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere.* Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Et notandum quòd virtus dicitur à vi, vnde Dominus vocat virtuosos violentos. Matth. 11. *Violenti rapiunt illud.* Et Luc 16. loquens de regno cœlorum: *Omnis enim in illud vim facit.* Virtuosus tripliciter vim facit sibi. Primò, ardua aggrediendo, & quæ sunt supra hominem. Secundò, aduersa patiendo. Acto. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Tertiò, à placitis abstinendo. Genes.8. *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Ideo quasi cum quadam violentia oportet hominem ab his quæ sibi placent compesci. Ouidius in Epistol. Est virtus placitis abstinuisse bonis. Vel dicitur virtus quasi viri status, siue virilitas, virtus enim est perfecti animi, & ad rectas operationes robusti: sicut virilis ætas est corporis robusti & perfecti. Item notãdum quòd sicut dicit Tullius in libro de Offic. Virtus & honestas nomina diuersa sunt: res autem subiecta prorsus eadem. Honestum verò est quod sua vi ad se nos allicit & dignitate trahit: vt idem Tullius dicit 1. Rhetoric. Honestus vero dicitur

aliquis eò quòd nihil habeat turpitudinis: vt dicit Isidor. in libro Etymolog. Et subdit: Nam quid est honestas, nisi honor perpetuus, & quasi honoris status? Vnde hominibus virtuosis & honestis honor maximè exhibendus est. Inueniuntur in scripturis multæ descriptiones virtutis: de quibus ad ipsius maiorem declarationem aliquas ponemus, & exponemus.

CAPVT III.

De descriptionibus virtutis.

VIrtus sic describitur in libro de Spiritu & anima. Virtus est habitus mentis bene institutę. Et intellige mentem bene institutam, ad similitudinē regni quod bene institutum est, si rectè in eo consulatur, & rectè imperetur, & rectè obediatur. Sic mens bene instituta est, quum ratio rectè consulit, voluntas rectè imperat, & vires subiectæ voluntati rectè obediūt. Hanc bonam institutionem virtus in mēte facit. Ipsa enim rationem illuminat, & voluntatem de seruitute vitiorum ad imperium sublimat. Sine virtute mens pueriliter regitur. Vnde væ ei. Ecclesiast. 10. *Væ tibi terra cuius Rex puer est.* Sine ea regum mentis simile est regno Roboam, qui potius acquieuit cōsilio iuuenum imprudentum, quàm consilio senum. 3. Regnum 21. Sic vbi virtus non est, derelicto cōsilio rationis, sensibus acquiescitur: vbi virtus non est, quod debuit in homine seruire, imperat, non sine magna inordinatione. Prouerb. 19. *Non decet seruum dominari principibus.* Et eiusdem 30. *Per tria mouetur terra* (idest, turbatur) *& quartum* quod *non potest sustinere, per seruum quum regnauerit.* Virtus facit in regno mentis partem nobiliorem regnare, & tunc beata est anima. Ecclesiast. 10. *Beata est terra, cuius rex nobilis est.* Ipsa solium iudicij rationi reddit: ex quo sequitur dissipatio omnis mali, Prouerb. 20. *Rex qui sedet in solio iudicij, intuitu suo dissipat omne malum.* Virtus veram nobilitatem in anima perficit, quam natura inchoauit. De initio nobilitatis, ait Seneca: Quis est generosus? Ad virtutem à natura bene dispositus. De perfectione dicit Hieronymus. Sola apud Deum libertas est, non seruire peccatis: summa apud eum nobilitas, clarere virtutibus. Item virtus sic describitur ab Augustino, in libro de quantitate animæ: Virtus est æqualitas quædam vitæ vndiq; consonans rationi. Virtus vitæ æqualitatem facit: quia secundùm Senecam, animum reddit asperis blandisque inuictum, neutri se fortunæ submittentem, quem nulla vis frangat, quem nec attollat fortuna, nec deprimat. Tullius: Præclara est æqualitas in omni vita: idem cui semper vultus, eademque frons: vt de Socrate accepimus. Virtus in vtráque fortuna par est: virtutem materia non mutat, nec peiorem facit dura aut difficilis: nec meliorem, hilaris & læta, vt ait Seneca, virtus per omnia consonat rationi. Vnde Bernardus in Epistol. ad fratres de monte Dei: Virtus est ad iudicium rationis vsus liberæ voluntatis. Seneca: Humanis virtutibus regula vna est ratio recta.

Virtus etiam sic describitur à Philosopho. Virtus est habitus animi, modo naturæ consentaneus rationi. Ad opera virtutum, Primò incitat nos natura. Secundò, ratio. Tertiò, gratia. Verbi gratia. Natura incitat vt subuenias proximo indigenti. Idem etiam ratio dictat, quia similis indigentia potest tibi accidere, in qua velles idem tibi fieri. Gratia verò hoc suadet tibi, quia proximus est Dei imago, Dei filius: vel ad hoc creatus, vt in æterna beatitudine sit tibi socius. De instinctu naturæ dicit Tullius: Sunt nobis innata virtutum initia, quæ si adolescere liceret & pateremur, nos ad beatitudinem cum diuino munere ipsa natura perduceret. Idem: Nos igniculos natura datos extinguimus. Si quis autem obiiciat, quod ad opus patientiæ non incitamur à natura, quod videtur potius esse contra naturam. Respōdet Seneca quòd materia boni contra na-

turam eſt vt vulnerari,& ſubiecto igne tabeſcere, ſed bonum numquam. Seruare enim animum infatigabilẽ inter iſta,quod eſt opus virtutis, ſecundum naturam eſt: quia nullum bonum ſine ratione eſt, vt ipſe ait. Sequitur autem ratio naturam. Bernard. Omnis virtus homini naturalis eſt. Idem: Virtus quoniam naturæ res eſt, cùm venit in animum, aliquando non venit ſine labore, ſed venit in locum ſuum, & fideliter ſedet, & bene cum ea natura conuenit. Seneca: Virtus ſecundùm naturam eſt; vitia verò inimica ſunt & infeſta. Et ſecundùm Ariſt. Virtus non eſt pręter naturam. Chryſoſt. verò in quadam hom. dicit, quòd virtus animi eſt rectè de Deo ſentire,& rectè inter homines agere. Virtus etiam ſic deſcribitur à Philoſopho: Virtus eſt habitus volũtarius in medietate conſiſtens, quo ad nos. Medietas iſta attenditur inter ſuperfluitatem & indigentiam. Vnde idem Philoſophus dicit, quòd virtus eſt medietas duarum malitiarum: huius quidem ſecundùm ſuperfluitatem, huius verò ſecundùm indigentiam. Boëtius. Virtutes medium tenent: ſi vel vltra vel citra quàm oportuerit fiat, à virtute diſceditur. Hæc autem medietas in virtutibus cardinalibus inuenitur: in virtutibus verò theologicis non videtur poſſe inueniri. Remigius: Ea quæ ſunt puræ delectationes animæ: id eſt, quæ ſunt animæ ſecundùm ſe non determinantur ſecundũ ſuperfluum & diminutum. Cant. 1. *Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis*, ergo nimietas dilectionis in Deum non videtur eſſe ſuperfluum vel vitium. Quo ad nos dicitur eſſe hæc medietas: quia determinando hanc medietatem, habendus eſt reſpectus ad perſonam operantis. Alicui enim eſſet parum quod alij eſſet nimium, vel è conuerſo. Auguſtinus in libro de libero arbitrio ſic deſcribit virtutem: Virtus eſt bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nemo male vtitur, quam Deus in nobis operatur. Virtus dicitur bona eo modo quo albebo dicitur color albus: non ideo quod albedo colori inhæreat vt accidens, ſed color eſt ipſa albedo, ſic eſt virtus bonitas mentis mentem bonam faciens. Virtus etiam bona eſt: quia ducens ad ſummum bonum. Virtute etiam rectè viuitur: vitam autem rectam intellige quæ extenditur ad Deum principium, & Deum finem, Deo qui eſt principium omnium bonorum de omnibus bonis gratias agendo, iuxta illud 1. Theſſ. 5. *in omnibus gratias agite*. Et gloriam eius in omnibus quærendo: ad hoc enim creati ſumus. Deuteron. 26. *Faciet te Dominus excelſiorem cunctis gentibus quas creauit in laudem & nomen & gloriam ſuam.* Eſa. 44. *In gloriam meam creaui eum.* 1. Corint. 10. *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliquid aliud agitis, omnia in gloriam Dei facite.* Vita eius qui ſibi ſolùm vult viuere, tantùm quæ ſua ſunt quęrens,& ad gloriam Dei non attendens, non eſt recta, imo curua, quum in ſe reflectatur. Item non eſt recta quæ declinat quaſi in latus per ſuperfluitatẽ vel indigentiam. Virtutes cardinales obliquitatem, quæ eſt ſecundùm ſuperfluitatẽ vel indigentiam, excludunt: Theologicæ verò curuitatem quæ eſt vbi vita reflectitur in vtilitatem proprij ſubiecti, non ordinata ad finem vltimũ. Virtutes ergo Cardinales cum theologicis vitam rectã efficiunt. Item quum rectum ſit cuius medium non exit ab extremis: extrema autem vitæ noſtræ quum ſit Deus principium, & Deus finis, vita recta eſt quæ ſicut eſt à Deo & ad Deum: ita & ſub Deo humiliter implens eius imperium, ſicut ab eo habuit initium & ab eo expectat præmium. Vitam verò hic intelligas quatuor partes conuerſationis, ſcilicet cogitationem, affectionẽ, locutionem,& operationem: Rectitudo verò horum eſt quum non diſcordant à regula legis diuinæ quæ nobis indicat diuinam voluntatem. Huic autem rectitudini oppoſitum eſt peccatum, prout deſcribit illud Auguſtinus: dicens: Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Per concupitum verò intellige cogi-

rationem & affectionem. Item vita recta est cùm voluntas in nullo dissentit ab eo quod ratio rectè sentit. Voluntate enim rectè viuitur, voluntate peccatur, vt dicit Augustin. Ratio recta regula est voluntatis. Bernard. super illud Cantic. *Recti diligunt te.* Illum verè rectũ corde dixerim, qui & rectè in omnibus sentiat, & à recto quod senserit in nullo dissentiat. Virtute etiam nemo male vtitur propriè loquẽdo. Si quis tamen obijciat de illo verbo Isidori, interdum male vsæ virtutes vitia generant, dicendum est quòd virtus potest esse occasio alicuius mali, sed nunquam actus eius erit abusus: sicut accidit in potentiis naturalib. quibus homo potest bene vti vel abuti. Per hoc quod subditur, quam Deus in nobis sine nobis operatur: patet quod hæc descriptio est intelligẽda de virtute gratuita: pręcedens vero virtus est habitus voluntarius, &c. Intelligenda est de virtute consuetudinali. Aliæ vero descriptiones positæ fere omnes possunt intelligi & de gratuita & de consuetudinali. Si quis vero obijciat de illo verbo Augustini. Qui fecit te sine te, non iustificat te sine te. Vnde videtur quòd Deus nõ operetur in nobis virtutem sine nobis. Respondendum est, quòd Deus iustificat hominem sine homine cooperante, sed non sine homine adoperante: sicut sol illuminat domum cũ aliquis aperit fenestram non sine homine adoperante, tamen sine homine cooperante, homo enim non cooperatur soli illuminando domum. Sic verus sol infundit virtutes nobis præparatis ad earũ susceptionem, non tamen cooperamur illi in illa infusione.

CAPVT IV.

De triplici Virtutis commendatione.

SEquitur de commendatione Virtutis. Et notandum, quod virtus est primo commendabilis à dignitate dantis. Retinuit enim Deus donationem eius ad manum suam. Psal. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Virtus fructus est Spiritus sancti. Gal. 5. *Fructus est Charitas, gaudium, pax, &c.* Ex nobilitate arboris fructus bonitatem agnosce: *Arbor bona fructus bonos facit.* Matth. 7. ergo optima optimos. Secundo à dignitate eorum quibus datur: hoc enim donum non est nisi bonorum & amicorum Dei; temporalia bona & etiam naturalia corporis vel animæ communia sunt bonis & malis, amicis Dei & inimicis. Et frequenter mali & inimici Dei potius in talibus abundant quam amici Dei. Ex quo apparet nõ esse vera bona. Si enim vera bona essent, potius daret ea amicis quam inimicis. August. in primo lib. de Ciuitate Dei, Ista temporalia bona & mala voluit Deus bonis & malis esse communia, vt nec bona cupidius appetantur quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur. Item August. in eodẽ li. 20. Profecto salubriter discimus, non magnipendere seu bona seu mala quæ videmus esse bonis malisq; communia, & illa bona quærere quæ bonorum, & illa mala maximè fugere quæ propriè sunt malorum. Item August. in eodem: Pulchritudinem idcirco Dominus largitur etiam malis ne magnum bonum videatur bonis. Deserto itaque bono bonorũ proprio lapsus est factus ad bonorum minimum non bonis proprium, sed bonis malisq; commune. Tertio quasi à situ: quia possessio est valde bona benè sedens. Benè sedet possessio quę propinqua est ciuitati: melius quæ infra muros ciuitatis: optimè quæ infra muros propriæ domus tuta est, & ab hostibus & à ciuibus. Peroptimè sedet virtus quæ est in secreto cordis. Seneca: Hunc dicito, hunc habe beatum, non quem vulgus vocat, sed cui omne bonum in animo est. Item Sen. Sapiens intra se omne bonum terminabit. Et dicit quod quidam capta patria & vxore & liberis amissis, quum ex incendio publico solus & tamen beatus exiret; interroganti victo-

ri, nunquid aliquid perdidisset: Nihil, inquit, perdidi, bona mea mecum sunt.

Capvt V.

Quod Virtus sit optimum præsentis vitæ & bonitas aliarum rerum.

QVarto commendabilis est comparatione aliorum bonorum. Et primò facta comparatione ad bona præsentia, Secundò ad futura. Secundum comparationem primam, virtutis optimum dicitur. Heb. 15. *Optimum est gratia stabilire cor.* August. in lib. de moribus Ecclesiæ: Erit, inquit, hominis optimum quod animam optimam facit: nemo autem dubitauerit quin virtus animam faciat optimam. Et Iac. 1. *Omne datum optimum, &c.* Datum optimum, virtus vel gratia dicitur: respectu cuius simpliciter bona dicuntur quæ communia sunt nobis & brutis, vt fortitudo corporis, agilitas, pulchritudo, sanitas & ea quæ pertinent ad corporis sustentationem, vel ornatum, vel protectionem. Bona meliora sunt bona animæ, quæ tamen animam non reddunt de necessitate bonam, quæ similiter sunt communia bonis & malis, vt scientia & similia. Optimum vero virtus vel gratia. Perfectum, gloria. 1. Cor. 13 *Quum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Virtus non solum bona est, sed etiam bonitas, bonum faciens necessario possessorem suum. Arist. in lib. de eligendis. Si hoc facit bonum id cui adest, illud autem non facit; quod facit, magis est eligendum, vel quod melius & principalius facit bonum: & siquidem hoc facit animam, illud autem corpus. Non sic dignitates & diuitiæ, quæ vt frequenter malos faciunt possessores suos, vel magis malos ostendunt. Boetius: Collata improbis dignitas non modo non efficit dignos, sed potius prodit & ostendit indignos, Eccles. 11. *Si diues fueris, non eris immunis à delicto.* Seneca: Multum est non corrumpi diuitiarum contubernio. Ideo virtus multũ appetenda esset, tanquam propria bonitas: sed tanta est hodie hominum stultitia, quod de propria bonitate non curent, cum in omnibus suis bonitatem quærant. Seneca: Nihil est cuique se vilius. Augustin. Bona vis habere, & bonus non vis esse. Idẽ. Quid est quod te velis malum habere? Nihil omnino. Non vxorem, non filium, non seruum, non tunicam, postremo non caligam, & tamen vis habere malam vitam. Rogo te præpone vitam tuam caligæ tuæ. Idem: Quid te offendit vita tua, quam solam vis malam, vt inter omnia bona tua tu solus sis malus? Idem: Adeo cæcitas mentis inualuit, adeo homo interior obsurduit, vt omnia velit habere bona præter seipsum. Plus deberet homo amare bonitatem sui, quam totum mundum. Cum enim homo prævaleat toti mundo, bonitas eius bonitatis mundi totius præualet. Senec. In homine nihil ad rem pertinet, à quàm multis salutetur, quàm pretioso incubet lecto, quam perlucido poculo bibat, sed quam bonus sit. Hoc autem debet mouere hominẽ ad amorem propriæ bonitatis, quod sicut ipse quando bonus est, melior est omnibus creaturis visibilibus: sic quando malus est, peior est illis: qui non solum malus est malitia pœnæ, sed etiam malitia culpæ, ipse debitor est mortis temporalis & æternæ. In hoc deterioris conditionis est serpentibus & bufonibus. Nec solum virtus bonitas est hominis, sed etiam est bonitas operum. Plus enim valet vna eleemosyna, vel aliud bonum opus ex virtute vel gratia procedens, quam mille sine gratia. Si aliquis mille annis facit opera de genere bonorum sine gratia, non meretur regnum æternum, quod tamen meretur vnico bono opere ex gratia facto. Seneca: Vnus dies hominum eruditorum plus valet, quam imperiti longissima ætas. Qui faciunt opera de genere bonorum sine gratia, picturas habent bonorum operum, nõ bona opera. Seneca. Apud sapientes sunt

Virtu[s] opera bona i[n] gratia [ef]ficit m[e]ritoria

honesta, apud vulgus simulacra rerum honestarum. Opus de genere bonorum sine gratia factum, lumen esse videtur, & tamen non est verè lumen. Matth.6. *Si lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Tale opus simile est ligno putrido, quod his qui in tenebris sunt, lucidum videtur. Tale opus videtur esse aurum, quum sit aurichalchum. Bernar. Melius est pallens aurum, quàm fulgens aurichalchum. Qui habet abundantiam talium operum est quasi diues, quum nihil habeat. Prouerb.13. Item opus tale est velut cadauer exanime. Vnde anima cuius sunt opera talia, est velut mulier infœtrix, omnes fœtus suos pariens mortuos. Quid est fides quæ non operatur ex dilectione, nisi cadauer exanime? Quod de fide informi dicitur, verum est de omnibus operibus informibus quæ scilicet sine gratia fiunt. Homo absque gratia est velut arbor syluestris ferens fructus quibus porci infernales pascuntur. Gratia verò est velut ramusculus cœlestis, qui huic arbori insertus facit eam ferre fructus optimos, qui lætificent Deum & Angelos. Luc.15. *Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, &c.* Nec solùm virtus est bonitas operum, sed etiam rerum temporalium. Bonum enim rerum temporalium, est laudabilis vsus earum qui virtutis est vel gratiæ. Vnde malis temporalia bona non sunt, cùm male illis vtantur. Senec. Stulto nulla re opus est, nulla enim re scit vti. Eccl.13. *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia.* Sicut sanguis in corpore humano non est bonus, si sit materia infirmitatis, vnde euacuandus est: sic temporalia non sunt bona his quibus sunt materia infirmitatis spiritualis. Seneca dicit, pecuniam perdidi. O te felicem si cum ea auaritiam perdidisti! sed si manet illa apud te, es tantùm felicior, quo tanto malo materia subducta est. Prouerb.1. *Vsquequo stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient?* Fit iusto Dei iudicio, vt cùm aliquis malus est, verè domino illa mala sint ei quibus ipse dominatur, quasi vindicantia creatorem suum. Virtus etiam mala pœnæ in bona conuertit: iuxta verbum Senec. Eccles.8. *Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali.* Non est mala aduersitas viro iusto, cum sit ei materia coronæ æternæ. Et vt breuiter dicatur, Virtus siue gratia est totum verum bonum hominis in vita ista. Vnde glossa Augustini super illud Psalm. *Signatum est super nos lumen, &c.* dicit de lumine gratiæ. Hoc lumen est totum & verum homini verè bonum, vel bonum naturæ, vel bonum fortunæ. Bernard. Si quis callidus est ingenio, si viget arte, si præeminet intellectu, instrumenta sunt hæc tam vitiorum quàm virtutum. Seneca: Non viuere bonum est, sed benè viuere: benè autem viuere virtutis est. Tullius: Quod rectum & honestum est, & cum virtute, id solum bonum arbitror. Nunquid potest cuiquam malo bonum esse, aut potest quisquam in abundantia bonorum esse non bonus? Seneca: Doce non esse positum bonum vitæ in spatio eius, sed in vsu: vsus autem rectæ virtutis est. Sapiens: Omnia quæ extra nos sunt dona, quæque hominibus fortè contingunt, non ideò laudantur, quòd habuerit quis ea, sed quod his honestè sit vsus. Aug. Non vtiliter in tempore viuitur, nisi ad comparandum meritum quo in æternitate viuatur.

Virtu mala pœna in bo vertu

CAPVT VIII.

Quòd Virtus sit propriè bonum nostrum, possessio libera & sufficiens.

VIrtus, secundùm Philosophos, bonum nostrum est propriè, quum bona fortunæ sint bona aliena à nobis. Hoc bonum nulla vis à nobis excutit, iuxta verbum Senecæ, Non potest auferri ab homine, nec in vita, nec in morte. Tullius: Omnia alia caduca sunt: virtus vna est, altissimis defixa radicibus. Tullius: Hæc demum sapientia est vt omnia tua in te posita esse

esse dicas, humanosque casus virtute inferiores putes. Senec. Non est tuum fortuna quod fecit tuum. Boëtius in libro Consol. Nunquam tua faciet esse fortuna, quæ natura rerum à te facit esse aliena. Seneca: Periturum est, nempe quod aduentitium fuit. Idem: Quid stultius est, quam in homine aliena laudare? quid eo dementius qui circa se miratur ea quæ ad alium protinus transferri possunt? Non faciunt meliorem equum aurei fræni. Augustinus in libro Soliloquiorum. Deus per quem dicimus aliena esse quæ aliquando nostra: & nostra esse quæ aliquando aliena putauimus, accipe me ab istis fugientem famulum tuum: quia & ista me quando fugiebam à te, acceperunt alienum, ad te mihi redeundum esse sentio, nihil aliud scio nisi fluxa & caduca spernenda esse, & certa & æterna requirenda. Senec. Ratio arbitra est bonorum & malorum: aliena & hesterna pro vilibus habet, omne illi bonum in animo est. Habacuc.2. *Væ qui congregat non sua.* Non sua vocat temporalia. Senec. Huc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia Deo vota missurus vt contentus sis temetipso, & ex te nascentibus bonis. Item virtus possessio libera est, quæ possidet bona tẽporalia in subiectione, est aliqua vel fortunæ, vel ipsarum diuitiarum, vel eorum quibus occasione diuitiarum indiget. Senec. Incipit esse fortunæ subiectus, si quis partem sui foris quærit. Augustin. Venditis rebus nostris nullum magis earum accipimus pretium, quam nos ipsos. Implicati enim talibus non eramus nostri. Seneca. Minus quam seruus est qui seruos timet. Item virtus possessio est habenti sufficiens. 2. Corinth. 12. *Sufficit tibi gratia mea.* Seneca. Virtus nudo homine contenta est. Idem. Sapiens se contentus est, non vt velit esse sine amico, sed vt possit. Item Seneca: Se contentus est sapiens ad benè viuendum, non ad viuendum: ad hoc enim rebus multis illi opus est, ad illud tantum animo sano & erecto & despiciente fortunam. Idem. Virtus nullo eget, & præter summum bonum extrinsecus instrumenta non quærit. E contrario, diuitiæ terrenæ multis indigent. Boëtius: O angustas inopesque diuitias, quas nec habere totas pluribus licet, & ad quemlibet sine cæterorum paupertate non veniunt. Idem: Verum illud est, permultis illos indigere, qui permulta possident. Homo absque virtute vel gratia, est regio egestatis. August. in lib. Confess. Defluxi à te ego, & erraui: erraui Deus meus nimis deuius à stabilitate tua in adolescentia mea, & factus sum mihi regio egestatis.

Caput VII.

Quòd Virtus sit magnæ iucunditatis & dignitatis.

ITem Virtus bonum est & magnæ iucunditatis, & magnæ dignitatis. Boëtius de Consolat. Nunquam sine pœna sunt vitia, nunquam sine præmio sunt virtutes. Seneca: Rerum honestarum pretium in ipsis est: hoc pretium est mentis lætitia. Idem, Rectè factorum verus fructus est in ipsis: nec vllum virtutum pretium dignum ipsis extra ipsas est. Bernardus: Delectationes non perdimus, sed mutamus à corpore ad animam, à sensibus ad conscientiam. Item Greg. super Iob.1. Filij per domos conuiuium faciunt, dum virtutes singulæ iuxta modum proprium mentem pascunt. E contrario curre per singula, tot inuenies animæ tormẽta quot vitia, vt ait August. Gaudium virtutis est velut fons gaudij in domo propria nascẽs. Senec. Existimas me detrahere tibi multas voluptates, qui fortuita submoueo, qui dulcissima spei oblectamenta censeo deuitanda, imo è contra volo, tibi nunquam deesse lætitiam: volo illam tibi domi nasci, nascitur si intra teipsum sit. Idem: Tu iudicas eum gaudere qui ridet: animus debet esse alacer & fidens, & super omnia rectus. Ecclesiast.30. *Non est oblectamen-*

tum super cordis gaudium: Senec. Conculca ista quæ extrinsecus splendẽt, & de tuo gaude. Quid est autẽ hoc de tuo? de teipso, & tui optima parte. Idem: Viri boni gaudium est ex bona conscientia, ex contemptu fortuitorum, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex placito vitæ & cõtinuo tenore vnam prementis viam. Idem: Hæc quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac persusoriam voluptatem, & quodcunq; inuentitium est gaudium, fundamento caret: hoc de quo loquor, ad quod te conor perducere, solidum est, & quod plus pateat introrsus. Idem: Fundamentum bonæ mentis est non gaudere vanis. Fundamentum hîc esse dixi culmen, cum ad summa peruenit qui scit quo gaudeat, qui felicitatem suam in aliena potestate non posuit. Item Seneca: Improbæ voluptates non sunt solidæ, non sunt fideles: etiam si non nocent, fugiunt: potius aliquod bonum mansurum circumspice. Sola virtus præstat gaudium perpetuum, securum: etiam si quid obsistat nubium, materia interuenit qua infra ferunt, nec vnquam die vincunt. Gregor. Absit vt tãta sit delectatio in vitiis, quanta est in virtutibus. De dignitate virtutis dicit Boëtius. Non virtutibus ex dignitate: sed ex virtutibus dignitati honor accessit. Idem: Virtuti propria dignitas inest. Virtus est beatitudo, vel felicitas præsentis vitæ. Beatitudo virtutum de fonte cælestis beatitudinis, amicis Dei in hac valle miseriæ stillatur. Vnde 2. Corinth. 12. dicit glos. Augustini: In regione intelligibilium beata vita in fonte suo bibitur: inde aliquid aspergitur huic humanæ vitæ, vt in tentationibus huius sæculi temperanter, fortiter, iustè, prudenterque viuatur. Tullius. In quo virtus est, nihil ei deest ad benè ac beatè viuendum. Macrobius. Solæ virtutes faciunt beatum, nulláque alia via quisquam hoc bonum adipiscitur. Senec. Ratio recta & consummata felicitatem hominis impleuit: hoc vnum bonum hominis est, quod qui habet, etiam si aliis destituitur, laudandus est: quod qui non habet, in aliorum omnium copia damnatur. Rationem verò rectam & consummatam facit virtus. Vnde August. dicit in libro Soliloquiorum, quod virtus est recta vel perfecta: id est, rationis rectitudo, vel perfectio.

Capvt VIII.

Quòd status Virtutum assimilatur paradiso terrestri & cælesti.

Virtus seu gratia quasi paradisum facit in corde hominis. Eccl. 41. *Gratia Dei sicut paradisus in benedictionibus.* Assimilatur cor vbi gratia est, paradiso & terrestri & cælesti. Terrestri tripliciter, scilicet amœnitate, fœcunditate, & securitate. Amœnitatem & fœcunditatem ibi faciunt quatuor virtutes, velut quatuor flumina paradisi, mentem irrigantes: Vnde glos. Gregor. super illud Genes. 2. *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, &c.* quatuor flumina paradisum irrigant: quia dum his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desideriorũ carnalium æstu temperatur. Ecclesiast. 40. *Super omnem aquam viriditas, & ad oram fluminis.* Altitudo vero facit securitatem: quia sicut paradisus terrestris in alto situs est pertingens vsque ad lunarem circulum, sicut dicit gloss. Strab. super illud Gen. 2. *Plantauerat Deus paradisum voluptatis*: sic cor vbi Dei gratia est, in alto situm est. Senec. Talis est sapientis animus, qualis mundus supra lunam, semper illic serenum est, quod non alieni muneris, nec arbitrii alieni est, quod non dedit fortuna non eripuit. Paradiso vero cœlesti in quatuor assimilatur. Primo, in hoc quod est Dei habitatio: Placet enim Deo habitare in anima virtutibus ornata. Hiero. Nihil quietius, nihil purius ea mente debet esse quæ in Dei habitaculum præparanda est: quem non auro templa fulgentia, non gemmis altaria

Cor: mila para so c plici Terr stri.

Cœ

distincta delectant: sed anima ornata virtutibus. Prou. 8. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum:* Bernardus animam huiusmodi cœlum vocat, dicens: Nec mirum si cœlum hoc libēter inhabitat Dominus Iesus, quod nō quomodo cæteros dixit tantum vt fieret, sed pugnauit vt acquireret, occubuit vt redimeret. Secūdo in hoc quod est locus luminis. Iob. 38. *Nosti per quam viam spargitur lux.* Gloss. iustitia est lux. Tertio, quia locus est ordinati amoris. Breuis enim & vera diffinitio Virtutis, est ordo amoris, vt ait August. in lib. de Ciuit. Dei. Quarto, quia locus est gaudii. Esa. 51. *Ponam desertum eius delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini.* Cor hominis antequam sit in gratia Dei, est velut desertum, sed per gratiam fit quasi hortus Domini. Ista quatuor in paradiso cælesti inueniuntur: Est enim Dei habitatio, locus luminis, & ordinati amoris, & gaudii. Contraria vero quatuor prædictis cor peccatoris faciunt quasi infernum, cū sit habitatio dæmonum, & habeat tenebras ignorantiæ & culpæ, & ignem prauæ concupiscentiæ, & vermem remordentis conscientiæ Hæc enim quatuor sunt in inferno. Væ illis qui multis in laboribus & expensis sibi faciunt infernum: Væ illis qui potius eligunt habitare in inferno quā in paradiso. Mira insania talium qui infernum præoccupant, quasi timerent se nimis tardè peruenturos ad eum.

Cor per gratiam fit hortus Domini.

CAPVT IX.

De præexcellentia gaudii Virtutis, respectu gaudii mundani.

ET notandum quod gaudium virtutis quadrupliciter prēcellit respectu gaudii mundani. Primo continuitate. Homo carnalis non semper sedet ad mensam corporalem, sed homini virtutis, *secura mens est quasi iuge conuiuium* Prouerb. 15. Iob. 20. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Hypocrita est mundus exterius deauratus. August. in lib. Confess. Si quid arrisisset prosperum, tædebat apprehendere: quia pene priusquam teneretur auolabat. Gaudium mundanum venit de foris, & facile impeditur & discontinuatur. Seneca vitam virtutis luci comparat, vitam vero mundanam fulgori, dicens: Magna existimas esse quæ relicturus es, &c. proposui. sti illam securitatem ad quam iturus es, retinet te huius vitę fulgor à qua transiturus es tanquam in sordida & obscura casurum: erras. Ex hac vita ad illam ascenditur, quod interest inter splendorem & lucem, cum hæc certam originem habeat, atque suam, ille niteat ex alieno: hoc interest inter hanc vitam & illam, hæc fulgore veniente extrinsecus percussa est, statim crassam faciet illi vmbram quicquid obstiterit, illa suo lumine illustris est, fulgor est luminis repercussio. Secundò in puritate. Dulcedo enim felicitatis humanæ multis amaritudinibus respersa est, iuxta verbum Boetii. Homo enim carnalis vnam amaritudinem habet ex dilatione deliciarum quas vehementer appetit: aliā ex defectu quem inuenit in vsu earum: vbicunque enim caro quærit refectionem, inuenit defectionem iuxta verbum August. Excessum etiam insumendo delectabilia sequitur duplex amaritudo, scilicet remorsio conscientiæ, & grauamen naturæ. Seneca. Voluptas quo auidius hausta est, citius in contrarium recedit. Ecclesiast. 31. *Amaritudo animæ vinum multum potatum.* Gaudium vero virtutis purum est, non respersum tot amaritudinibus. Augustinus in libro Confessionum: Tu semper aderas misericorditer sæuiens, & amarissimis aspergēs offensionibus omnes illicitas iucunditates meas, vt ita quærerem sine offēsione iucundari: & vbi hoc possem, non inuenirem quidpiam præter te Domine. Tertiò in dignitate. Gaudium enim virtutis est de iis de quibus dignum est gaudere. Vnde super illud Galat. 5. *Fructus Spiritus, est charitas, gaudium*, dicit gloss. id est, elatio animi de his quæ digna

Gaudiū virtutis præcellit gaudio mūdi in quatuor.

2.

3.

sunt gaudii: gaudium mundi de indignis est. Seneca. In voluptate nihil est magnificum, nihil quod naturam Deo proximã deceat membrorum vilium ac turpium ministerio veniens, exitu fœda. Prouerb. 3. *Stultorum exultatio ignominia.* Item 15. *Stultitia est gaudium stulto.* Et Dominus gaudenti Hierusalem, flens ait, *Si cognouisses & tu.* Luc. 19. Innuens cœcitatem causam esse illius gaudii. Prouerb 2. *Qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis.* Augustin. Quid est seculi gaudium? breuiter dico: Seculi lætitia est impunita nequitia: scilicet luxuriari, in spectaculis vagari, ebriositate ingurgitari, turpitudine fœtere, & nihil mali pati, hoc gaudiũ deterius est dolore. Peius est enim gaudere de iniquitate, quàm dolere de corruptione, vt ait Augustinus. Quarto in
4. salubritate. Gaudiũ virtutis salubre est faciens contemni gaudia vana. Ecclesiast. 1. *Vbi multa sapientia, multa est indignatio.* Vbi enim sapor virtutum sentitur, iucunditas carnalis despicitur: quia gustato spiritu, desipit omnis caro, iuxta verbum Augustini. Item facit triumphare de diabolo. Vnica enim ratio vincendi inimicum, est lætitia spiritualis, vt ait Antonius. Ecclesiast. 30. *Iucunditas cordis hæc est: vita hominis & thesaurus sine defectione sanctitatis.* Qui gaudium sentit in vita bona, perseuerare potest in ea: contrario in mœrore animi deiicitur spiritus. Prouerb. 15. Deiicietur inquam ab altitudine virtutũ. Gaudium vero mundi noxium est. Nec mirum cum sit à Deo maledictum. Lucæ 6. *Væ vobis diuitibus, qui hîc habetis consolationem vestram, &c.* Si quis non audeat gustare cibum ab aliquo sancto maledictum, quanto minus maledictum à Deo? Gaudium illud hominem infatuat: vt patet in Salomone, qui non prohibuit cor suum quin omni voluptate frueretur. Ecclesiast. 2. Et infatuatus est. 3. Reg. 11. Iob. 28. *Sapientia non inuenitur in terra suauiter viuentium.* Hoc gaudium in dolorem verteretur. Prouerb. 14. *Extrema gaudij luctus occupat.*

Capvt X.

De his quæ faciunt ad gaudium Virtutis.

ET notandum quod octo sunt quæ facere videntur ad gaudium eius in quo virtus est. Primo conscientiæ puritas. Animus enim generosus potius quiescit in lecto conscientiæ, quando est mundus, quã quando est immundus, naturaliter abhorrens immunditiam. Vnde super illud Galat. 5. *Fructus Spiritus, est charitas, gaudium,* dicit gloss. id est, puritas animi. Secundo sanitas virium animæ quam gratia facit. Anima sanata maiorem quietem habet. Prou. 16. *Dulcedo animæ sanitas ossium,* id est, virium. Chrysost. Gratia est sanitas mentium. Tertio libertas. Peccator ligatus est ante aduentum gratię seruitute peccati, vt non possit facere quod vult superior pars rationis, iuxta illud Prou. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum quisque constringitur.* August. in lib. Confess. Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate: velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrixerat me, quippe ex voluntate peruersa facta est libido: & dum seruitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Gratia vero Spiritus sancti adueniens libertatem in homine facit. 2. Cor. 3. *Vbi Spiritus Domini; ibi libertas.* Quarto quies à cruciatu tumultuosarum cogitationum & inordinatarum affectionum, & à cruciatu vermis conscientiæ: Ab illis enim vis gratiæ cor liberat. Omnes qui illicita appetunt, vel in hoc mundo aliquid videri volunt, densis cogitationum tumultib. in corde comprimuntur, vt ait Greg. Sancti vero, quia nihil huius mundi appetunt, nullis proculdubio in corde tumultibus opprimuntur, vt idem Greg. ait. Item mali cruciantur in corde inordinatis affectionibus.

Octo genera gaudii animæ
1. 2. 3. 4.

Augustin. in lib. Confess. Iussit Deus, & sic est vt pœna sibi sit inordinatus animus. Alij cupiditate cruciantur, quasi fame & siti insatiabili bonorum temporalium, qui cruciatus non cessat, nisi Dei gratia famem & sitim huiusmodi sedet. Seneca. Si vis animum in perpetua voluptate esse, non voluptatibus adiiciendus est, sed cupiditatibus detrahendus. Augustinus. Qui biberit de fluuio paradisi, cuius gutta vna maior est quàm Oceanus; restat vt in eo sitis mundi huius extincta sit. Alij autem timore cruciantur habentes caput tremulum sicut campanæ. Iob.15. *Sonitus terroris semper in auribus eius, & cum sit pax, ille semper insidias suspicatur.* Alij cruciantur inuidia, amittentes quidquid alij lucrantur: alij exuruntur ira. Has affectiones gratia cessare facit: vnde animus quiescit & iucundus est. Item peccatorem vermis conscientiæ cruciat. Hierem. 2. *Scito & vide quam malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Augustin. Tale bonum est Deus, vt nemini eum deserenti bene sit. Hæc est prima vindicta quam sumit Deus de peccatore, non sinens dedecus culpæ esse sine decore vindictæ. Seneca: Scelera etiam si non sunt deprehensa cum fierent, solicitudo cum ipsis abiit, Poët. Prima est hæc vltio, quod se iudice nemo nocens absoluit. Cum gratia hunc vermem cessare facit, animus quiescit, sicut aliquis melius quiescit in lecto suaui, quam spinis pleno. Cantic. 1. *Lectulus noster floridus.* Lectulus inquam conscientiæ. De conscientia potest dici, quod dixit Philosophus Zeno de vxore. Vxor, inquit, aut perpetuale refugium est, aut perenne tormentum. Quinto conuenientia virtutis cum natura. Benè enim conuenit natura cum virtute iuxta verbum Bernard. Chrysost. Gratia est cordis delectatio. Prouerb. 3. *Lux iustorum lætificat.* Lux iustorum gratia est, quæ naturæ coniuncta lætificat. Sexto iucunditas boni operis. Psalm. *In custodiendis illis retributio multa.* gloss. non tantum pro eis in futuro reddetur præmium: sed hîc in eorum custodia magnum est gaudiũ. Cuius gaudij ratio potest esse quod opus virtutis est in medietate: natura verò in mediis delectatur, & in extremis contristatur: vt visus delectatur in viridi colore qui medius est inter album & nigrum. Sicut mulier naturaliter gaudet cum peperit filium: si autem peperisset bufonem, vel aliud contra naturam, doleret: sic anima gaudet quando bonum opus fecit, tanquam fructum sibi competentem: & contristatur de malo opere, tanquam de fœtu contra naturam. Ioan. 17, *Mulier cum parit,* & cætera, propter gaudiũ, dicunt virtutes. Esa. 3 *Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur.* In operibus enim earum quædam spiritualis refectio est. Septimo discretum regimen corporum. Hi in quibus virtus est, non habent tot molestias ex parte corporis, & diutius viuunt, quia corpus discrete regunt. Eccles. 25. 7.
Beatus qui habitat cum muliere sensata. Mulier sensata est caro disciplinata. Seneca. Potest nostra prouidentia longiorem prorogare huic corpusculo moram, si voluptates quibus maior pars perit, poterimus regere & coërcere. Octauo quod boni voluntatem suam conformant voluntati diuinæ. Vnde sicut voluntas Dei impletur, ita voluntas eorum. Augustin. Iugum Christi suaue est, & onus eius leue: quia qui huic iugo subiectus est, cætera ei subiecta sunt, & nihil ei repugnat. Non habent mali pacem, qui Deo resistunt. Ioël. 9. *Quis restitit ei, & pacem habuit?* Seneca: Vir bonus quidquid ei acciderit, æquo animo sustinebit: scit enim hoc accidisse ex lege diuina ex qua vniuersa procedunt. Via virtutis in principio habet aliquid difficultatis: quia inconsueta est. Hieron. Insuauem & asperam fecit nobis viam virtutum longa consuetudo peccandi. *Dulce est lumen, & delectabile oculis videre solem.* Eccl. 11. & tamen lux solis contristat oculos tenebris assuetos: sic via virtutum in principio est molesta, sed post

iucũda efficitur gratia& aſſuetudine. Bernardus. Facillimum eſſet & delectabile adiuncto Dei amoris condimento ſecundum naturam viuere, ſi inſania noſtra nos permitteret, qua ſanata ſtatim naturalibus natura arridet. Tullius: Optima forma viuendi eligenda eſt, quam iucundam reddet aſſuetudo. Gloſſa ſuper illud Matth.11. *Iugum meum ſuaue eſt.* Anguſta eſt via quæ ducit ad vitam, quia non niſi anguſto initio incipitur: proceſſu vero temporis ineffabili delectationis dulcedine dilatatur. Prouerb.4. *Ducam te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui.* Seneca. Initium eundi ad virtutes arduum eſt: quia hîc primum imbecillæ mentis, & ægræ eſt inexperta formidare: itaque cogenda eſt vt incipiat, delectat dum ſanat. Aliorum remediorum poſt ſanitatem voluptas eſt philoſophia, pariter & ſalutaris & dulcis eſt.

Capvt XI.

De commendatione Virtutis, facta comparatione ad bona futura.

Comparatione ad futura bona commendabilis eſt Virtus multipliciter. Primo, quia ſignum eſt quo diſtiguuntur recipiendi ad gloriam æternam à non recipiendis. Epheſ. 4. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum in quo ſignati eſtis* &c. Apocal.3. *Ecce dedi oſtium apertum coram te, quod nemo poteſt claudere, quia modicam habes virtutem,* id eſt, humilem virtutem. De defectu huius ſigni conqueruntur damnati in inferno. Sapient.5. *Virtutis* (inquit) *nullum quidem ſignum valuimus oſtendere.* Item virtus pignus & arra eſt hæreditatis æternæ. Epheſ.1. *Signati eſtis ſpiritu promiſsionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* Quidam tamen codices melius habent, arram. Gloſſ. Intereſt inter arram & pignus: quia pignus quando datur, ſoluto eo pro quo ponitur, aufertur Arra vero eſt cum de ipſo pretio datur aliquid quod non eſt auferendum, ſed complendum. Virtus vel gratia eſt arra beatitudinis: quia quædam inchoatio eius eſt. 2. Corint. 1. *Signauit nos & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Item vnctio eſt ad regnum: non ad regnum Franciæ, ſed ad regnum gloriæ. Serua vnctionem, ſecurus es de regno. 1. Ioan.2. *Et vos vnctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis.* hanc vnctionem facit Deus ipſe. 2. Corint. 1. *qui vnxit nos, Deus eſt.* Nec ſolum vnctio eſt ad regnum futurum; immo per ipſam viri ſancti vitam ducunt regiam in præſenti. Luc. 18. *Regnum Dei intra vos eſt.* Rom. 13. *Regnum Dei non eſt eſca, & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.* Non ſolum regnum Dei dicitur eſſe in cordibus ſanctorum: quia Deus in eis regnat, cuius imperio in omnibus obediunt: ſed etiam quia ipſi quodammodo regnant ad Dei ſimilitudinem. Omnia enim & proſpera & aduerſa ſeruiunt eis, & cooperantur in bonum. Seneca: Si vis omnia tibi ſubiicere, ſubiice te rationi. Idem: Vis habere honorem magnum? imperium dabo tibi, impera tibi. Bernardus. Non putent diuites huius ſeculi fratres Chriſti poſſidere ſola cœleſtia, quia audiunt Chriſtũ dicentẽ: Beati pauperes, &c. poſſidẽt & terrena. Fideli homini totus mundus diuitiarum eſt. Plane totus, quia tam proſpera quam aduerſa opus ipſius æquè omnia ſeruiunt ei & cooperantur in bonum. Sapient. 17. *Omnia transfigura omnium nutrici gratiæ tuæ deſeruiebant.* Item virtus vel gratia pretium eſt regni cœleſtis. Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Macrobius: Quanquam ſapientibus conſcientia ipſa factorum egregiorum ampliſſimũ virtutis eſt præmium: tamen illa diuina virtus ſtabiliora quædam præmiorum genera deſiderat: Virtus eſt pretium quodammodo ipſius Dei. Auguſtinus in libro de Ciuitate Dei; Præmium virtutis erit ipſe qui virtutem dedit.

CAPVT XII.

De commendatione Virtutis, auctoritate Saluatoris.

QVinto commendabilis est virtus auctoritate Saluatoris, qui virtutem monet quærere, cum bona terrena consulat relinquere. Matth. 6. *Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, &c.* Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, &c,* August. Cum ea quæ Deus laudat & promittit, ab illo petitis, securè petite. Illa enim Deo propitio conceduntur. Quando autem petitis temporalia, cum modo petite, & cum timore illi committite, vt si prosint, det: si scit obesse, non det. Quid enim obsit vel prosit medicus nouit, non ægrotus. Amatores virtutis Christus beatos prædicat, cum contemptores temporalium beatos dicat. Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, &c.* Et in eodem. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Cum Christus pauperrimus esse voluerit quantum ad bona temporalia, tamen quantum ad virtutes ditissimus voluit esse, vnde Ioannes refert se vidisse eum *plenum gratiæ.* Ioan. 1. Et in eodem: *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Præmiserat Deus diuersos sanctos in mundum ad diuersas virtutes ostendendas: tandem venit ipse in propria persona eas docere, & per experientiam addiscere. Greg. in Moral. Ad ostendendam innocentiam venit Abel. Ad docendam munditiam venit Enoch. Ad insinuandam longanimitatem spei & operis venit Noë. Ad manifestandam obedientiam venit Abraham. Ad demonstrandam coniugalis vitæ castimoniam venit Isaac. Ad insinuandam laboris tolerantiam venit Iacob. Ad rependendam pro malo bonæ retributionis gratiã venit Ioseph. Ad ostendendam mansuetudinem venit Moyses. Ad insinuandam contra aduersa fiduciam venit Iosue. Ad ostendendam inter flagella patientiam venit Iob. Magisterium mansuetudinis & humilitatis sibi ascribit Saluator. Matth. 11. *Discite à me,* inquit, *quia mitis sum, & humilis corde.* Et eiusdem 10. docet prudentiam: *Estote,* inquit, *prudentes.* Et Luc. 21. sobrietatem: *Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula & ebrietate.* Quid propriũ Christo Ioan. 13. charitatem, humilitatem, in ablutione pedum. Eiusdem 15. charitatem: Ceteras virtutes similiter docet, sicut patebit, cum de singulis virtutibus tractabitur. Addiscere etiam eos voluit per experientiam. Vnde Lucas ostendit eum profecisse sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. Lucæ 2. Et ad Hebr. 5. *Cum esset filius Dei, ex his quæ passus est, didicit obedientiam.* Non parum efficax est exemplum virtutũ Christi. Augustinus. Exemplo virtutum Christi nostra vitia curantur, vt id quod ostendit esse faciendum, non solum sine murmure, sed etiam cum delectatione faciamus.

CAPVT XIII.

De commendatione Virtutis à multiplici suo effectu.

SExto commendabilis est virtus à multiplici suo effectu. Vnus effectus eius est, quo à malis defendit. Vnde quidam dixit, virtutem dici, eo quod vi tueatur possessorem suum. Ideò Dominus exponere noluit post passionem suam discipulos periculis antequam virtute muniti essent. Lucæ 24. *Sedete in ciuitate quousque induamini virtute ex alto.* Senecà: Nullus contra fortunam inexpugnabilis murus est: intus instruamur, si pars illa tuta est, pulsari homo potest, capi non potest. Tullius: Mors terribilis est his quibus cum vita omnia extinguuntur: Sapientis animus virtutibus omnibus & manibus septus est. Item virtus etiam bona tem-

poralia discrete disponit. Vnde Augustinus. Deus ostendit in opulentissimo & præclaro imperio Romanorum quantum valerent ciuiles etiam sine vera religione virtutes, vt intelligeretur hac addita homines fieri ciues alterius ciuitatis, cuius rex veritas, cuius lex charitas, cuius modus æternitas. Vnicum vitium, vt superbia, vel ira, vel odium, occasio est quandoque destructionis vnius regni. E contrario virtus vna occasio est conseruationis. Item virtus felicem communicationem facit in anima. Stabulum enim conuertit in templum, desertum in cœlum, habitationem dæmonum in Dei habitaculum. Esa. 35. *In cubilibus in quibus prius habitabant dracones, orietur viror calami & iunci, & erit semita, & via sancta vocabitur.* Hoc tecum anima virtutibus ornatur in amœnum Dei habitaculum, quæ prius erat habitaculum dæmonum. Conscientia peccatoris bestialiter viuentis, quasi stabulum est. Bernardus. Puto iumenta dicerent, si loqui fas esset: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. Augustinus: Domine, merito dedignaris inhabitare corda infidelium, fornacem corruptionis, domos luteas, cloacam immunditiæ. Conscientia etiam peccatoris quasi desertum est. Ioël. 2. *Quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti.* Item virtus siue gratia animam abominabilem peccato, adeo decoram efficit, quod eius decorem rex gloriæ concupiscit. *Concupiscit rex decorem tuum.* Gratia deformitatem diabolicam expellit, & decorem diuinum introducit. Decorem animæ habentis gratiam, sol & luna mirantur: quia decor illorũ decore illius vincitur. Væ illis qui de hoc decore non curant, cum tamen in omnibus suis decorem quærant. Augustinus: Cum iniquis omnia sunt pulchra, & ipsi sunt turpes. Diogenes, cum illi domum suam homo turpis formæ ostenderet, omnibus in ea locis lapidibus & auro nitentibus, in faciem Domini expuit, dixitque, aliud vilius in domo illa non respexisse. Simile huic accidit in peccatore decorẽ proprium negligente, & in aliis pulchritudinem exquirente. Item virtus vel gratia lux est, eum in quo est non sinens periculosè errare. 1. Ioan. 2. *Vnctio eius docet vos de omnibus.* Sine hac luce homo in periculo est in mundo isto. Esa. 9. *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.* Sine hac luce non habet homo veram lætitiam. Tobiæ 5. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video?* Item virtus hominẽ pretiosum facit, Prouerb. 16. *Pretiosi spiritus vir eruditus.* Sicut prudentia hominẽm reddit pretiosum, sic & temperantia. Ecclesiast. 26. *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ.* Idem intelligendum est de cæteris virtutibus. Vnde virtus similis est virtuti quæ dicitur esse in lapidibus pretiosis, quæ vnum modicum lapidem præualere facit multis magnis lapidibus communibus. Sic vnus homo virtutem habens videtur præualere multis hominibus, virtutem non habentibus. Eccles. *Melior est vnus timens Deum, quàm mille filij impij.* Et hoc perpendi potest fatuitas hominum qui tantum desiderant meliorationem rerum suarum, de sui melioratione non curantes, nolentes laborare vt virtutes habeant quę adeo meliorarent eos. Ad ostendendam pretiositatem hominum in quibus virtus est, designati sunt viri virtutis, scilicet duodecim Patriarchæ, vel duodecim Apostoli, in duodecim lapidibus pretiosis, qui fuerunt in rationali. Exod. 28. Et in duodecim lapidibus pretiosis, qui erunt in fundamento spiritualis Hierusalem. Apocalyp. 21. Item virtus mira efficit. De mirabilibus eius effectibus patebit cum de singulis virtutibus agetur. Sed quantum ad præsens, ipsa operatur mira in cœlo, in mundo, in inferno, & in corde humano. In cœlo, quia regno cœlorum vim facit, dum illis, qui per peccatum illud sibi clauserant, illud aperit. In mundo, quia hominem ne in mari huius mundi mergatur

Vir[illegible] ope[illegible] tio[illegible] in [illegible] tuo[illegible]

tur custodit. Gen. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Esaiæ. 43. *Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non obruent te.* Ab igne etiam tribulationis defendit. Esa. 44. *Cũ ambulaueris in igne, non combureris.* Ipsa est ros, eos qui fidem habent Trinitatis, in fornace Babilonica custodiens. Daniel. 3. In inferno: quia ignẽ infernalem, quantum ad illum in quo est extinguit, vt nihil possit ignis ille in eum in quo gratia vel virtus est. In corde verò humano: quia plus potest vna gutta gratiæ ad extinguendum ibi ignem concupiscentiæ, quam totus mundus. Plus etiam valet ad repletionem cordibus humanis, quam omnes diuitiæ mundi. Vna gutta gratiæ Pharaonem infernalem cum exercitu vitiorum submergit in amaritudine contritionis, quasi in mari rubro. Hæc sola cor humanum replere potest. Acto. 2. *Repleti sunt omnes spiritu sancto.* Ioan. 3. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Sine gratia anima est sicut terra sine aqua, quæ in puluerem euanescit. Psalm. 1. *Non sic impij, non sic, &c.* Anima sine gratia, est quasi terra maledicta, spinas & tribulos germinans Genes. 3. Homo absque gratia est velut inermis in medio inimicorum suorum positus, qui vndique sagittatur: nocent enim ei, & prospera & aduersa. Thren. 3. *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.* Item gratia vel virtus vita spiritualis est. Homo sine gratia est velut mortuus. Ecclesiast. 9. *Melior est canis viuus leone mortuo.* Glos. Canis viuus, pauper iustus, leo mortuus, potens iniquus. Homo sine gratia quasi nihil reputatur. Esa. 40. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo. Gentes sunt gentiliter viuentes. Psal. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus &c.* Esa. 41. *Omnes gentes quæ pugnant aduersum te, erunt quasi non sint.* Esse laudadile, & quod alicuius valoris est, esse gratiæ est. 1. Corinth. 15. *Gratia Dei sum id quod sum.* Ipsa potentia recipiendi gratiam videtur præualere toti mundo, cuius signum est quod damnatis potius videretur expedire esse in statu, in quo gratiam posset recipere, quam totum mundum habere. Homo sine gratia vel virtute est velut arbor arida incendio infernali apta. Luc. 23. *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet?* Eccles. 6. *Non te extollas in cognitione animæ tuæ velut taurus: ne forte elidatur virtus tua per stultitiam.* Et subditur: *Et relinqueris velut lignum aridum in eremo.* Figura hominis absque gratia, est ficus maledicta à Domino, & arefacta. Matth. 21. Vita gratiæ multum est amanda. Cum enim triplex sit vita: naturæ scilicet, gratiæ & gloriæ, vita naturæ valorem suum habet ex vita gratiæ. Seneca. Non viuere bonum est, sed benè viuere. Vita naturæ viuunt & dæmones & animæ damnatæ, quibus bonum esset non esse. Vita vero gloriæ acquiritur per vitam gratiæ. Filius Dei vitam gratiæ morte sua voluit restaurare, & sustentandam eam pabulo doctrinæ vel exemplo fere triginta tribus annis voluit in miseria huius mundi manere. Item virtus vel gratia hominem super se leuat. Thren. 3. Leuauit se super se. Seneca. O quam contempta res est homo nisi supra humana surrexerit. Item, virtus non solũ grata est Deo, immo est ipsa gratia hominem faciens gratum Deo & opera eius. Sine ea nullus Deo gratus est, cum ea nullus potest esse quin sit Deo gratus. Vnica gutta gratiæ si in diabolo esset, ipsum Deo gratum faceret. Omnes in quibus gratia non est, filii sunt iræ. Gratius est vnicum opus ex gratia factum, quam infinita absque gratia. Ex hoc perpendi potest fatuitas eorum quibus gratia grata non est, qui vel mala sua vel bona contemptibilia ei præponunt. Seneca. Adeo gratiosa est virtus, vt insitum sit malis probare meliora. Seneca in epistolis: Errare mihi visus est qui dixit: Gratior est pulchro veniens è corpore virtus. Non enim vllo honestamento eget; ipsa magnum sui decus est, & corpus suum consecrat.

Vita triplex.

SECVNDÆ PARTIS PRINCIPALIS

De tribus virtutibus Theologicis, Tractatus primus vnicum continet capitulum, in quo succinctè de numero & ordine earum in communi agitur.

DIctum est de Virtute in communi: nunc dicendum est de speciebus virtutum. Et primo de Theologicis, scilicet Fide, Spe, & Charitate. De quibus. 1. Corinth. 13. *Nunc manet fides, spes, charitas.* Hic scientia & prophetia militant: vt dicit ibi gloss. August. in lib. de Trinitate dicit quod propter ista tria in animo ædificanda omnium diuinorum librorum machinamenta consurgunt. Ideò verò priùs dicetur de theologicis quam de cæteris, quia theologicæ ordinant animam ad finem supremum: cæteræ verò circa ea quæ sunt ad finem illum. In intentione verò operantis, prior est finis his quæ sunt ad finem. Secundùm enim naturā finis, sumuntur ea quæ sunt ad finem: Causa finalis causa causarum est. Secūdum enim exigentiam finis causa efficiens eligit materiam, & in materia electa intendit acquirere formam competentem fini, v.g. Qui vult facere instrumentum ad secandum, eligit materiam duram. Si enim esset mollis, potius cederet quam secaret. In materia verò dura, acquiritur forma acuta: si enim obtusa esset, non esset penetratiua, neque idonea ad secandum. Sic finis in intentione operantis, prior est his quæ sunt ad finem, tanquam quædam causa motiua ad illa. Et virtutes Theologicæ quæ ordinant ad finem supremum, priores sunt cæteris virtutibus, quæ disponunt animam ad ea quæ sunt ad finem. Tres verò sunt, quia necesse habemus finis bonitatem cognoscere & desiderare, & aliquam fiduciam obtinendi habere, vt scilicet agnoscamus quo debeamus tendere, & velimus venire, & speremus posse peruenire. Non enim tentanda sunt quæ omnino effici non possunt vt ait Sapiens: Fide bonitatem finis agnoscimus, Charitate desideramus, Spe fiduciam obtinendi habemus. Quum tria exigantur ad benè operādum, scire, posse, & velle, & scire nostrum propter peccata sit diminutum in vi rationabili, & posse in irascibili, & velle inordinatum in concupiscibili, fides supplementū est cognitionis in rationabili, spes supplementum fortitudinis in irascibili, charitas est inordinatiua voluntatis in concupiscibili. Fide cognoscimus supremum finem siue summum bonum esse bonum se communicans. Ex qua cognitione duæ affectiones oriuntur: scilicet spes, ex eo quod cognoscitur liberalissimus bona sua communicando, & desideriū, ex eo quod cognoscitur esse bonum quo nihil melius potest desiderari. Bonum enim est quod desideratur ab omnibus, vt ait beatus Dionysius. Etiam secundum Aristotel. Omnia bona exoptant. Vita hominis absque lumine fidei vaga est; nesciens quò tendat. Ioan. 12. *Qui ambulat in tenebris, nescit homo quò vadat.* Homo absque fide ad molam temporalium istorum circuit ad modum Samsonis exoculati. Iudi. 16. æterna nec cognoscens, nec cupiens. Psalm. *In circuitu impij ambulant.* Item: *Viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.* Ecclesiast. 10. *Labor stultorum affliget eos qui nesciunt ad vrbem pergere.* Thren. 4. *Errauerunt cæci in plateis.* Fide homo in via dirigitur. Et quia via ardua est, spe omnipotenti innititur. Et per charitatem suauitate summi boni trahitur. Trahit enim sua quemque voluptas. Cantic. 8. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, delicijs affluens, innixa super dilectum?* Augustinus in libro de libero arbitrio. Tanta est iucunditas diuini

Tria ad benè operandum exiguntur.

Psal.

aſpectus, quod non poteſt videri ſine amore. Harum trium virtutũ eſt mentem virginem caſtam exhibere Chriſto. Virginitas enim mentis (vt ait Auguſtinus) conſiſtit in hoc quod fides ſit integra, ſpes ſolida, & charitas ſyncera. Et vt ait idem Auguſtinus in libro de doctrina Chriſtiana: homo fide, & charitate ſubnixus, & eas inconcuſſe retinens, non indiget ſcripturis, niſi ad alios inſtruendos. Et ſubdit: Multi per hæc tria etiam in ſolitudine ſine codicibus viuunt. Fides (vt ait Auguſtinus) nos Deo ſupponit, ſpes erigit, charitas vnit. Fide agnoſcimus nos ſub Deo eſſe, & debitores eſſe ſeruitij. Spes nos eleuat, vt audeamus aggredi quod ſupra vires noſtras eſt. Charitas verò nos facit vnũ eſſe cum Deo. Amor enim eſt vis vnitiua, vt dicit Dionyſius. Inter virtutes theologicas prius de Fide dicetur: quia actus fidei prior eſt actu ſpei & charitatis; vt patebit inferius.

SECVNDÆ PARTIS PRINCIPALIS DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS,

TRACTATVS SECVNDVS DE FIDE.

CAPVT PRIMVM.

De ordine dicendum in hoc tractatu, & de neceſſitate fidei.

DE Fide verò hoc modo dicemus. Primò oſtendemus neceſſitatem huius virtutis. Secundò deſcriptiones eius ponemus. Tertiò, de vnitate fidei tangemus. Quartò, commendationi ipſius inſiſtemus. Quintò, tangetur de articulis. Sextò, de erroribus & cauſſis errorum. Septimò, ad diuerſitates fidei deſcendemus. Circa primum, notandum quod cum homo ſit ab aliquo, & ſub aliquo, & ad aliquid, & ſupra aliqua, neceſſe habet cognoſcere illum à quo eſt, ne ſit de tanto beneficio ingratus, & per conſequens cæteris beneficiis indignus. Bernardus. Ingratitudo eſt ventus vrens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ. Item, neceſſe habet cognoſcere eum ſub quo eſt, ne ſit inutilis ſeruus, & per conſequens iræ Domini pœna dignus. Prouerb. 14. *Acceptus eſt regi miniſter intelligens: iracundiam eius inutilis ſuſtinebit.* Matth. 25. *Seruum inutilem proiicite in tenebras exteriores.* Circa illum verò ſub quo eſt, neceſſe habet cognoſcere & eius maieſtatem, vt ſciat eum glorificare. Maieſtas eſt quod ſignificatur per hoc aduerbium, ſumme: quum dicitur, ſumme potens, ſumme ſapiens, ſumme bonus. Et quæ ſit eius voluntas, vt ſciat ei ad eius beneplacitum ſeruire. Et iuſtitiam, & miſericordiam eius in ſeruos ſuos, & exhibitam & exhibendam iuſtitiam in offendentes, miſericordiam in debito modo ſeruientes. Item neceſſe habet cognoſcere illud ad quod eſt. Sine hac cognitione erit in mari huius mundi quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo. Prouerb. 23. Et neſciet ſe dirigere: neſcit ſe regere qui ignorat quo debeat tendere. In exilio etiam huius mundi quaſi in patria appetit manere. Gregor. Qui peregrinationem pro patria appetit, inter dolores dolere neſcit. Item in itinere præſentis vitæ & fatigabitur, & quiete finis fruſtrabitur. Auguſt. in lib. Confeſſ. Domine feciſti nos, ad te inquietũ eſt cor noſtrum donec requieſcat in te. Neceſſe etiam habet cognoſcere à quo teneat ea ſupra quæ poſitus eſt, ne ſit infidelis ſeruus in his in

quibus solum ministeriũ habet, sibi vsurpans dominium, vel alij quam debeat seruitium reddens: & ita qui pro fidelitate fuerat remunerandus, pro infidelitate sit puniendus. Matth. 25. *Euge serue bone & fidelis quia super pauca, &c.* Et Lucæ 16. *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?* Alienum est bonum transitorium, nostrum est bonũ æternum. Bern. in quodam sermone aduentus. Terrenæ diuitiæ nec vestræ nec nostræ sunt. Et paulò post: Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Psalm. *Homo cum interierit non sumet omnia, nec descendet cum eo gloria eius.* Conuenientissimus verò modus cognoscendi prædicta per fidem est: nec mirandum est si oportet habere cognitionem per fidem de patre inuisibili à quo sumus, quum etiam de parentibus carnalibus aliter cognitio haberi non possit: vt ostendit Gregor. 4. lib. dialog. his verbis: Audenter dico, quia sine fide neq; infidelis viuit. Si eundem infidelem percontari voluero, quem vel quam matrem habuerit, protinus respondet illum atque illam: quem si statim requiram: vtrum nouerit quando conceptus sit, vel viderit quando natus fuerit, nil vel vidisse, vel nouisse minime fatebitur: & tamen quod non vidit, credit. Item si de ipso suo visibili corpore credunt quod minime viderunt, cur inuisibilia non credunt, quæ corporaliter videri non possunt? Iste modus cognoscendi & Deo est gloriosus, & homini meritorius, & laude dignus, & hunc requirit natura eorum quæ cognoscẽda sunt, & etiam natura eorum qui cogniturі sunt. Quod Deo sit gloriosus, ex hoc patet quod gloriosum est principi si simplici verbo eius credatur absque cautione pignoris, vel iuramenti, vel fideiussoris. Ignominiosum verò est ei si simplici verbo eius non credatur. Etiam cuilibet viro notæ bonitatis & sufficientis facultatis molestum est, si simplici verbo eius non credatur: quanto magis Regi gloriæ qui nec falli, nec fallere potest, displicet, si non credatur verbis eius sine cautione rationum quam quærũt gẽtiles, vel cautione signorum quam quęrunt Iudæi? 1. Corinth. 1. Iudæi signa petunt, Græci sapientiam quærunt. Quantum Deus offendatur per hoc ostendit Matth. 12. & 16. *Generatio mala & adultera signum quærit.* Eiusdem 17. *O generatio incredula & peruersa vsquequo patiar vos?* Hippocrates & Pythagoras indixerũt hanc legem discipulis suis, vt non essent ausi in sententiis suis interrogare, propter quid: sed esset eis pro ratione dicẽtis auctoritas: quanto magis auctoritas diuina pro ratione habenda est? Meritorius etiam est homini hic modus cognoscendi. Cum enim homo assentit Deo in his quæ non sunt sensui manifesta, nec per se nota intellectui, nec violentia necessariæ probationis ostensa libera est assensio illa, & ideo meritoria: assensio verò qua homo assentit vel manifestis sensui, vel per se notis intellectui, vel necessario probatis, meritum non habet, quia quasi coacta est. Vnde gloss. super illud ad Hebræos 10. *Habentes fiduciam in introitum sanctorum in sanguine Christi, &c.* Fides non habet meritum vbi humana ratio, id est, humanus sensus prębet experimentum. Quę gratia est creditori si sub bona cautione credat verba alicuius? Item hic modus cognoscendi laude dignus est. Non est virtuosum videre lucidum, sic nec credere quod manifeste probabile est. Sed virtuosum & laude dignum est credere Deo in his quæ sensus, vel ratio videtur dissuadere. Sicut fecit Abraham, de quo legitur. Rom. 4. *Quod contra spem in spem credidit.* Glossa. Prior. Spes secundum naturam fuit, dum iuuenis ex iuuencula secundum naturam sperauit sobolem, nec tamen habuit: modo contrarium illi spei sperauit, scilicet vt vetulus ex vetula sterili generaret. De eodẽ habes Genes. 15. dicit Dominus Abraham: *Qui egredietur de vtero tuo, habebis eum hæredem:* Et ibidem: *Suspice cœlum & numera stellas si potes, sic erit semen tuum.* Impossibilia poterant hæc videri, quum Do-

Meritum de credere.

minus conclusisset Saram. Genes. 16. Et quum ipsa consenuisset, & Abraham vetulus esset. Eiusdem 18. *Et tamen credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Eiusdem 15. Similiter beata virgo beatificatur. Lucæ 1. quæ credidit angelo in illa sublimi promissione: *Beata,* inquit, *quæ credidisti, &c.* E contrario verò Moyses & Aaron puniuntur de incredulitate. Numer. 20. *Quia non credidistis mihi vt sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in terram quam daturus sum eis.* Et Zacharias similiter punitur. Lucæ 1. *Ecce,* inquit angelus, *eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis.* Ecclesiast. 16. In gente incredibili exardescit ira. Apocalyp. 21. *Timidis & incredulis pars illorum erit in stagno igne ardenti, & sulphure, quod est secunda mors.* Natura eorum quę cognoscēda sunt, requirit hunc modū cognitionis, cum quædam eorum sint prę-terita, quædam futura. Et cum quædam sint in cœlo, quædam in inferno. Quomodo enim de his omnibus cognitio haberi poterit, nisi per fidem? Præterea Deus, de quo hæc cognitio principaliter est, lucem habitat inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, nec videre potest. 1. Timot. 6. Exod. 33. *Non videbit me homo, & viuet.* Esaiæ 45. *Verè tu es Deus absconditus.* Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam, nisi vnigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit.* Et Matth. 11. Nemo nouit filium, nisi pater: neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui filius voluerit reuelare. Credendum est ergo de Deo filio enarranti, & his quibus filius enarrauit, quum à nobis in præsenti videri non possit. Et secundùm verbum Hilarij, soli Deo de se credendum est, qui se solus nouit. Benè credit Deo, qui credit sanctis in quibus Deus loquitur. Nec mirandum est si necesse habemus credere Deo de se, quum homini de interioribus suis necesse habeamus credere, 1. Corinth. 2. *Quis scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* Ita & quæ Dei sunt, nemo nouit, nisi spiritus Dei. Et subditur: *Nos autem non spiritum mundi huius accepimus, sed spiritum qui ex Deo est.* Gloss. Ambros. Manifestum est cogitationes à nullo sciri, nisi ab animo nostro. Nō timeas viris sanctis credere assensum tuum, cum Dominus eis crediderit sensum suum. 1. ad Corinth. 2. *Nos autem sensum Christi habemus.* Gregorius etiam in quarto libro dialogorum dicit. Quisquis incredulitate inuisibiliū solidus non est, debet procul dubio maiorum dictis fidem prębere, eisque per Spiritū sanctum inuisibilium experimentum habentibus credere. Nam stultus est puer, si matrem ideo existimat de luce mentiri, quia ipse nihil aliud quā tenebras carceris nouit. Loquitur Gregorius de puero nato, & nutrito in carcere, cui mater quæ grauida de eo posita fuit in carcere, de luce solis quam ipsa quādoque nouit, loquitur. Natura etiam eorum qui cognituri sunt, hunc modum cognitionis requirit. Cognitio enim ista pertinet ad communitatem hominum, imo ad vniuersitatem. Est enim cognitio necessitatis, sine qua nō est salus. Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Multi verò sunt qui capaces non sunt rationum, quibus eis persuadere possint ea quæ necesse est cognosci accedentibus ad Deum: vnde oportet eos credere his qui talium sunt capaces. Bruta animalia non sunt Dei perceptibilia: sic nec homines animales capaces sunt eorū quæ Dei sunt, nisi credendo viris spiritualibus. 1. Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt.* Vbi ostendit gloss. August. quod animalis est quis vel in vita vel in sensu. Vita animalis est quam intra naturalis ordinis metas spiritus rector non continet, eo quod ipse Deo regendum se non subiicit. Animi verò sensu quis animalis est; quia de Deo iuxta corporum fantasiam, vel legis literam, vel rationē physicam iudicat. Iste modus cognoscēdi supplet defectus aliarum cognitionum. Si alicui deficit visus, necesse habet credere alij de via & de aliis

quæ ad visum pertinent. Si est intellectus parui & rudis, necesse habet credere his qui habent magnum intellectum & exercitatum. Discentem enim oportet credere. Ergo quum prædicta sensui non subiaceant, & intellectus humanus secundùm verbum Philosophi, se habeat ad diuinam essentiam sicut visus noctuæ ad solem, necesse est per fidem talia cognosci. Præterea cum Deus altissimus sit, non est possibile reperire scalam sufficientis rationis, qua quilibet ad eum attingat. Non attingit Nanus quocunque attingit Gigas: nec attingit qui est parui intellectus, ad comprehendendum per rationes omnia ad quę attingit qui est magni intellectus. Item qui non appropinquat rei subtili, non potest eam videre, licet ille qui propinquus est, eam videat. Sic homines qui in sensibilibus cōmorantur, non appropinquātes studio vel exercitatione ad ea quæ sunt inuisibilia, non possunt ea cognoscere quæ agnoscūt qui studio & exercitatione propinquant. Philosoph. Imperiti velut longe distantes speculantur. Item intellectus grossus subtilia videre non potest. Qui habet turbidum oculum, non videt pilum quem videt qui habet clarum: non videt visus humanus, quidquid videt aquilinus: non potest ergo communitas hominum cognoscere quę necesse est cognosci accedentibus ad Deum, nisi per fidem. Fides est qua intellectus humanus Deo subditus est, qui indubitanter subiectionem ei debet, sicut & affectus cum ab eo similiter sit. Nulla enim ratio est quare potius intellectus ab hac subiectione sit exēptus, quam affectus. Et cum duæ sunt partes legis Dei, scilicet testimonia & mandata: intellectus credit testimonia, sicut affectus implet mandata. Item cum intellectus induendus est gloria sicut & affectus, & gloria ipsius intellectus principalis videatur esse secundum id quod dicit gloss. super illud Psal. *Ostendam illi salutare meum*: id est, Christum in maiestate. Hæc visio est tota merces. Intellectus hic gratia fidei induendus. Quomodo enim fieret in futuro à Deo gloriosus, nisi in præsenti Deo esset gratus vel gratiosus?

Caput II.

De descriptionibus Fidei.

Ostensa necessitate fidei ponēdæ sunt descriptiones eius. Prius tamen notandæ sunt diuersæ acceptiones huius nominis fides, vt appareat quomodo hic fidem accipiamus. Fides quandoque dicitur sponsio. 1. Tim. 5. *Quia primam fidem irritam fecerunt.* Quandoque fidelitas. Prou. 20. *Virum fidelem quis inueniet?* Quandoque conscientia. Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Quandoque creditum, vel collectio creditorum. Vnde Athanas. Hæc est fides catholica. Quandoque sacramentum fidei. August. ad Bonifac. Quid est paruulos habere fidem, nisi fidei sacramentum? Quandoque fides informis. 1. Cor. 13. *Et si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, &c.* Quandoque fides viua, sic sumitur hic, & secundum hoc sic describitur. Heb. 11. *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Fides substantia est. Substantia stat sub accidentib. ea supportans & sustinens, & non eget alio subiecto. Sic fides in ædificio spirituali substat, totum ædificium supportans & sustinens, non eget virtute aliqua quæ eam præcedat. Ipsa est firma petra supra quam sapiens ædificat domum suam. Matth. 7. & eiusdem 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Petram vocat firmitatem fidei in Petro. Hoc fundamentum non timet, nec pluuiam, nec flumina, nec ventos. Nec mirum. Innixum enim est primę veritati: Fides n. innititur primæ veritati. Matth. 7. *Descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & non cecidit, fundata enim erat supra firmam petram.* Pluuia quæ desursum venit, est imaginatio aëreæ potestatis. Flumina quæ de montibus descendunt, sunt persecutiones

potentum. Venti dicuntur omnium tentationum genera. De hoc fundamento legitur. Corinth. 3. *vt sapiens architectus fundamentum posui.* Gloss. id est fidem Christi. Et paulo post: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positũ est, Iesus Christus*, id est, fides Christi. Apocalyp. 21. *Fundamentum primum iaspis.* Iaspis viridis est coloris, & fugat fantasmata, & fidem significat, quæ viriditate æternorum oculos cordis delectat, & vanitatem huius mundi quæ quasi fantasma est fugat, dum fugiendum esse indicat. Augustinus. O munde immunde quid strepis? quid auertere conaris, tenere vis fugiens, quid faceres si maneres? Absque fundamẽto fidei vanum est ædificium spirituale: id est, vadens in nihilum. Sapient. 13. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Scientia Dei, seu cognitio, fides est. Sine hoc fundamento est ædificium spirituale quasi supra arenam, quod necesse habet corruere ad descensũ pluuiæ, vel impetum fluminis, vel venti. Matth. 7. *Descendit pluuia, venerunt flumina: & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit.* In descriptione fidei res sperandæ ponuntur: quia digniores sunt inter ea quæ sunt fidei, & quia sunt finis. Sicut enim fides bonum inchoat, sic adeptio rerum sperandarũ cõsummat. Actus vero sperandi potius nominatur ibi quam diligendi, quia immediatus est ad actum fidei: & quia sic notatur absentia eorum, de quibus est fides, diligi possunt & præsentia & absentia; sed non sperantur, nisi absentia, vel futura. Fides autem dicitur substantia rerum sperãdarum: quia causa est vt res quæ sperantur in futuro, in nobis subsistant. In præsenti etiam quodammodo facit eas in nobis subsistere. Per fidem enim futura bona menti nostræ quodammodo sunt præsentia: per eam etiam quæ inuisibilia sunt quodammodo videntur. Propter primũ, dicitur substantia rerum sperandarum: propter secundum, dicitur argumentum non apparentium. Gloss. Fides propriè est de his quæ nõ videntur. De visis enim non est fides, sed agnitio; & subditur: Hæc est laus fidei, si quod creditur non videtur. Fides dicitur argumentum non apparentium, quia est inuisibilium certitudo: vt dicit gloss. super Galat. 5. ipsa est probans non probatum: dedignatur enim esse conclusio. Tria sunt quæ sequuntur ex hoc argumento, scilicet articulorum certitudo, vitæ rectitudo, præmij æterni celsitudo. De primo iam habitum est. De secundo habetur, Rom. 1. *Iustus autem ex fide viuit*: id est, vitam suam regit & disponit. De tertio, Ioann. 3. *Qui credit in filio, habet vitam æternam.* Fides nobis primo proponitur. Secundo vitæ rectitudo assumitur, ex quibus vita æterna concluditur. Ex certitudine fidei infertur vita æterna, tanquam ex imperfecta argumentatione. Ioan. 6. *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Ex fide vero cum vitæ rectitudine, quasi ex perfecta argumentatione vita æterna infertur. Ex fide cum vitæ prauitate concluditur mors æterna. De qua conclusione. Ezech. 7. *Fili hominis fac conclusionem: quoniam terra plena est iudicio sanguinum, & ciuitas plena iniquitate.* Iacob. 2. *Quid proderit fratres mei, si fidem se dicat quis habere: opera autem non habeat, nunquid poterit fides saluare eum?* Secundum Chrysost. Fides maiorum est, argumentum fidei minorum. Confirmatur enim fides in minoribus per hoc quod tot & tam sancti homines eam tenuerunt. Et notandum quod ad viuam fidem duo pertinent, scilicet primam veritatem cognoscere, & in ea tanquam summum bonum vel beatitudinem tendere. Quantum ad primum, dicitur fides argumentum non apparentium. Quantum ad secundum, dicitur substantia rerum sperandarum. Item fides sic describitur ab August. in libro de Prædest. sanct. Fides est cogitare cum assensione ea quæ ad Christianam pertinent religionem. Et Isidor. Fides est qua veraciter credi-

Duo ad fidẽ necessaria.

Fidei definitio.

mus. Chrysost. dicit quod fides est sanctissimæ religionis fundamentum. Religio (vt ait Isido.) est appellata, quod per eam vni Deo religamus animas nostras ad cultum diuinum seruiendi vinculo. Magistraliter etiam sic describitur: Fides est virtus qua ea quæ ad fundamentum religionis pertinent, rectè firmiterque creduntur. Ber. in lib. de Consideratione: Fides est voluntaria quædam & certa prælibatio necdum propalatæ veritatis. Et notandum quod quatuor videntur facere ad hoc quod fides viua licet sit cognitio, virtus sit. Primum est, quod actus ipsius multum habet à voluntate. Sicut enim ille qui multum amat aliquem, voluntarius est ad credendum bona de eo; mala vero de eo credere non vult: Sic ille in quo est amor Dei intensus, voluntarius est ad credendum de Deo omnia quorum credulitatem credit esse placitam Deo: vnde sine ratione sufficiẽti assentit talibus. 1. Corinth. 13. dicitur quod *charitas omnia credit.* Secundum est, quia consentit his in quæ difficile est consentire. Vnde sicut diligere inimicum, virtutis est, cum ad dilectionem illam meritum eius qui diligitur non iuuet, sed potius repugnet: sic consentire Deo in his quæ contra rationẽ videntur esse, virtutis est. Tertium est, quod fides viua radius viuus est procedens à fonte vitæ, à sole scilicet intelligentiæ. De quo Sapient. 5. *Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Fides mortua est, sicut lumen solis, quod est in locis obumbratis, non habens calorem. Fides vero viua non solũ lucet, sed etiam calefacit: nec solum lumen est ostendendum, sed etiam vitam mouens: scilicet ad faciendum bonum & declinandum à malo. Cui videtur concordare quod dicit Aristotel. de Diuina sciẽtia, quod plus est virtus quam ars. Quartum est, quod mira operatur, vt infra patebit. Marci vltimo: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur.* Sicut impetuositas fluminis tunc primo apparet quũ fluuius inuenit obstaculum: sic fidei virtuositas, cum aliquid impugnans habuerit. Item fides potest describi: Fides est digna Deo credulitas. Credulitas digna Deo est, credere ei propter se: & super illud 2. Corinth. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis,* dicit glossa, quod cogitare est initium fidei, assentire autem summæ veritati propter se & super omnia, est eius complementum. Et notandum, quod licet fides viua non assentiat primæ veritati principaliter propter rationes: tamen rationes possunt esse introductiuæ ad eam. Sed postquam ipsa introducta fuerit, dicit sicut dixerunt Samaritani mulieri Samaritanæ: *Iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est saluator mundi.* Ioann. 4. Augustinus in libr. de Correctione & gratia: Aliud est adiutorium sine quo aliquid nõ fit, & quo aliquid fit: nam sine alimentis non possumus viuere: non tamen afferunt alicui alimenta quod viuat qui mori voluerit, quasi causa sine qua non fit vel ratio fit. Fides viua in anima est, vel speculum creaturarum, vel miracula, vel rationes, vel doctrina: sed lux infusa desuper principalis causa est, quod intellectus consentiat firmè in ea quæ sunt fidei. Vnde Augustinus dicit, quod fides est illuminatio mentis ad summam veritatem. Et super illud Marci 9. *Credo Domine, adiuua meam incredulitatem,* dicit gloss. Credulitas nostra infirma est, nisi sit innixa adiutorio Dei.

Fidem viuam faciunt quatuor. 1. 2. 3. 4.

CAPVT III.

Quod vna sit vera Fides. Et quod illa sit Christiana, multis argumentis ostenditur.

SEquitur de vnitate fidei, de qua legitur Ephes. 4. *Vnus Dominus, vna fides.* Quinque vero videntur facere ad vnitatem fidei. Primo hoc, quod illud de quo principaliter est fides, vnum est. Vnde

Quinque sequitur vnitatem fidei. 1.

de ſuper illud, *Vna fides*, dicit gloſſ. Vnũ & idem eſt quod creditur à cunctis fidelibus. Vnde fides catholica dicitur: id eſt, vniuerſalis. Deus de quo fides eſt, principaliter vnus eſt, & non mutatur. Exod. 10 *Audi Iſraël, Deus tuus vnus eſt*. Pſal. *Non erit in te Deus recens*. Iac. 2. *Apud quem non eſt transmutatio*. Hier. *Nec fides mutatur*. Tob. 2. *Vitam illam expectamus, quã Deus daturus eſt his qui fidem ſuã nunquã mutant ab illo*.
2. Secundo hoc, quod fides eſt lumen infuſum deſuper, & non eſt à probabilitate rerum quæ creduntur: ideo non diuerſificatur ſecundum diuerſitatem rerum creditarum. Ipſa eſt lucerna quam Dei ſapientia accendit ad recuperandam drachmam perditam. Luc 15. gloſ. drachma eſt nummus certæ quantitatis habens imaginem regis. Drachma perdita eſt: homo qui ad imaginem Dei creatus, in peccatum lapſus eſt. Ad eandem lucernam poſſunt diuerſa videri, & vna fide diuerſa credi.
3. Tertio hoc, quod vna eſt ratio credendi in omnibus articulis, ſcilicet prima veritas, cui fides vna ſemper principaliter innititur. Credulitas quæ per rationes eſt, ſecundum diuerſitates rationũ debet diuerſificari: ſed non ſic eſt in fide.
4. Quarto hoc, quod natura hominum vna & eadem eſt apud omnes: ergo & naturalia hominum eadem debent eſſe apud omnes: ſed intellectus debet Deo de iure naturali obſequium fidei: ergo fides vna & eadem debet eſſe apud omnes; vnica ergo eſt vera fides.
5. Quinto hoc, quod affectiones quas affectus hominis debet Deo, eædem ſunt apud omnes: ergo & eadẽ ratione quod debet intellectus Deo, idem erit apud omnes. Præterea affectionum cauſæ ſunt apprehenſiones præambulæ: vt timoris cauſa eſt apprehenſio diuinæ potentiæ vel iuſtitiæ: ſpei cauſa eſt apprehenſio diuinæ liberalitatis, vel miſericordiæ: amoris cauſa eſt apprehenſio diuinæ bonitatis: ergo cum affectiones iſtæ eædem ſint apud omnes, & apprehenſiones quæ ſunt cauſa illarum eædem erunt apud omnes. Apprehenſiones vero de Deo in præſenti oportet eſſe fidei, propter prauitatem intellectus hominum, ſicut prius oſtenſum eſt: ergo vera fides vna & eadem eſt apud omnes. Præterea aut aliquod obſequium debet Deo intellectus humanus: quod ſine eius iniuria nõ poſſit non ſoluere, aut nullum. Si dicatur quod nullum, oſtenditur hoc eſſe falſum, per hoc quod ſimili ratione nec affectus aliquod obſequium deberet Deo, nec etiam corpus: ergo Deus non eſſet Dominus verus, cum nullum ſeruitium deberetur ei. Præterea conqueritur Dominus de ſubtractione ſeruitii affectus Malach. 1. *Si pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?* Præterea certum eſt cuilibet habenti rationem bene diſpoſitam, quod ſine Dei iniuria non poteſt Deum non eſſe adorandum, vel venerandum, vel timendum, vel amandum. Præterea omnis ſecta igne & ferro perſequitur ſentientes contraria fidei ſuæ, etiam potius quam fures vel raptores. Philoſophus etiam dicit, eos qui dicunt deos non eſſe adorandos, pœna indigere. Relinquitur ergo quod aliquod certum ſeruitiũ intellectus debetur Deo, quod ſpecialiter conſiſtit in credendo illi. Aliud enim obſequium ſecundum intellectum non videtur ei poſſe ſoluere vniuerſitas hominum. Cogitare ſolum ſiue bonum, ſiue malum, non videtur meritorium eſſe vel demeritoriũ: alioqui Deus qui omnia mala videt, peſſimus eſſet: ergo aſſenſus vel diſſenſus cogitationis adueniens, meritum vel demeritum facit. Aſſenſus poſſibilis vniuerſitati hominum circa illa quæ de Deo ſunt, fidei eſt: ea autem quæ homo tenetur credere de Deo, non ſunt infinita. Sunt ergo aliqua certa quæ quilibet adultus niſi mente alienatus tenetur credere de Deo. Vnde. Heb. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Vbi dicit gloſſ. Sine hac fide nemo vnquam ſaluari potuit. Si quis tamen obiiciat quod

Seruitiũ intellectus erga Deũ, eſt credere Deo.

non est necesse eadẽ credi de Deo ab omnibus propter paruitatẽ intellectus quorundam, vel propter defectum doctrinæ vel gratiæ, sed sufficit quædam de Deo credi ab vno, & alia ab alio. Ad hoc dicendum est, quod nullus est adultus nisi sit mente alienatus, cuius intellectus capax esse non possit eius quod est Deum esse timendum, honorandum, amandum, & in eo esse sperandum: & nunquam fuit mundus quin habuerit doctrinam sufficientem ad huiusmodi credenda. Vnde Greg. loquens de parabola illa quæ est de operariis in vineam missis, Matth. 20. dicit, Paterfamilias conditor noster est qui habet vineam vniuersalem Ecclesiam, quæ ab Abel vsque ad vltimum electum qui in fine nasciturus est, quot sanctos protulit, tot palmites misit. Hic pater exiit ad excolendam vineam manè hora tertia, sexta, nona, vndecima, operarios conduxit: quia à mundi huius initio vsque ad finem ad erudiendam fidelium plebem, prædicatores mittere non desistit. Gratia etiam non deest alicui adulto sanæ mentis ad prædicta, nisi culpa eius impediat. Si quis tamen esset in loco vbi doctrinam circa talia non posset habere, verisimile est nisi culpa sua hoc impediret, occultam inspirationem ei vicem doctrinæ supplere, vel per creaturam pulchritudinem de conditore & rectore vniuersitatis admoneri. Est igitur vna fides vera omnium vere fidelium, licet inter eos aliqui plura, aliqui pauciora de Deo explicite credant. Omnes tamen parati debent esse credere Deo in omnibus quæ vel per se, vel per viros fide dignos eos docere vellet. Debent etiã omnes credere omnia illa esse vera quæ prophetæ & alii homines spiritu Dei edocti crediderunt & docuerunt. Omnes autem sectæ quantum ad ea in quibus non conueniunt cum illa vera & vnica fide, errores sunt.

Argumenta quibus fides Christiana vnica & vera ostenditur.

Illa vero vera & vnica fides, fides Christiana est: sicut multipliciter potest ostendi. Et primo miraculorum confirmatione. Nulla enim alia facta habet miracula ad sui confirmationem. Miracula huius fidei ab Abel filio Adam facta leguntur. De quo legitur Genes. 4. *Respexit Deus ad Abel & ad munera eius.* Quomodo respexit, alia translatio determinat, quæ sic habet: *Inflammauit Deus super Abel & super munera eius.* Ignis enim de cœlo oblationem eius incendit: vt legitur factũ Eliæ in Carmelo. 3. Reg. 17. Et in leuit. 9. sub Moyse. Deinde subsecuta sunt miracula sub Noe, & sub Abraham, & sub aliis vsque ad legem Moysi: & in gente Hebræorum multiplicata sunt, & ab exitu Ægypti vsque ad ingressum terræ promissionis consolata sunt gentem illam, & donec gens illa deseruit hanc fidem, non deseruerũt eam miracula. Tandem cum hac fide in Apostolis miracula translata sunt ad Ecclesiam ex Iudæis & Gentibus collectã. Miracula vero quibus hæc fides cõfirmata est, talia fuerunt quod solus Deus ea facere poterat: sicut fuit statio solis & lunæ ad spatium XII. horarũ ad præceptum Iosüe ministri Dei obediente Domino voci hominis, Ios. 10. Et regressus solis tempore Ezechiæ. Esa. 38. Et obscuratio solis & lunæ in passione Domini facta, propter quam Philosophi qui Athenis erant, non valentes inuenire naturalem causam illius obscurationis, inducti sunt ad hoc vt dicerent quòd Deus naturæ patiebatur: & constituerunt aram illi Deo ignoto, de qua Act. 17. *Quis dubitat de hoc quod ille solus cursum solis mutare potest qui instituit?* Item notitia linguarum data Apostolis, & illuminatio subdita, quia qui erant idiotæ docti facti sunt secundum promissionem eis factam à Christo. Ioan. 14. *Paracletus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia &c.* Luc. 21. *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes ad-*

Fides vna ostenditur. 1. Miraculis.

uersarij uestri. Item roboratio Apostolorum, qui cum adeo debiles essent quod Petrus qui maior videbatur esse, ad vocem vnius ancillæ, dum mori timuit, vitam negauit, virtute Spiritus sancti induci ex alto adeo fortes facti sunt vt nullum timerent. Luc. vlt. *Sedete in ciuitate quousq; induamini virtute ex alto.* Non timebant eos qui iam Dominum eorum occiderant. Act. 4. *Non possumus,* inquiunt Petrus & Ioannes, *quæ vidimus & audiuimus non loqui.* Item subiugatio mundi per paucos simplices. Bernard. licet magna & diuina planè fuerint miracula quæ Dominus gessit in terris: hoc tamen super omnia alia enituit, quod in paucis simplicibus totū mundum & omnem eius altitudinem sibi subiugauit. Item cōiunctio fidei cum ratione quasi per totum mundum, quod est vnum trium operum mirabilium Dei quæ enumerat Bern. dicens: Tria opera, inquit, fecit omnipotens illa maiestas in assumptione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, vt talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Coniuncta sunt quippe ad inuicem Deus & homo, mater & virgo, fides & cor humanum. Multi etiam mortui resuscitati sunt & à Christo, & à fidelibus in nomine Christi. Quis autem dubitat, quod Deus solus qui homini vitam dedit, potest ei eam reddere postquā eam amisit? Ioan. 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam.* Quomodo purus homo hoc posset? Posita enim anima iam non esset homo qui eam posset sumere. Cum enim anima ponitur, homo desinit esse. Qui verò non est, se reficere non potest. In nomine etiam Christi cœci sunt illuminati, leprosi mundati, paralytici & alij infirmi insanabiles secundum naturam sanati. Quæ omnia quum Deus qui solus ea facere potuit, ad confirmationem dictæ fidei fecerit, & certissimum sit Deum nolle testificari mendacium aliquod, nec velle miraculis homines inducere in errorem, nec eos subtrahere à cultura sua, & sic diminuere gloriam suam: manifestum est veram fidem esse fidem Christianā, quam Deus sic confirmare voluit. Nullus enim intellectus benè dispositus hoc reciperet, quod prima veritas posset esse mendax, vel vellet esse causa erroris sibi contumeliosi. De hac testificatione dicitur. 1. Ioan. 5. *Qui non credit Filio, mendacem facit Patrem, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.* Item Ioan. 5. *Ego habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater vt perficiam, ea ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me: quia Pater misit me.* Item eiusdem 15. *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Et eiusd. 14. *Pater in me manens ipse facit opera: Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est?* Alioquin propria ipsa opera credite: Si quis tamen dicat miracula illa non esse facta ad fidei testificationem: Patet hoc falsum esse per modum quo miracula facta sunt. Et exempli causa pauca miracula ponamus. Matth. 9. dicit Christus: Vt sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata: tunc ait paralytico. *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam, & surrexit, &c.* Patet ex ipsa litera miraculum illud factum esse in testimonium fidei. Et Act. 3. dixit Petr. claudo ex vtero matris suæ: *In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula.* Et sequitur: *Et protinus consolidatæ sunt bases eius, & plantæ, & exiliens stetit & ambulabat.* Et de Dion. Areopagita legitur, quod cum disceptaret cum Paulo, fortè pertransiit cœcus per viam coram eis, & statim ait Dionys. Paulo: Si dixeris huic cœco: In nomine Dei tui, vide, & viderit, ego credam statim. Sed ne vtaris verbis magicis, quia forte nosti verba quæ habent huiusmodi efficaciam, ego præscribam tibi formam verborum. Hanc, inquit, formam verborum dices ei. *In nomine Iesu Christi nati de Virgine, crucifixi, mortui, qui resurrexit & ascendit in cœlum; vide.* Et vt omnis tolleretur suspicio, præcipit

Paulus Dionysio vt ipse eadem verba proferret. Et in ea verborum forma dixit Dionysius cæco vt videret: & statim vidit, & cōfessus est Dionysius se credere. De probatione per miracula, dicit Petrus Act. 2. *Iesum Nazarenum verum approbatum à Deo in vobis virtutibus, & prodigiis & signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut vos scitis: hunc definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes interemistis.* Et Bern. in serm. de Ascens. ostendit Christum perfecisse probationem domini sui, cum in cœlum ascendit, his verbis: Cum Iesus se dominum vniuersorum quæ sunt in terra, & in mari, & in inferno probasset, non restabat nisi vt aëris & cœlorum se Dominum probaret. Terra eum Dominum cognouit, quia ad vocē virtutis eius cum clamaret voce magna, *Lazare veni foras*, mortuum reddidit. Cognouit mare, quia solidum se præbuit sub pedibus eius. Cognouit infernus, cuius ipse portas aëreas & vectes ferreos cōfregit, & satanam ligauit. Sic quam qui in ore piscis cum ipso pisce stateram inuenire prædixit, proculdubio & maris, & omnium quæ in mari sunt Dominus fuit. Qui mortuos suscitauit, leprosos mūdauit, cæcos illuminauit, omnes effugauit infirmitates, Dominus omnium fuit, & eadem manu qua fecerat quæ defecerant reficiebat. Ad perficiendā igitur fidei nostræ integritatem restat, vt videntibus discipulis per medium aëris Dominus ascendat, & tunc probabitur, quia *Dominus vniuersorum es*, etiam tibi profecto debebitur, vt in nomine tuo omne genu flectatur. Circa miracula verò notabile est, quod ministri Christi post passionem eius in nomine ipsius maiora miracula fecerūt quam Christus fecisset, sicut ipse promiserat. Ioan. 4. *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Maius fuit, quod ad vmbram Petri sanabantur infirmi, Act. 5. quam quod ad tactum vestimenti eius mulier fluxum sanguinis patiens sanata est, Matth. 9. Item lōge fuit maius quod duo latrones qui veneno sumpto mortui erant, suscitati sunt tunica B. Ioan. Euang. posita super eos. Item Dominus in Euangelio legitur tres mortuos suscitasse: sed de B. Andrea legitur, quod quadraginta submersos suscitauerit: Item sancti non solum viui, sed & mortui fidem istam miraculis confirmauerunt. Et vt vno verbo dicam, quasi vniuersitas rerum fidē istam mirabiliter confirmauit. Vnde Greg. in Hom. Epiph. Omnia, inquit elementa authorem suum venisse testata sunt: vt enim de his quidem vsu humano loquar, Deum hunc cęli esse cognouerunt, quia protinus stellam miserunt. Mare cognouit, quia sub plantis eius se calcabile præbuit. Terra cognouit, quia eo moriente cōtremuit. Sol cognouit, quia lucis suæ radios abscōdit. Saxa & parietes cognouerunt, quia tempore mortis eius scissa sunt. Infernus cognouit, quia hos quos tenebat mortuos reddidit, & tamen hunc quem Dominum omnia insensibilia elementa senserunt, adhuc infidelium Iudæorum corda Deum esse minime cognoscunt, & duriora saxis scindi ad pœnitentiam nolunt: eumq; confiteri abnegant, quem elementa (vt diximus) aut signis aut scissionibus Deum clamant. Secūdo potest veritas fidei Christianæ testiū multitudine, omni exceptione maiore ostendi: & primo producamus in medium Ioannem Baptistam, qui à prophetis prædictus fuit. In Psal. *Paraui lucernam Christo meo.* Esa. 40. *Vox clamantis in deserto, &c.* Et Mal. 3. *Ecce ego mittam Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Hunc Deus miraculose nasci fecit in mūdo isto ex sanctis parentibus. Cum Elizabeth esset sterilis & ambo processissent in diebus suis, Luc. 1. vt ferret testimonium Christo. Ioan. 1. *Hic venit in testimonium, &c.* Quis dubitat de hoc quod Deus non ideo fecit eum nasci miraculose in mundo isto vt testimoniū perhiberet mendacio? Ioa. 5. *Vos misistis ad Ioannem & ipse testimoniū perhibuit veritati.* Eius conceptio & natiuitas prænūtiata sunt ab Angelo. Luc. 1. *Hic in vtero materno testimonium dedit Christo.* In eodem. *Ecce vt*

2 Tes mu tud

facta est vox salutationis tuæ in auribus meis: ait Elizabeth: *Exultauit infans in gaudio in vtero meo.* Sine omni dolo fuit testimonium illud. Ipse tãtæ sanctitatis fuit, quod Iudæi miserunt ad eum Sacer. & Leuitas vt scirent ab eo vtrũ ipse esset Christus: Ioan. 1. Et credidissent ei, si dixisset se esse Christum. Ioan. 5. *Voluistis exultare ad horã in luce eius, vt crederetis ipsũ esse Christum,* dicit gloss. interli. Quantò magis debuerunt credere ei ferenti testimoniũ alij? efficacius enim est testimonium quod aliquis perhibet alij, quam quod perhibet sibi. Ioa. 5. *Si ego testimoniũ perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.* Sanctitas Ioannis non solum Christianis, sed etiam gentilibus & Iudæis nota est. Testimonium eius multũ efficax est ad confundendũ Iudæos: Ideo post illud Psalm. *Paraui lucernam Christo,* subditur: *Inimicos eius induam confusione, &c.* Qualiter Christus testimonio Ioan. confuderit Iudæos, habes Matth. 21. *Baptismus,* inquit, *Ioannis vnde erat? de cœlo, an ex hominibus? & illi cogitabant intra se, dicentes: Si dixerimus de cœlo, dicet nobis: quare ergo non credidistis ei? Si autem dixerimus, ex hominibus: timemus turbam.* Omnes enim habebant Ioannem sicut prophetam. De testimonio Ioannis de Christo habes Ioan. 1. *Qui post me venturus est, ante me factus est.* Ante, scilicet dignitate, quia prior me erat, *& de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Et post: *Cuius non sum dignus, vt soluam corrigiam calceamenti eius..* Item: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Item: *Vidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & manentem super eum, & ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.* Aliud testimoniũ est Ioan. Euangelistæ: *Vidimus,* inquit, *gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre.* Vidimus, id est, cognouimus: per miracula, per vocem elapsam de cœlo, per transfigurationem, Resurrectionem, Ascensionem, Spiritus sancti missionem, gloriam eius talem & tantam, vt decet vnigenitum Dei Patris. Et 1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus & vidimus oculis nostris: quod perspeximus & manus nostræ contrectauerunt, de verbo vitæ & vita manifestata est, & vidimus & testamur, & annuntiamus vobis.* Fidei nostræ testimonium dant Deus, & homo, & Angelus. De primo habemus 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Et subditur: *Si testimonium hominum accipimus: testimonium Dei maius est* secundum glossam. Pater perhibuit testimonium Christo dicendo: *Hic est filius meus dilectus.* Filius in Transfiguratione, ostendendo potentiam Deitatis, & speciem beatitudinis: Spiritus sanctus super Christum in specie columbæ descendendo, & in nomine Christi corda discipulorum implendo. Testimonium verò hominum talium fuit qui notæ fuerunt sanctitatis, mundi contemptores, nullum hominem timentes, qui veritatem fidei morte propria ausi sunt cõfirmare, cum manifestum sit quod nullus sani capitis morte mendacium auderet confirmare. Etiam homines mendaces in morte veritatem confitentur. Etiam ipse Christus veritatem fidei morte propria confirmauit. Hoc signũ speciale tamquam certissimum promittebat ipse Iudæis. Mat. 12. & 16. *Generatio,* inquit, *mala & adultera signum quærit, & non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, &c.* Cum omnino duæ res peccatum faciant, scilicet timor & cupiditas: vt dicit gloss. super illud Psalm. *Incensa igni & suffossa, quæ causa posset esse mendacij in illis qui transitoria bona contemnebant, & mala lætanter sustinebant?* Philip. 3. *Omnia arbitror vt stercora vt Christum lucrifaciam.* Act. 20. Spiritus sanctus per omnes ciuitates prote-

ſtatur mihi, dicens: *Quoniam vincula & tribulationes Hieroſolymis me manent, ſed nihil horum vereor.* Si quis verò dicat ſanctos noluiſſe decipere,ſed deceptos fuiſſe: Quomodo potuit Chriſtus decipi circa ſuum eſſe,cũ natura rationalis maximè habeat cognoſcere ſe eſſe? Auguſt. in lib.de Anima & Spiritu: Nihil tam nouit mens vel anima, quam id quod ſibi præſto eſt: nec menti vel animæ quicquã magis præſto eſt quam ipſa ſibi: nihil ergo tantum nouit quantum ſe eſſe. Quomodo ergo Chriſtus decipi poterat cũ dicebat. Ioa.8. *Amen, amen, dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum*: Item 10. *Ego & Pater vnum ſumus.* Item cum naturæ rationalis per ſe notæ ſint operationes ſuæ, Anima enim per ſe cognoſcit ſe credere,vel intelligere,vel diligere: quomodo poterat decipi,circa illud.Ioan.8. *Ego principium,qui & loquor vobis?* ipſe ſciebat ſe ſimpliciter omnium quę creata erant principiũ fuiſſe. Luc.8. *Tetigit me aliquis: nam & ego cognoui virtutem de me exiſſe,* Item quomodo Paulus circa cœleſtia bona decipi potuit, qui raptus eſt vſque ad tertium cœlum, vbi audiuit arcana verba quæ nõ licet homini loqui. 2. Cor. 12. De teſtimonio hominum de Chriſto legitur. Act.10. *Nos teſtes ſumus,* ait Petrus, *omnium quæ fecit Ieſus in regione Iudæorum & Hieruſalem, qui occiderunt ſuſpendentes in ligno. Hunc Deus ſuſcitauit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo poſtquam reſurrexit à mortuis, & præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum. Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Teſtimonium verò iſtud tam cito Deus confirmauit: Vnde ſubditur: *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum.* Teſtimonium Petri de Chriſto habes ſimiliter, Matth. 16. *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Et Ioan. 6. Ait Petrus: *Nos credimus & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei viui.* Fidei noſtræ teſtimonium dedit Angelus in Chriſti conceptione. Luc.2.Item in eius Natiuitate ibidem. *Ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos,&c.* Et poſt: *Ecce Euangelizo vobis gaudium magnum.* Item,*& facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis exercitus.* Item in Reſurrectione. Matth. Marci, & Luc. vlt. Ioan. penultim. Item in Aſcenſione. Actu.1. Fides iſta teſtimonium habet, & à domeſticis, & ab extraneis. Exod.8. *Magi Pharaonis deficientes, in tertio ſigno compulſi ſunt confiteri, digitus Dei eſt hic,* Deut. 32. *Non enim eſt Deus noſter vt dij eorum, & inimici noſtri ſunt iudices.* Et Matth.9. *Videntes turbæ Chriſtum mirabilia operantem,* dixerunt: *Nunquam ſic apparuit in Iſrael.* Et Ioan.9. Illuminatus cæcus à natiuitate, dixit. *A ſæculo non eſt auditum quod quis aperuit oculos cæci nati.* Et Ioan. 11. Ipſi Pontifices & Phariſæi dixerunt: *quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit: ſi dimittimus eum ſic, omnes credunt in eum.* Et Ioſephus qui ſemper fuit Iudæus ſapientiſſimus in veteri lege, qui captus fuit in vltima captiuitate Hieruſalem facta per Titum & Veſpaſianum, tale teſtimonium dedit Chriſto: Fuit eiuſdem temporibus Ieſus ſapiens vir, ſi tamen eum virum dicere fas ſit.Erat enim mirabilium operum effector, & doctor eorum qui libenter quæ ventura ſunt audiunt, & multos ex gentibus ſibi adiunxit.Chriſtus hic erat. Item poſt crucem his qui ab initio eum dilexerant, apparuit eis iterum viſus ſecundum quod prophetæ vel hæc vel alia de eo futura prędixerant.Sed vſque in hodiernum diem Chriſtianorum qui ab eo dicti ſunt, & nomen perſeuerat, & genus. Hodie etiam fidei noſtræ aliæ ſectæ teſtimonium perhibent eam poſt ſuam aliis præferendo. Vnde cum teſtimoniũ quod pro ſe perhibent, nullum reputemus, teſtimonium eorum quod alicuius valoris

est,pro fide nostra est.Item nobiles Philosophi in his quæ de Deo noscibilia sunt,fidei nostræ testimonium perhibent, vt circa hoc, quod vna sit prima causa,& quod æterna sit summæ potentiæ,summæ sapientiæ, summæ bonitatis. Vnde quantum ad ista fides nostra ex intimis Philosophiæ sumpta est disciplinis,iuxta verbũ Boëtij in Procemio lib. de Trinit. Fidei etiam nostræ testimonium perhibet vniuersitas creaturarum, quantum ad ea quæ de Deo cognoscibilia sunt. Hoc enim quod vnus est mundus, attestatur quod vnus sit Deus.Accedat quæcũque vis creatura, & faciat alium mundum tantum, & talem qualis est iste mundus, & dicam, Quia Deus est. Perpetuitas creaturarum attestatur æternitati creatoris, cum omnis causa potentior sit suo effectu. Magnitudo vero eius potentiæ,pulchritudo sapientiæ, vtilitas creaturarum bonitati. Tertio potest ostendi veritas fidei nostræ per hoc quod reuelationes & prophetias habet. Reuelationes habuit ante legem: vt sub Noe, Abraham, & Iacob, vt patet ex lib. Genesis,quæ multiplicatæ sunt lege suscepta. Num. 12. *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei,vel per somnium loquar ad eum: at non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei.* Deut. 4. *Non est alia natio tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Psal. *Non fecit taliter omni nationi,&c.* Et Bar.4. *Beati sumus Israel quia quæ placent Deo, nobis manifesta sunt.* Prophetiæ quas habet fides nostra multum confirmant eam. Vnde cum Ioannes Baptista misisset discipulos ad Christum ad certificandum eos de Christo. Matt.11. Dominus certificauit eos ostendẽdo prophetiam esse impletam quam prædixerat Esaias de aduentu eius. Esa.35. *Deus ipse veniet, & saluabit nos. Tunc aperietur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Vnde ait Dominus Discipulis Ioannis: *Euntes renunciate Ioanni,quæ audistis & vidistis: cæci vident, claudi ambulant, &c.* Item Esa. 41. Dicit Dominus ad Deos non veros, *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos.* Reuelationes & prophetiæ cum hac fide translatæ sunt in Ecclesiam collectam ex Gentibus:vt patet in reuelatione illa excellenti, de qua 2. Cor. 12. quæ Paulo facta est vsque ad tertium cœlum rapto. Et in Ioanne cui reuelata sunt tot mysteria, quæ in Apocal. cõtinentur. Iudæi vero modo non habent reuelationes vel prophetias, quia hanc fidem deseruerunt. Quarto per hoc quod fides nostra dignissima de Deo sentit.Aug. Prudentum est æstimare & fidelium, quæ sit fides purior & maiestate Dei dignior. Aliæ sectæ male sentiunt vel de Dei omnipotentia. Sicut qui negant Deum posse corpora nostra suscitare, vel naturam nostrã potuisse sumere.Alij de eius bonitate: vt qui negant lapsos in peccatum per pœnitentiam posse redire ad Deum. Alij de eius iustitia: vt qui negant Deum vindicaturum peccata, aut qui dicunt eum saltem non vindicaturum æternaliter. Fides vero nostra omnipotentiam Dei prędicat, & summam eius sapientiam & bonitatem. Quinto per hoc quod fides nostra de Deo probabiliora sentit, & quæ magis deceant creaturam rationalem. Dicit enim eũ ad imaginẽ Dei creatũ. Gen. 1. *Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Ad similitudinem etiã Dei monet viuere. Ephes. 5. *Estote imitatores Dei sicut filij charissimi,* & ad gloriam similẽ diuinæ gloriæ promittit peruenire. 1. Ioan. 3. *Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit nobis quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus.* Gens Iudæorum & gens Mahometi sentiunt indigna de Dei magnificentia, dum gens Iudæorum sperat solam affluentiam temporalium à Deo, & gens Mahometi solas delicias corporales

Testatur & vniuersitas creaturarum.

3. Reuelationibus & Prophetiis.

4. Opinione.

5. sentẽtia probabili.

quantum ex promiſſione legis eorum. Vtraque autem ſpes dicta videtur eſſe hominum qui in vanum acceperunt animas ſuas, & fere eſt brutalis. Cum anima inuiſibilis ſit, bonis inuiſibilibus remuneranda eſt: nec natura rationalis bonis ſe inferioribus beata fieri poteſt. Aug. Beata vita inuenitur cum id quod eſt hominis optimum, & amatur, & habetur, quod deterius eſſe quam ipſe homo non poteſt: quiſquis quod ſeipſo deterius eſt ſequitur, fiet ipſe deterior. Fides etiam Chriſtiana hominem ad maiorem perfectionem perducit, quantum ad Deum, & quantum ad proximũ: quantum ad Deũ, quia de Deo prædicat quæ maxime timorem Dei nobis incutiunt, & ad ſpem maxime erigunt, & Dei amorem in nobis maxime accendunt. Oſtendit enim diſtrictiſſimam iuſtitiam Dei in rebelles ipſius & vindictam æternam miræ acerbitatis, quod efficaciſſimum eſt ad timorem incutiendum. Item oſtendit liberalitatem Dei qua filio proprio propter nos non pepercit, propter quod nullus locus deſperationis in nobis relinquitur. Rom 8. *Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum:* quomodo non cũ illo omnia nobis donauit? Item beneficiũ redemptionis, quod eſt maior ignis ad accendendum cor noſtrum, quã eſſet totus mundus ad accendendum corpus noſtrum ſi totus arderet, cordibus noſtris immittit amorem: quid magis idoneum ad incendendum & inflammãdum diuinum amorẽ in nobis? Non accenditur melius ignis quam igne: nec eſt maior ignis ſpiritualis amore quo filius dei amauit nos Ioa. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis,* quantum ad proximum, quia dilectionem iubet ad inimicos extẽdere, & noſtra proximo cõmunicare: & ſi neceſſe eſt, etiam animam pro eo ponere. Matt. 5. *Diligite inimicos veſtros: benefacite his qui oderunt vos, &c.* 1. Ioa. 3. *Qui habuerit ſubſtantiam mundi huius, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua a eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* In eodem: *In hoc cognouimus charitatem Dei: quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Sexto per ſucceſſum quem habuit populus qui hanc fidem ſuſcepit, dum ſecundum eam vixit, & deiectionem ipſius: vel dum fidem iſtam deſeruit, vel dum ſecundum eam non vixit. Vt enim omittamus de aliis, quis ſufficeret narrare nobiles triũphos quos habuit populus iſte in paucis vincens infinitos, iuxta promiſſionẽ Domini. Leuit. 26. *Si in præceptis meis ambulaueritis &c. perſequimini inimicos veſtros, & corruent coram vobis: perſequentur enim de veſtris quinque centum alienos & centum ex vobis decem millia.* Quando autẽ male ſe habebant in fide, vincebantur. Leuit. 26. *Quod ſi non audieritis me, nec feceritis omnia mandata &c. corruetis coram hoſtibus veſtris, & ſubijciemini his qui oderunt vos. Fugietis nemine perſequente,* Et paulo poſt.: *Terrebit vos ſonitus folij volantis &c.* Et Ioſ. 7. *Non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur ex te qui contaminatus eſt hoc ſcelere.* Deut. penult. *Beatus es tu Iſraël: quis ſimilis tui in populo, qui ſaluaris in Domino? ſcutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ Deus tuus.* Item Iudith. 5. *Deus corũ pugnauit pro eis, & vicit, & non fuit qui inſultaret populo iſti, niſi quando receſſit a cultura Domini Dei ſui. Quotieſcunque autem præter ipſum Deum ſuum alterum coluerunt, dati ſunt in prædã, & in opprobrium, & in gladium. Quotieſcũque autem pœnituerunt ſe receſſiſſe a cultura Dei ſui, dedit eis Deus cœli virtutẽ reſiſtendi.* Quum igitur fides Chriſtiana tot habeat veritatis ſuæ argumenta, inexcuſabiles ſunt tot argumentis nolentes acquieſcere, & merito puniuntur. Valde incredulus eſt, cui tot teſtimonia facere fidem non poſſunt. Valde ponderoſus eſt vel valde debilis, quem tot appodiationes ſuſtentare non ſufficiunt. Nec mirum ſi offenditur prima veritas, quando tot pignoribus ſignorum

6. Fœlic[ium] ſucce[ſſus]

gnorum vel aliarum probationum ei non creditur, cum paucioribus testibus crederetur vni Iudæo vel Saraceno. De punitione infidelium legitur Deut. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem sui &c. Quia aut verba eius quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor existam.* Quod verbũ assumit Petrus Act. 3. dicens: *Omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe.* Eiusdem 4. *Non est in alio aliquo salus, nec nomen est aliud sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri.* Et Ioa. 3. *Qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei.* Hoc autẽ iudicium, id est, causa damnationis: dicit Aug. *quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quam lucem.* Et eiusdem. 8. *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Et eiusdem 15. *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Esa. 60. *Gens & regnum quod non seruierit tibi peribit.* Matt. vlt. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Ioa. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* 1. Corint. 14. *Ignorans ignorabitur.*

CAPVT IV.

De commendatione Fidei.

SEquitur de commendatione Fidei. Notandum ergo quod fides Deo multũ placet, diabolo displicet, homini multũ prodest. De primo. Eccl. 1. *Beneplacitum est Deo fides & mansuetudo.* Hæ duæ virtutes multum placent Deo in homine, quia fides Deo subiicit intellectum, mansuetudo affectum: vnde Dominus hominem mansuetum & fidelem diligit quasi suũ. Fides adeo placet Deo quod sine ipsa nihil placet ei. Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Omnes infideles filij iræ sunt. Vnde Ioa. 3. *Qui incredulus est filio, non videbit vitam æternam, sed ira Dei manet super ipsum.* Oculi diuinæ misericordiæ non respiciũt nisi vbi est fides. Vnde propitiatorium non excedit arcam. Exod. 25. Arca significat populum fidelem quem propitiatio diuina non excedit. Remissio enim peccatorũ non est extra fidem Ecclesiæ. Hier. 5. *Domine oculi tui prospiciunt fidem.* Vbi amor, ibi oculus. Ioa. 6. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille.* Credere in Deum est speciale opus Dei: & quia Dei donum, & quia Deo valde acceptum: nec mirum si multum placeat Deo fides quum ipsa primum obsequium faciat Deo. Signum huius placentiæ est hoc, quod Deus tantum facit pro fide. Matt. 8. *Vade*, dixit Iesus Centurioni, *Et sicut credidisti, fiat tibi.* Hier. Cuique sicut credit ita fit. Fides Deo placet etiam sine sacramentis, vt patet in Abraham, qui ante sacramentum circumcisionis per fidem Deo placuit. Genes. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Sacramenta vero sine fide Deus quasi nõ reputat. Galat. 5. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides quæ per charitatem operatur.* Fides porta est per quam princeps vniuersorum intrat ad cor hominis. Ezec. 46. Sine ea non videtur Dominus dominiũ habere in corde, quum non habeat ibi ingressum. Ipsa est porta aurea per quam intrauit in mentem Virginis lux & decus vniuersæ fabricæ mundi. Prius enim intrauit filius Dei in mentem Virginis, quam in ventrem. Luc 1. *Beata quæ credidisti: quia perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino.* Aug. in lib. de Virginit. Beatior fuit Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde quã carne gestasset. Porta fide morti & authori mortis clausa est: nec infernalis exercitus præualebit aduersus eam. Vnde super illud Matt. 16. *Et portæ inferi:* dicit glos. Qui intimo cordis amore fidem Christi percipit, quicquid ingerit extra, facile vincit.

E-

Hæc porta sanguinem agni debet habere & in superliminari & in vtroque poste, ne exterminator menti noceat. Exod.12. Superliminare tinctum debet esse sanguine Christi, vt intuitu humilitatis Christi & passionis eius mens superbiam caueat. In vtroque etiã poste debet esse sãguis agni, vt exemplo Christi, nec aduersa mens timeat, nec prospera concupiscat. Fides porta est tabernaculi, scilicet militantis Ecclesiæ, vbi hostia offerenda est. Leuit. 17. *Homo quilibet de domo Israël, qui occiderit bouem, aut ouem, siue capram in castris siue extra castra, & non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit.* Nec mirum si fides valde est Deo grata: quia sine fide Deus non colitur, quum de eo non cognoscatur quare timendus sit, vel amandus, vel obsequio honorandus. Fides thesaurum abscondi-tum regni cælestis quem daturus est Dominus seruientibus sibi hominibus, ostendit. Fides primum Dei hostem, scilicet sensum humanum, occidit. Hostis iste in sapientibus huius mundi est fortissimus hostis Dei, qui significatus est per cinifes, quorum plaga non legitur curata. Exo. 8. *Cinifes de puluere terræ educti,* argumenta sunt philosorum de subtili terreno sensu prodeuntia, qui oculum fidei lædunt. Vnde glos. *Hoc animal corpus cui insederit, acerbissimo terebrat stimulo, vt quem voluntatem videre quis non valet sentiat stimulantem.* Hoc ergo animal arti dialecticæ comparatus, quæ minutis, & subtilibus verborum stimulis animas terret, & tanta calliditate circumuenit, vt deceptus non videat nec intelligat vnde decipiatur. Hæc plaga non curatur. Idola enim philosphorum remanserunt, quum idola gentium destructa fuerunt, vt ait quidam.

Fides intellectum captiuat in seruitium Christi. 2. Corin. 10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Fides in arce mentis, scilicet in intellectu insigne regium ponit, scilicet filium in cruce pendentem de morte, & de mortis authore triumphantem.

Item fides matrimonium inter animam & Deum initiat. Osee. 2. *Spõsabo te mihi in fide quod charitas consumat.* 1. Cor. 6. *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est cum illo.*

Fides est velut annulus argenteus positus in digito sponsæ. Ornamentum enim est à Christo datum rationi quæ per digitum intelligi potest: quia discretiua est. Annulus nec excedere debet, nec excedi: Sic fides nec excedere debet, nec excedi. Non enim debet Christo attribuere alter quid, quod eius nõ sit: nec de eo negare quod ipsius sit. In argento verò intellige quod fides candore puritatis & luce salutaris veritatis debet resplendere, & suauitate syncerae cõfessionis debet resonare. Argentum enim candidum est & resonat.

Item fides virginitas est, mentis intellectum à corruptione erroris seruans, & vndique protegens: sicut annulus digitum cingit ex omni parte. Fides quantum proprio sensui detrahit, tantum intellectum diuini sensus capacem facit: sicut Sapiens dicit de propria voluntate, quod tantum virtuti adiicies, quantum propriæ voluntati detraxeris. Qui vult venire post Christum, debet abnegare semetipsum: iuxta verbum Domini. Matth. 16. & quantum ad proprium sensum, & quantum ad propriam voluntatem.

Fides primogenita est inter virtutes: ideo merito à Deo benedicta. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Ioan. 20. & Luc. 16. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis:* quod de visu fidei intelligendum est, Galat. 3. Qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham: propter prædicta non est mirum si fides Deo placet. Diabolo vero multum displicet: nec mirum, quum ipsa ei cultum & honorem qui ei in mundo exhibebatur, abstulerit: ipsa diabolum expulit ab hominibus, & quantum ad animas, & quantum ad corpora. Act. 11. *Fide purificans corda eorum.* Marc. vlt. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient,* hæc est quæ diabolo resistit. 1. Pet. vlt. *Cui re-*

sistite fortes in fide. Ipsa est scutum, ignea tela inimici extinguens. Ephes. 6. *In omnibus sumentes scutum fidei*, in quo possitis omnia tela inimici ignea extinguere. Ipsa est lorica totum hominem interiorem à diabolo protegens. 1. Thessal. 4. *Sobrij simus induti loricam fidei.* Ipsa caput serpentis infernalis, quod est error vel infidelitas, conterit, Genes. 3. *Ipsa conteret caput tuum.* Eccl. 25. *Non est caput nequius super caput colubri.* Sicut caput noui hominis fides, scilicet diligentissime custodiendum est, secundum illud. Matt. 10. *Estote prudentes sicut serpentes*, sic ad destruendum caput serpentis infernalis, scilicet errorem, maxime est conandum. Et in primo peccato angeli, & in primo peccato hominis error videtur fuisse. Esa. 14. *Ero similis Altissimo.* Genes. 3. *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus &c.* Fides diabolum de arce mentis expellit, ponens vexilium Christum in cruce pendentem, quod multum diabolo displicet, Quum enim superbissimus sit, multum displicet sibi quum ab arce mentis expellitur, & cum vexillum illud exosum ei sit, eo quod in cruce deuictus fuerit, hoc vexillum timet hostis, sciens adesse regis præsentiam. Non enim dat regale vexillum exercitui, nisi rex præsens fuerit. Videns ergo illud, de Victoria desperat, sciens se contra regem dimicare. Item quia diabolus in cruce deuictus fuit, multum timet crucem. Bern. Nullus dæmonũ prope stare poterit, vidẽs gladium in quo deiectus est: crucem scilicet. Fides lux est valde exosa latroni infernali. Ioan. 3. *Qui male agit, odit lucem.* Iob. 34. de latronibus: *Quum subito apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis.* Ipse est vt falsus mercator volens homines decipere: ideo tenebras querit. Et est velut deformis adulter, qui non vult se ad lucem ostendere. Iob. 4. *Oculus adulteri obseruat caliginem.* Fides oculus est quem coruus infernalis multũ quærit eruere: sicut coruus visibilis primo currit ad oculum cadaueris. Nec mirum, quum fides diabolum & eius insidias detegat. Sine fide hostis inuisibilis non videtur: & ideo non cauetur. Oculum fidei diabolus seruientibus sibi velat, ne videant quò ducantur, sicut solent oculi velari his qui ducuntur ad patibulum. Quidam senex dicit in vitis Patrum: quando operiuntur oculi animalis, tunc circuit ad molendinum, alioquin non ambulat in circuitu molæ: sic cùm diabolus, operuit oculos mentis, in omne peccatum humiliat hominem. Iudic. 6. Samson erutis oculis ad molam circuit. Fides est oculus dexter animæ, quo amisso homo ad pugnam inutilis est: ideo hostis inuisibilis fidem multum conatur destruere. 1. Reg. 11. *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros.* Cuius intentio erat quod dextris oculis erutis, quum operirẽtur sinistri scuto, ipsi inutiles fierent ad pugnam. Fides diabolo non cessat contumeliam facere: ipsa ostendit eum nullius creaturæ dominum esse, & auctorem totius mali, & propter culpã suam iam iudicatum, Ioa. 16. *Princeps mundi huius iam iudicatus est*, ideo non est mirum si fides multum exosa est diabolo. Fides est valde vtilis homini: ipsa est lux tenebras infidelitatis expellens: vbi fides nõ est, tenebræ sunt. Exod. 10. *Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti.* Et subditur: *Vbicunque habitabant filij Israel, lux erat.* Fides inter opera recreationis prima est, in minori mundo, homine scilicet, sicut lux in maiori mundo prima fuit. Genes. 1. Post creationem cœli & terræ, subditur: *Fiat lux, &c.* Fides columnã nubis est, de Ægypto tenebrarũ errorum intellectum potenter educens. Exod. 13. Fides columna est fulciens cor hominis. Vetus enim homo qui per ea significatus est, habet caput tremulum, & oculos caligantes: sed fides viua, & oculum intellectus illuminat, & cordi vacillanti fulcimentum præstat. Est enim fides fida & salutaris credulitas. Bernard. in quinto lib. de Consideratione, In his quæ fidei sunt

Fides infert diabolo contumeliam.

Fides fideli- bus lux, infideli- bus te- nebræ.

omnino cauenda est confessio, ne aut incertum opinionis fides figat, aut quod firmum fixumque est fidei opinio reuocet in quæstionem. Opinio enim si habet assertionem, temeraria est: fides si habet hæsitationem, infirma est. Et notandum quod columna illa ex parte filiorum Israel lucida erat: ex parte vero Ægyptiorum, tenebrosa: sic fides fidelibus lux est, quam infideles tenebras reputant: maxime quãtum ad ea quæ pertinent ad incarnationẽ filij Dei, & liberationem generis humani. Ipsi sunt quasi noctuæ lucem reputantes tenebras. Isa. 5. *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum: ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem.* Fides videtur eis stultitia, cum tamen sit vere sapientia. 1. Corinth. 1. *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Fides est lucerna ad quã in nocte vitæ præsentis ambulatur. 2. Corinth. 5. *Per fidem ambulamus, & non per speciem.* Augustin. in lib. de Fide, ad Petrum: Si quis non ambulauerit per fidem, non perueniet ad speciem. Fides cæteris virtutibus lumen ministrat. Ipsa est stella matutina, solẽ iustitiæ & intelligẽtiæ præueniens. Per eam oritur dies gratiæ, quem sequetur dies gloriæ. Ipsa est stella cardinalis nauigantib. per mare huius mundi, portam ostendens & patriam. Ipsa est stella reges spirituales ad Saluatorem adducẽs, Matt. 2. Ipsa est prima gemma in corona intellectus, quæ ex quinq; luminibus fabricatur. Corona intellectus est lumen salubris cognitionis. Iob. 31. *Librũ scribat ipse qui iudicat, vt in humero meo portem illum & circundem illum quasi coronã mihi.*

Ab intellectu quinq; radij luminis fluunt, & quæ singulorum officia.

A sole intelligentiæ quasi quinque radij luminis viui fluunt super intellectum nostrum: scilicet lumen fidei, consilij, prudẽtiæ, intellectus, & scientiæ. Diuersitas vero horum luminum videtur sic posse ostẽdi. Anima ad tria habet comparationem: scilic. ad principium à quo est, scilicet ad Deum, & ad opera quorum ipsa est principium, & ad ea quæ dant ei occasionem vt sit principium eorum, instruendo scilicet eius intellectum, vel mouendo affectũ siue voluntatem. Signa naturalia vel positiua intellectum instruunt: bona & mala inquantum talium talia mouent affectũ. Fides est lumen illuminans intellectũ circa principium, à quo est anima, ostendens ei Dei maiestatem, & iustitiam, & misericordiam Dei in creaturas rationales. Donum vero consilii & virtus prudentiæ illuminat animum circa opera quorum ipsa est principium. Ad consilium pertinet deliberare an aliquid sit faciendum. Ad prudentiam vero pertinet prouidere, vt opus fiat eo fine quo debet, & vestire illud aliis debitis circũstantiis: prudẽtia vero prouidere debet vt opus agenti sit fructuosũ, Deo gratum, proximo lucens per bonum exemplum: Et sicut alterius scientiæ est cognoscere an expediat aliquẽ sanari; alterius vero cognoscere qualiter aliquis sit sanandus, quia primum pertinet ad theologiam, secundum ad medicinã: sic aliud lumen est donum consilii quam prudẽtia. Donum vero scientiæ proprie pertinet ad bonum & malum, inquantum mouent affectum nostrum. Vnde à tali materia denominatur, Gen. 2. cum dicitur lignum scientiæ boni & mali. Et eiusd. 3. *Eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* Ad hoc bonum pertinet cognoscere deceptiones, quas bona præsentia, & mala quæ non sũt vera bona, vel vera mala, faciunt hominibus. Tripliciter fallũt homines bona tẽporalia. Primo quia faciũt eos credere quod ipsa habeant suauitatem veram & magnã; cum aliter sit. Sic falluntur voluptuosi. Eccl. 7. *Inueni amariorem morte mulierem.* Hæc mulier voluptas carnalis est & temporalis. Secundo faciunt credere quod in eis sit copia, cum in veritate exinaniant possessores suos. Luc. 1. *Diuites dimisit inanes.* Tertio faciũt credere quod sit honor, quod est ignominia. Luc. 16. *Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.* Propter has deceptiones cupiunt homines non vera bona pro veris bonis. Fugiunt etiam mala pœnæ præsentis, quæ non sunt vera mala, pro veris malis quæ sunt mala

Bo[…] tem[…]rali[…] quo[…] mo[…] fall[…]

culpæ & mala futura. Ad donum vero intellectus pertinet cognoscere signa naturalia & positiua, scil. creaturas quæ sunt quasi libri naturales; & sacramenta, quæ sunt quasi signa positiua & situs, & formas, & ornatus Ecclesiarum, & ministrorum, & habitus religiosorum, & similia in quantum pertinent ad salutem animarum. Quæ significatio præcipue est ratione similitudinis. v. g. Homo per terram significatus ratione similitudinis, vt intelligat homo se ad modũ terræ esse sterilẽ, nisi excolatur, & quod super nihil temporale debet esse fundatus, sed Deo inniti, & quod desuper irrigari debet rore gratię & pluuia doctrinæ. Item fides est initium vitæ spiritualis. *Per fidem enim habitat Christus in cordibus nostris.* Ephes. 3. *Qui vita est*, vt ipse ait Ioan. 14. Et sicut vnumquodq; vitium mors spiritualis est: sic vnaquæq; virtus vita est. Vnde dicitur Rom. 7. de prudentia spiritus, quod vita est. Fides vita est intellectus. Est enim viuus radius à vero sole procedẽs, sufficiẽs ad producendum fructum boni operis, sicut arbor viua fructus ex se producit. Ipsa etiam est causa residui vitæ spiritualis. Ipsa causa amoris est, qui dicitur vita animæ. Vnde super illud Galat. 5. *Fides quæ per dilectionem operatur:* dicit gloss. *Opus fidei dilectio est.* Bernard. ad fratres de Mõte Dei: Vita animæ amor Dei. Hunc fides cõcipit, spes parturit, Spiritus sanctus format & viuificat, lactat lectio, meditatio pascit, oratio cõfortat & illuminat. Amor Dei dici potest vita: quia opera bona ideo sũt Deo accepta & remuneratione digna, quia ex amore Dei processerunt, & in hoc attendi potest vita eorum. Fides ergo causa est dilectionis, & per dilectionem causa est operum. Vnde ipsa est prima pars vitæ gratiæ, & causa totius residui vitæ. Ideo bene dicitur. Rom. 1. & Hebr. 10. *quod iustus ex fide viuit.* Et Gal. 1. *In fide viuo filij Dei.* Vita etiã gloriæ ex fide erit. 1. Ioan. 5. *Vitam habebitis æternam, qui creditis in nomine filij Dei.* Extra fidem nihil viuit: in mari mortuo nihil viuere potest, sed ante faciem fidei ibit mors. Habac. 3. Ipsa est lux quæ oritur his qui sunt in vmbra mortis, &c. Esa. 9. *Habitantibus in regione vmbræ mortis, &c.* Ante faciem eius ibit triplex mors. Prima mors culpæ. Prouerb. 5. *Per misericordiam & fidem purgantur peccata.* Galat. 1. *Ex operibus legis non iustificabitur homo, nisi per fidẽ Iesu Christi.* Ro. 1. *Iustificati igitur ex fide, &c.* Act. 10. *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remißionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. In hoc omnis qui credit iustificatur.* Secunda est mors temporalis, quæ in portam vitæ æternæ per fidem conuertitur. August. 13. lib. de Ciuitat. Dei: Tantam Deus fidei gratiam præstitit, vt mors quam constat vitæ esse contrariam, instrumentum fieret per quod transiretur ad vitam. Ioan. 11. *Qui credit in me etiam si mortuus fuerit, viuet.* Interl. Credens etiam mortuus viuit, sicut non credens etiam viuus mortuus est. Tertia mors æterna. vnde Ioan. 11. *Omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum.* Item fides est initium salutis humanæ, vt dicit August. Et causa totius salutis est aspectus ille Christi in cruce exaltati, qui sanat à morsu serpentum infernalium. Ioa. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Hoc significatum est Num. 21. Rom. 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum Christum, & in corde tuo credideris, quia Deus suscitauit eum à mortuis, saluus eris.* Fides est fundamentum omnium bonorum: vt dicit Aug. Vnde videtur ruinam quærere, qui sine ea vult ædificare. Rom. 11. *Tu autem fide stas.* 1. Cor. 16. *Vigilate & state in fide.* Eccl. 2. *Qui timetis Dominum, credite illi, & non euacuabitur merces vestra.* Esa. 7. *Si non credideritis, non permanebitis.* In fide stabile est ædificium: cum fides in aliquo destruitur, funditus bonum in eo destruitur. Senec. Nihil retinet qui fidem perdidit. Qui sine

Mors triplex. 1. 2. 3.

fide est, omni vero bono vacuus est. Vnde de quodam Iudæo qui propter defectum hospitij in templo Apollinis iacebat, dæmones qui ibi cōuenerant requisiti à magistro suo, quis ibi iaceret, Responderunt, *Vah, vah, vas vacuum, sed signatum*, vt refert Gergor. in Dial. Ille non habebat fidem Christianam: sed sibi in nocte impresserat signū crucis, quia viderat Christianos sic facientes: vnde cum non haberet veram fidem, vacuus erat omni bono. Item fides est radix omniū bonorum. Cæteræ virtutes sunt radices suorum operū: sed ipsa est radix cæterarum virtutum. Si hæc radix auellatur, cæteræ virtutes arescunt. August. super Ioan. Sicut in radice arboris nulla prorsus apparet species pulchritudinis & decoris: & tamen quidquid est in arbore pulchritudinis & decoris, ex illa procedit. Sic ex fidei humilitate, quidquid meriti, quidquid vel beatitudinis anima susceptura est, procedit. Itē Greg. Sicut rami sine radice virtutis arescunt: ita quælibet opera licet bona videātur, nulla sunt si à fidei soliditate disiunguntur. Fides hominē filium Dei efficit. Gal. 3. *Omnes filij Dei estis per fidem.* Io. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, &c.* 1o. 5. *Omnis qui credit quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est.* Aug. de Fide ad Petrum: Sine fide nemo potest ad filiorum Dei numerum peruenire. Fides est quæ viam ostendit regni. Vnde August. super illud Rom. 3. Arbitramur hominem iustificari per fidem. Bona ante fidem inania sunt: ita enim mihi videntur esse vt magnæ vires & cursus celerrimus præter viam. Nemo ergo cōputet vere bona opera sua ante fidem: vbi fides non erat, vere bonum opus non erat, bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Idem de fide ad Petrum: Sine fide omnis labor hominis vacuus est. Tale quippe est, vt sine vera fide quisque velit Deo placere: quale si quisque tendens ad patriam in qua scit se bene victurum, relinquat itineris rectitudinem & improuidus sectetur errorem quo non ad beatam vitam perueniat, sed in præcipitiū cadat vbi non gaudium peruenieti detur, sed cadenti interitus inferatur. Idem: Si bona videbantur antequam crederes, currebas quidem: sed præter viam currendo, errabas potius quam perueniebas. Item fides videtur esse mater cæterarum virtutū genitura: vt tangit gl. interli. super illud Matth. 1. *Abraham genuit Isaac, &c.* Item fides habet primum congressum in bello spirituali: secundum illud Prudentij. *Prima petit campum dubia sub sorte duelli, Pugnatura fides.* Fidei in Scriptura S. specialiter victoria adscribitur. Vnde de sanctis dicitur Heb. 11. quod per fidem vicerunt regna: Vicit fides & regnum inferni, & regnum cœli, & regnum mundi. Regnum inferni vicit, cum fidelib. Christus contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit, & quotidie infernum vincit, dum oratio fidelium animas à porta inferi eripit, & dum ignem infernalem quantum ad eos qui vere fideles efficiuntur, extinguit. Legitur etiā de B. Gregorio, quod cum quodam tempore ante palatia Traiani, qui Imperator fuerat, transiret: recordatus clementiæ eius, amarissime flere cœpit, & pro eo tandiu ante altare S. Petri flēs orauit, donec obdormiuit, & ad eum dormientem vox dixit, Traianum precibus eius à pœnis infernalibus liberatum: sed de cætero caueret, ne pro aliquo infideli defuncto orare præsumeret. Regnū cœli etiam vincit; quia quasi quadam violentia illud acquirit, per fidem enim sancti adepti sunt repromissiones. Heb. 11. Pet. 1. *Reportantes finem fidei salutem animarum vestrarum.* Item vincit mundum 1. Ioan. 5. *Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra.* Fides vincit mundum, in quibusdā mundum subiiciendo, in aliis eum abijciendo. Subiiciendo vincunt mundum, qui remanentes in mundo terrena sibi subiiciunt, & dominantes eis faciunt quodammodo se altiores, & ad impugnandū inimicum potentiores. Faciunt enim inde largas eleemosynas. Qui modus impugnā-

Fides omniū bonorū radix.

Exemplum.

di diabolum valde efficax est. Vnde super illud. Ps. *Misericordia mea, & refugium meum,* dicit Aug. De nulla re sic vincitur inimicus diabolus, sicut de misericordia. Et Eccles. 29. dicitur de eleemosyna: *Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.* E contrario cupidi & auari nõ sibi terrena subiiciunt, sed potius se terrenis, super humeros suos ponentes ea quæ male acquirunt, & quasi se vino sepeliẽtes, similes talpæ super humeros suos ponenti terram quam fodit. Secundo modo vincunt mundum, qui rebus mundi pro amore Christi renuntiant, qui admodum luctãtium se terrenis spoliant, ne diabolus habens quo eos teneat, deiiciat eos & deuincat. Luc. 14. *Omnis ex vobis qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Fides vincit mundum, id est, ea quæ sunt in mundo: scilicet diuitias, delicias, & honores. Diuitias vincit, dum ostendit corpus nostrum latronem esse morti cõdemnatum: de quo patet quod non decẽt eum deliciæ, Senec. Omnes capitali supplicio condemnati sumus. Eccles. 33. *Seruo maleuolo tortura & compedes.* Esa. 11. *Et erit fides cinctorium renum eius.* Diuitias vincit, dum ostendit eas esse muscipulam diaboli. August. Præda quam vis rapere, muscipula est: tenes alidnum, & teneris à diabolo. Item diuitias vincit, dum æternas longe meliores eis ostendit. Heb. 10. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* 1. Timoth. vlt. super illud, *Sectare iustitiam, pietatem, fidem,* dicit gloss. Qui veram fidẽ de Deo habet, nõ cupit in miseriis sæculi diues fieri: nec pluris est ei mundus quam Deus. Greg. Vilescunt temporalia, dum considerantur æterna: honores vincit, dum plenos confusione eos esse ostendit. Philip. 3. *Gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt.* Bernard. Omnis purpura illusionis est, postquam Domino in purpura illusum est. Hæc tria Moyses fide vicit. Vnde ad Heb. 11. *Fidé Moyses factus grandis, negauit se filiũ esse filiæ Pharaonis:* ecce contemptus honoris. Magis eligens affligi cũ populo Dei, quam temporalis peccati habere iocunditatem: ecce contemptus deliciarum. Maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi: ecce contemptus diuitiarum. Aspiciebat enim in remunerationem. De hac victoria mundi dicitur 1. Ioan. 5. *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Christus est filius Dei viui?* quod intelligendũ est de illo qui hoc credit fide viua. De fide enim mortua dicit Bernard. Nec mirum videri potest si nequaquam vincit fides, quæ nec viuit. Et notandum quod mundus quasi duabus manibus nobiscum pugnat, scilicet dextera prosperitatis & sinistra aduersitatis, prosperis scilicet alliciens, & aduersis terrens: quem ille vincit qui credit quod Christus est filius Dei? Qui enim hoc credit, cum filius Dei fuerit summe bonus, nouit quoniam in ipso non fuit defectus veri boni nec præsentia veri mali. Vnde cum in eo tẽporalis prosperitas defuerit, & aduersitas affuerit, cognoscere potest, quod temporalis prosperitas non est verum bonum, nec temporalis aduersitas verum malum: vnde nec illa est appetenda, nec est timenda, August. Omnia bona terrena contempsit homo Christus, vt contemnenda monstraret, & omnia mala terrena sustinuit quæ sustinẽda præcipiebat, vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur infelicitas. Item fides regna vincit faciendo ne peccatum in nobis regnet. Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.* Fides est scutum triãgulare quo circundat nos veritas Dei. Vnus angelus est fides de pœnis æternis. Alius de bonis æternis. Tertius fides Christi mediatoris. Fides ostendit eis qui sunt in pugna spirituali ex vna parte regnũ eis paratum si vicerint, ex alia parte patibulum infernale eis paratum si victi fuerint: & sic causa est strenue pugnandi & vin-

[Margin notes: Psal. 143. — Fides vincit mundũ. — Mundus pugnat nobiscum.]

cendi. Bernard. Quid eſt quod non optamus etiam per medios enſes, ſi oporteat declinare tantam miſeriam ad tantam accelerare gloriam, niſi quod mortua eſt fides noſtra?

Fides oſtendit pugnantibus Chriſtum. Et hoc tripliciter. Primo vt ſtrenuum ducem ſtrenue agendi exemplum dantem. Secundo, vt fortiſſimum adiutorem. Tertio, vt liberaliſſimum remuneratorem. Primo modo oſtendit ipſe ſe Apoſtolis cũ eſſent clauſi in domo propter metum Iudæorum oſtendẽs eis manus & latus, Luc. vlt. & Ioan. penult. & 16. *Confidite, ego vici mundum.* Thren. 3. *Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum.* Auguſt. Magna conſolatio membris ex capite Gregor. Si paſſio Domini ad memoriam reuocetur, nihil eſt adeo durum quod non æquo animo toleretur. Hebr. 12. *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatorib. aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt non fatigemini animis veſtris deficientes.* Secundo modo oſtendit ſe Chriſtus Stephano pro eo lapidando, qui vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris eius, tanquam paratum ad adiuuandum. Actor. 7. 1. Corinth. 10. *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis: ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.* Ioſue 1. *Confortare, & eſto robuſtus, noli metuere, & noli timere, quia tecum eſt Dominus.* Iob. 17. *Pone me Domine iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me.* Fides ponit Deum iuxta hominem, immo infra hominem. Per fidem enim habitat Deus in cordibus noſtris: vnde ipſe pugnans in homine triũphat. 2. Paral. 20. *Non eſt pugna veſtra: ſed Domini,* Et poſt. *non eritis vos qui dimicabitis: ſed tantummodo confidenter ſtate, & videbitis auxilium Domini ſuper vos.* Bernar. Quotiens tentationibus reſiſtis, quotiens vincis malum, noli propriis tribuere viribus: noli in te, ſed magis in Domino gloriari: quando enim fortis ille armatus tuæ cederet infirmitati? Tertio modo oſtendit ſe Deus Abraham Geneſ. 15. *Noli* (inquit) *timere, ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Auguſtin. Labor te terret, vide mercedem. Bernard. Vtrũque mihi es Domine Ieſu, & ſpeculum patiendi: & præmium patienti: fides determinat nobis & locum pugnæ ſpiritualis, & tempus. De loco dicit Bernard. In mũdo iſto quaſi in ſtadio certaminis poſiti ſumus, vbi Chriſtus mortuus eſt. Quiſquis ergo hic liuorem vel plagam nõ ſuſceperit, in futuro iudicio miles inglorius apparebit. Tempus vero militare eſt tempus præſentis vitæ. Iob. 7. *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Fides oſtendit hoſtes cum quibus pugnare habemus, & modum pugnandi quem habent. Fides etiam oſtendit & Deum, & angelos bonos, & malos aſpicientes certamẽ noſtrum. Boni aſpiciunt, vt ſi vicerimus gaudeant: mali vt ſi victi fuerimus, irrideant, 1. Corinth. 4. *Spectaculum facti ſumus mundo, & angelis, & hominibus.* Homo ſine fide eſt quaſi homo cœcus qui pugnat cum vidente. Fides radix ſapiẽtiæ. Eccleſiaſt. 1. Gregor. vocat eam ſapientiam in 1. Mora. Fides eſt ſapientia illa quam non vincit malitia. Sapient. 7. *Attingit enim à fine vſque ad finem fortiter.* A fine inquam cogitationis vſque ad finem operis. Fides enim oſtendit cogitationem malam eſſe velut caput ſerpentis infernalis, cui fortiter reſiſtendum eſt. Hieronymus: Lubricus eſt antiquus ſerpens, & niſi capite teneatur ſtatim totus illabitur. Item, fides attingit à fine: id eſt, vſque ad extremum iudicium. Per beneficium creationis inuitans homines ad Dei ſeruitium, & per diſtrictionem iudicij exterrens à Dei offenſa. Item fides attingit à fine vſque ad finem, à cœlo, ſcilicet vſque ad infernum, à delectationibus tranſitorijs ſeparans homines amaritudine ſuppliciorum infernalium, & amaritudines quæ occurrunt in ſeruitio Dei dulcorans magnitudine præmiorũ. Greg. ſi dulcia quærimus, neceſſe eſt vt amara toleremus. Eccleſiaſt. 1. *Vſque in tempus ſuſtinebit patiens & poſtea redditio iucunditatis,*

ditatis. Sic sapientia disponit omnia suauiter; guttas amaritudinum præsentium immensa dulcedine futurorum bonorum condiens. Fides dicit illud Esa. 38. *In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Nunc habitat in cœlo, nunc in inferno. Ipsa descendit in infernum viuens, ne descendat moriens. Fides triumphat de vitiis, alia aquâ lachrymarum submergendo, alia igne infernali exurēdo, alia fame ieiuniorum & aliis afflictionib. effugando, & sacerdoti ea exponendo, vt præ erubescentia & confusione ab homine recedant. Fides à Deo fortitudinem recipit. 2. Paralipom. 16. *Præbet fortitudinem his qui perfecto corde credunt in eum.* Fide Deus ab hostibus protegit. Eiusdem 20. *Credite in Dominum Deum vestrum & securi eritis.* Item à periculis eripit. Matth. 2. *Ananias, Azarias, Mizaël credentes liberati sunt de flamma.* Fides miracula facit. Marc. 16. *Signa eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo, &c.* Matth. 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Et Marc. 12. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Ioan. 14. *Qui credit in me, opera quæ ego facio ipse faciet, & maiora horum faciet.* Heb. 11. *Fide transierunt mare rubrum tanquam per aridam terram,* & post: *Fide muri Iericho corruerunt.* Matth. 9. *Fides tua te saluam fecit:* dictum est mulieri patienti fluxum sanguinis. Et Marc. 10. dictum est cœco: *Vade, fides tua te saluum fecit.* Etiam fidei informi fiunt miracula. Vnde cum Alexander venisset ad montes Caspios, & petiissent filij captiuitatis x. tribuum licentiam egrediendi ab eo, ipsa cognita causa inclusionis eorum, quod scilicet recessissent aperte à Deo Israël vitulis aureis immolando, & per prophetas Dei prædictum eos à captiuitate non redituros: respondit quod arctius includeret eos. Cumque angustas vias eorum obstruere vellet molibus bituminatis; videns laborem humanum non sufficere, orauit Deum Israël vt opus illud compleret: & accesserunt ad se inuicem prærupta montium, & factus est locus immeabilis. Et vt ait Ioseph. Deus quid facturus est pro fidelibus suis, si tantū fecit pro infideli? etiam fides informis triumphare facit. Sicut videtur accidisse Alexandro, cui per somnium Deus apparuit in habitu summi sacerdotis, dum adhuc Alexander in Dio ciuitate Macedoniæ esset constitutus: dumque cogitaret vtrum Asiam posset obtinere, iussit eum confidere: nam ipse exercitum eius perduceret, & principatum Persarum ei traderet. Qui promissioni eius credidit, & secundum fidem suam factum est ei. Vnde cum ipse Alexander iratus Iudęis veniret Hierosolymam, & pontifex Iudæorum præcepto Domini pontificalibus indutus, & reliqui sacerdotes cum eo legitimis stolis induti obuiam exirent ei extra ciuitatem, Alexander intuens antistitem pontificali stola insignem, & super cidarim laminam in qua scriptum erat nomen Domini, descendit de equo, & adiit eum solus, & nomen Domini adorauit, & pontificem veneratus est. Et obstupuerūt principes exercitus putantes mentem regis ludificatam. Solus Parmenio quæsiuit ab eo cur sacerdotem gentis Iudęæ adorasset, respondit: Non hunc adoraui, sed Deum cuius principatum sacerdotij gerit; nam per somnium in tali habitu Deum conspexi. Item fides vsque ad Deum attingit. Vnde Aug. Fides est res audax & improba, perueniens quò non pertingit intelligentia: ipsa ascendit super Cherubin, & volat super Seraphin senas alas habentia. Esaiæ 6. Bernardus. Quid non inueniat fides? Attingit inaccessa, reprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit nouissima, ipsam deniq; æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumcludit. Fides est virtus probata quæ corripit insipientes Sap. 1. *Ipsa est communis via salutis, & sapientibus & insipientibus: ipsa in fornace præsentis tribulationis non læditur, sed melioratur.* 1. Pet. 1.

Vt probatio fidei vestræ multo pretiosior sit auro quod per ignem probatur. Ipsa ordinat & regit totam vitam præsentem. Vnde Apostolus Heb. 11. *Opera antiquorum patrum quibus vel Deo placuerunt, vel hominibus mirabiles extiterunt:* fidei attribuit, exempla ponens de diuersis libris. Veteris testamenti. Apoc. 13. *Hæc est potentia & fides sanctorum.* Et hæc de cõmendatione fidei sufficiant, licet multa ad eius laudẽ pertinentia deficiant. Apostolus ad Heb. 11. Laudes fidei non cõpleuit. *Deficiet,* inquit, *tempus me enarrantem de Gedeon* &c. Vnde non est mirum si nos eas non expleamus.

Capvt V.
De Articulis Fidei.

Omnia credenda articuli fidei.

SEquitur de articulis fidei. Sunt autem articuli modicæ partes fidei prout fides nominat eas quæ creduntur: sicut articulos dicimus modica membra in corpore humano. Arctamur ad articulos credendos: & ipsi crediti arctãt nos ad timorem Dei, vel amorem, vel aliam affectionem in Deum. Et notandum quod non omnia credenda dici possunt articuli fidei. Sunt enim quædam quæ fidem antecedunt, vt quæ sunt iuris naturalis, sicut est hoc, quod proximo non est nocendum. Quædam vero consequuntur fidem: vt antichristum esse futurum. Et licet tam hæc quàm illa sint credenda: tamen non sunt articuli fidei, vt videtur quibusdam quod non sint articuli nisi sint de Deo. Item notandum quod inter credẽda quædam sunt de Deo, quædam de aliis. Inter ea vero quæ sunt de Deo, quædam sunt de Deo sine respectu creaturarum: quædam de Deo per respectum ad creaturas. Quæ sunt sine respectu creaturarum, sunt vnitas essentiæ, singularitas in nobilitate, & supereminentia: contra quæ blasphemauit Manichæus ponens duo principia, bonorum scilicet & malorum, & duos principes lucis & tenebrarum, & duo regna, æternitas, simplicitas, immutabilitas personarum, Trinitas, & earundem æqualitas: hæc sunt quasi septem stellæ in dextera Apocalyp. 1. Fides enim illuminans circa ista septem, donum Christi est. Inter ea vero quæ dicuntur respectu creaturarum, principalia sunt, Dei potentia, sapientia, bonitas vel benignitas. Cõsequentia vero ad hæc sunt, creatio, recreatio, & similia. Ex apprehensione diuinæ potentię adoratio & veneratio: Ad adorationem pertinet humiliatio nostra exterior, vel interior, qua recognoscimus nos subesse Deo ad saluandum vel perdendum iure plenissimo. Exterius fit hæc recognotio curuatione, genuflexione, prostratione, & cum exprimimus verbo nostram subiectionem ad dominatissimam potentiam Dei. Interius vero fit hæc recognitio, dum cogitamus paruitatem nostram diuinæ maiestati subiectam. Ad venerationem vero pertinet quod ad Deum nonnisi loti præsumimus accedere, vel sacra loca intrare, vel sacra contrectare. Item ad eandem pertinet sacrorum locorum decor, vasorum & ornamentorum & illuminarium apparatus, & celebritas diuini officii. Ex sapientia vero Dei cuncta lucide intuente oriuntur timor, & pudor, & solicitudo declinandi ea quæ Deo displicent, & quærendi ea quæ Deo placent. De bonitate vero primo oritur amor: & si referatur bonitas ad operationes, quatuor sortitur nomina. Primo vocatur gratuita beneficẽtia, inquantum gratis tribuit bona sua: Secundo misericordia, inquantum tollit vel lenit mala nostra. Tertio iustitia, inquantum vlciscitur mala. Quarto, largitas remunerans obsequia. Ex bonitate Dei primo modo nominata oriuntur quatuor partes diuini cultus ex radice vnius virtutis procedentes, quę dici potest gratitudo vel deuotio, Prima pars est gratiarũ actio. Secunda benedictio, seu bonorum imprecatio. Tertia laudatio. Quarta glorificatio, quæ est beneficiorum Dei prædicatio ad alios. Ex misericordia vero oriuntur multę partes diuini cultus procedentes ex

Error Manichæi.

radice vnius virtutis, quæ est spes veniæ vel gratiæ. Prima pars est deprecatio pro malis tollẽdis vel leniendis. Secunda, oratio pro bonis obtinendis. Tertia, afflictio, vt ieiunium. Quarta, eleemosyna. Ex iustitia per donum timoris oriuntur pœnitentia de præteritis, & cautela à malis futuris, inquantum referũtur ad fugiendam diuinam vltionem. Ex largitate obsequia remunerante oritur spes remunerationis, ex qua est omnis diuinus cultus, inquantum via est ad mercedem æternam. Inter credenda vero quæ sunt de aliis rebus à Deo, Primum est, quod nihil numinis est in aliis rebus à Deo. Secundum, mundi inchoatio cum vniuersis quæ de eo sunt. Tertium, creatio animarum in corporib. Quartum, earum immortalitas. Quintum, singularitas corporum contra pluralitatem Phythagoricam. Sextum, resurrectio corporum. Septimum, loca tormentorum futurorum, scilicet infernus & purgatorium. Octauum, sacramenta. Nonum, gratia. Decimum, liberum arbitrium. Circa ista inueniuntur errores. Item notandum quod articuli fidei collecti sunt in tribus locis, scilicet in symbolo Apostolorum, quod dicitut submisse, & in illo symbolo quod cantatur in Missa quod à sanctis compositum est: & in Symbolo Athanasii, quod cantatur ad Primam, scilicet. Quicunque vult. Primum factum fuit ad instructionem Ecclesiæ, quando nouella erat. Aliud post, hæresibus ortis, ad explanationem primi, & expugnationem quarũdam hæresum ortarum, & maxime contra illam quæ dicebat adorationem Spiritui sancto non esse tribuendam, vnde contrarium multum exprimitur in illo Symbolo. Tertium vero factum fuit contra alias hæreses & maxime contra illas quæ erant contra incarnationem Filii & resurrectionem mortuorum. Primum ideo dicitur submisse: quia quando factũ fuit, non ita publice fiebat fidei protestatio. Alia vero duo alta voce: quia facta fuerunt contra hereticorum proclamationem, & quia tũc publicata erat fidei protestatio. Primum Symbolum dicitur ad Primam & ad Completoriũ duplici ratione. Primo, quia altera harum horarum principium diei est, altera noctis. In principio ergo diei & in principio noctis dicitur Credo in Deum, quia fides est principium omnis boni. Secundo, quia fidei professio valet ad effugãdos dæmones, qui diurnis & nocturnis actibus insidiantur, & eisdem horis, eisdem rationibus à laïcis fidelibus dicendum esset. A religiosis tamen dicitur, quando frater morti appropinquat ad dæmones effugandos, qui fini hominis insidiantur, secundum illud. Genes. 3. *Tu insidiaberis calcaneo illius.* Possumus autẽ distinguere Symbolum Apostolorum in duodecim articulos, sicut duodecim fuerunt Apostoli qui composuerunt. Fides vere horum duodecim articulorum est velut corona duodecim stellarum in capite sponsæ: in intellectu scilicet. Apocalyp. 12. Primus articulus pertinet ad Patrem, sex sequentes ad filium. Primus illorum secundum deitatem, quinque alii secundum humanitatem, & quinque vltimi pertinent ad Spiritum Sanctum. Primus articulus est. *Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ.* Et notandũ quod non est idem credere Deo, & credere in Deum. Deo credit, qui credit esse vera quæ ab eo dicuntur: & hoc modo possumus dicere quod aliquis credit Petro & Paulo. Credere in Deum est credendo diligere, & credendo in eum ire: Vnde Gloss. Augustin. super illud Rom. 4. *Credent in eum qui iustificat impium &c.* Quid est credere in Deum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eũ ire, & membris eius incorporari: Fides ostendit homini Deum esse summum bonum: ideo gressu amoris & boni operis habens fidem tendit in Deum. Ex iam dictis patet, quod ille qui in peccato mortali est, mentitur cum dicit: Credo in Deum, si intendit illud dicere in propria persona. Aliud est si intendat hoc dicere in persona

Margin: Articuli fidei in tribus comprehensi.

Ecclesiæ fidem eius profitendo. Ad declarationem vero eius verbi, Credo in Deum: additur in symbolo sanctorum vnũ, cum dicitur, Credo in vnum Deum. Sequitur, Patrem omnipotentem. Omnipotentia in tribus attenditur, scilicet in amplitudine potentiæ: potest enim quæcumque vult facere. Secundo in hoc quod ad agendum nullo indiget. Tertio in hoc quod à nullo prohiberi potest. Et attende hanc coniunctionem Patrem omnipotentem, valde dulcem esse vere fideli. Patri enim non deest bona voluntas ad filios, præcipue patri misericordiarum qui minus obliuiscitur filiorum suorum quam mater. Esa. 49. Omnipotenti vero non deest potestas implendi illam bonam voluntatem. Patris omnipotentiam non videntur credere, qui relicto Deo adhærent diabolo, credentes se fame morituros si Deo seruierint: quasi diabolus vel melioris voluntatis, vel maioris potestatis sit ad prouidendum his qui sibi seruiunt, quam Deus. Sequitur, *Creatorem cœli & terræ.* Creare est de nihilo aliquid facere. Ad declarationem huius verbi, dicitur in symbolo Sanctorum. *Factorem cœli & terræ, visibiliũ, & inuisibilium.* Quæ expressio facta est contra illam hæresim, quæ dicit visibilia esse à principe tenebrarum, inuisibilia vero à Deo. Secundus articulus est. *Et in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum.* Et est sensus: Credo, &c. id est, fide tendo in Iesum Christum, fidem habeo de ipso quod ipse sit Iesus, id est, Saluator eorum qui ei adhærent, ideo ei adhæreo. Et iterum quia fidem habeo quod ipse sit Christus: id est, vnicus & benignus. Bernardus: Omnino propter mansuetudinẽ quæ prædicatur in te, currimus post te Domine Iesu, auditis quod pauperes non spernas, peccatores nõ horreas. Itẽ credo quod sis filius Dei cui seruire honor est. In hoc quod dicitur filius Dei, insinuatur quod ipse sit Deus. Sicut.n. filius hominis homo est non alterius speciei: sic filius Dei Deus est. Sequitur. *Vnicum Dominum nostrum.* Christus Dominus noster est duplici iure, scilicet iure creationis & iure redẽptionis. Creatura necessario est creatoris, cum eam gratis fecerit & ex nihilo. Tribus de causis aliquis habet ius in re, quæ sit, vel quia eam facit, vel quia pretio eius sit, vel quia materia ex qua fit ipsius est: sed nulla harum causarũ aliquod habet dominiũm in creatura, nisi creator. Contra vniuersale dominiũ Christi peccare videntur, hi qui volunt dominari, & qui contra voluntatem Dei terrenis dominis nolunt obsequi. Qui ascendit super occasum, Dominus nomen est illi. Ille solus pro Domino habendus est, qui suscitare potest hominem, si in eius seruitio mortuus fuerit. Non libenter sequitur miles dominum illum qui non potest ei restituere equũ suũ si in seruitio eius eũ amiserit. Primus inter articulos pertinentes ad filij humanitatem, est hic, *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.* Christus conceptus est de Spiritu sancto: id est, Spiritus sancti operatione: quia Spiritus sanctus separauit à beata Virgine quod purissimum erat in ea, & formauit inde corpus Christi, & instanti animam infudit, vt tam cito esset verus homo & verus Deus. Non fuit anima infusa circa. 40. diem à conceptione, sicut dicitur fieri in aliis. Immo fuit vir ab ipsa conceptione. Hierem. 31. *Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum, &c.* Christus in conceptione culpam cauit, in natiuitate vero matri suæ damum virginitatis non intulit, nec ei doloris causa fuit. Mansit enim mater eius virgo post partum, & sine dolore eum peperit: in quo dedit exempla aliis vt benigne sese habeant erga matres suas, nec sint eis causa doloris vel de pauperationis. Secundus articulus, pertinens ad humanitatem est. *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.* Attendere debet fidelis quanta pro eo sit passus, & à persona quæ indigna erat etiam vita, cum esset infidelis. Cruci etiam affixus est, quod erat

vilissimum genus tormentorum, in qua perseuerauit vsque ad mortem, vt fideles à cruce pœnitentiæ ad suggestioné diaboli non descendant. Sepultus est, licet corpus eius non esset dandum corruptioni, secundum illud: *Non dabis sanctum tuum videre coruptionem.* Volens in ista absconsione aliis assimilari. Tertius articulus pertinens ad humanitatem, est, *Descendit ad inferna:* & hoc secundum animam, vt extraheret suos qui in limbo erãt. Et attende peruersitatem hominis qui non vult Christum sequi in cœlum qui hominem secutus est in infernum. Quartus est. *Tertia die resurrexit à mortuis.* Si Christus mortuus sua virtute resurrexit: verisimile est quod ipse iam viuẽs mortuus suscitare possit. Quintus est. *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicare viuos & mortuos.* Si Christus ascendit in cœlum, ascendent post eum qui ei adhærent. In eodem enim hospitio membra recipientur, in quo caput receptum est. Christus secundum quod homo, sedet à dextris Patris, quia est in potioribus bonis eius, secundum vero quod Deus est, conregnat æqualis ei, vt tangit Gloss. super illud Psalm. *Sede à dextris meis.* Christus sibi & suis ad dexteram Patris locum elegit, quia in dextera sint delectationes eius vsque in finem. *Inde venturus est iudicare viuos & mortuos:* id est, bonos & malos, vel illos qui in aduentu suo viui reperientur, qui in momento morientur, & postea resurgent, & illos qui prius erant mortui. Magna fiducia erit fidelibus quod frater eorum iudicabit. Ioa. 5. *Pater non iudicat quenquam sed omne iudicium dedit filio.* Primus articulus pertinens ad Spiritum sanctum est. *Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam.* Credo, id est, fide tendo in Spiritum sanctum. Qui fidé habet quod Spiritus sanctus magnæ bonitatis & suauitatis sit his in quibus habitat, præparat se ad hoc quod sit eius habitaculum: hic per

Psal. 98.

gratiam, in futuro per gloriam. Sap. 12. *O quam bonus & suauis est Domine Spiritus tuus in nobis.* Ecclesiast. 24. *Spiritus meus super mel dulcis.* Ad Spiritum sanctum tria pertinent in præsenti, duo in futuro. Cum enim ipse sit bonitas ad eum pertinet destructio malitiæ, bonitas enim contraria est malitiæ. Vnde ad eum pertinet sanctificatio, ideo dicitur. *Sanctam Ecclesiam catholicam.* Et pertinẽt ad eundem articulum hæc duo: *Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam.* Credere enim debemus quod Spiritus ipse sanctus sit, & quod Ecclesia sancta sit ab eo. Itẽ ad Spiritum sanctum pertinet sanctorum communicatio: vnio membrorum in corpore Ecclesiæ & ad caput & ad inuicem: sicut spiritus humanus in corpore humano mẽbra vnit, cuius vnionis signum est sacramentum Dominici corporis. Item ad Spiritum sanctum pertinet communio quam habent sancti ad inuicem, in hoc quod sunt socij in lucro, quod tangit Dauid, dicens: *Particeps ego sum omnium timentium te* &c. In communione ergo sanctorum tria intelligamus ad quæ pertinet secundus articulus. Sacramentum communionis mystici corporis quod est Ecclesia. Communionem sanctæ societatis, ex qua accidit quod quilibet qui est de Ecclesia, vere patrem habet in omnibus bonis quæ fiunt in Ecclesia, per quam viam aliquis de facili ditatur. Ad quam etiam communionem sequi debet communicatio tam bonorum quam malorum temporalium, vt mala proximorum nobis assumamus per compassionem, & bona nostra eis cõmunicemus per eleemosynarum largitionem. Item ad Spiritũ S. pertinet remissio offensionum, cum ipse sit benignitas, ad quod pertinet tertius articulus, *Peccatorum remissionem.* Credere enim debemus quod peccata remittuntur in Ecclesia per baptismum & pœnitentiam & alia sacramenta: nec solum semel remittit Spiritus sanctus peccata homini, sed quotiescunque vere quis pœnitet. Ad bonitatem etiã

Psal. 118.

Spiritus sancti pertinet remuneratio tam in corpore quam in anima. Ad remunerationem corporis pertinet quartus articulus. *Carnis resurrectionem.* Ad remunerationem animæ quintus. *Vitam æternam.* Qui carnis resurrectionē fideliter credit, non timet miserum corpus expendere in seruitio Christi ex quo sperat se recepturum illud cum quadruplici gloria claritatis, impassibilitatis, subtilitatis, & agilitatis. Item qui fidem habet de vita æterna, solicitus debet esse quomodo illi prouideat. Si cum tanta solicitudine prouidetur huic miseræ vitæ de qua nemo certus est per diem: quanta solicitudo debet esse prouidendi illi vitæ de qua certū est quod erit æterna? Ibi nec locus erit mendicandi, vt manifestum est in diuite epulone. Luc. 16. Et in fatuis virginibus Matt. 25. Nec locus laborandi, nec aliquid mutuo accipiendi. In vita enim præsenti vix est aliquis cuius paupertati non consulatur aliquo istorum trium modorum. Ibi vero qui sibi non prouiderit, egestatem æternam patietur, vt nec guttam aquæ modicam habere possit. Et notandum quod Aug. in lib. de fide, ad Petrum, enumerat 40. firmiter credenda & indubitanter tenenda, quæ causa breuitatis hîc non posuimus.

Caput VI.

De erroribus qui Fidei Catholicæ aduersantur. Et primò de errore illorum qui negant Deum esse.

SEquitur de erroribus qui fidei catholicæ aduersantur. Et primo dicetur de errore illo quem tangit Dauid, dicens: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.* Et notandum quod hi qui sunt in errore isto, omni bono sunt indigni, quia largitori omnis boni ingrati: vnde indigni sunt disputatione quia laboratur ad destructionem erroris eorum, ipsi merito sunt à Deo despecti, cum ipsi Deum non reputent: & ideo à correctione sunt valde remoti Eccl. 7. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Tum quia Dei misericordia immensa est, & quia scriptum est. *Responde stulto iuxta stultitiam suā ne sibi sapiens esse videatur.* Prou. 16. Ad extirpationem huius erroris aliqua dicemus. Error iste non solū est insipiētia, imo insania. Quæ maior insania quam dicere, illud non esse quod causa est omnibus vt sint; Cum insano verò nemo solet philosophari ad destructionem errorū ipsius philosophi. Stultum est quolibet cōtraria opinionib. proferente esse solicitum. Item philos. Non oportet omne problema, nec omnem positionem desiderare: sed quam dubitabit aliquis indigentium rationis & non pœnæ vel sensus. Nā qui dubitant vtrum oporteat Deum venerari, & parentes honorare, vel non, pœna indigent: qui autē vtrū nix alba, vel nō, sēsu. Vere qui Deū nō agnoscūt, pœna indigent, vt qui in bonis positi non agnoscūt bonorum omnium largitorem, in malis positi agnoscant malorum liberatorem. Greg. Oculos quos culpa claudit, pœna aperit. Esa. 28. *Sola vexatio tantummodo dabit intellectum auditui.* Hier. 16. secundum aliam trāslationem, *Per omne flagellum & dolorem erudieris Hierusalem.* Et Tob. 11. *Recuperauit visum Tobias, cum filius eius liniuisset oculos eius felle.* Et Mar. 19. Antiochus Deum recognouit in tormentis à Deo positus, dicens: *Iustum est subditum esse Deo & mortalem non paria Deo sentire.* Pœna timorem inciuit. *timor* (vero) *initium sapientiæ est.* Prou. 1. Qui in errore isto sunt, rusticissimi & ignobilissimi sunt: vnde verbis erudiri non possunt. Prou. 29. *Seruus verbis erudiri non potest: quia quod dicis audit, & respondere contemnit.* Vere contemptus siue voluntas in causa est, vel potius in culpa est, quod tales non credant Deum esse. Animo. n. inuito nihil facile suadetur. Ignobilis animi est & ingrati, nolle agnoscere benefactorem suum: nobilis vero animi est, multum desiderare agnoscere eum à

De toti esse sa

quo beneficia recipit. Sicut patet in paupere illo de quo legitur in vita D. Nicolai: cui cum S. Nicolaus multiplici iniectione auri in domum eius paupertati ipsius consuluisset, proposuit deinceps vigilare donec sciret quis esset qui aurum in domum illius tam caute proiecisset. Patet ergo valde ingratos esse, qui negant Deũ esse à quo incessanter beneficia recipiunt, nec infinitis testib. hoc credere volunt. Tale est hoc ac si aliquis nollet credere ignẽ esse à quo tamen incessanter & vehementer calefieret. Psal. *Non est qui se abscondat à calore eius*. Ber. in lib. de diligendo Deum: Inexcusabilis est infidelis si non diligit Deum toto corde, tota anima, tota virtute. Clamat intus ei innata iustitia: quia ex toto se illum diligere debeat, cui totum se debere non ignorat. Idem: Infidelem vrget iustitia naturalis se totum tradere illi à quo se totum habet, & ex se toto diligere. Nullus est qui compos sit mentis suæ, qui nõ possit agnoscere quod ipse non semper fuit, & cum non fuit, nihil boni habuit: ergo esse suum & quidquid boni habet, ab alio habet: ergo vel à solis parentib. carnalibus, aut non: si à solis parentib. carnalib. illi non semper fuerunt: vnde ab aliis habuerunt, & illi similiter ab aliis, donec perueniatur ad aliquem qui semper fuit, à quo primus pater carnalis initium habuit, à quo etiam habuit vt posset alium generare. Constat. n. quod parentes carnales non habent à se quod generent filium, cum quandoque generent quãdo nollent generare, & quãdoque non generent cum vellent: & cum vellent generare filiũ, quandoque generant filiam. Nescit etiam mater quomodo filius in ea generetur: sicut quædam laudabilis mater quæ dixit filiis suis. 2. Mat. 7. *Nescio*, inquit, *qualiter in vtero meo apparuistis, neque. n. ego spiritum & animam donaui vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi.* Si vero non à solis parentib. carnalibus esse suum habuit, sed à parentib. carnalibus corpus, & à patre spirituũm spiritum: secundum illud Arist. in lib. de Anim. Intellectus diuinitus ab extrinseco aduenit, cũ primus pater carnalis qui non semper fuit, ab aliquo qui semper fuit, totum esse suum acceperit, & quod aliquid boni posset habere, & quod aliquid boni posset conferre: patri illi qui semper fuit, omne bonum debetur, quod à nobis habetur qui vere Deus est. Magna est ergo ingratitudo illum non agnoscere, cuius beneficia non cessamus recipere: nec solum per parentes carnales beneficia ipsius recipimus, sed etiam per alias creaturas. Collatio vero beneficiorum ipsius quædam exhortatio est ad amorem ipsius. Aug. l. 10. Confes. Cœlum & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicũt vt te amen, nec cessant dicere omnibus vt sint inexcusabiles. Error iste est quem odire debet quidquid odire potest, cum interimat patrem omnium. Vnde debemus eum odire sicut aliquis odit eum qui patrem eius interemit. Qui in hoc errore sunt, dæmonib. quantum ad hoc deteriores etiam videntur, qui saltem Deum credunt esse. Iac. 2. *Tu credis quoniam vnus est Deus, benefacis, & dæmones credunt & contremiscunt.* Qui in hoc errore sunt, in vanum videntur accepisse animam suam, cum Deum non agnoscant. Ad quem cognoscendum ratio eis data est. Propter quod enim rationem habent potius quam bruta animalia, si tantum illa quæ sensibus corporis subiacent, agnoscunt sicut & illa? Vnde Dominus iustissime posset tales punire, sicut puniuit Nabuchodonosor. Dan. 4. *Ab hominib. eycient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua. Fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit, det illud.* Bernard. super Cant. An non tibi videtur ipsis bestiis quodammodo bestialior esse homo ratione vigens & ratione non vtens? Magna fatuitas dubitare de fonte ex quo apparet

fluuius continue perseuerans. Fonti indeficienti attestatur fluuii cõtinuitas & certissimum iudicium creatoris est continuus fluxus creaturarum. Et notandum quod ad cognoscendum Deum esse, natura incitat. Hoc idem omnis scriptura indicat, & omnis creatura clamat. De primo, Ioan. Damasc. Cognitio existendi Deum nobis naturaliter inserta est. In tantũ vero præualuit malitia hominũ naturæ, vt quosdam in irrationabilissimum & omnium malorum pessimum perditionis barathrum deduceret, vt dicant non esse Deum. Deum esse, vox omniũ est. Apud omnes enim nationes instinctus naturæ habetur. Vox autem omniũ, vox naturæ est: iuxta verbum Sapientis. Secundum manifestũ est: quia & scriptura gentilium, & Iudæorum, & Christianorum affirmat Deum esse. Doctrina etiam nobilissimorum philosophorum hoc indicat, vt Platonis, Arist. Tullii. Sen. & similium. Scriptura Iudæorum in principio asserit omnia à Deo esse creata. Scriptura Christianorum in principio Euangelij. Ioa. per Deum verbum asserit omnia esse facta. Omnis etiam creatura clamat Deum esse, vt ostendit Aug. 11. l. de Ciu. Dei: exceptis propheticis vocib. Mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate & mobilitate visibilium omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus & factum se esse, & non nisi à Deo ineffabiliter atque inuisibiliter fieri se non potuisse proclamat. Idem 10. l. Confes. Interrogaui de Deo meo, cœlum, solem, lunam stellas, neque nos sumus Deus quem quæris, inquiunt, & dixi omnib. qui circumstant carnem meam: Dicite mihi de Deo aliquid: exclamauerunt voce magna: Ipse fecit nos. Interrogatio mea, intentio mea, & responsio eorum, species, flores, & alia quæ terra producit quæ est infimũ elementorum, & pedibus omnium calcatur, speciem nobis talem ostendunt qualem nullus homo qui dignissima creatura est, & qui rationem habet, cuius est discernere, posset facere; vnde offensione illius speciei apparet maiorem homine esse qui talia facit. Terra enim per se talia facere non potest. Sicut mater non parit nisi aliunde receperit: sic terra aliunde recipit quod talia producat. August. in lib. de Trin. Sicut matres grauidæ sunt fœtibus, sic ipse mundus grauidus est, caussis nascentium. Ostensione ergo speciei suæ exclamat flos se à Deo factum esse, cum nulla creatura nec etiam rationalis eum possit facere. Matth. 6. *Considerate lilia agri*, &c. *Dico autem vobis, quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis*. Quod de flore dictũ est, intelligatur de aliis creaturis. August. in lib. de vtilitate credendi: Non frustra intueri oportet & inaniter pulchritudinem cœli, ordinem syderum, vicissitudines temporum, in quorum consideratione non curiositas est exercenda, sed gradus ad æterna faciendus. Sa. 13. *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri*. Iob. 12. *Interroga iumenta & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi: loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit?* Rom. 1. vbi loquitur Apostolus de philosophis, *Deus*, inquit, *reuelauit eis*. glos. Amb. Vt Deus qui natura inuisibilis est, etiam à visibilibus posset sciri, opus fecit quod opificem visibilitate sua manifestauit, vt per certum incertum posset sciri, & ille esse omnium Deus crederetur qui hoc fecit, quod ab aliis impossibile est fieri. Et subditur ibi in textu. Inuisiblia, n. ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoq; eius virtus & diuinitas. Dum sumus in hoc mundo inferiori, quasi per quandam scalam creaturarum ad cognitionẽ corporis oportet nos ascẽdere. Bern. Sane hac scala cœli ciues nõ egẽt, sed nos exules; quia creatura cœli in verbo conspicit facta per verbum, nec opus habet ex his quæ facta sunt, factoris notitiam mendicare. Esa. 40. *Leuate in excelsum oculos vestros, & videte quis*

te quis creauit hæc, qui eduxit in numero militiam eorum. Et gloss. August. super cap. ad Rom. 1. Philosophe totum considerasti rerum ordinem, & non vis attendere quod mundus opus Dei sit, idolum opus fabri. Si faber idolo sicut dedit figuram daret & cor, ab ipso idolo faber adoraretur. Ex quo sequitur, inexcusabilem esse qui creatorē suum non adorat, qui eū præ creaturis visibilibus honorauit dando ei rationem. Cum homines agnoscant animā esse per effectus ipsius in corpore, vt est vita, sensus, motus, licet ipsa inuisibilis sit, & omnino insensibilis: quare similiter non agnoscunt ipsi creatorem esse in mundo per eius opera? Amb. super ca. 1. ad Rom. Sicut ex motibus & administratione corporis animam quam non vides intelligis: sic ex administratione totius mundi & regimine omnium creatorem Philosophi intellexerunt. Sen. in lib. de naturalib. quæst. Quid est Deus meus, inquit, vniuersi. Sic se habet Deus regendo vniuersum, sicut mens regendo corpus proprium. Noli ergo de Deo dubitare etsi eum non videas, sicut non dubitas de anima, etsi eam non videas: certissimum habeas multa esse quæ tamē inuisibilia sunt. Inuisibilia sunt caussa visibilibus vt cognoscantur. Vnde Greg. 4. l. dialog. Nulla visibilia nisi per inuisibilia videntur. Ipse corporeus oculus nihil corporeū videret, nisi hunc res incorporea ad vidēdum acueret. Nam tolle mentem quæ non videtur, & incassum patet oculus qui videbat. Si oculi per se videbant, cur descendente anima non vident? Item in hoc mundo visibili nihil nisi per creaturam inuisibilem disponi potest. Bern. Nobilem hospitem habes ô caro, & nobilem valde, tota salus tua pendet ex eius salute: da honorem hospiti tanto: diligenter attende quid hospitis huius pręsentia largiatur. Ipse est qui retribuit oculis visum, auditum auribus præstat. Denique discessus probat quid præsentia conferat. Item cum ad fidem faciendam de parentibus carnalibus sola fama publica sufficiat, nec testes super hoc requirantur, nec aliæ probationes, maxime cum parentes carnales nobiles sunt, nec cedunt ad dedecus filio, & cū sperat se successurum eis in magna hæreditate, quæ caussa est quod cum tanta difficultate sit fides aliquibus de patre cęlesti qui nobilissimus est, & à quo tanta speratur hæreditas? Præterea secundum considerationem Sapientis, cui consequens est maius bonum, hoc magis est eligendum: si autem consequentia sunt mala, cui consequens est minus malum, hoc magis eligendum est. Sed ex eo quod aliquis credit Deum esse, consequens est magis bonum quam ex eo quod aliquis credit Deū non esse, si bonum ex hoc sequitur: & si malum inde sequeretur, minus malū sequeretur, ergo magis eligendum est quod homo credat Deum esse, quàm quod credat Deum non esse. Media propositio sic potest manifestari: Si aliquis credat Deum esse, & est, sequitur inde vitæ æternæ remuneratio. 1. Ioan. 5. *Habebitis vitam æternam qui creditis in nomine filij Dei.* Posito autem per impossibile quod Deus nō sit, nullum sequetur malum post præsentem vitam, ex eo quod aliquis credit Deū non esse, quia non erit qui eum puniat. Ille vero qui credit Deum non esse, si ipse est, magnum malum habebit, quia mortem æternam. Posito autem per impossibile quod Deus non sit, nullum lucrum in futuro habebit aliquis, ex eo quod credidit Deum non esse: ergo maius bonum consequens est ad hoc quod aliquis credit Deum esse, quam ex hoc quod aliquis credit Deum non esse, & si malum sequeretur ex his credulitatibus, minus malum sequeretur ex eo quod aliquis credit Deū esse, quam ex alia credulitate. Item inter ea quæ incœperunt esse, nihil est cuius ortum causa non præcesserit: sed causa quæ præcessit omne quod incœpit esse, non est de numero eorū quæ incœperunt esse. Sic enim præcessisset se ipsam, quod est impossibile, ergo aliqua causa est quæ nun-

quam incœpit esse. Sed quod non incœpit esse, non desinit esse. Esse enim quod habet ex se, amittere non potest. Sen. Periturum est, nempe quod aduentitium fuit; ergo aliqua causa est sine principio, & sine fine, & hoc indubitanter est Deus. Item Ioan. Damasc. Creabilia siue creata omnino ab aliquo condita sunt: oportet autem conditorem increabilem esse. Si enim & ipse creatus est, omnino ab aliquo creatus est, quousquè deueniamus ad aliquid increabile. Probatio autem hæc Ioan. Damasc. supponit quod Philosophis probatum est, quod in causis non est processus in infinitum. Vnde demonstrato aliquo causato sic potest procedi: Aut causa huiusmodi habet causam, aut non. Si non, est ergo causa, ita quod non causatum: ergo est prima causa. Si autem habet aliam causam, & illa causa aliam, cum in causis non sit processus in infinitum, ad vltimum inuenietur aliqua causa quæ ita est causa quod non causatum: vnde & prima causa est Deus. Præterea potentia agendi quæ est in igne, & sole, & aliis creaturis visibilibus non est potentia libera: ideo quũ aliquis grauatur ab igne, vt cum domus eius comburitur, vel ab æstu solis, si discertus est, non rogat ignem vel solem vt cessent. Potentia enim eorum est vt potentia ministrorum, qui necesse habent implere imperium dominorum quib. subiecti sunt. Constat ergo aliam potentiam superiorem esse quæ libera est, cui hæc potentia subiecta est: & hæc est potentia Dei cuius voluntatem necesse habent implere dictę creaturæ: nec possunt cessare ab operatione indicta eis à Deo nisi Dei voluntas aliter ordinaret: sicut accidit quando sol & luna steterunt per spatium 12. horarum. Iosue 10. & in regressu solis tempore Ezechiæ. Esa. 28. Et in fornace Babyl. quãdo pueros in igne positos ignis non læsit. Dan. 3. Item potentia agendi quæ est in elementis & aliis creaturis visibilibus absque sapientia & discretione, est quæ sit illarum creaturarum, & tamen opera earum discretissimè fiunt: ergo necesse est sapientiam aliquam esse à qua operationes earum ordinatæ sint. Ad hoc autem non sufficit aliqua sapientia creata, cũ nec ad cognitionẽ earũ videatur sufficere. Est ergo aliqua sapiẽtia increata infinita à qua est ordinatio vniuersorũ. Ioa Damasc. Sit omnia generari casus cuius erit ordinare; & hoc si videtur, demus cuius erit obseruare & custodire. Item ipsa creationis permanentia, & conseruatio, & gubernatio docet nos: quoniam est Deus qui hanc vniuersitatem consistere facit, & continet, & conseruat, & semper ei prouidet: qualiter vtique contrariæ naturæ, ignis dico & aquæ, aeris ac terræ in vnius mundi consummationem adinuicem conuenissent, & indissolubiles permansissent, nisi aliqua omnipotens virtus ea concordasset, & semper indissolubilia conseruaret. Item cum visibilia sint causæ aliquorum, aut sunt causæ primæ, aut non. Causæ primæ esse non possunt. Sunt enim omnia composita: vnde necessario præcessit ea aliquid quod ea composuit. Præterea partes sunt quædam causa totius, & pars est naturaliter prior suo toto: ergo necesse est aliquid incompositũ & simplex quod omnia composita præcessit, à quo omnia sunt composita. Item in eis quæ creata sunt quædam sunt corruptibilia, quæ principium habuerunt & finem sunt habitura; quædam vero habent perpetuitatem quæ principium habuerunt, sed finem non sunt habitura: ergo cum causa abundare debeat ab eis quorum est causa, & causa eorum habebit æternitatem, vt sit sine principio & sine fine. Item omnis potentia creata determinata est circa esse, & operatur circa materiam existentem, & nullatenus trãscendit esse vt de nihilo aliquid possit facere, ergo oportet aliquam potentiam increatam esse quæ infinita sit, & transcendat esse, & de nihilo fecerit illud ex quo creaturæ operantur. Item cum in rebus sit inuenire quædam bona & quædam meliora, aut non erit perfectio in vniuersitate rerum, aut necesse est aliquid esse optimum. Item cum appetitus sum-

Creati cõseru tio, & gubernatio, Deum esse te stantu

mi boni naturaliter in anima sit, nullus autem motus naturalis frustra sit. Frustra autem esset appetitus ille, nisi aliquid esset summum bonum: ergo aliquid est summum bonum. Hoc autem non est nisi Deus. Item secundum Aristo. Magis eligendum est quod natura est, eo quod non est natura, vt iustitia iusto; hæc enim natura. Illud autem acquisitum est. Est igitur aliquid quod est sua bonitas, & sua iustitia, omnibus illis quæ bona sunt super participationem præferendum. Item nihil quod mutabile sit, optimum est. In mutatione enim aliquid boni amittitur, & aliquid acquiritur quod optimo accidere nõ potest. Item dicit Augustinus quod in omni re quę mutari potest, nonnulla mors est ipsa mutatio: mors autem optimo accidere non potest. Omnis autem creatura mutabilis est: ergo nulla creatura optimum est, aliquid tamen optimum est, aliter non esset perfectio in vniuersitate rerum: ergo aliquid increatum est. Aug. super. 1. ad Roman. Viderunt summi philosophi quos cæteris non immerito fama atque gloria prælatos cernimus, quidquid mutabile est non esse summum Deum: & ideo omnem animam mutabilem esse quia specium transcenderunt: deinde viderunt omnem speciem in re quacunq; mutabili quæ naturaliter est, omneque vniuersi mundi corpus non posse esse nisi ab illo qui incommutabilis & simplex est: quia non aliud est illi esse, aliud viuere, intelligere, aliud beatum esse: sed quod est illi viuere, intelligere, beatum esse, hoc est illi esse. Propter hanc incommutabilitatem & simplicitatem intellexerunt eũ & omnia bona fecisse, & à nullo fieri potuisse. Item cum modico corpori hominis regendo ratio sit accommodata qua ipsum regatur, qua impedita vel omnino amissa, corpus perclitatur, vel in puluerem redigitur, verisimile est rationem aliquam esse qua vniuersitas fabricæ mũdi regatur. Itẽ cum ratio quæ in homine est agnoscat se esse & non semper fuisse, & causam aliquam habuisse quæ eam præcesserit, causa autẽ rationis irrationabilis esse non potuerit: necessario rationẽ humanã & quãcunque aliã rationẽ quæ esse incœpit, præcedit aliqua ratio quæ esse non incœpit: & hæc ratio Deus est qui vniuersitatem rerum regit. Vnde Sen. in libro de naturalibus quæstionibus. Nostri melior pars est animus: ideo extra animum nulla est pars, totus est ratio.

Capvt VII.

De errore idololatriæ. Et primo de descriptione idololatriæ. Secundo de causis eius. Tertio de speciebus, & quarto de destructione erroris idololatriæ.

Dictum est de errore eorum qui Deũ esse negãt. Nunc dicẽdũ est de errore eorum qui creaturas deificant, qui error idololatria dicitur. Primo ostendemus quid sit idololatria. Secundo tangemus de causis. Tertio de speciebus. Quarto de destructione eius intendemus. Notãdum ergo quod latria est sũmæ venerationis cultus soli Deo exhibendus. Vel latria est volũtaria possessio diuinæ maiestatis. Idololatria vero est cultus Deo debitus, creaturæ exhibitus. Et dicitur quasi idololatria: non quia iste cultus semper idolo exhibeatur, sed quia frequenter, vel quia idolo primo est exhibitus. Et notandum quod idolum quandoque dicitur lignum, vel alia res sic figurata: quandoque vero dicitur coniunctum ex imagine & dæmone præsidente. Et sic sumitur 1. Corinthiorum. 7. vbi dicit Apostolus quod nihil est idolum in mundo. Illud enim quod putabant esse idolum personam scilicet subsistentem ex simulachro & spiritu præsidente, nihil erat. Item notandum quod inter idola gentiliũ quædam imagines erant tantum ad memoriam & repræsentationem aliquorum in quibus nihil numinis esse credebantur; aliæ vero erant quæ credebantur esse habitacula Deorum, id est, dæmoniorum. Omnes enim Dij gentium dæmonia: in

Idolum Quid.

quibus dæmones decipiebant homines dantes eis responsa ac si in ipsis habitarent inducti ad hoc sacrificiis & honoribus quę eis exhibebantur. In quibusdam etiam imaginibus credebant gentiles aliquam virtutem esse infusam, eo quod sub certis horis funderentur, vel sculperentur, vel fabricarentur: sicut Mathematici mentiuntur, homines trahere mores ex hoc quod tali hora, vel tali nascuntur. Similis error inuenitur in quibusdam vetulis nomine Christianis, quæ dicunt imagines lx. annos à factione sua virtutē sortiri, & de cætero habere eā. Imagines prędictas quas nō credebant solum esse imagines, vocauit Mercurius Deos factitios, scribens librū de Deo Deorum. Proaui, inquit, nostri inuenerunt artem qua Deos efficerent: & quoniam animas facere non poterant, inuocantes animas Deorum: eas indiderunt imaginibus factis. Possumus autem octo rationes seu causas ostēdere quibus idololatria vel inducta est vel augmentata. Vna causa fuit, dolor nimius de amissione alicuius amici. Pater enim amisso filio nimium dolens, imaginem filij fieri fecit, vt ei esset qualecunque solatium. Vnde sapient. 14. *Acerbo luctu dolens pater, cito sibi rapti filij fecit imaginem.* Ac illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia. Deinde interuiente tempore conualescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est. Hanc primam causā idololatriæ ostendit Greg. super illud Lucæ. 11. *In Beelzebub principe dæmoniorum, &c.* dicens. Ninus rex Niniuæ Belo patre suo mortuo statuam fecit, quā summa reuerentia honorauit, ita vt etiam reis ad eam fugientibus parceret: vnde progressu temporis homines cœperunt eā venerari vt Deum, & multiplicare: & quidā vocauerunt Bel, alij Baal, alij Baalim, alij Beelzebub secundum varietatem linguarum. Alia causa fuit vesana superbia principum, qui non attendentes infirmitatem suam voluerūt se vt Deos honorari, vt Nabuchodonosor, qui præcepit Holoferni principi militiæ suæ, vt omnes Deos terræ exterminaret, vt ipse solus Deus diceretur ab his nationibus quæ potuissent Holofernis potentia subiugari. Iudith. 2. Principes superbi imagines suas faciebant adorari ab his qui erant subiugati ab eis. Vnde Sapient. 14. Tyrannorum imperio colebantur figmenta: & hos quos palam homines honorare non poterant, propter hoc quod longe essent, à longinco figuram illorum allatam euidentem imaginem regis quem honorare volebant fecerunt, vt illum qui aberat tanquam præsentem colerent. Aliqui etiam vt diuina stirpe nati viderentur, diuinos honores parentibus detulerunt deferrique iusserunt: vt dicit Gloss. super 14. Sapient. Tertia causa fuit adulatio, seu desiderium quod habebant minores acquirendi gratiam maiorem. Sapient. 14. *Affectui aut regibus deseruientes homines incommutabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt.* Per hoc quod dicitur affectui, tangitur prima causa iam habita: per hoc quod dicitur, regibus, tertia causa, de qua etiam dicit gloss. Per populos & regiones paria sacra suscepta sunt, dum homines grati esse in suos principes cupiunt. Augustinus in libro 10. de Ciuitate Dei. Multa vsurpata sunt de cultu diuino quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera. Quarta causa fuit amorā reipublicæ. Vnde dicit Glossa ibidem. Alio loco dicit Cicero, quod in plerisque ciuitatibus acquirendæ virtutis gratia, vt libentius gratia Reipublicæ periculum adirent, optimos quosque viros fortium honore Deorum immortalium esse consecratos: hinc Romani Cæsares suos consecrauerunt, & Mauri suos Reges. Quinta, decor, vel operis humani, vel alterius creaturæ. De primo Sapient. 14. *Multitudo hominum adducta per speciem operis, eum qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, nunc Deum existimaue-*

octo causæ idololatriæ.

runt. De secundo Sapient. 13. quando locutus de stellis, sole, & luna subditur: *quorum si specie delectari Deos putauerunt, sciant quando his dominator eorum speciosior est*. Sexta, potentia, quam crediderunt supereminere in his quos Deos putauerũt,
6. vt dæmones crediderunt potestatem habere in homines, & res humanas, & etiam in elemẽta. Cuius erroris occasio fuit quod credebant dæmones sanare læsiones corporum, dum ab eis cessabant. Credebant etiam eos sedare mundi turbationes, dum eas facere cessabant. Credebãt etiam eos prænoscere futura: quia prædicebant eis mala quæ Dei permissione ipsi erant illaturi hominibus, & malorum cessationes, quod non erat mirum. Item alia causa huius erroris fuit, quod facere videbantur quædam opera quæ vere naturalia erant: sed imperitis videbantur esse supra naturam. Tale opus est subita generatio ranarum, & pediculorum, & vermium in quibus natura operatur. Dæmonibus tamen procurantibus quod hæc citius fiant, coniungendo vel commiscendo ipsas naturas rerum, & addendo aliqua semina, quæ semina naturam adeo adiuuant quod opus tardũ acceleratur: ita quod creditur
7. non esse opus naturæ quæ tardius operari consueuit: sicut factum est in signis quæ facta sunt à magis Pharaonis. Septima, cæca cupiditas hominum, qui tantũ sunt curiosi sciendi vel cupidi aliqua acquirendi vt se ipsos vendant dæmonibus, vt cupiditatem suam possint adimplere. Octaua
8. voluptas & lasciuia quæ erant in festis idolorum: vacabant. n. idololatræ, deliciis & ludis, quæ multum alliciebant homines ad idololatriam, 1. Corinth. 10. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*. Et notandum multas esse species idololatriæ. Quædã est cultus dæmonum, alia luminum, vt solis & lunæ vel stellarum: tertia, elementorum: quarta, hominum: quinta animalium irrationalium: sexta imaginum vel alterius operis humani: septima, temporis vel partium eius. Est etiam idololatria aliarum rerum.

Species idololatriæ variæ.

Et notandũ quod idololatria ideo peccatũ magnum est: quia Deo honorem suum aufert, & creaturæ cuius non est, confert, & æquat creaturam creatori. Si pro modico furto, vel rapina quam aliquis facit homini, meretur exilium, vel mortem, vel aliam magnam pœnam, quanta pœna dignus est, qui diuinum honorem Deo surripit? Duplex autem rapina est in peccato idololatriæ. Vna eius qui honorẽ Dei Deo aufert, & alii offert. Alia eius qui honorem diuinum sibi oblatum suscipit. Idolorum cultura omnis mali causa est, & initium & finis, Sapien. 13. Gloss. Cum enim mens à creatore se auertit, omnibus implicatur sceleribus. Aggrauatur autem peccatũ idololatrię ex vtilitate rei in quã transfertur honor diuinus. Maius enim peccatum est cum honor iste transfertur in quadrupedes aut reptilia, quam quando in homines: & quando in imagines hominum, aut animalium, quam quando in homines vel animalia, Rom. 1. *Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum*. Glos. Ambr. Quanta est stultitia eorum apud quos plus potest imago quam veritas, & potiores sunt mortui quã viui? Psal. *Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*. Tanto magis contumeliosum est Deo quanto vilior est creatura quæ ei æquatur, & magis contra rationem est. Contumelia etiam fit humanæ naturæ, quando creaturæ inferiori se subdit. Refert August. in lib. de vera religione quod Socrates occisus fuit, quia noluit adorare idola, quia erãt tantum opus hominis, & dixit se prius adorare canem qui erat opus naturæ, cum causa nobilior sit suo effectu. Multum est contra rationem quod homo adoret opera manuum suarum. Illa species idololatriæ qua homo adorat creaturam: se manifeste inferiorem hominẽ reddit infelicem & maledictum & derisione dignum. De

Omnis mali causa.

Psal. 105.

Primo Sap.13: Postquam præmissum est de sole, & luna, & stellis quæ aliqui rectores orbis terrarũ & Deos putauerunt, subditur. *Sed in his adhuc minor est querela.* Et paulo post: *infelices autẽ sunt, & inter mortuos spes illorum est, qui appellauerunt Deos opera manuũ hominũ.* De secundo Deut.27. *Maledictus homo qui facit sculptile & conflatile abominationem Domini, opus manuũ artificium ponitque illud in abscondito.* Sapient.4. *Per manus autem quod fit idolum, maledictum est & ipsum & qui fecit illud.* De tertio Hierem.10. *Non est spiritus in eis, vana sunt, & opus risu dignum.* Irrisione digni ostenduntur qui sunt in hoc genere idololatriæ Sapient.13. vbi sic legitur. *Non erubescit loqui cum illo qui sine anima est, & pro sanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vita mortuum rogat, & in adiutorium inutilem inuocat, & pro itinere petit ab eo qui ambulare non potest.* Et Esa.44. *Medietatem eius combussi igne, & de reliquo eius idolum faciam: ante truncum ligni procidam, pars eius cinis est.* Quibus verbis vilitas materiæ ostenditur ex qua fit idolum, & vilitas materiæ in quam redigitur. De materia eadem habes Baruch. 6. *Subtrahunt ab eis sacerdotes aurum & argentum: dant autem & ex ipso prostitutis, & meretrices ornant.* Item: *quum receperunt illud à meretricibus: ornant Deos suos.* Et subditur, ibi multum de vilitate & impotentia idolorum: *Hi* (inquit) *non liberabuntur ab ærugine & tinea.* Item: *habet in manu gladium & securim, se autem de bello & latronibus non liberat.* Item: *oculi eorum pleni sunt puluere à pedibus introeuntium.* Et paulo post. *Lucernas accendunt illis, & quidem multas ex quibus nullam videre possunt.* Item; *nigræ sunt facies eorum à fumo qui in domo fit. Supra corpus eorum & supra caput eorum volant noctuæ & hirundines.* Item: *sine pedibus in humeris portantur ostentantes ignobilitatem suam hominibus.* Mirum erit si idola iuuare possunt quum nec preces auxilio indigẽtium possint audire, nec defectum eoru intelligere. Vnde subditur in Bar. *Quum audierint, mutum non posse loqui, offerunt illud ad Bel postulantes ab eo loqui, quasi possint sentire qui non habent motum.* Psa. *Os habent & non loquentur, &c.* Psal. 113. Et Baruch. eodem cap. *Quũ superuenerit illis prælium & mala, cogitant sacerdotes vbi se abscondant cum illis.* Quomodo ergo sentiri debeat, quoniam dii sunt qui nec de bello se liberant, neq; de malis se eripiunt? Item: *sicut in cucumerario formido nihil custodit: ita sunt dij illorum lignei, argentei, & inaurati.* Post idololatriã illam quæ est cultus illarũ creaturarũ quæ manifeste sunt homine inferiores, destruẽda est illa idololatria quæ est cultus dęmonũ, quæ valde detestabilis est. Primo, quia dæmones hostes Dei sunt, & magis displicet Deo quum honor eius tranfertur in eos, quam quando ad alias creaturas. Et etiam magis periculosa homini. Quum enim dæmones hostes sunt humani generis, & cultoribus suis fiant familiares: ipsi sunt eis familiares inimici. Nulla autem pestis efficacior est ad nocẽdum, quam familiaris inimicus. Ideo dicit Augustin. in lib.83. quæstionum: Nihil tam contrariũ Christiano, quam si curam artibus magicis adhibeat. Tunc enim eos recipit familiares qui damnationem animarum quærunt. Item Aug.19.l.de Ciuitate Dei: Magna Dei misericordia necessaria est, ne quisquam cum bonos angelos se amicos habere putat, habeat malos dæmones factos amicos, eosq; tanto nocẽtiores quanto astutiores aut fallaciores patiatur inimicos. Periculosum est valde ei credere qui mendacissimus est. Ioa. 8. *Ipse est mendax, & pater eius.* Præterea dæmones licet sublimes sint conditione naturæ: inferiores tamen sunt etiam brutis animalibus deiectione culpæ: cum miseri sint non solum miseria pœnæ, sed etiam culpæ: imo inferiores videntur esse simpliciter cęteris rebus quę sunt. Vnde diab. nõ esse dicitur. Iob.18. *Habitent* (inquit) *in tabernaculo illius socij eius qui nõ est.* Multipliciter autem potest ostẽdi quod spiritus illi nõ sint colẽ- Non sunt colendi Spiritus.

di. Primo, quia aut ipsi sunt boni, aut sunt mali. Si boni sunt, offenduntur, cum honor qui soli Altissimo exhibendus est, eis exhibetur. Non enim potest eis placere tanta contumelia & iniuria Domini eorum. Præterea si boni sunt, placabuntur malitia offerentium eis honorem alienũ. Quis bonus & discretus honorem reputet, & non magis derisionem, si quis mentiatur eum esse regem vel episcopum cum non sit? Sic si sunt boni spiritus, & discreti, erubescent honorem Altissimi sibi exhiberi. Iuxta verbum Sapientis. Qui falso prædicatur, necesse est vt suis laudibus erubescat. Item quanto quis maiorem honorem indebitũ sibi vult impendi: tanto ipse superbior & vanior est: vt clericus si honorem sacerdotalem vult sibi impendi, superbus est: si episcopalem superbior, ergo si ipsi volunt sibi impendi summum honorem, superbissimi & vanissimi sunt. Si vero ipsi sunt mali, indigni sunt & honore isto & alio. Item aut ipsi præstant beneficia cultoribus suis de suo, aut non. De suo non possunt. Vnica enim potentia est increata, vt in sequentibus ostenditur à qua & sub qua sunt omnia: & cum eos creauit Deus, non à se alienauit, nec à potestate sua eos exemit. Ipsi ergo à Deo sunt & Dei sunt, & beneficia si qua præstãt cultoribus suis, dona Dei sunt ad hoc data vt dentur. Igitur ipsi sunt vt nuntii & deferentes dona illa. Nuntii vero & deferentes beneficia non sunt habendi vt domini, nec deificandi: sed gratia reddenda est ipsi Deo eorum. Bernardus loquens de bonis spiritibus: Honoremus, inquit, eos quantum debemus: totus tamen ei reddatur amor & honor noster, à quo tam ipsis quam nobis est totum: vnde honorare possumus, vel amare, vnde honorari, vel amari demereamur. Loca remota à fonte ita habent aquam ab ipso sicut & loca fonti proxima: licet aqua fontis primo perueniat ad loca proxima, & per ea ad loca remota. Sic cum vnicus sit fons omnium bonorum Deus: ita habent bona sua ab eo creaturæ, quæ remotæ sunt ab eo dissimilitudine, sicut & illæ quæ sunt propinquæ ei dissimilitudine: vt sunt spirituales creaturæ. Deo ergo soli debetur totus honor & gloria. Item aut potentiæ quibus possunt spiritus isti dare beneficia cultoribus suis, sunt potentiæ irrationales siue naturales; sicut potentia calefaciendi quæ est in igne quæ ex necessitate sic operatur: aut sunt potentiæ libere agentes seu rationales. Si primo modo, nulla gratia debetur eis propter illa beneficia, nec propterea sunt colendi. Tales enim potentiæ operantur per modum seruientis, vt ait Sapiens. Si vero libere agunt aut consulunt voluntatem diuinam cultoribus suis dando beneficia, aut non. Si sic, ergo se habent vt dispensatores secundum voluntatem Domini sui dispensando bona ab eo accepta: non ergo habendi sunt vt domini, & multo minus vt dii. Si autem non consulunt voluntatem Dei, non curantes vtrum Deus hoc velit vel non, indiscrete dispensant, nec videntur curare de rectitudine operũ suorum, quum non respiciant ad voluntatem Dei, quæ regula est bonorum operum, & ideo sunt mali. Si quis vero dicat quod isti spiritus placandi sunt ab hominibus, quia ab eis sunt offensi. Si boni sunt, non debent ab hominibus offendi, nisi propter peccata. Si autem propter peccata ab eis sunt offensi, per recessum à peccatis maxime deberent placari. Cõtrariorum enim contrariæ sunt causæ. Si vero iustificatio eorum non placat eos, sed manet adhuc ira eorum donec offerantur eis carnes & sanguis animalium, ira talis non est ira diuina, sed potius ira leonum, aut aliarum bestiarum, quæ non quiescunt donec aliquid prædæ ceperint: vnde si propter hanc iram colendi sunt, & diuino honore digni, deificemus leones & alias bestias. Item aut placato Altissimo & amico existente mortalium, potest ira huiusmodi deorum eis aliquid nocere, aut non potest. Si sic, non videtur Altissimus

esse omnipotens, quum coërcere non possit illos deos ne noceant amicis suis. Si vero non potest eis nocerere, non est timẽda ira eorum amicis Dei, nec ira eorum sacrificiis placanda. Præterea nulla potentia aliquid potest contra beneplacitum Dei: Nulla enim est quæ non redigeretur in nihilum, nisi à Dei potentia à qua accepit esse, in ea retineretur: ergo in tuto est omnis homo qui Dei fauorem habet, vel gratiam. Non est ergo necesse gratiam istorum deorum sacrificiis quærere gratia Altissimi obtenta. Item spiritus isti qui falso dii vocantur, si mali sunt, aut Altissimus compescit malitiam ipsorum, non est malitia eorum timenda. Si vero permittit eos exercere malitiam suam, aut hoc facit ignorantia, aut quia non curat, aut iudicio quia videt expedire. Ignorantia non est, quum enim ipse sit sapientissimus, ignorantia in eum non cadit. Iterum non accidit hoc quod ipse non curet de malis quæ fiunt in mundo: cum enim ipse sit rex iustissimus, non potest non curare de malis quæ fiũt in regno suo. Ergo quãdo permittit hos spiritus in mortales sæuire, ipse facit hoc iudicio, quia videt hoc mortalibus expedire: ergo non est timenda malitia eorum mortalibus. Item cum spiritus iam dicti potestatem habeant ab Altissimo, aut illam potestatem comitantur sapientia & iustitia moderãtes eam, aut non. Si sic, cum ipsi sint sapientes & iusti, ipsi non irascuntur mortalibus bonis, nec nocent eis: peccatoribus vero nunquam sunt placati, nisi à peccatis recedant. Inutile ergo est eis sacrificia offerre tam bonis quam malis quantum ad eorum placationem: sed mali si volunt eos placare, recedant à peccatis suis. Si vero sapientia & iustitia non comitantur eorum potestatem: ergo potestas eorum est, vt gladius in manu furiosi: vnde si propter hanc potestatem aliquis eos deos reputat, reputet ergo Deum si quem viderit furiosum in manu tenentem gladium. Mira fatuitas cum Deum reputare quem homo cognoscit esse sine sapientia & bonitate. Belluinum est potius quam diuinum, potestate vti absque sapientia & iustitia. Item potestas eorum aut ligata est, aut non est ligata. Si non est ligata mirum est quomodo non occidunt omnes contemptores sacrificiorum eorum. Præterea longe videtur esse à sapientia & bonitate Dei ponere gladium in manu furibundi: dando potentiam cui homo non possit resistere maligno, nisi ipse eam velit compescere. Si vero ligata est, ille qui tenet eam ligatam, obsequiis est placandus, non ipsi. Cum aliquis tenet aliquam bestiam ligatam, ille orandus est, vt bestiam compescat ab his qui sæuitiam bestiæ timent, & non ipsa bestia. Item cum cultura illorum deorum exterminata sit à terra promissionis iussu Dei Hebræorũ, & iterum de regno Christianorum, etiam de Ægypto vbi omnes colebantur, & de vrbe Romana, maxime de templo quod Pantheon vocabatur, quod erat vnum templum omnium deorum: constat hoc factum fuisse à maiori potẽtia quam esset potentia eorũ. Luc. 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet: si autem fortior eo superueniens vicerit illum, vniuersa eius arma auferet &c.* Illa ergo potentia aut fuit diuina, aut humana. Si diuina ergo ipsi erant aduersarii Dei & mali. Si vero humana, ergo magis timenda est humana potestas eorum hominibus. Et notandum quod aliqui peruenerunt ad tantam fatuitatem, vt crederent deos huiusmodi partitos fuisse totum orbem. Sed puerile est dicere Altissimum sortem misisse pro diuisione illa, cum sors non habeat locum nisi vbi est ignorantia, quæ in Altissimum qui sapientissimus est, non cadit. Si vero ipsi Altissimo inconsulto sortem miserunt, nihil iuris per hoc habuerunt in orbem terrarum. Si vero de beneplacito Altissimi, quod ridiculum est, quomodo de partibus illis exterminati sunt? Item aut amicitia est inter deos huiusmodi, aut non. Si est, ergo vnus eorum

rum amat cultores alterius: nec propter cultores suos proprios inimicus erit cultoribus aliorum, nec contra illos iuuabit cultores suos. Si vero non est amicitia, sed odium: ergo ipsi mali sunt. Quia aut est iustum odium inter eos, aut non iustum. Si iustum, ergo ipsi sunt iuste odiendi, & ita sunt mali. Si iniustum, illud non possunt ipsi habere nisi sint mali. Malitiam etiam eorum ostendit, quod cultores suos iuuant in eis quæ mala sunt, vt patet ex scriptis Magicis, vbi docetur quomodo consilio talium spirituum viri vel mulieres nimio amore incendantur, vel quomodo alia scelere possint perpetrari. Si quis vero dicat tales spiritus non esse honorandos honore diuino, sed honore qui eis cōpetit, quia apud Deum possunt impetrare vel procurare aliquod beneficium eis, qui eos honorant. Hoc plane concedendum est, & hæc est assertio fidei Catholicæ. Quid si spiritus boni honorandi sunt tanquam amici Dei, non tanquam domini vel dii, sed tanquam serui Altissimi, quorum ministerio multa beneficia possunt nobis prouenire, & spes suffragii in eis potest poni? sed non debemus eos reputare auctores salutis, sed potius impetratores: nec sacrificium faciendum est in eis. Eo enim quod aliquis alicui sacrificat, eum cui offert, auctorem sanctitatis confitetur, & eum inuocat ad sanctificandum illum pro quo illud sacrificium offertur. Item facto profitetur se esse in manibus illius cui sacrificat ad perdendum vel ad saluandum: sicut animal illud est in manibus suis ad occidendum vel perdendum. Ista vero soli Altissimo attribuenda sunt. Mali vero spiritus non sunt honorandi, quia apud Deum nullum bonum nobis impetrare possunt. Nō sunt etiam timendi amicis Dei cum non possint eis nocere. Consequēter tangendū est aliquid de illa specie idololatriæ quæ est cultus luminum. Et notandum quod hi qui sunt huius erroris, dicunt mortales subiectos esse soli, & lunæ, & stellis, etiam quantum ad Sapientiam vel ignorantiā, & quantum ad mores bonos siue malos. Et dicunt cælestia lumina secundum situs suos seu constellationes causam esse morū bonorum vel malorum in hominibus. Quod multis modis patet esse falsum. Primo, quia non propter stellas homo, sed stellæ propter hominem factæ sunt, vt dicit Greg. Item haberi potest ex principio Gen. vbi sic legitur. *Fiāt luminaria in firmamento cœli, &c.* Et subditur. *Vt illuminent terram.* Illuminatio terrę causa fuit quare fierent, vnde subditur ibidem: Et posuit eas in firmamento cœli, vt lucerent super terram. Propterea Iosue iubenti sol & luna obediunt. Iosue 10. Ergo cultoribus Dei sol & luna subiecta sunt, & non ipsi cultores soli & lunæ. Item & sol & luna naturaliter operātur in hominibus ea quæ ipsi eis imponunt, aut scienter & voluntarie. Si naturaliter operatio illa seruilis est, propter quod dicit Philosophus quod natura operatur per modū seruientis? Vnde virtus sic operans ignobilis est respectu virtutis libere operantis, quę potest super vtrumque oppositorum, scilicet super suum operari & suum non operari: quod autem ignobilius est, non est causa rei nobilioris: ergo virtus naturalis luminum cœlestium nō efficiet sapientiam, vel virtutes, vel bonos mores, vel quascunque artes in hominibus, cum hæc sint nobiliora virtute naturaliter operante quam ponunt in dictis luminibus. Si vero scienter & voluntarie operantur prauos mores vel errores in hominibus: ergo ipsa mala sunt, & Deo inimica. Præterea malitia ista aut est eis innata, aut est acquisita. Si innata, ergo sunt mala naturaliter: hoc autem impossibile est quod aliquid sit naturaliter malum. Præterea cum nihil sit in eis naturaliter quod Deus non creauerit in eis, Deus illam malitiam creasset, quod longe est à Dei bonitate. Si vero acquisita: ergo corrupti sunt & mutati à suo statu naturali quantum ad spiritum, quem secundum istum errorē necesse est ponere in eis: hæc autem corruptio non potest esse in eis se-

De cultu luminum vanus error ostenditur.

cundum spiritum ; cum corpora eorum sint incorruptibilia. In substantiis enim ex spiritu & corpore compositis, quales filii qui sunt huius erroris credunt esse cœlestia lumina, necesse est nobiliorem esse statum spirituum, quam corporum. Præterea creaturæ rationales cum aliquid voluntarie operantur, primo intelligunt & desiderant: ex quo sequeretur lumina illa cœlestia mala esse quæ desiderarent malos mores esse in hominibus. Item hic est modus operandi substantiarum quæ compositæ sunt ex spiritu & corpore, vt primo operentur in seipsis operationes mere spirituales, vt est intelligere & desiderare: secundo in corporibus sibi coniunctis operationes corporales, vt est motus, & per illas iterum alias in corpora aliena, & iste ordo operationum semper procedit quasi ingrossando & quasi per elongationem à spirituali subtilitate & nobilitate. Vnde si iste est modus cœlestium luminum operandi in homines, per hanc viam non poterant imprimi nisi corporales dispositiones ignobiles in hominibus, & non scientiæ & virtutes. Præterea diuersitas hominum qui eadem hora nascuntur & mores habent diuersos, ostendit falsa esse quæ dicuntur ab his qui sunt in hoc errore de cœlestibus luminibus. Dicunt enim, qui sub tali constellatione nascitur, talem hominem futurum, & qui tale opus sub tali hora incipiet, prosperaturum. Manifeste autem videtur quod nati & vna & eadem hora; vel aggressi opus aliquod, diuersos habent euẽtus. Falsum est ergo quod prædicti idololatræ de effectibus cœlestium luminum dicunt. Item constellationes seu positiones stellarum aut sunt tantum signa euentuum inferiorum, aut sunt signa & causæ. Si tantum signa, aut comitantur res de necessitate, aut non. Si sic, cum signa euerti non possunt, vel mutari, erunt ipsi euentus ineuitabiles, & omnia de necessitate euenient mortalibus. Si non, erũt signa ista possibilia separari ab his quorum sunt signa: ergo poterunt fallere: ergo non est scientia de significationibus eorum. Scientia enim & ars non sunt de fallibilibus. Si vero signa sunt & causæ istorum euentuum, erunt euentus rerum necessarii, cum causæ istæ sunt necessariæ: motus enim cœlorum cum suis dispositionibus necessarius est immutabilis. Figura enim cœli & positio stellarũ futura cras hac hora, nullo modo auerti possunt quin sint futura cras: & similiter se habet de omni dispositione cœli & cœlestium: ergo omnes euentus quorũ causa est constellatio, sunt ineuitabiles. Præterea, qui luminibus cœlestibus seruiebant, aut intendebãt seruire spiritibus qui præsidebãt huiusmodi corporibus, aut compositis ex corporibus & spiritibus, aut corporibus inanimatis. Si solis spiritibus, eisdem rationibus potest destrui hæc species idololatriæ quibus cultus dæmonum prius destructus est. Si vero corporibus inanimatis, vane & ignominiose ei seruiebant, cum nec seruitium eorũ nec seruitores agnoscerent, nec in remunerationem eorum intendere possent. Si vero compositis, composita erant animalia, vt ipsi credebant: ergo vel rationalia & intelligentia, aut non. Si non, ergo ignobiliora erant homine: animal enim rationale nobilius est irrationali: peruertebatur ergo naturalis ordo cum homo colebat animal irrationale. Præterea cum tanta distantia esset huiusmodi animalium ab hominibus vt nullus clamor hominum ad ea posset attingere, idem erat ac si surdis tales preces fierent. Præterea impossibile est quod deitas sit in eo quod non intelligit. Intelligere enim est illud in quo maxime spiritus creatus Deo assimilatur. Si vero rationabilia & intelligibilia, impossibile est eos deos esse, cum secundum astronomos ipsimet fiant infortunati & non liberi à malis, & impediantur casu aut oppositione fortiorum signorum. Diuinitas enim semper est libera & inuicta, & impedimentum signum est impotentiæ. Vltimo tangendum est de illa specie idololatriæ

Spe idol tria cul mil cœ

quæ est cultus militiæ cœli: de quâ frequenter loquitur scriptura sacra. Adorans militiam cœli, siue sit vir, siue mulier, iubetur lapidib. obrui. Deut. 17. De militia cœli habes 4. Reg. 21. & 23. Et Esa. 34. Et Soph. 1. Act. 7. Et notandum quod militiam cœli vocauerunt qui huius erroris fuerunt, multitudinem spirituum, quorum quosdam dicebant præesse cœlo stellato, alios autem Saturnio & circulo eius: alios aliis planetis & circulis eorum: alios vero præesse igni, alios mari, alios terræ, & vtebantur inuocationibus huiusmodi spirituum prout credebant congruere maleficiis suis. Impietas autem huius erroris manifesta potest esse ex hoc, quod inuocationes huiusmodi spirituum æque fiebant ad bona facienda & ad mala. Vnde si spiritus illi exaudiebant illos & in bonis & in malis, ipsi erant mali. Si vero in bonis tantum, mendaces erant libri eorum, & scriptores eorum, & ipsi spiritus secundum ipsos, quorum reuelatione se talia scripsisse scripserunt.

Capvt VIII.

De errore principali Manichæorum. Et primo auctoritates & rationes quibus ipsi innituntur, eis subtrahuntur; deinde ponuntur auctoritates & rationes quibus error ille destruitur.

Sequitur de errore Manichæorum, qui, vt ait August. in lib. de nat. boni, sensum perdiderunt studio contradicendi. Hi ponunt duo principia: vnum principiũ boni, alterum mali. Vnus secundum eos, princeps lucis est, cuius habitatio est regio lucis super ista visibilia. Alter est princeps tenebrarum ex aduerso, cuius habitatio est regio tenebrarum, & vterque princeps habet secundum eos populum suum. Manichæi ad principem tenebrarum ponunt esse corruptibilia & mutabilia. Iste error valde cõtumeliosus est & creatori & creaturis. Creatori, quia magnam partem regni sui & gloriæ suæ ei aufert, dum aufert ei dominium creaturarum visibilium, quæ plures videntur esse quam inuisibiles. Creaturis etiam contumeliosus est, quas subtrahit dominio tam honorabili: & subdit eas tam vili seruituti, vt est seruitus diaboli. Vnde error iste valde odibilis est & creatori & creaturis. Huic errori primo subtrahemus auctoritates & rationes quibus innititur, ostendendo auctoritates impertinentes esse ad eius confirmationem, & rationes infirmas, vt sic facilius corruat. Auctoritates vero quibus innituntur, hæ sunt. Legitur Gen. 1. *Post creationem cœli & terræ, quod tenebræ erant super faciem abyssi.* Ex quo ipsi inferunt non fuisse Deum benignum qui opus suũ incœpit à tenebris, nõ intelligentes tenebras non esse alicuius rei existentiam, sed lucis absentiam. Vnde non oportet ponere aliquem auctorem tenebrarum, cum tenebræ nihil sint nisi lucis absentia. Nec minus laudabilis est mundi creator si à nullo incœpit, immo hoc commẽdat eius potentiam, quod ex nihilo lucem & alia creauit. Per hoc enim ostenditur per se potens operari sine materia præiacẽte vel instrumento, quod proprium est omnipotentis. Item Matth. 4. legitur de diabolo, quod ostendit Christo omnia regna mundi & gloriam eorum, & dixit ei: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Ex quo inferũt: omnia ergo regna mundi diaboli erant, cum omnia Christo promiserit. Quæ probatio ridiculosa est, cum diabolus sit mendax, & pater eius. Ioan. 8. Et cum Ouid. primo de Arte amandi dicat: *Pollicitis diues quilibet esse potest.* Itẽ Matth. 6. dicit Christus *Nemo potest duobus dominis seruire*: vocans diabolum dominum, eo quod sit dominus mundi, vt ipsi aiunt; ergo ipse est Deus vel creator ipsius. Quæ argumentatio nulla est, *cum reges gentium dominentur eorum.* Luc. 22. qui tamen non sũt dij vel creatores. Præterea diabolus dominus est vsurpatione iniuste detinẽs alienum, secundum illud Luc. 11. Hanc autẽ

Manichæi duo posuere principia.

filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die Sabbati? Item legitur Matthæi 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere.* Ex quo inferunt: ergo mala non possunt esse ab eodem principio à quo sunt bona: ergo sunt duo principia, vnum bonorum, & aliud malorum. Sed sermo veritatis quo vtuntur ad confirmationem falsitatis, materiam ministrat confusionis eorum. Licet enim arbor bona, non faciat fructum malum: tamen nihil prohibet fructum quem arbor bona bonum produxit, post putrefieri & corrumpi: & nemo adeo fatuus est, cum videt diuersa poma in arca vel in mensa, quorum alia putrida sunt, alia sana, quod propter hoc credat ea non posse esse ex eadem arbore. Præterea multæ mulieres sunt hodie corruptæ, quæ tamen virgines natæ sunt, nec aliquis credit duas mulieres non habere posse vnam matrem, eo quod vna virgo, alia corrupta sit. Sic nihil prohibet diabolum esse bonum creatione & factum à Deo: malum vero sua peruersa voluntate. Item. Ioan. 8. *Vos ex patre diabolo estis.* Ex quo inferunt: ergo diabolus est creator eorum. Sed non sequitur. Pater enim dicitur aliquis alterius, vel quia ab eo habet substantiã, vel quia ab eo habet mores, suscipiendo eius doctrinam, vel imitando vitam, hoc tertio modo, scil. per imitationem diabolus erat pater eorum, imitabantur enim eum. Sic Paulus. 1. Corinth. 4. ostendit se patrem Corinthiorum qui eius susceperant doctrinam dicens: *Vos vt filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Hunc sensum Dominus insinuat in hoc, quod eos qui sunt ex Deo, distinguit ab his qui non sunt ex Deo per auditum diuini verbi, dicens: *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis quia ex Deo non estis.* Obedientia diuini verbi ostendit qui per gratiam sint filii Dei; inobedientia vero qui filii diaboli. Item. Ioan. 14. *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam:* diabolus princeps huius mundi dicitur: ergo mundus est ab eo. Sed non sequitur. Non enim omnes principes sunt dii vel creatores. Præterea ipse princeps erat vsurpatiue, vnde iudicio à mundo erat eiiciendus. Ioan. 12. *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi huius eiicietur foras.* Eiusdem. 16. *Princeps mundi huius iam iudicatus est.* Item. Ioan. 8. dicit Christus: *Regnum meum non est de hoc mundo:* Christus non est rex huius mundi: ergo mundus regnũ diaboli est. Sed dicendum quod regnum Christi fideles vocãtur, qui non sunt de hoc mundo, quia non sunt dediti mundanis; sunt tamen in mundo, sed quasi exulantes & æternum regnum Christi desiderantes. Ioan. 14. *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Fuerunt ergo quandoque Apostoli de mundo, scilic. de amatoribus mundi, sed iam non erant. Item. Ioan. 17. *De mundo non sunt sicut & ego non sum de mundo.* Regnum etiam Christi in quo ipse perfecte regnat, regnum celeste est, vbi nihil fit nisi beneplacitum suum, de quo potest intelligi verbum prædictum. Item legitur. 2. Corinth. 4. *In quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium:* diabolus ergo deus huius sæculi est. Sed ad hoc satis respondet Paulus. 1. Corinth. 8. dicens: *Scimus quod nullus est Deus, nisi vnus: nam & si sunt qui dicantur dij, siue in cœlo, siue in terra, si quidem sunt dij multi, & domini multi: nobis tamen vnus Deus pater, ex quo omnia.* Diabolus ergo nuncupatiue solum Deus vel Dominus est, & non secundum veritatem. Venter etiam aliquorum deus vocatur ad Philip. 3. vbi dicitur. Quorum Deus venter est: non tamen venter creator eorum est. Item. 1. Iohan. vltim. *Mundus totus in maligno positus est:* ergo malignus fecit

mundum. Sed non sequitur : non enim dicitur quod mundus à maligno conditus sit, sed in maligno positus, id est, in potestate maligni : amatores enim mundi qui mundus dicuntur, supposuerunt se seruituti maligni. Item legitur. Ephes. 2. *Eramus natura filii iræ*: ergo eramus natura mali, ergo natura est mala, ergo à principio malo. Ad quod dicendum, quod sicuti contigit, patrem carnalē adeo irasci filio propter magnitudinem culpæ eius, vt ira illa extendatur etiam ad filium filij quantum ad priuationem hæreditatis, vel alterius beneficij quod esset ei daturus, nisi fuisset culpa patris: sic Deus adeo iratus fuit primis parentibus propter magnitudinem peccati eorum, vt ira illa extenderetur vsque ad filios eorum quantum ad priuationem visionis diuinæ. Nullus enim homo dignus fuit videre faciem Dei vsque ad Christum, in quo Deus pater sibi bene complacuit, per quem credentes in eū perfecte sunt reconciliati Deo. In verbo ergo Apostoli natura dicit non prout est primo instituta, sed pro natiuitate qua nati sumus à parentibus qui peccauerūt, à quibus habebamus quod filij iræ essemus. Causam quare valde magnum fuit peccatum primorum parentum, tangit Aug. 14. lib. de Ciuit. Dei, dicens: In paradiso tanto maior inobedientia fuit, quanto id quod præceptum est, nullius difficultatis fuit: vbi enim magna est inobedientiæ pœna proposita, & res à creatore facilis imperata, quisnam satis explicet quantum malum sit non obedire in re facili, & tantæ potestatis imperio, & tanto terrente supplicio? Rationes quibus innituntur Manichæi, hæ sunt. Dicunt enim: si Deus bonus creauit ista corruptibilia, aut potuit ea facere incorruptibilia, aut non. Si non potuit, impotens fuit. Si potuit & noluit, inuidus fuit. Sed mira est consequentia ista quod Deus inuidus fuerit, si facere vel dare noluit quod potuit; simile etenim est, ac si diceretur fuit inuidus, si non prodigus, vel indiscretus. Sapientiæ est moderari potestatem & voluntatem. Insipiens est qui omnia vult quæ potest. Summæ bonitatis fuit, quod visibilia ista fecit. Sapientiæ vero fuit, quod voluit ea finem habere, vt manifestum fieret ea habuisse principium & esse, quæ poterant amittere, aliūde habuisse, & sic essent via veniendi ad cogitationem Dei: voluit enim Deus bona trāsitoria esse, ne quis adhæreret eis, bonis permanētibus neglectis. Aug. O munde immunde quid strepis? quid auertere conaris? tenere vis fugiens, quid faceres si maneres? Item, peccare est spreto incommutabili bono commutabilibus adhærere. Alia ratio eorum est, quod vident multa noxia inter creaturas quæ nullam vidētur habere vtilitatem: vt sunt serpentes, muscæ, araneæ quæ non videntur eis esse à Deo. Sed certe nulla creatura est quæ non habeat vtilitatem licet aliquando lateat. Aug. in lib. 11. de Ciu. Dei: Venena ipsa quæ per inconuenientiam perniciosa sunt, probe adhibita, in salubria medicamenta vertuntur, nequaquam à contrario etiam hæc quibus delectantur, sicut cibus & potus, & ista lux, immoderato & importuno vsu noxia sentiuntur. Vnde nos monet diuina prouidentia, non res insipienter vituperare, sed vtilitatem rerum diligenter inquirere: & vbi nostrū ingenium, vel infirmitas deficit, ita credere occulta: sic erant quædam quæ vix potuimus inuenire, quia ipsa vtilitatis occultatio, aut humilitatis exercitatio est, aut elationis attritio. Item lib. 11. Quid igne flammante, vigente atque lucente pulchrius? quid calefaciente, currente, coquente vtilius, quamuis nihil in eo vrente molestius? Creaturæ vtiles sunt discrete vtentib. noxiæ indiscrete vtentibus. Inter creaturas quędam sunt creatæ in nutrimentum, vt herbæ & fructus arborum. Quædam in adiumentum, vt iumenta. Quædam ad humiliandum hominem, vt muscæ & pulices, à quibus homo non potest se defendere. Aug. Homo dicit tibi cōuitiū, & tumes, & iratus es: pulicibus re-

Omnia creata vtilia sunt.

siste vt dormias. Quædam ad eruditioně, vt formica. Prou. 6. *Vade ô piger ad formicam, & considera vias eius, & disce sapientiam.* Quædam ad puniendum peccatores, vt gehenna. Quædam ad exercitiů patientiæ nostræ, vt serpentes. Quædam ad consolationem vel delectationem, vt flores. Bern. Quanta largitus est nobis Deus ad sustentationem, quanta ad eruditionem, quanta ad correctionem, quanta ad delectationem? Alia ratio eorum est, quod vident multa in hoc mundo inordinate fieri propter quod eis videtur, quod Deus non sit huius mundi rector, nec dominus, neque creator. Ad quod dicendum quod vniuersitas creaturarum in mundo isto ordinata est, & vt ait Philosophus. Nulla res est cuius ortů legitima causa & ratio nō præcedat. Iob. 5. *Nihil fit in terra sine causa.* Etiam aues viles non moriuntur in mundo isto sine Dei prouidentia. Matth. 10. *Nonne duo passeres asse veneunt? & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro.* As assis, est nomen ponderis quod non solent pōderatores diuidere propter sui paruitatem. Eccl. 5. *Ne dicas coram angelo, Non est prouidentia: quia angelus tibi deputatus est à Deo ad custodiam: ne forte iratus Dominus super sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum.* Et in eodem: Si videris calumnias egenorum, violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior alius est: & super hoc quoque eminentiores sunt alij, & insuper vniuersæ terræ rex imperat seruienti. Aug. Omne quod in terra fit ab intelligibili aula summi Imperatoris, procedit iusta permissione, salubri ordinatione, vel efficaci voluntate. Bona Deus volendo ea efficit: mala vero iuste permittit fieri, & salubriter ordinat. Tripliciter autě ordinata sunt mala culpæ. Primo modo, quia habent secum mala pœnæ, vt non sit dedecus culpæ absque dedecore pœnæ vel vindictæ. Judas ita sedet in inferno, sicut lapis pre-

Mala tripliciter ordinata. 1.

tiosus in auro, Aug. in libro de lib. arbit. Nullo interuallo temporis ista diuiduntur, vt quasi alio tempore non faciat quod debet, & alio patiatur, ne vel temporis pũcto vniuersalis naturæ pulchritudo turpetur, vt sit in ea peccati dedecus sine dedecore vindictæ. Secundo, quia bona cōparata malis, pulchriora apparent. Aug. 11. lib. de Ciu. Dei. Mala voluntas quæ ordinem naturæ seruare noluit, non ideo iusti Dei leges omnia bene ordinantis effugit: quia sicut pictura cum colore nigro, loco suo posito, ita vniuersitas rerũ si quis possit intueri, etiam cum peccatoribus pulchra est, quamuis eos per se ipsos consideratos sua deformitas deturpet. Tertio, quia prosunt bonis. Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Aug. 11. lib. de Ciuitate Dei: Deus sicut naturarum bonarum optimus creator est: ita malarum voluntatum iustissimus ordinator, vt cum illæ male vtantur naturis bonis, ipse etiam bene vtatur voluntatibus malis. Itaque fecit vt diabolus institutione illius bonus, voluntate sua malus in inferioribus ordinatus illuderetur ab angelis eius: id est, vt prosint tentationes eius sanctis quibus obesse desiderat: & quoniam Deus cum eum conderet, futuræ malignitatis eius non erat ignarus, & præuidebat quæ bona de malo eius esset facturus. Præterea Psal. ait: *Draco iste quẽ formasti ad illudendum ei*, vt in eo ipso quod fecit eum, licet per bonitatem suam bonum, iam per suam præsentiam præparasse intelligatur quomodo illo vteretur & malo. Neque enim Deus vllum non dico angelorum, sed vel hominem crearet quẽ malum futurum esse præsciisset, nisi pariter nosset, quibus eos honorum vsibus commodaret. Bernard. Iucundum Dei iudicium, quod ille superbus malleator humilium nesciens eis coronas fabricat perpetuas, omnes impugnando, & omnibus succumbendo. Alia ratio eorum est, quod si causa est immutabilis, erit immu-

Psa 103

tabilis effectus. Sed hoc nõ est verum vniuersaliter. Nõ enim necesse est quod effectus assimiletur causæ efficienti voluntarie operanti: imo fœdus pictor interdum pingit imaginem pulchram, & pictor pulcher interdum pingit imaginem turpem. Alia ratio est quod contrariorũ contrariæ sunt causæ: vnde cum secundum eos bonum & malum sint contraria, erunt à contrariis principiis, scil. à principio bono & principio malo. Ad quod dicendum quod illud verbum, contrariorum contrariæ sunt causæ: non est verum vniuersaliter. Causa enim efficiens voluntariè operans potest esse causa cõtrariorum. Idem enim pictor potest facere imaginem albam & imaginem nigram, & pulchram & turpem. Rom. 9. *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Sed causa naturaliter operans quæ operatur secundum similitudinem, dans speciem suam patienti, non potest esse caussa contrariorum, cum non habeat in se contrarias species seu formas. Præterea malum non est contrarium bono, sed boni priuatio: vnde non est necesse aliquid existens ponere eius principium. Ioann. 1. *Sine ipso factum est nihil.* August. in lib. Soliloq. Deus qui paucis ad id quod vere est refugientibus ostendit malum nihil esse. Idem 12. lib. de Ciuit. Dei. Malæ voluntatis causa efficiẽs nihil est. Et iterum: Nemo quærat causam efficientem malæ voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens: quia nec illa est affectio sed defectio: deficere enim ab eo quod summe est ad id quod minus est, hoc est, incipere habere voluntatem malam. Quod idem Augustin. exclamat in lib. de liber. arbit. dicens: Peccare est spreto incommutabili bono, bonis commutabilibus adhærere. Idem lib. de natura boni: Deus non plantauerat arborem malam in paradiso, sed ipse erat melior qui eam tangi prohibebat. Non est ergo peccatum malæ naturæ appetitio, sed melioris desertio. Item cum duplex dicatur esse malum, scilicet pœnæ, & malum culpæ. De malo pœnæ constat quod bonum est cum sit & punitiuum & destructiuum mali culpæ, & à Deo potest esse, cum ad iustitiam eius pertineat punire offensas suas, & hoc cedat Deo ad gloriam. Augustin. 12. lib. de Ciuitate Dei: Cum in pœnis est natura vitiosa excepto eo quod natura est, etiam hoc ibi bonum est, quod impunita non est: hoc enim est iustum, & omne iustum proculdubio bonum. Item in libr. de natura boni: Peccantes ordinantur in suppliciis: quæ ordinatio quia naturæ eorum non competit, pœna est: sed quia culpæ competit, iustitia est. Item cum alicui pœna debita redditur nulla, est iniquitas apud Deum, quia melius ordinatur natura vt iuste doleat, quam in peccato impune gaudeat: Malum etiam culpæ est in natura bona: & ideo malum est, quia naturæ bonæ nocet. Augustin. 12. lib. de Ciuit. Dei: Etiam vitio valde magna valdeque laudabilis ostẽditur ipsa natura. Cuius enim recte vituperatur vitium, proculdubio natura laudatur, nam recta vitii vituperatio est, quod eo honestatur natura laudabilis. Item si naturæ bonæ non essent, eis vitia nocere non possent. Nunquid eis nocendo faciunt nisi quod adimunt integritatẽ, pulchritudinem, salutem, virtutem, & quicquid bonæ naturæ per vitium detrahi siue minui consueuit? Quod si omnino desit, nihil boni adimendo, non nocet, ac pro hoc nec vitium est. Nam esse vitium, & non nocere, esse non potest. Idem in lib. de natura boni: Non potest esse dolor in naturis bonis: hoc enim ipsum quod resistit vt doleat, quodammodo recusat non esse quod erat, quia bonum aliquod erat. Item in animo dolorem facit voluntas resistens potestati maiori: in corpore dolorem facit sensus resistens corpori potentiori. Dionys. Non est natura mala, sed hoc est naturæ malum, non posse quæ sunt naturæ perficere. Damas. Malitia non substantia aliqua est neque substantiæ

idioma, i. e. proprietas, sed accidens, si ex eo quod secundum naturam voluntarie est euersio. Idioma vel proprietas dicitur quod inest substantiæ secundum primam institutionem naturæ quod non est peccatum. Damasc. Omnia quæcunq; fecit Deus ita manentia quemadmodũ creata sunt, bona sunt valde: voluntarie autem secedentia ab eo quod secundum naturam ad id quo præter naturam est venientia in eo quod malum est. Eunt igitur secundum naturam, omnia seruientia naturæ, & obedientia sunt conditori. Quãdo igitur voluntarie aliqua creaturarum effrenata & inobediens facienti eam fit, in seipsa constituit malitiam. Malum culpæ est actus deficiens vel imperfectus, & est velut fructus degener. Ab eadem vite potest esse vua & labrusca. Esa. 5. dicitur de vineâ synagogæ. *Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Et Hie. 2. *Ego plantaui te vineam electam omne semen verum: quomodo ergo conuersa es in prauum vinea aliena?* Eundem patrem possunt habere filius degenerans, & filius secundum generositatem patris viuens: Sic ab eodem possunt esse bonus actus, scilicet ex libero arbitrio. Sed malus actus qui est actus imperfectus, est ab eo non defectu, sicut eadem potentia gradiendi potest esse principium recte ambulationis & claudicationis: sed claudicationis est principium ipsa deficiens. Dionys. Bonum in quibuscunque perfecte inest, perfecta facit & integra & pura & optima: minus vero ipsum participantia & imperfecta sunt bona & mista per defectũ boni. Item defectus formæ est priuatio ordinis: hoc non omnino malum, sed minus bonum. Item malum est infirmitas & defectus boni: & sicut ex stipite arboris inflexibili est virga flexibilis, eo quod virga est tenuis & infirma: sic ex Deo inflexibili ad malum est liberum arbitrium, flexibile ad bonum & malum. Ad bonum, quia ex Deo bono: ad malum, quia ex nihilo. Augustin. in lib. de Fide, ad Pet. Quia Deus summe bonus est: dedit omnibus naturis quas fecit vt bonæ sint. Ideo naturæ factæ ex Deo proficere possunt, quia esse cœperunt. Ideo deficere, quia ex nihilo factæ sunt. Idem in lib. de lib. arbit. Ideo possibilitas ad defectum est in creatura: quia à non esse in esse procedit. Secundum Damasc. Quæcunque creata sunt alterabilia sunt, vel secundum corruptionem, vel secundum electionem, vel voluntatem. Secundum corruptionem, corruptibilia ista; secundum electionem vel voluntatem, spirituales substantiæ. Et notandum quod actus qui est peccatum, malus est, cum sit miseriæ adductiuus. Dionys. Non est malum puniri, sed malum est dignum pœna fieri. Est etiam malus qui Deum bonum ostendit commutabile ei præeligendo. Peccamus enim præeligentes, vt dicit August. & hæc præelectio contumeliosa est. Item malus est: quia potentiam & à qua est corrumpit, diminuendo habilitatem eius ad bonum. Iusto. n. iudicio Dei fit, cum potentiam Domini à quo est offendit, vt ipsa corrumpatur ab actu qui ab ea est: Et sicut virga flexibilis ad dexteram & sinistram, si frequenter flectatur ad sinistram, remanet magis inclinata ad partem illam: sic liberum arbitrium si frequenter inclinetur ad malum, pronum fit ad illud, & magis elongatur à bono. Item est malus: quia legi diuinæ est contrarius, & ita voluntati diuinæ non subiectus, secundum illud Augustin. Peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum contra legem Dei. Item est malus, quia imperfectus respectu actus qui deberet exire à tali potentia, scilicet libero arbitrio, est enim quasi brutalis actus qui in cane vel in leone non esset malus actus, qui in libero arbitrio malus est. Et ponit exemplum Dionys. de ferocitate leonis & ira canis. Ira enim in cane bona est, cum sit animal custoditiuum, & ad ipsum pertineat extraneum abigere. Ferocitas etiam non est mala in leone cum naturam eius non corrumpat; quod enim non

non corrumpit naturam, non est malum, vt ait Dionys. Item malus est actus: quia est in habente rationem à quo ordinari debuit, & non ordinatur: vnde in puero nondum habente vsum rationis malus non esset, nec in insano qui rationem haberet omnino impeditam. Dionys. Malum dæmoni est contra deiformem intellectum esse, animæ contra rationem, corpori contra naturam. Et licet actus malus deficiens sit prædictis modis; tamen adhuc non est omnino priuatus bonitate, cum principium eius & finis sit bonum. Item Dionys. Principium enim eius est liberum arbitrium quod bonum est: Finis eius est bonum aliquod transitorium, nemo enim malum respiciens facit quæ facit, vt ait idem Dionys. Et propter bonum sunt omnia, & quæcunque sunt bona & quæcunque sunt contraria: vt ipse ait. Et ponamus exemplum in comestione cibi vetiti, quæ bona est in præsenti, quia delectabilis, licet in futurum occasio sit maioris tristitiæ, & potest esse expediens etiam ipsi agenti in casu. Vnde August. Audeo dicere superbis esse vtile cadere in aliquod apertum manifestum que peccatum, vnde sibi displiceant qui iam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim sibi Petrus displicuit quando fleuit, quam placuit quando præsumpsit. Vnde verum est quod dicat Dionys. quod nihil existentium priuatur vniuersaliter bono. Et iterum, quod per omnem modum bono priuatum est, nunquam, nusquã, neq; erat, neq; est, neque erit, neque esse potest. Est etiam malus actus ordinatus, vt prius ostensum est. Dion. Factis malis optime & pulchre diuina prouidentia vsa est ad nostram aut aliorum formationem aut vtilitatem. Subtractis erroris Manichæorum auctoritatibus & rationibus quibus innituntur, ponendæ sunt auctoritates & rationes quibus ipse directe destruitur, & quibus ostẽditur vnicum esse principium à quo sunt omnia visibilia & inuisibilia. Et primo ponentur auctoritates; quia, vt ait August.

Aucto-ritates destru-entes errores Mani-chæi.

in lib. de morib. Eccl. naturæ ordo ita se habet, vt cum aliquid dicimus, rationem præcedat auctoritas: nam infirma videri ratio potest quæ cum reddita fuerit, auctoritatem postea per quam infirmetur, assumit. Legitur Matt. 6. *Respicite volatilia cœli, &c.* Et subditur: *Et pater vester cœlestis pascit ea.* ergo cibus corruptibilis quo aues pascuntur à patre cœlesti est: non ergo sola incorruptibilia ab eo sunt. Item Matth. 3. *Si fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei?* ergo decor quo herba prati vestitur, à Deo est. Eiusdem. 5. dicitur de patre cœlesti quod pluit *super iustos & iniustos:* ergo pluuia est ab eo. Item Christo venti & mare obediunt tanquam domino Matt. 8. Ergo ipse erat Dominus maris: simili ratione aliarum rerum visibilium. Item eiusdem. 14. & 15. Ipse panes multiplicat quibus pascitur populus: sed eiusdem potentiæ est panes sic multiplicare, & de nouo facere: ergo panes corruptibiles ab ipso poterant esse. Item Marci 5. Vitam mortalem amissam reddidit filiæ archisynagogi: Et vnico filio viduæ. Lucæ 7. Et Lazaro. Ioan. 11. ergo non solum incorruptibilia, sed & corruptibilia ab ipso sunt. Et Marci 10. legitur: *Ab initio creaturæ masculum & fœminam fecit eis Deus.* Item Luc. 11. dicit Pharisæis. *Quod intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate.* Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est, fecit? Ergo ab eodem principio est anima & corpus. Lucæ 3. vbi texitur genealogia Christi, dicitur: *Qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Adam ergo fuit filius Dei: fuit ergo à Deo, & non à diabolo. Item Ioan. 1. dicitur de Deo. *Omnia per ipsum facta sunt.* Ergo visibilia, & inuisibilia. Et post, *Mundus per ipsum factus est.* Et iterum: *In propria venit, & sui &c.* Non erant sui per gratiam cum essent mali, ergo sui erant creatione. Item mutauit aquã in vinum corruptibile. Ioan. secundo, ergo etiam corruptibilia sunt ab ipso. Roma-

nor. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, &c.* Et paulo post, subditur: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Præterea Psalm. *Domini est terra & plenitudo eius.* Ephes. 2. *Ipsius factura sumus, &c.* Eiusdem. 3. *In Deo qui omnia, omnia creauit.* Colos. 1. *In ipso condita sunt quæ sunt in cœlo & in terra visibilia & inuisibilia.* & 1. Timoth. 4. *In nouissimis temporibus discedent quidem à fide, &c.* Et subditur, *prohibentium nubere, & abstinere à cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus.* Hebræorum 1. *Initio tu Domine terram fundasti, &c.* Et in eodem. *Quem constituit hæredem vniuersorum.* Actorum 4. *Domine tu fecisti cœlum & terram.* Et 17. eiusdem. *Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cum sit Dominus.* Et Canonica Iudæ. *Solum dominatorem & Dominum nostrum Iesum Christum negantes.* Et Apocal. 10. *Iurauit per viuentem in secula seculorum qui creauit cœlum & omnia quæ in eo sunt, & terram, & omnia quæ in ea sunt, mare, & omnia quæ in eo sunt.* Et Petrus in 1. ele. Totius mundi machinam cum vna esset domus, in duas regiones diuisit Deus, vt superior ergo angelis, inferior vero hominibus præberet habitaculũ. In Symbolo etiam Apost. dicitur, Creatorem cœli & terræ. In hoc etiam conueniunt nobiscum nobiles Philosophi, Plato loquens de Deo, Genitorem, inquit, vniuersitatis tam inuenire difficile est, quam inuentu dignum profari. Boet. libr. Consolat. O qui perpetua mundum ratione gubernas, Terrarum cœlique sator. Sen. Vir bonus quidquid ei acciderit, æquo animo sustinebit. Sciet enim hoc accidisse lege diuina ex qua vniuersa procedunt. Nunc ponendæ sunt rationes ad destructionem dicti erroris. Dicunt Manichæi lucem & tenebras non posse esse ab eodem principio. Sed eadem ratione vox & silentium erunt à cõtrariis principiis. Sic enim se habet silẽtium ad vocem vt tenebræ ad lucem. Vnde Aug. irridendo Manichæos ait: Si est gens tenebrarum pugnans contra Dei lucem, quare non est gens silẽtiorum pugnans contra vocem? item si lux à bono Deo, visus qui melior est luce, cum lux propter visum sit, & sine visu inutilis sit, erit à Deo: quis dubitat eum cui seruit lumen candelæ præualere lumini illi? Et si visus & lux quæ maxime est visibilis, sunt à Deo: eadem ratione auditus & audibile, olfactus & odorabile, gustus & gustabile, tactus & tangibile: ergo omnia corruptibilia corpora sunt à Deo. Item cum viuere sit melius quàm fulgere, si nihil potest fulgere, sine Deo, multominus nec viuere, vt ait Augustin. Ergo omnia vitam habentia sunt à Deo. Item August. in lib. de duabus animabus: Sensibus omnibus intelligentia præstat & excellit: ergo intelligibilibus sensibilia inferiora sunt. Dementia igitur est cum omnis vita & omnis anima solo intellectu percipi queat, sol autem & luna & omnis lux mortalibus oculis cernatur: quamlibet animam Deo auctore priuare, & quod lux bono Deo tributa dicatur. Item aut ista corruptibilia sunt pure mala, aut mista ex bono & malo: ergo sunt quantum ad bonum à bono principio: quantum ad malum à malo: ergo aliquod corruptibile à bono principio est. Præterea secundum hoc est aliqua societas lucis ad tenebras, aliqua conuentio Christi ad Belial: cuius contrarium ostenditur 2. Corinth. 6. Sic vero sunt pure mala. Contra, cum bonũ tripliciter dicatur, honestum, delectabile, expediens: hæ tres species boni inueniuntur in his corruptibilibus. Honestum, vt pascere esurientem, dare potum sitienti: & cætera opera misericordiæ quæ commendat Dominus. Matt. 25. Delectabile, vt cum coniungitur conueniens cum conuenienti. Expediens, vt cum infirmi bibunt potiones amaras, salubres tamen, vel causa sanitatis vruntur, vel secantur: ergo omnem spem boni possumus inuenire in his corruptibilibus: ergo non pure mala sunt. Item quilibet sensus dicit ali-

quod bonũ in eis, vt gustus dicit aliquod bonum vinum. Io. 2. *Tu autem bonum vinum seruasti vsque adhuc.* Dicit auditus vocem aliquam bonam. Dicit visus formã aliquam bonam. Dicit tactus vestem aliquam bonam & suauem. Dicit odoratus aliquem odorem bonum. Ergo sicut ille qui negat niuem esse albam, sensu indiget: Sic Manichæi omni sensu videntur indigere. Ipsi videntur esse & cæci & surdi, & alij sensibus indigentes: nec digni sunt vt contra errorem eorum disputetur. Arist. Non oportet omne problema nec omnium positionem considerare, sed quã dubitabit aliquis rationis indigentium & non pœnæ vel sensus. Videtur quod ipsi velint hominibus oculos eruere, & non solum oculos, sed omnem sensum eis auferre, vnde multum sunt odiendi quantum ad hanc malitiam. Videntur etiam bestiis bestialiores esse: cum bestiæ inter hæc corruptibilia, quædam bona sibi à quibusdam malis distinguant: hæc fugiendo, illa appetendo. Item cognitio boni bona est: ergo cum lux bona sit, cognitio lucis bona est: ergo in illis corruptibilibus quæ possunt lucem cognoscere, aliquid boni est: ergo non sunt pure mala. Item legitur Matt. 6. *Benefacite his qui oderunt vos &c.* vt scitis filij patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum facit oriri super bonos & malos: ergo pater cælestis facit bonum malis, faciendo solem suum oriri super eos: ergo mali sunt receptibiles boni ipsius. Sed potentia recipiendi bonum bona est: ergo ipsi habent aliquid boni: ergo non sunt pure mali. Item corruptibilia ista aut ideo mala sunt quia possunt corrumpi, aut alia de causa. Si quia possunt corrumpi: ergo creata sunt mala. Omnia enim à Deo possunt dissolui quæ ab eo cõposita. Facilius enim est destruere quam construere: vt ait Philosophus. Ioan. Damas. Omne quod incipit esse, finitur secundum naturam. Greg. Esse omnium quæ de nihilo sunt, in nihilum tenderet, nisi ea omnium auctor manu regiminis retineret. Omnia itaque creata nec per se subsistere, nec mouere præualent. Quod dicit Greg. sic potest probari: Quod semel requiritur ex necessitate ad essentiam alicuius rei, semper ad eam requiritur: sed prima causa requirebatur ad hoc quod hæc anima esset quando primo fuit: per aliam enim causam non potuit à non esse in esse adduci: ergo semper prima causa ad hoc quod illa anima sit, requiritur. Item si non potuit illa anima esse in a nisi per primã causam: ergo eadẽ ratione nec in b, nec in c, & sic de vno quoque instanti in quo ipsa fuit: ergo prima causa requiritur ad esse huius animæ; eadẽ ratione ad esse vniuscuiusque creaturæ. Item sicut inchoatio diei est à sole visibili: sic eius continuatio, & si desinat esse sol, vel lumẽ eius iuxta ipsum intercidatur, desinit totũ lumẽ esse in aëre. Sic posito quod prima causa desinat esse, vel cesset à conseruatione rerum quas creauit, omnes desinunt esse. Sicut vita corporis inchoationẽ habet ab alia, sic & continuationem. Vnde recedente anima à corpore, desinit corpus viuere: sic si prima causa desineret esse, cuncta desinerẽt esse. Itẽ sicut ascẽsus lapidis in aëre non potest fieri propria virtute: sic nec permanẽtia ipsius ibidẽ. Non minoris virtutis est in bono inchoato perseuerare, quam illud inchoare. Ouidius in Epistolis. *Non minor est virtus quam quærere parta tueri.* Sic non minoris est virtutis creatũ esse cõseruare, quã creare. Aug. Deus ex nihilo omnia fecit, & si se subtraheret, in nihilũ redigerentur. Et Plato introducit Deum loquentem ad nobiliora opera sua dicentem ea natura dissolubilia. Si vero sunt mala alia de causa: aut sunt mala quia variabilia, aut propter aliud. Si quia variabilia: ergo animæ quæ sunt à principio bono, erunt malæ: cũ sunt variabiles ab ignorãtia ad scientiam, à gaudio ad tristitiã, ab iniustitia ad iustitiã. Luc. 15. *Gaudium erit angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* Ex hoc verbo cõstat quod aliquis potest peccare & malus fieri: & qui iã peccator est, per pœnitẽ-

tiã fieri bonũs. Sed cuius erit hæc variatio? Aut pure boni, aut pure mali. Pure malum nullatenus poteſt fieri bonum, cum ſit eſſentialiter malum: vnde ſi deſinit eſſe malum, deſinit eſſe. Neque pure bonũ ſecundum eos poteſt fieri malum: ergo perit pœnitentia. Aug. Nunquam negauerunt Manichæi dari veniam peccatorum, cum fuerit ad Deum quiſque conuerſus? quæro ex illis, duobus generibus animarum, cuius ſit pœnitere peccati; & ſcio hoc nec illius animæ poſſe quę malefacere, nec illius quæ benefacere poteſt. Dic etenim anima quam de ſubſtantia Dei aſſerunt, quomodo nihil ex me mali ſi ego perperã feci? Aut quomodo recte pœnitet ſi ego non feci? Audi partem alteram. Quomodo ex me nihil boni eſt cui bona voluntas ineſt? Aut quomodo me recte pœnitet ſi non ineſt? Mihi autem ſatis eſt ſic ſcire quod Manichæi errant, aut ſcio pœnitendum eſſe peccati. Si vero mala ſunt qua corporalia & viſibilia: ergo ſol & luna & ſtellæ mala eſſent, cum ſint corpora viſibilia. Si vero mala ſunt propter contrarietatem quam habent: ergo cum ſumme bonum habeat contrarietatem cum ſumme malo, ſummum bonum erit malum. Si vero propter cõtrarietatem quam habent adinuicem, mala dicuntur: ſicut aliqua dicuntur mala, quia contrarietatẽ & bellum habent cum aliquibus: ſic & bona, dicenda ſunt propter conuenientiam & pacem quam habent cum aliis, vel bona ſimpliciter, vel bona quantum ad hoc: ergo non erunt pure mala. Et ſi odium inter aliqua corruptibilia malitiæ atteſtatur: amor qui inter aliqua inuenitur, bonitati atteſtabitur. Præterea cũ bonum ſit quod deſideratur ab omnibus: vt ait Dionyſius, & ſecundum Ariſtot. omnia bonum exoptent, & omnia appetant eſſe ſui conſeruationem: eſſe vniuerſaliter eſt bonum. Dolor qui inuenitur etiam in animalibus irrationalibus quum occiduntur vel læ dũtur, atteſtatur amori quem habet ad ſuum eſſe: Præterea cum ſit ſcriptum in corde hominis, quod ſicut bona ſunt facienda, ita mala ſunt deſtruenda: ſi corruptibilia iſta ſunt mala: deſtructio illorũ eſt bona: ergo contrarietas vel poteſtas deſtruendi ſe inuicem bona eſt. Item ſi corruptibilia iſta mala ſunt, quia deſtructiua ſui inuicem, neceſſario eſſe eorum bonum eſt: ergo cum Manichæi ponunt quod mala ſunt quæ sũt deſtructiua ſua inuicem: per conſequens ponunt quod ipſa ſunt mala & bona. Item ſi principium malum: per ſe poteſt eſſe cauſa malorũ, ergo ſemper poteſt eſſe cauſa eorum: ergo poteſt perpetuare ea: ergo perpetua & non ſolum corruptibilia poſſunt eſſe à principio malo. Item cum aliqua mors iuſta ſit, ſecundum illam ſententiam Domini, Matth. 26. *Omnes qui gladium acceperint, gladio peribunt:* ergo mors poteſt eſſe à Deo & corruptio: ergo corruptibilia poſſunt eſſe à bono principio. Item corruptio iſtorum corruptibilium aut eſt bona, aut eſt mala. Si bona: ergo eſt à Deo bono, ergo corruptibilia poſſunt eſſe ab eo. Si mala, ſed cuius corruptio mala eſt, ipſum quoque bonum, iuxta verbum Sapientis: ergo ipſa ſunt bona: ergo poſſunt eſſe à Deo bono. Item principium malum aut eſt mutabile, aut non. Si non eſt mutabile: ergo non erũt potius mutabilia ab eo, quam à principio bono. Præterea immutabilitas non ſolum pertinet ad bonum, immo ad optimum. Dionyſ. Proprium eſt optimi eſſe ſemper idipſum. Sen. Neceſſe eſt eadem placere, cui niſi optima placere non poſſunt: Deo ſcilicet. Dionyſ. Malum quidem inſtabile eſt. Item nõn ſunt immobilia & ſemper ſic habentia mala: ait idem Dion. Non eſt ergo principiũ mali immutabile. Item cum ſapientia bonum ſit, non erit in ſummo malo. *Stultus autem vt luna mutatur.* Eccleſ. 27. Sen. Stultitiæ nihil conſtat, nihil diu placet. Si vero principiũ mali mutabile eſt: ergo habet aliquã compoſitionẽ ad minus quæ eſt proprietas ad ſubiectũ. Vbi enim eſt mutatio & receſſus alicuius proprietatis & acceſſus alterius, ne-

cesse est etiam ibi esse aliquam essentialem compositionem. Nihil enim est agens & patiens, secundum idem. Ergo oportet aliquid esse in eo quo agit dando esse eis quorum est principium, & aliquid quo recipit proprietatem quæ ei aduenit cum mutatur. Si autem compositum est, ergo compositum ab aliquo quod est eius principium: aliud autem principium habere non potest, nisi principium bonum: ergo est à bono principio: sed ab eo non potest esse nisi bonum fuit: ergo ab eo factum bonum, sed postea factum est malum. Et hoc est quod veritas dicit, Ioan. 8. *Ille homicida erat ab initio*: Ergo habuit initium. Et subditur: *Et in veritate non stetit*: In bona enim voluntate non perseuerauit. Item Lucæ 10. *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*. Fuit ergo aliquando bonus & in cœlo: sed peccauit, & de cœlo cecidit. *Item radix omnium malorum est cupiditas* 1. Timot. vlt. Ergo ante cupiditatem non est malum, sed ante naturaliter est potentia à quo exit actus cupiditatis: ergo potentia illa non est mala: ergo natura ipsius diaboli bona est. Præterea si principium mali non habet principium: ergo habet esse & non ab alio: sed hoc non solummodo boni est, sed etiam melioris: melius enim est quod natura est, quam acquisitiuum: ergo principium mali non solum bonum est: sed etiam melius his quæ esse incœperunt. Item proprium est Altissimi à nullo aliquid tenere, nulli aliquid debere, nulli subesse: absit ergo vt talia malo conueniant. Præterea, impossibile est duo esse principia absolute. Si enim aliquid est principium absolute, est primum. Si autem est primum, non habet prius vel coæuum. Vnde Dionys. Omnis dias siue dualitas non est principium: monas autem siue vnitas erit totius diadis, id est dualitatis principium. Item oppositorum oppositæ sunt causæ: ergo si principiū boni est ens, principium mali est non ens, August. 12. lib. de Ciuit. Dei: Et natura quæ summe est, qua faciente sunt quæcunque sunt contraria naturæ, non est nisi quæ non est. Item aut principium boni & mali in aliquo conueniunt, aut in nullo. Si in nullo, ergo nec in esse, nec in potentia: ergo si principium boni, est principim mali, non est. Et si principium boni est, omnipotens: principium mali est, nihil potens: ergo nullius rei principium. Si vero conueniunt in aliquo, vt in eo quod est esse, & viuere, & intelligere, & posse: non est ergo pure malum quod in tot conuenit cum summe bono. Dio. Si omnino bonum consumpseris, neque essentia est, neque vita concupiscentia, neque motus, neque aliud aliquid. Præterea aut in aliquo differunt: aut non. Si non, ergo sunt idem principium, & non duo principia. Si vero in aliquo differunt: hæc differentia videtur esse in malitia voluntatis. Posito. n. quod voluntas eius sit bona, iam habet pacem & amicitiam cum summo bono, & non contrarietatem. Sicut. n. pax est hominibus bonæ voluntatis, Lucæ 2. sic & angelis bonæ volūtatis. Iam imago Dei relucet in eo, cum in eo sit & potentia & sapientia, bonitas siue bona volūtas: vnde relinquitur quod à Deo sit. Similitudo enim inter aliqua ostendit ea eandem vel similem causam habere, vel vnum esse causam alterius: Præterea si principium mali in aliquo differt à principio boni, & in aliquo cōuenit: ergo ipsum habet aliquid & aliquid: ergo est compositum, ergo non est principium primum. Illud enim est prius à quo compositum est. Item constat quod principium bonum est perfectum & sine aliquo defectu. Matth. 5. *Pater vester cœlestis perfectus est*. Damasc. Deus perfectus est, & indeficiens, & secundum bonitatem, & secundum sapientiam, & secundum virtutem, sine principio infinitus, æternus, incircumscriptibilis, & simpliciter per omnia perfectus: ergo potentia ipsius non habet defectum, nec admistionem impotentiæ: ergo nihil est quod non subsit illi potentiæ: ergo dominiū eius vniuersale est: & nihil est exceptum ab eius iu-

risdictione: ergo si principium malum habet potestatem aliquam, potestas illa est à Dei potentia & sub ea. Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra,* ait Christus. Et Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo.* Et vt vno verbo dicamus, Dei potentia omnipotentia est. Apocalyp. 4. *Sanctus, sanctus, sanctus, Deus omnipotens qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Eiusdem. 5. *Magna enim & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens.* Et 16. *Domine Deus omnipotens, vera & iusta iudicia tua.* Et 21. *Dominus Deus omnipotens, templum illius est.* Et Matth. 19. dicitur, *quod apud Deum omnia possibilia sunt.* Et Luc. 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum:* imo quod plus est, *omnia possibilia sunt credenti in eum.* Matth. 9. & Matth. 17. *Nihil impossibile erit vobis.* Manifestum est ergo ex prædictis diabolum non esse exemptum à potestate Dei. Vnde Lucæ 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super omnem potestatem inimici.* Non est ergo diabolus principium malum æternũ quod sit à se: sed natura eius à bono principio est, & ab institutione prima bona: sed à corruptione voluntatis est in eo malitia. Præterea cum Deus sit incircumscriptus, non sic capitur vno loco quod nõ possit esse in alio: nec potest esse locus sine eo, quod non esset si duo essent principia. Damasc. Quomodo diis multis existentibus incircũscriptibile seruabitur quod in Deo dicimus? Vbicunq; enim fuerit vnus, nequaquam erit alter. Item cum castra destruantur propter diuersitatem dominiorũ: quomodo non esset iam mundus dissolutus si essent diuersi domini? Damasc. Qualiter à multis gubernabitur mundus, & nõ dissoluetur & corrumpetur; pugna in gubernantibus considerata? Et subdit. Si autem dixerit quis, quoniam vnusquisq; parti principatur, quid est quod ordinat & permanentiam eius facit? Illud vtique erit Deus magis. Item si multos diceremus deos, necesse esset differentiam in multis considerare. Si enim nulla est differentia in eis, vnus magis est & non multi. Si autem differentia est in eis, vbi est perfectio? Siue ei secundum bonitatem, siue secundum virtutem, siue secundum sapientiam, siue secundum tempus, siue secundum locum defecerit à perfectione, nequaquam erit Deus. Item nõ minus pertinet ad Deũ bonitas, quam potentia vel sapientia: ergo sicut ridiculum esset ponere aliquem Deum sine potentia vel sapientia: sic ridiculum est ponere Deum sine bonitate. Dionys. Neque diuinum malum est, neque malum diuinum. Præterea, impossibile est perfectam esse sapientiam & potentiam absq; bonitate. Impotentia enim est si non potest velle bonum cognitum. Si autem potest velle bonum, non est sine aliqua bonitate. Posse enim velle bonum, bonum est. Item duo sunt principia, aut principium malum non est inuisibile sicut bonum, aut est visibile. Si est visibile, est corpus, & ita compositum: ergo habuit initium. Si vero inuisibile, ergo per ea quæ facta sunt conspicitur, sicut & principium bonum. Cum ergo esse principii per se eorum quæ facta sunt agnoscatur: per quid cognoscitur multitudo principiorum, nisi multitudine eorum quæ facta sunt? ergo tot sunt ponenda principia quot sunt res factæ. Si vero contrarietate rerum quæ factæ sunt, cognoscatur diuersitas principiorum: ergo omnia contraria erunt à contrariis principiis: ergo album & nigrum non erunt ab eodem principio, neque calidum & frigidum, & sic de aliis contrariis: vnde oportebit multo plura principia quam duo poni. Item potentia Dei & sapientia, de quibus constat, sufficiũt ad creationem omnium, & ipsa mors etiam potest esse ad eius bonitatem. Multoties enim valde vtilis est homini, vt viris sãctis, quibus est finis miseriæ & porta gloriæ, vnde multũ desideratur ab eis, vt in Paulo patet Philip. 1. *Desideriũ habeo dissolui* &c. Etiã mors malorũ est à iustitia Dei. Luc. 12. Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehen-

nam. De potētia vero alia non poteſt conſtare per aliquem propriū effectum eius. Quanta ergo fatuitas eſt, Deo omnipotēti propter illam potentiam ſomniatam auferre dimidiū regni ſui & gloriæ ſuæ. Quis eſt qui neſciat quod duo poſſunt habere eundem patrem, vnus tamen eorum eſt ſanus & alter æger, & filio exiſtente infirmo pater poteſt eſſe ſanus, & ab eadem radice poteſt eſſe & ſpina & roſa? Pręterea quotidie videmus hoc in corporibus, corpus quod ſanum eſt, fieri ægrum, & è contrario. Idem etiam neceſſe habemus concedere de animabus: anima enim peccando poteſt fieri mala, & pœnitentiam agendo poteſt fieri bona. Alioquin pro nihilo monetur aliquis ad agendum pœnitentiam. Matth. 3. *Agite dignum fructum pœnitentiæ*. Et eiuſdem 4. *Pœnitentiam agite*: ergo poteſt accidere in ſpiritibus corpori non vnitis, vt qui boni ſunt natura, fiant mali malo conſentiendo. Vnde 2. Pet. 2. *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reſeruari, &c.* Et Canonica Iudæ, *Angelos qui non ſeruauerunt principatum ſuum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni Dei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit*. Et aduertendum eſt, quoniam ſapientia Dei noluit quod aliqua diuerſitas creaturarū cōtrarietatem principiorum poſſet oſtendere. Prima diuerſitas in rebus eſt ſubſtantiæ & accidentis: ſed vnum iſtorum ineſt alteri, ſcilicet accidens ſubſtantiæ. Subſtantia vero cauſa eſt accidentis, nec poſſunt eſſe à contrariis principiis, cum tanta ſit eorum conuenientia & adhærentia, & maxime cum nulla ſit ſocietas lucis ad tenebras, nec conuentio Chriſti ad Belial. 2. Corinth. 6. Alia eſt diuerſitas materiæ & formæ, quarum conuenientia manifeſte indicat ea nō eſſe à diuerſis principiis. Alia eſt diuerſitas ſubſtātiæ corporeæ & incorporeæ. Sed cum ſubſtātia incorporea perfectior ſit corporea, & conueniat cum ea ad perficiendum vnum vt in arboribus eſt vegetabile, in brutis animalibus ſenſibile, & in hominibus anima rationalis: manifeſtum eſt quod non ſunt à contrariis principiis. Alia diuerſitas eſt corruptibilium. Sed nec iſta diuerſitas oſtendit contraria eſſe principia, cū corruptibilitatem inueniamus non ſolū in corporibus, ſed etiam in ſubſtantiis incorporeis, vt in vegetabili, & ſenſibili: imo quædam corruptibilitas videtur eſſe in omni creatura à prima conditione ipſius. Qui, ſicut ait Auguſtin. lib. de Ciuit. Dei. Omnis creatura mutabilis, quia de nihilo facta. Pręterea corruptibile & incorruptibile cōueniunt ad vnum perficiendum: & corpus & anima ad perficiendum hominem: & eſt naturalis amor vnius ad alterum, quod indicat ſeparatio vnius ab altero, quæ cùm dolore fit, ex quo manifeſtum eſt ea non eſſe ex contrariis principiis. Item ſi duo ſunt principia, vnum boni, & alterum mali: aut creare pertinet ad principium boni ſicut ad principiū mali, aut non. Si non, aut principium mali ex materia quæ ſit à principio bono operabitur, aut nihil omnino operabitur. Si nihil omnino, ergo non erit principiū. Si ex materia creata à bono principio, quod tamen fiet, non erit pure malum, cum materia ſit bona. Præterea forma quæ erit à principio malo, mala erit, nec conueniet materiæ bonæ vt faciat vnum cum ea. Si vero creare eſt vtriuſque principii, aut bonum principium habebit hoc à malo, aut ambo ab altero. Dion. Si malum æternum eſt; & creat, & poteſt, & eſt, & agit: vnde ei hoc, aut ex bono, aut ex malo, aut ambobus ex alia cauſa. Si bonum principium hoc habet à malo, malum tantummodo erit principium & non bonum. Si malum à bono tantum, bonum erit principium & non malum. Si ambo ex alia cauſa, illa magis erit principium. Item cum operatio ſit ſecundum virtutem & virtus ſecundum eſſentiam: ſi operatio creandi communis eſt duobus principiis, vna virtus communis erit illis à qua erit iſta operatio, & vna eſſentia ſiue vnum eſſentiale ad quod per-

tinebit virtus ista. Et si illud erit principium malum, pure malum, cum habeat bonum sibi essentiale. Si vero illud est malum, non erit principium bonum summe bonum, cum habeat malum sibi essentiale. Praeterea si duo principia in aliquo essentiali conueniunt,& in aliquo alio differunt, vtrumque compositum est: ergo neutrum est principium simpliciter, cum aliquid sit prius à quo compositum est. Praeterea malum videtur esse contra naturam principij. Ad principium enim pertinet facere, non destruere: malum vero destructiuum est. Dionys. Malo natura est corrumpere & perdere. Item malum secundū quod nullius est generatiuum vel nutritiuum, aut omnino factiuum, aut saluatiuum: ergo malum non est primum principium. Item bonum in quantum bonum est ex se diffusiuum, vt ait Dion. quia multiplicatiuum est: ergo cum malum bono sit contrarium secundum quod malum: non erit multiplicatiuum, sed potius retentiuum vel contractiuum: ergo non erit principium. Item corruptio naturaliter est posterior generatione: ergo potentia corrumpendi erit potentia generandi. Quae enim est proportio actus ad actum, & eadem est potentiae ad potentiam: ergo destructiuum boni naturaliter est posterius principio boni: ergo malum & bonum non sunt principia coaeua. Item priuatio naturaliter posterior est habitu: ergo destructiuum boni naturaliter est posterius bono. Item aut sunt aliqui spiritus mali à principio malo, aut non. Si non, sed constat quod sunt aliqui spiritus mali ex Euangelio in multis locis Matth. 12. *Cum immundus spiritus exierit &c.* Et paulo post: *Et assumit septem spiritus nequiores se.* Et Luc. 8. de quodam dicitur, *Ruptis vinculis agebatur à daemoniis in deserto. Et interrogauit illum Iesus, quod tibi nomen est? at ille dixit: Legio*, quia intrauerant multa daemonia in eum. Aut igitur sunt aeterni spiritus illi, aut non. Si sic, non sunt ergo tantum duo principia à quibus sint omnia alia. Praeterea cum boni spiritus creati sint, verisimile est quod & mali spiritus sint creati. Absit enim quod haec nobilis conditio non esse ab alio sit in malis spiritibus & non in bonis. Si vero creati sunt: ergo aut ex principio bono, vel ex malo. Si à bono, ergo tunc erant boni: sed post facti sūt mali, sicut asserit veritas fidei catholicae. Si vero à principio malo: ergo ab eo non solummodo sunt corpora, sed etiam spiritus: nec solum corruptibilia, sed etiam incorruptibilia. Item dicit Senec. in libr. de Naturali. quaestio. Deus est quo maius excogitari non potest. Et sicut ait Augustin. in libro de fide ad Pet. Deus est immensus virtute non mole. Virtus ergo Dei est, qua maior excogitari nō potest: sed maior est virtus quae summe malum potest destruere, quam quae non potest: ergo virtus diuina potest summe malum destruere: ergo summe malum habuit principium & potest finem habere: ergo non est primum principium. Praeterea ad bonitatem pertinet non solum velle bonum facere, sed etiam velle malum destruere,& magis malum magis velle destruere: ergo maxime malum maxime velle destruere: ergo cum summe bonum habeat potestatem illud destruendi, iam illud destruxit tanquam radicem omnis mali. Securis enim ad radicem arboris à sapiente ponitur, non ad ramos: hac radice extirpata omne malum cessat. Item Deus excedit intellectum nostrum: potentior enim est agendo, quam nos intelligendo: sed intellectus noster attingere potest tam regionem tenebrarum, quam regionem lucis: ergo Deus non est exclusus à regione tenebrarum: nec inclusus in regione lucis, vt dicunt Manichaei. Quod manifeste ostenditur 1. Corinth. 6. *Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui in vobis est?* Et eiusdem 3. *Nescitis quia templum Dei estis vos, & spiritus Dei habitat in vobis?* Et subditur: *Qui violauerit templum hoc, disperdet illum Deus*, Graeci vero sic habent: *Qui corruperit*

rupérit templum hoc, corrumpet illum Deus. Deus ergo non est exclusus à regione tenebrarum. Nec membra illa mala sunt in quibus Deus habitat, & quorum violationem vindicat. Nec omnis corruptio mala est ex qua Deus corrumpẽtes bonos, corrumpit. Item cum magis conueniat aliquid cum quolibet, quam aliquid cum nihilo, quod potest per se ex nihilo aliquid facere, potest quodlibet ex aliquo facere: ergo quicunque potest creare, est omnipotens: Verisimile est quod potentia quę extendit se ad quę nõ sunt, extẽdat se ad omnia quæ sunt: ergo cum principium malum non sit omnipotens, non potest creare. Itẽ si duo sũt principia: aut vtrunque erit imperfectum, aut alterum erit superfluum. Item dicit Damasc. Contraria sunt inuicem bonum & perniciosum, & sui inuicem corruptiua, & in se inuicem & cum se inuicem non subsistentia. Et subdit: Necesse est duorum esse alterum: vel tangere & corrumpere se inuicẽ, vel esse quid medium in quo nec bonum nec malum erit: velut quædam maceries separans ab inuicem vtraque, & non duo, sed tria erunt principia. Item necesse est horum alterum vel pacificare: quod illud quod malum est non potest: vel præliari, quod id quod perfecte bonum est, non potest: vel quod malum est quidem præliari, & quod bonum non ex aduersario præliari, sed corrumpi, vel semper contristari, vel malum pati. Item beatus est cui omnia optata succedunt: sed si summum bonum habet aliquid sibi contrarium, non omnia optata sibi succedunt: ergo non est beatum. Item Deus bonus aut potest cohibere mala quæ fiunt à principio malo suis, & vult, & sic cohibet: aut potest & non vult: si non est summe bonus, aut vult, & non potest, & tunc est impotens. Item cum bonum sit quod desideratur ab omnibus, vt dicit Dionysius, ergo malum est quod oditur ab omnibus. Sicut ergo Deum diligit quidquid diligere potest, vt ait Augustinus, & ipse diligit omnes quos creauit, nisi ipsi fiant mali, & inter eos est mutuus amor: sic mutuum odiũ erit inter eos qui sunt à malo principio, & ipsi odient malum principium, & ipsum eos. Ergo mirum est si iam non destruxit eos. Non potest ergo stare regnum tale nullo amore compactum. Item cum ipsum summe malum sit, ergo vult malum & sibi & suis, & non modicum malum cum non sit modicum malus: quomodo permittit ergo suos viuere? Item aut princeps iste vel gens eius aliquid amat, vel nihil. Si nihil, ergo nec seipsum, quod non est verisimile. Si enim esset superbus, esset & amator gloriæ suæ. Præterea si non potest amare: ergo nec odire: amare enim & odire contraria sunt & nata fieri circa idem. Præterea principium bonum & quæ ab eo sunt, dicuntur odire mala & amare bona: ergo principium malum odit bona & amat mala. Si vero amat aliquid, ergo vult ei quod optatur esse bonum: sed aliquem velle quod ipse opinatur esse bonum, quoddam bonum est: ergo principium mali habet aliquod bonum: ergo nõ est summe vel pure malum. Item ridiculum est dicere aliquid non esse bonum, quia non est vbique: ergo ridiculum est dicere aliquid non sit bonum: quia nõ semper, vel quia est corruptibile. Præterea si non facit aliquod malum, hoc quod habet principium, ergo neque hoc quod ipsum habet finem, vel quod est corruptibile. Item cum non sit malum nisi respectu boni, & summum malum, & ea quæ sunt ab eo sint pure mala, nihil est malum respectu alicuius eorum: ergo si ipsa sunt mala, ipsa erunt mala: vel quia nociua summe bono, vel bonis quæ sunt ab eo: sed non quia sint nociua summe bono. Ei enim nihil potest nocere, quia vt dicit Aug. Non est Deus inuiolabilis, si aliquid potest ei nocere. Item non possunt nocere bonis quæ sunt à principio bono, cum illa sint pure bona, nullius mali susceptibilia, & cum princeps eorum tamquam summe potens eos seruarę possit, & tamquã sum-

me bonus velit: ergo non sunt mala, quia bonis nociua: ergo simpliciter loquendo non sunt mala. Præterea natura bona non potest cogi à mala vt consentiat malo: cũ bonum potentius sit, quam malum. Si autem voluntarie potest consentire malo, ergo bonũ natura voluntate potest fieri malum: ergo non est necesse ponere aliquam naturam essentialiter malã à qua sint aliæ naturæ malę: sed omnis natura à principio bono est & ab institutione bona, sed volũtate postea facta est mala, sicut fides Catholica dicit. Item summum malum cum fecit visibilia ista, aut fecit ea ex bonitate, vel ex malitia. Si ex bonitate, ergo aliqua bonitas erat in eo: ergo non erat pure malum. Si ex malitia fecisset, non esset tanta pulchritudo, nec tanta vtilitas, nec tanta ordinatio in eis. Item princeps tenebrarũ est aut bonus sibi, aut malus. Si bonus, ergo non est summe malus, cum alicui sit bonus. Si malus sibi, ergo est malus malo: ergo ipse est contrarius malo: sed esse contrarium malo est bonum, ergo aliquid habet boni, & non est summe malus. Item summum malum aut est malum malitia culpæ, aut malitia pœnæ. Si pœnæ, sed sũmum malum pœnæ videtur esse gehenna: ergo vel ipsum non est maximum malum, vel est ipsa gehenna. Si forte dicatur quod summum malum est miseria suorum, sicut bonum summum est beatitudo suorum: contra, delectatio est coniunctio conuenientis cum conuenienti, ergo ea quæ sunt â summo bono, & sunt eius capacia, vt sunt creaturæ rationales, delectationem habẽt cum coniunguntur ei, eo quod sint conuenientia illi. Similiter ea quæ sunt à summo malo, si sunt eius capacia & coniunguntur ei, cum sint conuenientia cum eo, habebunt in eo delectationem. Item cum ipsa sint pure mala, & ament omne malum, amor vero amanti suaue faciat quod amatur: gehenna etiam suauis esset his qui in ea erunt si amarent eam, & placeret eis: ergo summum malum delectabile erit malis qui ab eo sunt. Si vero ipsum est malum malitia culpæ, culpa non potest esse nisi vbi est lex. *Vbi enim non est lex, nec præuaricatio.* Rom. 4. Ergo summum malum legi alicui subiectum est, cuius transgressione malum est factum, ergo non est primum principium. Præterea operatio qua ipsum operatur malum, aut naturalis est, aut voluntaria. Si naturalis, ergo nõ est culpabilis. August. Peccatum sine voluntate esse non posse omnis mens apud se conscriptum legit. Si vero voluntaria est, & habet potentiam liberam faciendi malum, vel declinandi à malo, cum potentia declinandi à malo sit bona, aliquid boni est in eo: ergo non est summe malum. Item cum aliquid horum corruptibilium destruitur, non intendit agens destructionem, sed generationem. Et est certamen quod est inter creaturas: tamen est quasi liberalitatis. V. G. Cum agit ignis in ligna, & facit inde carbones, intendit ignis dare speciem suam materiæ in quam agit, & semper in corruptione remanet aliquid vtile. Etiam post destructionem quam facit ignis, qui vehementissime videtur destruere, remanet cinis qui habet vim mundificatiuam: ergo corruptibilia ista non sunt pure mala. Præterea licet corruptibilia ista non possint seruare speciem suam in seipsis: tamen in recompensationem huius habent potentiam dandi speciem suam alteri materiæ & multiplicandi eam, quod non habent incorruptibilia. Sol non efficit alium Solem, nec Angelus Angelum, sed ignis causa est ignis. Bona ergo sunt etiam corruptibilia. Multi sunt qui non minus amarent vaccam vnam, licet mori posset, quæ valde fœtosa esset, de qua mille alias habituri essent, quam vnam sterilem quæ mori non posset.

Capvt IX.

De aliis erroribus Manichæorum, quorum aliqui enumerantur. Et de primo errore qui est in distinctione ciborum.

Manichæorum Errores in distinctione ciborum.

POst destructionem erroris Manichæorũ quãtũ ad radicẽ ipsius licet rami nõ soleant proficere radice destructa, secundũ illud Oseæ 9. *Radix eorum exiccata est, fructum nequaquam faciant*, tamẽ aliqua breuiter dicemus contra aliquos errores qui velut rami à radice venenata, de qua iam tactum est, processerunt. 1. Vnus error est distinctio ciborum. Dicunt enim aliquos cibos non esse comedendos, vt carnem & caseum. 2. Alius est quod lex vetus data est à principe tenebrarũ, & quod mala fuit. 3. Tertiũ est, quod Patres veteris Testamẽti mali fuerunt & damnati sunt. 4. Quartus, quod non creantur animæ de nouo quæ corporibus infundantur. 5. Alius error est, quod Christus veram naturam humanam non assumpserit. 6. Vltimus de quo ad præsens dicere intendimus, quod Ioannes Baptista malus fuerit. Sunt multi alij errores eorũ, sed adeo irrationabiles quod indigni sunt vt ad eorũ destructionẽ ratiocinatio procedat. Primo errori occasionem dare potuit, quod Dominus terræ maledixit, Gen. 3. Ideo carnes animalium quæ de fructu terræ pascuntur, dicunt non esse comedendas. Pisces bene comedũt qui in aqua nutriantur, cum non legant Dominum aquis maledixisse. Sed hæc ratio nulla est. Si enim carnes animalium comedendæ non sunt, quia de fructu terræ viuunt: multo fortius ipsi fructus terræ comedendi non essent: propter quod enim vnumquodque est tale, illud magis est tale, fructus autem terræ omnis secta comedit. Rom. 13. *Qui infirmus est, olus manducet.* Glos. Infirmus est qui cibos discernit: hic olus manducet, in cuius esu omnis secta consentit. Præterea maledictio terræ quã Dominus fecit, fuit quod fertilitatẽ eius abstulit. Et ibidẽ post illã maledictionẽ subditur: *In laborib. comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Vnde noluit Dominus quod propter illã maledictionẽ dimitteret homo comedere, vel quæ ex terra nascerẽtur, vel quæ ex ea nutrirentur. Itẽ dedit occasionem huic errori, quod caro per peccatum de carne nascitur, vt ipsi dicunt. Sed fatuum est dicere carnem animalium brutorum per peccatũ nasci, cũ vbi non est lex, nõ sit præuaricatio. Ro. 4. Itẽ 14. *Bonum est non manducare carnem, nec bibere vinũ.* Sed si propter verbũ illud carnẽ comedere dimittunt: eadem ratione deberent dimittere bibere vinum. Itẽ quod viri sancti leguntur à carnib. abstinuisse, sed ipsi non ideo abstinuerũt quia iudicarẽt quod nõ possent sine peccato comedi: sed quia quãdoque sunt occasio cõcupiscentiæ vt excedant, sicut & vinũ quãdoque. Tamen non sequitur ex hoc quod vino nõ sit vtendum. 1. Timoth. 5. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino vtere propter stomachum tuum & frequentes tuas infirmitates.* Et Ecclesiast. 31. *Si bibas vinum moderate, eris sobrius.* Et paulo post. *Exultatio animæ & corporis vinũ moderate potatũ.* Sicut aliquib. infirmis secundũ corpus abstinendũ est à carnib. & vino: non tamen sequitur propter hoc quod caro & vinum infirma sint vniuersaliter corpori: sic eadem infirma sunt quandoque etiam spiritui: aliquib. enim sunt occasio peccandi. Sunt multæ causæ quare à delicatis abstinendũ est, quę in tractatu de vitio gulæ assignatæ sunt, & aliquæ tangẽtur in tractatu de virtute Sobrietatis. Sicut diuitię malæ nõ sunt, etsi à viris sãctis quãdoque cõtemnãtur. Sic caro mala nõ est, si à viris sãctis quãdoque comedatur. Gloss. super illud Romanorũ 14. *Olus manducet.* Crassitudo carniũ, & deliciosæ epulæ prouocant corpus ad libidinem. Quandoque aliquis abstinet à talibus, quia sibi videt expedire, vel ne proximum scandalizet. 1. Corinth. 10. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediũt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædifi-*

cant. Sed qui abstinet, non debet dãnabiles iudicare eos qui talibus vtuntur. Ro. 13. *Qui non manducat, manducantem non iudicet.* Item occasionem dedit huic errori, quod non legunt Christum carnes comedisse. Sed licet hoc non legeretur: tamen non sequeretur propter hoc quod non comedisset: *multa enim facta sunt quæ non scripta sunt.* Ioan. vlt. Sunt & alia multa quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribẽdi sũt, libros. Et quod comederit agnum paschalem, potest haberi ex Euangelio Matth. 24. *Vbi est,* inquit, *refectio mea, vbi pascha cum discipulis meis manducem?* Pascha vocatur agnus paschalis. Luc. 22. *Vbi est diuersorium, vbi pascha cum discipulis meis manducem?* Et paulo post: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum.* Quod autem licitum sit comedere carnes, & alios cibos sine distinctione, probari potest his testimoniis Noui Testamenti. Legitur Luc. 10. *In eadem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt.* Et Matth. 15 *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* Et ad Rom. 14. *Scio & confido in Domino Iesu, quia nihil commune siue immundum per ipsum nisi ei qui existimat commune esse illi, commune est.* In eodem: *Omnia quidem munda sunt.* Et 1. Corinth. 10. *Omne quod in macello vænit,* id est, venditur, *manducate, nihil interrogantes propter conscientiam Domini, est terra & plenitudo eius.* Et iterum: *Si quis infidelium vocat vos ad cœnam, & vultis ire, omne quod apponitur vobis, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Et 1. Timo. 4 *Omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur.* Et Tim. 1. *Omnia munda mundis.* Item probatum est superius omnia creata fuisse à Deo: nihil vero immundum à Deo creatum est: caro ergo animalium immunda non est: ergo non est abstinendum à carne propter carnis immunditiã. Præterea si non est vtendum carnib. talium animalium in cibum: ergo nec lana, nec pellibus eorum est vtendum in vestitum.

Psal. 105.

CAPVT X.

De errore ponente legem veterem datam à principe tenebrarum, & malam.

SEquitur de secundo errore qui ponit legem veterem esse datam à principe tenebrarum, & malam esse. Cui errori occasionem dedit legis grauitas. Visum est enim aliquibus non fuisse Deum benignũ qui tam graue opus populo imposuit. Ad quod dicendũ quod corda Iudæorum erecta erant per præsumptionem. Vnde dicebant. *Non deest qui impleat, sed deest qui iubeat.* Exod. 19. *Respondit vniuersus populus, simul cuncta quæ locutus est Dominus faciemus.* Eiusd. 24. habetur idem. Vnde humiliandi fuerunt graui onere legis, vt videntes insufficientiam suam, humiliati ad auxilium gratiæ curreret. *Dominus enim humilib. dat gratiam.* 1. Pet. vlt. Dedit etiã occasionem huic errori iustitia quæ fiebat in veteri lege: quam aliqui mentiuntur crudelitatem. Vnde dicunt non fuisse Deũ benignum, qui legem tam crudelem dedit. Ad quod dicendũ est quod cum principium sapientiæ sit timor Domini. Prou. 1. perfectio vero sapientiæ sit amor Dei, secundum illud Eccl. 1. *Dilectio honorabilis sapientia.* Prima lex debuit sapientiam inchoare, timorem Dei per iustitiam incutiendo. Secunda lex debuit sapientiam perficere, ad amorem multis admonitionibus & promissionib. & beneficiorum exhibitionibus incitando. Vnde iustitia in veteri lege debuit abundare: iustitia vero non est crudelitas, sed bonitas: vt in tractatu iustitiæ ostendetur. In illa vero iustitia latebat misericordia. Qui enim corrigebantur pœna temporali, euadebãt æternam. Incorrigibiles vero amittebant potentiam Deum offendendi, & pœnam suam in futuro augendi: vnde misericorditer cum eis agebatur. Si.n. diutius viuerent, diutius peccarent, & in futuro grauius punirentur. In hoc etiam quod trans-

greſſores legis Moyſi ita grauiter puniebantur, nobis miſericorditer oſtendebatur, quam grauiter punientur tranſgreſſores legis datæ per filium Dei. Hebræ. 10. *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione, duobus vel tribus teſtib. moritur: quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia qui filium Dei conculcauerit?* Item dedit occaſionem huic errori illud Apoſtoli Rom. 5. *Lex ſubintrauit vt abundaret delictum.* Et illud eiuſd. 7. *Nunc ſoluti ſumus à lege mortis.* Et vocatur ab Apoſtolo lex vetus, lex mortis. Vnde viſum eſt ab aliquibus quod mala fuerit. Et dicendum eſt ad ſecundum quod lex illa mortis fuit ſuis tranſgreſſoribus: ſed lex vitæ fuit ſuis obſeruatoribus. Lex vitæ fuit intentione dantis: ſed lex mortis fuit vitio tranſgrediẽtis. Vnde ſubdit ibi Apoſtolus: *Quid ergo dicemus: Lex peccatum eſt? Abſit.* Et paulo poſt ſubdit: *Inuentum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam*: intellige ex intentione dantis, hoc eſſe ad mortem. Apoſtoli aliis erant odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam. 2. Cor. 1. *non tamen erant mali.* Occaſio fuit prohibitio legis multitudinis peccatorum. Sicut enim dicit Gloſſ. ſuper illud ad Roman. 7. *Occaſione accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Talis eſt noſtra carnalitas, vt ardẽtius deſideret prohibita: quibus non memoratis, iaceret quaſi ſopita. Item Gloſſ. Frenatus eſt concupiſcentiæ fluuius oppoſitis obicibus legis, ſed non ſiccatus: imo quia de ſe nõ de gratia homo præſumpſit, aucta eſt concupiſcentia oppoſita lege, & quæ prius eum ducebat obice nullo, obruit eum opice obrupto. Triplici ratione peccata abundauerunt lege data, in his in quibus non erat gratia. Primo, quia, ſicut dicit Ambroſius, diabolus videns legem in auxiliũ hominibus datam, magis exarſit iracundia aduerſus hominem, & magis inſtituit legem vertere in perniciem, cum primo quaſi ſecure poſſidens minus tentare. Gregorius: Illos negligit pulſare quos quieto

Lege data peccatum abundare cenſet.

ſe poſſidere ſentit. Secundo, quia homo naturaliter appetit libertatem, & fugit ſeruitutem. Et iuxta verbum Senecæ. Natura contumax eſt animus humanus, & in contrarium atque arduum nitens. Natura ſemper aduerſatur ſibi aduerſanti. *Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata.* Prouerb. 9. Aquæ furtiuæ dulciores ſunt. Hieronym. Quidquid non licet, magis deſideratur: & quod raritate dulce eſt, aſſiduitate in amaritudinem vertitur. Et ſuper illud Roman. 9. *Peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me*, dicit gloſſ. Ex prohibitione vbi charitas deficit, deſiderium mali creſcit, quo aucto dulcius ſit quod prohibetur. Tertio, quia prohibitio erat occaſio frequentis recordationis rei prohabitæ. Recordatio vero irritatiua eſt concupiſcentiæ. Illud autem verbum: Lex ſubintrauit vt abundaret delictum: intelligendum eſt cõſequutiue. Hoc enim cõſequutum eſt ex lege data quantum ad illos qui gratiam non habebant, & viribus ſuis confidebant, quod amplius peccauerunt: & hoc ipſum eis expediebat. Vnde gloſſ. Auguſtin. Non crudeliter hoc fecit Deus, ſed conſilio medicinæ. Aliquando enim homo videtur ſibi ſanus, & ægrotat: & quia non ſentit morbum, medicum non quærit. Augetur morbus, creſcit moleſtia, quæritur medicus, cuius & totum ſanatur corpus. Magnum ergo Dei conſilium fuit vt per legem abundaret delictũ, vt in auſteritate ſuam intelligentes infirmitatem, infirmi ad medicum confugerent, vt auxilium gratiæ quærerent. Sicut Deus creans diabolũ, malignitatis eius futuræ nõ ignarus, præuidebat quæ bona de malo eius eſſet facturus: vt dicit Auguſt. Sic dans legẽ veterem ad meritum cuſtodientium eam, non ignarus tranſgreſſionem quæ abundaturæ erant, præuidit quæ bona de malo tranſgredientium eſſet facturus. Item lex ſubintrauit vt abundaret delictum quantum ad cognitionem. Si enim lex nõ fuiſſet, peccatum lateret. Vnde Rom. 7. *Peccatum non cognoui niſi per legem.* Et ſicut ra-

dius solis non est malus, licet ostẽdat pulchritudinem nociuam quam aliquis appetit; & sicut scientia medicinæ non est mala quæ ostẽdit venenũ esse mortiferum, quãuis eo aliquis abutatur ad mortẽ suam vel alterius: sic lex non est mala, licet sit occasio mali. Item occasionẽ dedit huic errori veteris legis cessatio. Visũ est enim aliquibus, quod si bona fuisset, nõ cessasset. Præterea modo peccaret qui seruaret eã: ergo tũc peccabant qui eam seruabãt. Ad quod dicẽdum est quod vetus lex cessare debuit quantum ad illa quæ erãt figuratiua futurorum, sicut vmbra lumine veritatis adueniente, & sicut promissiones solutione facta. Nec cessauit lex tanquam mala, sed cessit meliori quantũ ad prædicta moralia: tamen quæ erant de iure naturali manserunt. Item occasionem dare potuit prædicto errori quod Deus dator illius legis apparuit in flãma rubi. Exod. 3. *Et rapuit Heliam in curru igneo.* 4. Reg. 4. Vnde visum est aliquibus quod non fuerit benignus Deus, qui sic apparuit, & ministrũ suũ sic rapuit. Ad quod dicendum, speciem ignis idoneã esse, vt Deus in illa appareat, vel in illa significetur. Vnde Spiritus sãctus super discipulos in specie ignis apparuit. Act. 2. Et de ipso dicitur ad Heb. 12. *Deus noster ignis consumens est.* Peccata enim consumit & purgat. Et Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram,* &c. Et Ioan. 1. *Ipse baptizabit vos in Spiritu S. & igne.* Non est ergo mirandũ si in flãma rubi apparuit. Nunc multis auctoritatibus Noui Testamenti ostendemus legem veterẽ esse bonam & datam à Deo. Legitur Matth. 5. *Nolite putare quoniam veni soluere legem aut prophetas: non veni soluere legem, sed adimplere.* Si data fuisset à principe tenebrarũ, non impleuisset eã. Et ibidem: *Amen dico vobis, donec transeat cœlum & terra, iota vnũ aut vnus apex non præteribit de lege donec omnia fiant.* Et eiusd. 7. *Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & prophetæ.* Ergo lex & prophetæ bona sunt, sicut illud mandatũ bonũ est. Eiusd.

Lex vetus bona.

22. dicitur de mandato dilectionis Dei: *In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ:* ergo lex & prophetæ bona sũt, cum sint ad dilectionẽ Dei & proximi. Et Luc. 10. *In lege quid scriptum est? At ille respondens dixit: Diliges Dominũ Deum tuum,* &c. *& proximũ tuum sicut teipsum: Dixitq; illi: Recte respõdisti, hoc fac & viues.* Ergo præcepta legis obseruata vitam conferebant. Item Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, dixit illi: Quæ? Iesus autem dixit: Non homicidium facies, Non adulterabis, Non facies furtum, Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum & matrem tuam.* Quæ constat mandata esse veteris legis. Exod. 20. Ergo mandata veteris legis vitam conferebant æternam. Item Matth. 7. *Bene irritum fecistis mandatum Dei vt traditionem vestram seruetis.* Moyses enim dixit: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Ibi mãdatum Moysi, Dei mandatum dicitur. Item Luc. 2. *Vt sisterent eum Domino, sicut scriptũ est in lege Domini.* Lex Domini vocatur lex vetus. Et eiusdem 16. *Habent Moysen & Prophetas, audiãt illos.* Item Luc. vlt. *O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ.* Et paulo post: *Incipiens à Moyse & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erãt.* Et iterum: *Necesse est impleri omnia quæ dicta sunt in lege Moysi, & prophetis, & psalmis de me.* Et Ioan. 5. *Scrutamini scripturas: quia vos putatis in illis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et eiusd. 8. *Est pater meus qui glorificat me quem vos dicitis, quia Deus vester est.* Et Rom. 1. *Quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sãctis de filio suo.* Et eiusd. 7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctũ, & iustum, & bonum.* Et in eod. *Scimus quia lex spiritualis est.* Ad Galat. 3. *Lex pædagogus noster fuit in Christo.* 1. Thess. 5. *Prophetias nolite spernere.* Et 1. Timoth. 1. *Scimus quia bona est lex si quis ea legitime vtatur.* Et ad Heb. 1. *Multifariam multisq; modis olim loquens Deus in prophetis: nouissime*

diebus istis loquutus est nobis in filio. Actor. 1. *Oportet impleri scripturam quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid.* Eiusd. cap. 2. dicitur de eo: *Quum esset propheta, &c.* Prouidens loquutus est de Resurrectione Christi. Et eiusd. cap. 3. *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus Patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum:* Ergo Iesus fuit filius Dei veteris legis: ergo lex vetus non fuit à principe tenebrarum. Item Act. 3. *Vos estis filij prophetarum & testamenti quod disposuit Deus ad Patres nostros:* ergo testamentum veteris legis erat à Deo ordinatum. Item eiusd. cap. 10. *Verbum misit Deus filiis Israel annuntians pacem per Iesum Christum: hic est omnium Dominus.* Et paulo post subditur: *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent.* Et 2. Pet. 1. *Habetis firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ ardenti in caligniosо loco.* Ergo quam propheticus sermo lucerna sit, non est à principe tenebrarum. Item in eodem: *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines.*

Capvt XI.

De errore illo qui damnat patres Veteris Testamenti.

Error ille qui ponit quod patres Veteris Testamenti mali fuerunt & sunt damnati, sequitur. Cui errori occasionem dedit quod leguntur aliquando peccasse. Sed si ideo damnati creduntur, eadem ratione credendũ erit quod Petrus & Paulus damnati sint, qui quandoque peccauerũt. Item occasionẽ dedit huic errori, quod leguntur in infernum descẽdisse. Genes. 17. *Descendam ad filium meum lugens in infernum, ait Iacob.* Et Esa. 38. dixit Ezechias: *in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Ad quod dicendum quod ob peccatum primorum parẽtum ianua regni clausa fuit toti generi humano. Quod figuratum est in hoc quod flammeus gladius positus est ante paradisum. Gen. 3. quasi prohibens ingressum. Descendebant ergo antiqui patres in oram inferni, vbi manebant felici spe consolati, sed non descendebant in inferni profundum vbi nulla est redemptio. Nec habebant pœnam materialem, sed solum carebant visione Dei. Ad quem locum Christus descendit, & inde suos liberauit, vt legitur Act. 2. *Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni: iuxta quod erat impossibile teneri illum ab eo.* Et in eod. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, &c.* Potest autem probari testimoniis Noui Testamenti antiquos patres bonos fuisse & saluatos. Matth. 8. *Multi ab oriente & occidente venient & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum.* Ergo Abraham, Isaac, & Iacob ingressi erãt vel ingressuri regnum cœlorum. Item Domino trãsfigurato apparuerũt Moyses & Helias loquentes cum eo Matth. 17. si damnati fuissent, constat quod in transfiguratione Domini non apparuissent, ad quam tres tantum Apostolos sibi familiarissimos admisit. Item eiusd. 23. *Ecce mitto ad vos prophetas.* Et eiusd. 22. dicitur de Christo, *Quomodo Dauid in spiritu vocat eũ Dominum, dicens: Dixit Dominus, &c.* Et Luc. 16. *Lazarus mortuus ab angelis deportatus est in sinum Abrahæ:* ergo Abraham non erat damnatus. Et paulo post. *Vidit à longe Abraham & Lazarum in sinu eius.* Item commẽdantur patres veteris Testamenti. Heb. 11. & de Moyse dicitur specialiter Heb. 3. *Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius.* Moysen fuisse nuntium Dei, & legem datam esse Deo inspirante, ostenderunt miracula facta per Moysen. Et notandum quod lex illa valde sapienter tradita fuit. Primo ostenduntur omnia creata à Deo esse. Secundo ostenditur iustitia Dei in pœna pro peccato primorum parentum inflicta, & in diluuio, & in subuersione Sodomorũ, & flagellatione Ægyptiorũ. Tertio interseritur obediẽtia patrũ & beneficia Dei eis exhibita. Per primum apparet creaturas nihil numinis habere: &

Antiquos fuisse sanctos patres probatur.

Lex vetus sapienter tradita.

ſic nullus locus idololatriæ relinquitur: Per ſecundum terretur populus à legis tráſgreſſione. Per tertium allicitur ad eius impletionem. Conſequenter vero datur lex in terrore. Sine timore enim magno non poterat populus ſeparari ab erroribus inueteratis.

Inter hæc vero quæ in lege præcepta ſunt, quædam manifeſte pertinent ad honorem Dei & vtilitatem proximi: quędam vero ſigna ſunt futurorum, quædam vero quæ videntur eſſe ſine ratione. Præcepta ſunt propter idololatriam, cui abolendæ magna pars legis intendit. Multa enim præcepit Deus ſibi offerri, ne idolis offerrentur. De Abraham dicitur Ioan. 8. *Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum: vidit & gauiſus eſt.* Iacob. vltim. commendantur prophetæ. *Exemplum* (inquit) *accipite laboris & patientiæ,* prophetarum, qui loquuti ſunt in nomine Domini. Et Iacob. 2. commendatur multum Abraham. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt.* Et in eodem. *Abraham pater veſter nonne ex operibus iuſtificatus eſt?* Commendatur etiam Galat. 3. Et 1. Petri 3. commendatur Sara: *Sic,* inquit, *ſanctæ mulieres ſperantes in Deo, non in ornatu veſtium ornabant ſe ſubiectæ propriis viris: ſicut Sara obediebat Abrahæ.* Et Loth commendatur 2. Pet. 2. Et iuſtum Loth oppreſſum à nefandorum iniuria eripuit, &c. habitans apud eos qui de die in diem animam iuſtam iniquis operibus cruciabant. Patet ergo, quod boni fuerunt antiqui patres & ſaluati.

CAPVT XII.

De quarto errore qui ponit animas non de nouo creari: qui diuerſificatur in quatuor oppoſitos errores.

SEquitur de quarto errore, qui ponit animas de nouo nō creari, quæ corporibus infunduntur. Qui error diuerſificatur in quatuor oppoſitos errores. Primus ponit in corporibus non eſſe animas niſi angelos apoſtatas, ſeu dæmones qui in eis includuntur vt agant ibi pœnitentiam, & ſucceſſiue poſſunt eſſe in diuerſis corporibus: vt ſi pœnitentiam non agunt in vno corpore, agant illam in alio. Secundus ponit duas animas eſſe in corporibus. De quo errore loquitur Auguſt. in lib. de duabus animabus. Tertius ponit animas creatas ſimul fuiſſe. Quartus ponit animas ſicut corpora ſeminari. Licet autem hi quatuor errores diuerſi ſint, tamen in hoc conueniūt quod veritati fidei Catholicę contradicūt, quæ aſſerit animas creari, & creando corporibus infundi, & infundendo creari. Quam veritatem confirmat illud Pſalm. *Qui finxit ſigillatim corda eorum.* Gloſſ. id eſt, creauit animas ſingulas per ſe ex nihilo. Aug. in eccleſiaſticis dogmatibus. Credendum eſt & firmiter tenendum, quod animæ non ſunt ab initio creatæ, vt Origenes fingit: nec cum corporibus ſeminātur, vt Luciferiani, & Cyrillus, & quidam Latinorum affirmant: ſed dicimus animam infundi & creari ſimul in corpore compacto & formato, vt viuat in vtero homo.

CAPVT XIII.

De errore primo qui ponit animas eſſe angelos apoſtatas.

ILli qui ſunt primi erroris, aliqua verba S. Scripturæ adducunt ad confirmationem ipſius, impertinētia tamen ad propoſitum ſi vere intelligantur. Legitur Matt. 10. *Ite ad oues quæ perierunt domus Iſraël:* Oues illas intelligūt angelos apoſtatas ad quos ſolos ſaluandos miſſus eſt filius Dei, vt aiunt, ſecundum illud Matt. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël.* Sed ſi inſpiciātur quæ præcedunt, apparet ridiculoſam eſſe hāc expoſitionem. Chriſtus enim miſſurus Apoſtolos ante paſſionem ſuam prohibuit eis ne irent ad gētes vel Samaritanos, ne Iudæi haberent occaſionem repellendi eum: ideo dixit eis, *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates*

tes Samaritanorum ne intraueritis, sed potius ite ad oues, &c. Vnde patet oues istas de quibus loquitur esse Iudæos. Si enim intelligerentur secundum expositionem eorum, oues quæ perierunt, id est, dæmones, vel spiritus qui de cœlo ceciderunt, essent in gentibus & Samaritanis sicut & in Iudæis: vnde non fuissent prohibendi Apostoli à prædicatione eorũ. Item legitur Luc. 16. de villico iniquitatis, qui amotus est à villicatione sua, quod ipsi exponunt de diabolo, quem dicunt fuisse præpositum aliis angelis, & prudẽter gratiam illorum acquisiuisse de seruitio Deo debito relaxando eis: sed propter peccatum suum fuisse amotum, & Michaëlem pro eo fuisse substitutum, & eum cũ complicibus suis de cœlo fuisse eiectum, & corpora fabricasse, quæ secundum eos, inhabitant spiritus qui de cœlo ceciderunt. Sed quod sequitur in fine illius parabolæ, non concordat expositioni eorum: scil. quod Dominus laudauit villicum iniquitatis: absit enim quod Deus diabolum laudauerit. Item legitur Ioan. 4. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.* Ex quo ipsi inferũt solos spiritus, qui de cœlo descenderũt saluandos. Sed patet quod nulla est expositio eorum, per id quod sequitur verbũ prædictũ, *Filius hominis qui est in cœlo.* Cõstat enim quod Christus seu vocat filium hominis. Matth. 8. *Filius hominis non habet vbi caput suũ reclinet.* Et 24. eius. *Estote parati, quia qua hora nõ putatis, filius hominis venturus est.* Vnde impertinens est illud verbum ad angelos Apostatas, sed tẽpore quo Christus dicebat verbũ illud, quum nondũ esset ianua regni aperta per passionem ipsius, nullus adhuc purus homo ascẽderat in cœlum vel ascẽdere poterat, nisi solus filius hominis qui de cœlo descẽderat in carne assumpta visibilis hominibus apparendo, qui erat in cœlo patri æqualis inquantũ Deus, ascẽdere poterat in cœlũ in humanitate: & iam ascenderat: id est, à Deo alius erat secundũ diuinitatem, vt pater. Solus etiam Christus erat ascensurus in cœlum, scilicet caput cũ membris. Rationes quibus innitatur error ipse, non ponimus: quia vel non sunt, vel nullius probabilitatis sunt. Error vero iste tria ponit: quorum falsitas de facili potest ostendi. Ponit enim dæmones esse saluandos, ponit animas non esse, & ponit dæmones esse incarceratos in corporibus humanis. Primum vero multis auctoritatibus potest destrui. Legitur Matth. 3. *Paleas comburet igni inextinguibili*: ergo pœna malorum erit æterna: sed dæmones maxime sunt puniendi: ergo pœna eorum erit æterna. Ad idem possunt adduci testimonia sacræ Scripturæ quæ sequuntur. Matt. 25. *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Et in eodem: *Hi ibunt in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.* Et 2. Thessal. 1. dicitur de non obedientibus Euangelio Christi. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas.* Et in Canonica Iudæ. *Quibus procella tenebrarũ conseruata est in æternum.* Et in eadem: *Angelos qui non seruauerunt suum principatum: sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni Dei, vinculis æternis sub caligine reseruauit:* Ergo vincula dæmonũ æterna sunt, & ipsi reseruantur in iudicio magni Dei puniendi. Vincula æterna ista sunt, obstinatio eorum, & sentẽtiæ diuinæ inflexibilitas. Item 2. Pet. 2. *Si Deus angelis peccantib. non pepercit, sed rudentib. inferni detractos in tartarũ tradidit in iudicium cruciendos reseruari.* Secundum Gloss. rudentes sunt funes quibus nautæ vela suspendunt. hic vero dicitur rudentes immundorũ spirituum conamina, qui mox vt flãte superbia impulsi sunt aduersus creatorem erexerunt, ipsis elationis conatibus in abyssi profundum sunt rapti. Ad ostendendam vero falsitatem illius erroris qui ponit animas non esse: sufficiunt verba Euangelii, & aliarum scripturarum Noui Testamenti, quæ in tot locis contrariũ exprimũt, quorum aliqua ponemus. Legitur Matt. 6. *Nonne anima vestra plus est quã esca, & corpus plus quam vestimentum?* Et eiusd, Animas esse probat.

10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, &c.* Et eiusd. 11. *Inuenietis requiem animabus vestris.* Item 16. *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur: animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Item 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* Et 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Item Ioan. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Et Iacob. 5. *Qui conuerti fecerit peccatorem, ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte.* Et 1. Pet. 1. *Animas vestras castificantes in obedientia charitatis.* Eiusdem 4. *Fideli creatori commendent animas suas.* Et Apocalyps. 7. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.* Error vero tertius valde odibilis est Deo & hominibus, quantum ad hoc quod ponit dæmones esse in hominibus: Deo: ideo quia cõtumeliam magnam ei facit, cum vituperat hominem nobilissimam eius creaturam quam creauit ad imaginem & similitudinem suam. Genes. 1 Et eiusd. 9. Ecclesiast. 17. Et 1 Corinth. 11. dicitur. *Vir imago & gloria Domini est.* Homini: quia magnam contumeliam facit ei, quum dicit eum dæmonium habere. Hoc reputauit sibi Christus contumeliosum, Ioan. 8. quum diceretur ei à Iudæis. *Samaritanus es tu, & dæmonium habes:* vnde subdit: *Ego dæmonium non habeo: sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me.* Imo quod plus est, qui sunt huiusmodi erroris homines reputant dæmones incarceratos, quum ipsi diaboli potius reputandi sint, imitando eos in obstinatione. Ioan. 6. *Ego duodecim vos elegi: & vnus ex vobis diabolus est.* Secundum errorem istum, vt videtur, Dominus potius debuit dicere: & omnes dæmones estis, quam, vnus ex vobis diabolus est. Quod autem falsum sit quod ipsi ponũt, patet ex hoc quod legitur Roman. 9. de Esau & Iacob. quum nondum nati essent, aut aliquid egissent boni aut mali: ostendit ibi Apostolus, vt patet ex his quę præcedunt & sequuntur, quod Esau & Iacob ante natiuitatem suam nihil boni, vel mali egerint, propter quod vnus eorum à Deo diligeretur, & alter odiretur. Non erãt ergo angeli apostatæ in eis qui inclusi essent ad pœnitẽtiam agendam ibi de peccatis quæ fecissent antequam includerentur. Item si angelus malus est in malo homine: ergo bonus angelus est in bono: ergo in Christo fuit angelus bonus: ergo nõ est verum quod legitur ad Heb. 2. de filio Dei, quod nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehẽdit: non assumpsit ergo angelicam naturam. Si vero dicatur quod in Christo non fuit nisi spiritus diuinus, hoc non potest dici, cum scriptũ sit. Ioan. 12. *Nũc anima mea turbata est.* Et Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Turbatio enim vel tristitia non cadit in Deum. Item verbum illud Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus, &c.* non videtur esse verbum volentis punire vel incarcerare eum qui crimen commisisset, sed potius volẽtis facere quod nondum erat, & volentis eum honorare cum iam factus esset. Item si spiritus hominis fuisset antequam infunderetur corpori & creatorem suum offendisset, hoc fecisset sciens & volẽs. Peccatum enim non posset esse sine voluntate. Omnis mens apud se conscriptum legit, vt ait Augustinus. Et si hoc fuisset, nullus alius melius sciret quã ipse spiritus. 1. Corinth. 2. *Quis scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* Et in lib. de anima & spiritu: Nihil tam nouit mens, vel anima, quam id quod sibi præsto est: nec menti vel animæ quidquam magis præsto est, quam ipsa sibi: ergo nihil tam nouit quam se. Si vero dicatur quod spiritus obliuiscitur cũ corpori infunditur quæ prius sciebat, ridiculum est quod Deus spiritum includat corpori ad agendam pœnitentiam ibi, cum sciat ipsum obliuisci quam cito erit ibi, malum quod fecit. Quomodo enim potest agere pœnitentiam de malo quod

ignorat? Initium salutis cognitio est peccati, vt ait Seneca. Ergo qui peccatum ignorat, viam salutis etiam inchoare non potest. Item dixit Plato animas introeuntes in hanc vitam potari ab eo spiritu qui est super introitum poculo obliuionis, antequam intrent corpora, nullam huius rei ostentationem faciens: vt ait beatus in libr. contra hæreses. Et quærit à Platone, vnde hoc sciret. Si enim anima eius potata erat poculo obliuionis, non reminiscebatur nec spiritus, nec populi, nec quod aliquid sciuisset, nec oblitus fuisset: & si ista reminiscebatur, eadem ratione & alia. Item Irenæus: Si hoc quod in breuissimo tempore visum est, vel in fantasmate conceptum est, & ab anima sola per somnium postea quam commista sit corpori, & inde vniuersa membra dispersa commemoraret: multo magis ipsorum reminisceretur in quibus temporibus tantis & vniuerso præteritæ vitæ seculto immorata est. Itē dixerunt quidam ipsum corpus esse obliuionis causam. Sed quærit Irenæus. Si hoc est, quomodo anima quod per semetipsam videt reminiscitur, & renūtiat proximo? Item nec ea quæ olim agnita sunt, aut per oculos, aut per auditum meminisset anima in corpore existens si esset corpus obliuionis causa. Anima enim in obliuione existēs nihil aliud cognoscere posset, nisi quod in præsenti videret. Item quomodo diuina disceret, & meminisset ipsorū existens in corpore? Itē quum non sit corpus fortius quam anima, non amitteret anima scientiā suam propter corpus. Pręterea nō est verisimile, quum corpus organum sit animę, quod scientiā suam ei auferat. Non solet enim instrumentum scientiam suam auferre artifici. Iam enim potius esset impedimentum quam instrumentum. Præterea raptus est Paulus vsque ad tertium cœlum. 2. Cor. 12. & tamen rediens ad se memor fuit visionis suæ: quod non fuisset si corpora necessario obliuionē induceret. Item si corpus obliuionem inducit, potius inducere debet obliuionem eorum, quæ cognoscuntur viribus illis secundū quas anima vnitur corpori, quam eorum quæ intellectu agnoscuntur, secundum quæ nō vnitur anima corpori. Præterea aut spiritus apostata potestatem habet viuificandi corpus, aut non. Et videtur quod nō, secūdum ea quæ ponit error iste: ponit enim quod cum diabolus duo homini corpora fabricasset, non potuit per triginta annos vitalem spiritū illis corporibus infundere: sed accedēs ad misericordiā Altissimi duos angelos ab ipso quæsiuit. Præterea si spiritus malus potest corpus viuificare, aut potestas illa est volūtaria aut naturalis. Non videtur esse volūtaria, vt sc. voluntate sua corpora viuificet: hoc enim solius Dei est. Ioan. 5. *Sicut pater suscitat mortuos, & viuificat: sic & filius quos vult, viuificat.* Si vero naturalis nō videtur hic aliter facere quā forma, & perfectio ipsius corporis. Et hoc etiam dicit Philosophus, quod anima est actus prim⁹ siue perfectio primi physici seu naturalis corporis organici potentia vitā habētis. Si vero est spiritus qui est in corpore, corporis est perfectio: incōueniēs est dicere quod spiritus ille tēpore sit prior, quam ipsum corpus: perfectio enim rei non potest esse prior tēpore quam eius inchoatio: nec forma prior est tēpore, quā eius materia, quū forma sit actus, materia sit potētia: actus enim nō potest præcedere potentiā suam. Imago quæ ceræ imprimitur nō potest prior esse tempore, quàm possibilitas ipsius ceræ ad receptionem ipsius imaginis. Præterea vbi Scriptura sacra dicit diabolum intrasse in hominem, constat quod ipse erat prius homo viuens, sentiens, intelligens: vt patet in Iuda. Ioan. 13. Vbi legitur, quod post bucellam introiuit in eum Sathanas. Et Matth. 12. *Intrantes habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus*: loquitur de dæmonibus. Vnde constat quod ante ingressum erat homo. Item cū expellebantur dæmonia ab hominibus, cōstat quod remanebāt homines viuentes, sentientes, intelligētes. Luc. 11. *Erat Iesus eyciens dæmonium, & il-*

lud erat mutum: & quum eiecisset dæmonium, loquutus est mutus. Ergo aliquid erat in eo præter dæmonium quo viuebat, sentiebat, discernebat. Hoc autem animam vocamus, quod sc. est in homine principium viuendi, sentiendi, & discernendi. Item vbi Euangelium loquitur de dæmonibus qui erãt in hominibus: non dicit eos in hominibus puniri, sed potius eos homines punire: nec eos vexari, sed potius vexare. Matth. 15. *Filia mea male à dæmonio vexatur.* Et Luc 6. *Qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur.* Dæmones vero expulsionem ab hominibus cruciatum reputabãt, & non inhabitationem hominũ. Vnde dicunt Christo expellenti eos. Mat. 8. *Fili Dei cur venisti ante tempus torquere nos?* Vnde ergo habent quod angeli apostatæ inclusi sint in corporibus humanis vt agant ibi pœnitentiam? Item error iste destruit resurrectionem corporũ. Si enim corpora solummodo carceres sũt spirituũ saluandorum, non est verisimile quod spiritus illi corpora sua debeãt resumere cum beati efficientur, incarceratio enim & glorificatio non videtur simul debere esse. Itẽ natura non appetit quod sibi contrarium est: ergo si corpus à prima institutione pœna est spiritus inhabitantis, nõ habebit spiritus naturalem appetitum ad corpus: ergo separatio eorũ non faciet naturaliter dolorem in morte. Item omne quod contra naturam per violentiam detinetur, naturaliter appetit liberari: ergo si spiritus illi violẽter detinentur in corporibus, naturaliter appetent liberari: ergo homines in quibus sunt naturaliter appetunt mori, ergo appetitus mortis naturalis est homini, quod constat esse falsum. Item natura non agit contra se: ergo si corpus à prima conditione sui pœna est spiritus inhabitantis: spiritus non erit eius naturalis perfectio. Item constat quod Deus non dedit spiritibus potentias quæ essent otiosæ, si ipsi debito modo se haberent: sed potentiæ viuificandi & sentiendi otiosæ essent in eis si ipsi debito modo se haberẽt, quia non includerentur corporibus: extra corpus vero otiosæ sunt: ergo illæ potentiæ non sunt datæ spiritibus qui peccauerunt à creatione. Si vero post datæ sunt, quum hæ virtutes specie differant ab intellectu qui est in spiritibus qui sũt substantiæ separatæ: spiritus quorum sunt hæ virtutes specie differũt ab aliis spiritibus. Item aut boni angeli habent illas potentias, aut non habent. Si habẽt eas, otiose habent, quum secundum eas non vniantur corporibus sine quibus exercere nõ possunt operationes talium potentiarũ. Si vero non habent eas: ergo specie differunt ab illis spiritibus qui vniuntur corporibus, quum non habeant potentias illas quas ipsi habent quę sunt specie differentes à potentiis eorum: & quum angeli boni sint substantiæ perfectæ, non natæ fieri partes essentiales alicuius totius, spiritus vero qui vniũtur corporibus, nati sunt esse partes essentiales ipsius hominis. Si vero dicatur omnes angelos cecidisse de cœlo & malos esse in corporibus inclusos, vt quidam hæretici dixerunt, hoc non est verisimile. Quũ enim Deus spiritus sit, oportet aliquos ministros eius esse spirituales. Greg. Dubitare non debes inuisibilem Deum inuisibilia obsequia habere: debent quippe ea quæ ministrant ad similitudinem eius tendere cui ministrant. Scriptura etiam Euangelij manifeste obuiat huic errori, quæ distinguit inter angelos Domini & angelos diaboli. De angelo Domini habes Matth. 1. *Angelus Domini apparuit Ioseph.* Simile habes Matth. 2. Et eiusdem 4. habes, quod, *accesserunt angeli, & ministrabant ei.* Et 18. *Angeli eorum semper vident faciem patris mei qui in cœlis est:* quod de malis angelis intelligi non potest. Et eiusd. 22. *Sunt sicut angeli Dei in cælo.* Et 28. eiusd. *Angelus Domini descendit de cœlo.* Et Luc 1. Dicit Gabriel: *Ego sũ Gabriel qui asto ante Deũ.* Constat ergo quod sũt aliqui angeli Dei. Et patet quod sũt diuersi ab angelis diaboli, de quibus Mat. 25. *Qui parat⁹ est diabolo & angelis eius. Nemo enim potest duobus dominis*

seruire. Matth. 6. Maxime Deo & diabolo, qui contrarij sunt. Præterea legitur Apoc. 12. quod, *draco traxit tertiam partem stellarum,* stellæ vocantur angeli, quorum tertiam partem traxit diabolus: quia aliqui peccato eius consenserunt, & non omnes. Item aut spiritus qui sunt in corporibus humanis vnum faciunt cum corporibus, aut non. Si non, ergo non faciunt aliquid vnum. Vnum enim & aliquid sunt conuertibilia: ergo homo non est aliqua species creaturæ. Si vero vnum faciunt: ergo aliquo genere vnionis: ergo vel vnum continuatione, sicut partes carnis vnum faciunt: aut contiguatione, sicut os & caro, vnum faciunt: aut vnum per cōmistionem: sicut ex diuersis elementis fit vnum elementum, aut vnum per impressionem, sicut figura & cera vnum faciunt: aut vnum secundum exigentiam naturalem, sicuti materia & forma vnum faciunt compositum. Exigit enim materia formam vt suam perfectionem, & forma materiam vt suum perfectibile: aut vnum quantum ad operationem, sicuti artifex & instrumentum vnam habent operationem. Primo modo non: vnum enim continuatione non sunt, nisi ea quæ habent dimensionem longitudinis, & latitudinis, & spissitudinis. Vnde cum spiritus simplex sit, ex eo & corpore non fiet vnum per continuationem. Eodem modo neque vnum per contiguationem. Contiguatio enim similiter non est nisi eorum quæ habent dimensionem, Item neque per cōmistionem: quia quæ vtuntur sic desinunt esse actu, licet maneant virtute: vt elementa in elemento. Spiritus vero & corpus in homine manent actu. Item nec per impressionem: quia forma impressa non subsistit sine eo cui imprimitur, anima vero destructo corpore subsistit. Item si secundum exigentiam naturalem, vt spiritus sit vt forma, corpus vero vt materia, forma & materia immediata quæ vocatur necessitas simul sunt tempore, & neutrum tempore præcessit reliquum. Vnde secundum hoc spiritus tempore non præcesserunt corpora in quibus sunt inclusi: materia vero quæ non est immediata præcedere potest formam. Cum enim non sit perfecte aptata, aptari oportet eam antequam adueniat forma eius perfectiua, sed forma quæ est perfectiua quam cito est, perfecta est. Et cum sit melior & nobilior quam materia, non decet eam esse otiosam propter defectum materiæ: vt scilicet primo existens materiam vel instrumentum expectet otiosa. Si enim sapientia humana non vult artificem otiosum esse propter defectum materiæ vel instrumenti, quanto magis sapientia diuina hoc non permittet? Si quis tamen obiiciat animas erutas à corpore otiosas esse quantum ad viuificationem & sensum propter instrumenti defectum. Dicendum est quod culpa earum occasio fuit huius defectus, sed non fuit hoc secundum primam ordinationem creatoris: imo si nunquam peccassent, nunquam defectum organi paterentur. Item neque vnum quantum ad operationem. Ex his enim quæ sic vniuntur, nunquam fit vnum aliquid secundum substantiam, vt ex nauta & naui non fit aliquod tertium, ex anima vero & corpore fit vnum secundum substantiam, scilicet homo. Item bonitas Dei cuncta fecit propter creaturæ vtilitatem, non propter suam, cum bonorum nostrorum non egeat: sed ea quæ pure corporalia sunt non videtur fecisse propter eorum vtilitatem, cum nullius boni perceptiua sint: ergo fecit ea propter creaturæ spiritualis vtilitatem. Sed non videtur quod propter vtilitatem illius creaturæ spiritualis quæ pure est spiritualis. Illa enim non videtur egere creatura corporali: ergo propter vtilitatem creaturæ, quæ est partim corporalis & partim spiritualis. Si ergo corporalia creata sunt secundum primam ordinationem creatoris, ergo creatura partim spiritualis & partim corporalis est secundum primam ordi-

nationem creatoris. Homo ergo factus fuisset, licet nullus Angelus corruisset. Itē sicut omnia sunt à Deo vt primo principio: ita omnia sunt ad Deum tanquam ad finem supremum. Quæ autem propinquiora sunt Deo similitudine, immediate ad eum ordinantur: vt creaturæ spirituales. Quæ autem magis distant ab eo similitudine: mediate ad Deum ordinantur, vt corporales creaturæ. Creaturæ vero pure corporales non videntur posse ordinari ad Deum per pure spirituales cum quibus habent disconuenientiam. Est igitur creatura partim spiritualis & partim corporalis: Homo scilicet per quem creaturæ corporales ad Deum ordinantur. Et hoc tripliciter. Vno modo, quia in homine est inuenire quasi naturam omnis creaturę: quia corporeum, vegetabile, sensibile, rationabile, vnde in eius beatificatione quasi natura omnis creaturæ beatificatur. Secundo, quia homo positus est quasi medius inter creatorem & creaturas corporales, secundum dignitatem Deo inferior, creaturis illis superior, & vt Deo ministret, & sibi ab illis ministretur. Tertio, quia cum homo ratione corporis quo similitudinem habet cum omnibus corporalibus creaturis capax sit bonitatis eorum, manifeste apparet quod ratione animæ qua Deo similis est, capax esse potest beatitudinis diuinæ. Vnde in lib. de Anima & spiritu: Fecit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, dans ei sensum & intellectum, vt per sensum lutum sibi sociatum viuificaret, & per intellectum regeret, vt per intellectum intus ingrederetur, & cōtemplaretur Dei sapientiam, & per sensum foris egrederetur & contemplaretur opera sapientiæ: intellectu intus illustrauit, sensu foris decorauit, vt in vtroque refectionem inueniret. Intus ad felicitatem, foris ad iucunditatem. Item in eodem: Si tam disparem naturam carnis & animæ ad vnam fœderationem atque amicitiam Deus coniungere potuit, nequaquam erit impossibile ei rationabilem spiritum qui vsque ad consortium terreni corporis humiliatus est cum eodem corpore glorificato, vt sit ei glorię quod fuit ei sarcinæ ad consortium beatorū spirituum qui in sua puritate perstiterunt exaltare. Itē in eodē: Plenum fuit miraculo quod tam diuersa & tā diuersa abinuicem, ad inuicem potuerūt coniungi: nec minus mirabile fuit, quod limo nostro Deus seipsum coniunxit, vt sibi inuicem vnirentur Deus & limus, tanta sublimitas & tanta vilitas: nihil enim Deo sublimius, & nihil limo vilius. Mirabilis fuit coniunctio prima, mirabilis & secunda, nec minus mirabilis erit & tertia, cum homo & Angelus, & Deus vnus erit spiritus.

Homo partim spiritualis, partim corporalis.

Capvt XIV.

De Errore qui ponit duas animas esse in corporibus.

Error ille qui ponit duas animas esse in corporibus humanis, sequitur: quarum vnam dicit partem Dei esse, alteram de gente tenebrarum, quam Deus non condidit, quæ mala est & propria carnis, & omnia bona hominis tribuit illi bonæ animæ, omnia vero mala illi malæ animæ. Bonam animam dicunt esse arborem bonam quæ non potest facere fructum malum: animam vero malam, malam arborem quæ non potest facere fructum bonum. Bonas vero missas esse ad reprimendam malitiam gentis tenebrarum. Hunc errorē destruit Aug. in lib. de duabus animabus: & in lib. contra Fortunatum quendam Manichæorum presbyterum. Et hæc sunt verba Augus. in lib. de duabus animabus. Quæro ergo ab eis: vtrum peccasse videretur, de cuius manu dormientis scripsisset alius aliquid flagitiosum? quod quis dubitet eos esse negaturos? Quæro etiam si aliquis valentior alterius vigilantis & scientis, sed omnino nolentis manu aliquid mali fecisset, vtrum vigilans & sciens, sed nolens, vllo peccati mo-

mine teneretur? Reſpōdebunt nihil iſtum omnino peccaſſe. Quid ſi dormiens ille iam ſciret quid alius de manu facturus eſſet,& de induſtria plus ne expergiſceretur à ſomno ſedaret: nunquid ei quidquam ſomnus ad innocentiam ſuffragaretur? Reſpondebunt quod non. Quid ſi alius vigilans & ſciens, volens ſuperatus eſt vt aliquem prætenta defenſione deciperet: quid ei vt peccato careat profuit impotētia,quamuis reſiſtere non valeret? Quibus conceſſis, colligo nuſquam niſi in voluntate eſſe peccatum. Et ſubdit Peccatum ſine voluntate eſſe non poſſe, omnis mens apud ſe conſcriptum legit. Voluntas vero, vt ipſe dicit ibidem, eſt animi motus cogente nullo ad aliquid vel non admittendum, vel adipiſcendum. Peccatum vero eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod iuſtitia vetat. Et ſubdit, has duas diffinitiones voluntatis & peccati recipiens, Manichæorum hæreſim cōdemnat. Nam illud malum genus animarum ſi antequam bonū miſceretur non habebat aliquam voluntatem,ſine peccato erat atque innocens. Quod ſi voluntas inerat, ergo volebat aliquid adipiſci vel non admittere. Illud autem aut bonum erat, aut bonum putabatur: ſed nihil tale in ſuo genere erat:ergo illud bonum quod extra erat appetebat: ergo bonam voluntatem habebat.Præterea opinionem boni habebat: ergo non erat ſumme malum. Et paulo poſt: Nūc illud genus videamus quod ita ipſi laudant vt ipſam Dei ſubſtantiam dicant eſſe. Et cum manifeſtum ſit non peccare animas in eo quod non ſunt tales quales eſſe non poſſunt: vnde iam conſtat animas alias non peccare: relinquitur vt non tribuantur peccata niſi bono generi animarum & ſubſtantiæ Dei. Præterea nunquam negauerunt, dari veniam peccatorum cum fuerit quiſquam ad Deum conuerſus. Negant etiam malū genus animarum bonum poſſe fieri & regnum Dei poſſidere. Reſtat igitur vt nō ſolum ipſas quas de ſubſtātia Dei perhibent; ſed ipſas ſolas peccare fateantur. Sed dicunt quod mali commiſtione coguntur:ſed ſi illa coguntur vt reſiſtere non poſſint, non peccant. Si poſſunt,& propria voluntate conſentiunt.Cur hoc malum in ſummo bono cogimur per eorum doctrinam inuenire? Summum bonum vocat animam quam dicunt eſſe de diuina ſubſtantia. Contra Fortunatum ſic deſtruit hūc errorem Auguſt. In primis, inquit, ſummum errorem puto Deum ex aliqua parte eſſe violabilem aut coinquinabilem, aut corruptibilem credere: & hoc veſtram hæreſim affirmare ſcio,ſed nō his verbis.Dicitis enim Deum omnipotentem cum videret quanta labes & vaſtitas immineret regnis ſuis niſi aliquid aduerſæ genti opponeret & ei reſiſteret,miſiſſe hāc virtutem, de cuius commiſtione cum malo & gente tenebrarum mundus ſit fabricatus. Hinc eſſe quod hinc animæ bonæ laborant, errant, corrumpuntur, vt neceſſarium haberent liberatorem qui eas ab errore purgaret, & à commiſtione ſolueret, & à ſeruitute liberaret. Sed nefas puto credere Deum omnipotentem aliquam aduerſam gentem timuiſſe aut neceſſitatem eſſe paſſum, vt nos in ærumnas præcipitaret. Item in eodē. Si enim poteſt aliquid nocere Deo, non eſt inuiolabilis. Si non poteſt aliquid ei nocere: quid ei erat factura gens tenebrarum contra quam dicitis bellum geſtum eſſe à Deo ante mundi conſtitutionem? Reſponde ad illud breuiſſimum. Si poterat ei nocere, non eſt inuiolabilis: ſi non poterat, crudeliter huc nos miſit vt nos iſta patiamur. Item in eodem: Quæro à te quomodo habeamus peccata ſi natura contraria nos cogit facere quod facimus? Qui enim cogitur aliquid neceſſitate facere, non peccat. Item quæro de indulgentia peccatorum cui detur: nobis aut genti tenebrarum? Si genti tenebrarum, regnabit & ipſa cum Deo. Si autem nobis, manifeſtum eſt quod voluntate peccauimus. Nihil enim mali fecit qui nihil ſua voluntate fecit. Idem in eodem:

Prudentum est æstimare & fidelium quæ sit fides purior & maiestate Dei dignior. Quæ ergo erit illa vbi asseritur vel virtus Dei, vel pars aliqua Dei, vel sermo Dei posse commutari, violari, corrumpi, ligari? An ea vbi dicitur & omnipotentem Deum & omnem ipsius naturam & substantiam, nulla parte posse vnquam corrumpi? Item qui inuoluntarie peccat, non peccat. Si quis enim cæteris membris ligaretur ab aliquo & manu eius falsum scriberetur sine eius propria voluntate: quæro si hunc hominem posset iudex falsitatis crimine condemnare? Quid ergo anima quæ Dei pars est, cum liberum arbitrium non habeat, mali fecit, vt adeo puniatur, aut pœnitentiam agat: aut veniam mereatur? Item si neque malum, neque peccatum nisi à natura contraria esse potest, pœnam ipsa sola potest mereri: non anima in qua non est peccatum, nec anima quæ non peccauit, iussa est pœnitere. Nonne stultum & plenum dementiæ est vt gens tenebrarum peccauerit vt me pœniteat de peccatis, qui possum dicere secundum fidem nostram, quid feci? quid commisi? qui cum tuis regnis vastitas immineret, necessitate oppressus sum, cui resistere non potui. Item iniqua fuit voluntas mittendi animam ad tantas miserias, cum Deo noceri non possit. An Deus summe misericors vt modum imponeret naturæ contrariæ, ideo nos immoderatos efficere voluit? Ad verba ista nesciuit Fortunatus quid dicturus esset. Vnde dixit Augustin. ei: Ego noui non te habere quid dicas, & me cum vos audirem in hac quæstione nunquam inuenisse quod dicerem, & tamen fuisse admonitum diuinitus illum vt errorem relinquerem. Error iste, quantum ad hoc quod ponit animas bonas esse de substantia Dei, facile potest destrui. Cum enim substantia diuina simplicissima sit, vt prius ostensum est, non habet partes: vnde si dat alicui substantiam suam, dat totum: ergo est Deus perfectus. Item ex simplicissimo secundum substantiam non possunt esse animæ, cum differant secundum substantiam. Hunc errorem destruit gl. Augustin. super illud Gen. 2. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Non sunt, inquit, audiendi qui putant animam partem esse Dei. Si enim hoc esset, nec a se, nec ab vllo decipi posset, nec ad malum faciendum vel patiendum compelli, nec in melius nec in deterius mutari. Idem in lib. 83. Quæstionum: Aliud est veritas, aliud anima: veritas enim falsitatem non habet, anima autem falsitatem habet: ergo non est veritas: nec de veritate licet sit à veritate. Item in lib. de Anima & spiritu: Anima non est pars Dei. Probat hoc mutabilitas quam incurrit. Deus enim immutabilis est: hæc sæpe mutata est pro culpa, quandoque damnata: pro pœna quoque fit misericordia, cum in Deo sit omnipotentia, & omnium sciētia, & summa bonitas: in eo non habet locum violentia propter omnipotentiam, neque ignorantia propter omnium scientiam, neque malitia propter bonitatem summam: ergo si anima est de diuina substantia, nec violentia, nec ignorantia, nec malitia in ea locum habebit. Præterea si esset de diuina substantia, non esset creatura. Nam creatura est de nihilo: esse vero de nihilo, & esse de Deo opposita sunt maxima disparatione. Item si animæ sunt de diuina substantia, quomodo differunt à filio Dei qui similiter est de diuina substantia? Item cum omne totum maius sit sua parte, si animæ partes sunt diuinæ substantiæ, cum animæ mittuntur ad corpora, diminuitur diuina substantia: ergo & diuina potentia. Potentia enim sequitur substantiam, aut est ipsa substantia: ergo Deus non remanet omnipotens. Item si diuina substantia habet partes, aut omnipotentia ita est totius vt etiam partium, aut ita totius quod non partium. Si primo modo: ergo animæ quæ sunt partes ipsius habent omnipotentiam. Si secundo modo, ergo non remanet omnipotentia in Deo tot partibus ei detractis quot sunt

animæ:

animæ : non enim remanet totum vbi tot partes detrahuntur. Item diuina substantia habet partes, aut omnes partes sunt eiusdem naturæ, aut non : si sunt eiusdem naturæ, & omnipotentia est vnius partis, erit etiam & omnium aliarum. Si vero diuersarum, qui illas diuersas naturas coniunxit, ille potius Deus erit. Item si animæ sunt partes diuinæ substantiæ, non habuerunt initium : ergo non sunt factæ, cuius contrarium dicitur Luc. 11. *Quod intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate*, & subditur : *Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est fecit?* Id quod deintus est plenum iniquitate, non potest intelligi nisi de anima.

Capvt XV.

De Errore qui ponit omnes animas simul fuisse creatas.

Error ille qui dixit omnes animas simul fuisse creatas, sequitur. Contra quem errorem sic potest obiici. Constat quod habebant animæ potentiam cognoscendi & volendi antequam corporibus infunderentur. Si omnes à principio creatæ sunt : ergo cum non haberent eas otiose merebantur vel demerebantur. Si merebantur, debuerunt in bonitate confirmari sicut & Angeli. Si demerebantur, obstinatæ sunt factæ sicut Angeli qui peccauerunt : & peccatum earum fuit irremissibile, sicut & Angelorum malorum. Item si habuerunt potentiam cognoscendi & volendi cum cognoscerent carnem corruptam cui vniebantur : aut voluntarie vniebantur, & tunc erat in eis peccatum actuale, aut inuoluntarie, & tunc iniuste cum eis agebatur, cum corpori maculanti ea vniebantur. Ad hunc errorem destruendum pro magna parte aptari possunt auctoritates & rationes quæ positæ sunt ad destruẽdum errorem illũ, qui ponit Angelos apostatas esse in corporibus humanis.

Capvt XVI.

De Errore qui ponit animas de semine traduci vt corpora.

Sequitur de Errore illo qui ponit animas seminari vt corpora, id est, cum semine traduci decisione facta ab anima sicut à corpore. Contra quem primo est quod legitur Genes. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, ait Adam per Spiritum sanctum : si esset anima de anima sicut os de osse, & caro de carne, debuit hoc Spiritus Sanctus dicere. Vnde glos. Aug. super prędictũ verbum : Si aliud, inquit, fiebat in fœmina quam in viro, vt à carne animata anima eius duceretur, non sicut viri aliunde corpus, aliunde anima, quod aliter fiebat, scriptura facere non debuit, nec ita factum putaremus sicut iam didiceramus : quia ergo non dixit, ex anima viri factam animam mulieris, innuit nihil aliud putandum quam quod de viro fuerat dictum, scilicet *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*. Genes. 2. secundum gloss. August. Inspirare est flare, vel sufflare. Flare vero hic dicitur flatum facere, id est, animam facere. Item legitur Eccles. 12. *Antequam reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad illum qui dedit illum.* Et Esa. 57. *Flatus ego faciam.* Et Arist. in libr. de Animal. dicit quod solus intellectus diuinitus ab extrinseco prouenit. Præterea cum anima rationalis immortalis sit, non est corruptibilis per corporis corruptionem : ergo non est generabilis per eius generationem. Sicut enim se habet generatio ad generationem : sic corruptio ad corruptionem. Item cum anima simplex sit, non potest anima ab alia esse per decisionem : sicut corpus per decisionem est à corpore. Item si anima seminatur cum corpore, cum irrita fluunt sine conceptibus semina, quomodo perit anima immortalis? vt ait Aug. ad Optatum. Item corruptibilibus substantiis

quæ non possunt cōseruare speciem suam in se, specialiter datum est multiplicare speciem suam, vt sic conseruetur in alio. Ergo cum anima rationalis non sit corruptibilis, non est hoc datum ei: ergo non est anima rationalis ab anima. Item propinquissimum æterno est perpetuum: ergo cum anima rationalis perpetua sit, immediate ipsa est à Deo qui æternus est. Non videmus aliquam substantiam perpetuam cui pura creatura conferat esse: ergo nec animæ rationali conferet. Item potentia creandi solius Dei est, vt prius ostensum est: anima vero rationalis per creationem est: ergo à solo Deo est: Quod anima rationalis per creationem fit, ostendi potest sic: Aut anima rationalis ex nihilo est, aut ex aliqua materia præexistente. Si ex nihilo, ergo per creationem. Creare enim est aliquid facere ex nihilo. Si vero est ex materia præexistente, materia illa necessario erat sub aliqua forma. Cum enim materia corporalis non sit sine aliqua forma, nec spiritualis erit sine aliqua forma: ergo vel erat corporea, vel non erat corporea. Si corporea erat, non poterat ergo ex illa fieri anima quæ est incorporea substantia: simplex enim non fit ex composito, nec compositum ex simplici. Si vero erat incorporea, aut viuebat, aut non viuebat. Si non viuebat, erat ergo substantia incorporea non viuens, quod falsum est: nulla enim inuenitur substantia incorporea non viuens. Si vero viuebat: ergo erat vel Deus, vel angelus, vel anima, vel animal, vel planta, quod est inconueniens. Item materia illa rationalis erat antequam ex ea anima fieret, aut non. Si non, sed facta est rationalis quum ex ea anima facta est: ergo habens vitam irrationabilem materia animæ erat: quid ergo à pecoris spiritu distabat? vt ait August. Si vero erat rationalis, ergo iam vel angelus, vel anima erat. Præterea si esset spiritualis materia sicut corporalis, oporteret quod ipsa esset continua: existens, vbicunque est aliqua spiritualis substantia: vel quod tot essent materiæ, quot sunt spirituales substātiæ, cum ipsæ sint separatæ ab inuicem. Præterea cum illa virtus animæ quæ dicitur intellectus, operatur per abstractionem à materia, ipsa virtus immaterialis est: ergo & ipsa anima immaterialis est. Operatio enim sequitur naturam virtutis & virtus naturam substantiæ. Non est igitur anima ex materia præexistente, sed ex nihilo: ergo & per creationem, & ita à solo Deo. Item potentia rei affectæ subiecta est suæ causæ efficienti: potentia vero animæ rationalis, scilicet liberum arbitrium, nulli puræ creaturæ subiecta est, quum à nulla possit cogi: ergo nulla creatura pura causa efficiens eius est. Solus ergo Deus creator est animarum, vt fides catholica asserit.

CAPVT XVII.

De quinto Errore, qui ponit Christum non habuisse veram humanam naturam.

SEquitur de quinto errore qui ex errore Manichæorum processit, qui ponit Christum non habuisse veram humanam naturam. Cui errori occasionem dedit illud Philip. 2. *Et habitu inuentus vt homo.* Ex hoc enim inferunt Christum fuisse vt hominem, & non vere hominem. Sed simili ratione possunt dicere eum fuisse quasi vnigenitum Patris, & non vere vnigentium, quum scriptum sit Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Ideo potius dicendum est quod hæc dictio, vt, vel quasi, non semper est nota improprietatis vel similitudinis: imo aliquando expressiua est veritatis, vt in verbis prædictis. Dederunt etiam occasionem dicto errori quædam opera miraculosa quæ Christus legitur fecisse: vt quod de vtero materno clauso exiuit, & quod super mare siccis pedibus ambulauit. Matth. 14. Sed opera quæ Christus miraculose fecit, diuinæ naturæ ostendunt

veritatem, & non humanæ naturæ probant falsitatem: & sicut opera sua naturam attestantur eius Deitati, sic defectus & eius infirmitates quæ in Sacra scriptura leguntur, attestantur veræ eius humanitati. Sicut esuries de qua legitur. Matth. 4. *Quum ieiunasset* 40. *diebus & 40. noctibus, postea esuryt.* Et eiusdem 21. *Mane reuertens in ciuitatem esuryt.* Et 26. *Cœpit contristari & mœstus esse.* Et post: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Habuit ergo veram animam, eadem ratione & veram carnem. Et Ioan. 4. *Iesus ex itinere fatigatus sedebat super fontem.* Et eiusdem 11. *Lachrymatus est Iesus.* Et 12. Nunc anima mea turbata est. Præterea si veram humanam naturam non habuit, non fuit verus homo. Vnde non vere mortuus est, nec vere resurrexit. Cuius contrarium habetur. Luc. vlt. *Surrexit Dominus vere & apparuit Simoni.* Eiusd. 18. *Postquam flagellauerint, occident eum, & tertia die resurget.* Auctoritates vero quibus manifestum est eum verum hominem fuisse, hæ sunt quæ sequuntur. Matth. 1. *Liber generationis Iesu Christi fily David, &c.* Et eodem: *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Et iterum: *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Et post: *Peperit filium suum primogenitum.* Et Lucæ 7. *Venit filius hominis manducans & bibens.* Erat ergo vere homo qui manducabat & bibebat. Et eiusdem vlt. *Palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Et iterum: *Et quum manducasset, coram illis sumens reliquias dedit eis.* Et Ioan. 1. *Verbum caro factum est.* Et eiusdem 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam:* ergo habebat verã animam, eadem ratione & veram carnem. Item Rom. 1. *Qui factus est ex semine Dauid secundum carnem.* Et eiusdem 9. Ex quibus Christus secundum carnem. Ad Hebr. 7. *Ex Iuda ortus est Dominus noster.* Act. 1. *Conuescens præcepit eis, &c.* Et eiusdem 10. *Nobis qui manducauimus & bibimus cum illo.* 1. Ioan. 1. *Quod perspeximus & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.* Eiusd. 4. *Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum venisse in carne, ex Deo est.* Et 2. Ioan. *Multi seductores exierunt in mundum istum qui non confitentur Iesum Christum venisse in carne, &c.* Et post: *Qui non confitetur Iesum Christum venisse in carne, hic est seductor & antichristus:* quum Christus veritas sit; secundum illud Ioan. 14. *Ego sum via, veritas & vita.* Non est verisimile eum falsitate humanæ naturæ homines decepisse.

Item quum vere sit mundi redemptor, secundum illud ad Titum 2. *Qui dedit semetipsum pro nobis vt nos redimeret ab omni iniquitate,* verum pretium soluit. Pretium vero pœna erat, cuius debitor erat genus humanum. Ergo vere pœnam sustinuit: ergo verum corpus habuit. Non est ergo verisimile quod redimendo genus humanum falsum monetam soluerit. Præterea si corpus Christi verum corpus non fuit, sed vmbra corporis, quomodo verum est illud Philipp. 2. *Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, &c.* Et illud 1. Petr. 2. *Christus passus est pro nobis.* Et illud Apocalyp. 1. *Lauit nos à peccatis in sanguine suo.* Et quod legitur Ioan. 13. de ablutione pedum Apostolorum. Ablutio enim contactum requirit. Si vero dicatur corpus illud cæleste fuisse, ergo impossibile fuit: quod ex diuersis locis Euangelij constat esse falsum. Præterea secundum hoc non est verum quod legitur ad Hebræos 2. *Quod semen Abrahæ apprehenderit.* Secundum hoc etiam nunquam comedit vel bibit, cuius contrarium prius ostensum est.

CAPVT XVIII.

De Errore illo qui condemnat Ioannem Baptistam. Et de commendatione ipsius Ioannis.

SEquitur de errore 6. qui ex errore Manichæorum processit, qui condemnat Ioann. Baptist. Cui errori occa-

sionem dedit quod legitur Matth.11. *Cum audisset Ioann. in vinculis opera Christi: mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Ex quo inferunt Ioannes dubitasse de Christo, quum interrogauerit,& propter dubitationem condemnatum esse. Sed nō sequitur si interrogauit quod dubitauerit. Interrogauit enim Christus cuius esset imago denarii & superscriptio. Matth.22. non tamen de hoc dubitauit. Item non sequitur, si dubitauit quod propter hoc damnatus fuerit: non enim omnis dubitatio damnabilis est. Potuit dubitare vtrum Christus in propria persona descensurus esset ad inferos, & inde exacturus amicos suos, an per alium hoc esset facturus. Quod propter illam dubitationem damnatus non sit, patet per hoc quod Christus postquam nuntii Ioannis redierant, tantum testimonium dedit Ioanni vocans eum angelum & plusquam prophetam,& dicens quod inter natos mulierum maior illo non surrexit. Et verisimile est quod Ioannes sibi illud non interrogauerit, sed discipulis suis qui de Christo dubitabant, volentes eos per Christum certificari: quos Christus certificauit, ostendens signum impletum quod dederat Esaias de aduentu Christi. Esa. 35. *Deus,* inquit, *ipse veniet & saluabit nos: & tunc aperientur oculi caecorum, & aures surdorum patebunt &c.* Vnde Dominus ait: *Caeci vident, claudi ambulant, &c.* Potuit etiam dare occasionem huic errori, quod Ioannes Baptista non secutus fuit Christum, dicunt enim quod si bonus fuisset, eum secutus fuisset. Sed hoc non sequitur. Multi enim boni fuerunt, qui tamen Christum corporaliter secuti non sunt. Noluit Christus quod Ioannes eum corporaliter sequeretur, ne testimonium eius suspectum haberetur: & plus profuit ad confirmationem fidei testimonium quod Ioannes in absentia Christi tulit, quam si illud in eius praesentia tulisset. Simile habes Matth.5. de illo qui à daemonio liberatus erat, qui rogauit Christum vt esset cum eo. Iesus autem non admisit eum, sed ait illi: *Vade in domum tuam ad tuos, & nuntia illis quanta tibi Deus fecerit. Et abiyt, & coepit praedicare in Decapoli quanta sibi fecisset Iesus, & omnes mirabantur.* Plus profuit praedicatio eius in absentia Christi, quam profuisset in eius praesentia. Vt autem manifesta fiat falsitas istius erroris, ponamus commendationes Ioannis quae à scripturis sacris possunt haberi, quae 16. sunt. Prima est, quod à prophetis est praenuntiatus. Vt Esa. 40. *Vox clamantis in deserto.* De eodem habes Matth. 3. Et Marc. 1. Item praenuntiatus est Malac. 3. *Ecce ego mitto angelum meum.* De eodem habes Matth. 11. *Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum.* Item praenuntiatus est in Psal. *Paraui lucernam Christo meo.* De eodem habes Ioan. 5. *Ipse erat lucerna ardens & lucens.* Secunda est, quod angeli nuntiatione praeuenta est eius conceptio & natiuitas, & non cuiuscunque angeli, sed eius qui Christi conceptionem praenuntiauit. Lucae 1. *Ego sum Gabriel qui asto ante Deum.* Tertia est, quod de parentibus sanctis miraculose natus est. Luc. 1. *Erant iusti ambo, &c.* Et post: *Non erat illis filius, eo quod esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.* Quarta est, quod ante fuit sanctus quam natus, Lucae 1. *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suae.* Quinta est, quod fuit propheta, ita quod in vtero prophetare incoepit, dum exultando in vtero, testimonium Christo dedit. Luc. 1. *Vt facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Absque dolo fuit testimonium illud, Nec solum fuit propheta, sed etiam plusquam propheta. Matt. 11. Quia Christum digito demonstrauit. Ioannis 1. Sexta est, quod fuit angelus nomine & virtute, licet non natura. Matth. 11. Chrysostom. Puto si non est audacia dicere, quod gloriosior est Ioannes quia homo fuit, & propter meritum virtutis ange-

Commendationes Ioannis Baptistae.

lus est vocatus, quam si nomine & natura angelus fuisset.
7. Septima est, quod Christum baptizare meruit. Matth. & Luc. 3.
8. Octaua est, quod vocem patris audire dignus fuit, dicentis: Hic est filius meus dilectus. Matth. 3.
9. Nona est, quod Spiritum sanctum super Christum in specie columbæ descendentem vidit, & dictum est ei à Patre: *Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.*
10. Decima est, quod tria merita quibus debetur aureola, habuit: virgo enim, & martyr, & prædicator fuit.
11. Vndecima est, quod sanctitas eius & Iudæis & gentibus, & Christianis manifesta fuit.
12. Duodecima est, quod carnis suæ fuit perfectissimus dominator. Lucæ 1. *Vinum & siceram non bibet.* Matth. 3. *Esca eius erat locustæ & mel syluestre.* Et 11. *Venit Ioannes non manducans, neque bibens.* Supra 3. *Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum.* Matth. 3. *Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum? &c.*
13. Tertiadecima est, quod ipse fuit mundi maximus contemptor. Vnde erat in deserto vsque ad tempus ostensionis suæ ad Israël. Luc. 2.
14. Decimaquarta est, quod regni cœlestis prædicator, ante ipsum qui prædicabant, terram promittebant. Lucæ 16. *Lex & prophetæ, vsque ad Ioan.* supple prædicauerunt. Lex autem terrena promittebat: ex eo vero regnum Dei euangelizatur. Matth. 3. *Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum, &c.*
15. Decimaquinta est, quod ipse vitiorum fuit zelatissimus persecutor: zelus iste fuit ei mortis occasio. Marci 6.
16. Decimasexta est, quod post Christum & beatam Virginem dies natiuitatis eius, solennis est.

CAPVT XIX.

De Erroribus negantibus pluralitatem vel æqualitatem diuinarum personarum.

DEstructis erroribus pertinentibus ad diuinam essentiam vel eius vnitatem, destruendi sunt errores pertinentes ad personarum Trinitatem vel æqualitatem. Ad destructionem vero horum errorum, sufficit ponere testimonia sacræ scripturæ, quæ ostendunt personarum Trinitatem vel æqualitatem. Nullum enim genus ostensionis conuenientius est in his quæ sunt supra rationem, quã per sacram scripturam. In talibus enim soli Deo de se credendum est, qui se solus nouit, iuxta verbum Hilarii. Aug. in libr. de Trinitate: Omnes Catholici tractatores, qui de Trinitate scripserunt, quæ Deus est, hoc intendũt secundum scripturas docere quod Pater, Filius, & Spiritus sanctus vnius sint substantiæ & inseparabili æqualitate vnus sit Deus. Ioann. Damascen. Dominus per legẽ & per prophetas prius, deinde vero per vnigenitum filium suum secundum quod possibile est, nobis sui ipsius manifestauit cognitionem. Diuina igitur quæ tradita sunt nobis per legem, & per Prophetas, & per Apostolos, & Euangelistas, suscipimus & reueremur nihil vltra inquirentes. Prouerb. 30. *Ne addas quidquam verbis illius.* Quod specialiter seruandum est in his quæ sunt supra rationem. Augustin. Quum res naturaliter obscura modulum nostrum vincit, & aperta diuina scriptura non subuenit, temere diffinire humana coniectura præsumit. Ecclesiast. 5. *Nec temere quid loquaris, nec cor tuum sit velox ad proferendum sermones coram Deo:* Deus enim in cœlo, & tu super terram, idcirco sint pauci sermones tui. Intelligendum de Deo, de quo & vera dicere periculosum est. Pluralitas personarum insinuatur Genes. 1. vbi loquitur Pater ad Filium &

Spiritum sanctum, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Non potest enim dici quod loquatur ad angelos, quum angeli non sint creatores. Item eiusdem 8. *Vbi Abraham tres vidit, & vnum adorauit.* Item insinuatur

Psal 32. in verbo illo Psalm. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Item ibi: *Benedicat nos Deus Deus noster: benedicat nos Deus.* Trina nominatio Dei, Trinitatem personarum insinuat.

Psal. 66

Item Esaiæ 6. Vbi Esaias audiuit Seraphim clamantia. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus.* In hoc quod dicitur ter sanctus, insinuatur personarũ Trinitas. In hoc vero quod dicitur Deus, essentiæ vnitas. Simile habetur Apoc. 4. de animalibus quæ plena erãt oculis, quod requiem non habebant die ac nocte dicentia, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens.* Expresse vero personarum Trinitas ostenditur. Matth. vltimo vbi dicit Christus: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et Ioan 10. habetur de duabus, *Ego & Pater vnum sumus.* Et eiusd. 14. de trib. *Paracletus Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo,* &c. Item eiusdem 15. *Quum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit,* &c. Et 1. Ioan. vlt. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Item Rom. 8. *Spiritus eius qui suscitauit Iesum habitat in vobis.* Et Gal. 4. *Misit spiritum filij sui in corda vestra.* De generatione vero filij à patre

Psal. 2. dicitur in Psalm. *Ego hodie genui te.* Item, *Ante luciferum genui te.* Et Prouerb. 8. dicitur de sapientia increata. *Ab æterno ordinata sum, antequam terra fieret: nec dum erant abyssi, & ego iam concepta eram.* Et Eccl. 24. *Ego ex ore Altissimi prodij primogenita ante omnem creaturam.* Et Mich. 5. dicitur ad Bethleem: *Ex te egredietur qui sit dominator in Israel: & egressus eius ab initio à diebus æternitatis eius.* De Deitate vero filij habetur Esaiæ 7. *Vocabitur nomen eius Emanuel.* Et Matth. 1. *Idem verbum sumitur.* Et sequitur: *Quod est interpretatum nobiscum Deus.* Et Esa. 9. dicitur, *Paruulo nobis nato. Vocabitur nomen eius admirabilis consiliarius, Deus fortis, &c.* Eiusd. 25. *Deus ipse veniet, & saluabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, &c.* Et Baruch. 3. *Hic est Deus noster, non æstimabitur alius aduersus eum, &c.* Et post: *In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Et Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas.* Omnipotentia non potest esse nisi in Deo. Et Ioan. 3. dicitur: *Et Deus erat Verbum.* Et post: *Omnia per ipsum facta sunt.* Et iterum: *Et verbum caro factum est.* Ex quibus verbis manifeste apparet Christum verum esse Deum. Et eiusd. 5. dicit Ioannes de Christo: *Patrem suum dicebat, æqualem se faciens Deo.* Et ad Roman. 9. *Ex patribus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen.* Item ad Heb. 1. dicitur de filio: *Per quem fecit & secula.* Et iterum: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* Et Philip. 2. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Item quum in cognitione eius consistat vita æterna, secundum illud Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum:* patet ipsum esse Deum. Vita enim æterna est beatitudo. Beatitudo vero est in summo bono. Ad idem facit, quod credentibus in se dat vitam æternam. Ioan. 17. Dare enim vitam æternam solius Dei est. Et 1. Ioan. vltimo: *Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum vt cognoscamus verum Deum, & simus in filio eius vero: hic est verus Deus, & vita æterna.* Et Actu. 10. *Annuntians pacem per Iesum Christum,* hic est omnium Deus.

Quod in Christo non solum esset natura humana, sed etiam diuina, patet ex eis quæ leguntur in Ioanne in diuersis locis. Primo ex hoc quod legitur eiusd. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de* In Christo natura & humana diui[na]

cœlo: filius hominis, qui est in cœlo. Erat ergo in cœlo Christus, quum verba illa loqueretur in terris, quod non erat secundum humanam naturam, sed secundum diuinam. Ad idem facit illud Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum*, non enim ante Abraham fuerat, secundum humanam naturam. Et Luc. 10. *Videbam sathanam quasi fulgur cadentem de cœlo.* Hoc non erat secundum humanam naturam: cum sathanas de cœlo cecidit Ioann. 8. *Ego principium qui & loquor vobis.* De spiritu sancto legitur Gen. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Et Iob. 26. *Spiritus eius ornauit cœlos.* Ex quo verbo patet spiritum illum esse Deum. Ornatus enim cœlorum à Deo fuit. De eodem spiritu habetur in Psalm. *Spiritu principali confirma me.* Et iterum: *Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.* Item: Sapient. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Ex quo similiter patet eum Deum esse. Nulla enim creatura orbem terrarum replet. Item: Esa. 44. *Effundam spiritum meum super semen tuum.* Et eiusdem 11. *Requiescet super eum spiritus Domini.* Et 16. *Spiritus Domini super me.* Et Matth. 1. dicitur de beata virgine: *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Cum fides catholica pro certo habeat beatam virginem non concepisse de creatura aliqua, patet Spiritum sanctum cuius operatione concepit, creaturam non esse. Ad idem Matth. 3. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto.* Quum interior baptismus seu mundatio peccatorum solius Dei sit, Spiritus sanctus qui interius mundat, Deus est. Item in eodem: *Vidi Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* Non fuit spiritus ille creatus: quum spiritus creatus qui in Christo erat, sanctior esset omni alio spiritu creato. Item eiusdem 10. *Non enim vos estis qui loquimini: sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Aut dicitur spiritus patris spiritus à patre creatus. Et sic omnis spiritus esset spiritus patris. Aut dicitur spiritus patris qui est de substantia patris vt pars eius, quod non potest esse cum substantia diuina simplicissima sit: aut qui est ipsa substantia patris, & sic est Deus. Ad idem facit quod legitur eiusdem vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Nisi Spiritus sanctus esset Deus vt Pater & Filius, non præciperet Deus baptizari in nomine Spiritus sancti, vt in nomine Patris & Filij. Item Ioan. 16. *Expedit vobis vt ego vadã. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Non expediret quod propter aduentum Spiritus sancti Christus recederet à discipulis, nisi Spiritus sãctus esset Deus vt Christus. Ad idem Ioan. penult. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur in eis:* Nisi Spiritus sanctus esset Deus, non fieret per eum remissio peccatorum. Ad idem Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est per Spiritum sanctum:* quum charitas donum Dei excellentissimum sit, non datur nisi à Deo. Itẽ 2. Corinth. 2. *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei.* Et post: *Quæ Dei sunt nemo cognoscit nisi spiritus Dei.* Ille spiritus necessario Deus est. Scrutari enim omnia profunda Dei, non est alicuius creaturæ. Item eiusdem 3. *Nescitis quia templum Dei estis vos, & spiritus Dei habitat in vobis?* Et post: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Et eiusdem 6. *Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti qui in vobis est?* Vnde quum fideles templum sint solius Dei, & sint templum Spiritus sancti, Spiritus sanctus Deus. Itẽ eiusdem 12. *Diuisiones gratiarum sunt: idem autem spiritus, non posset esse idem spiritus creatus in omnibus sanctis.* Et paulo post: *Idem Deus qui operatur omnia in omnibus.* Et ostendit Apostolus Spiritum sanctum esse Deum, subdens: *Alij per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, &c. hæc autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.* Item 2. Corinth. 1. *Qui dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Et Ephes. 1. *Qui est pignus hereditatis nostræ.*

Non potest esse pignus hæreditatis æternæ spiritus creatus, quum eam non valeat. Item 1. Ioan. vlt. dicuntur Pater, & Verbum, & Spiritus sanctus vnum esse: ergo si Pater & Verbum sunt Deus, Spiritus sanctus est Deus. Ad idem facit quod viuificare ei attribuitur: Ioan. 6. *Spiritus sanctus est qui viuificat.* Viuificare. n. vita spirituali, solius Dei est. Et eiusdem 3. dicitur de eo: *Spiritus vbi vult spirat.* Spirare vbi vult, non est spiritus creati. Procedit autem Spiritus sanctus à Patre & Filio. De processione Spiritus sancti à Patre, habes Ioan. 15. *Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Græci vero negant Spiritum sanctum procedere à Filio, eo quod istud non inueniatur expresse in canone sacræ Scripturæ. Nos vero hoc concedimus, quia Spiritus sanctus vocatur Spiritus Christi. Roman. 8. *Qui spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et Galat. 4. *Misit Deus spiritum Filij sui in corda nostra.* Secundum Græcos, licet Spiritus sanctus sit spiritus Christi: tamen non procedit ab eo, sed est ad eum: vnde quasi in medio est, & filius quasi in termino, sed pro fide nostra facit quod Dominus Matthæi vlt. Spiritum sanctum vltimo nominat: dicens: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et Ioannes similiter 1. Canon. vlt. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Ad idem videtur facere quod dicit Christus. *Ille de meo accipiet.* Ioan. 16. Ad idem facit hoc, quod Filius dicitur imago Patris potius quam Spiritus sanctus. Colossens. 1. *Qui est imago Dei inuisibilis*: quia non solum habet essentiam communem cum Patre: sed etiam assimilatur Patri in hoc quod produxit ex se personam sicut & Pater. Præterea in anima quæ imago Dei est, vt patet ex diuersis locis Scripturæ sacræ, lux cognitionis quæ Filio appropriatur, quędam causa est amoris qui Spiritui sancto appropriatur. Item cum in sole vestigium Trinitatis inueniatur. Vnde Deus dicitur

Procedit S. S. à Patre & Filio.

Sol iustitiæ. Malach. 4. & Sol intelligentiæ. Sapient. 5. Calor est à radio solis, non radius à calore: sic & Spiritus sanctus à Filio procedit. Et hoc concesserunt etiam quidam doctores Græcorum, vt Athanasius in Symbolo fidei. Et Didymus maximus doctor eorum in libro de Spiritu sancto. Et Cyrillus Episcopus. Et Ioan. Chrysostom. Quorum testimonia ponit Magister in primo Sententiarum. Æqualitas vero personarum ostendi potest per hoc quod idem est in Deo esse, & esse magnum: ergo cum essentia diuina in tribus personis indifferens sit, & magnitudo indifferens est: ergo æqualitas est in personis. Item vnica est diuina essentia & simplicissima: ergo non potest ibi locum habere inæqualitas. Æqualitas Patris & Filij specialiter ostenditur ab Augustino per illud quod dicit Filius, Ioan. 16. *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Ad idem facit illud quod legitur eiusdem 3. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu eius.* Et Matth. 11. & Luc. 10. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Et Ioan. 17. *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* Probat idem Augustin. hoc modo: Homo pater si potuisset, æqualem filium genuisset. Quis ergo audet dicere quod hoc omnipotẽs non potuit? Adeo etiam quod si posset homo, maiorem melioremque seipso gigneret filium: sed Deo maius vel melius quid quã esse non potest. Deus ergo cur non æqualem annis filium genuit: cui nec anni necessarij fuerunt, per quos adimpleretur æqualitas: neque omnipotẽtia defuit, aut forte noluit? ergo quod absit, inuidit: sed non inuidit, æqualem ergo sibi genuit. Æqualitas vero Spiritus sancti cum Patre & Filio sic potest ostendi: Optimus optimum lucidissima cognitione notum non amare non potest: ergo Pater necessario amat Filium, & non minus quam amandus sit: ergo cum summe sit amandus, summe amat eum: ergo amor Patris ad Filium summus est: ergo Spiritus sanctus qui est amor, ille est æqualis Patri & Filio.

Aequalitas Trinitatis probatur

lio. Item quum inter Patrem & Filium debeat esse amor, maximus erit amor primi patris à quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Item cum non sit minor patris benignitas quam fœcunditas, non erit minus donum amoris procedēs ab eius benignitate, quam eius partus pertinens ad eius fœcunditatem: ergo non erit minor Spiritus sanctus Filio. Itē si non est minor Filius Patre qui à solo Patre procedit: nō erit minor Spiritus sanctus Patre vel Filio, qui ab vtroque procedit. August. Magna misericordia Dei, donū dat æquale sibi: nam Spiritus sanctus donum est. Et notandū quod aliqua similitudo Trinitatis inuenitur in creaturis, sed non est creatura quæ in omnibus Trinitati assimiletur: sed quædam creaturæ assimilantur ei in quibusdā, quædā in aliis. Vnde gloss. August. super illud Hebr. 1. Qui cum sit splēdor gloriæ. Non possunt cōparari temporalia æternis integra collatione, sed tamen possunt aliqua tenui & parua similitudine coæua coæternis comparari. Nec mirum, quum non sit vmbra similis omnino corpori cuius est vmbra: nec vestigium simile est omnino pedi. Et ostendemus similitudinem Trinitatis in diuersis creaturis. Vna & eadem vox est diuersæ dictionis: vt hæc vox, Amor, est nomen proprium cuiusdā sancti, & est nomen commune, & est verbum: non mireris ergo si tres personæ sint vna essentia. Item in rebus sensibilibus inuenies subiectum & varietatem accidentiū quæ circūuestit illud, & naturalem amorem subiecti ad naturalia eius accidentia. Subiectum similitudinem habet cum Patre, cum sit causa accidentium, sicut Pater ex se producit Filiū. Varietas vero accidentium subiectū manifestans, est quasi verbum. Amor vero subiecti ad naturalia accidentia assimilatur Spiritui sancto: quem amorem ostendit hoc quod subiectum tendit ad locum sibi competentem, fugiens locum naturæ suæ contrarium: & natura quærit quæ pertinent ad exteriorem decorem, vt est cortex, & frōdes in arboribus, pili in animalibus, ordinatio, figura, color. Itē similitudo Trinitatis habetur in materia, & forma, & cōplexu horum. Item in igne in quo inuenis ignis speciem, lucem & calorem, & sunt ignis & lux coæua, licet sit lux ab igne: sicut Pater & Filius sunt æterni, licet Filius sit à Patre. August. Quid possumus in creatura inuenire coæternū, cum non inueniamus in ea æternū? sufficit vt ad similitudinem inueniamus coæuum, splendor est de igne, & tamē coæua sunt. Similiter imago in aqua & virgultum natum super aquam coæua sunt. Da mihi ignem sine splendore, & credo patrem fuisse sine filio. Item inuenitur similitudo Trinitatis in sole, vbi habes substantiam, & radiū, & calorem, substantia solis à nulla creatura est, radius de sole nascitur, calor ab vtroq; progreditur. Itē habes similitudinem Trinitatis in magnitudine, pulchritudine, & vtilitate creaturarū. In magnitudine apparet potentia quæ patri appropriatur: in pulchritudine sapientia, quæ appropriatur filio: in vtilitate bonitas, quæ appropriatur Spiritui sancto. Item in corpore humano est similitudo quædam Trinitatis. Est enim in eo vita, sēsus, affectus. In anima vero rationali expressior inuenitur similitudo Trinitatis quam in prædictis ipsa dicatur Dei imago. Et secundum Augustinum ipsa est Trinitatis imago secundum intellectum, voluntatem, & memoriam. Vnde August. in sermon. de imagine: Non solum sufficit intellectus, nisi voluntas in amore Dei: nec duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis & diligentis maneat Deus. Vel possumus aliter similitudinem Trinitatis in anima assignare: vt scilicet intellectus qui dicitur materialis vel possibilis, Patri assimiletur. Intellectus vero qui dicitur intellectus in actu, vel formatus, assimiletur Filio. Et sicut Filiꝰ à Patre procedit, & est eius verbū, vel imago, vel speculū: sic intellectus formatus est quasi verbū & speculū, & imago, & ordine intelligētiæ est post intellectū ma-

terialem. Prius enim est intellectum esse, quam intelligere se vel aliud. Affectus vero Spiritui sancto assimilatur. Possumus etiam aliter similitudinem Trinitatis in anima assignare: vt scilicet intellectus agens Patri assimiletur, qui secundum philosophos se habet ad species intelligibiles manifestãdas sicut lux ad colores. Et sicut operatione lucis corporalis species coloris abstrahitur quodammodo, & pupillæ coniungitur: sic operatione intellectus agentis lumen intelligentiæ diffundentis & abstrahentis species intelligibiliũ à formis sensibilibus, coniunguntur species illæ intellectui possibili, & fit intellectus formatus qui filio assimilatur. Affectus vero assimilatur Spiritui sancto. Et notandũ quod secundum quosdam, anima non est suę potentiæ: & secundum hoc minus est expressa similitudo Trinitatis in anima, cum tres personæ sint diuina essentia. Anima vero licet habeat tres potentias, tamen illæ tres potentiæ non sunt idem quòd essentia animæ. Secundũ alios vero anima suæ potentiæ est, & secundum hoc expressior est similitudo Trinitatis in anima. Et pro hac opinione facit quod legitur in libr. de Spiritu & anima. Sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligẽtia: hæc omnia in anima non aliud sunt quam ipsa. Item super Eccl. 17. dicit Gloss. Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, non tres dij, sed vnus Deus, tres habẽt personas: ita anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tres animæ, sed vna anima. Item Aug. in lib. de Trin. Admonetur si vtrunque videre possimus, hæc in anima existere substantialiter, non tanquam in subiecto. Item Dam. Anima non habet præter seipsam intellectum. Item cum prima materia sit ipsa potentia ad susceptionem formarum naturalium: eodem modo anima erit ipsa potentia ad susceptionem specierum, cum videatur esse simplicior, & Dei imago sit. Præterea hæ tres potentię animæ, intellectus, voluntas & memoria, aut sunt accidentalia animæ, aut essentialia. Si accidẽtalia, ergo non differt anima rationalis, nisi accidentaliter ab eo à quo corpus bruit animalis viuificatur & sensificatur. Si vero sunt essentialia, aut sunt tres partes essentiæ animæ, aut vnumquodque illorum est tota essentia animæ. Si sunt partes, aut anima erit velut aceruus congregatus ex his potentiis non coniunctis adinuicem quod non potest esse: aut illæ potentię erũt coniunctæ & compactæ adinuicem, quod similiter non potest esse: quum operationes illarum potentiarũ sint diuisæ abinuicem. Si vero vnaquæque illarum potentiarum est tota essentia animæ, habetur propositum, scilicet quod tres potentiæ animæ sint ipsa anima. Item cum eiusdem sit actus cuius est potentia, eiusdem erit intelligere in potẽtia, cuius est intelligere in effectu: ergo idem erit intellectus possibilis & intellectus formatus. Item quum nemo possit amare incognitũ, eiusdem erit cognoscere & amare: ergo idem secundum substantiam erit, intellectus & affectus. Item assignatur similitudo Trinitatis in creaturis secundum hæc tria, modum, speciem, ordinem. Aug. 11. lib. de Ciuit. Dei: A Deo est omnis modus, omnis species, omnis ordo, sine quibue nihil rerum inueniri vel cogitari potest. Idem in eodem: Nobis Trinitas in suis operibus intimatur. Nam si quæratur, vnde sit ciuitas quæ sursum est, Deus eam condidit si vnde sit sapiens, à Deo illuminatur: si vnde sit felix, Deo fruitur, subsistens modificatur, contemplans illustratur, inhærens iocundatur, cum videt, amat: in Trinitate Dei viget, in veritate lucet, in bonitate Dei gaudet. Idem in eodem: In his rebus quæ infra nos sunt, quoniam & ipsæ nec aliquo modo essent, nec aliqua specie continerentur, nec aliquem ordinem vel appeterent vel tenerent, nisi ab illo factæ essent qui summe sapiens est, qui summe bonus est, tanquam per omnia quæ fecit, mirabili stabilitate currentes: quasi quædam eis alibi magis, alibi minus impressa vestigia colli-

gamus. In nobis autem ipsis eius imaginem contuentes tanquam ille minor Euangelicus filius qui rediens ad se, ait: *Quanti mercenarij*, &c. ad nosmetipsos reuersi surgamus: & ad illum eamus à quo peccando recesseramus: ibi esse nostrum non habebit mortem, nosse nostrum non habet errorem, ibi amare nostrum non habebit offensionem.

Capvt XX.

De Erroribus pertinentibus ad Dei misericordiam & iustitiam. Et primo de errore illorum qui Filij Dei incarnationem negant.

VLtimo inter errores qui Catholicæ fidei aduersantur, dicendum est de erroribus pertinentibus ad Dei misericordiam & iustitiam. Inter quos causa breuitatis tantum de sex tangemus, licet sint multo plures. Primus est error eorum qui negant filij Dei incarnationem. Secundus eorum qui dicũt animam perire cum corpore. Tertius eorũ qui negant resurrectionem corporũ. Quartus eorum qui dicunt vnumquemq; in fide vel lege sua saluari, ex quo credit eam bonam & ideo placentem. Quintus eorum qui dicunt animas quæ in mortali peccato decedunt non puniendas essentialiter. Sextus eorũ qui dicũt animas quæ in charitate decedunt, nulla pœna purgatoria puniendas. Primi Dei misericordiam ac iustitiam metiri volunt secundum misericordiam & iustitiam hominum. Ideo misericordiam Dei reputant stultitiam. 1. Cor. 1. *Verbum crucis pereuntibus stultitia est.* Et iustitiam reputant furorem. Prou. 6. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ.* Ipsi non attendunt illud verbum Domini Esaiæ 55. *Sicut exaltantur cœli à terra: sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris. Vniuersæ viæ Domini sunt misericordia & veritas.* Isti detrahunt Dei potentiæ dum dicunt Deum non potuisse hominem fieri: quod si verum esset, Deus omnipotens non esset. Luc. 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Et Mat. 29. *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Quum sententia sit omnium recte philosophantium hominem esse deificandũ participatione deitatis: quid mirum si Deus factus est homo participatione humanitatis? Isti contradicunt diuinæ bonitati, non in radice, sed in ramo ipsius dum negãt tantum Dominum de ipsa potuisse procedere, blasphemantes contra eius immensitatem, quam volunt limitare in effectu ipsius: Fons iuxta possibilitatem suam riuum emittit, & sol secundum virtutem suam lumen & calorẽ vbiq; diffundit. Magna ergo fatuitas est asserere de immenso fonte diuinæ bonitatis beneficium incationis non potuisse procedere. Ad Tit. 3. *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos: sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Secundum fontem fluit riuus, cum stilla misericordiæ in multis sanctis hoc potuerit, vt pro redemptione captiuorum se venderent: quid potuit in fonte misericordiæ eius immensitas? Iterum cum scintilla charitatis matrem faciat exponi pro filijs, quid potuit fornax immensæ charitatis in Saluatore? Si quis vero dicat quod non decuit Dei maiestatem tantum descendere, & tot, & tanta pati: Respondendum est, quod nihil magis decet Dei bonitatem quam misereri & amare. Misereri gloriosissimum est. Vnde qui sunt dicti erroris, dum Deum volunt honorare, honori eius detrahunt, magnitudo. n. eleemosynæ honor est miserantis, & magnitudo doni honor dantis. Sapiens: *Deum maxime imitabitur qui nihil iudicauerit quam misereri pretiosius.* Præterea gloriosissimi sunt triumphi patientiæ. Prou. 16. *Melior est patiens viro forti & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Sen. Magnanimi est iniurias in summa patientia pati. Item cum Deus præcipiat se ab homine ex toto corde diligi. Deut. 6. conueniens fuit vt & ipse hominem diligeret, vt dignæ dilectionis suæ ignẽ amoris in homine accenderet. Dauid. *Exurge*

Domine in precepto quod mandasti. Sen. Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine vllius veneficæ carmine: Si vis amari, ama. Præterea cum diuinitas omnino impassibilis sit quando inconueniens est, si natura humana diuinæ associata in eadem persona passa est, cum pati virtuosissimum sit: & pœna quam natura humana in Christo passa est, nihil sit respectu gloriæ quam habet, quæ non est finem habitura, & venerationes quas Christo exhibet populus Christianus, multo maiores sunt quam contumeliæ & illusiones quas ei intulit populus Iudaïcus. Ad destructionem dicti erroris sufficere possunt quæ prius habita sunt, vbi ostensa est veritas fidei Christianæ, & vbi ostensa est veritas humanæ naturæ in Christo, & veritas diuinæ naturæ. Et ideo ad destructionem aliorum errorum transeamus.

CAPVT XXI.

De errore dicentium animam perire cum corpore.

ET primo destruemus errorem illum qui ponit animam perire cum corpore, ostendendo animarum immortalitatem. Qui error tangitur Sapient. 2. *Dixerunt impij cogitantes apud se non recte. Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus.* Huic errori occasionem dare potuit illud Eccles. 2. *Vnus est interitus hominis & iumentorum; & æqua vtriusque conditio.* Sed vt dicit Gregor. Salomon in illo lib. diuersas personas in se suscipit, & quandoque dicit quod mens imperita sentit, vt in verbo proposito: quandoque vero quod ratio bene disposita decreuit, vt eiusdem 6. *Quid habet*, inquit, *amplius stulto sapiens, & quid pauper, nisi vt pergat illuc vbi est vita?* Et eiusdem 9. *Corda filiorum hominum implentur malitia & contemptu in vita sua, & post hæc ad inferos deducentur.* Non perit ergo anima malorum cum corpore. Et in eodem: *Nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos quò tu properas.* Item eiusdem vlt. *Antequam reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Spiritus ergo bonorum cum corpore non perit, sed ad Deum redit. Item occasionem dare potuit huic errori quod dicitur de Deo 1. ad Timoth. *Qui solus habet immortalitatem:* Vnde secundum hoc videtur quod anima non sit immortalis. Sed ibi dicitur immortalitas immutabilitas, quam non habet creatura per naturam, cum ex nihilo facta sit, & secundum accidentia nata sit mutari: sed tamen creatura potest habere perpetuitatem & esse immortalis, prout immortalitas dat priuationem finis. Item dicto errori potuit dare occasionem quod spiritus irrationalis in brutis perit cum corpore: vnde poterit alicui videri quod spiritus rationalis in homine pereat cum corpore. Sicut. n. spiritus irrationalis, forma & perfectio est in corpore bruti: sic spiritus rationalis forma & perfectio est in corpore humano. Ad solutionem huius notandum est quod est quædam forma quæ totaliter innititur & incumbit suæ materiæ, & non regit eam, neque sustinet, sed sustinetur ab ea, & talis est forma corporalis in rebus inanimatis. Quædam vero forma est quæ regit materiam suam & quodammodo sustinet eam. Et hæc subdiuiditur, quia quædā est cuius operatio non est extra materiam illam, vt est vegetabile in plantis, & sensibile in animalibus brutis: & hæc perit cum corpore, otiosum. n. esset eam manere post corpus, cum non haberet operationem sine corpore. Quædam vero forma est cuius principalis operatio non est in materia, nec per materiam, vt anima rationalis secundum operationē intellectiuā: & ideo separabi-

lis est à corpore. Et est simile in luce ignea & luce solis. Esse enim lucis radij solaris existentis in aëre non dependet ab aëre. Vnde sole subtrahente radiū, remanet solus aer. Sic Deo subtrahente à corpore spiritum, remanet solum corpus. Vnde destructo aere, adhuc remanet radius: quod possumus videre per interpositionē alicuius transparentis, vt est crystallus in loco aeris scilicet posita. V. G. Sit aliquis locus vndique conclusus, excepta illa parte per quam ingreditur solaris radius, qui ibidem ingressus totum aerem ab illo loco contentum reddit luminosum. Destruatur iste aer per immissionem alicuius corporis transparentis, vt puta massæ crystallinæ: licet aer inde deficiat, radius tamen ibi manet quod apparet in crystallino ibi existente. Manet. n. radius illuminās crystallum. Sic est in vnione animæ rationalis ad corpus. Esse. n. eius non dependet à corpore, & ideo non perit cum corpore. Lux vero ignea è duobus modis, scilicet in carbone & in flāma. In carbone est lux materiæ grossæ & terrestris: & inde est quod non est radiosa, id est, de se non immittit radiū immutantem aerem vicinum: lux vero in flamma vnitur materiæ subtiliori quæ est vapor resolutus à corpore, sc. à carbone inflammato, & est lux in flamma radiosa: vtraque tamen lux tam in carbone quam in flamma innititur materiæ, ita quod deficiente materia lux deficit. Sic est de vegetabili & sensibili: vegetabile enim deficit deficiente corpore, cuius perfectio est, similiter & sensibile. Ad ostendendū quod anima non perit cum corpore, nō multum vtemur auctoritatibus sacræ Scripturæ, cum error ille locum non habeat in eis qui Scripturas sacras nouerunt & eas receperunt: quia quasi infinitæ sunt auctoritates in sacra Scriptura, quibus error iste destrui potest: sed testimonijs nobilium Philosophorum, & rationibus potius vtemur. Falsitatem huius erroris ostendit Tullius, dicens: Non est lugenda mors quam immortalitas consequetur. Idem loquens de eo qui recte vixit: Ex hac vita, inquit, discedit tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Cōmorandi enim tantum diuersorium nobis, non habitandi dedit. Idem in quæst. Tusc. Quid nisi illud vitale quod intra non est, dumque mole corporis premitur, in cœlestis regionis contemplatione se transire illuc ad inhabitandum post depositionem ipsius auolet? Item in Rhetor. Probabile videtur sapientibus pœnas esse paratas apud inferos. Item Senec. in lib. de Natur. quæst. Si volumus tranquillè degere, anima in expedito habenda est, siue illam insidiæ, siue morbi petant. Quid aliud debeo, quam exeuntem hortari, & cū omnibus bonis emittere? vade fortiter, vade feliciter, nihil dubitaueris reddere. Nō de re, sed de tempore quæstio est. Facis quod quandoq; faciendū est. Rerum natura quæ te genuit expectat, & locus melior ac tutior. Idem Mercurius: Animæ, inquit, post dissolutionem cogentur credere pœnis quæ in vita noluerunt credere verbis. Plato etiam in Timæo dicit animam post dissolutionem variis affligi pœnis. His testimoniis Philosophorum patet quod anima rationalis non perit cum corpore. Rationibus vero multipliciter potest idem ostendi. Et primo per iustitiam Dei, quæ si est, reddet tam bonis quam malis secundū eorum merita, bonis præmia, malis pœnas. Ecclesiast. vltim. *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium.* Sed retributio ista non fit in præsenti, cum mali hic floreant & boni opprimantur. Iob 12. *Quare impii viuunt, subleuati sunt, confortatique diuitiis?* Et Hieronym. 12. *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui præuaricantur, & inique agunt?* Et in Psalm. *Vsquequo peccatores Domine, vsquequo peccatores gloriabuntur?* ergo ista retributio erit post hanc vitam. Manent ergo animæ post mortem. Idem potest ostendi per Dei bonitatem: quia cum Deus singulariter sit bonus, maxime tamen bonus est amicis suis, & maxime amat amantes se. Prouer. 8. *Ego me diligentes diligo.* Hoc autem

[margin: Animæ immortalitas probatur.]

verum non esset si anima periret cum corpore, nec esset alia vita post istam. Amici enim Dei in hac vita sunt egentes, augustiati, afflicti. Heb. 11. Et 1. Corin. 15. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus: miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Si non esset alia vita, verum esset quod dicunt peruersi Iudæi. Mal. 3. *Vanus est* (inquiunt) *qui seruiuit Deo: & quod emolumentum quia custodiuimus præcepta eius?* Non esset emolumentum, vt videtur, sed detrimentum in hac vita affligi, si in futuro non sperarent amici Dei pro hac afflictione delectari, & vtilius esset eis bonis præsentibus adhærere, & in eis delicate viuere, quam Deo adhærere, & mandata eius obseruare. Item potest ostendi quod anima cum corpore non pereat per sapientiam Dei, quæ non potest fallere nec falli. Falleret auté eos qui credunt contemptum præsentis vitæ consulendo & præsentium bonorum, si non sequeretur alia vita melior & alia bona meliora. Matt. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vẽde omnia quæ habes*, &c. Et Ioan. 12. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Item quod anima non pereat cum corpore, ostenderunt qui hoc per experientiam nouerant, qui à morte suscitati fuerunt, vt Christus & Lazarus, & illi de quibus legitur ad Hebræos 11. *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.* Item etiam ostendunt virtutes quas mortui operãtur. Vnde Gregor. in 4. lib. Dialog. Pensa qualiter animæ viuunt illic vbi viuunt, quorum hic & mortua corpora in tot miraculis viuunt. Si igitur vitam animæ manentis in corpore deprehẽdis ex motu membrorum, cur non perpẽdis vitam animæ post corpus, etiam per ossa mortua in virtute miraculorum? Idem ostenditur per ordinem quem habet homo inter creaturas. Est enim creatura media inter iumentum & Angelum: Vnde communicat cum iumento in corporis mortalitate, & cũ Angelo in animæ immortalitate. Gregor. lib. 4. Dialog. Homo sicut in medio creatus est vt esset inferior Angelo, superior iumento: ita aliquid habet commune cum summo, & aliquid commune cum infimo, immortalitatem scilicet spiritus cum Angelo, mortalitatem vero corporis cum iumento. Idem ostenditur per similitudinem quam habet anima cum prima materia. Sicut enim prima materia se habet ad omnes formas sensibiles & corporales: ita se habet substantia intellectiua ad formas intelligibiles & spirituales. Ergo sicut prima materia non est corruptibilis ab aliqua forma sensibili vel corporali; ita substantia intellectus non erit corruptibilis ab aliqua forma intelligibili & spirituali, & multo minus à forma corporali, cum propter sublimitatem suæ essentiæ talis corruptio non possit ad eam attingere. Relinquitur ergo quod ipsa sit incorruptibilis & immortalis. Item omne quod destruitur, aut destruitur separatione formæ à materia, aut à diuisione partium integralium, aut destructione subiecti seu deferentis, aut absentia causæ. Separatione formæ res destruitur dupliciter: aut diuisione formæ quæ non manet separata, vt cum diuiditur anima rationalis à corpore, cum diuisio dicitur mors; vel diuisione formæ quæ non manet separata, vt in extinctione ignis, & hæc diuisio vocatur proprie corruptio. Diuisione partium integralium fit destructio, vt cum ligna & lapides destruuntur, destruitur domus. Destructione vero subiecti, vt destructo pariete destruitur pictura quæ erat in eo, & quantitas. Destructione deferentis destruitur quod deferebatur: vt fracto vase effunditur liquor qui in eo erat. Absentia causæ fit destructio, vt sole subtracto destruitur dies. Primo modo non potest destrui anima rationalis: non est composita ex materia & forma, vt ostensum est prius vbi destructus est error qui ponit animas cum corporibus seminari: ergo non potest fieri in ea diuisio formæ à materia. Præterea si diceretur quod esset ex materia &

Re… par… on… ma… tru… dup… cite…

forma composita, adhuc potest ostendi quod forma illius non potest destrui, quia non habet contrarium quo destruatur. Anima enim potens est intelligere omnia: quod non esset verum si aliquid esset ei contrarium. Anima enim non esset receptibilis illius nec similitudinis eius: ergo non posset intelligere ipsum. Præterea visus nullam formam visibilem habet sibi contrariam: ergo nec intellectus aliquam formam intelligibilem habet sibi contrariam. Item non potest destrui anima rationalis destructione partium integralium, cum simplex sit, & careat huiusmodi partibus. Item destructione subiecti non potest destrui: qui si poneretur eius subiectum, non poneretur aliud quam corpus, ipsa autem non se habet ad corpus vt accidens ad subiectum. Est enim perfecta substantia, receptibilis enim est secundum se oppositorum, manens intransmutata secundum essentiam, quod proprium est perfectæ substantiæ. Si quis tamen obiiciat de superficie quæ quantitas est, non substantia, quæ tamen recipit contrarios colores: Dicendum est quod ipsa non recepit colorem secundum se, sed secundum virtutem subsistentem corporeæ substantiæ: sed anima rationalis secundum se receptibilis est oppositorum, non secundum naturam corporis cui vnita est, vt virtuti & vitiis, scientiæ & ignorantiæ, & multorum aliorum, quæ cum sint spiritualia non recipiuntur in ea secundum naturam corporis. Item non potest destrui anima destructione deferentis, cum non indigeat in deferenti, sicut liquor vase indiget quo contineatur. Item non potest destrui absentia causæ, quia à prima causa immediate fluit, cuius absentia nihil destruitur, vel cuius præsentia semper adest omnibus, & nunquam est absens: quantum enim in se est, semper influit in creaturas esse & permanentiam: ergo anima rationalis nullo modo potest destrui, cum nullo prædictorum modorum destructibilis sit, nec alius modus destructionis possit inueniri. Item omne esse mortale paulatim debilitatur & deficit, donec veniat ad vltimum defectum qui est mors: virtus autem intellectiua sua duratione inualescit & proficit, vt quanto est antiquior, tanto sit ad intelligendum validior: ergo habet esse immortale. Item virtus quæ non habet finem in operatione, non habet finem in tempore: virtus vero intellectiua non habet finem in operatione: non enim determinata est ad intelligenda tot, quin adhuc plura possit intelligere: ergo non habet finem in tempore. Item virtus corruptibilis læditur à vehementi subiecto, vt visus à vehementi lucido: intellectus autem non læditur à vehementi intelligibili, immò magis confortatur: ergo non est corruptibilis. Item ex conditione obiecti cognoscitur conditio potentiæ, & ex conditione potentiæ conditio substantiæ: cum ergo obiectum virtutis intellectiuæ sit vniuersale incorruptibile, virtus intellectiua incorruptibilis est. August. in lib. Soliloqui. sic probat immortalitatem animæ: Omnis, inquit, substantia comprehensiua veritatis inquantum est veritas, est immortalis: sed anima rationalis est huiusmodi, ergo est immortalis. Veritatem hic intellige essentiam rei inquantum est abstracta à materia & omnibus materialibus conditionibus, vt apprehenditur homo cum prædicatur de omnibus hominibus. Item omnis substantia cuius operatio non dependet à corpore, ipsa non dependet ex corpore: sed operatio substantiæ intellectiuæ non dependet ex corpore, scilicet intelligere, ergo nec substantia intellectiua dependet ex corpore: ergo est separabilis à corpore, & potest viuere sine eo. Item virtus cuius operatio impeditur à corpore, non dependet à corpore: sed talis est virtus intellectiua Quanto enim corpori se plus immergit per solicitudinem & amorem temporalium delectationum: tanto intelligit obtusius & tardius. Quanto autem se elõgauerit, tanto clarius & facilius: ergo ipsa

non dependet à corpore. Præterea si intellectus dependeret à corpore, sequeretur confortatio eius ad confortationem corporis, & debilitatio ad debilitationem. Aliter tamen est. Nam in senectute est corporis debilitatio & intellectus confortatio. Sicut enim iuniores melius sentiũt, sic seniores melius intelligunt. Iob. 12. *In antiquis est sapientia.* Si quis tamen obiiciat quod intellectus videtur dependere ex corpore, cum eius operatio impediatur ægritudine corporis, vt patet in phreneticis. Similiter intellectus sensu & imaginatione indiget, cum non fiat sine illis. Dicendum est, quod aliud est virtutem impediri à læsione, aliud ex occupatione. Intellectus impeditur occupatione animę circa opus alterius virtutis, sed non læditur: vt visus, vel auditus exterior occupans animam circa exteriora impedit vt illa hora non vacet intellectiuæ operationi. Sic in laborantibus phrenesi, vel similibus passionibus, sunt sicut somnia fixa & adhærentia propter infectiones difficile separabiles. Et quemadmodum somnia mentem tenent circa fantasmata occupatam: sic illæ alienationes operationem intellectus mentem occupando expediunt. Expurgata autem huiusmodi infectione, intellectus tanquam nihil passus læsionis ad proprias operationes reuertitur. Ad secundum dicendum, quod licet intellectus non fiat in nobis sine sensu & imaginatione: tamen est sine illis. Exponit simile Aug. ad portum non deuenitur nisi per nauem, est tamen esse in portu sine naui. Vel potest distingui duplex facies virtutis intellectiuæ: inferior, & superior: quantum ad inferiorem, indiget intellectus sensu & imaginatione: quantum vero ad superiorem, secundum quam est nobilis perfectio & potissima, intellectus non indiget: illuminatur enim à prima veritate. Item potest ostendi quod anima rationalis non pereat cum corpore multis aliis modis. Primo sic. Cum nullus motus naturæ sit frustra, omne quod naturaliter mouetur non est naturali impossibilitate prohibitum à fine ad quem mouetur: ergo cum anima rationalis naturaliter appetat beatitudinem, non est impossibile ei assequi eam, sed impossibile est quod eam assequatur in bonis præsentis vitæ: ergo ipsa manet post præsentem vitam. Quod in bonis præsentis vitæ beatitudinem non assequatur, sic potest ostendi: Possessores bonorum corporalium, aut amant ea, aut non amant. Si nõ amant, ergo sunt eis oneri, & non assequuntur felicitatem in eis. Si vero amãt ea, ergo sunt vniti eis per amorem, & sunt obnoxii omnibus passionibus quibus illa subiacent. Amans enim necessario compatitur amato propter vnionem amoris si passio rei amatę ad ipsum per apprehensionem peccauerit. Ergo nec in isto casu felicitatem in bonis istis assequuntur. Item nobiliori virtuti nobilior competit perfectio. Ergo quum vires animæ quibus homo antecellit bruta animalia, nobiliores sint viribus illis quas communicat cum brutis, eis competit perfectio nobilior. Ergo felicitas alia erit animæ rationalis secundum vires illas nobiles, quam sit ea quæ est secundum vires inferiores quæ est in bonis præsentis vitæ.

Præterea quum nobilis pars animæ habeat proprias suas operationes & propria gaudia, & propriam libertatem & securitatem, habebit ipsa propriam felicitatem, non in bonis corporalibus, cum ipsa separata sit à corpore, vt iam ostendetur: sed in bonis spiritualibus. Item quicquid est morti obnoxium, non est beatum: ergo quum homo in præsenti vita subditus sit necessitati moriendi, in ea non est perfecte beatus.

Item omnis virtus omnino separata à corpore non est corruptibilis corruptione corporis, sed vires quæ sunt propriæ animæ rationalis, intellectus scilicet & voluntas, omnino sunt separatæ à corpore: ergo nõ sunt corruptibiles corruptione corporis. Maior multipliciter probatur. Primo sic. Vis vnita corporis siue operans per organum,

organum, operatur secundum proprietatem & possibilitatem organi tantum: vt visus non iudicat de labore, vel sono; sed de colore quia color pertinet ad naturam oculi. Nullum autem organum corporale possibilitatem habet ad incorporalia. Nulla ergo vis operans per organum corporale est cognitiua nisi corporalium tantum. Præterea operatio intellectus est per abstractionem à materia & materialibus conditionibus: sed omnis operatio est secundum naturam virtutis à qua egreditur: ergo intellectus est abstractus à materra, & non habet organum corporale. Item nulla virtus incorporata, id est, parti corporis determinata, siue operans per organum est cognitiua sui: non enim potest referri vel reflecti supra se: vnde nec oculus se videt, nec imaginatio se imaginatur quum ergo intellectus se intelligat, non est incorporatus alicui, scilicet parti corporis determinatæ vnitus.

Item quod cognoscitur, est in cognoscente secundum naturam cognoscentis: & non secundum naturam rei cognitæ: & generaliter quod recipitur in aliquo, est in recipiente secundum naturam recipientis. Quum ergo corporalia & materialia sint in intellectu secundum modum immaterialem, scilicet denudata à materia & materialibus conditionibus, intellectus immaterialis est, & non incorporatus alicui parti corporis. Item quum voluntas quæ est propria animæ rationalis libera sit, flexibilis, & ad ea quæ sunt delectabilia corpori, & ad ea quæ sunt corpori contraria, vt sunt macerationes carnis, & ipsa mors corporalis: manifestum est quod voluntas illa à corpore separata est, vnde non est cum corpore corruptibilis. Item non est necesse rectorem nauis mori quum nauis dissipatur, nec militem occidi quum equus cui insidet occiditur, nec artificem perire, licet aliquod de instrumentis eius quo ad aliquam operationem ignobilem vtitur, defecerit: sic non est necesse quod spiritus rationalis pereat, licet corpus quod est eius organum quantum ad aliquas eius operationes minus nobiles pereat. Præterea nihil creatum est propter ignobilius & vilius se: ergo anima rationalis nō est principaliter creata propter operationes virium quas habet communes cum brutis, vel propter bona ista corporalia quia viliora sunt: ergo non est necesse eam perire, licet nō possit exercere operationes illas minus nobiles circa bona ista corporalia. Item quum anima rationalis nobilior sit quacunque creatura corporali, & Deus communicauerit esse perpetuū alicui creaturæ corporali, vt corporibus cœlestibus ipse communicauit, illud etiam animæ rationali. Item Deus quum communicauerit animæ rationali intelligere, non solum creaturam corporalem, sed etiam creaturam spiritualem & ipsum creatorem, ipse communicauit ei esse perpetuum: quum capacitas Dei per intelligentiam longe melior sit perpetuitate essēdi. Item quum dederit Deus creaturæ rationali vt possit habere amicitiam cum Deo, lex vero amicitiæ requirat bonorum communionem: verisimile est quod communicauerit ei immortalitatem. Præterea quis fidelis amicus à morte amicum suum non seruet si potestatem habeat? ergo verisimile est quod Deus amicos suos seruet à morte qua omnino pereant. Mors corporalis amicorum Dei non est mors, sed potius somnus vel transitus ad meliorem vitam. Ioan. 11. *Lazarus amicus noster dormit.* Et Matth. 22. *Non est Deus mortuorum, sed viuentium.* Item quæ à solo Deo in esse producuntur, perpetua sunt, nisi sint accidentia vel formæ dependentes à materia: sed anima rationalis non est accidens, nec forma dependēs à materia, sed à solo Deo est per creationem, vt prius ostensum est, ergo ipsa habet esse perpetuum. Quod ipsa non sit accidens, sic probatur: Nullum accidens nobilius est substantia: sed omne mouens & regens substantiam est nobilius & actualius &

virtuosius substantia quàm mouet & quá regit: ergo nullum tale est accidens: sed talis est anima rationalis: ergo ipsa non est accidens. Quod vero non sit forma à materia dependens, prius ostensú est. Possumus etiam vti ad destructionem dicti erroris ostensione qua vsus est quidam religiosus contra philosophum quendam qui negabat animam esse immortalem. Aut anima, inquit, est mortalis, aut immortalis. Si anima mortalis est, & credis eam esse immortalem, nullum tibi inde prouenit incommodum. Si autem immortalis est, & credis eam esse mortalem, aliquod potest tibi inde venire incommodum: ergo melius est vt anima credatur esse immortalis, quam mortalis. Qui secundum Sapientem, si propositis duobus istius sit consecutiuum bonum, illius vero malum: magis est eligendum cuius consecutiuum est bonum, quam illud cuius consecutiuum est malum. Et iuxta verbum quod Tullius refert in libr. de Senect. Catonem dixisse. Si anima mortalis est qui credunt eam esse mortalem, non erunt post hanc vitam qui nos confundant de contraria opinione. Si vero sit immortalis, nos qui sumus huius opinionis poterimus eos confundere qui contrariæ opinionis sunt. Et hæc contra dictum errorem sufficiant.

CAPVT XXII.

De Errore negantium resurrectionem corporum.

SEquitur de errore illorum qui negant corporum resurrectionem. Ad destructionem vero huius erroris, primo ponemus testimonia sacræ scripturę, deinde rationibus vtemur. Legitur Exod. 3. *Deus patrum nostrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac & Iacob misit me ad vos.* Quo verbo vtitur Dominus Matth. 12. ad probationem resurrectionis, subdens. *Non est* (inquit) *Deus mortuorum, sed viuentium* Gloss. probat per hoc animas post mortem permanere. Non enim diceretur Deus non existentium: & introducitur etiam corporum resurrectio, quę cum animabus bona vel mala quæ gesserunt recipient. Item Iob. 19. *Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum.* Et eiusd. 13. *Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit.* Et Esa. 26. *Viuent mortui tui.* Et Ezechiel. 27. *Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis.* Daniel 12. *Multi de his qui dormiunt in puluere terræ, euigilabunt.* Ionæ. 3. *Subleuabit de corruptione vitam.* 2. Mach. 7. *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vitæ retributione suscitabit.* Et in eodem. *E cœlo ista possideo, sed propter Dei leges hæc ipsa despicio: quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* Eiusd. 12. *Iuste & religiose de resurrectione cogitans.* Matt. vlt. *Multa corpora mortuorum qui dormierant resurrexerunt.* Ioan. 5. *Procedent qui bona fecerunt in resurrectione vitæ.* Eiusd. 11. *Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die.* 1. Cor. 6. *Deus & Dominum suscitauit & nos suscitabit per virtutem suam.* Eiusd. 15. *Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.* Ibid. *Insipiens quod tu seminas non viuificatur, nisi prius moriatur.* Item in eodem: *Omnes quidem resurgemus.* Item: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem.* Et 2. Corinth 4. *Scientes quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum illo suscitabit.* Ephe. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, & mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Philippen. 3. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ &c.* 1. Thessalonic. 3. *Nolumus vos ignorare de dormientibus.* Iac. 5. *Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis.* Erit ergo caro nostra in futuro Act. 26. *Quid incredibile iudicatur apud vos si Deus mortuos suscitat?* Rationibus sic potest corporum resurrectio suaderi. Omnem iustitiam iudicis iusti in cuius terra multa fiunt digna præmio & supplicio, quem

nec fallit ignorantia, nec prohibet impotentia, necesse esse quandoque conuerti in iudicium: sed talis iudex Deus est: ergo eius iustitia quandoque conuertetur in iudicium. Sed hoc non fit in præsenti vniuersaliter, quum mali floreant & boni opprimantur: fiet ergo in futuro, & reddet Deus vnicuique prout meruerit. Ergo hominibus qui sibi seruierunt mercedem reddet, quod fieri non potest nisi ipsi resurgant. Tali argumento vsus est Barnabas ad probandam resurrectionem philosophis qui erant Romæ: vt legitur in libro Clementis. Iustum est, inquit, quemlibet seruientem alicui remunerari, & inde vt prius. Si quis tamen dicat homines posse remunerari in animabus sine corporum resurrectione, non valet responsio. Quũ enim anima sine corpore homo non sit, nec remuneratio animæ sine corpore est remuneratio hominis. Præterea cum homo seruierit Deo & corporalib. operibus & spiritualibus, & non minus Deus sit liberalis remunerando, quam homo seruiendo, vtroque modo & in corpore & in anima debet remunerari. Item similium meritorum apud eundem iudicem similis debet esse remuneratio. Ergo cum Christus seruiẽdo patri in corpore & anima meruerit in corpore, & anima remunerari: alij similiter Deo seruientes similem remunerationem merebuntur. Corint. 15. *Si resurrectio mortuorum non est, neq; Christus resurrexit.* Item in Psal. *Nunquid enim vane constituisti omnes filios hominum?* Vane siue frustra sunt constituti, si participes non sunt beatitudinis, si moriuntur non resurrecturi. Præterea si corpus animæ compatitur: quare non conregnabit & glorificabitur? Item quum anima naturaliter appetat esse in corpore, quod ostendit dolor in separatione: & omnis appetitus naturalis imperfecta animæ beatitudine debeat impleri, corpus tradetur ei fini quo appetitus eius naturalis non impleretur. Præterea quum constat animæ perpetuæ non sufficere organum, necessario corruptibile ex prima ordinatione corpus humanum non fuit tale: ergo quum per Christum restauratio perfecta fiat, perpetuum corpus animæ tradetur: fiet ergo resurrectio corporum. Item quum aliquæ actiones corporales sint meritoriæ, vt opera misericordiæ, de quibus legitur Matth. 25. caro sicut socia animæ est in merito: sic socia debet esse eius in præmio: & ex quo partem pretij soluit, partem debet habere lucri: quod non erit nisi caro resurgat, ergo ipsa resurget. Item corpus humanum finis est cæterorum corporum: ergo quum inter cætera corpora quædam habeant esse perpetuum, corpus humanum habiturum est esse perpetuum. Finis enim melior est his quæ sunt ad finem: quod autem est diuturnis, melius est. Item corpora quæ habent esse perpetuum, habent illud ex Dei bonitate, & ad creaturæ vtilitatem non ad vtilitatem Dei, quum bonorum ipse nostrorum non egeat, nec ad vtilitatem creaturæ pure corporalis, quum illa nullius boni sit perceptiua. Item non principaliter ad vtilitatem creaturæ pure spiritualis, cum illa creatura corporali non egeat: ergo ad vtilitatem creaturę partim spiritualis & partim corporalis quæ non videtur esse nisi homo. Si vero aliquæ creaturæ corporales propter hominem habent esse perpetuum: multo fortius homo habiturus est esse perpetuum. Item aut corpus humanum se habet solum ad animam vt organum ad tempus necessarium, aut non. Si primo modo, quæ causa est quod anima tantum doleat, quum illud organum graue & onerosum separetur ab ea quod non est amplius ei necessarium? quis sapiens doleat cum à naui exit ad portum securum? Si vero non se habet vt organum solum, sed vt materia cum qua anima perficit speciem vnam rerum & creaturam nobilissimam: cum creaturæ minus nobiles esse perpetuum habeant,

homo etiam esse perpetuum habiturus est. Item quum anima rationalis habeat aliquas vires quæ sine corpore non possunt perfici, vt prius ostensum est: aut ipsa non perficietur omnino in futuro, aut corpus ei iterum vnietur: Item duæ causæ vnionis animæ ad corpus assignantur à Gregorio Nazianzeno: vna vt per agones certaminum quæ ei insunt aduersus terrena, cœlestis gloriæ hæreditatem acquirat, & sicut aurum igne præsentis vitæ ærumnarum probetur examine. Alia causa est, vt hanc deteriorem naturam corporis secum trahat, ac sursum supernis sedibus collocet, vnde vna causa vnionis eius est bonum animæ, alia bonum corporis: vtraque autem causa requirit vt corpus resurgat. De prima patet. Iustum est enim vt caro quæ fuit socia in certamine, socia etiam sit in gloria. De secunda idem manifestum est.

Capvt XXIII.

De errore illo qui dicit vnumquemque posse saluari in sua fide vel lege.

SEquitur de errore illo qui ponit vnumquemque saluari in sua fide vel lege, ex quo credit eam esse bonam & Deo placentem. Cui errori occasionem dedit quod cogitauerunt tantam paucitatem esse saluandorum si soli Christiani boni saluarentur. Dixerunt enim: Quum Deus non sit minus pronus ad miserandum quàm ad puniendum, quomodo tam pauci saluabuntur, sc. Christiani, & illi non omnes, sed solum boni qui pauci sunt respectu malorum? Multitudo etiam Iudæorum & gentilium damnabitur: quare ergo Dei misericordia tantam multitudinem creauit, quum præuideret eam damnandam? Et dicendum est contra huiusmodi errorem quod non est mirum si pauci sint saluandi comparatione eorum qui sunt damnandi: viliorum. n. semper est maior multitudo, quam pretiosorum: vt ferri & plumbi, quam auri & argenti: & lapidum communium, quam gemmarum: & quercuum, quam cedrorum vel palmarum. Et maior est aceruus paleæ quam grani, & maior numerus stultorum quam sapientum. Ecclesiast. 1. *Stultorum infinitus est numerus. Sic multi sunt vocati, pauci vero electi.* Matth. 20. Præterea quum in tanta multitudine hominum pauci sint reges temporales: quid mirum si pauci habituri sunt regnum cœleste? Item quum pauci ad regnum cœlorum venire curent: quid mirum si pauci perueniunt? Quomodo enim perueniēt si peruenire nolūt? Item quid mirum si pauciores ascendant in cœlum quam descendant in infernum: cum facilius sit descendere quam ascendere? Et si pauciores intrāt per angustam portam paradisi, quam per latam portam inferni. Matth. 7. *Intrate per angustam portam, quia lata est porta & spatiosa via quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.*

Quod angusta porta & arcta via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.

FAlsitas dicti erroris sic potest manifestari. Si aliquis volēs corporaliter ambulare, nollet præuidere vitæ pericula cū posset, sed oculis clausis aut auersis à via vellet incedere, merito imputaretur sibi si quid ei mali ex hoc accideret. Item si quis vellet ire ad aliquem locum viam ignorans, & peritum habens qui viam ostenderet, & ducatū præberet, & nollet sibi viam ostendi vel ducatum præberi: merito imputaretur ei si quid mali ei ex hoc accideret. Hæc duo cuiuslibet animus bene dispositus audita approbat: ergo cum pericula spiritualia magis sint periculosa, & ideo magis cauenda: si quis circa illa negligens fuerit, præuidenda vel præcauenda: merito ei imputabitur cū periculum ceciderit ex negligentia quærēdi viam veritatis & salutis, vel ductu propriæ rationis, vel quærendo ab alio, quem circa eam credit esse adeo instructum,

vel implorando diuinum auxilium, cum aliud consilium ei desit:negligētia est culpabilis & damnatione digna. Vnde de illo qui ignorans est ex negligentia huiusmodi, verum est illud 1. Corinth. 14. *Ignorans ignorabitur.* Dauid: *Noluit intelligere vt bene ageret.* Gloss. potuit intelligere, vt bene ageret, sed noluit; Itaq; veniam non habet. Ambrosius qui possent scire si vellent studium adhibere, non nescientes se contemptores iudicabuntur. Si vero aliquis seductor sub prætextu catholici doctoris alicui simplici errorem prædicet, pie credendum est quod Deus cor simplicis auertet, ne ille errori sibi periculoso credat, nisi negligentia eius vel alia culpa obsistat: *custodit enim Deus omnes diligentes se*, vt legitur in Psal. Et Prouerb. 2. *Custodiret rectorum salutem & proteget simpliciter gradientes.* Idem intelligendum est in illo casu in quo aliquis inuenit doctores contrarios, vnum fidelem & alium infidelem: nec sufficit ex proprio sensu vel ex dictis eorum, vel ex vita discernere, cum credendum sit. Dei enim misericordia ei non deerit, nisi in pulsando ad eam negligens fuerit. Infideles vero negligentes valde sunt, & inuestigando per seipsos salubrem veritatem, inquirēdo ab aliis, & implorando diuinum auxilium, & in faciendo veritatem quam ipsi nouerunt. Qui vero negligit facere bonum quod nouit faciendum, non meretur accipere notitiam faciendi id quod nondum nouit. Qui vero in talento intellectus quod iam accepit fideliter negotiatur, dignus est vt talento eius addatur. Matth. 25. Si verum esset quod ponunt qui sunt prædicti erroris, nihil esset virtus vel vitium simpliciter. Credenti enim de virtute quod esset vitium, vitiosum esset agere secundū virtutem. Et credendi de vitio quod esset virtus, esset virtuosum agere secundum vitium. Secundum hoc idē valeret error errāti quod veritas eam cognoscenti. Quædā vtilia ad destructionē dicti erroris, requiret supra in cap. vbi ostensum est quod vnica sit fides vera. In hoc vero quod Deus creauit tantam multitudinem hominum quam præuidebat esse damnādam, mirari debeo diuitias bonitatis Dei, quę tantę multitudini tot & tanta dedit bona, quum tamen præuideret eos futuros ingratos. Mireris etiam peruersitatem hominum qui largitorem omnium bonorum donis eius impugnant. Nec solum ad Dei misericordiam debes habere oculum: sed etiam ad Dei iustitiam quæ non minor est quam eius misericordia, quæ illos quos misericordia creat, pascit, & regit, & seruat, ingratos de acceptis beneficiis merito damnat. Quid mirum si iustitia peccatoribus reddit quod meruerunt? Nemo miratur de hoc quod ignis calefacit, vel sol illuminat, vel Dei misericordia bonis beneficia tribuit: sic mirari non debes si iustitia Dei eos qui rebelles sunt Deo, punit. Non miratur aliquis si quod seminat aliquis hoc metat: sic mirandum non est si peccatores mala metāt quæ seminānt. Eccl. 7. *Noli facere mala, & non te apprehendent.* Et iterum: *Non semines mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septuplum.* Galat. 6. *Quæ seminauerit homo, hæc & metet.* August. Dicet aliquis: si Deus vellet, isti boni essent: sed melius voluit vt quod vellent essent: si boni, non infructuose: si mali, non impune. Eccl. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.* Et paulo post: *Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam: ante hominem vita & mors, bonum & malum quod placuerit ei dabitur illi.* Mirari etiam debes sapientiam & bonitatem Dei, qui pœnis malorum vtitur ad bonum electorum. Inæstimabile enim gaudium erit electis in futuro cum perfecte agnoscent pulchritudinem diuinæ iustitiæ: quam tāto plus amabunt, quanto amplius agnoscent, & tanto amplius gaudebunt, quanto amplius agnoscent & amabunt. Psalm. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam.* Item: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domi-*

Psal. 44.

Psal. 53.

ne. Duplex erit materia cantus saluatis, scilicet misericordia electorum, & iudicium reproborum. Gregor. Omnipotens Deus quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur: quia autem iustus est, ab iniquorum vltione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio deputati sua quidem iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid ardebunt: s. vt iusti omnes & in Deo videant gaudia quæ percipiunt, & in illis respiciant supplicia quæ euaserunt; quatenus tanto magis in æternum diuinæ gratiæ debitores se esse cognoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt quæ eius adiutorio vicerunt.

Capvt XXIV.

De errore illorum qui dicunt animas in mortali peccato decedentes non puniri æternaliter.

SEquitur de errore eorum, qui dicunt animas, quæ in peccato mortali decedunt non puniendas æternaliter. Qui error valde periculosus est, funditus. n. destruit sapientiam, bonitatem in cordibus hominum cum euacuet timorem Domini, qui est principium sapientiæ. Prouer. 1. *Et sine quo non est iustificatio*. Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit iustificari*. Error iste dum impunitatem hominibus promittit, pronitatem ad peccandum in eis efficit. impunitas enim est nutrix trãsgressionum: vt ait Bern. Huic errori occasionem dare potuit illud Matth. 7. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*, & illud Apoc. 18. *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit: tantum date ei tormentum & luctum*. Non esset, inquiunt, mensura pœnæ secundum mensuram culpæ, si peccato momẽtaneo pœna æterna redderetur. Sed verba prædicta sic intelligenda sunt, vt fiat comparatio in genere, vt qui multum peccauit, multum puniatur, & qui minus peccauit, minus; & qui amplius, amplius: non quod sit necesse pœnam esse æqualem culpæ secundum durationem, imo pœna quantum ad durationem multo maior potest esse quam culpa. Sicut multipliciter potest ostendi. Et primo per pœnas ab humano iure positas quę multo amplius durant quam peccata pro quib. inflicta sunt durauerint. Aug. 21. libr. de ciuit. Dei. Octo genera pœnarum in legibus esse scribit. Tullius, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, seruitutem. Quid horum est quod in breue tempus pro cuiuslibet peccati celeritate coërcetur, vt tanta vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratum, nisi forte talio? Demum bellum acquirit perpetuam seruitutem. Præterea cum perpetratio peccati vulneratio spiritualis sit, quid mirum si à vulneratione breuissimi temporis relinquatur vulnus multæ durationis, aut etiam mors à qua non est regressus ad vitã nisi miraculose? Item cum perpetratio peccati casus sit in profundum, quid mirum si casus iste breuissimo tempore fiat, & tamen qui sic cecidit in profundo multo tempore maneat? Item cum perpetratio peccat. transgressio sit legis, non est mirum si mutilatio quæ perpetua est, naturaliter pro illa infligatur cum etiam perpetratio peccati ligatio sit peccantis, secũdum illud Prou. 5. *Funib. peccatorum suorũ quisque constringitur*: non est mirum si ille qui ligatus est breui tempore, diu ligatus maneat. Item cum peccator breui voluptate se vendat, quid mirum si emptori eius acquiratur ius perpetuum? Præterea cum non minor sit Dei iustitia quam misericordia, nec minus sit æterna; quare miratur quis quod Dei iustitia æternaliter puniat malos, & non miratur quod Dei misericordia æternaliter remunerat bonos, cũ partium causarum pares soleãt esse effectus? Præterea per se notum est, quod qui addit super peccatum suum contumaciam, seu impœnitentiam, auget merito & pœnam:

& quantum durat iniuria, debet durare & pœna; quia ergo existens in inferno addit super peccatum suum contumaciam vel impœnitentiam (nulla.n.vera pœnitētia vel emendatio est apud inferos) & tādiu durat Dei iniuria, quandiu ei nō emēdatur: merito durabit semper ipsius pœna. Præterea peccator peccauit in suo æterno vsque ad mortē in peccato perseuerando, ideo merito punietur in æterno Dei. Pet. 4. lib. Dial. Scire velim quomodo iustum sit vt culpa quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur. Greg. Hoc recte diceretur si districtus iudex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui.n. ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerūt. Nam voluissent vtique si potuissent sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare. Ostendunt.n. quia in peccato semper viuere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare dum viuunt. Ad magnam ergo iudicantis iustitiam pertinet vt illi nunquam careat supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato. Aug. Quia æternam habere voluit peccati perfruitionem, æternam inueniet vindictæ seueritatem. Item maculatio imaginis diuinæ semper manebit in anima dānati: vnde cum peccatum quantum ad maculam semper maneat, pœna peccati merito semper manebit. Aug. Merito in cælesti ciuitate imaginem ipsorum ad nihilum rediget Deus, qui in sua terrestri ciuitate imaginem ipsius ad nihilum redigerunt. Item quanto minus bonum est, Deo quod ei præfertur, tanto maior ei contumelia infertur. Cum ergo omne quod est vel esse potest in infinitum minus bonum sit, Deo quidquid ei præferatur, infinita contumelia infertur ei, omni autem mortali peccato aliquid ei præfertur. Peccare.n. est secundum Aug. spreto incommutabili bono bonis commutabilib. adhærere. Omni ergo mortali peccato infertur Deo infinita contumelia: merito ergo à Deo pro quolibet mortali infertur infinita pœna. Item si quis peccaret in aliquem æqualem sibi, aliquantum peccaret in eum: & si simile peccatum committeret in maiorem, magis peccaret, vt si in sacerdotem: & si in maiorem sacerdotem, vt in episcopum, & tunc magis peccaret, ergo si peccat in Deum qui in infinitum maior est quolibet puro homine, in infinitum magis peccat. Cum ergo infinitum sit peccatum in quo quis contemnit Deum, merito infinita pœna ei debetur. Item obligationes & transgressiones proportionales sunt: qui æqualiter tenentur ad aliquid faciendum, æqualiter peccant non faciendo illud: sed obligatio qua quis tenetur Deo obedire & seruire, infinita est: ergo culpa transgressionis est infinita. Quod obligatio sit infinita, sic probatur: Non est possibile quod creatura rationalis liberet se à debito obediendi vel seruiendi Deo; cum ergo obligatio illa sit intransibilis, infinita est. Præterea si quis dedisset mille marcas gratis alicui, aliquantulum esset obligatus ei: ergo cum solus oculus vel lingua in infinitum pretiosior sit mille marcis auri, in infinitum magis obligatus est homo Deo ratione solius oculi vel linguæ, quam esset ratione mille marcarum auri. Quid ergo erit de obligatione ratione totius corporis, & quid de illa quæ est ratione animæ quæ in infinitum est melior corpore? Patet ergo quod obligatio obediendi vel seruiendi Deo infinita est. Item si anima rationalis non haberet durare nisi per diem vnam, tamen esset obligata Deo ratione diurnæ vitæ aliquanta obligatione: & si per duos dies, ratione vitæ duorum dierū esset obligata duplo maiori: & sic ascendendo. Ergo ratione infinitæ vitæ obligata est Deo obligatione in infinitum maiori. Quum ergo obligatio infinita sit, culpa transgressionis est infinita: & deo merito debetur ei infinita pœna. Item quum opera Dei vniuersa completa sint, opera iustitiæ eius diminutionem non habebunt: & sicut retributiones eius perpetuæ erūt, ita & vindictæ & pœnæ perpetuæ erunt. Præterea

Obligatio hominis in Deum infinita.

[Q]uid [p]eccate[…]

cum mala merita omnino nostra sint, bona vero merita fere omnino sint Dei, magis debentur nobis de iustitia pœnæ malorum meritorum, quam bonorum præmia: ergo magis sumus puniendi de iustitia pro malis meritis, quam remunerandi pro bonis. Si ergo æternaliter pro bonis aliquis est remunerandus æternaliter, pro malis erit aliquis puniendus. Item proportionalia sunt peccata pœnis: si ergo nõ est comparatio peccati ad peccatum, non erit comparatio pœnæ ad pœnam. Cum ergo non sit comparatio peccati eius qui furatus est ouem, & peccati eius qui occidit hominem innocentem, non erit comparatio pœnæ ad pœnam: ergo si pœna primi peccati est temporalis, pœna secundi erit perpetua: ergo Deus aliquos perpetuo punit. Si forte ad hoc dicatur: quod licet possibile sit aliquam mereri pœnam æternam: tamen clementia Dei non sustineret eum puniri tanta pœna. Quærimus ab eo, vtrum sustineret Deus eum puniri aliqua pœna, vel nulla? Si nulla, euacuatur Dei iustitia. Si aliqua, ergo vel temporali vel æterna. Si æterna, habeo propositum. Si temporali, cum pœna temporalis comparatione æternæ minus sit quam leuatio vnius festucæ de terra, respectu excoriationis vel detruncationis capitis. Sicut iudex deridendus esset si eum qui meruisset excoriationẽ vel capitis detruncationem, puniret leuatione festucæ de terra: sic ridiculosa esse videretur Dei iustitia, si debitorem pœnæ æternæ puniret sola pœna temporali: vnde adhuc euacuaretur Dei iustitia. Item legitur Esa. vlt. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Hierem. Ignis ille tamdiu succenditur, quamdiu habet materiam qua vorax flamma pascatur. Materia ista mala voluntas est quæ semper viuet in dãnatis: ideo ignis ille nunquam extinguetur. Aug. Voluntas punitur siue supplicio animi siue corporis, vt quæ delectatur in peccatis, ipsa plectatur in pœnis. Io. 10. Luet quæ fecit omnia, nec tamen consumetur. Glos. Cuius vita mortua fuit in culpa, eius mors viuet in pœna. Item non consumetur in morte: sed vt sine fine crucietur, viuere sine fine compellitur. In Ps. *Mors depascet eos.* Glos. Hoc dicitur à Psal. 41.
simili iumẽtorum quæ non radicitus herbas vellunt, sed summitates capiunt: vnde iterum herbæ nascuntur ad pastum. Sic & illi morte repasti reuiuiscunt, quia non deficiunt. Gregor. Morte immortali morientur impij. Bernard. in Epistolis: Ob hoc inflexibilis & obstinatæ mentis punietur æternaliter malum licet temporaliter perpetratum: quia quod breue fuit tẽpore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate. Auctoritates Noui Testamẽti quæ pœnarum æternitatem ostẽdunt, require supra in cap. vbi destruitur error eorum qui ponunt animas non esse in corporibus humanis, sed dæmones inclusos, vt ibi agant pœnitentiam. Item merito pœna æterna punientur, qui gloria æterna à malo reuocari noluerũt. Item quum bonitas Dei summe odiat malum, sicut summe diligit bonum: ipsa æternaliter puniet malum, sicut æternaliter remunerabit bonum. Item in præsenti tempus est operandi: in futuro vero non erit tempus operandi, sed pro opere facto hic mercedem recipiendi. Ec. 19. *Quodcunque potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos quò tu properas.* Non metet ibi aliquis quod hic non seminauit: ergo qui male vixit hic, & in malitia vitam finiuit, non saluabitur. Matth. 7. *Nunquid colligunt de spinis vuas aut de tribulis ficus?* Sic ex malitia vitæ quam hic aliquis habuit: non colligit ibi dulcedinem præmij. Merita etiam ibi mutari non poterunt: Ecclesiast. 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Gregor. 4. libr. Dialog. Qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio presentatur. Et vt breuiter dicamus, vita præsens disponit de futura: vnde quum futura vita sit

fine fine, eo quod animæ sint immortales: præsens vita præparat futuræ vel miseriam sine fine, vel felicitatem sine fine.

CAPVT XXV.

De Errore ponentium animas in charitate decedentes, nulla pœna purgatoria puniri. Et primo de errore illorum qui dicunt nullum peccatum esse veniale.

SEquitur de errore illo qui ponit animas eorum qui in charitate decedunt, nulla pœna purgatoria in futuro puniendas. Qui error habet tres errores sibi annexos. Primus est, quod nullũ peccatũ est veniale. Secundus est, quod quãdo dimittitur culpa, dimittitur & pœna: quod si decedat, nulla pœna purgatoria punietur. Tertius, quod suffragia Ecclesiæ non prosint mortuis. Circa primum errorẽ notandum est, quod qui sunt illius erroris non sentiunt de Domino in bonitate, cum credant eum pro quacunque offensa seruis suis irasci ad mortem. Dicunt enim omne peccatum esse mortale. Et est error iste improbabilissimus. Non enim est verisimile quod pater misericordiarũ pro quacũque offensa filios suos exhæredet. Item verisimile est quod sicut habet gladium mortis æternæ quo vtitur in seruos maleuolos pro magnis offensis: sic habeat virgam correctionis vel purgationis trãsitoriæ: qua pro leuibus offensis vtatur in filios suos. Et sicuti non omnis infirmitas vel vulnus corporale ad mortem est: sic nec omnis infirmitas spiritualis mortalis est. Item sicut non omnis casus corporalis est ad confractionem colli, ita nec omnis casus spiritualis ad mortem est. Prouerb. 24. *Septies in die cadet iustus, & resurget.* Poëta: *Qui cadit in plano, vix hoc tamen euenit vnquam: Sic cadit vt tracta surgere posßit humo.* Non proiiciuntur vasa pretiosa omnino pro quacunque inquinatione, sed purgantur. Sic nec animæ. Et si in morte in aliqua immunditia inueniuntur: nõ tamen pro quacunque damnantur. Item si omne peccatum mortale est, cum omne dictum, vel factum: vel concupitum contra legem sit peccatum: omne factum, dictum, vel concupitum contra legem Dei erit peccatum mortale: ergo ieiunare vel eleemosynam dare propter inanem gloriam, erit mortale peccatum: breuiter quum aliquid fiet de quo lex Dei dicit, ne fiat, erit mortale peccatum: quod si verum est, nullus erit sine mortali peccato. Item quum opus virtutis sit, immediate opus vitij seu peccatum erit, quod erit in superfluitate vel diminutione: si vero omne tale opus est mortale peccatum, ergo quicunque in cibo excedet & potu, mortaliter peccabit. Item quum malum sit priuatio modi, vel spei, vel ordinis, omne opus quod erit priuatum modo seu mensura debita; erit mortale peccatum: peccatum enim & mortale peccatum conuertibilia sunt, secundum hunc errorem. Ergo quicunque nimis amat filios suos, mortaliter peccat. Item cum dicere alicui conuitium subito ante perfectam deliberationem rationis malum sit: sic erit similiter mortale peccatum. Et idem erit in aliis operibus prohibitis, quod ante perfectam rationis deliberationem mortalia peccata erunt. Et secundum hoc nullus est in præsenti vita qui vniuersaliter caueat à mortali peccato. Præterea in multis locis loquitur sacra Scriptura de peccato, quæ non possunt intelligi de illo mortali. Et exempli causa de paucis tangemus. Legitur Prouerb. 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* Non potest hoc intelligi de mortali peccato: quia multotiens est multiloquium sine mortali. Item Ecclesiast. 11. *Si diues fueris, non eris immunis à delicto.* Et Matth. 12. *De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij*: ergo omne verbum otiosum peccatum est: sed non omne verbum otiosum est mortale peccatum: ergo aliquod

peccatum est veniale. Item 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam: vniciuſque opus manifestum erit: dies enim Dominus declarabit, quia in igne reuelabitur.* Ligna, fœnum, stipula, venialia grossiora vel leuiora intellignutur: sicut patet ex his quæ sequuntur. *Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superædificauerit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Item legitur 1. Ioann. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* De mortali peccato non videtur hoc posse intelligi, cum illud non sit in amicis Dei. Item eiusdem 5. distinguit Ioannes peccatum ad mortem. Est ergo aliquod peccatum mortale, & aliquod quod non est mortale. Item in Psal. *Omnis homo mendax*, quod mendacium mortale intelligi non potest. Et Ecclesiast. 7. *De negligentia tua purga te cum paucis.* Psal. 115.

Capvt XXVI.

De Errore ponentium quod quando dimittitur culpa, dimititur & pœna, propter quod non oportet purgari.

Circa secundum errorem, notandum quod error iste valde periculosus est, quum occasionem det peccatorib. ad Deũ tardius conuertendi: Facit enim paris conditionis quãtum ad impunitatem eos qui conuertuntur in fine vitæ suæ, & eos qui conuertuntur in iuuẽtute: nulla enim pœna secundum eos vtrique post mortem punientur. Error iste valde est improbabilis. Si enim Sacramentum pœnitentiæ delet vniuersaliter culpam & pœnam, sicut sacramentum baptismi: sic sacramẽtum baptismi nõ iteratur, non facilitas veniæ homines faciliores faciat ad peccandum: sic sacramentum pœnitentiæ non debet iterari. Item ad quid monet Euangelium ad faciendum dignum fructum pœnitentiæ. Matt. 3. si cum aliquis pœnitet, vniuersaliter dimittitur ei pœna sicut & culpa? Pœnitentia dum aliquis est in mortali non est meritoria: postquã mortale dimissum est, non videtur esse necessaria quantũ ad solutionem à pœna, quum iam ille qui peccauerat secũdũ eos nullius pœnę sit debitor: quare ergo tantũ Scriptura sacra monet ad pœnitentiam? Item quæ causa est quod his qui magis peccauerunt, maior pœnitentia iniũgatur, si tota culpa cum tota pœna dimissa est? Item cõstat quod antiqui patres multa pœna puniti sunt, & in exilio huius mundi, & etiam post mortem licet culpa mortalis esset eis dimissa. Fuerunt enim in inferno, donec Christus eduxit eos: secundũ illud Oseæ 13 *Morsus tuus ero inferne.* Act. 2. *Quem Dominus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat illũ teneri ab eo.* Apoc. 1. *Fui mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorum, & habeo claues mortis & inferni.* Et Colos. 1. *Delens quod aduersus nos erat chirographũ decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci, expolians principatus & potestates traduxit confidenter.* Et Ephes. 4. *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem.* Si illi debitores fuerũt pœnæ post dimissionem culpæ: videtur quod non semper dimittatur tota pœna. Prętereа si hoc esset, videretur euacuari iustitia Dei & esse dedecus culpę sine decore debitæ vindictæ. Itẽ pœna proportionalis est culpæ; sed cũ peccator non imponit finem culpæ suæ, debetur ei pœna infinita & acerbior secũdum quod culpa maior fuerit: ergo cum peccator pœnitẽdo imponit finẽ culpæ, debetur ei pœna finita & transitoria, & maior vel minor secũdũ quod culpa maior vel minor fuerit. Præterea cum Deus pater potius voluerit quod proprius filius pœnã trãsitoriam pro genere humano solueret, quã quod ipse eam remitteret,

non est verisimile quod ita de facili pœnã Peccatoribus remittat: quin saltem pœna transitoria eos puniat. Bern. Qui nõ parcit filio, nunquid parcet figmento? nunquid parcet seruo nequã? Si forte dicatur quod pœnitẽtes de peccatis in præsenti puniẽdi sunt in futuro: non ergo Dei misericordia magis propitia erit his qui differunt conuersionem suã vsque in finem vitæ, quam his qui in iuuentute conuertuntur: cum à primis pœnã non exigat, & ab aliis exigat: & benignior erit Deus in contẽptores benignitatis suæ, quam in alios? Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis?* Falsitas huius erroris aperte apparet ex illo verb. 1. Cor. 1. *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit: sic tamen quasi per ignem:* ergo aliqui saluandi in futuro punientur. Præterea nonne aliquis decedere potest cum nimio amore filiorum vel præsentis fidei inuitus moriens, quem mors non videtur purgare cum eam volens non recipiat, qui necessario post mortem purgabitur, & sic purgatus saluabitur? In Psalm. *Transiuimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium.*

Psal. 65

Capvt XXVII.

De Errore ponentium quod suffragia Ecclesiæ non prosint defunctis.

Circa tertium errorem qui ponit suffragia Ecclesiæ non prodesse mortuis, notandũ quod valde detestabilis est cum in mortuos sæuiat. Quantum enim in se est, succursũ Ecclesiæ aufert mortuis qui igne purgatorio cruciantur. Ipse facit contra illud Eccl. 7. *Mortuo ne prohibeas gratiã.* Si peccaret qui prohiberet eleemosynam dari ei quem crederet esse indigentem, vel etiã de quo dubitaret vtrum esset indigẽs: multo fortius peccant isti qui impediũt ne subueniatur eis qui igne cruciãtur. Prou. 3. *Noli prohibere benefacere eum qui potest: si vales & ipse benefac.* Falsitas huius erroris in parte apparere potest ex prædictis, cũ prius ostensum sit aliquem posse decedere cum venialibus, & cum debito pœnæ transitoriæ pro mortali: quia verisimile est quod Ecclesia pœnam illam possit soluere pro illis qui decesserũt exẽplo capitis sui, sc. Christi, qui peccata nostra tulit super lignũ. 1. Pet. 2. Galat. 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Itẽ cum ad preces sanctorũ aliquibus det Deus gratiam, & remittat pœnã æternã, verisimile est quod ad preces eorum remittat pœnam purgatoriam. Item ad lachrymas Mariæ & Marthæ suscitauit Iesus Lazarũ. Ioan. 11. Et ad preces Petri suscitatur Thabita à morte. Actu 9. Ergo ad orationes sanctorum remittitur pœna purgatoria mortuis. Ad idem facit quod legitur 2. Mach. 12. *Sãcta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Et 1. Cor. 15. *Si mortui non resurgunt, quid facient qui baptizantur pro mortuis? Si omnino non resurgunt, vt quid baptizãtur pro illis?* Baptizari pro mortuis est facere opera quæ habent purgare. Et 1. Ioan. 5. *Qui scit fratrẽ suum peccare peccatũ non ad mortem, petat & dabitur ei vita peccanti peccatum non ad mortem.* Est peccatũ ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Cum pro peccatis maximis viuentium rogandum sit, vt Stephanus rogauit pro lapidatoribus suis, & Christus pro crucifixoribus suis, non videtur intelligẽdum esse de oratione pro viuis, quod dicit Ioannes. Non pro illo dico vt roget quis, sed pro mortuis. Pro defunctis in mortali non est orandũ vt saluentur: sed pro defunctis in veniali. Vnde super illud, *Est peccatum ad mortem, non pro illo, &c.* dicit Interli. Qui in hac vita nõ corrigitur, post mortẽ eius frustra venia postulatur. Itẽ Iacob. vlt. *Orate pro inuicem vt saluemini, multum enim valet deprecatio iusti assidua:* cum oratio effusa in terra in cœlo poneretur, iuxta verbum Gregorij, eodem modo & in purgatorio operabitur. Ad idẽ valet quod legitur beatus Andreas dixisse Domino cum Deus differret exaudire eum bran-

Pro defunctis in mortali non est orãdum.

tem pro quodam sene qui in peccato carnis vsque ad septuagesimum annum fuerat: Domine Deus pro mortuis obtinemus pietatem tuã: & tunc iste qui te nosse desiderat, cur non saluabitur? Tunc venit vox de cœlo ad eum, dicens: Obtines Andrea pro sene. Si ad preces beati Andreæ Deus homini inueterato in peccato dedit gratiam, verisimile est quod ad preces Ecclesiæ remittat pœnam purgatoriam. Præterea quid obstat quod preces Ecclesiæ his qui decesserũt in charitate non possunt valere, cũ Ecclesia sit in statu, in quo mereri potest? Illi autem qui in charitate decesserunt, cum sint amici Dei, in statu sunt in quo sunt digni hoc beneficio: Habent enim Dei gratiam, & eius gloriam expectant adhærendo etiam corpori Ecclesiæ tamquam membra dum viuerent dignos se fecerunt, & quodammodo meruerũt vt tales preces eis valerent si pro eis fierent. Cibus corporis communis est omnib' mẽbris quæ sunt in corpore. Vnde cũ illi qui sunt in purgatorio mẽbra sint Ecclesiæ & maxime indigentia, merita Ecclesiæ se debent extendere ad eos. Præterea eodẽ Spiritu sancto viuificantur membra illa, quo viuificãtur membra quæ adhuc sunt super terrã: ergo remissio culpæ vel pœnæ, quæ donum est Spiritus sancti, debet se extẽdere ad ea. Quod innuitur à Domino Matt. 12. *Qui dixerit* (ait Dominus) *contra Spiritum sanctum verbum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.* In qua sententia, vt ait Greg. in 4. lib. Dialog. datur intelligi quasdã culpas in hoc seculo, quasdam vero in futuro posse laxari: quod enim de vno negatur, consequẽter de quibusdam conceditur. Sed tamẽ hoc de paruis minimisque peccatis fieri posse credẽdum est, sicut est assiduus otiosus sermo, inmoderatus risus, vel peccatũ curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa, vel ab istis agitur qui culpã qualiter declinare debeãt, sciũt. Præterea hoc ipsum pertinet ad gloriam Dei, quod ad preces sanctorum tales mortui à pœna liberentur. Deus enim gloriosus est in sanctis suis. Nec est contrariũ diuinæ iustitiæ, quod ipse impleat voluntatem amicorum suorum, qui voluntatem ipsius pro posse suo implent. Idem enim velle idemque nolle, ea demum vera amicitia est, vt ait Sap. 1. Ioan. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit, nos fiduciam habemus ad Deum, quod quidquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus.*

Capvt XXVIII.

De causis errorum, quæ sunt octo ad præsens.

Destructis erroribus qui catholicæ fidei aduersãtur, tãgendũ est de causis errorum. De quibus octo assignare sufficiat. Prima est ignorantia capacitatis intellectus humani. Quidam enim non attendentes limitatum esse intellectum humanum, credunt eum capacem esse omnium: & ideo credũt illud nõ esse quod ab eo nõ capitur. Sicut si aliquis crederet circulũ solis omnia cõtinere, ipse crederet illa nõ esse quæ infra circulũ illum non cõtinẽtur. Similis error est in illis qui credũt nõ posse esse scientiã de magnitudine solis, & lunæ, & stellarum, quia ipsi nõ habẽt eã: Secunda est auersio intellectus à credẽdis, & ab his quæ possunt hominem inducere ad credendum, & conuersio ad errores. Quidam enim sic amant errores suos, vt cõtraria eis non velint cogitare, vel audire. Prou. 18. *Non recipit stultus verba prudẽtia, nisi ea dixeris quæ versantur in corde eius.* Nõ est datũ homini videre post tergũ suũ, nec videre sine intuitu: sic nec intelligere ea à quib. intellectus se auertit. Nolũt audire qui sunt in erroribus aliquid de miraculis, nec sacra eloquia, nec rationes doctorũ quibus possent ad veram fidem induci: ideo non est mirũ si remanent in erroribus suis. Tertia est rerum subtilitas, & intellectus grossities. Qui turbidũ habet visum, pilum qui ab aliis videtur non videt, sed non ideo contendere debet eum

Ca[illegible] err[illegible] in oct[illegible]

ibi non esse: nõ videt visus humanus quicquid videt aquilinus. Quarta est distantia
4. à credendis: quidam enim commorantur in sensibilibus qui longe sunt à credendis quæ sunt inuisibilia, non appropinquantes ad illa, nec studio, nec exercitatione: ideo non est mirum si illa non vident. Ipsi sensum volunt habere ducem ad credenda qui cæcus est quantum ad ea: vnde sic disputant de spiritualibus, sicut cœci de coloribus. Bern. super Cant. Quomodo lux incassum circũfundit oculos clausos vel cæcos: sic *animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* August. Deus lux est non corporum, sed mentium: hanc lucem qui
5. non videt, est quasi cæcus in sole. Quinta est negligentia quærendi Dei adiutoriũ ad ea credẽda. Fides non est naturalis, imo est ex electione diuinæ bonitatis, & donũ gratuitum. Si esset naturalis, eadem esset apud omnes: nec esset tanta dissensio de ipsa quanta est, ideo à Deo petenda est. Marc. 9. *Credo Domine, adiuua incredulitatem meã.* Ephes. 2. *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donũ est.* Et 1. Ioãn. 5. *Dedit nobis sensum vt cognoscamus verum Deum.* Sicut sol non videtur nisi ex lumine suo: sic sol intelligentiæ nõ videtur nisi ex lumine suo, sc. ex luce gratiæ quam infundit. Sed aliqui sunt vt vespertiliones solẽ nonvidẽtes de nocte quãdo volant, qui tunc sol non lucet super terram, de die vero eum non vident, quia tunc dormiunt: Sic isti solem intelligentiæ ideo non vident, quia in nocte sunt, cum ipse eis non luceat, lucem gratiæ infundẽdo: non tamen propter hoc affirmare de-
6. bent eum non esse. Sexta est obstaculum peccati. Quidam enim impudicitia operũ suorum quasi obiectum manuum lumen solis intelligentiæ à se repellunt. Iob. 24.
7. *ipsi rebelles fuerunt lumini.* Septima est superbia quæ est velut inflatio faciei interioris. Aug. in 7. lib. Confess. Timore meo separabat à te, & nimis inflata facies claudebat oculos meos. Bernard. super Cant. Superbo oculo veritas nõ videtur, syncero patet. Et super illud Hierem. 49. *Arrogãtia tua & superbia cordis tui decepit te.* dicit gloss. Omnis hæreticus arrogans: quia superbia facit hæreticum, non ignorantia. Superbia facit hæreticum.
Augustin. Superbia meretur illud Habacuc 2. Quomodo vinum potantem decipit, sic erit superbus. Vnde Gregorius de superbis. Tanto, inquit, à Dei luce longe sunt, quanto apud se humiles non sunt.
Octaua est affectio inordinata intellectũ trahens ad contraria fidei: vt timor inordinatus, vel amor, vel odium. Affectio inordinata est velut lippitudo respectu oculi interioris. Augustinus. Si quis alteri digito solem ostenderit, & videre non potuerit, culpet potius oculi lippitudinẽ quam digiti ostensionem: Hanc lippitudinem purgari oportet. Augustin. Purgandus est animus vt prospicere illam lucem valeat. Timor multos retraxit ne crederent in Christum. Qui enim credebãt in Christo, despiciebãtur ab aliis, & extra synagogam fiebant: ideo qui gloriam amabant, & contemptum istũ timebant, nolebãt ad Christum conuerti. Ioan. 5. *Quomodo credere potestis qui gloriam abinuicem recipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?* Amor etiam diuitiarum & timor amittendi locum & gentem, Iudæos impediuit ne in Christum crederent. Amor diuitiarũ oculus est auarorum, & amor diuitiarum est oculus voluptuosorum. Zach. 5. dicitur de impietate: *Hic est oculus eorum in vniuersa terra.* Prou. 21. *Lucerna impiorum peccatũ.* Ideo auaro videtur aliquid licitum quod aliis non videtur: quia auaritia est lucerna ei: secundum eam enim iudicat. Et luxurioso videtur illa quã nimis amant pulchra, cũ sit deformis, quia amor facit eũ errare in iudicio illo. Odiũ etiam intellectũ multorum à fide auertit. Multi Valdẽses odiẽtes prælationẽ clericorũ dicũt Deo obediẽdũ esse, & nõ homini. Aliqui etiã ex eis dicũt solis prælatis bonis esse obediẽdũ. Dicunt etiã ordinẽ nõ esse necessariũ ad hoc quod aliquis liget vel soluat. Et quod nõ sit necesse vt aliquis confiteatur peccata sua sa-

cerdoti. Et quod relaxationes quas Episcopi consueuerunt facere non valent. Nec suffragia Ecclesiæ prosint mortuis. Item timentes errores suos per iuramenta propalari: dicunt in nullo casu esse iurandum. Item timentes se occidi: dicunt in nullo casu esse hominem occidendum. Sic transierunt hæretici in affectum cordis.

Capvt XXIX.

De diuersitatibus fidei, quæ enumerantur.

VLtimo in tractatu de Fide descendēdum est ad diuersitates fidei, & specialiter ad has diuersitates descendemus quæ sunt fides viua & fides mortua: fides ficta & fides non ficta siue probata: fides magna & fides modica: fides explicita, & fides implicita.

De fide viua & fide mortua.

Quæ fides viua quæ mortua. FIdes viua est quæ potens est elicere debitas operationes, quæ scilicet per charitatem operatur, Galat. 5. Fides vero mortua est quæ impotens est ad debitas operationes. Iacob. 2. *Si fides nō habet opera, mortua est in semetipsa.* Differentia fidei viuæ & mortuæ. Fides viua videtur differre à mortua: sicut flammæ lux in candela viua differt à lumine quod remanet post extinctionem candelæ, quod præ sui paruitate insufficiens est ad regendos gressus, & ad ostendendum laqueos vel foueas, & ad discernendum quid pulchrum, quid deforme. Item fides viua videtur se habere ad mortuam sicut lumen diei ad lumen noctis: vel sicut lumen radii viui solaris calorem habentis, ad lumen quod est in vmbra tenebrosum & sine calore. Item fides viua non solum tenebras ignorantiæ expellit: sed etiam torporem excutit. Fides vero mortua, est sicut animal mortuum: nec se ad aliud potens mouere motu qui sit perfectus, vt est gressus: licet in cadauere tremor vel palpitatio quãdoque remaneat. Item sicut carboni viuo musca timet insidere: sic tentator fugit eum qui est fidei viuæ non habens fiduciā quod ei possit præualere. 1. Pet. vlt. *Cui resistite fortes in fide.* Et Iacob. 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Fides mortua minus potens videtur esse quam dubitatio. Si quis enim dubitet de aliquo cibo vel potu vtrum sit venenatus, sola dubitatio cohibebit eum ne cibum vel potum illum sumat. Fides autem mortua non cohibet homines à prohibitis delectationibus, quæ ad modum veneni mortem animæ inferunt. Item fides mortua, fides dæmonis esse videtur non hominis. Vnde super illud ad Titum 1. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* dicit glo. August. Nolite tanquam de fide securi esse. Adiungite fidei rectæ vitam rectam, vt Christum confiteamini verbis vera dicendo: & factis bene viuendo. Nam si confitemini verbis & non factis: fides talium proprie fides est dæmoniorum.

Item Augustinus: Cum dilectione fides Christiani, sine dilectione fides dæmonis: imo fides Christianorum qui Deum non timent, inferior videtur esse fide dæmonū. Illi enim Deum timent. Iacob. 2. *Tu credis quod vnus est Deus, bene facis, & dæmones credunt, & contremiscunt.* Augustinus. Vtinam quomodo dæmones iudicem: sic homines agnoscerent Saluatorem. Ecce dęmones viderunt, & tremuerunt: homines viderunt, & occiderunt. Fides mortua facit ad augmentum culpæ & pœnæ: Ad augentum culpæ: quia cum sit cognitio, aggrauat culpam: sicut ignorantia attenuat. Augmentata autem culpa augmentatur & pœna. Bernard. Ad cumulum damnationis videtur nobis relicta fides futuræ promissionis. Fides mortua in malo Christiano videtur se habere sicut obligatio religionis in apostata monacho, qui deterioris conditionis videtur esse quam si nunquam fuisset monachus. Et sicut natura bona in angelo malo. Honorabile est valde esse angelum bonum, ignominiosissimum vero est angelum esse malum. Sic valde igominiosum est esse malum

Christianum : licet sit valde honorabile esse Christianum bonum. Fdes mortua ficus est maledicta fructus non habens, Matth. 21. Fides vera viua arbor est florens per firmum propositũ seruiendi Deo: & folia debita habens, scilicet sermonem qui fit ad ædificationem fidei, & det gratiam audientibus loquendo : & fructum debitum bonorum operum proferens 2. Corinth. 13. *Si estis ex fide, ipsi vos probate per opera.* Fides mortua est velut cadauer exanime Deo oblatum, Iacob. 2. *Sicut corpus sine spiritu mortuum est : ita & fides sine operibus mortua est.* Bernard. super Cantic. Quid fides quæ non operatur ex dilectione, nisi cadauer exanime? Bene honoras Deum munere fœtido : bene placas Deum tuæ fidei interfector. Fides mortua signum est proditionis. In iudicio enim fides illa ostẽdet eum in quo fuit fuisse Christianum. Ex alia parte opera mala ostendent eum fuisse Christi inimicum. Fides illa ostendet quod fidelitatem Christo debuit : opera vero mala quod fidem ei non exhibuit, & per consequens proditor fuit. Christianus malus habens fidem mortuã, secum habet literas suæ damnationis. Per fidem enim scriptum est in corde eius, quod qui talia peccata agunt : regnum Dei non possidebunt. In libro vero conscientiæ suæ inuenietur scriptum scriptura facta propria manu quod ipse talia fecerit. Quædam enim notæ ex malis operibus relinquũtur in corde hominis. Vnde Gloss. Origen. super illud Roman. 3. *Cogit ta ionum accusantium aut defendentium.* Sciendum, inquit, quod in illa die cogitationes accusabunt animas vel defendent. Nõ vtique cogitationes quæ tunc erunt : sed istæ quæ nunc sunt in nobis, quarum notæ quædam & signacula relinquentur in corde nostro velut in cera, quæ in occulto cordis posita in illa die reuelari dicuntur.

[Margin: des ortua ıri- ani eræ e mna- nis.]

De Fide ficta, & non ficta.

[Margin: uæ fi. sficta]

Fides ficta est fides fragilis : scilicet fides eorum qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Matth. 13. De fide non ficta legitur 1. Tim. 1. *Finis præcepti, est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.*

De Fide magna, & Fide modica.

[Margin: Quæ fides magna & quæ requirat.]

Sequitur de magnitudine & paucitate fidei. Ad magnitudinem vero fidei quinque videntur pertinere. Primo, vt homo de Deo magna sentiat, vt Centurio. Matth. 8. qui credebat Christum solo verbo posse sanare seruum suum, & se in- 1. dignum esse vt Christus intraret sub tectum ipsius. Vnde dignum est de eo à Domino : *Non inueni tantam fidem in Israel.* Secundo, vt homo bona transitoria intui- 2. tu bonorum æternorum contemnat. Heb. 11. Fide Moyses grandis factus negauit se esse filiũ filiæ Pharaonis: magis eligẽs affligi cum populo Dei, quam tẽporalis peccati habere iocunditatem : maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem. Tertio, vt homo in ad- 3. uersis de Deo confidat. Matth. 14. *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Eiusdem. 16. *Quid cogitatis inter vos modicæ fidei?* Quarto, 4. vt homo ad longam credentiam bona sua Deo tradat. Magni enim principes longam credentiam requirunt. Esa. 25. *Qui crediderit, non festinet.* Et Prou. 20. *Hereditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit.* Et Eccles. 20. *Hodie fœneratur quis & cras expetit & odibilis est homo huiusmodi.* Quinto, in hoc vt cum 5. homo aliquid petit à Deo, & non statim accipit : non propter hoc à proposito desinat. Matth. 15. Dictum est mulieri orationi instanti : *O mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut vis.* Ad impetrandum multum valet fidei magnitudo. August. super Ioann. Quantumuis vas fidei attulerit quis ad fontem, tantum implet. Et Bernard. super Cant. Magna siquidem fides magna meretur.

De Fide explicita, & Fide implicita.

Consequenter dicendum est de illa diuersitate fidei, quæ est fides explicita. De qua breuiter notandum, quod prælati debent habere fidem explicitam de omnibus credendis. Ad eos enim pertinet illud 1. Pet. 3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide & spe.* Simplices vero debent habere fidem explicitam de aliquib. articulis, de omnibus implicitam: vt scilicet credant verum esse omne quod credit Ecclesia, ita quod in nullo ei contradicant in particulari.

Capvt XXX.

De quibusdam qui faciunt Fidem commendabilem.

Sex fidem nostrã commendant. 1.

In summa notandum est, quod sex sunt quæ faciunt ad hoc quod fides sit commendabilis. Primum est, simplicitas. In his enim quæ fidei sunt, qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. Prouer. 10. Ambrosius: Auferantur argumenta vbi fides quæritur: non enim recipienda sunt argumenta fidei cõtraria. In his quæ fidei sunt peccatoribus creditur, non dialecticis: iuxta verbum eiusdem Ambros. Bernard. in lib. de Cõsideratione: Intellectus, inquit, si signata fidei tẽtet irrumpere; reputatur effractor, scrutator maiestatis. Ad fidei simplicitatem monemur. Exod. 20. *Si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus, si enim leuaueris cultrum tuum super eo, polluetur.* Acumen ingenij quod per cultrum intelligitur, super altare fidei leuandum non est, vt ingenium nostrum in his quæ fidei sunt, auctoritati sacræ Scripturæ præferamus. Secundum est viuacitas. Tertium magnitudo: de quibus dictum est prius. Quartum, est feruor. Matth. 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc, & nihil impossibile erit vobis.* Gloss. Fidem perfectam grano sinapis comparat quæ sit in facie humilis, & in pectore feruens, vilis videntibus: nec vllarum virium apparẽs, sed pressuris trita quod intus habet, ostendit. Quintum est integritas, vt omnes articuli credantur explicite vel implicite, de quibus habitum est prius. Sextum est stabilitas quod non facile relinquat fidem suam. Tob. 2. *Vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquam mutant ab illo.* Vnde valde reprehensibiles sunt illi qui videntes aliquem hæreticum vel magnæ abstinentiæ, vel libenter dantem eleemosynas, credunt propter hoc eum esse sanæ fidei, & dimittunt fidem suam in qua tamdiu vixerunt, & quam parentes eorum tenuerunt pro fide illius, non acquiescentes consilio Salomonis. Prouerb. 1. *Audi,* inquit, *fili mi disciplinam patris tui: & ne dimittas legem matris tuæ.* Qui isto modo decipiuntur, non attendunt quod nihil prohibet eum qui habet manum sanam & os sanum, habere oculum infirmum. Sic nihil prohibet illum qui abstinens est, & qui libenter dat eleemosynas, habere oculum fidei corruptum. Sicut qui iam est in possessione rei, non de facili dimittit eam sibi auferri; sic non debet homo de facili relinquere fidem in qua nutritus est. In tali casu qui cito credit, leuis est corde. Ecclesiast. 19. Non debet homo moueri si aliquos hæreticos videat vel abstinentes, vel misericordes: cum multo plures inueniantur tales qui sunt fidei Catholicæ: vel si aliqui qui sunt fidei Catholicæ inueniantur mali. Multi enim magnæ malitiæ sunt inter hæreticos: sed occultant eam qualiter possunt: nec mirum, cum etiam seipsos occultent.

2. 3.

SECVNDÆ

SECVNDÆ PARTIS PRINCIPALIS de tribus virtutibus Theologicis.

TRACTATVS DE SPE.

CAPVT PRIMVM.

De ordine dicendorum in isto tractatu. Et de descriptionibus Spei.

POST tractatum Fidei, agendum est de Spe, hoc modo. Primo, descriptiones Spei ponentur. Secundo, commendationi eius insistetur. Tertio, tangetur de his quibus spes adiuuatur. Quarto, de his quæ spei aduersantur. Quinto, de rebus sperandis. Sexto, ad diuersitates spei descendemus.

efini- ne ei. Spes sic describitur tertio libro Sententiarum, à Magistro: Spes, inquit, est certa expectatio futuræ beatitudinis, veniēs ex Dei gratia, & ex meritis præcedentibus. Prima pars huius descriptionis haberi potest ex glossa Haymonis super illud Roman. 5. *Probatio vero spem.* Spes, inquit, est certa expectatio gloriæ futuræ. Et notandum quod spes quādoque sumitur pro re quam speramus: vt ad Titum 2. *Expectātes beatam spem.* Quandoq; vero pro certitudine gloriæ futuræ, vt Rom. 5. *Probatio vero spem.* Gloss. prima, certitudinem gloriæ futuræ. Quandoq; pro virtute: vt 1. Cor. 13. *Nunc manent fides, spes, charitas.* Quandoque pro motu virtutis, & ita describitur hic. Item notandum quod sicut duo sunt vbi est expectatio corporalis. Intēdit enim animus ad aliquid absens vt fiat pręsens: vnde expectāns dicitur quasi extra rem positus spectans. Est etiam ibi permanentia in loco quantū ad corpus. Sic duo sunt vbi est expectatio spei. Est enim intentio animi ad futuram beatitudinem: quam intentionem Augustin. in libro de Ciuitate Dei vocat aspectum, ostendens aspectum talem ad spem pertinere. Prius est, inquit, sanos oculos habere, quod fit per fidem; deinde aspicere, quod fit per spem. Item est ibi permanentia in loco spirituali qui Deus est. De qua permanentia legitur Ioann. 15. *Manete in me, & ego in vobis.* Et 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Qui à Deo per peccatum recedit, non habet expectationem quæ ad spem requiritur. Item notandum quod est certitudo cognitionis quæ opponitur dubitationi: & hæc pertinet ad fidem. Et est certitudo fiduciæ quæ opponitur titubationi, vel desperationi: & hæc pertinet ad spem. Et est certitudo securitatis, quæ opponitur timori separationis: & hæc erit in patria. Itē notandum, quod cum motus spei sit circa illa quæ supra nos sunt. Ad eliciēdum motum spei valet consideratio liberalitatis Dei, qui seruientes sibi remunerat supra merita prout decet ipsum. Et hæc liberalitas Dei gratia vocatur in descriptione proposita, cum dicitur: veniens ex Dei gratia. Valet etiam ad eliciendum motum spei consideratio proprij meriti, quum Deus promiserit se redditurum præmium his qui sibi debito modo seruient. Ipse vero verax est promissa soluēs. Vnde spes quasi duabus basibus innititur Dei liberalitati: quæ sibi seruientes remunerat vt decet eā: & Dei iustitiæ, quæ sibi seruiētib. soluit

quę promisit. Et ad hæc duo pertinēt duæ particulæ vltimę descriptionis propositæ. Item notandum quod motum spei quandoque præcedunt merita in actu, vt in eo qui in charitate est, & bona opera facit quibus sperat se habiturū beatitudinem. Quandoque vero merita præcedunt motum spei: non in actu, sed in sola intentione: vt in illo qui est in peccato mortali, qui interim facit boni quidquid potest, vt Deus illustret cor suum ad pœnitentiam, qui sine præsumptione sperat habiturum beatitudinem. Cogitat enim se per gratiā Dei ad hoc habiturum merita, quibus beatitudo debeatur. Describitur etiam spes ad Aug. in lib. de Ciu. Dei, hoc modo: Spes, inquit, est qua quis ad id quod credit se peruenturum præsumit: Potest etiam sic describi: Spes est appetitus excellentis boni cum fiducia obtinendi.

Capvt II.

De commendatione Spei.

SEquitur de his quæ pertinent ad commendationem Spei. Notandum ergo quod ad spei cōmendationem, primo valere potest hoc quod Scriptura sacra totiens monet ad spem. Multiplicatio enim admonitionis ostēdit vtilitatem huius vir-
Psal. 9. tutis. Psal. *Sperent in te qui nouerunt nomen tuum.* Item, *Spera in Domino, & fac bonitatem.* Item, *Spera in eo, & ipse faciet.* Item, *Sperat in eo omnis congregatio populi.* Item Matt. 14. *Habete fiduciam.* Et iterum Ioan. 17. *Confidite, ego vici mundum.* Nec solum scriptura, sed etiam natura videtur ad spē monere. Naturaliter. n. qui debilis est & timet cadere, alicui rei adhæret & innititur: vt patet in puero qui cum eleuatur ad standum, & æstimat se casurum, statim adhæret alicui rei. Sic naturalis ratio dictat animæ agnoscenti debilitatem & insufficientiam suam, quod fortiori se adhærere debeat & inniti. Secūdo hoc quod scriptura sacra totiens beatos asserit sperantes in
Psal. 1. Domino. Psal. *Beati omnes qui confidunt in eo.* Item: *Beatus vir qui sperat in eo.* Item: *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius.* Prou. 16. *Qui sperat in Domino, beatus est.* Esa. 30. *Beati omnes qui expectant eum.* Vere beati qui sperant in Domino, optata. n. eis succedunt. Tertio hoc quod spes omnipotenti innititur. Isa. 50. *Quis ambulauit in tenebris, in tenebris inquam aduersitatis, & non est lumen ei?* Fulgur scilicet prosperitatis, speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum, quia spes omnipotenti innititur: ideo firma est, & non timet ruinam Dauid: *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion.* Spes est, quæ dicit, Dominus firmamentum meum. Spes proiicit se in Deum: ipse vero non est ita crudelis vt se subtrahat, & sperantem in se cadere permittat, iuxta verbum Aug. Quare Deus totiens nos ad innitendum sibi moneret, si supportare nos nollet? Nō est illusor Deus, vt se ad supportandum nos offerat, & nobis innitentibus ei, in ruinam nostram se subtrahat. Rom. 5. *Spes autem non confundit.* Gloss. Aug. Confunditur, qui quod sperabat non inuenit: sicut cōtingit illi qui sperat in homine. Hæc autem spes non cōfundit quæ est in Deo, qui nec falli, nec fallere potest. In Psal. *In te sperauerunt, & non sunt confusi.* Item: *Deus meus in te confido, non erubescā.* Item: *In te Domine speraui, non confundar in æternum.* Eccl. 2. *Nullus sperauit in eo, & confusus est.* Vanitatis est nō præstare fulcimentū innitenti: sed veritatis est non negare fulcimentum innitenti. Vnde cū Deus Veritas sit, innitenti sibi se non subtrahit. Quarto quod spes est velut arbor sita in optimo loco: adhæret. n. diuinæ bonitati. Vnde abundanter sentit effectum eius. Thren. 3. *Bonus est Deus sperantibus in eum.* Spes est iuxta fontem diuinæ misericordiæ. Ideo misericordiæ diuinæ beneficia non cessant influere ei Dauid: *Ego in misericordia tua speraui.* Item: *Sperantem in Domino misericordia circumdabit.* Item: *Fiat misericordia tua Domine super nos quemadmodum sperauimus in te.* Item: *Oculi Domini super me-*

tuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius. Et iterum: *Ego ſicut oliua fructifera ſperaui in miſericordia Dei in æternum.* Spes arbor benedicta eſt, fructus vberes habens, cũ à miſericordia Dei abũdanter irrigetur Ier. 17. *Benedictus vir qui confidit in Domino.* Et ſubditur: *Erit quaſi lignũ quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radicem ſuam, & non timebit cum venerit æſtus.* Pſ. *Erit tanquam lignum quod plantatum eſt, ſecus decurſus aquarum.* Quinto commendabilis eſt ſpes à multiplici ſuo effectu. Effectus vnus ipſius ſecuritas, Dauid: *In Deo ſperaui, non timebo quid faciat mihi homo.* Merito ſecurus eſt ſperans in Domino: protector enim eſt Dominus omnium ſperantium in ſe. Dauid: *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo:* Deus ſperanti in ſe pro muro eſt vndique. Dauid: *Deus in circuitu populi ſui.* Deus eſt ei turris fortiſſima. Prou. 18. *Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſum confugit iuſtus & exaltabitur.* Nomen Domini filius Dei dicitur. Eſa. 20. *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* Ipſe eſt ſperantibus in ſe altiſſimum refugium. Ipſe etiam eſt eis vrbs fortitudinis. Eſa. 26. *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion: ſaluator ponetur in ea murus & antemurale.* Murus eſt virtus diuinitatis; antemurale meritum humanitatis. Vtrumq; facit ad ſecuritatem noſtrã. Item ſpes meretur intelligentiam, & Dei auxilium. De primo, Sap. 3. *Qui confidunt in illo, intelligent veritatem.* Et Prou. 17. dicitur de expectãte futura bona. *Quocũq; ſe vertit, prudenter intelligit:* agnoſcit. n. etiam aduerſa diligentibus Deum cooperari in bonum. De ſecundo, in Pſal. *In ipſo ſperauit cor meum, & adiutus ſum.*

Item ſpes liberat vel tribulationem amouendo: vt patet in Suſanna, Dan. 3. quæ flens ſuſpexit ad cœlum. *Erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Et in Pſal. legitur: *In te ſperauerunt patres noſtri, ſperauerunt & liberaſti eos.* Vel liberat patientiã dando: qui modus liberationis melior eſt. Gregorius. Melius liberat quum patientiam dat. Spes patienter facit portari onus præſentis miſeriæ. Geneſis 49. *Vidit requiem quod eſſet bona, & terram quod eſſet optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum.* 2. Machab. 7. *Pereuntes ſeptem filios ſub vnius diei tempore conſpiciens, & bono animo ferebat propter ſpem quam in Deum habebat.* Et Actor. 28. *Propter ſpem Iſrael, catena hac circundatus ſum.* Greg. in Moralib. Ille bene nouit in exteriorib. miſeriis ſubſiſtere, qui ſcit de ſpe interna ſemper gaudere. Item ſpes ſaluat. In Pſalm. *Qui ſaluos facis ſperantes in te.* Prouer. 29. *Qui ſperat in Domino, ſaluabitur.* Rom. 9. *Spe enim ſalui facti ſumus.* Item: Spes columna eſt totum ſpirituale ædificium ſuſtentans: qua deficiente, totum ſpirituale ædificium corruit, & mẽs in barathrum deſperationis concidit. Hæc columna in Cain defecit quum Domino ait. Gen. 4. *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Item: ſpes galea ſalutis eſt, caput interioris hominis, ſc. intentionem illæſam cuſtodiens. 1. Theſ. 5. *Induti galeam ſpem ſalutis.* Spes etiam ancora eſt animam ſeruans: ne à procellis tentationum à Deo abrumpatur. Heb. 6. dicit Apoſtolus, loquens de ſpe: *Quam ſicut habemus animæ tutam & firmam.* Gloſſ. Aug. Si videris te fluctuare in mari iſto: noli abrumpi ab ancora antequam intres in portum. Fluctuat nauis in ancoris, ſed non lõge à terra proiicitur, nec in æternum fluctuabit, etſi ad tempus fluctuat. Item ſpes hominem fortem efficit. Eſa. 30. *In ſilentio & in ſpe erit fortitudo veſtra.* Et eiuſdem. 40. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Fortitudinem inquam propriam, in fortitudinem diuinam. Fœlix commutatio iſta quam facit qui ſperat in Domino. Dum enim de viribus ſuis diffidit, & de adiutorio Dei confidit, quaſi propria fortitudine ſe exuit, & Dei fortitudine ſe induit. Dei enim adiutorium paratum eſt ei prout de ipſo confidit. Bernard. ſuper Cant. Nihil omnipotentiam verbi clariorem reddit, quàm quod omnipoten-

tes facit omnes qui in se sperant: denique omnia possibilia sunt credenti. Idem in sermonibus: Quatenus in bonis Domini fiduciæ pedem posueris, eatenus possidebis. Item spes baculus est valde necessarius peregrinantibus in via præsentis vitæ. Qui huic baculo innititur, non corruit. In Psal. *Non derelinquent omnes qui sperant in eo.* Item non fatigatur, vel debilitatur. Esa. 46. dicitur de sperantibus in Domino: *Assument pennas, vt aquilæ current, & non laborabunt: ambulabunt & non deficient.* In Psal. *Sperans in Domino non infirmabor.* Item spes in possessionem regni cœlestis animam ante Christum quodammodo introducit. Vnde ad Heb. 6. dicit Apostolus: *Spem incedentem vsque ad interiora velaminis.* Et super illud Psalm. *Spera in Domino,* dicit Glo. Spes est introitus fidei. Et subditur in glo. per spem. n. initiatur ad videndum illud quod creditur. Spei fit promissio illa. Esa. 58. *Sustollam te super altitudinem terræ: & cibabo te hæreditate patris tui.* Iacob. Conuersatio spei in cælis est, iuxta verbum Apostoli Philip. 3. Ipsa nobis existentibus in hac vita mortali immortalitatem attingit. Sap. 3. *Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.* Spes in æternitate animā erigit: & idcirco nulla mala quæ tolerat exterius sentit. Iuxta verbū Greg. in moralibus. Spes in præsenti tempore quod est quædam vigilia solennitatis æternæ, non ieiunat: sed quasi iuge conuiuium celebrat cum securitatem habeat: vt prius ostēsum est. *Secura enim mens quasi iuge cōuiuium.* Prou. 15. Spes de illis tribus quæ vidit Ezechiel scripta in l. 2. c. carmen ibi assumit lamentationis relinquens dono scientiæ & pietatis, & de dono timoris. Ipsa est cui Deus dedit in nocte carmina. Iob. 35. nocte inquam præsentis aduersitatis. In Ps. *In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius.* Spes in hyeme præsentis exilii habet quasi vernum tempus. Ipsa enim nos in aduersis ridere facit: iuxta verbum Aug. Ipsa facit nos gaudere inter dolores: animus autem gaudens, ætatē floridam facit. Pro. 17. De gaudio eius legitur Ro. 12. *Spe gaudentes.* Et Matt. 5. *Gaudete & exultate: quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* Prou. 10. Expectatio iustorum lætitia. Gaudium vero ipsius communiter dicitur gaudium spei, & nondum rei: & est ex certa expectatione gloriæ repromissæ. Aliud est gaudium quod est de præsentia bonorum de quibus dignum est gaudere, Gaudium spei est sicut arra æterni præmii, & præodoratio futuræ suauitatis. Spei concessum est intrare in hortum voluptatis, & inde afferre odores ad condiendam amaritudinem præsentis aduersitatis. Spes inter opprobria gloriatur. Rom. 5. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Ipsa in deserto mundi deliciis affluit. Cant. vltimo. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* Ecclesiast. 2. *Qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia.* Ipsa damna temporalium rerum non reputat. Ad Hebræos 10. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Ipsa est quæ dicit illud Psal. *Quid mihi est in cœlo: & à te quid volui super terram?* Ipsa est in labore requies, in æstu tribulationum, temperies, in fletu, solatium. De eius solatio legitur ad Heb. 6. *Vt fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem.* Dauid: *Hæc me consolata est in humilitate mea.* Et notandum quod non est omnino idem gaudium & solatium. Qui enim consolatur, non ex toto à tristitia est immunis: sed quasi mistura in se patitur, dum mala nunc cor eius pungunt, nunc bona vngunt. Prou. 27. *Vnguento & variis odoribus delectatur cor: & bonis amici consiliis dulcoratur.* Consolatio spei est doloris aut timoris, aut alterius affligentis affectionis repressio, vel mitigatio, spe diuini consili vel auxilii, vel alterius beneficii. Spei est illud verbum. Hier. 31. *Quiescat vox tua à ploratu,*

Psal. 33 — Psal. 25 — Psal. 36. — Psal. 41 — Psal. — Distinctio gaudii & solatii.

& oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo. Si merces modica laborem mercenarii tolerabilem reddit, quid facere debet seruis Dei merces æterna? Iac. 5. *Agricola expectat pretiosum fructum terræ patienter ferens.* Interl. Si ille pro fructu terræ quem sperat, tam patienter expectat: quanto magis nos pro cælesti? Spes est gemma gratissima. Prou. 17. *Gemma gratissima expectatio præstolantis.* Præstolans, id est de longe expectans, est qui bona æterna expectat. Expectatio vero eius quæ est spes: gemma grauissima est: & propter pretiositatem, & quia spes ad modum gemmæ perlucida est, & peruia visui interiori, vt per eam videntur cælestia bona. Spes elisos & prostratos erigit. Dauid: *Dominus erigit elisos.* Prou. 25. *Qui sperat in Domino, subleuabitur.* Ipsa vires reparat. Sicut. n. aliquis timore succumbendi hostibus, viribus cordis destruitur, & dat se hostibus nihil rebellionis opponens. Et mulier videns sanguinem suum vel alienum, statim stupefacta dicit, totum perditum est, & totum mortuum est: sic ex spe victoriæ vires homo resumit. Prou. 24. *Si desperaueris in die angustiæ lapsus, imminuetur fortitudo tua.* Dan. 10. *In visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil remansit in me virium.* Ad Hebr. 2. *Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.* Et Iosue 1. cap. dictum est. *Confortare & esto robustus.* Ecclesiast. 7. *Sapientia confortabit sapientem &c.* Item mola est sine qua non fit vera cordis contritio. Ipsa est mola interior, quæ cor eleuat & sustinet. Timor vero mola est superior: quæ cor cōterit, vt ipsum contritū & humiliatū Deus non despiciat. Spes ab inferioribus nos fulcit, ne sub pōdere tribulationū deficiamus. Timor vero à superiori nos comprimit: ne exsufflemur, aut rapiamur vento tentationis. Has duas molas contingit Dauid, dicens: *Ab altitudine diei timebo, ego vero in te sperabo.* Altera harum non valet sine reliqua. Gloss. Gre. super illud Deut. 24. *Non accipias loco pignoris inferiorem & superiorem molam.* Superior & inferior mola spes & timor: Spes ad alta subuehit: timor autem cor inferius premit. Vna mola sine altera inutiliter habetur. In peccatoris ergo pectore semper Domini spes & formido coniungitur: quia in cassum misericordiam sperat, si iustitiam non timeat: & in cassum meruit qui non confidit. Loco ergo pignoris mola superior aut inferior non tollitur: quia qui prædicat peccatori, tanta dispēsatione disponere prædicationem debet, non relicta spe timorem subtrahat: nec subtracta spe timorem relinquat. Item spes hostes nostros confundit Iob. 6. *Confusi sunt, quia speraui.* Sexto commendabilis est spes à periculo sui contrarij, s. desperationis. Reg. 2. *An ignoras, quod periculosa sit desperatio?* Desperatio periculum est à quo non quæritur exitus. Prou. 8. *Impius quum in profundum vitiorum venerit, contemnit:* id est, ex toto se negligit. Sicut spes facit vt naufragus in mediis brachia iacet aquis, sic desperatio facit vt homo in nullo se iuuet. Desperans dicit malum verbum, & pugnæ totaliter cedit: vt pugil victus desperans infœlix est. Sicut ille qui sperat in Domino beatus est. Eccles. 14. *Fœlix qui non habuit animi sui tristitiam, & non excidit à spe sua.* Desperans est velut arbor radicitus euulsa. Iob 19. *Quasi auulsæ arbori abstulit spem meam.* Desperatio] abyssus est à qua vix vel nunquam est reditus. In Psalm. *Descendunt vsque ad abyssos.* Nulla plaga videtur esse magis desperabilis plaga desperationis. Ierem. 15. *Factus est dolor meus perpetuus, & plaga mea desperabilis.* Cum cetera peccata sint inflexiones cordis ad malum, peccatum desperationis fractura cordis. Iere. 30. *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.* Ps. 160.

Capvt III.

De quatuor speciebus considerationum quibus spes adiuuari potest, quarum prima est in Deum: secunda circa ea quæ pro Deo agimus: tertia circa beneficia Dei: quarta circa suffragia Sanctorum.

SEquitur de his quib. spes adiuuatur, & assimilabimus quatuor species meditationũ quibus spes potest adiuuari. Prima species est directe in Deum. Secunda est circa quæ pro Deo agimus vel sustinemus. Tertia circa beneficia Dei generalia vel specialia: corporalia vel spiritualia. Quarta est circa suffragia Sanctorum.

Quod ex septem considerationibus in Deum spes adiuuatur.

SPECIES I.

PRimam possumus subdiuidere in septem species. Quarum prima est in Deum, inquantum creator est. Naturaliter amat artifex opus suum, adeo vt vix possit audire quod ei detrahatur. Vnde verisimile est quod creator amet opera sua, & specialiter hominem, quem ad imaginem & similitudinem suam creauit. Gen. 1. Sap. 11. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti, nec enim odiens aliquid continxisti aut fecisti.* Sperare ergo debet homo de eo qui dedit ei vt sit, quod paratus sit dare ei vt bene sit. Secunda est in Deum, inquantum Dominus est. Naturaliter amant homines ea quæ sunt, & conseruant ea: & si ea perdiderint, gaudent cum ea recuperant. Vnde verisimile est quod Deus velit conseruare illos qui boni sunt: & peccatores quos perdidit, velit recuperare. Ad quod pertinet parabola de recupatione ouis perditæ & drachmæ perditæ. Luc. 15. vbi dicitur: *Ita dico vobis, gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super non aginta nouem iustis qui non indigent pœnitentia.* Et Sap. 11. dicitur, *Parcis omnibus, quoniam tua sunt.* Et Ezech. 18. *Ecce omnes animæ meæ sunt.* Et quibusdam interpositis subditur: *Nunquid voluntatis meæ est, dicit Dominus, mors impij, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat?* Inter homines eandem fidem quam debet seruus domino, debet & dominus seruo. Sicut infidelis est seruus si non subueniat domino cum subuenire debet: sic infidelis est dominus si non subueniat seruo, cum inimici domini impugnant eum, & non sufficit eis resistere. Ideo certissime sperare debet qui ab hoste inuisibilis impugnatur si tentatio supra vires eius est, quod Deus ei in succursum veniat, nisi per culpam eius hoc steterit: vel quia ipse mittendo ei nuntium orationis fuerit, vel infideliter vltro se reddiderit negligẽtem. 1. Corinth. 10. *Fidelis est Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Legitur de beato Martino quod quum inter Alpes incidisset in latrones, & vnus latronum eum ferire vellet, alius ictum ferientis continuit. Et cum postea latrones quærerent ab eo an timuisset, dixit se nunquam magis securum fuisse: quia sciebat misericordem Deum maxime in tentationibus affuturum. Bern. cum sentio te iratum, tunc spero te propitium: quia cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Tertia consideratio est consideratio bonitatis diuinæ: cui cum summa sit, summe placet bonitas, summe displicet malitia. Vnde verisimile est quod parata sit iuuare eos qui volunt malitiam deserere, & bonitati adhærere. Sapien. 14. *Odio sunt Deo impius & impietas eius.* Et Eccle. 12. *Altissimus odio habet peccatores.* Prou. 12. *Qui bonus est, hauriet sibi gratiam à Domino.* Quarta est consideratio misericordiæ diuinæ, Deus enim cum sit summe misericors, non minus vult misericors à miseria liberare quam ipsi liberari. August. loquens de illa ver-

bo. *Petite & accipietis.* Non tantum, inquit, hortatur vt peteremus, nisi dare vellet. Erubescit humana pigritia, plus vult ille dare, quam nos accipere: plus vult ille misereri, quam nos à miseria liberari. Misericordia Dei quãdoque peccatori offert etiam quod peccator petere non audet: vt ostendit Aug. in latrone qui Domino ait: *Memento mei quum veneris in regnum tuum.* Luc. 23. Considerabat, inquit, facinora sua: & pro magno habebat: si vel ei in fine parceretur: Deus autem continuo inquit: *Hodie mecum eris in paradiso*: misericordia obtulit quod miseria distulit. Aug. in l. Conf. Domine vna est spes, vna fiducia, vna firma promissio misericordia tua. Dauid: *Domine in misericordia tua speraui.* Item, *Melior est misericordia tua super vitas.* Bern. super cant. Meum meritum, miseratio Domini: non plane sum meriti inops quamdiu ille miserator affuerit. Tres alias species considerationis in Deum, innuit Bern. in sermone illo: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Tria, inquit, considero in quibus tota spes mea consistit: charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Item: Scio cui credidi, & certus sum quia in charitate nimia adoptauit me: quia verax est in promissione, quia potens in exhibitione. Hic est funiculus triplex qui difficilè rumpitur, quem nobis à patria nostra in hunc carcerem demissum firmiter obsecro teneamus, vt ipse nos subleuet, ipse trahat & pertrahat vsque ad conspectum gloriæ magni Dei. De charitate adoptionis legitur. 1. Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus pater, vt filij Dei nominemur & simus.* Multum debent moueri homines ad hoc quod de Deo sperent, hoc, quod Deus pater eorum est. Ber. loquens de Dominica oratione: Mihi, inquit, dictatur oratio, cuius principium dulce nomine paterno sequentium petitionum obtinendarum præstat fiduciam. Et gl. Matth. 6. super hoc nomen Pater: in hoc, inquit, datur fiducia: quid negabit filiis, qui iam dedit quod pater est? Et Luc. 11. *Si vos cum sitis mali, nostris bona data dare filiis vestris &c. quanto magis pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se?* Ad hanc considerationem pertinet parabola de filio prodigo. Luc. 15. vbi filius ad patrem rediens, cum osculo & amplexu recipitur, solenne conuiuium celebratur, symphonia cum choro auditur: & subdit pater misericordiarum: *Epulari & gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est.* Ad eandem considerationem pertinet illud Matth. 6. *Nolite soliciti esse, dicentes quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur: scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis.* Quum natura doceat animalia bruta vt prouideant fœtibus suis, & naturalis ratio dictet hominibus, vt prouideant filiis suis, verisimile est quod pater cælestis non desit filiis suis consilio eius & auxilio indigentibus. Promissiones etiam Dei qui mentiri non potest, quæ in scriptura continentur, multum possunt iuuare spem. Dauid: *Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.* Rom. 15. *Vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Item potestas Dei considerata multum potest spem iuuare: cui æque facile est liberare à magnis periculis vt à paruis, & saluare in paucis sicut in multis, & solo verbo potest implere promissiones suas. Ecclesiast. 8. *Sermo illius potestate plenus est.*

Psal. 12.
Psal. 88.

Quod ex consideratione bonorum quæ pro Deo facimus, & malorum quæ pro Deo sustinemus, spes adiuuatur.

SPECIES II.

Sequitur de illa specie considerationis quæ est circa ea quæ pro Deo agimus vel sustinemus. Bona opera quæ fecimus considerata spem iuuant. Vnde in Psalm.

Psalm. 4. Spes adiuuatur operibus bonis peractis, & malis pro Deo perpessis.

Sacrificate sacrificium iustitiæ & sperate in Domino. Sic potest homo sperare in Domino, si sacrificium iustitiæ prius obtulerit. Tit. 2. *Sobrie, & iuste, & pie viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem.* Greg. in Moralibus: Cum opus crescit præmij fiducia proficit. Securus est de re qui bonum pignus apud se habet. Sic securi sunt de regno futuro qui habet pignus, spem sc. 2. Corinth. 1. *Qui dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Ad Ephes. 1. *Qui est pignus hæreditatis nostræ.* Item, securus est qui habet bona opera quasi quædam pignora. Greg. in Moral. Sācti viri quod labores nunc veritati commendantes exhibent, tot iam remunerationis suæ pignora intra spei cubiculum clausa tenent. Securus potest esse de regno futuro cui iam in præsenti datum est super seipsum regnare. Bernard. Non est via ad regnum sine primitiis regni: nec sperare potest cœleste regnum cui non super propria membra regnare adhuc donatur. Mala etiam quæ pro Deo sustinemus considerato, spem adiuuant. Roman. 5. *Tribulatio patientiam operatur: patientia probationem: probatio autem spem.* Greg. in Moral. Bonorum mens quo duriora pro veritate tolerat, eo maiora æternitatis præmia sperat. Idem Tanto spes in Deum solidior surgit: quanto pro illo quisque grauiora pertulerit. Sen. Vires animi nunquam certam sui fiduciam dare possunt, nisi cum multæ difficultates hinc & illinc apparuerint, & aliquando propius accesserint. Ille qui fudit sanguinem suum, cuius dentes crepuerunt sub pugno cum magna spe descēdit ad pugnam: multum adiicit sibi virtus lacessita. Certus est de requie, venalis est qui pretium habet apud se. Sic certus est de regno futuro qui multas tribulationes pro Christo sustinuit, quibus regnum cœlorum emitur. Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* Matth. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Et notandum quod cum bona quæ pro Deo agimus, vel mala quæ sustinemus, consideramus, ea Dei gratiæ attribuere debemus exemplo Pauli dicentis 1. Corinth. 15. *Abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

Quod ex consideratione beneficiorum Dei spes adiuuatur.

SPECIES III.

Spes iuuatur cōsideratione beneficiorum multiplici.

SEquitur de illa specie considerationis quæ est circa beneficia. Quam possumus subdistinguere in quatuor species. Prima est circa Dei beneficia generalia & spiritualia: vt est redemptio mundi, & alia beneficia quæ ad salutem humani generis pertinent. Ad hanc considerationem pertinet illud Rom. 8. *Qui proprio Filio suo non pepercit: sed pro nobis omnibus donauit illum: quomodo non cum illo omnia nobis donauit*; Et ad Tit. 2. *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* Iob. *Domine quid est homo quia innotuisti ei, aut filius hominis quia reputas eum?* Bern. Mittis Vnigenitum tuum, immittis Spiritum tuum, promittis etiam vultum tuum: Et ne quid vacet in cœlestibus, ab opere solicitudinis nostræ etiam illos beatos spiritus propter nos mittis in ministerium. Item Bern. super illud Cant. 2. *Colūba mea in foraminibus petræ.* Clauus penetrans, clauus reserans factus est mihi, vt videam voluptatem Domini: quod. n. videam per foramen, clamat clauus, clamat vulnus. Idem: Patet arcanum cordis per foramina corporis. Idem: Patet illud magnum pietatis sacramētum: patent viscera misericordiæ, in quib. visitauit nos oriens ex alto. Idem: in quo clarius quam vulneribus tuis eluxisset: quod tu Domine suauis & mitis & misericors: maiorem enim miserationem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro addictis & damnatis. Secunda consideratio est circa beneficia spiritualia particularia: ad quod pertinet illud Bernard. super Cant.

Omnino, inquit, propter mansuetudinem quæ in te prædicatur, currimus post te Domine Iesu, audientes quod non spernas pauperem, peccatorem non horreas: non horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in teloneo, non supplicantem publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem Discipulorum, non ipsos crucifixores tuos: in odore horum vnguentorum currimus. Tertia consideratio est circa beneficia corporalia generalia: vt est creatio mundi, gubernatio, sustentatio. Ad hanc considerationem pertinet illud Matth. 6. *Respicite volatilia cœli quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cœlestis pascit ea: nonne vos magis pluris estis illis?* Et post: *De vestimento quid soliciti estis? cōsiderate lilia agri, & cætera.* Quarta consideratio est circa beneficia corporalia & spiritualia, de quibus in scriptura legitur: vt est conseruatio trium puerorum in fornace. Dan. 3. Et liberatio Susannæ. Eiusdem 13.

Quod ex consideratione meritorum & suffragiorum sanctorum spes adiuuatur.

SPECIES IV.

Quæ subdiuiditur in alias quatuor species considerationum.

SEquitur de illa specie considerationis quæ est circa merita Sanctorum vel suffragia, quam in quatuor species subdiuidere possumus. Prima est circa mediatorem Dei & hominum Iesum Christum. Secunda, circa mediatricem, scilicet beatam Virginum. Tertia circa Angelos. Quarta, circa Sanctos.

Quod ex consideratione meritorum & suffragiorum Christi spes adiuuatur.

SPECIES I.

PRima multum spem roborat, ad quam pertinent auctoritates Sacræ Scripturæ. Bern. super Cantic. Puto iam, spernere me non poterit Christus os de ossibus meis: & caro de carne mea. August. in libr. de Ciuit. Dei: Gratia, inquit, Dei non potuit gratius commendari, quā vt ipse vnicus Dei filius in se incommutabiliter manēs, induerit hominem, & spem dilectionis suæ daret hominibus homine medio: quia ad illū ab hominibus veniretur, qui tam longe erat iustus ab impiis, beatus à miseris. Gregor. Præbet aqud Deum homini fiduciam Deus homo: est nobis spes magna pœnitentibus quia aduocatus noster factus est iudex noster. 1. Ioan. 2. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Rom. 8. *Qui est ad dexterum Dei: qui etiam interpellat pro nobis.* Ipse secundum quod homo, postulat: secundum quod Deus, dat Dauid: *Accepisti dona in hominibus.* Christus dicitur accipere dona in hominibus: quia merito eius dantur Ecclesiæ dona charismatum. Vnde Ecclesia in fine orationum petit orationem suam exaudiri per Dominum suum Iesum Christum. Et ad Hebr. 7. dicitur de ipso quod in perpetuum saluare potest, accidens per semetipsum ad Deum semper viuens ad interpellandum pro nobis. Eiusdem 9. *Iesus introiuit in ipsum cœlum vt appareret vultui Dei pro nobis.* In Psal. *Respice in faciem Christi tui.* Respiciens Deus pater quam chare Ecclesia constitit filio, suæ parcit Ecclesiæ. Item in Psal. *Scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum. Dominus exaudiet me cum clamauero ad eum.* Et super illud Psal. *Saluū fac populum tuum Domine, dicit* gl. Ecce quanta spes credentium, cum pro eis orat, passus pro eis, & iudex est, & aduocatus.

Quod ex consideratione meritorum & suffragiorum beatæ Virginis spes adiuuatur.

SPECIES II.

CONsideratio etiam mediatricis nostræ multam fiduciam potest nobis dare: ipsa. n. est dulcedo, & spes nostra, vt cantat Ecclesia. Ipsa est mater sanctæ spei. In ipsa est gratia omnis viæ & veritatis, & omnis spes vitæ & virtutis. Ecclesiast. 24. Ad hanc considerationem & ad præcedentem pertinet illud Bern. Securum habes accessum, ô homo! ad Deum vbi habes filium ante patrem, & ante filium matrem: filius ostendit Patri cicatrices & vulnera: mater ostendit filio pectus & vbera: nec vlla potest esse repulsa vbi tot charitatis occurrunt insignia. Beata virgo gratiæ thronus est, in quo sc. fons gratiæ quieuit. Hebr. 4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius vt misericordiam consequamur*: Ierem. 14. *Solium gloriæ tuæ recordare, & ne irritum facias fœdus tuum nobiscum.* Solium gloriæ est beata Virgo. Ipsa enim thronus eburneus est. De quo 4. Reg. 10. & 2. Paralip. 9. Ipsa est stella maris Luc. 1. Et *nomen virginis Maria,* quod interpretatur stella maris. Ipsa naufragantes in mari huius mundi, cum aliud consilium aut auxilium deficit, ad portum salutis dirigit. Sicut est quædam stella quæ nos naufragantes in mari visibili cum tempus obscurum est, ad portum dirigit. Bern. super illud Euangel. *Missus est angelus Gabriel.* Si consurgunt, inquit, venti tentationum, si incurris scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Et paulo post: In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita. Mariam inuoca, non recedat à corde, non recedat ab ore: & vt impetres eius auxilium, non deseras conuersationis exemplum. Ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras: ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis, & sic in temetipso experiris quod merito dictum sit, *Et nomen virginis Maria.* Ipsa data est mundo quasi aquæductus, per quem gratiæ à Deo descendant. Eccl. 24. *Sicut aquæductus exiui à paradiso.* Bern. loquens de ipsa: Vehementia, inquit, desiderij, feruore deuotionis, puritate orationis fontem attingit pietatis, vt hauriat super angelos quod refunderet hominib. aquam viuam. Idem: Prætereà tanto tempore fluenta gratiæ defuerunt: quia nondum intercesserat aquæductus. Ipsa est collum, caput ecclesiæ, scilic. Christum, corpori eius coniungens. Qui ipsi per amorem non adhæret, non adhærebit capiti: sicut nec corpus adhæret capiti collo amoto. Cantic. 6. *Collum tuum sicut turris eburnea.* Collum est beata Virgo quantum ad mediationem. Turris vero est quantum ad defensionem. Ipsa enim est virga directionis, errantes, in via præsentis vitæ salubriter dirigens. Item est virga in signum clementiæ à vero Assuero mundo extenta. Esther. 4. Assuerus interpretatur beatitudo. Ipsa est etiam virga Moysi à Pharaone infernali & eius exercitu Israelitas liberans. Exod. 4. Et cordibus aridis & duris aquam deuotionis prouidens, Num. 20. Ipsa est virga de radice Iesse egressa, id est de incendio diuini amoris. Esai. 11. Iesse enim interpretatur incendium. Ex magnitudine diuini amoris fuit quod Deus mundo dedit beatam virginem, quæ occasione peccatorum habet gratiam quam habet apud Deum Nunquam enim fuisset mater Dei nisi peccatores fuissent; quia non fuisset necesse, ideo parata est eam expendere in peccatores. Vnde secure possunt accedere peccatores ad eam tanquam ad suam quodammodo, quia sibi datam. August. in orat. ad B. Mariam. O Maria, inquit, multum audeo, multum gaudeo, multumque gaudium multam mihi facit

audaciam: mira loquar, sed sic est. Nos enim tibi teque nobis mira vicissitudo confœderat: vt sc. pro nobis habeas illud esse quod es: nos vero per te id esse quod sumus. Si enim nulla præcessit nostra trãsgressio, non esset secura nostra redemptio. Et si necessarium non esset redimi, non esset necessarium te parere redemptorem. Vt quid enim nescium peccati pro peccatoribus pareres, si deesset qui peccasset? vt quid mater fieres Saluatoris, si nulla esset indigentia salutis? ipsa est virga quæ florem nouum protulit, & fructum sufficientem ad mundi redemptionem, & ad electorum æternam refectionem. Ipsa est quæ mœstis consolationis vinum prouidet. Ioannis 2. *Vinum*, ait ipsa filio suo, *non habent.* Ipsa est Dei cellaria de qua familia Dei merito gaudet. Canticorum primo: *Introduxit me rex in cellaria sua.* Et subditur in persona fidelium: *Exultabimus & lætabimur in te.*

Ipsa est aurora furiis infernalibus tremebunda. Cant. 6. *Quæ est ista quæ progreditur sicut aurora consurgens?* Iob. 24. *Si subito apparuerit aurora, arbitratur vmbram mortis.* Ipsa est pulchra vt luna. Cant. 6. Luminare enim noctis est, lucens eis qui sunt in nocte peccati. Ipsa est mediatrix luminis. Luna recipit lumen à sole, & dat mundo, cum mundus propter aliquod interpositum sibi & soli non potest illud recipere à sole: sic beata Virgoo lumen gratiæ recipit, cum mundus non esset dignus illud recipere. Bern. Cum tu dignus non eras cui filius Dei daretur, datus est Mariæ: vt per eam acciperes quicquid haberes. Ipsa propinqua valde est peccatoribus, sicut luna inter planetas propinquior est terræ. Pulchritudo eius est vt pulchritudo lunæ: quia his qui sunt in nocte peccati pulchra apparet propter magnitudinem misericordiæ suæ: ad quam tales maxime habent oculos. Eccles. 24. *Sicut oliua speciosa in campis.* Cantic. 4. *Pulchriora sunt vbera tua vino.* Bernardus in sermonibus: Nos quidem, inquit, in cæteris virtutibus congaudemus tibi: sed in misericordia tua potius nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur: sed misericordia miseris sapit dulcius. Hanc amplectimur charius; recordamur sæpius, crebrius inuocamus. Hæc est enim quæ totius mundi reparatiomem obtinuit, salutem omnium impetrauit. Constat enim pro vniuerso genere humano fuisse solicitam: cui dictum est, *Ne timeas Maria: inuenisti enim gratiam quam quærebas.* Quis ergo misericordiæ tuæ ô benedicta, longitudinem & latitudinem, sublimitatem & profundum queat inuestigare? Nam longitudo eius vsque in diem nouissimum inuocantibus eam vniuersis subuenit: Latitudo replet orbem terrarum, vt tua misericordia quoque sit plena omnis terra. Sic & sublimitas eius ciuitatis supernæ inuenit restaurationem: Et profundum eius sedentibus in tenebris & vmbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cœlum impletum est, infernus euacuatus est, instauratæ ruinæ cælestis Hierusalem, expectantibus miseris vita perdita data. Sic potentissima & piissima charitas, & affectu compatiendi & subueniendi abundat effectu æque locuples in vtroque. Ad hunc ergo fontem sitibunda properet anima nostra, ad hunc misericordiæ cumulum tota solicitudine miseria nostra recurrat. Idem: Sileat misericordiam tuam virgo beata si quis est qui eam inuocatam in necessitatibus sibi meminerit defuisse. Misericordia eius non defuit etiam Theophilo. Exemplum.
Fuit Theophilus in quadam vrbium Siciliæ tam prudenter & vtiliter res Ecclesiasticas despensans, quod eum mortuo episcopo dignum episcopatu omnis populus acclamauit. At ille contentus vice dominatu alium maluit ordinari episcopum: à quo ab honore suo iniuste depositus, ad tantam impatientiam deuenit vt conducto quodam Mago Hebræo ad recuperandum honorem suum,

opem quæreret à principe dæmoniorum. A quo iussus est negare filium Dei, & matrem eius cum omni proposito Christiani: & ipsam abnegationem scribere, & sigillatam tradere, & sic eius seruitio se addixit. Qui in crastinum recuperato honore suo, non multum post ad se reuersus in Eccles. beatæ Mariæ omni pœnitentia se affligendo, primo piam sibi Dei matrem reconciliauit, eaque sibi apparente abrenuncians diabolo, Christumque verum filium Dei, & ex Maria virgine natum, & omne Christiani propositum profitens, per eam etiam Christi filij eius gratiam recuperauit. Et ad indicium indultæ sibi veniæ rursum ei dormienti apparens Christi mater, etiam scriptum abrenunciationis quod signatum diabolo dederat super pectus eius reposuit. Quo Theophilus recepto, in crastinum die Dominica coram Episcopo & omni Ecclesia pandens ordinem rei, omnes ad stuporem & laudem Dei & genitricis Christi Mariæ commouit, & in eodem loco quo sibi pia virgo apparauit, perstans, ibidem post triduum mortuus est & sepultus.

Item beata Virgo est electa vt sol. Canticor. 6. Sicut enim sol est luminare, par sibi non habens, toti mundo sufficiens: sic beata Virgo nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Ipsa lucet fulgore miraculorum vbique terrarum: non sic alij sancti qui aliquot annis post transitum suum fulserunt miraculis: & hoc in specialibus locis. Suffragia vero beatæ Virginis vsque in diem iudicij non cessabunt. Eccles. 24. *Vsque ad futurum seculum non desinam.* Ipsa est terribilis hostibus infernalibus, *vt castrorum acies ordinata.* Cantic. 6. Ideo fideles in tentationibus suis frequenter debent eam inuocare. Non sic timent hostes visibiles quamlibet multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium & exemplum. Fluunt & pereunt sicut cera à facie ignis vbicunque inuenerint huius nominis crebram recordationem, deuotam inuocationem, solicitam imitationem. Ipsa est mulier conterens caput serpentis infernalis. Genes. 3. Sed sunt qui videntur velle quod ipsa conterat caudam, qui non in principio tentationis eam inuocant. Ipsa est arca testamenti. Exod. 25. In hac arca posuit Deus thesaurum quem mundo contulit. Ad hanc arcam recurrit Ecclesia in necessitatibus suis, ipsa est arca non solum plena, sed etiam superplena. Bernard. super illud. *Spiritus sanctus superueniet in te.* Cur in eam, inquit, iam plenam superuenturum asserit Spiritum sanctum, nisi vt adueniente spiritu, plena sibi: ipso quoque superueniente nobis superplena & superfluens fieret? Ipsa præter coronam quam sibi meruit etiam peccotoribus ad eam recurrentibus propitiatio est. Vnde super coronam arcæ fuit propitiatorium. Ipsa est mulier gratiosa inueniens gloriam his pro quibus eam quærere voluerit. Prouerb. 11. Ipsa etiam est mulier bona: de qua Prouerb./18. *Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum: & hauriet iucunditatem à Domino.* Antequam ipsa esset magna, fuit penuria bonorum spiritualium in mundo. Eccles. 26. *Vbi non est mulier, ingemiscit æger.* Ipsa est mater non solum filij Dei naturalis: sed etiam omnium filiorum Dei per gratiam. Vnde quod Dominus dixit discipulo quem diligebat de ipsa, *Ecce mater tua.* Ioan. 10. intelligendum est de quolibet quem Christus diligit. Et Cantic. 8. mater vocatur. *Quis mihi det te fratrem meum*, suggentem vbera matris meæ, scilicet Mariæ? Ideo frequenter dicendum est ei illud quod cantat Ecclesia: Monstra te esse matrem. Indigebat mundus matre propter prauitatem pusillanimitatis & defectuum multiplicitatem. Ipsa adiutrix est pusillanimium. Vnde dicit ei Ecclesia, Iuua pusillanimes. *Nolite timere pusillus grex: quia complacuit matri vestræ dari vobis regnum.* Ipsa est mater misericor-

diæ. Bernard. Quando misereri non poterit mater omnipotentiæ ? quando misereri nollet mater misericordiæ ? Idem: Reuolue totam seriem Euangelij : & si quid asperum , si quid durum , inueneris in Maria , deinceps eam suspectam habeas , & ad eam accedere verearis. Ipsa est mater pulchræ dilectionis. Ecclesiast. 24. non amans filios suos fatuo amore ; vt aliquæ matres faciunt. Omnes filios Dei qui sunt in mundo isto, quasi gestat in visceribus pietatis , exhibens eis vbera consolationis. Cant. 3. *Pulchra sunt mammæ tuæ.* In eodem : *Pulchriora sunt vbera tua vino.* Sicut Christus est otium regni cœlorum. Ioann. 10. ita est fenestra ipsius. Vnde cantat Ecclesia, Intrẽt vt astra flebiles, cœli fenestra facta es. Ipsa figurata est per fenestram arcæ, quam Hebræi dicunt fuisse crystallinã, per quam habuit transitum colũba quæ cessationem diluuij indicauit, & spem salutis attulit. Item ipsa est fons terram Ecclesiæ irrigans & fœcundam reddens. Cant. 4. *Fons hortorum,*&c. Fons in vallibus inuenitur: & beata Virgo humilibus est familiaris. Loca fonti vicina florida solent esse & virida: sic familiares beatæ Virgini florent virtutibus , & virent bonis operibus. Eccl. 40. *Super omnem aquam viriditas.*

Quod ex consideratione meritorum & suffragiorum angelorum spes adiuuatur.

SPECIES III.

SEquitur de illa specie considerationis quæ est circa angelos, ad quam pertinent illa verba sacræ Scripturæ, quæ nobis indicant beneuolentiam vel beneficentiam angelorum, vt est illud Luc. 15. *Gaudium erit coram angelis* Dei *super vno peccatore pœnitentiam agente.* Et illud Psalm. Psal. 90 *Angelis suis* Deus *mandauit de te : vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Bern. loquens de hoc verbo. Quantam, inquit, debet tibi hoc verbum inferre rreuerẽtiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam ? Reuerẽtiam pro præsentia, deuotionem pro beneuolentia, fiduciam pro custodia. Idem: Quid sub tãtis custodibus timeamus nec superari nec seduci ? Minus autem seducere possunt. Fideles sunt, prudentes sunt. Quid trepidamus? tantum sequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione Dei cœli cõmorabimur. Hier. Magna est dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiã sui angelum delegatum. Bern. loquens de illo verbo Esa. 62. *Super muros tuos Hierusalem cõstitui custodes.* Benignus es, inquit, Domine qui non es contentus nostrorũ fragilitate murorũ: sed ipsis hominum custodibus angelicam custodiam supponis. Ad eandem considerationem pertinet illud Matth. 18. *Videte ne contemnatis vnum ex pusillis istis : angeli enim eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.* Item illud Heb. 11. *Nonne omnes administratorij spiritus sũt in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?* Et Exod. 24. *Ecce, ego mitto angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat ad locum quem paraui.* Et Tob. 5. *Angelus* Domini *comitetur vobiscum.* Et eiusd. 12. *Quando orabas cum lacrymis,* ait Angelus Tobiæ, *ego obtuli orationem tuam* Domino. Et Luc. 16. *Factum est vt moreretur mendicus , & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ.* Et Apocalyps. 12. *Michael & angeli eius præliabantur cum dracone.* Bern. super Cant. Bene tecum agitur, ô mater Ecclesia, bene tecum agitur in loco peregrinationis tuæ: de cœlo & de terra venit auxilium tibi.

Quod ex consideratione meritorum & suffragiorum aliorum Sanctorum & Sanctarum spes adiuuatur.

SPECIES IV.

SEquitur de illa specie considerationis quæ est circa sanctos, ad quam pertinet

illud Iob.2. *Ad aliquem sanctorum conuertere.* Et illud Psalm. *Leuaui oculos meos in montes : vnde veniet auxilium mihi.* Ps. 120 Montes spirituales, Sancti sunt. Et illud Bernard. Tria sunt quæ in festiuitatibus Sanctorum vigilanter considerare debemus. Auxilium Sancti, exemplum eius, confusionem nostram. Auxilium: qui potens in terra, potentior est in cœlis ante faciem Domini Dei sui. Si hic dum adhuc viueret, misertus est peccatoribus, & orauit pro eis : nunc tanto amplius, quanto verius cognoscit miserias nostras, orat pro nobis patrem : qui beata illa patria charitatem eius non immutauit, sed augmentauit, & nunc induit potius sibi viscera misericordiæ, quum ante fontem misericidiæ assistat. Bernard. super Cantic. Non ambigo ego quin Apostoli & Apostolici viri tanto in morte potentius sponsam protegant & custodiant, quanto in ipso amplius confortatus ést principatus eorum. Cum charitas Sanctorum in via modica sit respectu charitatis eorum in patria : secundum illud Esa. 31. *Dixit Dominus, cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem*: verisimile est quod sancti qui in hoc mundo tantum amauerunt peccatores quod pro salute eorum se morti exposuerunt, multi sunt parati iuuare eo modo in his quæ ad salutem eorum pertinent nisi per culpam eorum steterit. Vnde multam deberemus habere fiduciam in eis, & specialiter in illis quorum pietatis plura argumenta habemus : sicut in illis qui in hac vita mortali leguntur fuisse eminentis pietatis : vt de B. Nicolao legitur, quod erat valde compatiens, & super afflictos pia gestans viscera. Et B. Martinus diuisit pallium pauperi, & in illis qui morte imminente petierunt Deum propitium fieri his qui memoriam eorum agerent : vt B. Catharina quæ Christo ait : Fac misericordiam, meam agentibus memoriam. Et in his de quorum tumba manat oleum ad indicium pietatis eorum : vt de tumba B. Nicolai, & de tumba beata Catharinæ.

CAPVT IV.

De his quæ aduersantur fidei, scilicet desperatione & confidentia in creaturam: & de causa desperationis.

SPei vero videntur aduersari, diffidentia de Deo siue desperatio, & confidentia in creatura. Desperatio hominem reddit maledictum, & protectione Dei indignum. 2. Eccl. *Væ dissolutis corde, qui non credunt* Deo, & ideo non protegentur ab eo. Desperans est similis Cain : caput cordis habet tremulum, vagus & profugus est, à procella tentationis, à terra viuentium proiectus, eo quod non habet ancoram spei qua retineatur. Desperatio est peccatum in Spiritum sanctum. Vnde super illud Genes. 4. *Maior est iniquitas mea*, &c. dicit gloss. Desperatio est blasphemia in Spiritum sanctum, quæ non remittitur, neq; in hoc seculo, neq; in futuro : quia aut putat Deum nolle dimittere, aut non posse : tanquam aut omnia non possit, aut inuideat saluti. De desperatione require supra in cap. de Commendatione spei, in fine. Et in tractatu de Acedia, 2. part. 15. Confidentia vero in creatura triplex est. Prima est præsumptio siue confidentia de se. Secunda, confidentia in homine. Tertia, confidentia in re inferiori homine : vt in diuitiis. De prima dicitur Prouerb. 28. *Qui confidit in corde suo, stultus est.* Vere stultus est homo de se præsumens, cum homo ex se non sufficiat, neque ad subsistendum, neque ad bene viuendum. Tripliciter est homo insufficiens ad subsistendum. Primo, quia secundum verbum Greg. esse omnium quæ de nihilo sunt in nihilum tenderet, nisi ea omnium auctor manu regiminis retineret. Secundo, quia non est sufficiens defendere se ab hostibus suis, imo à dæmonibus cito perimeretur, nisi à Domino protegeretur. Thren. 3. *Misericordia Domini, quia non*

Conf[identia] creat[uræ] tripl[ex]

fumus consumpti. Bernard. si boni spiritus se à nobis elongauerint, impetum malignorum spirituum sustinere quis poterit? Tertio, quia cibo indiget sine quo vita eius deficeret: quæ insufficientia non est in angelo, imo nec in lapide. Dauid. *Esurientes & sitientes anima eorum in ipsis defecit.* Item ad bene viuendum tripliciter insufficiens est. Primo, quia non sufficit ex se bonam vitam inchoare. 1. Cor. 15. *Non quod sufficientes simus aliquid cogitare ex nobis quasi à nobis.* Cogitatio primum opus esse videtur. Potest homo per peccatum se occidere, sed nō potest se occisum suscitare. Homo per malitiam occidit animam suam. Ose. 13. *Perditio tua Israel, tantummodo ex me auxilium tuum.* Secundo, insufficiens est in bono inchoato perseuerare. Greg. Cito bonum amittitur nisi à largiente custodiatur. Tertio insufficiens est in bono inchoato proficere Ber. super illud Cant. 1. *Trahe me post te,* dicit in persona Ecclesiæ: Domine, scio me nequaquam posse peruenire ad te, nisi gradiendo post te: sed ne hoc quidem nisi adiuuer à te: ideo precor vt trahas me post te. Beatus siquidem est cuius est auxilium abs te. Homo præsumens de se, maledictus est. Esa. 5. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris.* De præsumptione ista, require in tract. de Superb. 3. part. cap. 5. Confidentia vero in homine fallax est, & hominem confundens Esa. 20. *Confundentur ab Æthiopia spe sua.* Et eiusd. 36. *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum: cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam.* Sic Pharao rex Ægypti omnibus qui confidunt in eo Hier. 9. *Vnusquisque à proximo se custodiat: & in omni fratre suo non habeat fiduciam.* Confidentibus in homine S. Scriptura in multis locis maledicit. Hiero. 17. *Maledictus homo qui confidit in homine.* Et Esa. 31. *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, &c.* Et non sunt confisi super sanctum Israël, & Dominum non exquisierunt. Cōfidentia etiam in rebus inferioribus valde periculosa est. Greg. super Iob: De creatore desperasset, si spem in creatura posuisset. Idē: Quasi in aquis defluentibus fundamentum ponere, est in rebus labentibus spei fiduciam velle solidare. Sap. 5. *Spes impij quasi lanugo quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis quæ à procella dispergitur.* Iob. 8. *Spes hypocritæ peribit.* Et paulo post: *Sicut tela aranearum fiducia eius.* Gloss. Greg. Tela aranearum studiose texitur, flatu venti dissipatur: sic quicquid hypocrita exudat fauoris aura tollit. Itē Iob. 31. *Si putaui aurum robur meum: & obrizo dixi, Fiducia mea*: supple, *male mihi accidat.* Gloss. Obrizum est rudis auri moles. Prouerb. 11. *Qui confidit in diuitiis suis, corruet.* Eccles. 31. *Beatus diues qui non sperauit in pecuniæ thesauris.* Et 1. Tim. 6. *Diuitibus huius seculi præcipe non sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo.* Quum aurum & argentum vix secure possint esse etiam in arcis seratis: fatuus est qui ex his securitatem vult sibi facere. Quomodo enim possunt dare securitatem quam non habent? & quum bona transitoria mentiantur non soluēdo quod promittunt: fatuum est in eis fiduciam habere. Esa. 28. *Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.* Mendacio protegebatur Goliath, cui dicit Dauid 1. Reg. 17. *Tu,* inquit, *venis ad me cum hasta, gladio, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini.* Hasta, clypeus & gladius promittebant ei victoriam, quam tamen non habuit.

[Margin: Homo ad bene viuendum insufficiens est.]

[Margin: Confidentia in rebus transitoriis periculosa.]

De quatuor causis desperationis.

ET notandum quod quatuor sunt quæ possunt esse causa desperationis. Primum est peccati magnitudo, vel multitudo. Gen. 4. *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Sed fatuum est propter multitudinem vel magnitudinem peccati desperare: cum vbi superabundauit delictum, superabundet & gratia. Rom. 5.

[Margin: Causæ desperationis. 1.]

Et maior miseria amplius soleat mouere misericordiam: abyssus enim miseriæ abyssum inuocat misericordiæ. Bernard. Peccaui peccatũ grande: turbabitur conscientia, sed non perturbabitur: vulnerum enim Domini recordabor. Idem: Quid tam ad mortem quod non Christi morte saluatur? August. 10. lib. Confess. loquens ad Deum patrem: Merito, inquit, mihi spes valida in Christo est, quod sanabis omnes languores meos per eum, qui sedet ad dextram tuam, & te interpellat pro nobis: alioquin desperaui. Multi enim & magni sunt languores mei. Multi enim & magni sunt: sed amplior est medecina tua. Idem in eodem: ille tuus vnicus redemit me sanguine suo: non calumientur mihi superbi: quoniam cogito pretium meum. Maiorem malitiam in homine diuina bonitas, quæ summa est, magis odit, parata eam destruere, & eum qui vult deserere, adiuuare.
2. Secundum est multitudo tentationum. Quidam putant se esse desertos à Deo, quia non dat eis quietem à tentationibus: quum potius tentatio signum diuini amoris sit. Est enim eruditio filiorum Dei, Iudic. 3. *Hæ sunt gentes quas reliquit Deus vt in his erudiret Israelem.* Prou. 13. *Qui diligit filium suum, instanter erudit eum.* Multiplicatio tentationum signum est quod aliquis de manibus dæmonum euaserit. Dum aliquis est in carcere, vnicum habet custodem vel duos: si vero euaserit, omnes eum insequuntur. Sic dum aliquis captus est à diabolo: non tantum eum dæmones persequuntur,
Psal. 3. quantum quum euaserit. Dauid: *Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me?* Gregor. Illos pulsare negligit, quos iure quieto possidere se sentit. Præterea quod videtur esse impugnatio, potius est defensio: vt patet in Paulo, in quo impugnatio castitatis erat defensio humilitatis. 2. Corinth. 12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ.*
3. Tertium est frequens casus vel recidiuatio. Sed fatuum est credere infirmitatem humanam plus posse cadendo, quam Dei virtutem releuando. Frequens casus quum ad humilitatem valeat, quodammodo facit vt homo ad fortitudinem accedat. Humilitas enim triumphare facit, sicut superbia facit corruere. Vnde Bernardin. super Cantic. Superbia siue iam existens, siue nondum, semper erit causa subtractæ gratiæ. Nunquid qui humilibus dat gratiam, humili aufert datam? Humilitas Deo dat gloriam: & ideo per consequens super eum ponit pugnam. Eiusdem enim est gloria victoriæ & pondus pugnæ. Superbus præsumit, ideo cadit: humilis in Deo confidit, ideo vincit. Petrus præ cæteris cecidit, qui præ cæteris præsumpsit.
4. Quartum est nimia tristitia. Prouerb. 15. *In mœrore animi deycietur spiritus:* Deiicietur, inquam, in profundum desperationis. Ecclesi. 14. *Felix qui non habuit animi tristitiam, & non excidit à spe sua.* Ideo non est continue habenda memoria peccatorum: nec continue cogitanda Dei iustitia: imo quandoque respirandum est in Dei misericordia. Greg. Considerantes quod Deus pius sit, peccata vestra nolite negligere. Considerantes quod iustus sit, nolite desperare. Idem: Oportet etiam de Dei semper nos miseratione confidere, & de nostra infirmitate formidare. Isidorus: Benignus est Deus, & seuerus: si tantum benignus esset, eius benignitatem contemneremus: si tantum seuerus, desperaremus. Et notandum quod ea quæ dant occasionem desperationi, aduersantur spei: quæ vero spem adiuuant, de quibus dictum est prius, remedia sunt contra desperationem.

Cap. V.

Capvt V.

De rebus sperandis, & descriptione beatitudinis. De duodecim quibus cognosci potest magnitudo futuræ gloriæ. De 12. fructibus Ligni vitæ, de multiplici materia gaudii futuri, de differentia futuri gaudii ad præsens, & de 12. cognitionib. intellectis per 12. stellas quæ sunt in corona sponsæ.

NVnc dicendum de rebus sperandis, quæ sunt gloria animæ, & gloria corporis: De quibus, Esa. 61. *In terra sua duplicia possidebunt.* Et Prouerb. vlt. *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Hæ sunt duæ stolæ, quarum vnam iam habent Sancti, & alteram expectant. Apocalypsis 6. *Datæ sunt illis singulæ albæ stolæ, & dictum est illis vt requiescerent adhuc tempus modicum donec compleantur conserui eorum.* In his duabus stolis beatitudo attenditur. Beatitudo vero est, vt ait Boet. status omnium bonorum congregatione perfectus. Idem: Perfecta felicitas est quicquid velis adesse, & omne quod nolis abesse. Augustin. in lib. de Moribus Ecclesiæ: Beata vita est, quum id quod est hominibus optimum, & amatur & habetur. Item Augustinus in Enchiridio: Ille beatus est, qui omnia quæ vult habet; nec aliquid vult quod non decet.

uid / atitu. / o.

De XII. quæ valere possunt ad cognoscendam magnitudinem futuræ gloriæ.

x quib / gno- / atur / oriæ / agni- / do. / 1.

DVodecim sunt in quibus cognoscitur quam magna erit gloria fideliũ, licet hîc humiles sint & abiecti. Primum est hoc, quod Deus ita chare vendit gloriam istam etiam amicissimis suis. Petrus emit eam martyrio crucis. Paulus amputatione capitis. Et. Verisimile est quod ipse non deceperit eos, cum sit amicus fidelissimus, imo, quod plus est, ipsemet emit gloriam istam charissimè amicis suis, scilicet crucis ignominia. Vnde verisimile est ineffabiliter magnam esse gloriã illam quã Christus tanta ignominia emit. Secundum 2.
est gloria pulchritudinis quam videmus in inferiorib. creaturis cũ Domino placet decorare eas. Lilium in hyeme vile apparet, & quasi nullius pulchritudinis: in æstate vero cũ Domino placet decorare illud, mirabilis est pulchritudinis. Idem videmus in pratis. Matt. 6. *Considerate lilia agri quomodo crescunt.* Et subditur: *Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis.* Et post: *Si fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei?* Tertium est, gloria pul- 3.
chritudinis quã videmus in his quæ sapientia artificum fiũt. Videmus enim quod ex lignis, & lapidibus, & metallis, quæ quando de terra sumuntur paruam habent pulchritudinem, fiunt opera miræ pulchritudinis: vt patet in gloria Salomonis. 3. Reg. 10. *Videns regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, &c. non habebat vltra spiritum.* Quam ergo gloriam habebunt amici Dei, cum Deo placuerit eos decorare secundum magnitudinem sapientiæ suæ? Quarto 4.
potest apparere magnitudo istius gloriæ ex verbis sanctorum quibus Deus reuelauit eam, vt est illud Esa. 64. *Oculus non vidit, Deus absque te quæ præparasti expectantibus te.* Et 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quæ præparauit Deus his qui diligunt eum.* Et Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Et 1. Cor 4. *Id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operabitur in nobis.* Gen. 15. *Ego sum merces tua magna nimis.* Exod. 33. ait Moyses ad Dominum: *Ostende mihi gloriam tuam. Qui respondit ei, Ostendam tibi omne bonum.* Prou. 11. *Desiderium iustorum omne bonum:* Dauid. *Nimis honorati sũt amici tui Deus.* Quinto potest apparere 5.

magnitudo gloriæ, per hoc quod legitur Matth. 17. In transfiguratione Domini factum quod, *resplenduit facies eius sicut sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.* Voluit enim ibi Dominus ostendere gloriam quam habitura sunt corpora
6. nostra in resurrectione. Sexto honor quem contulit Christus cruci quæ ei seruiuit. August. super Psal. Crux de pœnis latronum transiuit ad fontes imperatorum. Quid faciet Deus fidelibus suis qui tantũ honorem contulit tormentis suis? Ambr. super, *Beati immaculati*: Si opprobrium tuum gloria est Domine Iesu, quanta est gloria tua? Tuæ igitur participatione gloriæ quid erimus, cuius sumus opprobrio
7. gloriosi? Septimo honor quo Christus honorat sanctos suos modo in terris. Maior enim reuerentia exhibetur pulueribus vel ossib. sanctorum, vel etiam pãniculis quibus induti fuerũt, quam exhibeatur maximis principib. huius mundi. Vnde verisimile est quod multum sit eos honoraturus in cœlis, qui facit eos tantum honorari in
8. terris. Octauo per hoc quod in gloria eorum erit similis gloriæ Dei. Iuxta illud 1. Ioan. 4. *Filij Dei sumus, sed nondum apparet quid erimus: sed quum apparuerit, scimus quoniam similes ei erimus.* Verisimile est quod creatura illa quæ in naturalibus similis Deo extitit, & operando Dominum imitata est, multũ debeat decorari quum Deo in gloria assimilabitur. Rom. 8. *Quos prædestinauit conformes fieri imaginis Filij*
9. *sui.* Nono, locus in quo Christi benignitas vult eos esse. Ioan. 12. *Vbi ego sum, illic minister meus erit.* Et eiusdem 17. *Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego & illi sint mecum, vt videant claritatem meam.* Luc. 22. *Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & biba-*
10. *tis super mensam meam.* Decimo, quod regnum habebunt. Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c.* Apoc. 22. *Et regnabunt in secula seculorum.*
11. Psal. 20. Vndecimo, coronæ pretiositas In Psal. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* Lapis iste pretiosus, Deus est. Hęc est illa pretiosa margarita quam qui inuenit, vendit omnia quæ habet, & emit eam. Matt. 13. circa coronam istam non solum attende lapidis valorem, sed & splẽdorem, est enim splendor gloriæ. Heb. 1. *Qui quum sit splendor gloriæ.* Apoc. 21. Ciuitas non eget sole, nec luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminabit eam. Attende etiam coronæ decorem, quam decenter sc. corona conueniat capiti: caput enim cordis ad eam & propter eam factum est. August. in lib. Confess. Domine, fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. Duodecimo, hoc quod Deus eos 12.
ministerio proprio honorabit Luc. 12. *Præcinget se, & faciet illos discumbere: & transiens ministrabit illis.* Hæc ministratio erit diuinæ faciei, in qua sit summæ lætitiæ ostensio. Dauid: *Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* Iob. 33. *Videbit faciem eius in iubilo.* Nunc facies illa nobis abscondita Psal.
est. Dauid: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam adscondisti timentibus te!* Psal. Iob. 26. *Qui tenet vultum solij tui, & expendit super illum nebulam suam.* Magnitudinem etiam gloriæ saluãdorum ostendit hoc, quod Deus vocat Ecclesiam sponsam suam. Erit enim gloria sponsæ, vt decebit regem cœlestem sponsam ipsius. Quæ gloria describitur in Psal. *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato.* Psal. Cant. 4. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano: veni coronaberis.* Item quod fideles dicuntur filij Dei & filij charissimi. Ephes. 5. *Estote imitatores Dei sicut filij charissimi.* Vnde erit gloria eorum vt decebit tantum patrem. De qua gloria Rom. 5. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Item quod fideles dicuntur dij, in Psal. *Ego dixi, dij estis.* Sicut Psal. de aliquo dicitur, quod ipse est rex vel archiepiscopus, eo quod regem vel archiepiscopum habeat in sua voluntate: sic amici Dei in futuro dij erunt propter vnionem voluntatum cum Deo, 1. Cor. 5. *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est.* Amicitia est vnio amantium. August. Talis est quisque

qualis eius dilectio. Si terram diligis, terra eris: Deum diligis: quid dicam? Deus eris. Non audeo hoc dicere ex me: sed scripturas audiamus. *Ego dixi, dij estis.*

De duodecim quæ electi habebunt, quæ intelliguntur per 12. fructus Ligni vitæ.

ET notandũ quod duodecim erunt in electis post generalem resurrectionẽ, quæ possunt intelligi per duodecim fructus ligni vitæ: de quibus Apoc. vlt. legitur. Primum est sanitas absque infirmitate, Psalm. *Qui sanat omnes infirmitates tuas.* Esa. 60. *Occupabit salus muros tuos.* Secundum est iuuentus sine senectute. Psal. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Quasi in ætate 30. annorum semper manebunt. Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* 1. Thess. 4. *Rapiemur obuiam Christo in aera: & sic semper cum Domino erimus.* Tertium est satietas sine fastidio. Hic non satiatur oculus visu, nec auris auditu. Eccl. 1. *Sed tunc in bonis implebatur desiderium tuum.* In Psal. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Esa. 49. *Non esurient, neque sitient amplius.* Greg. Satiati desiderabimus, ne satietas generet fastidium: & desiderantes satiabimur, ne cum anxietate sit desideriũ. Quartum est libertas, ad quam faciunt corporis agilitas & subtilitas. Corpus enim nõ detinebitur vel propria grauitate vel alterius corporis oppositione, Aug. in lib. de Ciu. Dei 22. Vbi spiritus, ibi erit protinus & corpus. Quintum est pulchritudo absque deformitate. Pulchritudo corporis consistit in claritate, & situ debito, & figura membrorum. Sap. 3. *Fulgebunt iusti.* Matt. 13. *Tunc iusti fulgebunt, sicut sol in regno Patris mei.* Phil. 3. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Sextum est impassibilitas, ad quã immortalitas pertinet. Esa. 49. *Non cadet super eos sol, neque vllus æstus.* Esa. 25. *Præcipitabis mortem in sempiternum.* Septimum abundãtia sine indigentia. Deut. 8. *Rerum omniũ abundãtia perfrueris.* Iudic. 18. *Tradet vobis Deus locum in quo nullius rei est penuria.* Greg. Nihil exterius quod appetatur: nihil interius quod fastidiatur. Octauũ est pax absq; perturbatione. Nonũ securitas sine timore. Esa. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis: in tabernaculi fiducia, & in requie opulenta.* Psalm. *Qui posuit fines tuos pacem.* Decimum est cognitio absque ignorantia. 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Vndecimum, gloria absque ignominia. Coloss. 3. *Quum Christus apparuerit in vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Duodecimum est gaudium sine tristitia. Apoc. 7. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Item Esa. 25. *Auferet Dominus Deus omnem lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui.* Item Esa. 65. *Obliuioni enim traditæ sunt angustiæ priores.* Et eiusdem lib. *Lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Matth. 25. *Intra in gaudium Domini tui.* In verbo intrãdi innuitur magnitudo gaudij, quod hominem vndique cinget. Ioan. 16. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

Quod gaudium electorum proueniet quasi à sex partibus.

ET notandum quod gaudium electorum proueniet quasi à sex partibus. Primo à beata Trinitate. Secundo, à loci amœnitate. Tertio, à iocunda societate. Quarto, à corporis glorificatione. Quinto, ab inferno. Sexto, à mundo. De primo legitur Esa. 33. *Regem in decore suo videbunt.* Ecclesi. 11. *Dulce lumen & delectabile est oculis videre solem.* In visione regis triplex gaudium erit eis. Primum erit in

Margin: 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. — Vnde gaudia electorum proueniant. Inuisione regis æterni triplex gaudiũ erit.

videndo faciem diuinam, quod erit summum gaudium August. Si mali possent, mallent Deum in inferno videre & in pœnis, quam extra pœnas Deum non videre. Chrysost. Ego multo grauiores quam gehenna est, dico cruciatus remoueri & abiici ab illa gloria: nec puto ita acerba esse gehennæ incendia, vt sunt illa quibus torquetur is qui arcetur à conspectibus Dei. Bernard. Reuera illud est verum & solum gaudiũ, quod non de creatura, sed de creatore concipitur, & quod quum possederis nemo tollet à te: cui comparata omnis aliunde iocunditas mœror est, omnis suauitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum: omne postremo quodcunque aliud delectare possit, molestum, quum Dei bonitas in infinitum excedat omnem bonitatem creatam. Delectatio quæ erit in perceptione immediata illius bonitatis in infinitum melior erit omni perceptione creatæ bonitatis. In Ps. *Faciẽ tuam Domine requiram.* Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Et in Psal. illo. *Qui regis Israel* triplicatur illud. *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* Et super illud Psal. *Ostendam illi salutare meum*, dicit Glos. Hæc visio est tota merces: visio qua Deus videtur facie ad faciem, tertium cœlum est. Et iste est paradisus, si dici potest, paradisorum: vt dicit gloss. August. super 2. Cor. 12. Ibi beata vita in fonte viuo bibitur, inde aliquid aspergitur huic humanæ vitæ. Dauid: *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum:* Omnes deliciæ quæ sunt in mundo isto, minimæ guttæ sunt, quæ à fonte illo fluxerunt. Væ inimicis Dei qui guttas illas in terra lingunt, fonte suauitatis contempto. Iere. *Dereliquerunt fontem aquæ viuæ.* Minus sunt omnes deliciæ quæ fuerunt in mũdo, & erunt vsq; in diẽ iudicij, respectu illius suauitatis, quam sit vna gutta aquæ respectu totius maris: cum tanta inueniatur delectatio in portiuncula creaturæ, quãta inuenietur in ipso creatore? Frater Guido Carthus. Si diuinæ bonitatis vestigiorum vestigia tantum habent suauitatis, quid habet ipse fons suauitatis Deus? Aug. 4. lib. Confess. Plus delectant, quam singula, si sentiri possent omnia: sed longe his melior qui fecit omnia. Secundum gaudium erit videndo humanitatem Christi. Bernard. Plenum prorsus omni suauitatis dulcedine videre hominem hominis conditorem. Tertium gaudium erit in consideratione vnionis humanæ naturæ ad diuinam. Mirabile enim gaudium erit electis, quum agnoscent, quod frater eorum secundum carnem, vere Deus est. Magnitudo huius gaudij potest perpẽdi ex gaudio quod solent habere parentes, cum filij eorum fiunt Episcopi vel Archiepiscopi. Tanta erit vnitas capitis & membrorum, quod membra honorem sui capitis suum reputabunt: sicut caput hominis bona vel mala membris suis illata sua reputat.

Psal. 26.

Psal. 41.

Quod electis proueniet triplex gaudium ab amœnitate loci.

Item à loci amœnitate triplex gaudium electis proueniet. Primo, à claritate loci. Tob. 13. *Beatus vero si fuerint reli quiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem.* Apocal. 22. *Nox vltra non erit.* Et secundum Philosophum, ante corpus in quo est diuersitas luminis, est aliud supra in quo est vniformitas luminis per totum. Illud corpus est cœlum empyreum in quo est lumen continuum. Secundo, à loci puritate. Apocalyp. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens.* Tertio, à loci latitudine. Baruch. 3. *O Israel, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius!* Seneca. Ab vltimis littoribus Hispaniæ vsque ad Indos paucissimorum dierum spatium iacet, si nauem ferat ventus: at cœlestis illa regio per XXX. annos velocissimo syderi viam præstat.

Quod electis proueniet triplex gaudium ex societate aliorum saluatorum.

ITem ex societate proueniet triplex gaudium. Primo ex multitudine, Apocalyp. 7. *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.* Secundo, ex nobilitate illius societatis in qua erit beata Virgo, & angeli, & sancti, & sanctæ, qui omnes reges & reginæ erunt. Vnde Filius Dei dicitur venisse de regalibus sedibus. Sapien. 18. Plus deberent homines laborare solùm vt possent esse vna die cum beata Virgine, quam multi laborent pro æterna gloria. Hieronym. ad Eustochium: Egredere quæso paulisper de carcere & papilione corporis, vt in ostio stans videas gloriam Dei pertrãsire: præsentis laboris ante oculos tuos pinge mercedem quam nec oculus vidit, &c. Qualis erit illa dies, cum tibi Maria mater Domini choris occurret comitata virgineis? cum post rubrum mare submerso cum suo exercitu Pharaone, tympanum tenens præcinet responsuris, *Cantemus Domino: gloriose enim honorificatus est*, &c. Tertio de amicabilitate societatis illius. Tãta enim charitas inter eos quod gaudia aliorum sua reputabũt. Esaię 31. *Dixit Dominus cuius ignis in Sion, caminus eius in Ierusalem.* Propter magnam charitatem hæreditas illa omnib. vna est, singulis tota, iuxta verbum Greg. edit.

Quod electis proueniet quadruplex gaudium ex corpore glorificato.

ITem à corpore glorificato quadruplex proueniet gaudium. Primum, à corporis pulchritudine. Secundum, ab eius subtilitate. Tertiũ, ab eius agilitate. Quartũ, ab eius impassibilitate. Primũ erit in corpore respectu eius quod erit iuxta se: vt scilicet alia corpora glorificata in aspectu eius delectentur. Secundũ respectu eius quod erit infra se: vt scilicet corpora inferiora corpori glorificato cedãt. Tertium, respectu eius quod erit supra se, vt ad spiritum suum perfectam possit habere obedientiam. Quartum, ad id quod erit contra se, ab aliquo possit lædi.

Quod electis proueniet triplex gaudium ab inferno.

ITem ab inferno triplex gaudiũ electis proueniet. Primo, ex hoc quod infernũ euaserunt. Secundo, ex hoc quod hostes eorum cruciabuntur ibi. Psalm. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam.* Tertio, ex hoc quod peccatum quod maxime nocuit hominibus, clausum erit in inferno. Post diem iudicij erit in inferno peccatũ quasi in proprio loco: non enim poterit remanere neque in cœlo, neque in terra quin ad vltimum descendat in infernum.

Quod à mundo proueniet electis triplex gaudium.

ITem à mundo proueniet electis triplex gaudium. Primo, ex hoc quod à pœnali miseria huius exilij liberati erunt. Bern. Transire de morte ad vitam, vitæ gaudium duplicat. Verisimile est quod multũ gaudeat de hac liberatione qui dicebat: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus!* Secundo, de hoc quod à naufragio liberati erunt. Si naufragi qui de mari exierũt, tantum gaudent: verisimile est quod multum gaudeãt qui tot naufragia passi, à mari huius mundi periculosissimo euaserũt. Bern. Periculum probat transeuntium raritas, & pereuntium multitudo. In mari Massiliæ de quatuor nauibus vix vna perit: in mari huius mundi de quatuor nauibus vix vna ad portum salutis peruenit. Tertio, ex hoc, quod quum ipsi tantæ infirmitatis essent: tamen de tanto hoste triumphauerunt. Iob. 41. *Non est potestas super terram quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret.* Nos sumus vt locustæ, hostes nostri vt gigãtes Aug. in lib. Confess. Quanto, inquit, maius periculum fuit in prælio:

tanto est gaudium maius in triumpho. Sic est in nauigantibus. Nam post pericula & misericordias naufragi exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. De gloria futura dicit Augustin. in lib. de Ciuita. Dei. Quanta erit felicitas: vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum: vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Nam quid aliud agatur, vbi nec vlla desidia cessabitur, nec vlla indigentia laborabitur? Nescio. Item in eodem: Vera ibi gloria erit, vbi nec laudantis errore quisquam, nec adulatione laudabitur. Verus honor qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno: sed nec ad eum ambiet vllus indignus. Vera pax, vbi nihil aduersi nec à seipso, nec ab aliquo patietur. Præmium virtutis erit ipse qui virtutem dedit: eique seipsum qui melius & maius nihil esse posset, promisit. Ipse finis erit desideriorum nostrorum qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Idem in eodem: In illa ciuitate magnum bonum in se videbit, quod nulli superiori nullus inferior inuidebit: sicut nunc non inuident archangelis angeli cæteri, tanquam nollet vnusquisque esse quod non accepit, quam nec in corpore vult oculus esse qui est digitus: Idē: Ibi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus. Ecce quid erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi peruenire ad regnum cuius nullus est finis? Item August. loquens de summo bono: Qui hoc bono fruetur, quid erit illi, & quid non erit? Erit quidquid volet, quicquid nolet, non erit. Item Bern. loquens de cœlesti ciuitate: O ciuitas cœlestis, mansio secura, patria continens totum quod delectat, populus sine murmure, incolæ quieti, homines nullam habentes indigentiam. O quam gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei.

Quod gaudium futurum differt à præsenti in multis.

ET notandum quod gaudium futurum à præsenti differt in hoc, quod ipsum est plenum gaudium & perfectum. Ioan. 16. *Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum*, 1. Corin. 13. *Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Item gaudium futurum est securum. Augustin. in lib. de motib. Eccles. Summum bonum tale esse debet quod nō amittat homo inuitus: quippe nemo potest confidere de tali bono quod sibi eripi posse sentit, etiamsi retinere illud amplectique voluerit: quisquis enim de bono fruetur non cōfidit, in tanto timore amittendi beatus esse quis potest? Item gaudium futurum est purum gaudium, cum hic dolore risus misceatur. Prouerb. 14. Esa. 25. *Auferet Dominus omnem lacrymam, &c.* Hæc tria insinuantur. Esa. 25. vbi sic legitur: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defœcatæ.* In pinguedine, intellige plenitudinem: in medulla, securitatem quæ intra ossa absconditur: in defœcatione, puritatem. Conuiuium illud est cœna magna, de qua legitur. Luc. 14. quam Deus pater ab æterno præparauit. Filius vero fercula addidit; gaudium scilicet quod erit in aspectu humanæ naturæ quam assumpsit: Spiritus sanctus pigmenta suauitatis ministrat: Ipse est fluuius nectarius lætificans ciuitatem Dei. Ps. *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Psal. Sola inuitatio huius cœnæ beatum reddit. Apoc. 19. *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.* In hac cœna est vnum ferculum quod solum sufficeret. Ioan. 14. *Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis.* Solus odor huius cœnæ qui datur sanctis præsentiri plus valet quam totum gaudium mundi.

De triplici materia gaudii electorum, & XII. cognitionibus intellectis per XII. stellas coronæ mulieris in Apocalypsi.

ITem notandum quod triplex materia illius gaudii intimatur nobis Num. 13. in fructib. illis quos attulerunt exploratores de terra promissionis, qui fuerunt ficus, vua, & malogranata. In ficu dulcedinem deitatis intelligit. Prou. 17. *Qui seruat ficum, comedet fructus eius: & qui custos est Domini sui, glorificabitur.* In vua Christi humanitatem in torculari crucis expressam. In malogranatis, sanctorum ordinatam societatem. Ordinate enim se habent grana in malogranato. Item Apoc. 12. insinuantur nobis gaudia duodecim in corona XII. stellarum quæ erat in capite mulieris. Duodecim stellæ sũt duodecim cognitiones quę electos lętificabunt: tres pertinentes ad Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & nouem ad nouem ordines beatorũ spirituum. Vel has duodecim stellas intellige tres dotes animæ, scilic. Dei visionem, eiusdem dilectionem, & boni excellentissimi vel arduissimi cõprehensionem; quæ comprehensio gloriosissima est: & quatuor dotes corporis, s. claritatem, vel potius pulchritudinem, subtilitatem, agilitatem, impassibilitatem, & societatem quinque sensuum. Secundum quosdam tertia dos animæ est delectatio quæ est effectus visionis & amoris.

Capvt VI.

De diuersitatibus spei, quæ detestabilis est ex quatuor, & commendabilis ex tribus.

[Spes detestabilis quadruplex sit.] NOtandum est ergo quod est spes detestabilis, & est spes commendabilis: Spes detestabilis quadruplex est. Prima est maledicta. Secunda, præsumptuosa. Tertia est vana. Quarta, mendax vel falsa. Prima est quæ Deum ideo offendit, quia de magnitudine misericordiæ eius cõfidit. Vnde Bernardus in sermonibus. Est infidelis fiducia solius vtique maledictionis capax, quum videlicet in spe peccamus. Hæc peccat in bonitatem Dei. Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis?* Secunda est cum aliquis sperat se facturum cum voluerit quod vires eius excedit: vt quum aliquis præsumit se conuersurum à malis suis cum voluerit. Eccl. 29. *Repromissio nequissima multos perdidit.* Spes vana est cum fiducia ponenda in creatore in creatura ponitur. De quo require supra quinto capit. in eodem tractatu. Esa. 55. *Confidunt in nihilo.* Spes falsa est, cum quis sperat quod futurum non est: vt cum quis promittit sibi longam vitam, qui cito moriturus est, vt ille cui dictum est, *Stulte hac nocte repetent animam tuam.* Luc 12. Esa. 29. *Posuimus mendacium spem nostram:* Ad hoc quod spes commendabilis sit, tria operantur. [Quæ commendabilis.] Primum est, si in solo Deo ponatur. Hest. 14. *Exaudi vocem illorum qui nullam aliam spem habent.* Secundum, si adsit meritum, vnde quod speratur, præsumatur. Bern. super Cant. Integra ecclesiæ consolatio, cum non solum quid sibi sit expectandum: sed vnde sit præsumendum nouerit. Tertium, si in tribulatione spes non deficit, sed vires suas ostendit Iob. 13. *Etiam si ceciderit super me, in ipso sperabo.* In Ps. *Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.* [Psal. 26.] Item notandum quod est spes primæ auctoritatis, quæ in solo Deo ponenda est. Et est spes suffragii quæ ponenda est in sanctis inquantum sunt amici Dei. Spes quæ in solo Deo ponitur subdiuidi potest in spem veniæ, gratiæ, & gloriæ. Spes vero gratiæ subdiuidi potest in expectationem gloriæ animæ, & gloriæ corporis, de quibus prius dictum est.

SECVNDÆ PARTIS PRINCIPALIS de tribus virtutibus Theologicis,

TRACTATVS QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

De Charitate.

Quid charitas

CHaritatis descriptiones primo ponendæ sunt. Secundo, cõmendationi eius insistetur. Tertio, agetur de dilectione Dei: Quarto, de dilectione proximi. Quinto, de ordine charitatis. Sexto, de his quæ aduersantur charitati. Septimo, de gradibus diuersis ipsius. Notandam ergo quod charitas est finis præcepti de corde puro, & cõscientia bona, & fide non ficta. 1. Tim. 1. Vbi dicit gl. Hic definit Apostolus charitatem. *Charitas est finis* (inquam) *consummationis non cõsumptionis. Plenitudo enim legis est dilectio.* Rom. 13. Aug. Legis & omnium diuinarum scripturarum plenitudo est dilectio rei qua fruendum est, & rei quæ nobiscũ ea re frui potest, id est Dei & proximi. Idem: Ille sancte & iuste viuit, qui ordinatam habet dilectionem: ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut æque diligat quod minus vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius quod æque diligendum est. Idem: Si non voles omnes paginas perscrutari, omnia inuolucra sermonum euoluere, omnia secreta scripturarum penetrare, tene charitatem vbi pendent omnia. Idem in libro de disciplina Christiana: vt nemo excusationem habeat in die iudicij, voluit Deus, sicut scriptum est, consummare & abbreuiare verbum super terram. Hoc ipsum verbum consummatum & abbreuiatum non obscurum Deus esse voluit. Ideo breue, ne non tæderet legere. Ideo apertum, ne quis dicat, Non mihi licuit intelligere. Thesaurus est magnus diuinarum scripturarum: hic thesaurus absconditus est in agro: si piger eras ad perscrutandum thesaurum, non sis piger vnam margaritam sub lingua ferre, & quò vis securus ambula. Hæc est margarita ista: *Diliges &c.* Matth. 22. Vel finis præcepti est charitas: quia gratia charitatis habendæ est præceptum: sicut sanitas est finis medicinæ. August. Timor est medicamentum: charitas sanitas. Sicut initium est sapientiæ timor Domini. Prouerb. 1. sic dilectio finis est sapientiæ. Ecclesiast. 1. *Dilectio Dei honorabilis sapientia.* Chrysostomus. Finis annunciationis est amor. Vnde Christus qui venit legem implere, specialiter fuit prædicator amoris. Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi vt accendatur?* Et in fine vitæ suæ mortalis inculcauit discipulis præceptum de dilectione, vt habetur Ioannis 15. *Hoc est*, inquit, *præceptum meum, vt diligatis inuicem, &c.* Item: *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* Item: *Mandatum nouum do vobis &c.* 13. Eiusdem. Sequitur, *ex corde puro, &c.* Tria hîc tanguntur quæ ad charitatem disponunt. Fides non ficta, scilicet fides vera & catholica, non illa fides quam sibi hæretici fingunt. Et spes quæ per cõscientiam bonam intelligitur: quia vt dicit glossa Augustin. Ille sperat qui bonam conscientiam

Tr cha tem po

conſcientiam gerit: quem vero pungit mala conſcientia, retrahit à ſpe. Et puritas cordis. Oportet enim cor depurari ab amore mundi, vt impleatur amore Dei.
Pſal.30. Vnde ſuper illud Pſal. ***Diligite Dominum omnes ſancti eius***, dicit gloſſ. Diſce non diligere mundum, vt diſcas diligere Deum. Auerte, vt conuertaris: funde, vt implearis. Auguſtin. Bono implendus es: funde malum. Putas quia melle te vult implere Deus, ſi aceto plenus es, vbi mel pones? Si quis vero obiiciat, quod omnes virtutes ſimul infunduntur, vnde non videtur vna virtus eſſe cauſa alterius vel prior altera: Poteſt dici quod hoc referendum eſt ad opera virtutum, quorum vnum eſt prius altero & cauſa ipſius. Ideo enim quia credimus Deum liberaliſſimum, ſperamus in eo: & quia de liberalitate ipſius ſperamus, eum diligimus. Vel poteſt dici, quod licet virtutes ſimul ſint tempore, tamen vna prior eſt altera cauſalitate: ſicut ſplendor ab igne eſt, & tamen ignis & ſplendor ſimul ſunt tempore. Hoc exemplum ponit Auguſtin. ſuper principium ad Hebræ. Sed iterum obiicitur: Quomodo charitas ſit ex fide & ſpe, cum charitas dicatur eſſe radix omnium bonorum: in gloſſa. Auguſtin. ſuper verbum prius poſitum. *Finis præcepti eſt charitas*, & ſuper illud Galat. 6. *Fructus Spiritus eſt charitas, &cæt.* dicit gloſſa Auguſtin. Caput virtutum præmiſit, id eſt, charitatem. Quæ enim alia inter fructus Spiritus debuit tenere primatum, niſi charitas, ſine qua virtutes ceteræ non reputabuntur eſſe virtutes, & ex qua naſcuntur vniuerſa bona? Ad ſolutionem huius videtur eſſe diſtinguendus triplex ordo virtutum, ſcilicet ordo plantationis, ordo meritoriæ operationis, & ordo reparationis. In ordine plantationis prima eſt fides. Primo enim docenda ſunt quæ ſunt fidei, deinde quæ ſunt timoris & ſpei. Hebræ. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentib. ſe remunerator ſit.* In ordine operationis meritoriæ eſt charitas quaſi illam imperans. In omni enim ordinata operatione, primum eſt amor ſiue deſiderium finis, & ex illo omnes mediæ operationes, vt apparet in ædificatione domus, cuius cauſa eſt amor inhabitationis ipſius: ex quo amore non ſolum eſt ædificatio, ſed etiam ea quæ ad ædificationem iuuant, vt inquiſitio operariorum. In operando igitur meritorie prior & principalis eſt charitas, & primo mouens: fides enim ei deſervit tanquam lucernam præferens, oſtendens quid & qualiter operari debeat: Illuminatio enim adiutorium eſt in opere, & illuminator & adiutor & non principalis operator. In ordine vero reparandi in virtutibus affectiuis, prior videtur eſſe humilitas. Si enim omnis peccati eſt initium ſuperbia, vt habetur Eccleſiaſt. 10. omnis correctionis principium erit humilitas. Huic conſonat quod reparator humani generis poſuit primam virtutem, humilitatem, Matt. 5. dicens: *Beati pauperes ſpiritu.* Pauperes ſpiritu dicuntur humiles ſecundum Gloſ. Charitas inter tres virtutes quæ ordinant ad Deum, propinquior eſt fini, ſcilic. Deo: vnde Deum habet pro fine & pro materia, diligit enim Deum propter ſe, cum fides finem videat, ſpes illuc tendat (eſt enim ſpes inſecutio, ſicut timor eſt fuga) charitas eſt vnio cum fine. Vnde cum finis optimum ſit, & à fine habeat quod ſint bona ea quæ ſunt ad bonum finem: charitas primo habet bonitatem inter virtutes, & per eam habent bonitatem cæteræ. Et ſecundum hoc intelligendum eſt quod dicit gloſſa ſuper 1. Timoth. 1. quod *charitas eſt radix omnium bonorum*: inquantum ſcilicet ſunt bona. Et illud ſimiliter ſuper Galat. 5. *Ex charitate naſcũtur omnia bona*, in quantum ſcilicet ſunt bona. Et ſicut radix humorem mittit ad ramos, ſic charitas bonitatem ad opera cæterarum virtutum. Auguſtin. in ſermone de Charitate: Sicut radix omnium malorum eſt cupiditas: ita radix omnium bonorum eſt cha-

Charitas inter tres virtutes propinquior Deo.

ritas. Humilitas etiã potest dici radix virtutum secundùm illam proprietatem qua radix est pars arboris infima, terræ adhærens. Sic humilitas considerans infirmitatem suam, sub Deo collocat se in loco infimo. Fides etiam potest dici radix: quia radix est in arbore quasi os in animali. Per radicem ingreditur ad arborem nutrimentum arboris: sic per fidem bonum ingreditur ad animam.

Item charitas sic describitur à Magistro, lib. 4. Sententia. Charitas est dilectio qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum, vel in Deo; In Deo dicitur, propter illos qui iusti sunt, qui manẽt in Deo per gratiam. Propter Deum dicitur quantum ad illos qui nondum sunt iusti, qui adhuc amandi sunt vt iusti fiant, & in Deo per gratiam maneãt. August. Qui amat homines, aut quia iusti sunt, aut vt iusti sint, amare debet.

Item August. sic describit charitatem. Charitas est virtus qua videre Deum, perfruique eo desideramus. Et est hęc descriptio secundum digniorem actum charitatis. Potest etiam sic charitas describi: Charitas est virtus qua vnaquæque res tanti habetur quanti habenda est. Vnde charitas põdus æquum est: sicut statera dolosa est cupiditas. Prou. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum, & pondus æquum voluntas eius.* Temporalia quæ in veritate parũ pretiosa sunt, quæ Apostolus reputauit vt stercora, multum põderant in statera cupiditatis: ideo vere dolosa est. Osee 12. *Chanaam in manu eius statera dolosa.* Hæc statera etiam meritò abominatio est Deo: cum diuitiæ & honores quæ abominabilia sunt Deo: ibi pręponderant veris bonis. Lucæ 16. Quod autem est apud homines, abominatio est apud Deum. In libro de Spiritu & anima dicitur, quod charitas est concordia mentium & societas electorum, vita beata animarum & angelorum: quia nec animæ, nec angeli nisi per charitatem viuunt.

CAPVT III.

De commendatione Charitatis.

AD cõmendationem Charitatis, primo, valere potest hoc, quod Spiritus sanctus in scriptura sacra toties monet ad ea quæ charitatis sunt. 1. Corinth. 14. *Sectamini charitatem.* Et eiusdem 16. *Omnia opera vestra in charitate fiant.* Ephes. 3. *In charitate radicati & fundati.* Eiusdem 4. *In charitate crescamus.* Item 5. *Ambulate in dilectione.* Philip. 1. *Oro vt charitas vestra magis abundet.* Colos. 3. *Super omnia charitatem habentes.* 1. Pet. 4. *Ante omnia mutuam in vobismetipsis continuam charitatem habentes.* Secundo, commendabilis est comparatione ceterarum virtutum. Ad quod pertinet illud 1. Corinth. 13. *Maior autem harum est charitas.* Aug. Respice ad munera Ecclesiæ & vniuersis excellentius charitatis munus cognosces. Ideo oleo charitas comparatur, quod supereminet aliis liquoribus: sic charitas superexcellit aliis virtutibus. Propter eandam causam charitas aurum dicitur, quod inter metalla pretiosius est. Apocalip. 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum & probatum, vt locuples fias.* Huic auro comparando intendere debent in nundinis huius mundi hi quibus dictum est. Luc. 10. *Negotiamini dum venio.* Nec solum aurum est charitas: sed etiam aurea reddit ea quæ contingit. Et hæc est vna virtus charitatis, quòd plũbea efficit aurea. Opera enim de genere bonorum sine charitate facta, quasi plumbea sunt, parui scilicet, vel nullius valoris: facta vero ex charitate, quasi aurea sunt, quia pretiosa valde. 3. Reg. 6. *Nihil erat in templo quod non auro tegeretur.* Opera ex charitate facta, sunt quasi vestis deaurata qua Ecclesia ornatur. In Psalm. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* Propter eandem excellentiam dicitur etiam charitas ignis. Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram.* Ideo Spiritus sanctus

ſuper Apoſtolos in linguis igneis deſcendit, vt in cordibus hominum ignem iſtum ſuccenderent, vnde Bernardus: Venit ſuper diſcipulos Spiritus ſanctus in linguis igneis, vt linguis omnium gentium verba ignea loquerentur, & legem igneam linguæ igneæ prædicarent. Threno. *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis, & erudiuit me.* Ignis inter elementa virtuoſior eſt: ſic charitas virtuoſior eſt cæteris virtutibus. Hier. Qui perfecte amatur, totam ſibi vndique amantis vendicat voluntatem, nihilque eſt imperioſius charitate. 2. Corint. 5. *Charitas Chriſti vrget nos.* Ignis ferrum quaſi ignem efficit: ſic charitas eos in quibus eſt, vt ignem efficit. Eccleſiaſt. 4. *Surrexit Elias propheta ſicut ignis, & verbum eius quaſi facula ardebat.* Neſcit ignis eſſe otioſus: ſic ſecundum verbum Greg. amor Dei nunquam eſt otioſus. Operatur enim magna ſi eſt, ſi autem operari renuit, amor non eſt. Ignis charitatis eſt illuminans & ſplendens, & ad ſplendorem æternum perducens. Greg. in Moral. Non clareſcit anima in fulgure æternæ pulchritudinis: niſi (vt ita dixerim) hîc prius arſerit in officina charitatis. Hic eſt ignis ille quo ſpiritus angelici ardent. Ignis iſte in cinerem humilitatis redigit. In hunc cinerem redegerat illum qui dicebat. Geneſ. 8. *Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis & cinis.* Carbo ignitus cum mortuis carbonibus poſitus, aut extinguitur, aut eos viuificat. Sic viri ſancti igne charitatis ſuccenſi morti ſe expoſuerunt, vt mortuos in peccatis viuificarent. Ignis tendit furſum: ſic illi qui vehementer accenſi ſunt igne charitatis, cupiunt diſſolui & eſſe cum Chriſto. Philip. 1. & mortem habent in deſiderio, & vitam in patientia: Charitas eſt ignis, quo Apoſtoli ſuauiter arſerunt, vt ait Greg. ipſa eſt ſpeciale donum Dei, qui & ignis dicitur Deuteronom. 4. Hebr. 13. *Deus noſter ignis conſumens eſt.* Gregor. in Homil. Deus ignis conſumens dicitur, quia flammis ſui amoris incendit mentes quas impleuerit, & à vitiorum ſordibus mundas reddit, & peccatorum rubiginem conſumit. Bern. ſuper Cant. Ignis qui Deus eſt, conſumit quidem, ſed non affligit: ardet ſuauiter, deſolatur feliciter. Eſt enim vere carbo deſolatorius: ſed qui ſic in vitia exerceat vim ignis, vt in anima exhibeat vicem vnctionis. Gregor. in Homil. loquens de illo verbo. Luc. 7. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quid eſſe dilectionem credimus, niſi ignem? & quid culpam, niſi rubiginem? Tanto amplius rubigo peccati conſumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur. Charitas etiam eſt mater omnium virtutum, vt ait Gloſſ. Ambroſij ſuper illud Roman. 14. *Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.* Mater inquam educatione, imò ipſa ad omnes ſe habet vt mater. Bernard. Bona mater charitas, quæ ſiue foueat infirmos, ſiue exerceat prouectos, ſiue arguat inquietos, diuerſis diuerſa exhibens ſicut filios diligit vniuerſos. Cum te arguit, mitis eſt: cum blanditur, ſimplex eſt. Piè ſolet ſæuire, ſine dolo mulcere, patienter nouit iraſci, humiliter indignari. Ipſa eſt quæ hominum mater & angelorum, non ſolum quæ in terris, ſed etiam quæ in cælis ſunt, pacificauit. Ipſa eſt quæ Deum homini placans, hominem Deo reconciliauit. Charitas patiens eſt, benigna eſt, licet læſa, licet offenſa: ſi conuerſus fueris ad illam obuiabit tibi quaſi mater honorificata. Item charitas enumeratur prima inter fructus Spiritus ſancti. Galat. 5. *Fructus* (inquit) *Spiritus, charitas, &c.* Ibi dicit Gloſſ. Auguſt. Caput virtutum præmij, vocans charitatem caput virtutum. Ibi etiam dicit Gloſſ. Hieron. Quæ alia inter fructus Spiritus debuit tenere primatum, niſi charitas ſine qua ceteræ virtutes non reputabuntur eſſe virtutes? Vere primus fructus charitas. Antequam enim ipſa adſit, nullus fructus eſt Deo gratus. Oſee 9. *Radix exiccata eſt fructum nequaquam faciens.* Radix exiccata eſt, cu-

piditas, quam Apostolus dicit radicem malorum omnium. 1. Tim. 6. Vbi vero charitas est, ibi multus fructus. Ioann. 15. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. *Qui manet in charitate, in Deo manet.* 1. Ioann. 4. Item charitas est primum bonum animæ. Primum enim bonum animæ est, Deo adhærere. Deo autem adhærere non valemus nisi dilectione, vt ait August. in libr. de moribus Ecclesiæ, & in libr. Confess. Mihi autem adhærere Deo bonum est, quia si non manebo in illo, nec in me potero. Vbi charitas non est, potest esse species boni, sed non verum bonum. Augustin. Dantur & alia per Spiritum sanctum munera: sed sine charitate nihil prosunt. Sen. Apud sapientes sunt honesta, apud vulgus simulacra rerum honestarum. Vbi charitas adest, nigil est malum. Ecclesiast. 8. *Qui custodit mandatum non experietur quidquam mali.* Quod de mandato dilectionis specialiter verum est. August. Vbi charitas, quid est quod possit obesse? Vbi autem non est, quid est quod possit prodesse? Item charitas est gratia gratiarum. Aliæ virtutes sine ea gratæ non sunt. Et quia gratis non operantur. Iustitia enim reddit debitum: amor redimit incommodum quod imminet, spes emit commodum quod obtinere intendit. Et quia non sufficiunt animam Deo reddere gratam, vel etiam sua propria opera absque charitate Deo grata facere non possunt. Charitas vero gratis operatur. Bernard. super Can. Purus amor mercenarius non est, purus amor de spe vires non sumit, & tamen differentiæ damna non sentit. Charitas etiam animam Deo reddit gratam, & sua propria opera & cæteras virtutes, & opera etiam eorum si à charitas fuerint imperata. Ipsa enim imperatrix est inter virtutes, & quæ imperantur ab ipsa, Deo grata sunt, & à se reputat imperata. Item charitas locus luminis est. 1. Ioann. 2. *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet.* Amor mundi excæcat, sed amor Dei illuminat. Extra charitatem tenebræ sunt. Vnde ibidem dicitur. Qui odit fratem suum, in tenebris est: vbi autem tenebræ sunt, ibi non est verum gaudium. Tob. 5. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo?* Item charitas est locus securitatis & gaudij. Bernard. Deus charitas est: quid pretiosius? Et qui manet in charitate, in Deo manet, quid securius? Et Deus in eo: quid iucundius? August. Deus charitas est, breuis laus, & magna laus: Breuis in sermone, & magna intellectu. Si numeras, vnum est: si appendas quantum est Deus, dilectio est. Item dulcius dilectione nihil est. August. Dilectio dulce verbum, sed dulcius. Cum amor sit causa omnis iucunditatis: sine amore enim nihil iucundum: Charitas quæ est amor summi boni magnam habet iucunditatem. Vnde inter fructus Spiritus, statim post charitatem enumeratur gaudium. Quomodo sine gaudio potest esse quod Deus ametur debito modo, cùm ipse præsens sit vbi sic amatur? Præsentia enim boni amati iucunda est. August. in Epistola ad Macedonium. Tanto nobis melius est, quanto magis in illum imus, quo nihil melius. Imus autem non ambulando, sed amando: quem tanto habemus præsentiorem, quanto eundem amorem quo in eum tendimus poterimus habere puriorem. Idem super epistola Ioann. Homil. 10. Quid tibi iubet Deus? dilige me: amaturus es honorem, & forte nō peruenturus. Quis me amauit, & non ad me peruenit? quisquis me quærit, cum ipso sum: non ad me ambitur per aliquam viam. Ipse amor tibi præsentem me facit. Gregor. in Moralibus. Qui mente integrà Deum desiderat, profecto iam habet quem amat: neque eim quisquam posset Deum deligere, si hunc quem diligit non haberet. Charitas locus est veræ quietis August. Non potest anima nisi in eo quod diligit requiescere. Æterna autem requies non datur ei, nisi in dilectione

Dei qui solus æternus est: & ipsa est perfecta sanctificatio, & sabbatum sabbatorum. Charitas etiam vita est. 1. Ioann. 3. *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Sine charitate nihil viuit vita gratiæ: sed omnia sunt mortua, omnia arida, 1. Ioann. 2. *Qui non diligit, manet in morte.* Et super 12. ad Corinth. 13. dicit gloss. Sicut corpus sine anima mortuum est: sic anima sine charitate mortua deputabitur. Charitas est calor vitalis, quo extincto nihil spiritalis vitæ relinquitur. Prosper de vita contemplatiua dicit, quod charitas est vita virtutum. Ipsa etiam est mors vitiorum. Sicut enim fluit cera à facie ignis, sic pereunt vitia à facie charitatis. Canticor. vltim. *Fortis est vt mors dilectio.* Qui videtur esse magni valoris in seculo, & charitatem non habet: quasi leo mortuus, aut nullius valoris est. Ecclesiast. 9. *Melior est canis viuus leone mortuo.* 1. Corinth. 13. *Si habuero prophetiam, &c. charitatem antem non habuero, nihil sum.* Nihil, inquam valore. Charitas etiam est vita operum. Gregor. Nihil habet viriditatis ramus boni operis, nisi maneat in radice charitatis. Item charitatem habens ditissimus est. Augustin. Attende quanta est charitas: quæ si desit, frustra habentur cætera: si autem adsit, habentur omnia vel in se, vel in aliis. Idem in quodam sermone de charitate. Charitas est dulce & salubre vinculum mentium, sine qua diues pauper est, & cum qua pauper diues est. Quatuor de causis diues est, qui habet charitatem. Primo, quia ipsa charitas thesaurus est charissimus: vt non solum chara, sed ipsa charitas expressiue possit dici: Sicut de filio Dei dicitur Hebræor. 1. quod sit splendor gloriæ. Et Sapient. 7. *Candor lucis æternæ.* Hic est thesaurus absconditus in agro cordis, pro quo emendo vniuersa essent vendenda. Matth. 13. Hunc thesaurum non potest auferre ianitor mundi: mors scilicet, quum alios auferat. Sine hoc thesauro non prosunt alij thesauri. De comparatione huius thesauri nullus pœnitebit, quum valorem eius perfecte agnoscet. Canticorum vltim. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione: quasi nihil despiciet eam.* Quanto quis carius emit thesaurum istum, tanto amplius lucratur: Hoc thesauro, thesaurus Dei acquiritur. Secundo, quia qui habet charitatem, habet Deum: ideo diues est, Ioannis 4. *Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet.* Augustinus. Aurum habens in arca, diues est: Deum habens in conscientia, diues est: coniunge aurum & Deum, arcam & conscientiam. Tertio, quia opera ex charitate facta, sunt quasi aurea: cum sint valde pretiosa, regni scilicet æterni meritoria. Ideo bene monet Apostolus vt omnia opera nostra in charitate fiant. 1. Corinth. 16. Quarto, quia charitas aliena bona sua fecit. Augustin. Vis mercedem habere de alieno? gaude inde, & mercedem tibi inde comparasti. Augustin. Pensent inuidi quantum bonum est charitas quæ sine labore nostro aliena bona nostra fecit. Anima habens charitatem est sicut nobilis auis, quæ pede amoris prædam capit. Pes animæ, amor est, vt Augustin. ait, qui si rectus est, dicitur charitas: si curuus, dicitur cupiditas. Qui sine charitate sperat se ad regnum cœlorum peruenire, similis est illi qui absque pede vult incedere. Hic est pes ille de quo Iosue 1. *Omnem locum quem calcauerit vestigium pedis vestri, tradam vobis.* Charitas particeps est omnium timentium Deum, custodientium mandata eius. Charitas est communicatio Spiritus sancti: de qua 2. Corinthiorum vltim. quia illi qui habent Spiritum sanctum, omnia habent communia. Ipsa est societas illa de qua loquitur Ioann. 1. Canticor. 1. *Quod vidimus, & audiuimus, annuntiamus vobis: vt & vos societatem habeatis nobiscum.* Qui charitatem

[H]abēs [c]hari[ta]tem [d]iues [es]t ob [m]a[i]or.

non habet, quantum ad Deum excommunicatus est. 1. Corinthior. vltim. *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum sit anathema.* Gloss. id est, separatus à Deo, vel condemnatus. Vita sanctorum negotiatio est, Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, &c.* Quicunque charitatem habet, particeps est in omni lucro quod fit in Ecclesia. Vnde charitati potest dici illud Prouerbiorum vltim. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas.* Antiquum prouerbium Socratis fuit. Amicorum omnia esse communia. Vnde cum quidam pauper diceretur coram eo, amicus cuiusdam diuitis, ait: Cur ergo iste pauper, ille diues est? Amicus enim non est qui particeps fortunæ non est. Cor in quo charitas est, est quasi hortus in quo omnes iusti & boni quasi arbores cælestes per amorem infixæ sunt, vnde ei fructificant. Quid ergo mirum si multum habeat fructum? Charitas bonum proprium est bonorum, quum ceteræ virtutes communes sint bonis & malis. Augustin. Charitas est fons proprius & singularis bonorum.

Item hæc sola est quæ diuidit inter filios regni, & filios perditionis. In libro Prosperi: Charitas Dei & proximi propria & specialis virtus est piorum atque sanctorum, quum ceteræ virtutes bonis & malis possint esse communes.

Item charitas nunquam excidit: quum fides & spes euacuentur. 1. Corinth. 13. Quod tripliciter potest intelligi. Primo, quod in morte non amittitur. Qui enim amat Deum in præsenti, quum eum non videt: multo plus amabit eum in futuro quum eum videbit. Ipsius in præsenti est meritum: ipsa ergo in futuro erit in præmium. Ioann. 12. *Scio quia mandatum eius vita æterna.* Quod specialiter est verum de mandato dilectionis. Secundo, de opere charitatis quod non excidit charitate manente. Charitas est arbor à qua non excidit nec flos, nec folium, nec fructus. In hac arbore pendent omnia bona. Matt. 22. *In his duobus mandatis vniuersa Lex pendet, & Prophetæ.* Loquitur de duobus mandatis de dilectione. Flos vnus arboris, scilicet vnum propositum charitatis, est super millia auri & argenti. Charitati bene conuenit illud Eccl. 24. *Flores mei fructus honoris.* Fructu huius arboris pascitur Deus ab homine, & ex eo viuitur in paradiso. Tertio, de habente charitatem, qui in morte non excidit, id est, non ex toto cadit: quia licet moriatur in mundo, viuit tamen Deo. Vnde mors amicorum Dei, dormitio vocatur. Ioann. 11. *Lazarus amicus noster dormit.* Item charitas maior est omnibus sacrificijs. Mar. 12. Diligere proximum tanquam se maius est omnibus holocaustomatibus & sacrificiis. Charitas præ ceteris virtutibus Deo placet, diabolo displicet, & homini prodest. Charitas meritò multum Deo placet, quum Deus ei super omnia placeat. Glos. super illius Psalm. *Exultate iusti in Domino.* Placet Deo cui placet Deus. Ideo Deus aliquos spernit, quia ipsum spernunt. Esa. 32. *Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris?* Deus amat amantes se, Prouerbior. 8. *Ego diligentes me diligo.* Ioann. 14. *Qui autem diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Sola charitas Deum habet charum: & ideo meritò inter virtutes præcipue chara est Deo, & opera eius specialiter meritoria sunt, & secundum eam, præmium mensuratur: vt qui maiorem habet charitatem, maius habeat præmium: & qui minorē, minus. Non habet Deum charum qui pro minori pretio dat vel dimittit eum quam valeat. Non habet auarus Deum charum qui lutum diuitiarum ei præponit. Habac. 2. *Vel qui congregat non sua, vsquequo aggrauat contra se densum lutum?* Non habet etiam Deum charum voluptuosus qui delectationem momentaneam præponit ei. Gregor. Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat. Non habet charum Deum pompaticus, qui pro vento vanæ gloriæ Deum

Quomodo intelligēdus charitas nō excidit.

Psal.

deserit. Et vt breuiter dicamus non habet Deum charum, qui non diligit eum super omnia, cum ipse omnibus præualeat. Charitas specialiter diabolo displicet. Vnde Greg. super Ezech. Antiquus inimicus castitatem in nobis si sine charitate viderit, non timet: quia ipse carne non premitur vt luxuria dissoluatur. Abstinentiam non timet, quia ipse cibo non vtitur qui necessitate corporis non vrgetur. Distributionem terrenarum rerum non timet, si eidem operi charitas desit, quia diuitiarum subsidiis nec ipse eget. Valde autem in nobis charitatem veram, id est amorem humilem, quem nobis vicissim impendimus, timet, & nimis concordiæ nostræ inuidet: quia hanc nos tenemus in terra quam ipse tenere nolens amisit in cœlo. Item Greg. Non curat antiquus hostis vt terrena nobis tollat: sed vt charitatem auferat. Charitas etiam habenti ipsam multum prodest, sine ea nihil vtile est. 1. Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Qui charitatem non habet est sicut æs sonans quod aliis prodest, sed sibi non prodest, imo se consumit. Sic in eo qui charitatem non habet diminuuntur bona naturalia, & minus idoneus fit ad bene operandum, vitam suam inutiliter expendit. Vbi vero charitas est, omnia prosunt. Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Vtilitatem charitatis ostendit Apostolus 1. Cor. 13. dicens: *Charitas patiens est, benigna est: Charitas non æmulatur, non agit perperam &c.* Vbi enumerantur septem bona quæ charitatem comitantur, & octo mala à quibus hominem seruat. Duo prima bona sunt patientia & benignitas, de quibus Greg. patientiam & benignitatem præmisit: quarum altera illata à proximis mala æquanimiter portat: altera, sua bona proximis desiderabiliter impendit. Pœna quippe interrogat si quietus quis veraciter amat, vt ait idem Gregorius. Benigna etiam debet esse charitas: id est, egenis larga. Gregorius. Mens sanctorum in tentationis prælio munita patientiæ clypeo & gladio amoris accincta, ad mala ferenda sumit fortitudinem, & ad rependenda bona erigit vnitatem. Tertium bonum est congaudere veritati: id est, bonis proximi. Quartum est, mala eius sufferre compatiendo, supportando. Quintum est, omnibus Deo credere. Sextum, omnia sperare. Septimum est, diu expectando Dominum sustinere. Duobus primis facit Charitas vt bene nos habeamus in his quæ nostra sunt, mala propria patienter portando, & bona propria liberaliter largiendo. Duobus sequentibus facit vt nos bene habeamus ad ea quæ sunt proximi, bonis congaudendo, & mala comportando. Tribus vltimis, vt nos bene habeamus ad Deum, cui debemus fidem, eo quod sit prima veritas: & spem, eo quod sit summa bonitas: & sustinentiam longam, eo quod sit omnipotens: & magnitudinem præmij recompensare potest quod tardus soluit. Augustinus. Charitas ideo tolerat in præsenti vita, quia credit omnia de futura vita. Et suffert omnia quæ hîc inueniuntur: quia sperat omnia quæ ibi promittuntur. Primum malum à quo charitas seruat, est æmulatio, siue inuidia, quæ putredo ossium dicitur. Prouer. 14. Est enim vehemens corruptio animæ, ex qua prouenit vt ipsa in malis proximi delectetur, & bonis contristetur, quæ naturaliter in bonis deberet delectari, & in malis cõtristari. Secundum est, peruersa actio; Qui charitatem habet, habet Spiritum sanctum, qui benigne agit: qui vero sine charitate est, habet spiritum malignum, qui perperam agit reddendo mala pro bonis, miseros opprimendo, bonis detrahendo, quum potius bonis addendum esset. Bona enim oportet crescere, mala autem minui: & miseri eleuandi sunt, non amplius opprimendi. Tertium est inflatio: id est, dilatio propria vsque ad proximi compromissionem quæ solet habere scis-

Marginal notes: [Ch]ari[tas] odi[tur à di]is [dia]bolo — A quibus malis Charitas seruet.

suram: vt ait beatus Bernardus: Prouerbiorum 28. *Qui se iactat & dilatat, iurgia concitat.* Iactantia est dilatatio exterior: præsumptio, cordis dilatatio interior. Quartum est ambitio, quum aliquis quærit sui exaltationem per proximi deiectionem. Similis est illi qui faceret de hominibus scabellum pedum suorum, vt sic altior cæteris appareret. Quintum est, intimus amor proprij boni, ex quo solet sequi quod homo non curat de bono proximi, Philip. 1. *Non quæ sua singuli considerantes, sed quæ aliorum.* 1. Corinth. 10. *Nemo quod suum est quærat.* Et in hoc est multum corruptum genus humanum, quasi enim in naturam versum est hominibus quærere propria commoda, & negligere aliena. Sextum est, irritatio siue prouocatio ad iram. Aliqui quando vident domum proximi igne comburi, exemplo illius suam comburunt, cum potius deberent conari ad eius defensionem: qui valde fatui sunt. Eccl esiast. 7. *Ira in sinu stulti requiescit.* Sapiens non permittit ibi eam quiescere, sed statim ab ea se expedit: sicut carbonem de sinu tam cito excuteret si in eum insiliisset. Septimum est, maligna cogitatio, vt quæ est de vindicandis iniuriis. Qui iniuriam sibi factam cogitat, quasi ferrum in vulnere tenet. Esa. 1. *Auferte malum cogitationum vestrarum &c.* Octauum est, gaudere super iniquitate, quod est diabolicum, & signum magnæ corruptionis & elongationis à Dei similitudine: cui iniquitas summè displicet. Prouerb. 24. *Quum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas:* Et eiusdem. 17. *Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus.* Item charitas est via excellentior. 1. Cor. 12. *Adhuc vobis viam excellentiorem demonstro.* Ipsa est gratia Domini nostri Iesu Christi. 2. Corint. vlt. Magisterium eius Christus professus est. Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Charitate discipulos suos voluit agnosci. Aug. In charitate dignoscentur discipuli Christi, non in prophetia, fide, & aliis. Ioan. 13. *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem adinuicem habueritis.* Hanc ipse Saluator maximam in se habuit, Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ephes. 2. *Propter nimiam charitatem qua dilexit nos, &c.* Charitas est vinculum quo solo Deus ligari potuit. Magister Hugo de sancto Victore: O charitas, quàm magnum est vinculum tuum, quo etiam Deus ligari potuit! Si ergo contra Dominum fortis fuisti: multo magis contra homines præualebis. Hoc vinculo Deus tractus, ad terram descendit & etiã vsque ad inferos. Nullum vinculum eum ad columnam tenere potuisset, si charitatis vinculum defuisset. Nullum ferrum in cruce non detinuisset, nisi charitas affuisset. Sicut lapis positus ad ostium monumenti non potuit eum ad monumentum detinere: amor salutis nostræ & ad columnam & in cruce eum detinuit. Vinculo charitatis ligatus erat quum dicebat. Genes. 18. *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* Et eiusdem 16. dictum est Loth: *Festina, & saluare ibi: quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc.* Esaiæ 58. *Non est qui consurgat & teneat te.* Charitatis vinculum solui non potest; neque igne, neque aqua, neque gladio. Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? &c.* Et in eodem: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à charitate* Dei. Hoc est vinculum quo ea coniunguntur, quæ interuallis locorum disiunguntur. Charitas vinculum est perfectionis, de quo Col. 3. *Super omnia autem hæc, charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis.* Gloss. Amb. Magis studendum est ei virtuti quæ maior omnibus est. Ibi etiam dicit glo. quod charitas omnia ligat ne abeant. Charitas est vinculum perfectionis. Ligat. n. mẽbra Ecclesiæ adinuicem Deo. Hier. 13. *Agglutinaui mihi omnem domum Israël, & omnem domum Iuda.* Deu. 10. *Patribus tuis conglutinatus est Deus,*

Cha-tate Dei liga-

est Deus, & amauit eos. In hac ligatione est perfectio Ecclesiæ. Item charitas eum in quo est, filium Dei efficit. Rom. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba pater.* 1. Ioã. 4. *Qui diligit fratrem suum, ex Deo natus est.* Et eiusdem 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* Item charitas vnctio est quâ filij Dei inungũtur in signũ regni futuri. Qui hac vnctione inuncti sunt edocẽtur à Deo, sicut Salomõ edoctus est à Domino postquam in regem vnctus est. 3. Reg. 4. de qua vnctione legitur 1. Ioan. 2. *Vos vnctionem habetis à Sancto, & nostis omnia:* Intellige necessaria ad salutem. Et in eodem: *Vnctio eius docet vos de omnibus*: Prouer. 16. *Diuinatio*, id est, diuinus sermo *in labiis regis, in iudicio non errabit os eius.* Ioã. 15. dicitur de Spiritu sancto, quem habet qui charitatem habet. *Ille vos docebit omnia.* Et eiusd. 6. *Erunt omnes docibiles Dei.* Et Matth. 23. *Vnus est Magister vester, qui in cœlis est.* Quod ille qui charitatem habet, non erret errore periculoso, potest esse verum duabus de causis, vel quia legẽ abbreuiatam habet in corde suo, scilicet charitatem. De qua August. Lex, inquit, charitas super omnes libros est. Et Hieronymus Seleuciæ: Hæc sententia ad breuiarium totius iustitiæ Dominico ore profertur. Vel quia Charitas hominem Dei amicum facit. Lex vero amicitiæ requirit vt amici sibi inuicem non negent consilium sicut nec auxilium. Vnde Deus habentem charitatem, nõ permittit errare errore periculoso: si ille quod in se fuerit fecerit vt veritatem agnoscat. Charitas vnctio est omnem lethalem infirmitatẽ sanans. Aug. Timor est medicamẽtum: charitas, sanitas: Huic sanationi attestatur bona dispositio gustus interioris: habẽti. n. charitatem, sapiunt res vt sapere debẽt. Item charitas vestis nuptialis est: de qua Matth. 22. *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestẽ nuptialem?* Quasi admiratur Dominus inueniens aliquem in Ecclesia absque veste charitatis. Cuius admirationis quinque possunt assignari causæ. Prima est, quod Dominus tantũ expendit vt sponsa sua Ecclesia hanc vestem haberet, quum aliæ vestes fiant vel de pilis animalium, vel corticibus herbarum, vel interioribus vermiũ, vt vestes sericæ. Huic vesti voluit Dominus materiã ministrare quasi viscerib. suis, quum lateris sui apertione amorem suum nobis ostendit, vt amore eius ad eum reamandum accenderemur. Bern. Clauus penetrans, clauus reserans factus est mihi vt videam voluntatem Domini: quod nisi videã per foramen, clamat clauus, clamat vulnus. Idem: Patet arcanum cordis per foramen corporis. Secunda est, quod Ecclesia scit hãc vestem summe placere spõso suo. Vnde vestem inconsutilem quæ figura erat huius vestis, noluit diuidi. Ioan. 19. licet corpus suum permiserit perforare. Augustin. Tunicam hominis iam iudicati in cruce pendentis carnifices Pilati non sunt ausi conscindere eam, & tu niteris charitatem Dei, imo charitatem quæ Deus est, separare! Tertia, quod istam vestem est ostensura Ecclesia in illa magna curia, & nescit qua hora sit vocanda. Matt. 25. *Media nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit.* Ideo semper deberet esse parata. Matth. 24. *Et vos estote parati, &c.* Sed sunt qui tunc primo volũt ordiri hanc vestem quando deberet succidi. Esa. 38. *Deum adhuc ordirer, succidit me.* Qui discretus est, quærit lanam & linum quam cito potest: vt hãc vestem possit sibi texere. Prouer. vlt. *Quæsiuit lanam & linum, &c.* Lana & linũ sunt beneficia nobis à Christo exhibita secundum humanitatem & deitatem: Quarta causa est, quod Ecclesia scit quod si hæc vestis ei defuerit, turpitudo eius toti mundo manifestabitur. Prouerb. 10. *Vniuersa delicta operit charitas.* Apocalyps. 16. *Beatus qui custodit Vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant homines turpitudinem eius.* Quinta est, quod Ecclesia scit quod nõ licet alicui

Causæ admirationis Christi super veste non nuptiali.

intrare in regnum cœli absque hac veste. Esther 4. legitur quod non licebat intrare aulam Assueri indutum sacco. Saccus est timor seruilis, cum quo nemo intrat regnum cœlorum. Et notãdum quod quum vestis esse soleat laudabilis à pretiositate materiæ, & à studio artificis, & à colore, & à suauitate, & à fragrantia vestis, ista simul ex omnibus his causis est laudabilis: Hæc vestis pro materia habet Dei beneficia, imo quodammodo ex visceribus Christi materia eius ministrata est vt prædictum est. De studio artificis habetur in Psal. *Annuntiate inter gentes studia eius.* Si Deus mille annis studuisset, nunquam modum conuenientiorem ad accendendum amorem suum in nobis inuenire potuisset. Color vero huius vestis purpureus est. Prouerb. vlt. *Byssus & purpura indumentum eius.* Suauitas vero huius vestis tanta est vt vocetur vnctio. 1. Ioan. 2. De odore eius habes Cantic. 1. *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suũ.* Nardus herba calida charitatem significat, cuius odor cœlos penetrauit, & filium Dei incarnari fecit. Odor huius vestis benedictionem Patris cœlestis impetrat Genes. 27. *Statimque vt sensit vestimentorum eius fragrantiam, benedicens ait: Ecce odor filij mei sicut odor, &c.* De odore vestium habes Cant. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Charitas vestis nuptialis dici potest: quia matrimonium quo filius Dei vnitus est humanæ naturæ sorori nostræ, multùm requirit vt vestem charitatis habeamus. Si enim matrimonia quæ fiunt quotidie, inimicos amicos efficiunt: quomodo hoc excellens matrimonium homines ad amorem Dei non accenderet? Solent fieri vestes nuptiales propter nuptias: sed nuptiæ filij Dei & humanæ naturæ factæ sunt propter hanc vestẽ: sc. propter charitatẽ in homine augendam. Vestis charitatis omnem turpitudinem operit. 1. Pet. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Hæc vestis contra aduersa munit: quia fortis est vt mors dilectio. Cant. vlt. Ipsa etiam ornat. Est enim vestis purpura optime sedens super byssum castitatis. Prouerb. vltimo: *Byssus & purpura indumentum eius.* Charitas est fortitudo & decor. Fortitudo, inquantum munit: decor, inquantum ornat. Prouerb. vlt. *Fortitudo & decor indumentum eius.* Ipsa est vestis polymita, varietate bonorum operum distincta: secundum illud Psal. *Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Item charitas currus igneus est, subleuans interiorem hominem in paradisum spiritualem: vt de Elia legitur 4. Regum 2. Ipsa etiam est iugum suaue, de quo legitur Matt. 11. *Tollite iugum meum super vos, &c. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue est.* Propter sex causas iugum charitatis suaue est. Primo, ex sui natura. August. Omnia sæua & immania, prorsus facilia & prope nulla efficit amor. Si super hoc iugum posset poni pondus inferni: vt scilicet cum amore ipsius portaretur, suaue esset propter hoc: quia charitas difficilia reddit facilia. Comparat August. charitatem bigæ, dicens. Quod iumentum per se non veheret, vehit in biga duplicatum Genes. 29. *Videbantur Iacob dies pauci præ amoris magnitudine.* Bern. Auis quæ implumis & sine alis seipsam ferre non potest, onere plumarum & alarum addito, sine labore aduolat: sic panis durus qui per se transire nõ potest, adiutorio lactis vel alterius liquoris colabile fit in gutture. Charitas quasi volare facit homines in via paradisi. Bern. Qui amat ardentius, currit velocius, & peruenit citius. In libro de Spiritu & Anima, dicitur, quod amor est per desiderium currens, atque per gaudium requiescens: per desiderium in appetendo, & per gaudium in perfruendo. Charitas etiam est bonorum laborum condimentum.

Charitas vestis laudabilis cõparãdo materiali.

Psal. 79.

Psa[l.]

Ch[aritas] Ch[aritas] iug[um] sua[ue] cu[r]

Secundo, quia Deus subiit istud iugum, & super illud tulit onus crucis. Zelus enim Domini exercituum faciebat hoc. Ideo gloriosum & suaue est esse sub hoc iugo.

Magna enim gloria est sequi Dominum. Ecclesiast. 23. Bernard. O iugum sancti amoris quàm gloriose laqueas, quàm suauiter premis!

3. Tertio, quia adhuc Deus vult nobiscum esse sub iugo isto maiorem partem portans. Non est iugum vnius tantum, sed multorum. Dicit tibi Deus: tolle iugum meum ex vna parte, & ego tollam ex altera: paratus est enim Deus iuuare illos qui amore ipsius difficilia aggrediuntur.

4. Quarto, quia ea quæ trahuntur ad hoc iugum, quasi aurea sunt, imo auro pretiosiora: quia regni cœlestis meritoria, vt patet ex promissis.

5. Quintò, quia istud iugum à graui iugo liberat: scil. à iugo carnis vel mundi. Esa. 10. *Computrescet iugum à facie olei:* id est charitatis, quæ ad modum olei suauis est. 2. Cor. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* Bern. loquens de illo verbo Luc 14. *Iuga boum emi quinque.* Iumentis, inquit, conuincitur homo bestialior, qui iuga necessitatis quinq; sensuum propria subeat voluntate. Bern. Quid causamur subiisse? arguamus magis emisse: nam vt mercedem pro opere suo quis tribuat, inauditum est, quid iuga boum emit, cui iugum suaue gratis offertur? quid est potius quinque eligere quam vnum? quis potest seruire quinq; prędonib⁹? Oculus, inquit, meus deprædatus est animam meam.

6. Sexto, quia qui charitatem habet, voluntatem suam voluntati diuinæ conformat. Vnde, sicut voluntas Dei impletur: sic & voluntas ipsius. Et sicut Deo cuncta subiecta sunt: sic & habenti charitatem quodammodo cuncta sunt subiecta. Aug. in libro de Vtilitate credendi: Iugo Christi qui subiectus est, subiecta habet cætera: & nō laborat, quia nō resistit quod subiectū est. Seneca: Vir bonus æquo animo sustinebit quicquid ei acciderit. Scit. n. hoc accedisse lege diuina ex qua vniuersa procedunt: Mali non habent pacem, quia Deo resistunt. Iob. 9. *Quis restitit ei, & pacem habuit?* Si pluit, displicet malis. Si aliquanto tempore siccitas sit, iterum displicet eis. Item charitas bitumen est quo arca Ecclesiæ bituminata est. Genes. 6. Absque hoc bitumine in periculo esset. Aquæ etiam tribulationum penetrarent eam. Charitas etiam cæmentum est quo lapides viui in ædificio Ecclesiæ adinuicem connectuntur. Sine hoc cæmento Ecclesia esset quasi aceruus lapidum: non esset idonea Deo ad habitandum, nec contra hostes Ecclesiæ haberet debitam resistentiam. Hieron. 26. Hierusalem in aceruum lapidum erit. Charitas est chara vnitas. Quàm chara sit vnitas ipsius, patet ex hoc, quod diuisio ei opposita Deo detestabilis est. Prou. 6. *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius.* Et illud septimum est: qui seminat inter fratres discordias. Dionys. in lib. de diuinis nominibus. Amor est quædam vnitiua & cōtinuatiua virtus, superiora mouens ad inferiorum prouidētiam: æquiforma, id est, æqualia in socialem vicissitudinem: & nouissima & subiecta ad meliorem & supra positorum conuersionem, id est, conformationem. Amor inter affectiones animæ maximè Deo assimilatur. Bern. super Cāt. Solus est amor ex omnibus animæ motibus & sensibus, in quo potest creatura etsi non ex æquo, suo respondere auctori, vel de simili mutuam rependere vicem: & si minus diligit creatura, quoniam minor est: tamen si ex toto se diligit, nihil deest vbi totum est. Eadem verba habentur in libro de spiritu & anima, vbi subditur. Renuntians ergo cunctis affectionibus aliis, tota soli incumbat amori, effundens se totam in amorem ipsius cui respondere habet in reddendo amorem. Charitas virtus est, cuius altitudo vsque ad altissimum attingit. Spiritum enim hominis Deo vnit. Latitudo eius quasi per totum mundum se extendit: quia membris Christi quæ dispersa sunt per mundum, hominem coniungit. Aug. Extende charitatem per totum orbem si vis Christum amare: quia mēbra Christi per orbem iacēt. Lon-

gitudo eius opera cæterarum virtutū vsque ad finem vltimum extendit. Profunditas eius infimis membris Christi seruitium impendendo condescendit secūdum doctrinam. Ioan. 13. *Si ego laui pedes vestros, Dominus & magister vester: & vos debetis alter alterius lauare pedes.* Et notandum, quod sacri Doctores videntur dicere quod sola charitas sit virtus, Hier. Vt breuiter, inquit, cōplectar virtutis notionem: Virtus est charitas quâ diligitur quod diligendum est. Et in lib. de spiritu & anima: sic legitur: Quum prudēter, modeste, fortiter & iuste amor & odium instituuntur: in virtutes exurgunt, prudentiam sc. & tēperantiam, fortitudinem atque iustitiam. Aug. in lib. de morib. Ecclesiæ. Si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil esse virtutē omnino affirmauerint, nisi summum amorem Dei. Namque illud, quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu quātum intelligo dicitur. Itaque illas quatuor virtutes, quarum vtinam res ita haberēt homines in mentibus suis, vt nomina sunt in ore omnium. Sic etiam diffinire non dubitem, & vt Temperantia sit amor integer se prębens ei quod amatur. Fortitudo, facile tolerans omnia propter quod amatur. Iustitia, soli amato seruiens, propterea recte dominans. Prudentia, amor ea quibus adiuuamur ab iis quibus impedimur sagaciter seiungens. Sed hunc amorem non cuiuslibet, sed Dei esse diximus, quare etiam diffinire licet, vt Temperātiam dicamus amorem Deo sese integrū incorruptumque seruantem. Fortitudinem, & amorem omnia propter Deū facile perferentem. Iustitiam amorem tantum seruientem, & ob hoc bene imperantem cæteris quæ homini subiecta sunt. Prudentiam, amorem bene discernentem ea quib. adiuuetur ab his quibus impediri potest. Idem in eodem: Nihil aliud est bene viuere, quam toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere: à quo existit vt incorruptus in eo amor atque integer custodiatur, quod est temperantiæ: vt nullis frangatur incommodis, quod est fortitudinis: nulli alii seruiat, quod est iustitiæ: vigilet discernendis rebus, ne fallacia paulatim dolus surrepat, quod est prudentiæ. Possumus autem quatuor rationes assignare, quare nomen Virtutis charitati potuit appropriari vt ipsa diceretur singulariter virtus. Vna causa potuit esse, quia charitas inter virtutes excellētior est: ideo antonomatice virtus dici potuit: sicut Roma antonomatice Vrbs dicitur. Alia causa potuit esse: Quia antequam charitas adsit, nulla vera virtus est. Si vero charitas adsit, nulla virtus deest. Quod nulla vera virtus adsit si charitas desit, patet: quia virtus est qua bene viuitur. Bene viuere vero est (vt ait August.) bene viuendo ad beatitudinem tendere: quod non est sine amore beatitudinis, qui amor charitatis est. Quod nulla virtus desit vbi charitas adest, patet: quia amor dignior est affectione animæ, quæ si ordinata fuerit, aliæ affectiones vt timor, dolor, & spes inordinatæ non remanebunt, maxime quum apud amorem sit summa potestas & imperiū in regno animæ, & eius sit regnum illud ordinare: apprehensiones vero non se habent modo indebito, quum affectiones se habeant debito modo. Sunt enim apprehēsiones causæ affectionum, vnde amore ordinato simpliciter mēs ordinata est. Tertia causa potuit esse: quia amor summi boni quodammodo ad omnem virtutem pertinet, inquantum virtus comparatur ad finem suū: licet amor iste sit proprius motus charitatis. Sine amore enim summi boni non est vera virtus. v. g. Si quis abstineat vt bursam impleat, vel vt sanitatem acquirat, vel causâ inanis gloriæ: non est hoc abstinentiæ virtutis, sed tūc solum quando fit amore summi boni. Ideo dicitur Matth. 6. *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum oleo.* Secundum gloss. Caput suum, scilic. Christum, ieiunans vngit oleo charitatis, qui pro amore eius se macerat, & quod sibi subtrahit, alteri largitur. Quarta causa potuit esse: quia sicut aliquis dicitur odire

Ch[arita]s [cur] dic[atur] vir[tus]

non solum affectu, sed etiam effectu, secundum quem modum dicitur. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Odit inquam effectu: sicut aliquis dicitur diligere non solum affectu, sed etiam effectu, secundum quem modum dicitur 1. Ioan. vlt. *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus*. Et 2. Ioan. *Hæc est charitas vt ambulemus secundum mandata eius.* Sic dilectio Dei ad vniuersitatem virtutum pertinet, sicut & obseruatio mandatorum Dei. Sic nihil aliud est virtus, quam id quo Deus diligitur. Et hæc de laudibus charitatis sufficiant. Si cui vero hæc non sufficiunt, diligenter studeat in 1. Canonica Ioan. de quo dicit Gregor. quod omne quod loquitur, igne charitatis vaporatur. Et in Euangelio eiusdem & 1. ad Cor. 13. Vbi multa de laudibus huius virtutis inueniet.

Capvt III.

De ordine dicendorum de amore Dei. Et primo de his quæ incitant ad amandum Deum.

POst cõmendationem Charitatis agendum est specialiter de amore Dei, de quo hoc modo agetur. Primo dicetur de incitamentis diuini amoris. Secundo de modo amandi Deum. Tertio, de diuersis speciebus diuini amoris. Quarto, de signis ipsius. Circa primum notandum est quod ad amandum Deum incitat sacra Scriptura, incitat & natura, incitat gratia nobis à Deo exhibita, & gloria nobis à Deo promissa, incitat & vniuersa creatura. Scriptura sacra incitat in multis locis. Deut. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Eiusdem 11. *Ama Dominum Deum tuum, &c.* Ecclesiast. 13. *Omni vita tua dilige Deum.* Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum, &c.* Simile habes Luc. 10. & 1. Ioan. 4. *Diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit eos.* Natura ad idem incitat. Bernard. in lib. de diligendo Deo. Inexcusabilis, inquit, est omnis infidelis si non diligit Dominũ Deum suum toto corde, tota anima, tota virtute sua. Clamat nempe intus ei innata & non ignota rationi iustitia, quia ex toto illũ diligere debet, cui & totum se debere non ignorat. Si naturaliter amat filius patrem à quo habet partem corporis sui: quanto magis amare debet Deum qui corpus eius & animam ex nihilo fecit? August. Amandus est generator: sed præponenbus est creator. Eccl. 7. *In tota anima tua dilige eum qui te fecit.* Bernard. in sermonibus: Parum ne, inquit, tibi videtur? hoc cogita, qualem te fecit. Nempe secundum corpus egregiam creaturam: secundum animam, magis imagine creatoris insignem, rationis participem, beatitudinis æternæ capacẽ. Porro ambo cohærere sibi fecit artificio incomprehensibili, sapientia inuestigabili: nec ante promeruit, qui ante non fuit: nec spes retributionis fuit, quoniam bonorum nostrorum non eget. Et notandum quod multum potest incitare hominem ad amandum Deũ, quod Deus eum fecit, si quis diligẽter attendat quantum beneficium fuerit quod corpus ei dedit: quot enim sunt membra in corpore, tot beneficia inueniet magna: Et pro minimo membro plus deberet homo Deum amare, quam multi ament eum pro cunctis beneficiis quæ ab eo receperunt. Si quis amisisset oculum, quantum amaret eum qui sibi illum restitueret? Et si quis meruisset amittere eum, quantum amaret eum qui sibi oculum conseruaret? Nec minus amandus est qui eum ab initio dedit, & qui datum conseruauit, cum multoties vtendo eo cõtra Deũ, eũ amittere meruerit. Non minus est amãdus qui dat cappam nouam, quam qui inueteratam perditam restituit. Quod dixi de oculo, de aliis membris cogita. Si vero tantũ amandus est qui dedit corpus: quantum amandus est qui dedit animam quæ in infinitũ est melior corpore? Si amisisses vsũ rationis, quantum amares eum qui tibi illum restitueret? Quantum ergo amandus

[Margin: Quæ ad Dei amorẽ incitẽt. 1. Scriptura. Natura] [Margin: Beneficia.]

est qui tibi rationem ab initio dedit? Item si meruisses mortem, siue separationem animæ à corpore, quantum amares eum qui tibi eam remitteret? Quantum ergo amandus est ille qui mirabiliter corpus & animam coniunxit, & hanc coniunctionem tibi seruauit, cum peccando mortem multoties meruisses? Bernard. Valde omnino mihi amandus est per quem sum, viuo, & sapio. Dignus plane est morte qui tibi Domine Iesu recusat viuere. Idem in lib. de diligendo Deo: Vt quid, inquit, non amaret opus artificem, cum haberet vnde id posset? Et cur non quantum omnino posset, quum nihil omnino nisi eius munere posset? ad hoc etiam quod homo amet amplius factorem suum, cogitare debet quod Deus ad imaginem & similitudinem suam fecit illum. Genes. 1. Filius qui similior est patri, solet amplius amare patrem, & ab eo plus amari. Figura etiam quam naturaliter habet corpus humanum, incitat ad amandum Deum. August. in lib. de disciplina Christiana: Belluas Deus prostratas in faciem fecit, pastum quærentes de terra: te in duos pedes erexit, tuam faciem sursum attendere voluit. Non discordet cor tuum à facie tua, non habeas faciem sursum & cor deorsum. Fac sursum cor, ne mentiaris in domo disciplinæ. Quid est sursum habere cor, nisi quod prius est dictum: *Dilige Dominum Deum tuum? &c.* Disciplinæ domus est Ecclesia Christi: vt dicit August. in eodem libro. Gratia etiam nobis à Deo exhibita incitat ad Dei amorem, & maxime gratia redemptionis. De qua 2. Corinth. 8. *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi quoniam propter vos egenus factus est cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.* Gal. 2. *Dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me: non sum ingratus gratiæ Dei.* Sic habet litera vna. Eccl. 9. *Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris.* Dedit enim pro te animam suam. Licet multum possit hominem incitare ad amandum Deum, quod ipse eum fecit: tamen

Similitudo.

Gratia

multo amplius debet eum incitare, quod ipse eum refecit. Vnde Bernard. in libr. de diligendo Deo: infidelis se totum ei debere non ignorat, quem sui totius non ignorat auctorem. Quid ergo ego qui Deum meum teneo vitæ meæ non solum gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, sollicitum gubernatorem, sed insuper etiam copiosissimum redemptoren, æternum conseruatorem, ditatorem, glorificatorem? Idem in eodem: Infidelem ratio vrget, & iustitia naturalis totum se tradere illi à quo se totum habet, & ex se toto debere diligere quem profecto fides tanto plus iudicat amandum, quantum & eum pluris meipso æstimandum intelligo: quippe qui illud non solum mei, sed sui quoque ipsius teneo largitorem. Idem in eodem: Si totum me debeo pro me facto: quid addam pro me refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus quam factus. Si quidem non solum de me, sed de omni quoque quod factum est, scriptum est, *Ipse dixit, & facta sunt.* At vero qui me tantum etiam semel dicendo fecit, in reficiendo profecto & dixit. Multa & gessit mira, & protulit dura: nec tantum dura, sed etiam indigna. Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? In primo opere me mihi dedit: in secundo se: & vbi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo & debebo: quid Deo retribuam pro se? Nam etiam si me millies rependere possem, quid sum ego ad Dominum? Idem super Cantic. Super omnia reddit te amabilem mihi, bone Iesu, calix quem bibisti, opus redemptionis nostræ. Hoc omnino amorem nostrum facile vendicat totum sibi. Hoc, inquam, est, quod nostram deuotionem & blandius allicit, & iustius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementius. Multum quippe laborauit in eo Saluator: nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor assumpsit. In dictis suis

sustinuit contradictores, in factis obseruatores, in tormentis illusores, & in morte exprobratores. Idem loquens de opere redemptionis: Quid adhuc, inquit, dormitat tua affectio? imo non dormitat, sed mortua est si huic non respondet beneficio. Ansel. in lib. Med. Ecce Domine, quia me fecisti, debeo meipsum amori tuo totũ: quia me redemisti, debeo meipsum amori tuo totum: quia tanta promittis, debeo meipsum amori tuo totum, imo tantum debeo plusquam meipsum, quanto tu maior me es pro quo dedisti teipsum. Cũ ignis non accendatur melius quam igne: ignis diuini amoris quem nobis Deus ostendit in redemptione humani generis maxime deberet incitare nos ad amandum Deum. Chrysost. Non est, inquit, aliquis omnino, non pater, non mater, non amicus, non alius quispiam qui ita nos aliquando dilexerit, quemadmodum ipse qui fecit. Bernard. in sermonibus: O duri & indurati & obdurati filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardos amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis tam pretiosas merces expendit. Ad amandum Deum incitat gloria amantibus Deum specialiter promissa & præparata. 1. Cor. 1. *Oculus non vidit, &c. quæ præparauit Deus his qui diligunt illum.* Iacob. 1. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Mirum est quomodo amor noster Deo euadere potest: quia si venalis est nullus Deo carius emet: dabit. n. pro illo regnum æternum. Si est dandus, nullus dignior eo est quam Deus, cum ipse sit summe bonus. Vnde nulli potius quam ei debet dari. Si vero violentiam requirit, nullus maiorem violentiam pro eo faciet quam ipse. Petit enim eum quasi gladio euaginato. Aut enim eum amabis, aut æterna morte interficieris. Dauid: Nisi conuersi fueritis, ab amore sc. immundo, ad amorem Dei, glaudium suum vibrauit. Aug. in lib. Conf. Domine quid tibi sum ipse vt amari te iubeas à me, & nisi hoc faciam irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Ad amandum Deum incitant omnes creaturæ. Aug. 10. lib. Conf. Cœlum, & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt vt te amem, nec cessant dicere omnibus vt sint inexcusabiles. Dupliciter dicunt creaturæ nobis vt Deum amemus. Vno modo ostendendo eum dignissimum amore nostro. Bonitas enim vniuersitatis creaturarum ostẽdit creatorem esse optimum, & ideo amore dignissimum. Secundo, quia creaturæ sunt dona Dei & beneficia Dei. Ad incitandum vero aliquem ad amandum alium, efficacior est donatio quam locutio. Etiam terrena & cœlestia facit Deus propter hominem, vt patet ex principio Genes. Vbi postquam de creatione hominis loquutus est Deus, subditur: *Et præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis terræ, vniuersæque creaturæ.* Et postquam locutus est de luminaribus cœli, subditur: *Et sint in signa, & tempora, & dies, & annos, & luceant in firmamento cæli, & illuminent terram.* Cum secundum ligna exardescat ignis. Eccl. 28. Magnus deberet esse ignis diuini amoris qui pro lignis Dei tot habet Dei beneficia, quot sunt creaturæ. De his lignis legitur Leuit. 6. *Ignis in altari semper ardebit quem nutriet sacerdos, subyciens ligna mane per singulos dies.* Illos qui non incitantur ad Deum amandum pro tot & tantis beneficiis accusare poterunt etiam feræ quæ beneficia sentiunt, vt ait Senec. Ecce etiam canes amant benefactores suos. Exemplum. Refertur etiam de quodam leone quem quidam miles à serpente liberauit, quod à milite recedere noluit: quid ergo exultationis habebunt qui deserentes redemptorem suum, serpenti infernali adhærẽt? Si lapides cauantur à guttis aquæ assidue cadentis, quam excusationem habebunt corda dura quæ non emolliunt assidua Dei beneficia? Quasi infinitæ sunt creaturæ quarum vnaquæque sufficeret ad mouẽdum hominem ad amorem alterius

hominis si eam sibi dedisset. Quomodo ergo non sufficiunt vniuersæ creaturæ ad accendendum hominem ad amorem Dei?

Mala pœna & culpa.

Ad amandum Deum incitare possunt & bona & mala. De bonis iam ostensum est, quæ vniuersa sunt Dei dona. De malis vero facile est idem ostendere, cum sint flagella patris misericordiarum erudientis filios suos, ex amore paterno procedentia. Apocal. 3. *Ego quos amo, arguo & castigo.* Heb. 12. *Quem diligit Deus, castigat.* Et non solum mala pœnæ possunt incitare ad Dei amorem: sed etiam mala culpæ quæ Dei misericordia dissimulat in his qui nondum pœnitent, vt saltem quandoq; pœniteant, vel remittit his qui pœnitent, vel à quibus custodit eos qui sibi adhæręt. Aug. in lib. de Virginitate: Vos, inquit, vt ardentissime diligatis, cui diligendo à coniugiorum nexibus liberi vacatis, deputate nobis tanquam omnino dimissum quicquid à vobis non est illo regēte commissum. Multo fortius debes diligere illum qui quæcunque flagitiosis ad se conuersis dimisit, in ea cadere non permisit. Quid habes, quod non accepisti? aut qua peruersitate minus diligis à quo plus accepisti? Cogita omnia peccata sic habenda tanquam dimittantur, à quibus Deus custodit ne committantur. Noli modicū diligere, quasi à quo tibi modicum dimissum est, sed potius multum dilige à quo tibi multum tributum est. Si enim diligit cui donatum est ne redderet: quanto magis diligere debet cui donatum est vt haberet? Et notandum est quod cum quatuor de causis aliquid soleat diligi, scil. de causa attinentiæ, vel quia in eo deliciæ inueniuntur, vel quia beneficiis iam datis amari meruit, vel quia beneficia ab eo sperantur, his quattuor de causis amandus est Deus. Causa attinentiæ, cum ipse sit pater. Matth. 23. *Patrem nolite vocare vobis super terram: Vnus est enim Pater vester qui in cœlis est.* Et qui erat pater, factus est frater. Matth. vlt. *Nunciate fratribus meis vt eant in Galilaeam.* Et qui erat Dominus, factus est seruus. Bernard. loquens de Filio Dei incarnato. Non hoc loco, inquit, prædicatur magnus Dominus & laudabilis nimis: sed paruus Dominus & amabilis nimis. Paruulus vtique qui natus est nobis, ipse voluit nasci in mundo isto & quasi fieri de terra nostra vt amabilior esset nobis: non enim solent homines amare Dominos de terra aliena. Ipsa voluit in similitudinem hominum fieri, vt hominibus esset amabilior. Similitudo enim ad amorem facit. Eccl. 3. *Omne animal diligit simile sibi.* Ipse humanam naturam diuinæ voluit associari in vna persona, nunquam ab ea separandam in signum amoris, vt sic saltem amaremus à quo agnosceremus nos amari. Deus etiam amandus est à nobis, quia in eo sunt summæ deliciæ. Psal. *Delectationes eius in dextera tua vsque in finem.* Item amandus est, quia beneficiis suis hoc meruit. Bern. in lib. de diligendo Deo: Multum meruit Deus de nobis, qui etiam immeritis seipsum dedit nobis. Quid enim melius seipso poterat dare vel ipse? Ergo, si Dei meritum quæritur, illud est præcipuum: quia *ipse prior dilexit nos*. 1. Ioan. 4. Dignus plane qui reametur: præsertim si aduertatur quis, quos quantumque amauerit. Quis enim? nonne is cui omnes spiritus confitentur? Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges: Vera huius charitas maiestatis: quippe non quærentis quæ sua sunt. Quibus autem tanta charitas exhibetur? *Cum adhuc*, inquit, *inimici essemus, reconciliati sumus Deo.* Dilexit ergo Deus & ingratos & inimicos. Sed quantum? *Sic Deus dilexit mundum*, ait Ioannes, *vt Filium suum vnigenitum daret.* Sic meruit iustus impiis, summus infimis, omnipotens infirmis. Idem in eodem: Vt paucis quod dictum est repetam, *prior ipse dilexit nos*, tantus, & tantum, & gratis, tantillos & tales. Itē amandus est à nobis propter beneficia quæ ab eo speramus. De quib. require in tractatu Spei, Cap. 5. Item notandum est, quod

Quatuor ob causas aliquid diligi dicitur.

Psal.

quod ad amorem Dei nos incitare potest amicitiæ eius vtilitas, & inimicitiarum eius damnositas, & amici huius fidelitas.

tilitas Vtilitas, quia nihil fructuosius esse potest quã à Deo diligi, iuxta verbũ Bernardi: Ipse diligentibus se peccata remittit. Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ipse eos erudit: Eccles. 2. *Diligite Deum, & illuminabũtur corda vestra.* Gregorius: Interdum compunctionis ardore tãtæ subtilitatis est vis amoris, vt hãc nec ipse animus possit comprehendere, qui hanc illuminatus meruit habere. Ipse eos custodit. Psal. *Custodit Do-*
l.Li *minus omnes diligentes se.* Ipse ad suauitatem suæ cõtemplationis etiam in præsenti admittit. Gregor. in Moral. Si quis ad cõtemplationis studiũ properat: semetipsũ prius subtiliter interroget, quãtum amat. Machina quippe mẽtis est vis amoris, qui hanc dũ à mũdo extrahit, in altũ sustollit.

.71. Vtilitas huius amici sicut & aliorum amicorũ in necessitate apparet, vt in infirmitate à qua ipse potest liberare, cum alii amici non possunt: & in morte, quando alii amici defunctum deserunt, & amicus iste eum suscipit. Psal. *In voluntate tua deduxisti me: & cũ gloria suscepisti me.* Et in iudicio vbi non habebit amicum cui Deus erit inimicus. Eccl. 20. *Fatuo non erit amicus.* Omnia sunt amica ei cui Deus est amicus: *quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Rom. 8.

Inimicitiarum etiam Dei damnositas
ici. incitare potest ad amãdum Deum. Omnia
dã enim sunt inimica inimicis Dei: etiam ip-
as. simet sunt sibi inimici. In Psal. *Qui di-*
to *ligit iniquitatem, odit animam suam. In futuro vero magis apparebunt hæ inimicitiæ, quando pugnabit orbis terrarum contra insensatos.* Sap. 5. Gregor. Offenso creatore, omnis creatura damnatum habet odio. Ipsimet si esse possunt vellent se non esse. Ipsi etiã sancti qui tãtum amauerunt peccatores in præsenti, lætabuntur cum viderint vindictam. Fidelitas etiam huius amici ad idem potest incitare, Eccles. 6. *Amico fideli non est comparatio: & non est digna ponderatio argenti & auri.* Alii amici qua- Fidelitas Amicorum magna infidelitas.
drupliciter inueniuntur infideles. Primo, quia aliquando non amant, licet amentur: sed non sic est de amico isto. Prouerb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Ioan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.* Secundo, quia tempore aduersitatis desinũt amare. Ecclesiast. 6. *Est amicus secundum tempus suum, & non permanebit in tempore tribulationis.* Sed non est sic in amico isto. Prouerb. 17. *Omni tempore diligit qui amicus est,* Christus scilicet, & frater in angustiis comprobatur. Tertio, quia qui amãt viuos, inimici fiunt mortuorum, spoliantes eos bonis suis. Ecclesiast. 6. *Est amicus qui conuertitur ad inimicitias:* amicus vero iste in morte specialiter ostẽdit se esse amicum. Spiritum enim qui de habitaculo corporis exit, in cœleste habitaculum recipit. Quarto, quia amici patris inimici fiunt filiorum: sed amicus iste propter patrem filios amat, quandoque vsque in decimam generationem. Exod. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, &c. faciens misericordiam in millia his qui diligunt me.* Et vt breuiter dicam, Beatus est qui Dominum debito modo amat: & væ illi qui eum debito modo non amat. Aug. 4. lib. Conf. Beatus qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te. Solus enim nullum charum amittit, cui omnes in illo chari sunt, qui non amittitur: te nemo amittit, nisi qui dimittit. Idem: Hæc omnia bona sunt: sed væ tibi si amaueris condita, & deserueris conditorem. Item 8. lib. de Trinitate: Cum aliqua non amentur nisi quia bona sunt: pudeat eis inhærendo non amare ipsum bonum vnde bona sunt.

CAPVT IV.

De his quæ valent ad hoc vt aliquis ametur à Deo.

Vt amemur à Deo quæ necessaria.

DIcto de his quæ possunt hominẽ incitare vt Deũ amet, dicendum est de his quæ faciunt ad hoc vt aliquis ametur à

Deo. Septem vero sunt quæ ad hoc valere possunt. Primum est sapientia. Sap. 7. *Sapientia infinitus thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt participes facti sunt amicitiæ Dei.* Et in eodem. *Neminem diligit* Deus *nisi eum qui cum sapiētia inhabitat.* Nouit Dominus quod de amicitia stultorū prouenit damnum & dedecus, ideo non vult habere amicitiam cum stultis. Prouer. 14. *Acceptus est regi minister intelligens.* Secundum est munditia quæ effectus est sapientiæ Iac. 3. Quæ desursum est sapientia, primum quidem pudica est: id est, pudicū faciens. Propter munditiam vocatus est Ioannes discipulus quem diligebat Iesus. Ioan. vlt. Prou. 22. *Qui diligit cordis munditiam propter gratiā labiorum suorū, amicum habebit regem.* Cant. 6. *Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Puritate. n. delectatur. Sap. 6. Incorruptio facit proximum esse Deo. Tertium est mansuetudo quæ multum assimilatur Deo, cuius bonitatem alicuius malitia non perturbat: & ideo Deo amabilem facit propter mansuetudinem. Moyses erat mansuetissimus super omnes homines qui morabātur super terram. Numer. 12. specialiter amicus Dei fuit: Eccles. 45. *Dilectus* Deo & *hominibus Moyses.* Quartum est liberalitas quæ multum assimilatur Deo, qui ex liberalitate fecit quidquid fecit, creaturas rationales vt eis daret alias creaturas, vt eas daret. Seneca. Qui dat beneficia. Deum imitatur. Maxime vero Deum imitabitur qui pauperibus nihil iudicauerit, quam misereri, pretiosius. Liberalitas ratione similitudinis, hominem reddit Deo amabilem. 2. Corinth. 9. *Hilarem datorem diligit Deus.* Quintum est humilitas propter quam Dauid fuit vir secundum cor Dei. 1. Reg. 15. Matth. 2. In signum amoris quem habet Deus ad humiles, Deus amplexatus est paruulum. Et Beniamin frater minimus. Genes. 43. vocatur amantissimus Domini, & Deut. 33. Sextum est dilectio. Diligit enim Dominus eos qui se diligunt: alioquin esset infidelis. Bern. in epistolis: Nemo se amare diffidat qui iam amat. Libenter Dei amor nostrum quem præuenit subsequitur. Nam quomodo reamare digebit, quos amauit nec dum amantes? Septimum est temporalium contemptus. Matth. 19. *Si vis perfectus esse, &c.* Gloss. interli. In dilectione Dei. Seneca: Nemo dignus Deo qui opes non contempserit. Temporalia amata inquinant. Iuxta verbum Bernard. Ideo anima temporalia amans, quasi inquinata indigna est Dei amore. Augustin. in lib. Soliloquiorum: Si alicuius pulchræ fœminæ amore flagrares, iure se tibi non daret si aliud à te quicquam præter se amari comperisset. Sic qui in bonis contemptibilibus amorem suum ponit, Dei amore est indignus.

CAPVT V.

De modo amandi Deum.

SEquitur de modo amandi Deum. Modus autem diligēdi Deum, est sine modo diligere, vt ait Bern. in lib. de diligēdo Deo. Idem ad fratres de monte Dei: In dilectione Dei non alia ratio, nō alia discretio est: nisi vt sicut ille cum dilexisset nos, in finem dilexit nos: sic si fieri potest, nos in infinitum diligamus eum. Sicut beatus vir qui in mandatis eius cupit nimis. Sed cum nullum finem vel terminum habere debeat deuotio amantis: tamem terminos suos & fines & regulas habere debet actio operantis. Idem etiam ostendit modum amandi Deum esse, vt amemus eum quantum possumus, dicens ita; Deus meus adiutor meus, diligam te pro dono tuo, & modo meo, minus quidem iusto, sed planè non minus posse meo: qui & si quantum debeo non, possum non possum tamen vltra quam possum. Potero vero plus cum plus donare dignaberis, nunquam tamen prout dignus haberis. Modus etiam amandi Deum ostenditur Deut. 6. his verbis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota*

fortitudine tua. Item Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & in tota mente tua.* Verba Deut. videntur pertinere ad illas tres vires animæ, quæ sunt, vis rationalis, vis concupiscibilis & irascibilis. Fortitudo enim quæ tertio loco ponitur, ad irascibilem pertinet. Verba voro Matthæi videntur pertinere ad illas tres vires animæ: quæ sunt intellectus, voluntas, & memoria. Vnde mens cuius est memorari, tertio loco ponitur. Luc. vero 10. vtrumque videtur tangere, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Et accipias idem per hoc quod dicitur, ex omnibus viribus tuis: & per hoc quod dicitur in Deut. ex tota fortitudine tua. Et notandum quod secundum Greg. ista verba, *Ex toto corde tuo, &c.* & ad inculcationem ponuntur. Secundum Aug. totalitas ista aliter accipienda est prout competit statui patriæ: aliter prout competit statui vitæ. Secundum quod competit statui patriæ, attenditur in hoc totalitas ista, quod omnes motus animæ ad Deum referantur: & sic non impletur in vita præceptum illud: nisi forsitan ad tempus breue à viris perfectissimis. Tamen secundum Aug. ideo præcipitur; quia non recte curritur si quò currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur si nullis præceptis ostenderetur? Et in præcepto affirmatiuo potuit præcipi quod non potest in vita impleri: quia præcepto affirmatiuo non obligatur quis vt illud impleat semper; sed vt impleat illud loco & tempore. Nullum vero præceptum negatiuum potuit esse simile huic. Illud enim obligat vt semper impleatur: & ideo necessario hominem faceret transgressorem. Bern. Mandata impossibilia non fecerunt transgressores homines, sed humiles. Secundum vero quod competit statui vitæ, totalitas ista in hoc attenditur, quod nullus motus sit in anima amori Dei contrarius, nec aliquid præter Deum propter se ametur. Ad primum pertinet illa expositio August. Toto corde, id est, intellectu, sine errore: tota anima, id est, voluntate, sine contradictione: tota mente, id est, memoria, sine obliuione. Ad secundum pertinet quod dicit Augustinus in libr. 3. de doctrina Christiana, cum ait. Toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit quæ vacare debeat, & quasi locum dare & alia re velit frui: sed quicquid aliud diligendum venerit in animum illuc rapiatur quo totus dilectionis impetus currit. Frui, est amore inhærere alicui rei propter se ipsam: vt ait Augustinus. Idem Augustin. in lib. Soliloquiorum: Ego non puto vllarum rerum vocandam cupiditatem, quæ propter aliud requiruntur. Idem in eodem: Iam certe ostendisti nihil aliud me amare quam sapientiam. Siquidem quod non propter se amatur, non amatur. Ego autem solam per se amo sapientiam, cætera vero adesse mihi volo, vel deesse timeo propter ipsam. Loquitur da Sapientia increata. Contra totalitatem siue perfectionem amoris diuini, solus ille amor est, quo amatur aliquid præter Deum, non propter Deum. Augustin. 10. libr. Confessionum: Domine, minus te amat qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Modus ergo amandi Deum est, vt ipse ametur super omnia, & propter se; secundum Bernardum vero sic exponitur verbum prius positum: *Diliges, &c. toto corde*: id est sapienter: *tota anima*, id est dulciter: tota virtute, id est fortiter, vel perseuerãter. Idem: Disce Christiane à Christo, quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter, prudenter, fortiter: dulciter, ne illecti: prudenter, ne decepti: fortiter, ne oppressi ab amore Domini auertamur. Idem: Non abduci blanditiis, nec seduci fallaciis, nec iniuriis frangi: toto corde, tota anima, tota virtute diligere est. Idem exponens quid sit amare dulci-

ter, sapienter & fortiter. Dulciter, inquit, amat, qui Christo passo compatitur, compungitur & mouetur. Sapienter amat, qui ab Ecclesiastici sensus puritate nulla deuiat verisimilitudine, & qui discretionis metam nulla superstitione, vel leuitate, vel spiritus feruentioris vehementia deserit. Amor fortis est, cum nec vlla vi laborum, vel tormentorum, vel etiam metu mortis iustitia deseritur. Itam toto corde Deum diligit, qui gloriam in solo Deo quærit. In corde enim magnanimitas petinens ad vim irascibilem intelligitur. Anima vero potest referri ad concupiscibilem, cuius est velle. Mens vero cuius est meditari, ad rationalem. Totis ergo his tribus viribus aliquis Deum amat, quum vis rationalis à solo Deo desiderat, & ab eo solo se posse sapientem fieri credit: & quum vis concupiscibilis reputat Deum gaudium suum, & in illo gaudere quærit; & quum vis irascibilis in illo solo gloriari desiderat, aliam gloriam contemnens. Item notandum, quod toto corde siue intellectu Deum amat, qui intellectum suum in obsequium Christi captiuat, & qui studium suum Christo dat, & ad visionem Dei toto desiderio anhelat. De primo legitur 2. ad Corinthios 10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Et notandum quod quadruplex debet esse captiuatio intellectus nostri. Prima, vt in his quæ sunt fidei, Deo obediamus. Hilarius: Soli Deo de se credendum est, qui se solus nouit. Secunda, vt male de nobis, & bene de proximo sentiamus. Seneca: Quod homines libenter faciunt de aliis, de te apud te male existima. Tertia, vt sensum superioris nostri, sensui nostro præferamus: quod maxime faciendum est in religione. Bernardus: Lignum in paradiso scientiæ boni & mali, censura discretionis est in conseruatione religionis penes patrem spiritualem, qui diiudicat omnia, ipse à nemine iudicatur, ipsius est discernere, aliorum obedire. Quarta, vt circa nosmetipsos intendentes, ab aliis oculos auertamus. Bernardus: Temetipsum sollicite custodi, & vt temetipsum custodias, ab omnibus oculos auerte. Christo studium suum dat, qui ea quibus adiuuamur in Deum, ab eis quibus impedimur, sagaciter secernit, quod est prudentiæ: vt dicit August. Item qui doctrinam, Christum nescientem fastidit. Bernard. Si disputes, aut conferas, non sapit mihi nisi sonuerit ibi Iesus. Item qui in creaturis Deum intelligit. August. Væ illis qui diligunt nutus tuos pro te. Nutus tui sunt omne creaturarũ decus. Tota anima, siue tota voluntate amat, qui perfecte obedit, quem nec timor mali transitorij exterret, nec amor boni transitorij ab obedientia retrahit. Tota mente, seu memoria Deum diligit, qui ea quæ Deo displicent, & ab amore eius impediunt, obliuioni tradit: vt sunt iniuriæ nobis illatæ, quæ dum recogitantur, sunt quasi ferrum in vulnere, quod vulneris sanationem impedit. Item qui ea quæ ad honorem Dei pertinent & salutem animarum memoriæ infigit, & quem magnus amor Dei de alio quam de Deo diu cogitare non sinit, sicut solet accidere fatuè amantibus, qui non possunt obliuisci id quod amant. Bernardus super Canticum. O amor impetuose, qui præter te cogitare aliud non finis! Deus vult habere amorem cordis nostri integrum. Prouerb. 24. *Præbe fili mi cor tuum mihi.* Leuit. 3. *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo.* Augustinus in sermone: Totum exigit te qui fecit te. Sed noli tristis esse, quasi nihil vnde gaudeas remaneat in te. Ex hoc enim diligit te, quod diligis Deum ex toto corde. Nec mirum si Deus velit habere cor integrum, quum sufficiat illud implere. Et notandum quod amor Dei debet esse rectus, strenuus, & lætus, desideriis plenus. Rectus, vt Deus propter se ametur, non propter temporalia. Augustinus 15. libro de Ciuitate Dei. Boni ad hoc vtuntur modo, vt fruantur Deo. Mali au-

Quid dicatur Deum toto corde diligere

C[illegible] a[illegible] D[illegible] d[illegible]

tem contra, vt fruantur mundo vti volunt Deo. Augustinus: Vti est id quod in vsum venerit, referre ab obtinendum illud quo fruendum est: aliàs abuti est, non vti. Amor quo aliquis amat Deum propter temporalia, contumeliosus est Deo. Temporalia enim præfert ei. Propter quod enim vnumquodque amatur, illud magis amatur. Item est quasi amor meretricius. Meretrix enim amatorem suum depauperatum abiicit. Hierem. 3. *Quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel.* Hoc accidet tempore Antichristi, quando Christus erit quasi pauper: spoliabuntur enim qui ei adhærebunt. Amor talis etiam est caninus. Canis enim os nudatum carne deferens, strenuus debet esse. Poëta: *Amor odit inertes.* Item: *Militiæ species amor est, discedite segnes: Non sunt hæc timidis signa ferenda viris.* Item: Audacem faciebat amor. Item: Nil certe est quod non effræno captus amore ausit. Lætus etiam debet esse, dum tolerat dura pro eo quem amat. Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij: quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*, desideriis plenus: quum enim maior ignis sit, scintillæ desideriorum ex ipso emicat. Daniel. 9. *Vir desideriorum es.* Esa. 26. *Anima mea desiderabit te in nocte.* Gal. 4. Dauid. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.* Bernardus super Canticorum. Anima amans fertur votis, trahitur desideriis: Item amor facundus est: Poëta: *Facundum faciebat amor.* Philosophus: Verborum abundantiam transmittit affectio. Amans sui ipsius obliuiscitur. Augustinus de verbis Domini: Oblita est anima seipsam, sed amando mundum. Nunc obliuiscatur se, sed amando artificem mundi. Item amans dolores corporis non sentit. Bernardus: Non mirum si exul à corpore dolores non sentiat corporis: neque hoc facit stupor, sed amor. Submittitur enim sensus, non amittitur; nec deest dolor, sed contemnitur. Item amor dignitatis est nescius. Bernardus in libro de consideratione: Amor dominum nescit. Agnoscit mater filium & in insulis. Idem super Canticum. Anima amans maiestati oculos claudit, aperit voluptati. Idem loquens de anima ardenter amante, Proprio inebriatur amore, vt maiestatem non cogitet. Qui enim respicit terram, & facit eam tremere, & ista se ab eo postulat osculari, ebriane est? Ebria prorsus. Amor etiam omnia vincit. Bernardus super Canticum. Præceps amor nec iudicium præstolatur, nec consilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi subiicitur. Item: Quid violentius triumphat de Deo? Amor. Quid tamen tam non violentum quam amor? Quæ ista vis, quæso, tam violenta ad victoriam? tam victa est violentia? Bernard. super Canticor. Magna est & violenta vis charitatis ipsum effectum Dei attingens & penetrans, & velut sagitta iecur eius transfigens. Canticor. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.*

Capvt VI.

De diuersis speciebus diuini amoris.

Notandum quod quadruplex est amor Dei. Primus est naturalis, quo amore omnes amant Deum & boni & mali. Augus. in libro Soliloqui. Deus, quem amat omne quod amare potest, siue sciens, siue nesciens. Secundus est amor quo aliquis amat Deum, eo quod cognoscit eum sibi necessarium. In Psalm. *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, &c.* Tertius est amor quo aliquis Deum amat propter delicias quæ in eo sunt Sapient. 8. *Et amator factus sum formæ illius.* Quartus est amor amicitiæ quo aliquis amat Deum, eo quod dignissimus sit amore: qui amor est pure gratuitus. Bern. super Canticum. Amat

Amor Dei quadruplex.

caste, qui ipsum quem amat quærit, non aliud quicquam ipsius. Itam super Canticum. Amor per se sufficit: is per se placet & propter se ipse meritum, ipse præmium est sibi. Tres vltimas species amoris videtur tangere Bernard. in libro de diligendo Deo, his verbis: Natura ita condita fuit, vt habeat iugiter necessarium protectorē quem habuit & conditorem, vt quæ nisi per ipsum non valuit esse, sine ipso nec valeat subsistere: quod sane ne de se creatura ignoret, & sibi, quod absit, eroget beneficia creatoris, vult hominem idem conditor, tribulationibus exerceri, vt cum defecerit homo, & subuenerit Deus, ab homine vt dignum est honoretur. Hoc enim dicit: *Inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.* Fit itaque hoc modo vt homo qui præter se neminem diligere nouerat etiam Deum vel propter se diligere incipiat, qui in ipso nimirū, vt sæpe expertus est, omnia possit quæ posse prosit, & sine ipso possit nihil. Amat ergo Deum, sed propter se, non propter ipsum. At si frequens ingruerit necessitas, ob quā & frequens ad Deum fiat conuersio, & à Deo frequens liberatio conferatur. Nonne & si fuerit ferreum pectus, vel cor lapideum, per toties liberari emolliri necesse est ad gratiam liberantis, quatenus homo Deum diligat, non propter se tantum, sed propter ipsum? Ex occasione quippe frequentium necessitatum, crebris necesse est interpellationib. Deū ab homine frequentari, frequentādo gustari, gustādo probari: quoniam suauis est Dominus. Ita fit vt ad diligendum pure Deum, plus iam ipsius alliciat gustata suauitas, quam vrgeat nostra necessitas. Suauitatem potes intelligere vel eius delectabilitatem, vel benignitatem.

Psal. 49.

Capvt VII.

De signis diuini amoris.

Signa decem amoris diuini.

DEcem sunt signa quibus perpendi potest vtrum aliquis amet Deum. Primum est cum aliquis libenter cogitat de Deo. Vbi enim amor, ibi oculus. Vnde super illud Io. 20. *Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum?* dicit glos. Non dicit quem: quia hoc in animo agere solet vis amoris, vt quem semper cogitat, nullum alium ignorare credat. Sap. 6. *Cogitare de illa sensus est consummatus*, loquitur de Sapientia increata. Secundum est, quum aliquis est libenter in domo Dei. Lucæ 2. dicitur de Anna quod non discedebat de templo, quæ meruit interesse præsentationi Domini in tēplo. Et Christus quum esset duodecim annorum, inuentus est in templo. Luc. 2. qui matri suæ & Ioseph ait: *Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Et super illud Matth. 21. *Intrauit Iesus templum*, dicit Gloss. Ingressus vrbem, primo templum adiit: dans formam religionis, vt quocunque imus, primum domum orationis, si ibi est, adeamus. Chrysost. Proprium erat boni filii, vt veniens primo ad domum curreret Patris. Tu autem imitator Christi factus quum in aliquam ingressus fueris ciuitatem, primo ante omnem actum ad ecclesiam curras. Tertium est, cum aliquis de Deo vel cum Deo libenter loquitur. De hoc habemus exemplum in Magdalena quæ Christum dilexit multum: cuius verba quæ habentur in euangelio vel de Deo, vel cum Deo fuerunt. Vnde habes Ioann. 11. *Domine*, inquit, *si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Alia tria habes Ioann. penul. *Tulerunt* (inquit) *Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.* Et paulo post: *Domine si sustulisti eum, dicito mihi, & ego eum tollam?* Et iterum: *Venit Maria Mag. annuntians discipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.* 1. Pet. 4. *Si quis loquitur quasi sermones Dei.* Et super illud Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi?* Dicit Chryso. Hic amantium mos est, vt amorem suum silentio tegere nequeant: sed necessariis & charis suis efferunt & produnt, flammas intra pectus suum cohibere non possunt. Enarrant fre-

quentius, vt ipsa assiduitate narrandi solatium amoris sui capiant, & refrigeria immensi ardoris assumant. Sic ergo facit hic beatissimus amator Christi. Quartum est, quum quis libenter Deum audit, & audita ab eo retinet memoriter. Luc. 2. *Maria conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Eiusd. *Magdalena sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.* Ioan. 14. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* Quintum est, cum quis libenter dat pro Deo. Canticor. vltim. *Si dederit homo omnem substantiam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Et Luc. 7. dicit Dominus de Magdalena post beneficia eius enumerata. *Dimittuntur ei peccata multa: quoniam dilexit multum.* 1. Ioann. 3. *Qui habuerit substantiam mundi huius, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Sextum est, quum aliquis pro Deo libenter patitur. Eccl. *In igne probatur aurum & argentum: homines autem receptibiles camino humiliationis.* Ioann. 18. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam?* Greg. in prima parte Moralium: Pœna quippe interrogat si quietus quis veraciter amet. Septimum est, quum mandatis Dei aliquis obedit. 1. Ioann. 5. *Hæc est charitas Dei vt mandata eius custodiamus.* Item 2. Ioan. *Hæc est charitas vt ambulemus secundum mandata eius.* Ioann. 4. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Specialiter signum diuini amoris est, si quis seruat illud mandatum, quod Saluator specialiter dicit suum. Ioann. 15. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem* 1. Ioa. 14. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum diligat fratrem suum.* Maxime amor pauperum signum est diuini amoris. Illi enim non amantur propter se, sed propter Deum. Prouerb. 19. *A paupere, & amici quos habet separandum.* In eodem: *Fratres hominis pauperis oderunt eum, & amici procul recesserunt ab eo.* Octauum est, quum quis amat quæ Deo placent, & odit quæ Deo displicent. Ad primum monemur exemplo Christi. Matt. 12. *Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ille meus frater, & soror, & mater est.* Ad secundum, exemplo Dauid: *Iniquos odio habui.* Idem: *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? &c.* Item: *Defectio tenuit me pro peccatoribus &c.* Item: *Vidi præuaricantes & tabescebam.* Ambrosius super Beati immaculati. Si is qui non relinquit parentes propter nomen Dei, non est Deo dignus: quanto magis qui diligit eius inimicos acceptus Deo esse non poterit? Hieronymus in epistolis: Nationes ad uersariorum immortali odio persequimur: blasphemantibus Deum clementem porrigimus manum. Ambrosius in Hexame. Quid nos dignum nostro referimus creatori, cuius cibo vescimur, & dissimulauimus iniurias? Nonum est, quum quis frigescit à sollicitudine & amore mundi. Gregor. Tãto frigescit quis à curis seculi, quanto surgit ardentius in amorem Dei. Item Iacob, qui angelum renuit, vno mox pede claudicauit: quia qui vero amore sublimia respicit, iam in hunc mundum duplicibus desideriis incedere nescit. Decimum est, quum aliquis magnum honorem exhibet ministris Dei: sicut qui eos spernit, Deum spernit. Matth. 10. Sic qui eos honorat, Deum honorat Ecclesiast. 7. *In omni virtute tua dilige Deum qui te fecit, & ministros eius ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica sacerdotes.*

Ps. 118. Ps. 138. Psal. 118. Ps. 118.

Capvt VIII.

De his quæ incitant ad amandum proximum.

NOtandum quod licet debeamus amare Deum, & nos, & proximum: tamen non habemus speciale præceptum de amore nostri, nec specialis tractatus erit hîc de amore illo, eo quod amare Deũ sit amare se ipsum. Vnde Au. Ille solus se

nouit diligere, qui Deum diligit. Siquidem ille se satis diligit, qui sedule agit vt summo & vero fruatur bono: quod si nihil aliud est quam Deus, quis cunctari potest, quin sese amet qui amator est Dei? Item Aug. Quum illa dilectione quam Deus imperat, debeat homo diligere Deũ, & seipsum, & proximum: non tamen ex hoc tria præcepta data sunt: vt intelligatur nullam esse aliam dilectionem, qua quisque diligit seipsum, nisi quod diligit Deum. Qui n. aliter diligit se, potius se odisse dicendus est. De amore vero proximi hoc modo dicetur. Primo dicetur de illis quæ possunt incitare ad hoc vt amemus proximum. Secundo de his quæ possunt valere ad hoc vt amemur à proximo. Tertio de modo amandi eum. Quarto de diuersis speciebus huius amoris. Circa primum notandum quod ad amandum proximum, Primo potest nos incitare sacra Scriptura quæ totiens ad hoc monet. Leuit. 19. *Diliges amicum tuum sicut teipsum.* Et in eodem: *Diligetis aduenam quasi vosmetipsos.* Et Deut. 10. *Amate peregrinos.* Matt. 22. & Luc. 10. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Ioan. 13. *Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem.* Idem 15. Et 1. Io. 4. *Charissimi diligamus nos inuicem.* Et specialiter illa scriptura deberet nos incitare ad hoc, quæ ostendit præceptum de dilectione proximi, specialiter esse præceptum Saluatoris. Ioa. 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem &c.* Legitur in vita beati Io. Euangelistę, quod cum ipse deuenisset ad vltimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad ecclesiam deferretur, nec posset plura docere verba, ad quamlibet pausam hoc dicebat: Filioli, diligite alterutrum. Tandem discipuli & fratres qui aderant audientes quod eadem verba semper diceret, dixerunt: Magister, quare semper hæc loqueris? qui respondit: Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.

Ad amãdũ proximum sacra scriptura hortatur.

Hoc præceptum lucidum est & breue, vtile & leue. Tale siquidem debuit esse præceptum optimi præceptoris. Dionys. Optimi est optima adducere. Lucidum debuit esse, ne quis dicat: non mihi licuit intelligere. Breue ne quis dicat: tædet me legere. Lucidum decuit esse præceptum eius qui erat Lux vera. Ioan. 1. & Psal. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Decuit Verbum æternum in incarnatione abbreuiatum abbreuiare legem. Decuit etiam vtile esse præceptum illius qui ad hoc venerat, vt se totum in vtilitatem nostram expenderet. Hier. O nimiam Dei clementiam! ô ineffabilem Dei benignitatem! præmium nobis pollicetur, si nos mutuò diligamus, & si nobis ea præstemus inuicem quibus inuicem indigemus. Et nos superbo simul & ingrato animo ei renitimur, cuius imperium beneficium est. Decuit etiam esse leue præceptum benignissimi domini. Matth. 11. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Vere leue est hoc præceptum, quum à quolibet possit impleri, & à paupere & à diuite, ab infirmo & sano. Non est necesse emere oues & boues, vel ire vltra mare vt hoc præceptum impleatur. Deut. 29. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, &c. sed iuxta te est sermo valde in ore tuo & in corde tuo, vt facias illum.* Dicebat præceptum eius qui venerat legem implere, esse legis plenitudinem: plenitudo autem legis est dilectio. Rom. 13.

Psal

Secundo potest incitare ad amorem proximi, amor quem videmus inter animalia irrationabilia eiusdem speciei. Eccles. decimo tertio: *Omne animal diligit simile sibi.* Et post. *Omnis caro ad similem sui coniungetur.* Si lupus & leo, & serpens non exercent illam ferocitatem in animalia quæ sunt suæ speciei quam exercent in alia, quid dicendum est de homine qui desæuit in alium hominem nisi quod ferocior est lupo, leone, & serpente? Etiam ipsa aqua quæ naturaliter habet pugnam cum igne, pacem habet cum alia aqua quæ est eiusdem speciei cum ea. Tertio fraternitas

Sim tud

Fra nita natu rali

nitas naturalis quæ est inter omnes homines. Aug. in lib. de disciplina Christiana: Si putamus non esse proximos, nisi qui de eisdem parentib. nascũtur, Adam & Euam intendamus, & omnes fratres sumus. Idem 12. lib. de Ciuit. Dei: Nihil tam discordiosum vitio, tam sociale naturæ, quam genus humanum. Propterea Deus voluit creare parentem vnum de quo multitudo propagaretur: vt hac admonitione etiam in multis concors vnitas seruaretur. Quòd vero illi fœmina ex eius latere facta est, etiam hinc satis significatum est, quam chara mariti & vxoris debeat esse coniunctio. Malac. 2. *Nunquid non pater vnus est omnium nostrum? quare ergo despicit vnusquisque vestrũ fratrem suum?* Voluit Deus vnicum hominem primo formare, ex quo omnes procederent, vt tanquam fratres omnes homines se amarent. Non sic legimus factum in angelis, vel animalibus brutis. Dilectio est debitum naturale, quo vnus homo obligatus est alteri, à quo debito nullus absoluitur quantumcunque ab eo saluatur. Vnde super illud Rom. 13. *Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis*, dicit gl. Aug. Sola charitas quæ etiam reddita semper detinet debitorem. Sen. Hæc societas diligenter & sancte est obseruanda, quæ nos omnes omnibus miscet & iudicat aliquod esse commune ius generis humani. Plurimùm quoque ad interiorem societatem amicitiæ colendam proficit. Omnia enim cum amico communia habebit, qui multa cum homine. Ius commune generis humani videtur contineri in illis duobus mandatis. Quod ab alio tibi oderis fieri, vide tu ne aliquando alteri facias. Tob. 4. & Matth. *Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos eadem facite illis.* Item Seneca. Mihi ab istis subtilius præcipi malo, quid amico præstare debeam, quid homini, quam quot modis dicatur amicus, & homo quam multa significet. Idem: Sapientiæ homo pro amico est: stultitiæ amicus non est pro homine.

Quarto, fraternitas spiritualis, de qua August. in lib. de disciplina Christiana: Omnes quidem fratres secundum quod homines sumus: quanto magis secundum quod Christiani sumus? Ad id quod homo es, vnus pater fuit Adam, vna mater fuit Eua: ad id quod Christianis, vnus pater est Deus, vna mater Ecclesia. Hæc fraternitas tanto est melior fraternitate naturali, quanto meliorem habet Patrem Deum. Matth. 13. *Et patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim Pater vester qui in cœlis est.* Item quanto melior est mater Ecclesia matre carnali: est melior hæreditas cælestis quam temporalis. Heb. 10. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Si amandi sunt fratres qui diuidendo hæreditatem portionem vniuscuiusq; minorem faciunt, quantùm amandi sũt fratres illi qui portionem vniuscuiusq; augent? Quanto enim plures erunt electi, tanto amplius gaudebunt. Plus enim gaudebit vnus electorum de gloria animæ alterius, quam de gloria propij corporis. *Spiritualis.*

Quinto debet incitare ad amorem proximi exemplum Christi. Non enim est despiciendus quem Christus ita charum habuit quod pro eius redemptione mori voluit. Appende proximum tuum hoc pretio ne tibi vilescat. Apoc. 1. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Ad Tit. 2. *Qui dedit semetipsum pro nobis.* Exemplo suo voluit Christus nos ad hoc incitare, cum dicit Ioan. 15. *Sicut dilexi vos.* *Exẽplũ Christi.*

Sexto exemplũ angeli qui adeo amat hominem, vt custodiat eum in omnibus viis suis. Non est despiciendus homo ab homine, qui adeo charus est angelo. Matt. 18. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis quia angeli eorum semper vidẽt faciem Patris mei qui in cælis est.* *Angeli factum.*

Septimo, quod fraterna dilectio tantũ placet Deo. Eccl. 25. In tribus beneplacitum est spiritui meo quæ sunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum, *Ob cõplacitũ Dei.*

amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes. Octauo, similitudo quam habet proximus ad Deum. Licet aliquis amet omnes filios amici sui: tamen specialem habet amorem ad eum qui amplius amico suo est similis. Sic licet ad omnia opera Dei amorem habere debeamus: tamen specialiter ad hominem, quem constat esse factum ad imaginem & similitudinem Dei. Gen. 1. Nono, quia membrum est corporis cuius est caput. 1. Cor. 12. *Vos estis corpus Christi.* Non amat caput qui non amat membra. Decimo, quod membrum est eiusdem corporis, cuius & ipse: naturaliter vero amor est inter membra vnius corporis. Rom. 12. *Multi vnum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra.* Vndecimo, emolumentum multiplex quod sequitur ex hac dilectione. Ecclesiast. 4. Melius est duos esse simul, quam vnum. Habent enim emolumentum societatis suæ. Quinque sunt emolumenta huius sanctæ societatis. Primum est victoria. Vnde subditur Eccles. 4. *Si quis præualuerit contra vnum: duo resistunt ei.* Prouerb. 18. *Frater qui iuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Goliath inuitat ad singulare certamen. 1. Reg. 17. E contrario Moyses ait Exod. 32. *Si quis est Domini, iungatur mihi.* Ambr. Omnis pugna vnanimiter aggressa victoriam parit. Secundum est, bonorum abundantia. Quod enim homini deest in se, habet in amico suo: & ad quod impotens erat per se, potens efficitur eo sibi coniuncto. Tullius de Amicitia: Virtutum amicitia adiutrix à natura data est, non vitiorum comes, vt quæ solitaria non posset virtus ad ea quæ summa sunt peruenire, coniuncta & consociata cum altera perueniret. Tertium est impetratio eius quod in oratione petitur. Matth. 18. *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcunque petierint: fiet illis à Patre meo qui in cœlis est.* Quartum est mutua exhortatio, Eccles. 4. *Vnus enim quomodo calefiet?* Quintum consolatio, Prouerb. 27. *Vnguento & variis odoribus delectatur cor, & bonis amici consiliis anima dulcoratur.* Tullius de Amicitia: Solem de mundo tollere videntur, qui amicitiam de vita tollunt: quia nihil à Deo melius habemus, nihil iucundius. Item Tullius. Quoniam res humanæ fragiles sunt & caducæ, semper acquirendi sunt quos diligamus, & à quibus diligamur. Charitate enim beneuolentiaque sublata, omnis est de vita ablata iucunditas. Duodecimo, damnum quod facit fraternum odium vel discordia. Hoc enim facit in corpore Ecclesiæ quod facit diuisio continuitatem in humano corpore, ex qua sequitur dolor magnus & quandoque mors. Ideo Saluator multum rogat pro vnitate Ecclesiæ. Ioann. 17. *Pater sancte, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi: vt sint vnum sicut & nos.* Item in eodem: *Non pro eis rogo tantum: sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint.*

Ob similitudinem ad Deũ. Quia Mẽbra Dei.

15. ob emolumẽtũ multiplex.

Capvt IX.

De his quæ valere possunt ad hoc vt quis ametur à proximo.

Est notandum quod licet vtrunque sit appetendum, & amare proximum & amari ab ipso: tamen magis appetendum est amare, quam amari. Beatius est magis dare, quam accipere, Actor. 20. *Qui solum amari volunt, ignem esse volunt in domo proximi sui, & ipsi in domo propriæ conscientiæ frigore pereunt.* Ipsi etiam pretiositatem proximis suis & bonis eorum desiderant, de pretiositate vero sua bonorum propriorum non curant. Charitas enim, vt prius ostensum est, pretiositas est hominis & operum ipsius. Et notandum quod multa sunt quæ valere possunt ad hoc vt aliquis ametur à proximo. Primum est, modestia in sermone Eccles. 20. *Sapiens in verbis amabilem se facit: gratiæ autem fatuorum effundentur.* Secundum est similitudo, quæ multum facit ad

amorem, & sicut dissimilitudo ad odium, Eccl. 27. *Volatilia ad sibi similia conueniunt.* Ambr. super Psalmum, *Beati immaculati.* Est insitum bonis, vt vnusquisque virtutes suas in aliis amet. Econtrario, Oderunt hilarem tristes, tristemque iocosi. Virtus etiam hominem amabilem reddit. Tullius de Amicitia: Nihil est virtute amabilius, nihil quod magis alliciat ad diligendum. Quippe cum propter virtutem & probitatem, etiam eos quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus. Item in eodem: Tanta est vis probitatis vt eam vel in eis quos nunquam vidimus, vel quod maius est, in hoste diligamus. Valet etiam ad hoc quod aliquis ametur specialiter, virtus mansuetudinis, Ecclesiast. 3. *Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriam hominum diligeris.* Mansuetudo ad modum adamantis habet virtutem attractiuam, Ezechiel. 3. *Vt adamantem & silicem dedi faciem tuam.* Valet etiam ad hoc quod aliquis ametur, fidelitas, Ecclesiast. 33. *Si est seruus fidelis tibi: sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic tracta eum.* Ecclesiastic. 29. *Dilige proximum, & coniungere fide cum illo.* Et eiusdem 6. *Amico fideli nulla est comparatio.* Et iterum: *Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis.* Valent etiam ad idem obsequia & beneficia. Terentius in Andria: Hoc tempore obsequium amicos, veritas odium parit. Ignis amoris lignis beneficiorum debet nutriri, alioquin deficit. Obsequia etiam feras ad amorem incitant, & inimicos amicos efficiunt, ad Rom. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius:* id est, cor eius accendes ad te amandum. Notandum tamen quod beneficia non parant amicitiam, nisi quum discrete dantur. Ecclesiast. 20. *Fatuo non erit amicus, & non erit gratia in bonis illius, qui enim edunt panem illius, falsæ linguæ sunt.* Quoties, & quanti irridebunt eum? Neque enim quod habendum erat ab alio, scilicet directo sensu, distribuit, similiter & quod non erat habendum, ipse indiscrete dat danda & similiter non danda: propterea sapientia dicitur esse mater pulchræ dilectionis Ecclesiast. 24. Discretio enim requiritur ad acquirendum amicum. Seneca: Nullum habet maius malum occupatus homo & bonis suis obsessus, quam quod amicos sibi putat quibus non ipse est: quod beneficia sua efficacia iudicat ad conciliandum amicos, cum quidam quo plus debent, magis oderint. Quid ergo? Beneficia non putant amicitias? Parant si accepturos licuit eligere: si collocata, non sparsa sunt. Itaque dum incipio esse mentis tuæ, interim hoc consilio sapientum vtere, vt magis existimes pertinere ad rem quis quam quid acceperit. Tullius in Rhetorica: Melius apud bonos, quam apud fortunatos beneficium collocatum est. Inter omnia maxime valet ad hoc quod aliquis ametur, si ipse primo amauerit. August. Nulla est maior ad amorem inuitatio, quam præuenire amando. Et nimis durus est amicus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere. Seneca in Epistolis: Quæris quomodo amicum facturus sis cito? Ego tibi monstrabo amatorium, sine medicamento, sine herba, sine vllius veneficæ carmine: Si vis amari, ama. Item vt ameris, amabilis esto.

Capvt X.

De modo amandi proximum.

Notandum quod scriptura sacra triplex exemplar nobis ministrat ad ostendendum quomodo proximum amare debeamus. Primum est, amor quo Christus amauit nos. Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Secundum est, amor quo amamus nosmetipsos. Matth. 22. & Luc. 19. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Tertium est, amor quem habent membra eiusdem

Modus amandi proximum.

corporis ad inuicem. Ad Rom. 12. *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo.* De eodem habetur. 1. Cor. 12. Et notandum circa primum, quod Christus amauit nos amore gratuito, scilicet amore gratis dato, non præcedẽtibus meritis nostris reddito. 1. Ioan. 4. *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum: sed quando ipse prior dilexit nos.* Sic amare debemus proximum. Non sic faciunt qui nolunt amare nisi eos à quibus se primo agnoscunt amari. Matt. 5. *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciunt?* Item amauit nos Christus amore recto: quia non propter vtilitatem suam, sed propter nostram: non vt à nobis acciperet, sed vt nobis daret. Seneca in Epistolis: Amicus qui vtilitatis causa assumptus est, tandiu placebit quã-diu vtilis erit. Et iterum: Necesse est vt initia inter se, & exitus congruant. Qui amicus esse cœpit, quia expedit, placebit aliquod pretium illi contra amicitiam, si vllum in ea placet præter ipsam. In quid igitur ego amicum paro? Vt habeam pro quo mori possim, vt habeam quem in exilium sequar, cuius me morti & opponam & impendam. Ista quam tu describis, negotiatio est, non amicitia, quæ ad commodum accedit, quæ quid consecutura sit, spectat. Idem: Sapiens habere amicum vult, sed ob nihil aliud quam vt exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat: non ad hoc vt habeat qui sibi ægro assideat, succurrat in vincula coniecto vel inopi: sed vt habeat aliquem cui ipse ægro assideat, quem ipse circumuentum hostili custodia liberet. Qui se spectat, & per hoc ad amicitiam venit, male cogitat: quemadmodum cœpit, sic desinet. Parauit amicum aduersum vincula laturum opem: cum primum crepuerit catena, discedet. August. ad Macedonium: Vera amicitia non pensanda est temporalibus commodis: sed gratuito amore portanda. Ambros. Amicitia virtus non questus est. Hieronym. in Epistolis: In amicis non res quæritur, sed voluntas. Idem super 12. Prophetas: Delicata amicitia est, quæ amicorum facilitatem & diuitias sequitur. Istiusmodi homines non mihi videntur amicos, sed seipsos diligere. Tullius de Amicitia: Amicitiam non spe mercedis, sed quod omnis fructus in ipso amore est, expectandam putamus. Si vtilitas conglutinaret amicitias, eadem commutata dissolueret. Boetius in lib. de Consolat. Quem felicitas amicum fecit, infortunium fecit inimicum. Item amauit nos Christus amore discreto. Amor discretus est qui personas amat, & vitia persequitur: nec sic personis condescendit quod vitiis implicetur. Bernard. Christus in carnis assumptione cõdescendit mihi, in culpæ vitatione consuluit sibi. Sic amare debemus proximum. Ad Rom. 13. *Dilectio proximi malum non operatur.* Tullius in lib. de Amicitia. Nulla est excusatio, si amicitiæ causa peccaueris. Nam cum conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si virtute defeceris. His sentiatur lex amicitiæ, vt nec rogemus res turpes, nec faciamus rogati. Charitas iugum est à parte anteriori homines ligans. Facit enim eos cõcordes in bono. Amicitia vero mundi à posteriori colligat homines vt vulpeculas Samsonis. Iudic. 15. Facit enim concordes in malo. Item Christus amauit nos amore vehementi. Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Sic debemus amare proximum. 1. Ioan. 3. *In hoc cognouimus charitatem Dei: quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Adeo debemus amare proximum, vt etiam amemus quæ ipsius sunt. Deut. 22. *Non videbis bouem & ouem fratris errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo.* Item amauit nos Christus amore fructuoso nõ vocali solum. Sic debemus amare proximũ. 1. Ioa. 5. *Filioli,*

Qui Deus nos amet

non diligamus verbo, neque lingua: sed opere & veritate. In quibusdam charitas habet linguam magnam, & manum nullam, Gregor. in Moral. Dilectio nostra semper exhibenda est & veneratione sermonis & ministerio largitatis. Idem: Probatio dilectionis est exhibitio operis. Item amauit nos Christus amore perseueranti, Io. 13. *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in fine dilexit eos.* Sic amare debemus proximum. Sed sunt qui eum felicem amant: felicitate vero recedente ab eo, recedunt: hi secundùm veritatem nunquã eum amauerunt. Greg. Cum quis positus in prosperitate diligitur, incertun valde est vtrum prosperitas, an persona diligatur. Amissio felicitatis vim interrogat amoris. Qui in aduersitate proximum despicit, apertè conuincitur quod hunc in prosperis non amauit. Sen. de remediis fortuitorũ: Multi illum comitantur, mel muscæ sequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ: prædam sequitur illa turba, non hominem. Sen. in Epist. Quod tu beneficio tuo scire non potes, paupertatis beneficio scies. Illa veros certosq; amicos retinebit. Discedet, quisquis non te, sed aliud sequebatur. Boetius in lib. Consolat. Hæc aspera fortuna tibi certos sodalium vultus ambiguosq; secernit, discedẽs suos abstulit, tuos reliquit, & nunc amissas opes queri desine, quod pretiosissimum diuitiarũ genus est, amicos inuenisti. Eccl. 12. *Non agnoscetur in bonis amicus, nec abscondetur in malis inimicus.* Eccl. 6. *Est amicus secũdum tẽpus suum, & non permanebit in tempore tribulationis.* Item in eodem, *Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.* Eccl. 37. *Est amicus solo nomine amicus.* Sunt aliqui etiam qui parua occasione de amicis efficiuntur inimici. Eccl. 6. *Est amicus qui cõuertitur ad inimicitiã.* Tullius: Nihil turpius est quam cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris. Ambr. Constans debet esse amicitia, & perseuerare in affectu: nec puerili modo amicos mutare vaga quadã sententia. Tullius: Sodales vetustos nunquam sequentium nouitate fastidias. Procul autem sit videre amicis vti quasi floribus, tandiu gratis quandiu recentib. Eccl. 9. *Non derelinquas amicum tuum antiquum: nouus enim non erit similis illi.* Vinum nouum, amicus nouus: veterascet, & cum suauitate bibes illud. Amicitia est necessarium vitæ humanæ præsidium: sicut temere assumi non debet, sic semel recte apprehensum sperni non conuenit. Circa secundum exemplar notandum, quod illud mandatum, *Diliges proximum tuum sicut teipsum,* dupliciter potest intelligi. Vno modo sic: id est, ad quod teipsũ: sc. ad gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. Vel in ipso teipsum: i. e. in Deo. Aug. de doctrina Christiana: Quisquis recte diligit proximum, hoc cum eo debet agere, vt etiã ipse toto corde: tota anima, tota mente diligat Deum. Vel sic potest intelligi, vt sit sensus: Hoc facias proximo quod tibi vis fieri, quod autem non vis tibi fieri, ei non facias, vt hæc duo præcepta iuris naturalis, quorum vnum habes Matt. 7. aliud. Tob. 4. sint expositiua huius mandati. Isid. in lib. differentiarum: Duo sunt erga proximi dilectionem seruanda, vt beneficij impensione foueatur, & nulla malitia lædatur. Non dicitur, Diliges proximum tuum plusquam teipsum. Videtur plusquam seipsum proximum velle diligere, qui curationi propriæ non sufficiens, curam proximi sui cupit assumere. Bern. super Cantic. Tu frater, cui firma satis propria salus nõdum est, cui charitas adhuc aut nulla est, aut adeo tenera atque arundinea quatenus omni statui cedat, omni credat spiritui, omni doctrinæ circumferatur vento, imo cui tanta est charitas, vt vltra mandatum quidem diligas proximum tuum plusquam teipsum: & rursum tantilla, vt contra mandatum fauore liquescat, pauore deficiat, perturbetur tristitia, auaritia contrahatur, ambitione protrahatur, suspitionib. inquietetur, conuitiis exagitetur, curis euisceretur, honorib. tumeat, liuore tabescat. Tu, inquam, ita in propriis

Diliges proximum & quomodo intelligitur.

teipſum ſentiens ; qua nunc dementia, quæſo, aliena curare aut ambis, aut acquieſcis? Audi quid conſulat cauta vigilque charitas: Non quod aliis, inquit, ſit remiſſio, nobis autem tribulatio: ſed ex æqualitate. Noli nimium eſſe iuſtus, ſufficit vt diligas proximum ſicut teipſum. Greg. in Moral. Magna cura neceſſaria eſt prædicatori vt timoris laceratione ſe mordeat: ne proximum iuuando, ſe deſerat, ne alios erigens cadat. Et notandum, quod cum præceptum ſit vt proximum ſicut nos diligamus: qui ſe non diligit, proximum diligere neſcit. Auguſtinus in lib. de verbis Domini: Vide ſi iam noſti diligere teipſum, & committo tibi proximum quem diligas ſicut teipſum. Si autem non noſti diligere te, timeo ne decipias proximum ſicut te. Idem in lib. de diſciplina Chriſtiana: Si te interrogem vtrum diligas te? Reſpondes, quia diligas: quis enim ſe odit? ergo non diligis iniquitatem: nam ſi diligis iniquitatem, odis te. Non ego dico, Pſalmiſtam audi: *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Idem in eodem: Qui diligis iniquitatem, quomodo tibi volebas committi proximum vt diligeres eum tanquam te, homo qui perdis te? Si enim tu ipſe ſic te diligis vt perdas te: ſic profectò perditurus es eum quem diligis ſicut te. Nolo ergo quemdam diligas: vel ſolus peri, aut corrige dilectionem, aut reſpue ſocietatem. In ſumma notandum eſt, quod modus amandi proximum, eſt vt amemus eum ſuper res tranſitorias, & citra Deum, & propter Deum. Vnde qui proximum diligit debito modo, Deũ plus diligit propter quem proximum diligit. Et ideo manifeſtum poteſt eſſe quomodo illud verum eſt ad Rom. 12. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Et ad Galat. 5. *Omnis lex in vno ſermone completur. Diliges proximum ſicut teipſum.* Implens enim mandatum de dilectione proximi, implet mandatum de dilectione Dei. Auguſt. ad Macedonium: Nemo eſſe poteſt veraciter amicus hominis, niſi fuerit ipſius primitus veritatis. Item Auguſtinus: Inter quos amicus non eſt, rerum diuinarum conſenſio, nec humanarum plena eſſe poteſt? neceſſe eſt vt aliter quã oportet humani exiſtimet qui diuina contemnit: nec hominem rectè diligere nouit, quiſquis eum non diligit qui hominem fecit. Greg. in Moral. Per amorem Dei amor proximi gignitur, & per amorem proximi, Dei amor nutritur. Fons qui in alto oritur de facili ad loca inferiora deriuatur. Sic amor ſi primo Deo integre detur, deinde ad proximum recte dirigatur, vt ſcilicet proximus propter Deũ ametur. Tunica Chriſti inconſutilis quæ vnitatem Eccleſiæ deſignabat, deſuper erat contexta. Ioan. 19. Amore enim Dei firmata debet eſſe dilectio proximi. Auguſt. 4. lib. Confeſſ. Domine, beatus qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te. Circa tertium exemplar notandum quod decem ſunt, in quibus amor qui eſt reſpectu proximi, imitari debet amorem membrorum eiuſdem corporis: Primo in hoc, quod vnum membrum non inuidet alii membro, licet non habeat officium quod illud habet. Si enim omnia membra vnicum haberent officium, eſſent quaſi vnum membrum. 1. Cor. 12: *Si totum corpus oculus: vbi auditus? & ſi totum auditus: vbi odoratus?* Et poſt: *Si eſſent omnia vnum membrum, vbi corpus?* Et ad Rom. 12. *Omnia membra non eundem actũ habent.* Sic non debet aliquis inuidere proximo ſuo habenti gratiam quam ipſe non habet. Auguſtin. in libro de Virgin. Duobus malis, hoc eſt Superbia & Inuidia, diabolus eſt. Item in lib. de diſciplina Chriſtiana: Auertat Deus peſtem inuidiæ animis omnium hominum. Inuidia diabolicum vitium eſt: habet matrem ſuam, ſcilic. ſuperbiam; ſuffocat matrem, & non erit filia. Secundo in hoc quod membrum vnum officium ſuum ſibi non appropriat, ſed gratis aliis communicat. Oculus eſt oculus omnibus membris. Idem intellige de cæteris membris. Sic debet aliquis

Pſal. 10

Am... proxi... mi... beti... tari... amo... rem... mem... bror... 1.

2.

communicare gratiam quam habet proximo suo ad Rom. 12. *Multi vnum corpus sumus in Christo : singuli autem alter alterius membra.* Et in eodem: *Necessitatibus sanctorum communicantes.* Sed hodie loco huius gratuitæ cōmunicationis, abundat venalitas in Ecclesia Dei. Mich. 3. *Principes eius in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede docebant.* Tertio, vnum membrum læsum ab alio se non vindicat. Sic debet esse inter membra Ecclesiæ Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes.* Quarto, membra infirmiora amplius honorantur 1. Corinth. 12. *Quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt: & quæ putamus ignobiliora membra corporis, his honorem abundantiorem circundamus*: sic non debemus despicere eos qui infirmi videntur. Rom. 12. *Honore inuicem præuenientes.* Ambr. Non est fraternus amor nisi mutuis se præueniat obsequiis. Quinto vnum membrum alii compatitur & congaudet 1 Corinth. 12. Si quid patitur vnum membrum compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent cætera membra. Sic fideles debent gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Sexto, vnum membrum sibi reputat fieri quod fit aliis, siue sit bonum, siue sit malum. Si lædatur pes, os conqueritur: si lauentur pedes, os regratiatur. Luc. 7. *Intraui in domum tuam, & aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit.* Sic vnus fideliū reputare debet sibi fieri quod fit aliis. Vnde caput Ecclesiæ dicit. Matt. 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Sen. in epist. loquēs cuidam amico suo: Mihi id expedit, quod tibi, aut non sum amicus nisi quicquid agitur ad te pertinens, meum est. Consortium omnium rerum inter nos facit amicitia, nec secundi quicquam singulis est, nec aduersi, commune viuitur. Septimo, vnum membrum pro alio læsioni se exponit, vt manus pro oculo. Sic debent facere fideles exemplo capitis qui scapulis suis obumbrauit nobis in cruce, ictum recipiens quem humanum genus debebat recipere. Octauo, cibum quem vnum membrum recipit, omnibus membris communicatur. Si vero aliquod membrum amplius debito de illo sibi retinuerit, ad malum suum illud retinet. Est enim ei materia apostematis, vel alterius infirmitatis. Sic etiam est inter fideles Ecclesiast. 5. *Est alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: diuitiæ conseruatæ in malum domini sui.* Nono, vnum membrum multum timet ab alio separari. Nec mirum, cum separatum ab alio sit inutile. Non enim iam viuificatur à spiritu à quo viuificātur cætera mēbra. Sic fideles timere debent separari à corpore Ecclesiæ. Augustinus: Nihil sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi. Decimo, totum corpus tremorem & horrorem patitur, ad separationem vnius membri à se, sic corpus Ecclesiæ timere debet cum videt aliquem fidelem separari à se, vel per mortem, vel per excommunicationem. Psalm. *Dedisti metuentibus te significationem vt fugiant à facie arcus.* Pœna præsens significatio est futuræ. Cum aliquis præsenti pœna punitur, cogitare debemus qualiter Deus percutiet vbi non parcet, ex quo ita percutit vbi parcit.

Margin: 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Psal 59.

CAPVT V.

De diuersis speciebus amoris proximi. Et primo de amore parentum.

PRimo de amore parentum dicturi sumus. Secundo, de amore inter virum & vxorem. Tertio, de amore bonorum. Quarto de amore inimicorum. Quinto, tangemus aliquid de vera Amicitia. Circa primum notandum, quod amor parentum multum Deo placet, qui tantum parentum nomen diligit, quod seipsum patrem iusserit dici, vt ait Hieron. Homini etiam multum prodest. Tempus enim viuendi extendit: iuxta verbum eiusdem. Basilius:

Amor parentū Deo summe placet.

Parentes nostros vt propria viscera diligamus. Ad hunc amorem non est necesse multum homines incitare, cum natura ad hoc incitet. Superuacuum est in id nos impelli in quod nos imus. Amor tamen iste non debet esse amori Dei contrarius, sed subiectus. Matth. 10. *Qui amat patrem & matrem plus quam me, non est me dignus.* Gregor. in homil. Ametur in hoc mundo quilibet aduersarius: sed in vita Dei contrarius non ametur, etiam propinquus. Hieron. in epist. Honora patrem tuum, sed si te à vero patre non separat: tamdiu scito carnis copulam, quamdiu ille suum nouerit creatorem. Amor Dei dominari debet in homine, non amor carnalis 1. Reg. 2. Reprehendit Dominus Heli de hoc quod filios suos ei prætulisset. *Quare calce abiecisti victimam meam, & munera mea quæ præcepi vt offerrentur in templo: & honorasti magis filios tuos quam me?* Et 2. Mach. 7. legitur de quadam bona matre, quod filios septem pereuntes sub vnius diei tempore conspiciens, bono animo ferebat. In ea vere vincebat amor Dei amorem filiorum. Et Abraham paratus fuit filium proprium occidere propter Deum. Gen. 22. Et Leuitæ propinquos suos occidere ad præceptum Moysi serui Dei. Exod. 32. & Luc. 14. legitur: *Si quis venit ad me & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores: adhuc autem & animam suam,* id est, temporalem vitam, *non potest meus esse discipulus.* Non sunt agnoscendi propinqui secundum carnem, si salutem impediant. Hieronym. in epistolis. Ecce, inquit, aduersarius Christum in pectore tuo conatur occidere, licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine & scissis vestibus vbera quibus te nutrierat mater ostendat, licet in limine iaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. Idem: Gladium tenet hostis vt me perimat, & ego de matris lacrymis cogitabo. Mat. 5. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* Maxime in his qui viam perfectionis aggressi sunt, non debet dominari amor carnalis. Vnde Dominus cum diceretur ei, *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.* Respondit: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Matt. 12. Bernard. in sermonibus: Quandiu de mundo sumus, debitores constat nos esse parentibus. At postquam reliquimus nosmetipsos, multo magis ab eorum sollicitudine liberi sumus.

CAPVT XII.

De amore inter virum & vxorem.

DIcendum de amore qui est inter virum & vxorem Coloss. 3. *Viri diligite vxores vestras, & nolite esse amari ad illas.* Et notandum quod 16. sunt per quæ possunt viri induci ad amandum vxores suas. Primum est, exemplum Christi. Ephes. 5. *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea.* Et potest hæc similitudo in duob. attendi. Primo in hoc quod desideret salutem vxoris. Christus enim pro salute Ecclesiæ mortuus est. Secundo in hoc, quod si adulteret, & post pœniteat, eam misericorditer recipiat. Ose. 3. *Dilige mulierem dilectam amico & adulteram: sicut diligit Dominus filios Israel, & ipsi respiciunt ad Deos alienos.* Et Ierem. 3. *Tu fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.* Augustinus: Quid tibi durum videtur, vt post adulterium reconcilietur coniunx? si fides adsit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos credimus pœnitentia esse sanatos? Item non erit turpis nec difficilis etiã perpetrata & purgata adultera recõciliatio coniungum: vbi per claues regni cœlorum non dubitatur fieri remissio peccatorum: non vt post Christi diuortium adultera reuocetur, sed vt post Christi consortium & adultera non vocetur. Secundum est

dum est hoc, quod corpus mulieris est ipsius viri: vnde debet amare illud tanquam suum. *Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir.* 1. Cor. 7. ad Eph. 5. *Viri debent diligere vxores suas vt corpora sua.* Tertium est, quod vir & vxor sunt velut vna arbor. Sicut planta & ramus qui plantæ inseritur vnam arborem efficiunt, & vnum fructum ferunt, & neuter illorum sufficiēs est ad ferendum fructum illum: sic nec vir, nec vxor sufficiens est ad generandam prolem: vnde deberent amorem inuicem habere, sicut ramus insitus adhæret plantæ. Matth. 19. *Iam non sunt duo, sed vna caro.* Quantū est, quod mulier de costa viri formata est. Noluit Deus formare mulierem de limo terræ sicut virum: imo de carne & osse viri, vt vir amaret eam tanquam seipsum, eo quod de ipso facta esset. Genes. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Ephes. 5. *Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit.* Et post in eodē: *Vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat, vxor autem timeat virum suum.* Quintum, quod amorem ei promisit, cum annulum in manu eius posuit, & cum ad Missam in præsentia Dominici corporis osculum ei dedit, ad minus secundum consuetudinem aliquarum Ecclesiarum. Osculum enim signum est amoris & pacis. In annulo vero qui nec digitum excedit, nec exceditur, sed ei adæquatur, intelligitur quod amore carnali illi soli debet adhærere. Et sicut annulus alium digitum cum digito illo in quo positus est capere non potest: sic amor viri ad aliam mulierem diuidi non debet. Ideo autem ponitur annulus in digito illo in quo est vena, quæ vsq; ad cor protenditur: quia coniuges ex corde debent amare se, & nō solum signis exterioribus. Sextum est, quod consanguinei coniugum propter coniugium eorum mutuò se amant. Vnde mirum est cum tot propter eos ament se si ipsi se non ament. Quandoq; patria vna vno matrimonio ad concordiam reducitur: vnde mirū est quomodo inter personas illas quę matrimonio coniunctæ sunt discordia durare potest. Septimum est, quod vxor patrem & matrem & alios propinquos suos propter virum dimittit, & ei adhæret. Vnde infideliter agit si hāc non amet. Hier. 2. dicit Dominus ad sponsam suam. *Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto.* Octauum est, quod nisi ament se, in magna miseria erunt. Prou. 27. *Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur.* Sicut non quiescit homo sub tecto perstillanti, præcipue si tempus frigidum sit: sic non quiescit vir cum vxore si litigium inter eos fuerit. Philosophus: Vxor est aut perpetuale refugium, aut perenne tormentum. Nonum est, quod multum placet Deo & hominibus amor coniugum. Eccl. 25. *In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum, amor proximorum, & vir & mulier sibi bene consentientes.* Decimum, quod vxor est solatium homini à Deo datum. Genes. 2. *Non est bonum hominem esse solum.* Eccl. 4. *Melius est duos esse simul quam vnum, &c.* Item in eodem: *Væ soli.* Non reputatur solus qui nobilius contraxit matrimonium, cuius anima per castitatem vel virginitatem Dei gratia ei matrimonio est coniuncta. Sed fornicator vel cōcubinarius reputatur solus, quia à Deo est maledictus: qui cum videt mulierem fornicatriam, desolationem suam potius videt quam solatium. Videt enim gladium quo diabolus interficit eū. Vndecimū est, quod vxor est velut quoddam ornamentum hospitij. Eccl. 26. *Sicut sol oriens in mundo in altissimis Dei: sic mulier bona species in ornamentum domus eius.* Prou. 12. *Mulier diligens, corona est viro suo.* Et Eccl. 26. *Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata.* Duodecimum est, quod vxor est adiutoriū à Deo homini datū. Genes. 2. *Faciamus ei adiutoriū simile sibi.* Ipsa vxor iuuat virū in prolis procreatione & educatione, & hospitii gubernatione, in bonorū tēporalium multiplicatione, & cōser-

uatione, & saluatione animæ ipsius viri. Eccles. 36. *Qui possidet mulierem bonam, bonam inchoat possessionem.* Hîc innuitur, quod quasi nihil habeat qui tenet hospitium, nisi habeat mulierem bonam quæ sua ei custodiat. Concubinariæ enim solẽt furarì hominibus qui tenent eas, ea quæ ipsi habent. Et subditur. *Adiutorium secundum illum est, & columna vt requies.* Vbi innuitur quod bona vxor sustentamentum sit hospitij. Sicut columna corruente corruit domus: sic vxore bona moriente destruitur hospitium. Et in eodem: *Vbi non est sepes, diripietur possessio: & vbi non est mulier, ingemiscit egens*, vel maritus qui pauper efficitur amissa bona vxore, vel pauper qui declinat illuc causa eleemosynæ, non inueniens qui sibi det eleemosynam: Mulieres enim magis solent esse misericordes quam viri. Homo fornicator vxorem non habens, est velut auis absque nido, nesciens cui sua committat. Eccles. 36. secundum literam vnam. Cui credit, qui non habet nidum? Tertiumdecimum est fructus pretiositas. Matt. 12. *Ex fructu arbor cognoscitur.* Vnus fructus huius arboris præualet omnibus mundi diuitiis. Multum ergo amanda est arbor talis quæ fert fructum tam pretiosum. Quartum-decimum est sacramenti matrimonij dignitas, quod institutum est à Deo in paradiso, & in statu innocentiæ, quod Dominus prohibet separari, quia auctor fuit ipsius. Matt. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Cui cedere videtur vinculum carnalis propinquitatis. Genes. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Præterea sacramentum magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Ephes. 5. Quintumdecimum est, quod hominem ea parte quę infirmior est custodit, sc. ex parte carnis. Matth. 26. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Sextodecimo, diabolum ea parte qua fortior est vincit. Iob. 40. *Fortitudo eius in lumbis.*

Capvt XIII.

De amore bonorum.

Sciendum quod bonos debemus amare quasi attinerent nobis omni genere parẽtelæ, exemplo Domini dicentis Mat. 12. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Ipsi sunt amandi vt Dei filij, & fratres nostri. Rom. 8. *Quicunque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Et in eod. *Si autem filij* Dei, *& hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Debent etiam boni se amplius amare: quia sunt in aliena patria. Solent enim se amare qui sunt eiusdem patriæ quãdo sunt extra patriam suam, ac si essent fratres. Ad idem etiam facit quod mali habent eos exosos: vnde si ipsi non ament se adinuicem, absque amicis erunt. Ioan. 17. *Ego dedi eis sermonem meum, & mundus eos odio habuit, quia de mundo non sunt.* Et Io. 15. *Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, ideo odit vos mundus.*

Capvt XIV.

De dilectione inimicorum. Et de octo quæ ad hunc amorem hominem inducant.

Inimicorum dilectio, quam Dominus præcepit Matth. 5. *Diligite*, inquit, *inimicos vestros*: pertinet ad dilectionem cordis. Deinde subdit de dilectione operis & sermonis. *Bene facite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Greg. Ille preces suas multum valere facit, qui eas pro inimicis effundit. Et notandũ quod in mandatis Dei nihil est mirabilius, quam quod præcipitur diligere inimicos, vt ait Aug. Ideo licet multa sint dicta pertinentia ad dilectionem inimicorum in tractatu de ira: tamen hîc aliqua tangemus pertinentia ad idẽ. Insipientibus. n. impossibile videtur,

Difficile non esse inimicos diligere probatur.

quod ipsi ament inimicos suos: si tamē haberent aliquantulum sapientiæ, possibile eis appareret. *Sapientiam enim non vincit malitia.* Sap. 7. Et notandū quo docto sūt, quæ si attendantur, satis patebit non esse ita difficile diligere inimicū vt multi credūt. Apparebit etiam quod hoc nō sit potius dedecus, sed honor potius. Primū est status inimici qui tibi iniuriatus est, & non vult satisfacere. Est. n. spiritualiter mortuus. Ipse enim quasi insanus manus in se iniecit quando tibi iniuriam intulit. Sap. 16. *Homo per malitiam occidit animam suā.* Non insanire in fratrem tuum mortuum, sed potius ei compatere. Crudeliores videntur fuisse qui Christo mortuo non pepercerunt, quam qui viuum vulnerauerunt. Vnde lancea dicitur dira, quum claui dicantur dulces. Quis adeo cœcus est qui non intelligat dedecus esse si quis de mortuo vult se vindicare. Secundum est, vtilitas iniuriæ illatæ. Persecutores. n. nostri, iuxta verbum Psal. *Circumdant nos sicut apes.* Ad modum enim apum nos pungunt tribulationibus: sed in futuro fauum nobis æternæ beatitudinis præparant: iuxta
Psal. 12. illud Psal. *Qui tribulant me, exultabunt: si motus fuero: ego autem misericordia tua speraui.* Ecclesiast. 1. *Vsque in tempus sustinebit patiens, & post ea redditio iucunditatis.* Tertium est, quod dilectio inimicorum nobis est vtilior quam amicorum. Ipsa valet ad spiritualium vulnerum sanationem. Aug. Ego ad inimicorum dilectionem vos commoneo: quia ad sananda peccatorum vulnera nullum medicamentum vtilius esse cognosco. Ipsa etiam multum facit ad perfectionem & cumulum bonitatis. Vnde Matth. 5. post illud, *Diligite inimicos vestros.* Subditur: *Estote perfecti sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Aug. in Enchirid. Magnificentissimæ bonitatis est, vt tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & si potest facit: tu semper bonum velis atque facias quum possis. Ipsa etiam magnam mercedem meretur. Luc. 6. *Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis gratia? Veruntamen diligite inimicos vestros, &c. & erit merces vestra magna.* Quartum est, quod Deo gratior est. Aug. Qui dilexerit inimicos, hic erit Dei amicus, nec solum amicus, sed & filius: sumptū est de Matth. 5. & Luc. 6. post illud: *Diligite inimicos vestros.* Sequitur: *Et eritis filij Altissimi.* Itē Aug. Quāta gratia per nos serui digni nō sumus, & inimicorum dilectione Dei filij efficimur. Chrys. super Matt. Nihil est quod sic Dei similem faciat, vt malignis atque lędentibus esse placabilem. Quintum est, quod diabolo hæc dilectio est molestior. Magis enim elongat ab eius similitudine qui odio obstinato hominē persequitur. Greg. Stultum est seruire diabolo offenso, qui nullo placatur obsequio. Sextū est, quod dilectio odium est inimici magis destruit, quam aliquid aliud. Ipsa enim est ignis inimicitiam inimico adnihilās. Rom. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, &c. sic enim carbones congeres super caput eius.* Ipsa etiam gladius est inimicum interficiens, dum de inimico amicū facit. Chrys. Sustine ad tempus inimicum tuum, & benefaciet. Postmodum autem victum beneuolentia tua amabis eum quasi amicum tuum. Item: Omnis inimicitia beneficiorum assiduitate compescitur. Greg. Miles Dei aduersitas bello deprehensos, & scutum patientiæ debet anteferre ne pereat, & ad præliandum promptus amoris inferre iacula, vt vincat. Cuius armaturæ summam Paulus breuiter insinuat, dicēs: *Charitas patiens est.* Cùm vero vnum ex vtroque defuerit, charitas non est: si videlicet malos absq; benignitate tolerans, non amat: aut rursus se sine patientia exhibens, negligit, tolerat quos amat. Septimum est, quod non potes ex proposito nocere proximo tuo, quin tibi noceas. August. Quod malitia tua alteri non noceat, fieri potest: quod autem tibi non noceat, fieri non potest. Non est dedecus alicui si non vult inquinare manus suas se vindicando, vel si non vult inquinare os suum, cōuitium pro

conuitio raddendo, imo honor est & signum nobilitatis animi. Prouerb. 20. *Honor est homini qui separat se à contentionib.* Octauum est, quod ille qui tibi iniuriatur magis iniuriatur Deo: quã tibi, qui hoc ei prohibuit, qui maius ius habet in te, quã tu ipse. Si ergo Deus differt vindicare iniuriam, & non est ei dedecus, non erit tibi dedecus, imo honor, si exemplo Domini vis non vindicare te in præsenti. Eccles. 23. *Gloria magna est sequi Dominum, longitudo enim dierum assumetur ab eo.*

Capvt XV.

De vera amicitia, & quæ sunt attendenda in eligendo aliquem in amicum, & de pertinentibus ad veram amicitiam.

Quid amicitia

SEquitur de vera amicitia. Amicitiã sic describit Tullius in rhetoric. Amicitia est erga aliquem voluntas bonarum rerũ illius ipsius causa quẽ diligit cum pari eius voluntate. Idem in lib. de Amicitia: Amicitia nihil aliud est, nisi omnium diuinarũ humanarumq; rerum cum beneuolẽtia & charitate consensio. Hæc amicitia multum appetenda est. Eccl. 25. *Beatus qui inuenit amicum verum.* Tullius in lib. de Amicitia: Omnibus rebus humanis anteponẽda est amicitia. Nihil enim tam naturæ aptum, tamq; conueniens ad res secundas vel aduersas. Idem in eod. In hoc præstat amicitia propinquitati, quod ex propinquitate beneuolentia tolli potest: ex amicitia non potest. Sublata enim beneuolentia, nomẽ amicitiæ tollitur, propinquitatis manet. Prouerb. 18. *Vir amicabilis ad societatem magis amicus erit, quam frater.* Tullius: Quid dulcius erit, quam quod habeas cũ quo audeas loqui vt tecũ? Quis enim esset fructus in prosperis rebus, nisi haberes qui illis ęque vt tu ipse gauderet? Aduersa vere difficile esset ferre sine eo, qui etiam illa grauius quam tu ferret. Ab illis inter quos est vera amicitia, perfecte impletur illud mandatum, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Verus enim amicus habet amicũ suum tanquam alterum se. Tullius: Verũ amicum qui intuetur: tanquam exemplar aliquod intuetur sui: quocirca & absentes adsunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, & quod dictu difficilius est, mortui viuunt. Amicitia in periculis subuenit. Prou. 15. *Gratia & amicitia liberant.* Et notandum, quod in eligendo aliquem in amicum quatuor sunt attendenda. Primũ est, discretio eius. Amicitiæ enim stultorũ solent esse nociuæ. Prou. 14. *Amicus stultorum similis efficietur.* Secunda est bonitas. Tullius in lib. de Amicit. Hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse. Tertiũ vt ille non sit iracundus, Prou. 22. Noli esse amicus homini iracundo: Homo iracũdus est velut lignum ignitum quod exurit tangentem se, & est velut lignum spinosum, quod pungit amplectentem se. Ideo licet sit amandus, tamen familiaritas eius timenda est. Præterea amicitia eius nõ durat. Vinculũ. n. amoris igne iræ in eo exuritur. Quartum est, ne sit superbus. Superbus. n. nescit esse socius, sed vult dominari. Prou. 11. Vbi fuerit superbia, ibi erit cõtumelia. Item notandũ quod multa sunt quę ad veram amicitiam pertinent: de quibus causâ breuitatis tãtum 12. tangemus. Primum est, voluntatum identitas. Tullius: Idem velle, idem nolle, ea demum vera est amicitia. Secũdum est communicatio consiliorũ. Pro. 25. *Causam tuã tracta cum amico tuo.* Amb. Nihil occultat amicus, si verus est effundit animum in amicum suum. Tullius in lib. de Amicitia: His amicitiæ funibus vtendum arbitror: vt quum emendati fuerint mores amicorum, sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine vlla exceptione communitas. Tertium communicatio rerum. Vnde Philosophus, quum diceretur ei de quodam: ille amicus illius est. Cur, inquit, illo diuite pauper est? Amicus non est qui fortunæ particeps nõ est. Tamen amicus dando amico suo, at-

Qua[e] amic[i] dilig[en]dus.

Qu[ae] ami[ci]tiam pert[i]nea[nt]

tendere debet & propriam facultatem & vires amici sui. Non enim debet onerare amicum honore vel onere quod supra vires eius sit. Tullius in lib. de Amicitia: Tãtum cuiq; tribuendum est primum quantum ipse efficere possis, deinde quantum ille quem diligis & adiuuas, possit sustinere. Item notandũ quod sicut dicit Tullius: Nimis exile est & exiguũ ad calculos vocare amicos, vt par sit ratio datorum & acceptorum. Neque enim verendum est, ne quid excidat, quid in terram defluat, aut ne plus æquo in amicitiã cõferatur. Quartum est secreta admonitio. Eccl. 19. *Corripe amicum tuum.* Sæpe enim fit cõmissio. Cauendum tamen est ne correptio sit cõtumeliosa. Eccles. 19. *Est correptio mendax in ira contumeliosi.* Vere mendax est. Mentitur enim se correptionẽ facere, cum potius sit cõuitiatio. Tullius: Monere & moneri est officium veræ amicitiæ: ita tamen quod adulatione careat admonitio, & cõtumeliâ obiurgatio. Quintum est manifesta laudatio: non tamen in facie amici, vel corã domesticis ipsius. Hoc enim est adulatoris. Vnde Matth. 11. Dominus laudauit Ioannẽ postquam discipuli Ioannis ab eo recesserant. Chrys. Blanditores in facie laudant, vel coram domesticis: vir autem sapiens quãdo laudatur in facie, flagellatur in corde. Sextum est nec turpia rogare, nec ad preces amici turpia facere, iuxta verbũ Tullii prius positum: non debet ad preces amici iniuriam facere proximo. Eccles. 6. *Noli fieri pro amico inimicus proximo.* Tamen aliquid potest honeste fieri pro amico quod homo non faceret honeste pro se. Tullius in lib. de Amicitia: Multa quæ nostri causa nunquam faceremus, causa amicorum facimus: quæ in nostris rebus non satis honestæ, in amicorum fiunt honestissimæ. Septimum est paritatem seruare, Tullius in lib. de Amicitia: Maximum est in amicitia superiorem parem esse inferiori. Hieron. super 12. Prophetas: Amicitia pares aut accipit, aut facit vbi inæqualitas est, & alterius eminentia, alterius subiectio: ibi non tam amicitia est, quam adulatio, Prouerb. 13. *Qui dispicit amicum suum.* Octauum est, amicum in aduersis non deserere. Prou. 17. *Omni tempore diligit qui amicus est.* Eiusd. 12. *Qui negligit damnum propter amicum, iustus est.* Eccl. 22. *Fidem posside cum amico tuo in paupertate illius, vt in bonis illius læteris.* Nonum est, arcanum non detegere. Eccles. 27. *Qui denudat arcana, amici fidem prodit, & non inueniet amicum ad animum suum.* Decimum est, peccatum celare. Prouerb. 17. Qui celat delictum, quærit amicitias. Vndecimum est, petitioni amici sine dilatione acquiescere. Prouerb. 3. *Ne dicas amico tuo: Vade, & reuertere, & cras dabo tibi, quum statim possis dare.* Duodecimum est, vtilia ei magis quam placentia dicere. Prou. 11. *Simulator ore decipit amicum suũ.* Et eiusd. 16. *Vir iniquus lactat amicum suum.* Item eiusd. 29. *Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius.* Senec. in libro de beneficiis: Dic illis non quod volunt audire; sed quod velint semper audisse. Idem in epistolis: Amici vitia frangenda sunt: non amo illum, nisi offendero: an profecturus sim, nescio: malo successum mihi quam fidem deesse. Item notandum quod quinq; sunt quæ amicitiam solent dissoluere. Conuitium, improperium, superbia, mysterij reuelatio, plaga dolosa. Eccl. 22. *Mittens lapidem in volatilia, deiiciet illa*: id est, dispergit: & qui cõuitiatur amico suo, dissoluit amicitiam. Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes: est enim regressus, id est, recõciliatio ad amicum. Si aperuerit os triste, dure tecum loquẽdo, non timeas, est enim concordatio pristinæ suæ amicitiæ: excepto conuitio, & improperio, & superbia, & mysterij reuelatione, & plaga dolosa. In his omnibus effugiet amicus. Conuitiũ dicitur aliquod verecũdũ, quod tamen non est peccatum: vt cum obiicitur amico quod sit leprosus, vel seruus, vel aliquid simile. Improperium est, cum crimen obiicitur; vt cũ dicitur alicui quod sit la-

Quæ amicitiã dissoluunt.

tro. Superbia vocatur superflua dominatio, Prouerb. 25. *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio cito: ne postea emendare non possis, quum dehonestaueris amicum tuum.* Eiusd. 16. *Sicut noxius est qui mittit lanceas & sagittas in mortem: ita vir qui fraudulenter nocet amico suo: & quum deprehensus fuerit, dicit: Ludens feci.* Pythagoras. Amicum lædere nec ioco quidem oportet.

CAPVT XVI.

De ordine Charitatis.

QVadruplex est ordo charitatis. Primus est secundum prioritatem & posterioritatem, qui attenditur inter amorem Dei & amorem proximi. Amor enim Dei prior est quam amor proximi. Vnde Exod. 20. Primo ponuntur mandata pertinentia ad amorem Dei, deinde quæ pertinent ad amorem proximi. Amor Dei causa est amoris proximi. Proximus enim amatur, quia Deus hoc præcipit. Præterea Deus finis est dilectionis proximi. Finis vero mouet causam efficientem. Secũdus ordo attenditur in hoc quod amentur quæ amanda sunt, & non amentur quæ amanda non sunt. Aug. in lib. de doctrina Christiana: Ille sancte & iuste viuit, qui ordinatam habet dilectionem, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum. Omnis peccator inquantum est peccator non est diligendus: omnis homo inquantum est homo est diligendus. Tertius ordo iuxta verbum Aug. in eodem lib. in hoc attenditur, quod non æque diligatur quod minus, vel amplius diligendum est: aut minus vel amplius, quod æque diligendum est. Et notandum quod aliquis dicitur magis diligi, tripliciter. Primo modo, quia ad maius diligitur, s. ad maiorem gloriam. Sic vniuersaliter magis diligẽdus est qui magis bonus est. Secundo qui diligitur maiori affectu. Tertio qui minori affectu. Ordo dilectionis secundum magis & minus attenditur inter illa quatuor quæ enumerat. Aug. in lib. de doctr. Christiana dicens: Quatuor diligenda sunt. Vnum quod supra nos est, scil. Deus. Alterum, quod nos sumus. Tertium est, quod iuxta nos est, scil. proximus. Quartum quod infra nos est, scil. corpus. Quum nos & proximum enumerat August. inter diligenda, nos & proximum videtur intelligere excellentiorem partem nostri, & proximi animam, scilicet propter hoc quod corpus ponit postea quarto loco. Gre. 1. parte Mor. Cum recte diligimus, nihil in rebus conditis anima nostra charius amamus. Idem in Moralibus: magnæ mercedis est à morte eripere carnem quandoque morituram. Quanti ergo meriti est animam à morte liberare in cœlesti patria semper victuram? Item iste ordo attenditur inter ea quæ enumerat Ambrosius super illud Canticorum. 2. *Ordinauit in me charitatem*: Multorum, inquit, charitas inordinata est: quod in primo est, ponunt tertium vel quartum. Primo Deus diligendus est, secundo, parentes, deinde filii, post domestici: qui si boni sunt, malis filiis præponendi sunt. Ordo diligendi secundum affectum variatur secundum bonitatem vel propinquitatem eorum qui diliguntur, vel etiam secundum vtilitatem Ecclesiæ. Magis enim bonus aliis paribus magis diligendus est quantum ad affectum. Item propinquior aliis paribus affectu maiori diligendus est. Item vtilior Ecclesiæ aliis paribus maiori affectu diligendus est. Et idem intelligendum est etiam quantum ad effectum. Melior enim, vel propinquior, vel Ecclesiæ vtilior aliis paribus magis est diligendus.

Sed dubitari potest, vtrum bonitas propinquitati circa diligenda præualeat, vel econuerso. Et videtur quod bonitas præualeat propinquitati, secundum illud Ambrosii: Domestici si boni sunt, malis filiis præponendi sunt. Item dicit Beda super illud Lucæ octauo. Mater mea & fratres mei hi sunt, & cætera, non iniuriose

Qu[...] tuo[...] ligẽ[...]

Bonitas præualet propinquitati.

negligit matrem, nec mater negatur etiam quæ de cruce cognoscitur, sed religiosiores copulæ mentium monstrantur quam corporum. Gregorius: Magis debemus diligere quos ex sacro fonte suscepimus, quam quos de carne nostra genuimus. Et dicendum, quod bonus extraneus præponendus est filio malo, quantum ad spiritualia beneficia, vel etiam quantum ad temporalia: tanta potest esse bonitas extranei vel vtilitas Ecclesiæ. Item dubitari potest hoc, quod Ambrosius parentes filiis præponit in ordine diligendorum. Quũ enim natura magis incitet ad amorem filiorum, quam ad amorem parentum, magis videntur filii diligendi, quam parentes: gratia enim non est opposita naturæ. Ad idem videtur facere illud 2. Corinth. 12. *Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* Item quod radix humorem mittit ad ramos, & non econuerso. Et est dicendum, quod parentes magis diligendi sunt quam filii, aliis paribus & quantum ad effectum. Et ad hoc incitat natura instituta & restituta, licet non destituta: tamen hunc ordinem variare potest filii bonitas. Posset enim esse adeo bonus quod esset præponendus patri. Item Ecclesiæ vtilitas vel filii necessitas, vel propinquitas. Posset enim filius esse adeo vtilis Ecclesiæ, quod potius subuenire deberet aliquis ei quam patri suo. Item si esset filius familias, posset esse quod potius deberet ei aliquis prouidere quam patri. Posset etiam esse adeo indigens quod citius esset ei subueniendum quam patri. Augustinus ad Marcellinum: Charitas quæ tanquam nutrix fouet filios suos: non ordine amandi, sed ordine subueniendi, infirmiores fortioribus anteponit, quos tales vult esse, quales in illis sunt quos non contemnendo, sed his confidendo interim præterit. Et notandum est, quod parentes diligendi sunt affectu dupliciter: scilicet quantum ad exhibitionem honoris, & quantum ad exhibitionem necessariorum. Quãtum ad primum, parentes videntur esse semper præponendi filiis, nisi forsitan filius carnalis fieret pater spiritualis. Quantum vero ad secundum, ordo potest variari ex aliqua prædictarum causarum. Item notandum quod affectu debemus omnem hominem diligere. Effectus vero potest suspendi ex causa. Aug. Charitas non intermittatur: officia pro tempore exhibeantur. Quartus ordo attenditur secundum has differentias, propter se, & propter aliud. Creator propter se amandus est: creatura vero propter Deum: De hoc ordine dicit Aug. 15. lib. de Ciuitate Dei. Cum omnis creatura bona sit, amari potest & bene & male. Bene, scilicet ordine custodito: male, ordine perturbato. Quod in laude quadam cerei breuiter versibus dixi: Hæc tua sunt, bona sunt quia tu bonus ista creasti: Nil nostrum est in eis, nisi quod peccamus amantes. Ordine neglecto pro te quod conditur à te. Item 9. libro de Trinitate: Amanda est creatura, sed ad creatorem amor refertur: non tam cupiditas, sed Charitas erit. Cum propter se creatura amatur, tunc non vtentem adiuuat, sed corrumpit fruentem. Inferiori creatura vtendum ad Deum, pari tibi fruendum: sed in Deo sic teipso, non in teipso frui debes: sed in eo qui te fecit.

Dupliци affectu parentes diligendi.

CAPVT XVII.

De his quæ charitati aduersantur.

CHaritati videntur aduersari superfluus amor nostri, vanus amor mundi, odium proximi, & generaliter damnabilis offensa Dei. Circa primum notãdum, quod signum est quod aliquis habeat superfluum amorem sui, cum ea quæ pertinent ad Deum & ad proximum suum, negligit: propria vero diligenter defendit: & specialiter cum defendit sua mala. 1. Corinth. 10. *Nemo quod suum est quærat.* Phili. 2. *Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum.* Gregor. in Moralibus. Plus Deo se amare conuincitur, qui ne-

glectis his quæ eius sunt, propria tuetur. Idem in Pastoralibus. Qui vult praua agere, & tamen ad hæc cæteros tacere, ipse sibimet testis est, quia plus se veritate appetit diligi, quam contra se non vult defendi: Superfluus amor sui efficit hominem ciuem Babylonicæ ciuitatis: Augustinus 14. lib. de Ciuitate Dei: Fecerunt ciuitates duas amores duo: terrenam, scilicet amor sui vsque ad contemptum Dei, cælestem vero amor Dei vsque ad contemptũ sui. Illa in gloria sua exaltat caput suum, hæc dicit Domino Deo suo: Gloria mea & exaltans caput meum. Amor sui radix est multorum malorum. Vnde super illud 2. Tim. 3. *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi* & cætera dicit Gloss. Augustinus: Ex eo quod seipsos, non Deum amant, quasi à radice hæc quæ sequuntur mala oriuntur, Chrysostomus: Omnium malorum causa est amor sui, & radix & fons. Item amor sui hominem excæcat adeo vt non videat seipsum. Bern. Amor vel odium veritatis nescit iudicium. Greg. super Ezech. Vehementer claudit oculos amor priuatus. Ex quo fit, vt hoc quod nos agimus, & graue esse non æstimamus, plerunq; agatur à proximo, & nobis nimis detestabile esse videatur. Amor iste amor videtur esse: cum vere sit odium. Vnde Augustinus super illud Io. 12. *Qui amat animam suam, perdet eam.* Magna & mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor vt pereat, odium ne pereat. Si male amaueris, odisti: si bene oderis, tunc amasti. Item August. in quodam sermone: Si perit homo amando se, profecto inuenitur negando se. Disce amare te, non amando te, secundum Chrys. Animam amare, est desideria animæ inconuenientia facere, Eccl. 18. *Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius: faciet te in gaudium inimicis tuis.* Qui nimis amat se, perdit se. Vult enim esse in otio vbi corrumpitur: sicut vestis in arca reposita, à tineis comeditur. Psal. *Omnes sicut vestimentum veterascent.* Item deliciis implet se nimis, qui se nimis amat, & sic perdit se. Ex hoc enim celerius moritur. Eccle. 37. *Propter crapulam multi obierunt.* Qui nimis amat se, nimis sollicite seruando se, perdit se. Sicut qui nimis seruat frumentum suum, amittit, quia corrumpitur. Vnde super illud Matt. 18. *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam:* dicit gl. interli. Ac si agricolæ dicatur: frumentum si seruas, perdis: si seminas, renouas. Circa vanum amorem mundi notandum, quod amare mundum est quasi amare adulterium. Vnde Iac. 4. *Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Deo: Quicunque ergo voluerit esse amicus seculi huius, inimicus Dei constituitur.* Et 1. Io. 2. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Vbi dicit gl. Vnum cor duos aduersarios sibi amores non capit. Esa. 28. *Coangustatum est stratum ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumq; operire non potest.* Charitas pallium est posteriora tegens. Peccata enim præterita abscondit, ne Deus ea ad puniendum videat. Prou. 10. *Vniuersa delicta operit charitas.* Ipsa supereminet cæteris virtutibus, vt pallium superponit cæteris vestibus. Ad Colos. 3. *Super omnia charitatem habentes.* Amor mundi, adulterat animam: amor fabricatoris mundi, castificat animam: vt dicit Aug. in lib. de verbis Domini. Idem in lib. de Confes. Amicitia huius mundi fornicatio est abs te. Idem super epistolam Ioannis: Si mundi amor in te habitet, non est quod amor Dei intret. Quum exhauseris cor tuum amore terreno, hauriet amorem diuinum. Amor mundi principium est omnium malorum: Vnde super 1. Io. 2. dicit gl. Sicut dilectio Dei est fons omnium virtutum: ita dilectio mundi omnium vitiorum. Amare mundum est amare proditorem. Mundus enim dicit dæmonibus. *Quemcunq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Mat. 26. Prou. 27. *Meliora sunt vulnera diligentis,* quam

Qu[illegible] ama[illegible] mun[illegible]

quam fraudulenta odientis oscula. Item amare mundum est amplecti immundum. Augustinus: super Ioannem. Si delectat te mundus, semper vis esse immundus. Si autem iam te non delectat hic mundus: iam tu es mundus. Si autem fueris mundus, non remanebis in mundo. Chrysostomus super Matthæ. Sicut difficile est arborem iuxta viam positam, fructus suos vsque ad maturitatem seruare: Sic difficile est virum fidelem iuxta iniustum mundum viuentem in actibus suis. vsque ad finem iustitiam tenere. Nam in via à transeuntibus fructus rapitur. Recede à via, & plantare in loco secreto, vt nec mundus tecum habeat commune, nec tu cum mundo. Eccl. 13. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea.* Item amare mundum est amare periculum. August. Ama seculum, absorbebit te. Amatores suos vorare nouit, non portare. Eccl. 2. *Qui amat periculum, in illo peribit.* August. ad amatores mundi. Cuius rei causa militatis? maior-ne esse poterit spes vestra in mundo, quā vt amici mundi sitis? Ibi quid non fragile, quid non plenum periculi? Item per hæc pericula peruenitur ad maius periculum. Item in epistola ad Anastasium: Mundus iste periculosior est blandus quam molestus: & magis cauendus cum se allicit diligi, quam cum admonet, cogitque contemni. Amare seculum, est amare locum tormentorum. Aug. in lib. de verbis Domini. Abiice à te diuitiarum onera, abiice vincula voluntaria, abiice anxietates & tædia quæ te plurimis annis inquietant. Bernard. in sermonibus: Diuitiarum amor insatiabilis, longe amplius desiderio torquet animam, quam refrigeret vsu suo: vt pote quarum acquisitio quidem laboris, possessio timoris, amissio plena doloris inuenitur. Item amare mundum est amare diaboli dominium. Aug. in lib. de agone Christiano: Mittitur diabolus foras, quando ex toto renuntiatur huic mundo. Sic enim renuntiatur diabolo qui princeps est mundi. Item mundum amare, est in domo igne succensa velle manere. *Totus enim mundus in maligno positus est.* 1. Ioan. 5. Mundus est fornax Babylonica igne succensa. Dan. 3. Bernard. Domus ardet & ignis instat à tergo, & tu mones non egredi, vel iam egressum regredi. De tertio quod aduersatur charitati, scilicet odio proximi, require in tractatu de Ira. Chrys. Si inimicitiæ semel occupauerint animos, omnia quæ dicuntur, quæ audiuntur, quæ fiunt. ita accipiuntur & intelliguntur, vt ad maiores & longiores proficiant inimicitias. Si quid enim boni de inimico dicitur, non creditur. Si quid mali, hoc solum creditur, & confirmatur: Circa quartum notandum est, quod omnis offensa Dei mortalis inquantum à Deo diuidit, aduersatur charitati quæ à Deo venit. Esa. 59. *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum.*

Capvt XVIII.

De diuersis gradibus Charitatis.

NOtandum ergo quod diuersi sunt gradus charitatis. Est enim charitas incipiens, proficiens & perfecta. August. super epistolam Io. Perfecta charitas hæc est: vt quis paratus sit etiam mori pro fratribus. Sed nunquid mox vt nascitur iam prorsus perfecta est? imo vt perficiatur, nascitur: cum fuerit nata, nutritur: cum fuerit nutrita, roboratur: cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, dicet, *Cupio dissolui, & esse,* &c. Philip. 1. Charitas operibus pietatis nutritur, tribulationibus & consolationibus roboratur, consiliis perficitur. Et notandum quod sex sunt quæ valent vt charitas proficiat, & proficiendo ad perfectionem perueniat. Primum est, quod homo magnum desiderium proficiendi habeat, magna enim pars profectus est, velle proficere, vt ait Bern. Aug. Nostrum non progredi iam reuerti est. Cesset omnis ignauia, si volumus, non redire, cur-

Sex charitatem augmētant.

rendum est. Leo Papa: Incidunt in periculum qui proficiendi perdiderunt appetitum. Bern. in epistolis: Indefessum proficiendi studium, iugis & conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. Quod si studere perfectioni est esse perfectum, profecto nolle proficere deficere est. Secundũ est, quod à creaturis inferioribus ad creatorem amorem suum recolligat. Solent abscindi rami arboris nouæ inferius, vt totum crementum suum ponat superius. Greg. Non sufficit proficere homo ad vtraque diuisus. Gen. 49. dicitur ad Rubẽ: *Effusus es sicut aqua, non crescas.* August. in 2. lib. Confessionum: Ab vno te aduersus, in multa euanui. Exarsi enim aliquando satiari inferius in adolescentia: & syluescere ausus sum variis & vmbrosis amoribus. Tertium est, vt doctrinæ intendat. Sicut paruulus absque sumptione cibi crescendo non proficit: sic anima sine doctrina deficere potius, quam proficere solet. Ecclesiast. 22. *Filia fatua in diminoratione fiet.* In
Psal. 106. Psal. *Esurientes & sitientes anima eorum in ipsis deficit.* Quartum est, meditatio, & præcipue illa quæ versatur circa beneficia à Deo vel à proximo recepta, vel circa alia incitantia ad amorem Dei vel proximi.
Psal. 38. De quibus dictum est prius. In Psal. *In meditatione mea exardescit ignis.* Quintum est oratio, Bernard. Amorem Dei in homine à gratia genitum lactat lectio, meditatio pascit, oratio confortat & illuminat. Sextum est tentatio. Gregorius in Moral. Electorum desideria in prosperitate deprimuntur, aduersitate proficiunt: sicut ignis flatu premitur vt crescat, & vnde quasi extingui cernitur, inde roboratur cum per tentationem humilitas proficit. Prospera est ipsa aduersitas quæ mentem ab elatione custodit. Et notandum est quod nullus ad tantam perfectionem peruenit in vita ista ad quantam vellet peruenire. Ambros. super Luc. Nemo est qui tantum virtutis apprehendat, quantum desiderat: quia omnipotens Deus interiora discernens, ipsis spiritualibus profectibus modum ponit, & ex hoc homo quod apprehendere conatur & non valet, in illis se non eleuat quæ valet. Item notandũ quod sicut dicit August. perfecta charitas nec cupiditatem habet sæculi, nec timorem sæculi, per quas duas ianuas intrat & regnat inimicus qui primò timore, deinde charitate pellendus est. 1. Ioan. 4. *Perfecta charitas foràs mittit timorem.* Gloss. Timorem illum, scilicet quo timet quisque sciens opera iustitiæ: ne veniat districtus iudex, & se minus castigatum damnet. Itẽ notandum quod sex sunt species perfectionis. Prima est perfectio sufficientiæ: de qua Matt. 5. *Estote perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Secunda est comparationis quam debent habere clerici respectu laicorum. Genesis 6. *No erat perfectus in generationibus suis*: id est comparatione eorum qui erant de generatione sua. Tertia est ordinis, ad quam tenentur in sacris ordinibus constituti, ad quam pertinet continentia. Esa. 52. *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Quarta est, professionis quæ pertinet ad religiosos, Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Quinta est prælationis. Ioan. 10. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Greg. in homil. Cum incomparabiliter longe melior sit anima qua viuimus, terrena substantia quam possidemus: qui non dat pro ouibus suis substantiam suam, quomodo pro his daturus est animam suam? Sexta est securitas: qui hanc habent cupiunt dissolui, & esse cum Christo, Ad Philip. 1.

Sex spe[cies] per[fe]cti[onis]

TERTIÆ PARTIS PRINCIPALIS de quatuor Virtutibus Cardinalibus,

TRACTATVS PRIMVS.

De ipsis Virtutibus Cardinalis in communi.

Capvt Primvm.

Quare istæ quatuor Virtutes dicantur Cardinales.

Dicto de tribus virtutibus Theologicis, dicendum est de quatuor Cardinalibus: De quibus habetur Sap. 8. *Sobrietatem*, inquit, *& prudentiam docet iustitiam, & virtutem quibus vtilius nihil est in vita hominib.* Sobrietatem vocat, quam vsitato nomine vocamus temperantiam. Virtutem vocat, quam communiter vocamus fortitudinem. Alias duas vocat nominibus nobis vsitatis. De his hoc modo agetur.

Quare virtutes cardinales sic dicantur. Primo dicetur quare dicantur cardinales: licet non meminerim me legisse eas sic vocari in Canone Sacræ scripturæ, vel à prophetis, vel sacris expositoribus. Secundo, numerus earum ostendetur. Tertio, de singulis agetur. Quarto, diuisio earum quam Macrobius ponit, subnectetur. Circa primum notandum, quod quatuor de causis possumus intelligere eas dici cardinales.

Ratio 1. Primo propter stabilitatem. Cardo stabilis manet, licet ostium in eo vertatur. Prou. 26. *Sicut ostium vertitur in cardine suo: sic piger in lectulo suo.* Sic hæ quatuor virtutes stabiles sunt, licet ea circa quæ versantur, scilicet ea quibus vtendum est, sunt mutabilia, hæ quatuor virtutes animam quasi quadratam reddunt, & ideo stabilem vndique. Figura enim quadrata vndique stabilis est, Heb. 13. *Optimum est gratia stabilire cor.* Prudentia animam tenet in veritate vtili: ne per ignorantiã, vel errorem, vel curiositatem ab ea recedat. Temperantia tenet eam in necessitate, ne per superfluitatem vel diminutionem ab ea recedat. Fortitudo tenet animam in quadam æqualitate, ne aduersitas eam deiiciat. Iustitia in proximi vtilitate, vt ei non noceat: sed potius vtilitati eius intendat. Secundo, quia sicut ostium cardini innititur: sic tota conuersatio bona his quatuor virtutibus innititur: quæ conuersatio consistit in faciendo bonum, & patiendo malum. Bern. Bonam vitam ego puto, & mala pati, & bona facere, & sic perseuerare vsque ad mortem. Conuersatio bona quantum ad duo prædicta quasi ostium est quo intratur ad vitam beatam. Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Act. 14. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* Tertio, propter præeminentiam quam habent respectu cæterarum virtutum. Cardines enim dicuntur primæ partes cæli, vel terræ, vel maris. Deut. 30. *Si ad cardines cæli fueris dissipatus, inde retrahet te Deus.* 1. Reg. 2. *Domini enim sunt cardines terræ.* Iob. 36. *Cardines quoque maris operiet.* Sic virtutes istæ primæ sunt respectu aliarum virtutum. Et sicut Cardinales præsunt clero, & summus Põtifex per eos ardua operatur: sic hæ virtutes excellentiam habent respectu aliarum virtutum, &

anima per eas agit ardua opera in quibus salus consistit. Et sunt hæ virtutes cardinales, ornatus conuenientissimus Cardinalibus: vnde specialem amorem debent habere ad eas. Quarto, propter principalitatem: Cæteræ enim virtutes ad has aliquo modo reducuntur. Præterea istæ virtutes principales motus virium animę dirigunt. Prudentia actum rationalis, qui est discernere inter bonum & malum, vel inter duo bona quod melius, vel inter duo mala quod magis malum. Temperantia dirigit actum concupiscibilis, qui est velle bonum delectabile. Fortitudo actũ irascibilis qui est aggredi arduum, & sustinere quod est difficile ad sustinendum. Istæ ergo tres virtutes, tres actus principales trium virium animæ dirigunt quantum ad se: sed iustitia actus illos dirigit respectu proximi. Ipsa enim circuit omnes vires, vt dicit gloss. Isid. super Gen. 2.

4. Cardinales virtutes sunt ornatus Cardinalium illustris.

Munera virtutum cardinalium.

Capvt II.

De numero prædictarum virtutum.

Dicendum de numero prædictarum virtutum, qui officiis earũ satis potest declarari. Vnde notandum, quod Prudentia cæteris lumen præfert. Temperantia animam perficit respectu eius quod infra nos est. Fortitudo respectu eius quod contra nos est. Iustitia respectu eius quod est iuxta nos vel supra nos, respectu proximi vel Dei. Aug. Prudentia est, eligere quod eligendũ est. Fortitudo nullis auelli molestiis. Temperantia, nullis illecebris. Iustitia, nulla superbia. In lib. de spiritu & anima. Prudentia est in eligendis, temperantia in vtendis, fortitudo in tolerandis, iustitia in distribuendis. Tullius in lib. de offic. Honestas à quatuor partibus manat. Vna cognitionis. Altera communitatis. Tertia magnanimitatis. Quarta, moderationis. Cognitio pertinet ad prudentiam. Communitas ad iustitiam. Magnanimitas ad fortitudinem. Moderatio ad temperantiam. Hæ quatuor virtutes videntur esse contra quatuor affectus originales, quos Beda distinguit, sc. ignorantiam, infirmitatem, concupiscentiam, malitiam, vel malignitatem. Prudentia contra ignorantiam. Fortitudo contra infirmitatem. Temperantia contra concupiscentiam. Iustitia contra malitiam vel malignitatem. His quatuor virtutibus quasi quatuor lapidibus pretiosis constat corona sponsæ Christi. Prudentiam habet à parte anteriori, vt caueat à futuris. Iustitiam à posteriori, vt satisfaciat de præteritis. Temperãtiam à dextris, ne eleuetur in prosperis. Fortitudinem à sinistris, ne succumbat in aduersis. Cum virtus sit circa bonum, secundum verbum Sapientis. Quadrupliciter vero peccat anima circa bonum, sc. vel eligendo quod apparet bonum, cum non sit: vel illud quod vere bonum est, ac si non esset bonũ, fugiendo, eo quod molestum sit: vel appetendo quod simpliciter est bonum, cum sibi non sit bonum, eo quod non sit commensuratum: vel appetendo quod proximo est malum, eo quod bonum sibi. Prudentia est contra primum quæ prodit & manifestat non esse bonum quod apparet esse bonum. Fortitudo est contra secundum, quæ amplectitur quod molestum est tanquam bonum expediens: vt est medicina amara, vel incisio in corpore propter salutem corporis facta. Temperantia contra tertium, quæ cauet superfluum. Iustitia est contra quartum, quæ cauet proximi nocumentum. Prudentia cauet errorem qui est principiũ errorum malorum. Fortitudo excludit timorem sæculi. Sapiens: Fortitudinis est, non nisi turpia timere. Temperantia excludit cupiditatem sæculi. Hæc duo principia sunt omnis peccati. Vnde gloss. super illud Psalm. *Incensa igni & suffossa.* Omne peccatum duæ res faciunt sc. cupiditas & timor. Iustitia seruat amorem proximi. Est enim vinculum societatis humanæ: vt ait Sen. in lib. de quatuor virtutibus. Prudentia discutit quæ fallunt. Temperantia compescit ab his quæ irritant & alliciunt. For-

Opp[...] sitio virtu[...] card[...] & vi[...] rum[...]

Psa[...] Qu[...] prin[...] pia[...] nis [...] cau[...]

titudo sustinet quæ exterrent. Sen. in epistolis: Linienda sunt quæ me exterrent, compescenda quæ me irritant, discutienda quæ fallunt. Iustitia timet quod est timendum, & amat quod est amandum. Tull. in lib. de Offic. Nemo potest esse iustus, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet. Prudentia facit vt homo bene se habeat ad vera vel falsa. In prospicientia enim veri solertiáque versatur, iuxta verbum Tullii in lib. de Offic. Temperantia & fortitudo, vt bene se habeat ad prospera & aduersa. Iustitia, vt bene se habeat ad Deum & proximum. Prudentia, temperantia, fortitudo, & iustitia secundum aliquam acceptionem sui: accipiuntur enim diuersimodè, vt patebit cum de singulis agetur, videntur operari circa vnum & idem opus meritorium. Prudentia eligit quod agendum est. Temperantia cauet ne quid nimis. Fortitudo ne quid parum. Iustitia opus ordinat ad debitum finem. Prudentia prouidet speciem. Temperantia & Fortitudo modum. Iustitia ordinem. Numerus harum quatuor virtutum designatur in multis locis in Scriptura sacra. Primo in quatuor fluminibus paradisi, de quibus legitur Genes. 2. vbi dicit glos. Greg. *Quatuor flumina paradisum irrigant*: quia de his quatuor virtutibus cor infunditur, ab omni desideriorum carnalium æstu temperatur. Secundo in quatuor coloribus quibus decoratæ sunt cortinæ tabernaculi. Exod. 26. quæ signant has quatuor virtutes in quibus decor Ecclesiæ consistit. Hiacynthus aerii vel cælestis coloris pertinet ad prudentiam qua Deum & angelos specialiter imitamur. Byssus habens candorem, pertinet ad temperantiam, quæ candidam & mundam reddit animam. Purpura sanguinei coloris pertinet ad fortitudinem, quæ parata est sanguinem pro Christo fundere. Coccus ignei coloris pertinet ad iustitiam, propter zelum ipsius. Tertio in quatuor speciebus quibus conficiebatur vnguentum quo tabernaculum & vasa ipsius & ministri vngebantur. De quibus habetur Exod. 30. Myrrha prima pertinet ad temperantiam, quæ est in iuuentute. Tunc enim laudabilior est. Cinamomum, quod est cinerei coloris, quod cum frangitur in modum nebulæ spiramentum visibile emittit, vt dicit glos. super Exod. 20. pertinet ad humilitatem, quæ est omnis iustitia. Matth. 3. *Sic decet nos implere omnem iustitiam*: i. perfectam humilitatem. Casia quæ crescit in aquis pertinet ad prudentiam, quæ in aquis doctrinæ nutritur. Calamus arbor aromatica pertinet ad fortitudinem, quæ aduersa tolerando dat odorem suauitatis, vt species aromaticæ cum conteruntur redolent. His quatuor addito oleo diuini amoris, conficitur vnguentum bonæ famæ suauissime redolens. Ecclesiastic. 6. *Melius est nomen bonum quam pretiosa vnguenta.* Quarto, quatuor virtutes sunt quasi quatuor rotæ in curru igneo quo subleuantur amici Dei, 4. Reg. 2. Currus iste igneus est conuersatio ardenter amantium Deum. Quinto, commendatur numerus harum virtutum figuris quatuor animalium, aquila, vitulo, leone homine. De quibus Apoc. 4. & Ezech. 1. In aquila figuratur prudentia, cuius est vigilare in rebus discernendis, vt ait Aug. Aquila enim visum habet acutum: In vitulo temperantia. Vitulus enim immolabatur in lege. Temperantia vero exhibet corpora nostra Deo hostiam viuentem. Ad Rom. 13. In leone fortitudo. Prou. 30. *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum.* In homine iustitia, quæ vinculum est humanæ societatis: vt dictum est prius. Voluit Dominus quatuor esse Euangelistas, & quatuor Euangelia, ad designandum, quod illi qui doctrinam Euangelicam docent, & qui eam tenent, his quatuor Virtutibus pollere debeant.

[Margin: Vnde colligatur numerus virtutũ cardi- ... nalium.]

TERTIÆ PARTIS PRINCIPALIS de quatuor Virtutibus Cardinalibus,

TRACTATVS SECVNDVS.

De Prudentia.

CAPVT PRIMVM.

De ordine dicendorum in isto tractatu & de diuersis modis quibus sumitur nomen Prudentiæ.

INter has virtutes primo agetur de Prudentia quæ animas dirigit, de qua hoc modo agetur. Primo, distinguentur diuersi modi quib. hoc nomen Prudentia sumitur. Secundo, descriptiones eius ponentur: & quomodo ipsa sit virtus, ostẽdetur. Tertio, tangetur de diuersis eius actib. Quarto, commendationi eius insistetur. Quinto, tangetur de speciebus eius. Sexto, de his quæ aduersantur. Circa primum notandum quod hoc nomen Prudentia quãdoque sumitur pro eo quod apparet esse prudentia, cũ non sit. Sic sumitur ad Rom. 8. vbi dicitur. *Prudentia carnis mors est.* Glos. Prudentiam carnis habet quis, cum studiosus implet quæ carnis sunt, appetẽdo bona temporalia & fugiendo mala, & cum naturas rerum tantum sequitur. Prudentia vero ideo dicitur cum res stulta sit: quia ita videtur secularibus hominibus. Similiter quandoque sumitur pro sapientia apparenti, vnde subditur in eodem cap. *Sapientia carnis inimica est Deo.* Et 1. ad Corinth. 3. *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.* Quandoq; autem sapientia dicitur diuinarum & humanarum rerum cognitio, secundum verbum Sen. in episto. Et Tullius: in lib. de Offic. Et ista cognitio subdiuiditur in tres partes, moralem scilicet, & naturalem, & rationalem, vt tangit Sen. Prudentia vero dicitur scientia operandorum. Vnde Damasce. diuidit animam rationalem in duo. In id quod est in ea contemplatiuum, & id quod est in ea actiuum. Contemplatiuum est quod excogitat res prout habent esse. Actiuum vero quod consiliatiuum est, quod agenda dirigit. Et vocat contemplatiuum, intellectum: actiuum vero, rationem. Et dicit sapientiam pertinere ad contemplatiuum: prudentiam vero ad actiuum. Quandoque auctores pro eodem videntur sumere prudentiam & sapientiam. Vnde Prou. 16. *Qui sapiens est corde, appellabitur prudens.* Quandoq; vero sapientia sumitur pro cognitione diuinorum, & prudentia sumitur pro cognitione humanorum. Vnde super illud Psalm. *Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.* dicit glos. Sapientia ad diuinas res pertinet. Et post subditur. Prudentia scilicet de moribus. Et nota quod mos est habitus ex quo sine præmeditatione est frequentia operũ. Vel ab eo quod est mox, quia mora est ex ea operatio. Vel dicitur à mora, id est à diuturnitate assuefactionis. Aug. vero distinguit inter sapientiam & scientiam, in libro de Trinitat. Hæc est, inquit, sapientiæ & scientiæ recta distinctio, vt ad sapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis: ad scientiam vero

Quid sit prudentia.

Sapientia dicitur diuinarũ & humanarum rerum cognitio.

Psal. Diu... sæ cepi... nes... pien... & p... den...

temporalium rerum cognitio rationalis. Sapientia etiam sumitur pro sapida scientia, aut pro scientia sapore virtutum condita. Eccles. 6. Sapientia doctrinæ secundum nomen est eius. Sapida enim est: sicut nomen eius à sapore dictum videtur. Sapiens: Sinum oportet facere habituum fluentem delectationem & lætitiam. In hoc differt literatus malus à sapiente: quia literatus malus gaudet de hoc quod scit opponere & respondere de his quæ pertinent ad mores. Sapiens vero de hoc quod illa sunt. Bernard. in sermonibus. Inuenisti plane sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas, si huius sæculi desiderabilia paruipendas, si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. Inuenisti sapientiam, si tibi horum singula sapiunt prout sunt. Quandoque vero sapientia dicitur cognitio de Deo quasi per saporem eius habita, vt cum aliquis gustauit & vidit quam suauis est Dominus. Et hæc cognitio differens est ab illa qua aliquis credit Deum esse suauem: quia scriptura hoc dicit, sicut differt cognitio quam habet aliquis de dulcedine vini per gustum ab illa quæ est per auditum. Prudentia etiam quandoque sumitur pro virtute. Et hoc multipliciter: vel pro virtute, scilicet gratuita: vel pro virtute ex multis operationibus acquisita. Item quandoque sumitur large, vt comprehendat omnes virtutes cognitiuas. Et sic videtur eam sumere Tullius, dicens: Prudentia est rerum diuinarum & humanarum cum ratione bene viuendi iuncta cognitio. Rationem bene viuendi intellige discretionem bonæ vitæ. Prudentia enim est cognitio directiua bonæ vitæ. Quandoque vero strictius sumitur, vt non comprehendat fidem vel donum consilii, vel intellectus, vel scientiæ.

Capvt II.

De descriptione Prudentiæ. Et quomodo Prudentia sit virtus, cum videatur esse scientia.

Prudentia sic describitur ab August. in lib. de Moribus Eccles. Prudentia est amor, ea quibus adiuuatur in Deum, ab his quibus impeditur, sagaciter eligens. In libro vero de spiritu & anima dicitur, quod prudentia est scire quid anima debeat facere. Super illud Mart. 15. *Erant qui manducauerũt, quatuor millia.* dicit glos. Greg. Prima scilicet prudentia est cognitio rerum vitandarum & appetendarum. Et potest esse sumptum de verbis Tullii in l. de Offic. dicentis: Prudentia est appetendarum fugiendarumq; rerum sciẽtia. Describitur etiam sic prudentia in libro de requie mentis. Prudentia est rerum bonarũ & malarum cum alterarum dilectione, & reliquarum detestatione, scientia. Tullius eam sic describit in Rhetoricis: Prudentia est rerum bonarum & malarum & vtrarumque scientia. Hæc virtus discernit bona à malis, & bona ab inuicem, ostendendo quod sit melius: & mala ab inuicem, ostendendo quod sit maius malum. Sed quæritur quomodo Prudentia virtus sit, cum videatur esse scientia secundum multas descriptiones eius prius positas? ad quod videtur posse responderi, quod prudentia gratuita virtus est, quia est radius viuus à vero sole procedẽs. Cognitio quam habent mali circa ea quæ pertinent ad mores, cognitio est quasi mortua, inualida ad mouendum voluntatem, vt bono cognito consentiat, vel dissentiat à malo cognito. Sed prudentia virtus non solum est lumen illuminatus intellectum, sed etiam calefacit affectum, non solum enim ostendit quid, quando, & qualiter sit agendum, sed etiam mouet voluntatem vt appetat bonum post iudicium, vel fugiat malum. Rom. 8. *Prudentia Spiritus, vita.* Prudentia vero virtus consuetudi-

Descriptio prudentiæ.

An prudentia sit virtus

nalis ex frequentia operum relicta, non est idem cum scientia, quæ est communiter de his quæ sunt circa operationes voluntarias. Operationes vero ex quibus ipsa vt est virtus relinquitur, sunt singulares discretiones de singularibus fugiendis vel appetendis: non secũdum quod sunt in imaginatione tantum vel opinione, sed secundum quod sunt subiecta sensui. Accidit enim de multis, quod minus mouent ad hoc quod fugiantur vel appetantur dum sunt in imaginatione, quam dum sunt in sensu: habitus vero relictus ex his singularibus discretionibus potentior est ad mouendum voluntatem vt consentiat bono, vel dissentiat à malo, quam scientia moralis quæ est communiter de his quæ pertinent ad mores. Et videtur differre alter horum habituum à reliquo: sicut sciẽtia musicæ quam habet aliquis magister artium qui legit musicam in scholis, qui tamen nesciret cantare responsorium vnũ, differt à cognitione quam habet ille qui habet magisterium organizandi, in quo non solum est relictus habitus ad cantandum quantum ad vim apprehensiuam, sed etiam quantum ad vim motiuam & imperantem motum & exequentem. Similis differentia est inter habitum quem habet magister in medicina, qui scit legere libros medicinæ & pertinentes ad practicam & pertinentes ad theoricam, qui non habet consuetudinem operandi. Et notandum quod non est aliquis prudens prudẽtia virtute, eò quod sit prudens prudentia solum intellectu. Imo oportet quod ipse sit prudens intellectu, & affectu, & opere. Vnde vsus scripturæ & vsus communiter loquentium habent, vt imprudentes dicantur qui imprudenter operantur: licet prudenter intelligant quid, & quando, & quomodo sit agendum: Vnde prudentia virtus consuetudinalis non relinquitur in aliquo, nisi qui prudenter se habuit diu, prudenter intelligendo, prudenter volendo, prudenter agendo. Iob. 12. *In multo tempore prudentia*. Qui habet prudentiam

Imprudentes qui?

virtutem, habitũm habet ad prudenter discernendum, prudenter volendum, prudenter agendum. Ad hoc etiam quod prudentia sit virtus, videtur facere hoc, quod ipsa est cognitio boni vel mali, & talis boni vel mali, quod difficile est discernere: vt vitii, quod prætendit speciem virtutis. Ad hoc etiam quod ipsa sit virtus, videtur facere actus liberæ volũtatis præcedens eius cognitionem, quam August. vocat amorem discernendi ea quibus adiuuamur in Deum, ab his quibus impedimur. Cognitio pertinens ad prudentiam non est cognitio effecta per violentã probationem: sed est cognitio credulitatis, cuius consensus est sine necessaria coactione. Poterit etiam videri alicui, quod sic temperantia ordinat vim concupiscibilem ad delectationes sensuum: ita prudentia vt est generalis ad virtutes cognitiuas ordinet voluntatem liberi arbitrii ad operationes quæ pertinent ad vim rationalem. Voluntas enim liberi arbitrii penes quam est summa potestas in anima, ita potest se inordinatè habere circa operationes intellectus vel rationis, sicuti respectu sensuum. Vnde sicut necessariæ sunt aliquæ virtutes quæ ordinent eam respectu sensuum: sic necessaria est aliqua virtus quæ ordinet eam respectu intellectus. Et sicuti voluntas respectu eorum quæ sunt delectabilia secundum sensum, potest esse virtuosa & vitiosa: sic voluntas quæ est respectu cognitionum videtur posse esse & virtuosa & vitiosa, vel poterit forsitan videri alicui quod hoc sit quod Senec. intelligit in Epistolis nomine Philosophiæ, dicens: Sapientia bonum perfectum est mẽtis humanæ: Philosophia sapientiæ amor est & affectio. Item illud quasi consistit inter Philosophiam & sapientiam interesse. Neq; enim fieri potest vt idem sit quod affectatur & quod affectat: quomodo multum interest inter auaritiam & pecuniam, cum illa cupiat, hæc concupiscatur, sic inter Philosophiam & sapientiam. Idem: Alii Philosophiam studium virtutis esse

dixerunt, alij studium corrigendæ mentis. A quibusdam dicta est appetitio rectæ rationis.

Capvt III.

De diuersis actibus siue officiis Prudentiæ. Et de duodecim stultitiis quibus imprudentes in bello spirituali succumbunt.

SEquitur de diuersis actibus seu officiis prudentiæ. Notandum ergo, quòd ad prudentiam pertinet actus aliarum virtutum dirigere. Prou. 15. *Vir prudens dirigit gressus suos.* Ipsius est ostendere quid, quādo, & quomodo sit agendū. Ipsius est prouidere vt opera nostra sint Deo grata, nobis vtilia, proximo non iniuriosa. Ad eam videtur pertinere discretio illa de qua dicit Bern. super Cantic. Est discretio non tam virtus quàm quædā moderatrix virtutum, & auriga, ordinatrixque affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit. Et intelligas ibi eam virtutem vocari, inquantum dirigit proprios actus separatos ab actibus aliarum. Aurigam vero virtutum, inquantum alias virtutes dirigit in actibus suis. Eius est moderari feruorem præcipitantem Bernard. super Cantic. Virtus discretionis absque charitatis feruore iacet, & feruor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat. Ideoque laudabilis est cui neutrum deest, quatenus feruor discretionem erigat, & discretio feruorem regat. Prudentiæ est prouidere vt operibus nostris Deus glorificetur, & nobis præmium acquiratur, & exemplū bonum proximo præbeatur. Ad prudentem pertinet nolle fallere, & falli nō posse. Matt. 10. *Estote prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Prudentes, vt falli non possitis: simplices, vt fallere non velitis. Seneca in lib. quatuor principalium virtutū: Prudens fallere non vult, falli non poterit. Item prudentiæ est, res secundum veritatem existimare, non secundum multorum opinionem. Senec. in eod. lib. Quisquis prudentiam sequi desideras, tunc per rationem rectè viues, si omnia prius existimes & perpenses, & dignitatem rebus, non ex opinione multorum, sed ex earum natura constituas. Item quæcumque ex rebus transitoriis possides, non mireris: nec magnum existimes quod caducum est. Ipsius est non quam multis, sed quibus placeas, cogitare; nec quis dicat, sed quid dicatur attendere. Sen. in li. de quatuor virtutibus, cap. de Prudentia. Non te moueat dicentis auctoritas: nec quis, sed quid dicat intendito: nec quam multis, sed qualibus placeas cogitato. Item prudentiæ est, quæ nobis commissa sunt, ad Dei gloriam & vtilitatem dispensare. Matth. 24. *Quis, putas, est fidelis seruus & prudens, &c.* Et Luc. 12. *Quis, putas, est fidelis dispensator & prudens?* Sen. Non apud te quæ habes tanquam aliena seruabis: sed pro te, tanquam tua & dispenses, & vtaris. Item prudentiæ est cauere ne aliquid leuiter inchoëtur, vel inchoatum ante perfectionem de facili relinquatur. Senec. eodem lib. Scito in quibusdam te debere perseuerare quia cœpisti: quædam vero nec incipere in quibus perseuerare sit noxium. Idem in epistolis: Melius est vt proposita custodias, quam vt honesta postpœnas. Ipsius est mutabilitatem cauere. Seneca in lib. de quatuor virtutibus, cap. de Prudentia: Si prudentiam amplecteris, vbique idem eris, & prout rerūm aut temporis varietas exigit, ita te accommodes tempori, nec te in aliquibus mutes, sed potius aptes, sicut manus quæ eadem est, & quum in palmam extenditur, & quum in pugnum constringitur. Ecclesiast. 27. *Homo sanctus in sapientia manet sicut sol: nam stultus sicut luna mutatur.* Item prudentiæ est turpia in occulto sicut in publico cauere. Senec. in eodem: Id opta quod optari coram bonis potest. Item ipsius est humilem statum diligere. Senec. in eodem. Nec altiori te rei imponas, in qua stanti tibi tremendum, ascendenti cadendum sit. Ipsius etiam

est in prosperis potius quam in aduersis consulte agere. Senec. in eodem: Tunc consilia salutaria aduoca: cum tibi alludit vitæ prosperitas, tunc te velut in lubrico, retinebis ac sistes. Potius indiget lumine qui incedit per loca lubrica, quam qui incedit per arida. Item prudentiæ est non solum interiora, sed etiam exteriora ordinare. Prouer. 17. *In facie prudentis relucet sapientia: oculi stultorum in finibus terræ.* Eccles. 19. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo. Item prudentiæ est actus rationis ordinare. Primus actus rationis est cogitare, quem dum prudentia ordinat, nõ solum cogitationes noxias, sed etiam otiosas cauet. Ierem. 4. *Vsquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Senec. Cogitationes vagas & inutiles & velut somno similes non recipies: quibus si animum tuum non oblectaueris, quum omnia disposueris, tristis remanebis. Ratio etiam dicitur habere quatuor partes prout ad sensibilem comparatur: sic inuentiuam, siue inuestigatiuam, iudicatiuam, memoratiuam, & interpretatiuam. Rationem inuestigantem prudẽtia ordinat, dum eam cohibet ab inquisitione inutilium vel nimis difficilium. Prouerb. 23. *Ne erigas oculos tuos ad opes quas habere non potes.* Ibidem: Prudentiæ tuæ pone modum. Seneca: Illud quære quod potes inuenire: sed disce quod potes scire, Ecclesiast. 3. *Altiora te ne quæsieris.* Et paulo post: *In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter: & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus.* Rom. 12. *Non plus sapere quàm oportet sapere.* Esaiæ. 19. *Confundentur qui operabantur linum, plectentes & texentes fila subtilia.* Item prudentia rationem inquirentem dirigit, dum causam factorum requirere facit. Senec. in tractat. de quatuor virtutibus, cap. de prudentia. Cuiuscunque facti causam require: quum initia inueneris, exitus cogitabis. Item rationem dirigit inquirentem, dum eum ex aliis alia coniicere facit, vt ex præsentibus futura. Seneca: Consilium peritorum ex apertis obscura existimat, & ex paruulis magna, ex proximis remota, ex partibus tota. Idem: Si prudens esse cupis, in futurum prospectum intende. Dirigit etiam rationem inquirentem quantum ad ordinem sciendi, & studium, & finem. Bern. super Cantic. Scire ea prius ampliusque curato quæ senseris viciniora saluti. Idem: Scias modum sciendi, vt scias quo ordine, vt id prius quod maturius ad salutem: quo studio, vt id ardentius quo vehemẽtius ad amorem: quo fine, vt tantum ad ædificationem tui vel proximi. Idem: Sunt qui scire volũt eo fine tantum vt sciant: & turpis curiositas est. Alij vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Alij vt scientiam suam vẽdant, aut pro pecunia, vel pro honoribus, & turpis quæstus est. Alij vt ædificent, & prudentia est. Rationem iudicantem prudẽtia multipliciter dirigit. Primo, dum eam cohibet à quibusdam iudiciis, quæ ei non sunt licita: vt est iudicium de incertis, quod prohibetur Matth. 7. Et Lucæ 6. *Nolite,* inquit, *iudicare,* Gloss. Duo sunt in quibus iudicium temerarium cauendum est. Sunt. n. quædam media & incerta quo animo fiat, quæ bene & male possunt fieri. Nescimus enim qualis futurus sit qui nunc apparet malus, de cuius correctione desperare, eumque quasi abiectum reprehendere, temerarium iudicium est. 1. Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare.* Item cohibet rationem à iudicio vsurpatiuo, quod est quando aliquis iudicat personam quæ sibi subiecta non est. Gloss. super Matt. 7. Temerarium iudicium est, quãdo quibus non est commissum iudicium iudicant. Rom. 14. *Tu quis es qui iudicas alienum seruum?* Item prudentia rationem iudicantem dirigit, dum eam à lenitate, vel nimia tarditate credendi custodit. Et omnibus enim, & nulli credere vitium est, vt ait Sen. Qui leuiter credit, vitiose agit. Eccl. 30. *Qui cito credit, leuis est corde.* Senec. Prudentis proprium est examinare consilia cito facili

Prudẽtiæ actus Rationis pulchre dirigit.

Partes Rationis quatuor sunt.

In… bus… dic… tem… riũ… uen…

credulitate ad falsa prolabi, Prudens non nisi iudicio credit, & non nisi examinatam sententiam in consensum credulitatis admittit. Senec. Opiniones tuæ iudicia sint. Sicut in disputationibus non admittimus nisi manifeste vera, vel quæ vis probationis extorserit: sic in consensum credulitatis nõ debemus admittere nisi vel manifesta, vel ea de quibus sit nobis plena fides: quod præcipue seruãdũ est in his quæ non expedit nobis credere: vt sunt mala quæ nobis dicuntur de proximo, quæ amorem nostrum ad proximum lædere solẽt, & dare occasionem despiciendi proximum. Itẽ prudentia rationem iudicãtem dirigit, dũ eam cohibet, ne vel dubia temere definita, vel verisimilia affirmet. Senec. De dubiis non diffinitis suspensam tene sententiam. Nihil inexpertum affirmes: quia non omne quod est verisimile, statim verum est, sicut & sæpius, quod primùm incredibile videtur, non continuo falsum est. Crebro faciẽ mendacij veritas tenet: crebro mendacium facie veritatis occultatur. Nam sicut aliquando frontem tristem amicus, & blandam adulator ostendit: sic verisimile coloratur, & vt fallat conatur. Rationem etiam memorantem prudentia dirigit, dũ salubria facit reminisci, & noxia obliuisci. Salubria ad reminiscendum sunt vt beneficia Dei vel proximi: noxia, vt iniuriæ proximi. Item inter bona præsentia mala facit reminisci contra elationem superbiæ, & inter mala præsẽtia bona cõtra deiectionẽ nimiam. Ecclesi. 11. *In die bonorum ne immemor sis malorum, & in die malorum ne immemor sis bonorum.* Rationem etiam prout eius est sermonem interpretari quod excogitauit, prudentia dirigit, dum sermonem moderatur. Prou. 10. *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est.* Eccl. 21. *Labia imprudentum stulta narrabunt: verba autem prudentũ statera ponderabuntur.* Sen. Sermo tuus non sit inanis: sed aut suadeat, aut moneat, aut consoletur, aut præcipiat. Lauda parce, vituperato parcius. Similiter enim reprehensibilis est nimia laudatio vt immoderata vituperatio. Illa siquidem adulatione, ista malignitate suspecta est. Testimonium veritati, non amicitiæ reddas. Cũ cõsideratione promitte: plenius quã promiseris præsta. Prudentis est taciturnitatẽ amarẽ. Prou. 11. *Vir prudẽs tacebit.* Eccl. 19. *Est tacẽs, & ipse est prudens.* Prudentia etiam rationem dirigit circa ipsam prudentiam, vt non prudentiæ suæ innitatur, nec facile se credat prudentiam habere. Prou. 13. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Rom. 12. *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* Item Esa. 5. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Item ad prudentiam pertinet prouidere ne totũ tempus detur actioni. Sen. Nõ semper in actu sis, sed interdũ animo tuo dato requiem, & requies ipsa plena sit sapiẽtiæ studiis & cogitationibus bonis. Bern. in lib. de cõsideratione. Non te totum, nec semper des actioni: sed considerationi aliquid tui & cordis & corporis sequestra. Cõsideratio ipsius actionis partes benigna præsumptione suas facit, præagendo quodammodo & præordinando quæ agenda sunt necessario. Sane ne forte quæ præuisa & præmeditata poterãt esse proficuo, præcipitata magis pericula fiant. Item prudentia insidias præcauet. Aug. Prudẽtia est in præcauendis insidiis. Ipsa etiam in bello spirituali triumphat. Exemplum habemus de hoc in Christo, cuius prudentia percussit superbum. Iob 26. Ipse tribus verbis Scripturæ sacræ in deserto diabolum prostrauit. Matth. 4. Prou. 24. *Vir sapiens fortis est, & doctus, robustus, & validus: quia cum dispositione initur bellum, & erit salus vbi multa consilia.* Eccl. 9. *Ciuitas parua, &c.* Et subditur *Inuentus est in ea vir pauper & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam.* Et subiungit Salomon: *Dicebam ego sapientiam meliorem fortitudine.* Et in eod. *Melior est sapientia, quam arma bellica.* Et Sap. 5. *Melior est sapientia, quam vires: & vir prudens magis quam fortis.* Eiusdem 7. *Sapientiam non vincit malitia.* Et 24. Econ-

trario stultitia vel imprudētia in bello spirituali succumbit. Baruch. 3. *Quoniam non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam.* Tullius in Rhetoricis: Parua foris sunt arma: nisi sit consilium domi.

De stultitiis quibus prudentes in bello spirituali succumbunt.

DE stultitiis vero quasi innumeris quibus imprudentes in bello spirituali succumbunt, causa breuitatis paucas enumeremus. Prima est eorū qui ante pugnā
1. se armare nolunt: sed tunc primo arma accipiunt, cum dolorem vulnerum sentiunt. Tunc primo patientiæ vel humilitatis clypeum sumunt, quum gladio maligno linguæ venenatę sunt vulnerati. Ecclesiast. 2. *Præpara animam tuā ad tentationem.* Præparatio ista est excogitatio de modo resistendi tentationi, quod faciendum est ante tentationem. Semper enim deberent incedere armati, qui sunt inter hostes suos. Modum conuenientissimum resistendi tentationi quæ est per linguas venenatas, Christus ostendit, in sūma taciturnitate blasphemias persecutorum audiens. Esa. 53.
Psal. 34. *Quasi agnus coram tondente se, obmutescet, & non aperiet os suum.* In Psalmista: *Ego*
2. *tanquam surdus non audiebam, &c.* Secunda est eorum qui sumunt arma nimis onerosa, præcipue quum non habeant eorum consuetudinem qui quandoque eorum ponderositate deiiciuntur, vt qui nimis ieiunant vel orant. Dauid Saul deposuit, quia ponderosa erant, & non habebat eorum consuetudinem, & leuibus armis vi-
3. cit 1. Reg. 17. Tertia est eorum qui in ipso conflictu arma sua proiiciunt, quando ea fortiter tenere deberent, scilicet patientiam & humilitatem. Vnde dictum est Boetio: Talia tibi contuleram arma, quæ nisi prior abiecisses, inuicta te firmitate
4. tuerentur. Quarta est eorum qui ex ea parte qua debiliores sunt, & qua magis à diabolo impugnantur, minus se muniunt, quum è contrario esset faciendum. Qui videt se ad auaritiam pronum esse, multū deberet conari ad largitionem eleemosynarum: vt faciunt qui lignorum tortuosa dirigunt, iuxta verbum Philosophi, multum enim inflectunt ea in contrarium, vt sic ad rectitudinem reducant. Quinta est 5.
eorum qui nolunt resistere hostibus in loco vbi facilius possent. Ad portas castri hostibus resistendum est, aut in aliquo loco alto & arcto vbi paucitas multis resistat. Et non tunc primo resistendum est, quando totum castrum, vel totam terram occupauerunt. Sic ad portas sensuum hostibus spiritualibus est resistendum. In alto etiam eminentis vitæ ponere nos debemus: quod altum multis occupationibus faciendum est angustum, vt hosti via non pateat, & ibi hosti resistendum est. Sic Eliachim præcepit obtineri ascensus montium per quos via poterat esse in Ierusalem: vt legitur Iudith. 4. Sexta est eorum 6. Psal.
qui nolunt hostem interficere dum paruulus est, non attendentes illud Psalm. *Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram.* Tales nolunt hosti resistere donec fuerint ab eo interfecti. Poeta: 136.

Principijs obsta, sero medicina paratur.

Hieron. Lubricus est antiquus serpens: & nisi capite teneatur, statim totus illabitur. 7.
Genes. 3. dictum est serpenti de muliere, *Ipsa conteret caput tuum.* Septima est illorum qui cōtra suos pugnant, & hostes suos amicos reputant. Cum peiores inimici quos habemus, sint proprius sensus & propria voluntas: contradictiones quæ proprium sensum inpugnant, & persecutiones quæ impugnant propriam voluntatē, sunt adiutoria nobis à Deo missa contra pessimos hostes nostros. Vnde contra suos pugnant qui talibus repugnant. Econtrario fauores hominum & applausus, hostes nostri sunt qui nos decipiunt, licet hoc multi non intelligant. Prou 7. *Vade contra*
virum stultum & nesciet. Octaua est eorum 8.
qui de propè volunt pugnare cū hoste, qui ex propinquitate vires assumit, & ex elon-

gatione vires amittit: vt est fornicatio, & cætera vitia ad voluptatem pertinentia. Ideo dicitur Corinth. 6. *Fugite fornicationem*. Nona est eorum qui fugiendo hostem
9. vitare volunt, qui fugientes magis insequitur. Vt faciunt illi qui aduersa huius mundi nimis timent. Senec. Quemadmodum perniciosior est hostis fugiẽtibus: sic omne fortuitum incommodum magis instat cedenti & auerso. Multum miratus fuit Iosue videns populum Domini fugiẽtem. Iosue 6. *Domine Deus*, inquit, *quid dicam videns Israelem hostibus suis terga vertentem?*
10. Decima est illorum, qui quum pugnandum esset contrariis, pugnant similibus, vt odio contra odium, garrulitate cõtra garrulitatem, stultitia cõtra stultitiam. Potius amore cõtra odium pugnandũ est, sicut aqua pugnatur contra ignem. Prouerb. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*. Taciturnitate contra garrulitatem. Sapiens: *Garrulo respondere, conuitium est*. Ecclesi. 8. *Ne litiges cum homine linguato: neque struas in ignem ipsius ligna*. Sapientiâ contra stultitiam. Prouer. 26. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris*.
11. Vndecima est illorum qui laborãt in impugnatione hostium suorum, quos gloriosius sine ictu possent vincere patiẽdo. Prouerb. 17. *Melior est vir patiens viro forti, &c.* Et eiusdem 20. *Ne dicas, reddam malum pro malo: expecta Dominum, & liberabit te*. Liberabit, inquam, à labore & periculo vindicandi te. Præterea ad plenum vindicabit te, hostem tuum patibulo in-
12. fernali tradendo. Duodecima est illorum qui iuuãt hostem suum, ad sui interfectionem. Gregor. Non est timendus hostis qui non potest vincere nisi volẽtem. Sicut diabolus non potest vincere nisi volentem: ita nec occidere nisi iuuantem. Diabolus cordi gladium applicat, quando malam cogitationem immittit. Impingis & infigis gladium cordi tuo, quando consentis, & sic diabolum iuuas. Item diabolum iuuat, qui sciens volens vadit ad foueam in qua diabolus vult eum præcipitare, Prouerb. 23. *Fouea profunda meretrix*. Deberet proponere qui tentatur de peccato carnis quod non ibit ad locum vbi illud committat, nisi diabolus illuc eum portet. Item diabolum iuuat qui gladium ei conducit quo ab eo interficiatur: vt qui dat aliquid mulieri vt peccato suo consentiat.

CAPVT IV.

De commendatione Prudentiæ.

Dicto de officio Prudentiæ, insistendum est commendationi ipsius. Et notandum, quod multa quæ dicta sunt de officio prudentiæ, valere possunt ad eius commendationem. Prẹter illa vero, Primo
Variæ prudẽtia cõmendatur.
1. facit ad eius commendationem multiplex admonitio quam Scriptura sacra facit ad eam, Matth. 10. *Estote prudentes*, &c. 1. Pet. 3. *Estote prudentes*, *&c*. Prouerb. 4. *In omni possessione tua acquire prudentiam*. Prouerb. 4. *Attendite vt sciatis prudentiam*. Eiusdem 16. *Acquire prudentiam, quia pretiosior est argento*.
2. Secundo, quod filius Dei ore proprio eã docere voluit. Prou. 2. *Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia*. Nec solo ore eã docuit, sed opere, persecutores prudenter declinando, Ioa. 8. *Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo*.
3. Tertio, quia ipsa est nobilis species cognitionis. Prouer. 9. *Scientia sanctorum prudẽtia*. Vnde ad cõmendationẽm eius faciunt, quæ pertinent ad commendationem sapientiæ de qua habetur multum in libris Salomonis, quasi ferè per totum, & specialiter Prouerb. 3. vbi dicitur, *Beatus homo qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia. Melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti*. Et in eod. *Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam*. Et eiusdem 8. *Melior est sapientia cunctis operibus pretiosis & omne desiderabile ei non potest comparari*. Et eiusdem 16. *Posside sapientiam quæ melior est auro*. Et 19. *Vbi non est scientia, animæ non est bonum*. Et Sapient. 8. *Omne aurum comparatione sapientiæ arena est exigua, & quasi lutum æstimabitur argentum*

in conspectu illius. Eiusd. 10. *Vani sunt homines in quib. non subest scientia Dei.* Eiusd. 9. *Si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo fugerit sapientia tua, in nihilum computabitur.* Esa. 30. *Diuitiæ salutis sapientia & scientia.* Ose. 6. *Scientiam Dei volui plusquam holocaustum.* Sapientia Deum lætificat, Prouerb. 10. *Filius sapiens lætificat patrem suum.* Et eiusdem 14. *Acceptus est regi minister intelligens.* Ecclesiast. 10. *Homo prudens placebit magnatibus.* Hominem etiam à periculo liberat. Prouerb. 11. *Iusti liberabuntur scientia.* Simile habetur Ecclesiast. 9. *Liberauit vrbem per sapientiam suam.* Ipsa etiam hominem in bono conseruat. Prouerb. 2. *Prudentia seruabit te.* Item domum Ecclesiæ roborat. Prouerb. 24. *Domus prudentiâ roborabitur.* Sapientiam astutia diaboli non superat. Esa. 9. *Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini.* Loquitur de serpentibus, per quos intelligere potes serpentes infernales. Serpens ex virga Moysi factus, serpentes Magorum deuorat. Exod. cap. 7. Sapientia enim sanctorum astutiam diaboli superat. Astutiæ diaboli multæ sunt, quas ponit Gregor. in Moral. Intuetur, inquit, inimicus generis humani vniuscuiusque mores cui vitio sint propinqui, & illa apponit ante faciem ad quæ cognoscit facilius inclinari mentem, vt blandis ac lætis moribus sæpe luxuriam, nonnunquam vanam gloriam: asperis vero mentibus iram, superbiam vel crudelitatem proponit. Ibi ergo decipulam ponit vbi esse semitam mẽtis conspicit. Psalm. *In via hac qua ambulaui, abs-*
Ps. 141. *conderunt superbi laqueum mihi.* Idem in eodem. Sæpe antiquus hostis postquam menti nostræ tentationum certamen inflixerit, ab ipso suo certamine ad tempus recedit: non vt suæ malitiæ finem præbeat, sed vt corda quæ per quietem secura reddiderit, repente rediens facilius inopinatus irrumpat. Idem: Antiquus aduersarius cumque accuset mala non inuenit ipsa ad malum bona inflectere quærit; Cumque de operibus vincitur, ad accusandum verba perscrutatur. Cum nec in verbis accusationem reperit, intenrionem cordis fuscare contendit. Idem: Quia diabolus fructus arboris in hyeme & in æstata virides conspicit: quasi vermem ponere ad radicem quærit, secundum Greg. Antiquus hostis bona nostra insequitur tribus modis. Aliquando in bono opere intentionem polluit, vt omne quod in actione sequitur impurum sit: Aliquando vero intentionem vitiare non præualens, in ipsa actione homini quasi se insignem proponit, vt securior factus de victo vitio quasi insidiis perimatur. Aliquando vero nec intentionem vitiat, nec in itinere supplantat: sed opus bonum in fine actionis illaqueat Idem in Moral. Sæpe de ipsa victoria bellum agitur, vt cum immunda cogitatio vincitur, victoris animus elatione pulsetur. Quarto, facit ad commendationem prudentiæ, quod ipsa videtur esse perfectio nobilioris potentiæ, quam temperãtia vel fortitudo. Vis enim rationalis, quam ipsa perficit, videtur esse nobilior concupiscibili & irascibili quæ temperantia & fortitudine perficiuntur: quod autem nobilius est, melius est & magis eligendum. Quinto, prioritas quam habet respectu cæterarum virtutũ. Virtus enim cognitiua videtur præcedere affectiuam. August. Vt maius est voluntatem Domini facere quam nosse: ita prius est nosse quam facere. Idem: initium obedientiæ est quid præcipiatur velle cognoscere, & pars est obsequii didicisse quod facias. Sexto, magisterium quod habet respectu cæterarum virtutum. Ad eam enim pertinet illa discretio, de qua dixit Antonius: Discretio conseruat omnes virtutes, & fit genitrix & custos moderatrix virtutum, & perducit fixo gradu intrepidum monachum ad Dominum: quia nulla virtus potest perfici & stare sine discretione: sine hac posse videtur potius nocere homini quam prodesse. Gregor. Virtus quo

Bona oper. hosti anti- quus sequ- tur.

plus se posse conspicit, eo sine moderamine rationis deterius in præceps ruit. Sine prudentia, quasi de homine tenebras incurrimus. Gre. Qui importune radios solis aspicit, tenebrescit, & inde nihil videre compellitur, vnde amplius videre conatur: vnde nosmetipsos dum plus iusto discutimus, & ipso discretioonis studio indiscretius erramus. Sine hac si virtus teneatur, intermittitur: cum vero per hanc intermittitur, melius tenetur. Gregor. in Moral. Plerumque virtus cum indiscrete tenetur, amittitur: cum discrete intermittitur, plus tenetur. Ex studio namque arcus distenditur, vt in suo tempore cum vtilitate tendatur. Idem: Non eadem res est semper virtus, quia per momenta temporum sæpe merita mutantur actionum. Vnde fit vt cum quid bene agimus plerũque melius ab eius actione cessemus: & laudabilius ad tempus deserat, quod in suo tempore mens laudabiliter tenebat. Bernard. in sermonibus: Non in facto laus est: sed in eo quemadnodum fiat. Et huius: Insani sapiens nomen feret, æquus iniqui, vltra quam satis est virtutum si petat ipsam. Septimo, quod ipsa bona Domini nobis commissa multiplicat: sine ipsa inutiliter, imo damnabiliter absconduntur vel dissipantur. Ad absconsionem pertinet parabola de talentis, Matth. 15. Et parabola de seruis quibus tradidit paterfamilias decem talenta. Lucæ 16. De dissipatione vero habetur Luc. 16. de villico qui diffamatus est apud Dominum suum, quasi dissipasset bona ilius. Et Prouerb. 21. *Thesaurus desiderabilis & oleum in habit aculo iusti, & imprudens homo dissipabit illud.* Octauo, quod prudentia se habet ad spiritum rationalem iudicantem, sicut assessor discretus & fidelis, quo assistente laudabiliter iudicatur. Si vero defuerit, peruertitur iudicium Prouerb. 18. *Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam.* Nono, quod ipsa est lucerna in viam paradisi dirigens. Qui non habet prudentiam, iecet sit magnæ & altæ scientiæ, similis est homini in altum respicienti, & vbi pedem suum ponat non videnti, qui de facili potest corruere. Augustin. super illud 1. Corinth. 8. *Scientia inflat.* Præponenda est sapientia scientiæ. Melius enim est scire infirmitatem nostram, quam naturas rerum. Laudabilior est animus cui nota est infirmitas sua, quam qui ea non respecta, syderum vias scrutatur & terrarũ fundamenta & fastigia. Idem super Genes. 2. De forma & figura cœli multi disputant, quas res maiori prudentia nostri omiserunt auctores: discentibus ad beatã vitam non profuturas, occupantes quod prius est malum pretiosa & rebus salubribus impendenda temporum spatia. Si affuerit prudentia, vere potest homo sapiens reputari. Si vero defuerit: vere potest homo stultus reputari. Prudentiam vero intellige cognitionem operandorum. Prouerbior. 14. *Callidi est intelligere viam suã:* quid scilicet agendum sit, *& imprudentia stultorum errans.* Ignorat enim quid agendum sit. Et in eod. *Fatuitas stultorum imprudentia*, id est, ignorantia agendorum. Decimo, quod animalia irrationalia etiam minima docent nos eam: vt serpentes, & formicæ, & similia. Senec. Pudeat ab exiguis animalibus nos trahere mores Prouerb. 30. *Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sapientiora sunt sapientibus:* Formicæ populus infirmus, quæ pręparant in messe cibum sibi. Lepusculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum: Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas. Stellio manibus nititur, & moratur in domibus regum. In formica commendatur nobis prouidentia. In lepusculo qui est animal timidum velociter fugiens, & in petra collocãs cubile suum, diffidentia de propriis viribus, & confidentia in Deo, quæ reperitur in hominibus timoratis. In locusta vero, quę saltat, & post saltum decidit, ardens desiderium ęternorum cum consideratione propriæ infirmitatis. In stellione qui est lacertulus quasi depictus & stellatus, qui alas non habet,

ſed manibus nititur, diligentia in operatione, quæ defectum ſupplet naturæ. Vt enim dicit gloſſ. ingenioſi per negligentiam in imis remanent: ſed ſimplices quos ingenij pœna non adiuuat, ad obtinenda regni æterni præmia virtus operationis leuat. Et qui natura tardi ſunt ingenio, ſolertia induſtriæ ſuæ ad diuinarum notitiam ſcripturarum, vel ad virtutum gratiam quibus cœlum mereantur, attingunt. Prudentia defectus ſupplet: ſicut prouidētia ſupplet infirmitatem formicæ. Prudens enim tempus neceſſitatis præoccupat, prouidendo ſibi tempore opportuno. Item prudens in Deo confidens, fortitudinem ſuam in Dei fortitudinem mutat. Eſa. 40. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Item quod per ſe non poteſt, multitudine efficit, ſicut multitudo locuſtarum concors egreditur ad depaſcendum viridia. Supplet etiam prudens diligentia, quod minus habet à natura. Serpēs docet nos etiam prudentiam aſtutia ſua, Matth. 10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.* Et ſunt 5. aſtutiæ ſerpentis quibus prudentia ſanctorum debet aſſimilari. Prima eſt, quod caput ſuum ſumme cuſtodit, pro eo cætera membra exponendo. Nec immerito: cum capite illæſo viua quantumcunque cætera membra lædantur. Sic ſancti pro Chriſto, qui eſt caput eorum, ſe & ſua exponere non timent. Prouerb. 12. *Qui negligit damnum propter amicum, iuſtus eſt.* Philip. 3. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta.* Nec mirum ſi ſancti omnia pro Chriſto exponunt: quia eo ſaluo, omnia ſunt eis ſalua, etiam capilli. Matth. 10. *Capilli capitis veſtri numerati ſunt.* 2. Machab. 4. *E cœlo iſta poſſideo: ſed propter Dei leges nunc iſta deſpicio, quia ea me ab ipſa recepturum ſpero.* Secunda eſt, quod ſerpens ſe in arcto foramine ponit, vbi pellem veterem deponit. Sic prudentes in arcta via pœnitentiæ ſe ponunt, vbi pellem veteris hominis deponunt. Epheſ.

Aſtutiæ ſerpentis quinque.

3. *Deponite vos ſecundum priſtinam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria carnis.* Et nota quod duo exiguūtur ad hoc quod ſerpens in foramine pellem deponat, ſcilicet foraminis anguſtia. Si enim eſſet latum, ſine difficultate tranſiret, & veterem pellem retineret. Et ſtabilitas foraminis: niſi enim eſſet ſtabile, potius foramen ſecum ferret, quam pellem ibi relinqueret. Sic pellem veteris conſuetudinis non deponunt in clauſtro qui in eadem libertate volūt eſſe in clauſtro in qua fuerant in ſæculo. Item qui manentes in ſęculo nullam habēt propoſiti firmitatē, in pœnitentiis quas agunt de facili ſecum diſpenſantes. Tertia eſt, quod ſerpens vnam aurem terra obſtruit & aliam cauda, ne vocem incantatoris audiat: ſecundum illud Pſalm. *Sicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas.* Sic ſancti viri aurem vnam obſtruunt memoria mortis, & aliam conſideratione propriæ fragilitatis, & ne ſuggeſtioni diaboli acquieſcant, attendentes ex quot & qualibus cauſis perire poſsūt. Eccleſiaſt. 7. *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Qui caſtrum corporis ſui luteum intelligit, non præſumat facere guerram cum omnipotente. Quarta eſt, quod ſerpens calcaneo mulieris inſidiatur. Geneſ. 3. Sic ſancti, fini qui conſequitur opera carnis inſidiantur, ex eo oſtendentes deſideria carnis fatua eſſe. Iob. 3. *Quaſi vna ex ſtultis mulieribus locuta es.* Auguſtinus: Deliciæ carnis hîc non ſatiant, & in futuro damnant. Vbicunque caro quærit refectionem, inuenit defectionem, Gregor. qui præſenti ſuauitate capitur, quaſi per amœna prata ad interitum ducitur. Quinta eſt, quod propter inimicitias quas habet cum homine, habitat in deſerto, vel latet ſub ſpinis vel herbis. Sic veri ſancti agnoſcentes inimicitias quas habet mundus cum eis, fugiunt eum. 1. Ioan. 3. Nolite mirari, ſi odit vos mundus.

Pſal.

CAPVT V.

Capvt V.

De speciebus Prudentiæ, & triplici eius diuisione: de memoria & obliuione, de prouidentia, de diuisione prudentiæ secundum Sen. de diuisione eius in prouidentiam, circumspectionem, cautionem, docilitatem. De 12. quæ iuuant ad hoc quod aliquis bene doceat, & de tribus quæ doctor debeat attendere in sua doctrina, & de septem quæ valent ad hoc vt quis bene addiscat.

Virtus cognoscitiua triplex.

SEquitur de speciebus Prudentiæ. Notandum ergo, quod prudentia prout comprehendit omnem salubrem cognitionem siue virtutem cognitiuam. Primo modo videtur posse distingui in virtutem cognitiuam diuinorum & humanorum. Virtus vero cognitiua diuinorum, triplex videtur esse. Prima acquiescit auctoritati, scil. fides. Secunda rationi, scilicet donum intellectus. Tertia est, animum diuinam suauitatem gustando experiri, scilicet donum sapientiæ. De duabus primis dicit Aug. in lib. de Vtilitate credendi: Quod credimus, debemus autoritati, quod intelligimus, rationi. De tertia dicitur in Psal. *Gustate & videte*, &c. Prima cognitio de Deo, statui incipientium sufficit. Secunda competit statui proficientium. Tertia statui perfectorum Bernar. ad fratres de monte Dei. Sunt animales, qui nec ratione per se aguntur, nec affectu trahuntur: & tamen auctoritate promoti, vel doctrina commoniti, vel exẽplo prouocati approbant bonum vbi inueniunt, & quasi cœci, sed ad manum tracti, sequuntur. Sunt rationales qui per rationis iudicium & naturalis scientiæ discretionem habent cognitionem boni & appetitum, sed nondum habent affectum. Sunt perfecti qui spiritu aguntur, qui à Spiritu sancto plenius illuminantur: & quia sapit eis bonum citius trahuntur affectu, sapientes vocantur. Virtus verò cognitiua humanorum, vel est cognitiua rerum quæ propter hominem à Deo factæ sunt, quæ specialiter attendit bonum & malum in eis, quæ videtur esse donum scientiæ: vel attenditur circa ea quæ ab homine propter Deum agenda sunt. Quæ duplex est: scilicet prudentia sumpto nomine stricte: & hæc attenditur circa agenda communiter. Et donum consilij, quod attenditur circa ardua, quæ propter arduitatem suam non sunt in præcepto, circa quæ maxime præcipitatio cauenda est. Videtur etiam prudentia posse distingui, sicut Seneca scientiam moralem diuidit. Cuius pars vna rebus pretia imponit, recte existimãs vnamquamque. Secunda affectus ordinat impetus animi refrænans. Tertia, quid, quando, vbi & quemadmodum agi debeat, determinat. Secundum Tullium vero in Rhetoricis, distinguitur prudentia in memoriam, intelligentiam, prouidentiam. Memoria est per quam animus repetit illa quæ fuerunt. Intelligẽtia est, per quam ea prospicit quæ sunt. Prouidentia est per quam futuri aliquid videtur antequam factum sit.

De Memoria & Obliuione.

AD memoriam monemur, Eccl. 1. *Memento quæ ante te fuerunt.* Memoria mortui viuunt. Memoriæ illa pars vitæ nostræ quæ præterit, manet: sine hac quasi perdita est. Seneca: Qui nil de præterito cogitat vitam perdidit. Memoria thesaurus est cognoscibilium. Ipsa est velut quoddam seruatorium, in quo veritas vtilis quam ratio inuestigando cœpit, fideliter seruatur. Animus obliuiosus est velut locus vbi quicquid repositũ fuerit moritur. Obliuio enim est quasi quædã mors. Greg. 1. parte Moral. Sicut mors quod interficit, cogit vt non sit in vita: ita obliuio hoc quod intercipit agit vt non sit in memoria. Animus obliuiosus est quasi stomachus cibum receptum reiiciens. Greg. in

Memoria rei ũ quarũdã laudabilis.

homil Cibus mẽtis sermo Dei est, & quasi acceptus cibus languente stomacho reiicitur, quando auditus sermo in vẽtre memoriæ non tenetur. Quisquis alimenta nõ retinet, huius profectò vita desperatur. Et notandum, quod multa sunt quorum memoria specialiter est laudabilis, de quibus causa breuitatis decem ponamus. Primo laudabilis est memoria beneficiorum, & maxime memoria creatoris & redemptoris nostri. Eccles. vlt. *Memento creatoris tui.* Et Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, Exod. 13. *Mementote diei huius in qua egressi estis de Ægypto.* Eccl. 19. *Gratiã fideiussoris ne obliuiscaris. Posuit enim animam suam pro te.* Bern. ad fratres de monte Dei: Scit, quicunque habet sensum Christi, quantum Christianę pietati expediat, quantum seruum Dei, seruum redẽptionis Christi deceat, & vtile ei sit vna saltem aliqua diei hora passionis ipsius ac redemptionis attentius recolligere beneficia, ad fruendum suauiter in conscientia, &
Ps. 108 recolendũ fideliter in memoria. Memoriã
2. etiam beneficiorum acceptorum videntur habere animalia irrationabilia. Secundo memoria mandatorum Dei. In Psalm. *Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.* Deut. 6. *Erunt verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.* Num. 15. *Dices ad filios Israel, vt faciant sibi fimbrias per quatuor angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas, quas cum viderint, recordantur omnium mandatorum Dei.* Iosue 1. *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus.* Eccl. 3. *Altiora te ne quæsieris: & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcipit tibi Deus, hæc cogita semper.*
3. Ps. 79. Tertio, memoria iustitiæ quam Deus exercuit in transgressores mandatorum suorum. In Psal. *Memorabor iustitiæ tuæ solius.* Eccl. 38. *Memor esto*
4. *iudicij mei, sic enim erit & tuum.* Quarto, memoria belli spiritualis, in quo tot & tanti ceciderunt, quia valet ad hoc vt cautiores simus, Iob. 40. *Memẽto belli, & nõ addas amplius quicquam loqui.* Hier. Ne in præterita castitate cõfidas: nec Dauid sanctior, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapiẽtior. Memento sẽper quòd paradisi colonũ mulier de possessione sua
eiecerit. Quinto, memoria diuinæ miseri- 5.
cordię, vtilis in tribulatione, positis ne desperẽt. Ecclesiast. 51. *Memoratus sũ misericordiæ tuæ Domine.* 1. Mac. 4. *Memento quomodo salui facti sunt patres nostri in mari*
rubro. Sexto, memoria laudabilis vitę san- 6.
ctorũ quam imitari debemus. Greg. Facta pręcedentium patrum consideramus, & nõ erũt grauia quę toleramus. Ioã. 15. *Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis: non est seruus maior Domino: si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Septimo, memoria ad- 7.
uersitatis in prosperitate. Eccles. 18. *Memento paupertatis in die abundãtiæ.* Octauo, 8.
memoria status honorabilis à quo quis degenerauit: vt est nobilitas parentũ, vel carnalium, vel spiritualium: vel propria nobilitas spiritualis à qua quis decidit. Sap. Nobilitatis ad hoc tantum memineris, vt cum claritate generis, morũ sanctitate cõtẽdas, & cũ nobilitate corporis animi nobilitate proficias. Esa 51. *Attendite ad petrã de qua excisiestis, &c. Attendite ad Abraham patrem vestrum.* Apocalyp. 2. *Memor esto vnde excideris, & age pœnitentiam.*
Nono, memoria in eo qui ad prosperita- 9.
tem deuenit, eorũ qui in aduersitate eius socij fuerunt. Genesis 40. *Memento mei*
cum bene tibi fuerit. Decimo, memoria pro- 10.
prium peccatorum ad dolendum pro eis, Esa. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Item notandum, quod quatuor sunt quorum obliuio videtur esse laudabilis. Primo, obliuio iniuriarum. Leui. 19. *Non memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Animus obliuiosus beneficiorum, & tenax iniuriarum, est velut colatorium fæces retinens, & quod purum est, exire permittens. Secundo obliuio beneficij alteri dati.

Obl[iuio] ... [quo]rum ... quo laud[a]bilis

Hæc enim lex est inter duos, vt ait Sapiens, quod alter statim debet obliuisci dati, alter memor accepti esse. Tertio, obliuio delectationum, quas aliquis habuit in præteritis peccatis. Qui recogitat peccata præterita delectando in ipsis, mente reuertitur in Ægyptum, vt filii Israel, Num. 11. *Recordamur piscium quos comedere solebramus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres.* Hoc est etiam respicere retro, vt vxor Loth. Gen. 19. quæ versa est in statuam salis. Luc. 17. *Memores estote vxoris Loth.* Hoc etiam est habere idola apud se, vt Rachel Genesis 31. Quarto, obliuio rerum temporalium quæ ad contemplatiuos perfectos pertinet, Philip. 3. *Quæ quidem retro sunt obliuiscens: ad ea vero quæ sunt priora extendens meipsum.* Macrob. loquens de temperantia perfectorum Temperantia, inquit, est terrenas cupiditates non reprimere, sed potius obliuisci. Item notandum, quod quinque sunt quæ videntur facere ad bonitatem memoriæ. Primum est sicca complexio. Siccitas enim est dispositio conueniens ad tenacitatem impressionum, sicut humiditas est dispositio conueniens ad receptionem earum. Secundum est exercitium circa vnum vel pauca, non circa multa. Vnde pueri quamuis sint humidi, firmiter in memoria retinent: quia animæ eorum non occupantur circa multa sicut animæ maiorum. Ecclesiastic. 38. *Qui minoratur actu, percipiet sapientiam.* Tertium est placentia rei cognitæ. Hanc causam innuit Plato esse in tenera ætate, quare ea quæ addiscuntur, firmiter in memoria retinentur. Tenacior, inquit, & forte maior in illa ætate cognitionis delectatio cognita mentibus altius infigit. Quartum est nouitas. Horatius. Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem Testa diu. Ideo vtilia cito addiscenda essent. Memoria enim impleta superuacuis, vtilia difficilius retinet. Senec. in epistolis: Liberalium artium consecratio verbosos sibi placentes facit, & ideo non discentes necessaria quia superuacua didicerunt. Quintum est, infixio memoriæ longa ruminatione facta. Sen. Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, si velis aliquid trahere quod in animo fideliter sedeat. Item cùm multa percurreris, vnum excipe quod illo die decoquas. Et notandum, quod qui non habet bonam memoriam, scriptura deberet supplere eius defectum. Eccles. 38. *Sapientiam describe in tempore vacuitatis.* Scripsit Dominus decalogum bis populo Iudæorum in tabulis lapideis. Exod. 31. & 34. Sunt qui nihil ponunt in memoria, sed omnia in scripto: Sunt alii qui confidentes in memoria sua, nihil commendant scripturæ: & vtrumque vitium est. Pythagoras: Caue ne armarium doctius quam pectus habeas. Seneca: Distrahit librorum multitudo. Itaque cum legere non possis quantum habueris, satis est habere quantum legas. Bern. ad fratres de monte Dei: Non tantummodo agendum est vt cum aliqua delectatione vel sine grandi nausea dies transigatur: sed etiam vt de peracta dieta ad profectum mentis semper aliquid in conscientia resideat, aliquid quotidie in thesaurum cordis congeratur. Bern. De quotidiana lectione aliquid in ventrem memoriæ dimittendum est, quod fidelius digeratur, & sursum reuocatum crebrius ruminetur, quod proposito conueniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum vt aliena cogitare non libeat. Hieronym. Fatuum est propter confidentiam memoriæ nihil scripto commendare, quia in memoriam primò senectus incurrit, vt ait Senec.

Quinque ad bonitatem memoriæ faciunt.

De Prouidentia.

SEquitur de Prouidentia, ad quam monemur exemplo formicæ. Prouerbior. 6. *Vade,* inquit, *ad formicam, ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam.*

quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat æstate cibum sibi. Et Genes. 41. exemplo Ioseph, qui septem annis fertilitatis congregari fecit quæ erant necessaria septem annis sterilitatis futuræ Prouerbior. 19. *Qui congregat in messe, filius sapiens est.* Deuteron. 32. *Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.* Prouidentia valde vtilis est. Tob. 9. dixit Tobias Azariæ. *Si meipsum tradam tibi seruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ.* Senec. Qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidet. Prouidentia, vel mala futura vitat, vel temperat, vel animo præparat vt ea leuius ferat. Gregor. Eo periculum vitari non potest, quo non potuit præuideri. Senec. Propone animo tuo & mala futura & bona, vt illa sustinere possis, ista moderari Gregor. in homil. Minus iacula feriunt quæ præuidentur, & nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur.

Item in Moral. Tanto quisque minus aduersitate vincitur, quanto contra illam præsciendo paratus inuenitur. Item in Pastoralibus: Hostis callidus tanto liberius pectus percutit, quanto nudum à prouidentiæ lorica deprehendit. Item: dum contra ictum quisque paratior redditur, hostis qui se inopinatum credidit eo ipso quod præuisus est, eneruatur.

De diuisione Prudentiæ secundum Senecam.

SEneca in libro de quatuor virtutibus principalibus, tangit diuisionem Prudentiæ similem diuisioni Tullii iam positæ, dicens: Si prudens fueris, animus tuus tribus temporibus dispensetur: præsentia ordina, futura prouide, præterita recordare. Sunt aliqui qui futura ordinant quæ non sunt in sua potestate, præsentia vero confusa & inordinata relinquunt. Actorum 1. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate.* Bernardus: Quid de futuro miser tam temerarie præsumis, tanquam Pater tempora & momenta in tua, & non in sua magis posuerit potestate? Tales vitam quam habent volunt perdere, & quam non habent proponunt vtiliter dispensare. Illam partem vitæ quam Deus iam dat, in contumeliam Dei volunt expendere: illam vero quam Deus nondum eis dedit, volunt Deo dare, & de illa gratiam Dei acquirere. Et notandum, quod ordo secundum Augustin. 19. de Ciuit. Dei, est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio. Et facit multùm ordinatio ad quietem mentis. Augustin. in lib. Conf. Minus ordinata inquieta sunt, ordinata quiescunt. Idem: Iussit Deus, & sic est, vt pœna sibi sit inordinatus animus. Debet vero homo ordinare se & sua. Quantum ad se, ordinabiliter ille viuit (iuxta verbum Bernard.) qui in conuersatione sua solicite conseruat vias suas, & in conspectu Domini, & in conspectu proximi cauent sibi à peccato, & proximo à scandalo. Quadruplex vero ordinatio debet esse in homine.

Prima est considerationis, Bernard. in libr. de consideratione: Consideratio tua à te inchoet, ne frustra extendaris in alia te neglecto. *Ord[...] natio[...] hom[...] quol[...] bet [...] quiri[...] tur.*

Secunda est affectionis, præcipue illius quæ aliis supereminet: scilicet dilectionis. Canticor. 2. *Ordinauit in me charitatem.*

Tertia est negotiorum secundum diuersitates tẽporum. Bernar. ad fratres de mõte Dei: Mane pręteritæ noctis fac à temetipso exactionem, & venturæ diei tu tibi indicito canonem: vespere pręteritæ diei rationem exige, & superuenientis noctis fac indictionẽ. Sic destricto non vacabit lasciuire aliquando: singulis horis secundum

communis instituti canonem sua distribue exercitia; cui spiritualia, spiritualia, cui corporalia, corporalia: in quibus sic exoluat omne debitum spiritus Deo, corpus spiritui vt si quid fuerit intermissum, si quid neglectum, si quid imperfectum suo loco, suo modo, suo tempore non habeat impunitum vel irrecompensatum.

Idem in eodem: Primum extra quotidianum sacrificium orationum vel lectionis, studium conscientiæ, quotidianæ discussioni, emendationi, compositioni pars sua Dei neganda non est.

Quarta est ordinatio pertinens ad pugnam spiritualem. Virtutes enim animæ præparatæ debent esse ad certamina sibi competentia. Temperantia, cum ad mensam acceditur. Prudentia, cum quid agendum sit, tractandum est, & sic de cæteris virtutibus. Gregor. in Moralib. Quodlibet certamen exuperat, qui mentem certamini ante certamen parat. Anima virtutes habens dæmonibus terribilis est vt castrorum acies ordinata. Canticor. 5. Prouerbior. 24. *Cum dispositione initur bellum.* Suos debet homo ordinare, ostendendo quid vnicuique sit agendum, & quid vnicuique sit habendum. Propter primam ordinationem regina Saba admirata est ministros Salomonis. 3. Regum 10. *Videns regina Saba omnem sapientiam Salomonis, &c. & ordinem ministrantium, &c. non habebat vltra spiritum.* De secunda ordinatione habes Esaiæ 38. *Dispone domui tuæ quia morieris tu, & non viues.* Debet etiam homo sua ordinare, vt vtiliter expendantur vel vtiliter retineantur. Ecclesiast. 7. *Pecora tibi sunt, attende illis: & si sunt tibi vtilia, perseuerent apud te.*

De alia diuisione Prudentiæ.

Species prudẽtię quatuor.

PRudentia à quibusdam diuiditur in quatuor species, scilicet prouidentiam, circumspectionem, cautionem, docilitatem. Quarum specierum numerus sic videtur posse manifestari. Cognitio salubris quæ ad prudentiam pertinet, considerari potest absolute prout est in cognoscente, vel prout distribuitur alteri. Est enim thesaurus nobilis qui distributus suscipit incrementum. Et sicut dicit Augustinus in libro de doctrin. Christia. Omnis res quæ dando deficit, nondum habetur & non datur: nondum habetur, quomodo habenda est. Secundum ergo quod prudentia dirigit circa distributionem scientiæ seu cognitionis salubris, est hæc species eius docilitas. Secundum vero, quod absolute consideratur vt est in cognoscente, tres habet species. Cum enim sit lumen rationem perficiens ad videndum quæ agenda sunt: ratio autem perfecte non videt nisi videat remota vt propinqua, & nisi videat res interius & non solum superficialiter, & nisi res videat vndique & non solum ex parte vna, prudentia speciem vnam habet qua videntur remota, scilicet prouidentiam, quæ sic dicta est, eo quo procul videat. Et potest extendi nomen prouidentiæ ad memoriam & prouidentiam, quas ponit Tullius. Ratio enim procul viget, siue præuideat futura, siue præterita. Simili modo nomen memoriæ quandoque extenditur ad futura, vt Ecclesiastic. 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua.* Aliam speciem habet prudentia qua ea quæ videntur superficialiter bona, agnoscuntur esse mala, scilicet cautionem. Aliam etiam habet qua vndique videt, scilicet circumspectionem. Prouidentia proprio sumpto nomine, est præsens notio futurum dertractans euentum.

Huius officium est, ex præteritis & præsentibus futura perpendere. Boetius in libro Consolationum. Non quod ante oculos situm est, sufficit intueri: iterum exitus prudentiam metitur. Imprudens viam respicit quâ iturus est:

prudens vero finem viæ attendit. Si dicatur imprudenti, veni mecum, ducam te honorificè & per viam pulcherrimam: paratus est ire, non requirens amplius, prudens vero requirit quò ducendus sit. Et si dictum ei fuerit, ad suspendium, non vult illuc ire, nec eques, nec pedes, nec per viam amœnam, nec asperam.

Si vero dictum ei fuerit, quod ad locum vbi regnabit, paratus est illuc ire pedes etiam per vias asperas. Qui sine prouidentia est, est sicuti homo debilem habens visum, qui ea quæ sunt iuxta oculum videt, remota vero aliquantulum non videt. Circumspectio est contrariorum vitiorum cautela. Officium huius virtutis est per diligentem considerationem inter contraria vitia medium tenere. Ad hanc virtutem pertinet sic libertatem seruare, vt fugiendo auaritiam, prodigalitatem non incurramus: & sic recedere à temeritate, quod in timiditatem non cadamus. Ad illud quod est circumspectionis monet nos Salomon Prou. 4. *Omni custodia serua cor tuum.* Dicturus custodia, præmisit omni: ne hinc hostibus fores claudas, & aliunde aditum pandas. Circumspectio commendatur nobis, Ezech. 1. vbi dicitur, *quod totum corpus plenum erat oculis.* Et Apoc. 4. vbi legitur quod animalia *plena erant oculis ante & retro.* Ouid. In vitium ducit fuga culpæ si caret arte: Dum stulti vitant vitia, in contraria currunt. Ad circumspectionem etiam videtur pertinere, cum aliquis est vndique cinctus malis, minus malum eligere. Greg. in Moral. Qui murorum ambitu vndique ne fugiat, clauditur: ibi se in fugam præcipitat vbi murus breuior inuenitur. Cautio est discernere à virtutibus vitia virtutum speciem præferentia. Isid. Quædam vitia virtutum speciem præferunt: vnde semper perniciosius suos sectatores decipiunt, quia se sub velamine virtutis tegunt. Nam sub prætextu iustitiæ crudelitas agitur, & remissa segnities mansuetudo creditur. Cicero: nullæ sunt occultiores insidiæ, quam hæ quæ latent in similitudine officij. Greg. in Moral. Plerumque vitia colore virtutum tincta tanto nequiora sunt, quanto & deesse vitia minime cognoscuntur. Hostis nostri malitia caute se arte palliat, vt plerunque ante deceptæ mentis oculos culpas virtutes fingat, vt inde quis quasi expectet præmia, vnde æterna dignus est inuenire tormenta. Cautio apparens bonum interius inspicit, & malitiam ibi perpendit. Senec. Qui decipiunt nihil habent solidi, tenue est mendacium, perlucet si diligenter inspexeris. Qui sine cautione sunt, frequenter incurrunt illam maledictionem Esa. 5. *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum.* Docilitas est prudentia erudiendi imperitos, quæ commendatur nobis exemplo Salomonis 1. Reg. 3. Cui cum Dominus dixisset: *Postula quod vis vt dem tibi*: ipse docilitatem videtur prætulisse omnibus, dicens: D*abis seruo tuo cor docile.*

De XII. quæ iuuant ad hoc quod aliquis debite doceat. Et de tribus quæ doctor debet attendere in sua doctrina.

Notandum quod XII. sunt, quæ videntur facere ad hoc vt aliquis debito modo doceat, maxime doctrinam salubrem. Primum est, si ipse laudabiliter viuat. Aug. in lib. de doctr. Christ. Non obedienter auditur, qui seipsum non audit. Greg. in Moral. Cum imperio docetur quod prius agitur, quam dicitur. Nam doctrinæ subtrahit quis fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. Vita debet iuuare doctrinam, non impedire. Et primo debet, qui docet, informare se in doctrina, postea alios. Prouerb. 5. *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui.* Et post subditur: *Deriuentur fontes tui foras.* De hoc require in tractatu de Superbia, cap. De appetitu magisterij. Secundum est, vt authoritatem magisterij Deo, non sibi attribuat. August. in libr. de

doctrina Christia. Quoniam Christus se-
minat, ego qui sum vix cophinus semi-
nantis, in me ipse ponere dignatur quod
velit spargere. Nolite ergo attendere ad
vtilitatem cophini : sed ad charitatem se-
minis & potestatem seminatoris. Idem
in eodem : Christus est qui docet, cathe-
dram in cælo habet, schola eius in terra
est. Schola ipsius corpus eius est: caput do-
cet membra sua : lingua loquitur pedibus
suis. Idem super Cano. Ioan. Magisteria
forinsecus, adiutoria sunt & admonitio-
3. nes : cathedram habet in cœlo, qui corda
docet. Tertium est, vt doctrinæ oratio-
nem præmittat August. in lib. de doct.
Christia. Si regina Esther pro suæ gentis
temporali salute locutura apud regem,
orauit vt in os eius congruum sermonem
Dominus daret : quanto magis orare de-
bet vt tale munus accipiat qui pro æterna
hominum salute in verbo & doctrina la-
borat ? Item in eodem : Agat eloquens
quantum potest cum bona & iusta &
sancta dicit, vt intelligenter & libenter,
& obedienter audiatur : & hoc se posse si
potuerit, & quantum potuerit pietate ora-
tionem magis quam oratorum facultate
non dubitet, vt orando pro se & pro illis
quos allocuturus est, sit orator antequam
4. doctor. Quartum est, vt sententiam plus
amet quam verba. August. Bonorum in-
geniorum insignis est indoles, in verbis
verum amare, non verba. Idem in eodem:
Vtrum ignoscere productum syllaba ter-
tia aut correpta dicatur, non multum cu-
rat qui pro peccatis Deum petit vt igno-
scat : sed tamen eo magis inde offendun-
tur homines, quo infirmiores sunt, & eo
infirmiores, quo doctiores videri volunt.
Idem in eodem : Quid prodest clauis au-
rea, si aperire quod volumus non potest:
& quid obest lignea, si potest, quando ni-
hil quærimus nisi patere quod clausum
est? Idem : Cauendum est ne diuinis graui-
busque sententiis dum numerus additur,
pondus detrahatur. Ad numerum, pro vt
hîc sumitur, intelligas pertinere propor-
tionem syllabarum, metrum & colores
rhetoricos. Item August. in eodem. In
authoribus nostris hoc mihi plus placet,
quod ibi rarissime eos inueni numeros:
satis est enim ei propter quod agitur vt
verba congruentia, non oris eligatur in-
dustria, sed pectoris sequantur ardorem.
Sen. Oratio quæ veritati dat operam, in-
composita esse debet & simplex : Idem:
Oratio quæ sanandis mentibus adhibe-
tur, descendere in nos debet. Idem : Non
delectent verba vestra, sed prosint : si ta-
men contingere eloquentia non solicito
potest : si autem parara est, aut pro vero
constat, assit, & res pulcherrimas prose-
quatur; sit talis, vt potius res, quam se
ostendat. Aliæ artes ad ingenium perti-
nent, hic animi negotium agitur. Non
quærit æger medicum eloquentem, non
quærit quare gratuletur sibi, quod incide-
rit in medicum disertum, sed si ita com-
petit vt ille idem qui sanare potest com-
ptè de his quæ facienda sunt disserat; hoc
tale est quale si peritus gubernator etiam
formosus est. Quid aures meas scabis?
quid oblectas ? curare debes morbum ve-
terem, grauem, publicum: tentum negotij
habes, quantum in pestilentia medicus :
circa verba occupatus es, vide si sufficis
rebus. August. In libro Confes. Didiceram
perinde esse sapientiam & stultitiam, si-
cut sunt cibi vtiles & inutiles : verbis au-
tem ornatis & inordinatis sicut vasis vr-
banis, & rusticanis vtrosque cibos posse
ministrari. Quintum est, vt in scripturis 5.
sensus authoris requiratur. Augustin. in
libro de doctrina Christiana loquens de
illo qui aliud in scriptum sentit, quam ille
qui scripsit, ea tamen sententia deceptus
quæ ædificat charitatem, dicit, quod ille
fallitur ac si quisquam deserens viam, eò
tamen per agrum pergat, quò via illa
perducit : corrigendus est tamen, & quam
sit vtile viam non deserere demonstran-
dum est, ne consuetudine deuiandi etiam
in transuersum aut peruersum ire coga-
tur. Deinde innuit causam quare cauendū

fit hoc in scripturis, dicens: Titubabit fides, si diuinarum scripturarum vacillat authoritas.
6. Sextum est, vt in scriptura Sacra non vbique mysterium requiratur. Auguſt. 16. lib. de Ciui. Dei. Non ſane omnia quæ geſta narrantur, ſignificare aliquid putanda ſunt: ſed propter illa, quæ aliquid ſignificant, & ea quæ nihil ſignificant, attexuntur. Solo vomere terra proſcinditur: ſed vt hoc fieri poſſit, etiam cætera aratri membra ſunt neceſſaria. Et ſoli nerui in citharis & cæteris vaſis muſicis aptantur ad cantum: ſed vt aptari poſſint inſunt & cætera quæ non percutiuntur à canentibus, ſed ea quæ percuſſa reſonant, his connectuntur. Ita in prophetica hiſtoria dicuntur & aliqua quæ nihil ſignificant, ſed quibus adhæreant ea quæ ſignificant, & quodammodo religentur.
7. Septimum eſt, vt diuidendo mediocritas ſeruetur. Senec. in epiſtolis: Philoſophiam in partes, non in fruſta diuidam. Diuidi enim eam, non concidi, vtile eſt: nam comprehendere quemadmodum maxima ita minima, difficile eſt. Item partes eius quod diuiſum eſt, innumerabiles eſſe & paruulas non oportet. Idem: Vitij habet nimia quod nulla diuiſio: ſimile confuſo eſt quicquid vſque in puluerim ſectum eſt.
8. Octauum eſt, inter tarditatem & præcipitationem medium in proferendo ſeruare. Sene. in epiſt. Philoſophi pronuntiatio ſicut vita debet eſſe compoſita: nihil ordinatum eſt, quod præcipitatur & properat. Idem: Æque ſtillare illam nolo, quàm currere. Non extendat aures, nec obruat. Idem: Inopia verborum & exilitas minus intentum auditorem habet, tædio interruptæ tarditatis: facilius tamen inſidet quod expectatur: quam quod præteruolat. Denique tradere homines diſcipulis præcepta dicuntur. Non traditur quod fugit. Quomodo omnino regere poteſt, qui regi non poteſt? Idem: Remedia non proſunt niſi immorentur. Idem: Dicendi celeritas non ſatis decora eſt philoſophiæ, quæ ponere debet verba, non proiicere. Idem: Quemadmodum ſapienti viro inceſſus modeſtior conuenit: ita oratio preſſa, non audax.
9. Nonum eſt, vt dicendo, veritatem non deſerat. Auguſt. in libro de doctrina Chriſtiana: Minus intelligantur, minus placeant, minus moueant quæ dicuntur, vera tamen dicantur & iuſta.
10. Decimum eſt, vt doctrina facile ſit aperta, Auguſt. in lib. de doctrina Chriſtiana. Quid prodeſt locutionis integritas quam non ſequitur intellectus audientis? cum loquendi omnino nulla ſit cauſa, ſi quod loquimur non intelligant, propter quos vt intelligant loquimur. Prou. 19. *Doctrina prudentum facilis.* Eccleſi. 4. *Ne abſcondas ſapientiam in decore eius.* 1. Corinth. 14. *Si incertam vocem det tuba, quis præparabit ſe ad prælium?* Idem in eodem: *Volo in Eccleſia quinque verba ſenſu meo loqui vt & alios inſtruam, quam decem millia verborum lingua.* Ambroſi. Melius eſt vt nos intelligant populi, quam vt non reprehendant grammatici. Aug. 4. lib. de doctrina Chriſtiana: Quæ vix intelliguntur, vel raro, ſi aliquid vrget, vel nunquam omnino in populi audientiam mittenda ſunt.
11. Vndecimum eſt, vt doctrina ſit breuis. Eccleſi. 21. *Verba ſapientum ſtatera ponderabuntur.* Auguſt. in lib. de doctrina Chriſtiana. Sicut ingratus eſt qui cognita obnubilat: ſic oneroſus eſt qui cognita inculcat. Ouid Quicquid præcipies, eſto breuis: vt cito dicta percipiant animi dociles, doceantque fideles. Omne ſuperuacuum pleno de pectore manat.
12. Duodecimum eſt, vt doctrina ſit vtilis. Seneca in epiſtolis: Etiam ſi multum eſſet ætatis, parce diſpenſandum erat, vt ſufficeret neceſſariis: nunc quæ dementia eſt, ſuperuacua diſcere in temporis egeſtate? Doctrina moralis debet eſſe contra peſtem aliquam, & finaliter ad ædificandam dilectionem Dei & proximi in hominibus: Seneca in epiſtolis. Aliquid quotidie aduerſus paupertatem, aliquid aduerſus mortem auxilij compara: nec minus aduerſus cæteras peſtes, Auguſt. in

lib.

lib. de doctrina Christiana: Legis & omniũ diuinarum scripturarum plenitudo, & finis est dilectio rei qua fruendum est & rei quæ nobiscũ ea re frui potest. Et paulo post: Quisquis igitur scripturas diuinas, vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita vt ea intellecta non ædificet geminam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit. Item notandum, quod doctor in doctrina sua tria debet attendere: scilicet vt instruat, placeat, & ad agendum moueat. Aug. in quarto libro de doctrina Christiana: Dixit quidam eloquens, & verum dixit, ita debere dicere eloquentem, vt doceat, vt delectet, vt flectat. Deinde addidit: Docere necessitatis est, delectare suauitatis, flectere victoriæ, docendi necessitas in rebus est constituta quas dicimus: reliqua duo modo quo dicimus. Qui ergo dicit, quum docere vult, quamdiu non intelligitur, nondum se existimet dixisse quod vult ei quem vult docere. Si vero intelligitur, quocunque modo dixerit, dixit: Quod si delectare vult eum cui dicit, aut flectere, interest quomodo dicat: sicut autem vt teneatur ad audiendum delectandus est auditor, ita flectendus vt moueatur ad agendum: & sicut delectatur si suauiter loqueris, ita flectitur si amet quod polliceris, timeat quod miraris, oderit quod arguis.

Doctor [...]ria attendere [d]ebet in [d]octri[n]a.

Item August. in eodem: Quis audeat dicere aduersùm mendacium in defensoribus inermem debere consistere veritatem? vt scilicet qui res falsas persuadere conantur, nouerint auditorem vel beneuolum, vel attentum, vel docilem facere: isti autem non nouerint, & illi falsa aperte dixerint: similiter isti vera sic narrent vt audire tædeat, intelligere non pigeat, credere postremo non libeat. Illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, asserant falsitatem: isti nec vera defendere, nec falsa valeant refutare.

Item notandum, quod doctor sacræ scripturæ non debet esse timidus vel remissus. August. in lib. de disciplina Christiana. Qui timuerit ne semen cadat in terram malam, non perueniet ad bonam. Iactamus semina, spargimus semina, sunt qui contemnunt, sunt qui reprehendunt, sunt qui irrident. Ista si nos timuerimus, nihil habeamus seminare, & in messe habemus esurire 2. ad Timoth. 4. *Prædica verbum: insta opportune, importune.* Matt. 9. *Circuibat Iesus omnes ciuitates & castella, docens in synagogis eorum.* Marc. 7. *Circuibat Iesus castella, in circuitu docens.* Luc. 11. *Et erat quotidie docens in templo.* Item notandum, quod secundum quosdam docilitas est virtus dirigens hominem tam in addiscendo, quam in dicendo.

De his quæ valent ad hoc vt quis bene addiscat.

ET secundum hoc sciendum est, quod septem sunt quæ videntur valere ad hoc vt aliquis benè addiscat, maxime scripturam sacram, Primum est, vt homo bene viuat, Aug. Errat quisquis veritatem se cognoscere posse putat si adhuc nequiter viuat. Eccl. 1. *Concupiscens sapientiam, serua iustitiam, & Dominus præbebit eam tibi,* Eiusdem. 27. *Volatilia ad sibi similia conueniunt, & veritas ad eos qui operantur illam, reuertetur.* Apoc. 1. *Collyrio inunge oculos tuos vt videas,* Gloss. Collyrio oculi vt videamus inunguntur: cùm ad cognoscendam veri luminis claritatem, intellectus nostri aciem medicamine bonæ operationis adiuuamus: qui male viuunt, quasi spurcitia manuum suarum lumen diuinæ sapientiæ à se prohibent. Secundum est oratio. Quum sapientia donũ Dei sit, non debet aliquis tentare rapere eam violentia studii Deo irrequisito, Iac. 1. *Si quis indiget sapientia, postulet eam à Deo.* August. Oratione melius soluuntur dubia, quam inquisitione alia. Tertium est humilitas, & hoc quantum ad quatuor. Primo, quantum ad hoc vt nullam doctrinam contemnat. Sen. Primum

Addiscendum septem prosũt. 1.

documentum eſt, vt nullam doctrinam contemnas. Secundo vt à nullo addiſcere erubeſcas. Sene. de quatuor virtutibus: Eſto ſapientiæ cupidus ac docilis: quæ noſti, ſine arrogantia impartire poſtulanti: quæ non noſti ſine occultatione ignorantiæ tibi poſtula impartiri. Etiam à malis debet homo addiſcere Auguſt. in lib. de doctr. Chriſtia. Audiuntur vtiliter qui vtiliter non agunt: ſua enim quærere ſtudent, ſed ſua docere non audent: & ita cathedra Moyſi cogit eas bona diſcere etiam non bona facientes. Theophilus. Lector originis, ita botrum carpat, ne ſpinam attingat. Qui ſolum à bonis volunt addiſcere, ſimiles ſunt illis qui ſolum in ſcyphis argenteis vel aureis volunt bibere, & tantum in ſaccis purpureis vel aliter pretioſis frumentum datum recipere, quorum ſitis vel fames miſeranda non eſt. Tertio, quantum ad hoc vt homo non erubeſcat confiteri ſe neſcire quod neſcit. Auguſt. Non erubeſcendum eſt homini ſe neſcire quod neſcit, ne dum ſcire ſe mentitur, nunquam ſcire mereatur. Quarto, quantum ad hoc vt humilem modum loquendi quem habet ſacra ſcriptura non contemnat. Auguſtinus ad Voluſianum. Modus dicendi qui ſacra ſcriptura contexitur, omnibus eſt acceſſibilis, quamuis pauciſſimis penetrabilis. Idem: Inuitat omnes humili ſermone quos non ſolum manifeſta paſcit, ſed etiam ſecreta exercet veritate. Idem 3. lib. confeſſ. Inſtitui animam intendere in ſcripturis ſanctis: ſed mihi viſa eſt ſancta ſcriptura indigna quam Tulliani dignitati compararem: tumor enim meus fugiebat modum eius, illa autem erat quæ creſceret cum paruulis. Sed ego dedignabat eſſe paruulus, & turgidus faſtu grandis mihi videbat. Item in eodem libro. Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos ſuperficies blandiens paruulis: ſed mira profunditas Deus meus, mira profunditas, horror eſt intendenti in eam. Quartum eſt, librorum emendationi intendat. Auguſt. 2. lib. de doctr. Chriſtiana. Codicibus emendandis primitus debet inuigilare ſolertia eorum qui ſcripturas diuinas noſſe deſiderant. Quintum eſt, vt homo ſit diligens ſcripturas ſacras indagando. Ad quod primo neceſſarius eſt timor Dei. Prou. 1. *Timor Domini principium ſapientiæ.* Ipſe inquirentem à malo ſeruat. Prouerbiorum 14. *Sapiens timet & declinat à malo.* Et ibidem: *Timor Domini fons vitæ, vt declinet à ruina mortis.* Item nihil negligit. Eccleſiaſti. 7. *Qui timet Deum, nihil negligit.* Secundo manſuetudo, vt homo credat auctoritati diuinæ ſcripturę. Auguſt. 2. lib. de doctrina Chriſtiana: Ante omnia opus eſt Dei timore ad cognoſcendam eius voluntatem, deinde miteſcere opus eſt pietate, neque contradicere diuinæ ſcripturæ, ſiue intellectæ ſi aliqua vita noſtra percutit, ſiue non intellectæ quaſi nos melius ſapere meliuſque percipere poſſumus: cogitare potius & credere id eſſe melius & verius quod ibi ſcriptum eſt, etiam ſi latet, quam illud quod nos per noſipſos ſapere poſſumus. Bernardus: ad fratres de monte Dei: In omnibus ſcripturis legenti, initium debet eſſe timor Domini. Aug. 2. lib. de doctrina Chriſtiana: In omnibus canonicis ſcripturis, timentes Deum & pietate manſueti quærunt voluntatem Dei. Quo ordine vero procedendum ſit indagando ſcripturas ſacras. Auguſt. eodem libro determinat, dicens: Erit diuinarum ſcripturarum ſolertiſſimus indagator, qui primo totas legerit, notaſque habuerit: etſi nondum ad intellectum, iam tamen lectione duntaxat eas quæ vocantur canonicæ: non cæteras ſecurius leget fide veritatis inſtructus. Et infra: In ſcripturis quærentium voluntatem Dei, prima obſeruatio eſt noſſe canonicas ſcripturas: etſi nondum ad intellectum, legendo tamen mandere memoriæ, vel omnino incognitas non habere. Deinde ea quæ in eis aperte poſita ſunt vel præcepta viuendi, vel regulæ credendi ſolertius diligentiuſque in-

Quo ordine ſcripturæ indagandæ. [margin, partly cut off: "Quo... dine... craſc... ptu... daga... da."]

uestiganda sunt, quæ tanto in eis quisque plura inuenit, quanto est intelligentia capacior. In his enim quæ aperte in scripturis posita sunt, inueniuntur omnia illa quæ continent fidem, moresque viuendi, spem scilicet & charitatem. Tunc vero facta quadam familiaritate cum ipsa lingua diuinarum scripturarum, in ea quæ obscura sunt aperienda & discutienda pergendum est, vt ad obscuriores locutiones illustrandas, de manifestioribus sumantur exempla, & quædam cæterarum sententiarum testimonia dubitationem in cæteris auferant. In qua re memoria valet plurimum. Inquisitio vero dupliciter fit. Quãdoque ab alio quærendo, ad quod pertinet illud Augustini, secundo lib. de doctr. Christian. dicentis: Nulla res magis memoriæ mandanda est, quam illa verborum locutionumque genera quæ ignoramus, vt quum peritior occurrerit quæri possint. Quandoque aliquis per se inquirit in scriptura, & tunc cauenda est ei temeritas, ne scilicet ignota pro notis habeat, hisque temere assentiat. Hæc enim præsumptio est, quam effugere qui volet, adhibebit ad res considerandas tempus & meditationem. Augustinus in libro de Vtilitate credendi: Duæ sunt personæ laudabiles in religione. Vna eorum qui iam veritatem inuenerunt, quos etiam beatissimos iudicare necesse est. Alia eorum qui studiosissime & rectissime inquirunt. Primi sunt in ipsa possessione: alij in via qua tamen certissime perueniatur.

Inquisitio fit dupliciter.

Tria vero enumerantur alia genera hominum profecto improbanda ac detestanda. Vnum est inopinantium, id est, eorum qui se arbitrantur scire quę nesciunt. Alterum siquidem qui sciunt se nescire, sed non ita quærunt vt possint inuenire. Tertium vero eorum qui nescire se existimant, nec quærere volunt. Item cauenda est in inquirendo curiositas, quæ est, non magnæ vtilitati nimiam operam impendere. Seneca: Quid te torques in illa quæstione quam vtilius est contempsisse, quam soluere? Cauenda est etiam ibi instabilitas. Seneca in epistolis: Vide ne lectio auctorum multorum, & omnis generis voluminum, habeat aliquid vagum & instabile. Cauenda est etiam rixandi libido, quæ peritos in arte logica multum solet vexare. Augustinus secundo libro de doctrina Christiana: Disputationis disciplina ad omnia genera obscura quæ in literis sanctis sunt penetranda plurimum valet: tantum ibi cauenda est rixandi libido, & puerilis quædam ostentatio aduersarium decipiendi. 2. ad Timoth. 2. *Noli verbis contendere.* Augustinus quarto libr. de doctr. Christian. Verbis condendere, est non curare quomodo error veritate vincatur, sed quomodo tua dictio dictioni alterius præferatur. Item cauenda est ibi nimia velocitas in transcurrendo latentem sententiam. Nihil magnum rerum ipsa natura cito effici voluit, proposuitque pulcherrimo cuique operi difficultatem: nascendi quoque hanc legem fecit, vt maiora animalia visceribus parentum diutius continerentur. Aristoteles dicit in lib. de natura animal. Elephas fœmina prægnans est duobus annis, quæ est animal magnum. Item Sapiens: Omnia nostra dum nascuntur, placent. Sed redeamus ad iudicium. Cito scribendo non fit vt bene scribatur. Bene scribendo fit vt cito, sed tunc maxime quum facilitas illa contigit, resistamus & prouideamus, vt offerentes equos frænis quibusdam coerceamus. Et notandum quod secundum Augustinum secundo libr. de doctrin. Christian. duabus causis non intelliguntur quæ scripta sunt: si aut ignotis, aut ambiguis signis obteguntur, sunt autem signa propria vel translata. Propria dicuntur cum his tribus signandis adhibentur propter quas sunt instituta: vt quum dicimus bouem, intelligentes illud animal. Translata sunt, quum ipsæ res ad aliquid aliud signandum vsurpantur: vt quum dicimus bouem, intelligentes

Quare scriptura nonnunquã quorũdam intelligatur.

Euangelistam. Contra ignota signa propria, magnum remedium est linguarum cognitio, & varietas interpretationum. Contra ignota signa translata remedium est cognitio rerum ad quas signandas transferuntur. Augustinus tertio lib. de doctr. Christ. contra ambiguitatem signorum dat remedium: Homo, inquit, timens Deum, voluntatem eius in scripturis sanctis diligenter inquirit. Et ne amet certamina pietate mansuetus, præmunitus etiam scientia linguarum ne in verbis locutionibusque ignotis inhæreat, præmunitus etiam cognitione quarundam rerum necessariarum, ne vim, naturámue earum quæ propter similitudinem adhibentur, ignoret, adiuuante etiam codicum varietate, quam solers emendationis diligentia procurauit, veniat ita instructus ad ambigua scripturarum discutienda atque soluenda. Et paulo post: Quum verba propria faciunt ambiguam scripturam, primo videndum est, ne male distinxerimus aut pronuntiauerimus. Cum ergo adhibita intentio incertum esse prouiderit, quomodo distinguendum, aut quomodo pronuntiandum sit, consulat regulam fidei quando scripturarum planioribus locis & Ecclesiæ auctoritate percepit. Quod si ambæ vel etiam omnes, si plures fuerint partes ambiguitatis, & secundum fidem sonuerint, textus ipse sermonis à præcedentibus & sequentibus partibus restat consulendus, vt videamus cui sentētiæ de pluribus quæ se ostendunt ferat suffragium, eamque sibi contexi patiatur. Et notandum, quod qui legit scripturas, laborare debet vt eas memoriter teneat & intelligat. Si tamen alterum non possit fieri, pręeligenda videtur esse intelligentia memoriæ, August. 4. lib. de doctr. Christ. Sunt qui scripturas legunt & negligūt. Legunt, vt teneant: negligunt, vt intelligāt: quibus sine dubio præferendi sunt qui verba earū minus tenent, & sui cordis oculis vident sensum earū. Sed vtrisque ille melior, qui & cum vult dicit, & sicut oportet intelligit. Sextum est vt homo sit assiduus in studendo. Hieron. Diuinæ scripturæ semper in manibus & iugiter in mente voluantur: sed sufficere putas mandata memoriæ tenere, & operibus obliuisci. Idem: Diuinas scripturas sæpius lege, immo nunquam sacra lectio de manu tua deponatur. Septimum est, vt de sapientia à Deo accepta non sit ingratus, sed datorem suum glorificet. Ecclesiast. vltim. *Danti mihi sapientiam dabo gloriam.*

Intelligentia sacræ Scripturæ legenti necessaria.

6

7

Capvt VI.

De his quæ aduersantur Prudentiæ: Et de 12. *stultitiis eorum qui peccant.*

Videtur aduersari Prudentiæ. Primo stultitia, quæ est rerum appetendarū & vitandarum non quælibet, sed vitiosa ignorantia, vt ait Augustin. in lib. de libero arbitrio. Est autem ignorantia vitiosa, si adsit affectatio nesciendi quæ agenda sunt vel vitanda, vel negligentia sciendi. Bernard. in lib. de 12. gradibus humilitatis: Frustra, inquit, sibi de infirmitate vel ignorantia blandiuntur, qui vt liberius peccent, libenter ignorant, vel infirmantur. Augustin. super illud Psalm. *Noluit intelligere*, potuit intelligere, *vt bene ageret*, sed noluit, & ita veniam non habet. Gregor. in Moral. Nescire, ignorantia est: scire noluisse, superbia. Bernar. in ep. Multa nesciuntur aut sciendi incuria, aut discendi desidia, aut verecūdia inquirendi. Et quidē huiusmodi ignorantia non habet excusationem. Secundo, videtur aduersari prudentiæ virtuti vitiosa prudentia vel sapientia, quæ videtur posse distingui in tres species. Prima est, prudentia siue sapientia carnis: de qua Romano. 8. *Sapientia carnis inimica est Deo.* Et in eod. *Prudentia carnis mors est*, id est, causa mortis æternæ. Vbi dicit gloss. Prudentia carnis est, cum quis studiosius implet quæ

Viti[osa] igno[ran]tia q[...]

Psal[...]

carnis sunt. Augustinus in libro de quantitate animæ: Est noxium genus artium
1. quo animi valetudo sauciatur. Idem: Odore & sapore mire diuidere pulmenta, & quo lacu piscis captus sit nosse dicere, quædam est miseranda peritia. Senec. in epist. In membris alius pretiosas aues scindit & per pectus, & circumferens eruditam manum in frusta excutit. Infelix qui huic vni rei viuit, vt altilia decenter secet: nisi quod miserior est qui hoc voluptatis causa docet, quam qui causa necessitatis discit. Addisce ab his quibus dominici palati notitia subtilis est, qui sciunt cuius rei sapor illum excitet, cuius delectet aspectus. Et hæc prima species sapientiæ vitiosæ ad delicias pertinet. Vnde super illud 2. Corinth. 1. *Non in sapientia carnali*, dicit gloss. quæ est voluptates
2. diligere, labores vitare. Secunda, species est sapientia terrena, quæ pertinet ad diuitias. Baruch. 3. *Filij Agar qui exquisierunt prudentiam quæ de terra est*. Tertia
3. species est sapientia diabolica pertinens ad honorem vel malitiam, Diabolus enim primo honorem diuinum appetiit, post homini maligne inuidit. Ierem. 4. *Sapientes sunt vt faciant mala*. Gloss. malitiosi. De his tribus speciebus sapientiæ tangitur. Iacob. 3. *Non est*, inquit, *sapientia ista de sursum: sed terrena, animalis, diabolica*. Animalem vocat sapientiam carnis. Sapientiæ terrenæ aduersatur sapientia filij Dei pauperis facti, in principio doctrinæ suæ paupertatem commendantis. Matt. 5. *Beati pauperes spiritu*. Et eandem consulentis. Matth. 19. *Si vis esse perfectus, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Sapientiæ carnis videtur opponi sapientia sanctorum, quæ secundum Augustin. est hic temporaliter cruciari, & in æternum delectari. Sapientiæ vero diabolica sapientia humiliati, de qua Ecclesiast. 11. *Sapiētia humiliati exaltabit caput illius*.

Obiectio. Sed contra illud quod dictum est forsitan obiiciet aliquis: Quomodo aliqua sapientia possit esse vitiosa, quum omnis sapientia à Domino Deo sit? Ecclesiast. 1. & Baruch 3. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ. Etiam scientia mali bona est. Solutio. Si scientia mali mala esset, & eum in quo est malum efficeret, Deus qui omnia mala scit, magis malus esset quam cæteri. Ad hoc dicendum est, quod sapientia vitiosa pro magna parte sui sapientia non est, sed error: sicut dicit Augustin. quod disciplina mali non est disciplina. Et super illud Roman. 8. *Prudentia carnis mors est*. dicit glo. Prudentia dicitur, quum res stulta sit: quia ita videtur sæcularibus hominibus. 1. Corinth. 3. *Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum*. Mors manifeste ostendit sapientiam huius mundi stultitiam esse. Sapientia terrena stultitia esse ostenditur: cum ille qui tantum in congregatione diuitiarum laborauit, nudus in terra ponitur. Iob. 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc*. Sapientia carnis stultitia esse ostenditur, cùm caro deliciis enutrita vermibus esca datur. Sapientia diabolica stultitia esse ostēditur, cum ille qui voluit esse super alios, sub terra positus, ab hominibus, porcis & canibus conculcatur. Ecclesiast. 11. *Si annis multis vixerit homo, & in omnibus his lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis*, id est, mortis, *& dierum multorum*, scilicet vitæ futuræ quæ nō habebit finem, *qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita*. Et notandum quod secundum Sapiētia huius mundi qualis. Greg. in 1. part. Moralium: Huius mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demōstrare. Scientia etiam aliqua licet sit vera scientia, vitiosa potest dici ratione studiositatis quę eam pręcedit. Vnde super illud Roman. 8. *Prudentia carnis mors est*. dicit gloss. quæ est quum ea studiosius implet quæ carnis sunt. Vel potest dici vitiosa propter vsum vitiosum eius. Ecclesiast. 19. *Est prudentiæ nequitia, & in ipsa exercitatio*: vsus enim nequaquam eius execrabilis est. Et notandum quod disciplina mali

dupliciter poteſt intelligi. Vno modo vt ille genitiuus notet materiam de qua eſt diſciplina: & ſic diſciplina mali bona eſt & à Deo eſt. Vel ſic vt notet finem ad quẽ eſt diſciplina: & ſic eſt, diciplina mali, id eſt, ad malum: mala eſt, in quantum eſt ad malum, & eſt ab homine vel diabolo. Et idem intellige de illo verbo Eccleſiaſtic. 11. *Non eſt ſapientia nequitiæ diſciplina:* diſciplina enim nequitiæ ſi ſit ad vitandum nequitiam, bona eſt: ſi ad faciendum, in quantũ talis mala. Item videtur quodammodo prudentiæ aduerſari animi præſumptio in elatis. Auguſtinus loquens de illo verbo Apoſtoli: *Dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt.* ad Rom. 1. Si dicendo, inquit, te eſſe ſapientem ſtultus factus es: dic te eſſe ſtultum, & ſapiens eris. Matth. 11. *Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus* 1. Corinth. 3. *Si quis inter vos videtur ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens.* Prouerb. 26. *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis illo ſpem habebit inſipiens.* Gregorius 3. part. Moralium. Valde difficile eſt vt is qui ſe ſapientem æſtimat, mentem ad humilitatem reducat, & rectè prædicantibus credat. Greg. in Mor. Quia prima ſtultitia angeli elatio cordis fuit, vera ſapientia efficitur hominis, humilitas ſuæ æſtimationis. Item prudentiæ quodammodo aduerſari videtur concupiſcentia inordinata. Auguſt. 1. lib. Confeſſ. Spargis pœnales cęcitates ſupra illicitas cupiditates Pſalmiſt. *Super cecidit ignis, & non viderunt ſolem.* Item prudentię videtur quodammodo aduerſari ſocietas inſipientium Prouerb. 13. *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus autem ſtultorum ſimilis eis efficietur.* Seneca in epiſtolis: Rem facillimam ratio exigit, ſecundum naturam ſuam viuere: ſed hanc difficilem facit communis inſania. Vocatur inſania, inſipientia eorum qui ſe reputant ſapientes. Simplicem ſtultitiã habent qui neſciunt quæ ſcienda eſſent, & ignorantiam ſuam agnoſcunt: ſed qui ignorantiam ſuam non agnoſcunt, quaſi inſani ſunt. Inſanus enim credit ſe eſſe ſapientem, quum ſit valde ſtultus. Miſerabilis eſt cæcitas eorum quæ cæcitatem ſuam non agnoſcunt: quibus accidit ſicut cuidam fatuæ de qua loquitur Seneca in epiſtolis ſuis. Ad paſtam, inquit, vxoris meę fatuam ſcis hereditarium onus in domo mea remanſiſſe. Hæc fatua ſubito deſiit videre. Incredibilem rem narro tibi, ſed veram: neſcit ſe eſſe cæcam. Inde pædagogum ſuum rogat, vt migret, ait domum tenebroſam eſſe: Hoc quod in illa ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi. Nemo ſe auarum eſſe intelligit, nemo cupidum cæci ducere querunt. Nos ſine duce eramus & dicimus: non ergo ambitioſus ſum: ſed nemo aliter in vrbe viuere poteſt: non ego ſumptoſus ſum, ſed vrbs magnas expẽſas exigit. Quid nos decipimus? non extrinſecùs malum noſtrum, intra nos eſt, in viſceribus ſedet: ideò difficulter ad ſanitatem peruenimus, quia nos ægrotare neſcimus. Et notandum, quod ſecundùm communem modum loquendi, & ſecundùm modum etiam loquendi quem habet ſacra Scriptura, inſipientia, vel imprudentia, vel ſtultitia non ſolùm pertinent ad intellectum, ſed etiam ad voluntatẽ & operationem. Vnde ſtultus eſt omnis peccator: & maxima ſtultitia eſt peccare, & maxima ſapientia rectè viuere. Chryſoſtomus: Sapientia eſt, non eloquia Dei ſcire, ſed ſecundùm eloquia Dei viuere, & eloquia Dei timere. Iob. 28. Dicit homini diuinitus eſſe oſtenſum quod timor Domini ipſa eſt ſapientia: & recedere à malo intelligentia. Eccleſiaſt. vlt. *Finem loquendi omnes pariter audiamus: Time Deum: & mandata eius obſerua.* Loquela eſt ad ſapientiam edocendam: ſermo enim proprius nuntius eſt rationis doctæ, Homini indocto magis conuenit tacere, quam loqui. Finis ergo loquendi: id eſt, illud ad quod finaliter eſt loquela, eſt ſapientia cõſummata, quæ conſiſtit in timore Dei & obſeruatione mandatorum eius: Sine timore Dei nihil ſapientiæ videtur haber

Stulti[tia] eſt peccar[e] ſapiẽt[ia] rectè viuere

quum timor Domini principiū sit sapientiæ. Prouerb. 1. Sicut non reputaretur sapiens qui non timeret furari vel rapere in terra illius Domini, qui districtissimè faceret iustitiam: sic non est sapiens qui non timet offendere Dominum illum, qui nobilissimam creaturam damnauit irrecuperabiliter pro vno peccato superbię. Lucę 10. *videbam Sathanam quasi fulgur cadentem de cœlo.* Et pro peccato primorum parentum, totum genus humanum damnauit exilio & temporali morte. Et pro peccato luxuriæ, totum mundum, exceptis octo personis, aquis diluuio submersis.

Sapere in solo intellectu hominino non est meritorium. Et notandum, quod licet valde necessarium sit sapienter intelligere, quia occasio est vt homo sapienter velit, & sapienter operetur: & insipienter intelligere valdè sit periculosum, eo quod sit occasio insipienter volendi, & insipiēter agendi: tamen sapere vt est in solo intellectu, non est Deo gratum, nec homini meritorium, nisi attingat voluntatem vel operationem. Nec insipientia in solo intellectu damnabilis est, donec attingat voluntatem vel operationem; vt scilicet insipiēter velit, vel insipiēter agat. Qui sapiens est solo intellectu, insipiens vero voluntate & operatione, insipientiùs videtur se habere quam si non haberet sapientiam in intellectu. Sicuti duobus incedētibus per viam publicam, si deuient in viam quæ mittat eos in manus latronum qui eos iugulent, vnus scienter, alius nesciens, stultior in hoc reputabitur qui sciens deuiauerit, quàm qui nesciens. Et insipienter vadit, qui de die corruit vel offendit, quam qui de nocte. Iob. 5. *Per diem incurrant tenebras & quasi in nocte sic palpabunt in meridie.*

De 12. stultitijs quibus peccantes mortaliter adhærent.

Stultitia peccatorū. 1. ET notādum, quod qui mortaliter peccat, multum stultè agit. Et tangemus duodecim stultitias quæ in eo qui peccat possunt assignari. 1. est, quod ipsemet se excæcat. Sap. 2. *Excæcauit eos malitia eorum.* Greg. Oculos quos culpa claudit, pœna aperit. 2. est, quod seipsum diabolo illaqueat. Iob. 18. *Immisit in rete pedem suam.* Gregor. Qui pedes in rete mittit, non quum voluerit eiicit: sic qui in peccatis se deiecit, non mox quum voluerit surgit. Prouerb. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum quisquis constringitur.* Qui peccat volens, vincitur ab hoste crudeli. qui non miserebitur. Greg. Debilis est hostis qui non vincit nisi volentem, ipse etiam volens se præcipiat. Matt. 4. *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Gloss. 1. in quo infirmus ostenditur, quod nulli nocere possit, nisi prius ille se deorsū miserit. Tertia est, quod quasi insanus in seipsum manus iniicit infligendo sibi vulnus insanabile. Eccles. 22. dicitur de peccato: *plagæ illius non est sanitas:* imo quod plus est, seipsum occidit. Sapient. 16. *Homo per malitiam occidit animam suam.* Eccl. 22. dicitur de peccato: *Dentes leonis dentes ipsius interficientis animas hominum.* Peccatum dicitur mors animæ: quia à Deo separat qui est vita. Augustinus: Vera mors est quam homines non timent: separatio animæ à Deo quæ est beata vita animarum, vel quia aufert vtilitatem vitæ præteritæ & præsentis. Bernardus super Cantic. Quam mitius me priuares ô amara mors vitæ vsu, quam fructu. Nam vita sine fructu; grauior mors. Denique duo mala parantur arbori infructuosę, securis & ignis. Quarta est, quod bona sua proiicit. Oseæ 7. *Proiecit Israel bonum.* Qui cadit per mortale peccatū, omnia bona quę vnquā fecit amittit. Bona etiam quæ agit in statu illo vera bona nō sunt: quia non sunt sibi meritoria: qui mortale peccatum committit, quasi ignem in propria domo ponit qui omnia destruat. Luc. 10. Tangitur de duabus stultitiis modo dictis, vbi legitur de illo qui incidit in latrones, qui despoliauerunt eū, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. Quinta est, quod se charissime emptum à Deo, diabolo vilissime vendit. 1. Pet. 1. *Non corruptibilibus auro & argento redempti estis, &c. sed pretioso sanguine*

Agni, &c. Prouerb. 10. *Cor impiorum pro nihilo.* Esa. 52. *Gratis venundati estis.* Sexta
6. est, quod ab auctore omnium bonorum recedit: ideo non est mirum si male sit ei. August. Tale bonum est Deus, vt nemini eum deserenti bene sit: Oseæ 7. *Væ eis, quoniam recesserunt à me.* August. in lib. Soliloq. Deum relinquere, idem est quod
7. perire. Septima, quod cum omnipotente guerram facere præsumit: quæ guerra cito finita esset, si misericordia Dei permitteret quod diabolus eum iugularet. Thren. 3. *Misericordiæ Domini quia non*
8. *sumus consumpti.* Octaua est, quod ei seruit cuius gratiam acquirere nequit. Gregorius: Stultum est seruire diabolo offenso, qui nullo placatur obsequio. Quanto aliquis ei amplius seruierit, tanto amplius
9. ipse eum torquebit. Nona est, quod ipse sibi locum tormenti efficit. Affligitur enim peccator in corde suo. Hieron. 2. *Scito & vide, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Qui peccat, quasi sarcinam super se ponit qua in præsenti grauetur, & in futuro in infernum præcipitetur. August. Quid est mors? depositio sarcinæ grauis: sed si alia sarcina non portetur qua homo in gehennam præcipitetur. Decima est, quod ipse in in- 10.
ferno portam facit. Matth. 16. *Portæ inferi non praualebunt aduersus eam.* Portæ inferi dicuntur peccata mortalia: quia qui in eis decedunt, in puncto ad inferna descendunt. Iob. 21. Sicut qui ad portam est, propinquius est domui. Vndecima est, 11.
quod portam paradisi sibi obstruit, & regnum cœlorum modico pretio vendit, similis Esau, qui pro lenticula vendidit ius primogenituræ suæ. Genes. 25. Bernard. Væ væ, vapor est ad modicum parens, quod æternæ felicitatis aditum intercludit. Duodecima est, quod ad suspen- 12.
dium sciens & volens vadit: quis non reputat insanum eum qui requisitus quo vadat, & respondet, suspendere me vado? Sic nullus sapiens reputandus est qui in mortali peccato est, cum singulis diebus vnam diætam magnam faciat ad infernale suspendium. Eccles. 6. *Quid habet amplius stulto sapiens, & quid pauper nisi vt pergat illuc vbi est vita?* Hîc discernit vere inter sapientes & stultos, quod sapientes vadunt ad vitam æternam: Stulti vero ad mortem æternam. De stultitiis singulorum peccatorum, require in tractatu de Vitiis.

TERTIÆ PARTIS PRINCIPALIS de quatuor Virtutibus Cardinalibus,

TRACTATVS TERTIVS.

De Temperantia.

CAPVT PRIMVM.

De ordine virtutum Cardinalium adinuicem, & ordine dicendorum in hoc tractatu.

Dicto de prudentia quæ est inter cardinales virtutes, quum ordinet cæteras, & sit in vi rationali quæ videtur esse nobilior cõcupiscibili & irascibili, quia ea discernitur homo ab animalibus brutis, dicendum est de aliis tribus. Et primo de Temperantia & Fortitudine, quàm de Iustitia: quia

quia temperantia & fortitudo ad iustitiam disponunt & præparant sicut cupiditas quam temperantia refrænat, & timor cui fortitudo resistit, iustitiam à suo officio impediunt. Et prius dicetur de Temperantia quàm de Fortitudine: quia temperantia animum ordinat ad id quod est infra se, scilicet ad bona quæ corpori seruiunt: fortitudo ad id quod est contra, scilicet aduersa. Item temperantiâ regit homo seipsum, & fortitudine & iustitiâ alios. Prius vero & homini vtilius est regere se, quàm regere alios. Seneca: Si vis omnia tibi subiicere, subiice te rationi: multos enim reges, si ratio te rexerit. Item temperantia refrænat concupiscentiam animæ circa bona modica & inferiora, fortitudo vero roborat eam circa bona ardua. Illa spiritualem descensum animæ cohibet: ista spiritualem ascensum promouet. Cohibitio vero à spirituali descensu est prior ascensu spirituali. Item temperantia est in concupiscibili: fortitudo vero in irascibili. Operatio vero concupiscibilis naturaliter videtur esse prior quam operatio irascibilis. Vis enim concupiscibilis est appetitiua boni delectabilis. Irascibilis est appetitiua boni ardui expedientis: vt est medicina vel scissura quæ fit propter salutem corporis. Bonum vero expediens, bonum est secundum quid: bonum vero delectabile, bonum simpliciter, & propter illud est bonum expediens. Vnde appetitus boni delectabilis naturaliter est prior appetitu boni expedientis, & est naturalis. Aristoteles in lib. de naturis animal. Omnia naturaliter appetunt delectationem. Item vis concupiscibilis motiua est secundum apprehensionem boni: vis irascibilis secundùm apprehensionem mali. Sicut enim per apprehensionem boni expectati in concupiscibili fit motus cupiditatis, & per eius adeptionem seu coniunctionem fit quies vel gaudium in anima: sic per apprehensionem mali quod aliquis opinatur sibi affuturum, est timor in irascibili; & per ilationem mali quod prius timebat, siue per ablationem boni quod concupiscebat, fit perturbatio vel ira in irascibili, & sequitur appetitus vindictæ. Vnde dicit Auicenna, quod vis concupiscibilis est imperans moueri vt appropinquetur ad ea quæ sunt necessaria aut vtilia appetitu delectamenti. Irascibilis vero est vis imperans moueri ad repellendum id quod putatur nociuum aut corrumpens appetitum vincendi. Vnde cum bonum prius naturaliter sit, quam malum: malum enim dicitur aliquid, secundum Augustin. quia adimit bonum, vel nocet bono, operatio concupiscibilis quæ est secundum apprehensionem boni, prior est naturaliter, quam operatio irascibilis quæ est secundum apprehensionem mali. Præterea primus insultus à diabolo factus primis parentibus videtur fuisse contra temperantiam. Et in pugna Christi prima tentatio fuit contra virtutem temperantiæ. Prima etiam pars vitæ nostræ assuescit voluptatibus, quarum refrænatio ad temperantiam pertinet. Propter istas causas merito temperantia fortitudini præponetur: & secundum hunc ordinem modò ostensum numerantur quatuor virtutes, super illud Matth. 5. *Erant qui manducauerant quatuor millia hominum.* Gloss. quatuor, propter quatuor virtutes quibus recte viuitur: prudentiam, temperantiam, fortitudinem & iustitiam. Eodem etiam ordine enumeratur. Genes. 2 in gloss. super illud: qui diuiditur in quatuor capita. De temperantia vero hoc modo dicetur. Primo diuersæ acceptiones huius nominis temperantia assignabuntur. Secundo descriptiones eius ponentur. Tertio ea quę pertinent ad eius commendationem Quarto agetur de partibus temperantiæ.

Tēperātia ad quid disponat homi-nem.

CAPVT II.

De diuersis acceptionibus huius nominis Temperantia.

Acceptiones Temperantiæ triplices.

NOtandum quod nomen Temperantiæ tripliciter accipitur. Primo pro temperantia in generali, ad quam pertinet cauere circa omne opus virtutis, ne quid parum vel nimis fiat. Ad eam pertinet moderari opus virtutis illo modo de quo loquitur Horatius:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra citráque nequit consistere rectum.

Sic sumere videtur nomen Temperantiæ Bern. in lib. de consideratione: Temperantiæ est, inquit, non solum iustitiæ, sed & fortitudini, & prudentiæ modum imponere. Secundo modo dicitur temperentia virtus animi impetus non rectos cohibens. Sic sumitur à Tullio in prima Rhetorica. Tertio dicitur temperantia virtus animam regens circa delectationes corporales siue circa delectationes sensuum. gloss. super Matth. 15. Temperantia est refrænatio cupiditatis ab his quę temporaliter delectāt. Et August. dicit temperantiam esse in coërcendis delectationibus prauis.

Capvt III.

De descriptione Temperantiæ.

TEmperantia sic describitur à Tullio in prima Rhetorica: Temperantia est rationis in libidinem atque alios non rectos animi impetus firma & moderata dominatio. Libidinem hic intellige cupiditatē carnalis delectationis. Alios impetus animi non rectos intellige, vt cupiditatem habendi, vel proximo nocendi. His cupiditatibus ratio animi dominatur: non quod motus in eis non surgant, sed quia cū emergunt: non fit processus ad consensum. Et notandum quod secundum Tullium in lib. de Offic. duplex est vis animæ, vna est ratio, altera est appetitus quæ animum rapit. Rationis est dominari, appetitus obtemperare. Tullius in lib. de offic. sic describit temperantiam: Temperantia est dominium rationis in libidinem & in motus alios importunos. Secundum August. verò in lib. de moribus Ecclesiæ: Temperantia, est amor sese integrum Deo incorruptúmque seruans. Secundum Macrobium: Temperantia est nihil appetere pœnitendum, in nullo moderationis legem excedere, sub iugo rationis cupiditatem domare. Item August. dicit in lib. de Libero arbitrio, quod temperantia est affectio coercens & cohibens appetitum ab his quæ turpiter appetūtur. Et notandum, quod modus à quo moderatio dicitur, quadruplex est. Primus est restrictio inordinati appetitus in vi concupiscibili quæ prona est ad concupiscendum delectabile temporale, vel in vi irascibili quæ impetuosa est ad repellēdum nociuum vel corrumpens. Secundus consistit in priuatione eius quod est nimis & parum. Tertius in hoc quod opus debitis circunstantiis induatur: & huius tertij modi secundus modus pars est. Quartus modus est, à quo virtus modestiæ dicitur, quam Tullius ponit tertiam partem temperantiæ. De quo infra dicetur.

Visa nimæ duplex.

Capvt IV.

De Commendatione Temperantiæ.

AD Commendationem Temperantiæ, primò facit quod ipsa homini honorem suum custodit. Honor hominis est libertas voluntatis, quę apprehēso delectabili, potest illud velle vel non velle. Genes. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* In brutis est seruitus appetitus huic libertati opposita: apprehenso enim delectabili accenditur concupiscentia eorum, nec habent in potestate sua eam extinguere vel temperare. Qui virtutem temperātiæ habet, viuit vt homo, qui eam non habet vt brutum. Hier. Qui post carnem ambulant in ventrem & libidinem proni, quasi irrationabilia iumenta reputātur. In Psalm. *Homo cùm in honore esset, non*

2. *intellexit, comparatus est iumentis.* Secundo, quod ipsa hominem spiritualiter circuncidit, & inter eos qui sunt de populo Dei, & qui non sunt, verè discernit. Seneca libro de quatuor virtutibus: Continẽtiam si diligis, circuncide superflua, & in arctũ desideria constringe: Continentiam ibi vocat temperantiam. Ierem. 4. *Circuncidimini Domino, & auferte præputium cordium vestrorum.* Deut. 30. *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo.* Temperantia opprobrium Ægypti, scilicet mũdi superfluum, aufert à populo Dei. Ios. 5. *Hodie abstuli opprobrium Aegypti à vobis.* Ambros. Ita cauet ne quid nimis. Sapiens: Id arbitror primò esse vtile in vita: Ne quid nimis. Tertiò, quod familiarum Deo reddit. Sapient. 6. *Incorruptio facit proximum Deo.* Temperantiæ est, vt amor Deo incorruptus atque integer custodiatur, secundum Augu. in lib. de moribus Ecclesiæ. Ipsa Deo seruat integrum cor, quod ipse specialiter requirit. Prou. 23. *Præbe fili mi cor tuum mihi.* August. 10. lib. Confess. Domine, per continentiam colligimur in vnum à quo in multa defluximus. Minus enim te amat qui tecum aliquid amat quod non propter te amat. Ipsa assimilat hominem Deo qui spiritus est, eum spiritualem faciendo. Seneca in libro de quatuor virtutibus cardin. de continentia: Desideria tua paruo redime: quia hoc tantum curare debes vt desinant, atque ita quasi ad exemplar diuinum compositus à corpore ad spiritum quantum potes adducere. Ipsa filios Dei quasi ablactat, separãdo eos à solatio temporalium deliciarum: quod Deo valde gratum est. Gen. 21. *Abraham in ablactatione Isaac fecit conuiuium magnum.* Ipsa ad contemplationem Dei præparat. August. Temperantia est amor ab amore inferioris pulchritudinis nos remouens & eleuans ad superiorem. Item in libro Soliloquiorum: Vnum est quod tibi possum præcipere nihil nobis plus penitus esse fugiendum, quam ista sensibilia: cauendùmque magnopere dum hoc corpus agimus, ne quo eorum visco pennę nostræ impediantur, quibus integris atque perfectis opus est vt ad illam lucem ab his tenebris euolemus, quæ se nec ostẽdere quidem dignatur in hac cauea inclusis, nisi tales fuerint vt ista, vel effracta vel dissoluta possint in auras suas euadere. Temperantia Deo thronum eburneum præparat, significatum per thronum eburneum quẽ fecit rex Salomon. de quo 3. Reg. 10. & 2. Paral. 9. Ipsa etiam in domo eburnea eum delectat. In Psalm. *A domibus eburneis ex* Ps. 44.
quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. Ipsa Dei tabernaculum sanctificat.
Psalm. *Sanctificauit tabernaculum suum* Psal 45.
Altissimus. Et vt vno verbo dicamus, adeo placet, quod sine ipsa nullus Deo placere potest. ad Rom. 8. *Qui in carne sunt Deo placere non possunt.* Quartò, quod ipsa fræ- 4.
num est quo corpus humanũ à spiritu regitur. Sine quo spiritus corpori periculose præsidet: sicut aliquis periculose insidet equo sine fræno, si equus sit indomitus, & aqua vel aliud periculum sit propinquum. De hoc fræno Seneca dicit: Impone concupiscentiæ tuæ frænũ. Quintò, quod ipsa 5.
diabolum offendit multũ sicut oppositum eum gaudere facit. Eccles. 18. *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.* Si enim præstes animæ tuæ cõcupiscentias eius, faciet te gaudium inimicis tuis. Tẽperantia diabolum in arido ponit, vbi nõ habet requiem. Matth. 12. *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & non inuenit.* Intemperantia verò diabolo locum quietis parat, scilicet humidum. Vnde Iob 40. dicitur. *Dormite in locis humentibus.* Tẽperantia liberat ab hoste qui diu hominẽ possedit, scilicet à voluptate cui à cunabulis assueuit. Sapiẽs: Vsus ęgrè dediscitur. Idem: Difficile est repellere passionẽ vitæ contẽporaneam. Temperantia hostẽ cauet cuius ingressus pacificus videtur: scilicet voluptatẽ blandientẽ. Seneca: Voluptates inter res vilissimas præcipuè extirpa, quæ

more latronum ad hoc nos amplectuntur vt iugulent. Ipsa in prosperis custodit vbi maius periculum est. Gregorius: Cum omnis fortuna timenda sit, magis prospera timenda est quàm aduersa. Hæc enim sæuiẽdo erudit, illa blandiendo seducit. Ipsa vitia carnalia, quæ maioris sunt infamiæ
6. extinguit. Sexto, quod ipsa est stola prima. Lucæ 16. *Proferte citò stolam primam.* Ipsa est vestis de bysso. Prouerb. vlt. *Byssus & purpura indumentum eius.* Ipsa candor est quasi materialis respectu aliarum gratiarum. Ipsa est principium spiritualis pulchritudinis: quæ consistit in candore & rubore. Cantic. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* 1. Corinth. 25. *Qualis cœlestis & quales cœlestes.* Septimo, quod vas cor-
7. poris syncerum custodit. Sapiens: Syncerum nisi vas, quodcunque infundis acescit 1. Thess. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra,* &c. *vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione, & honore.* Ipsa honestatem prouidet illi parti hominis quæ magis ea indiget, scili-
8. cet carni. Octauo, quod hominem munit ea parte qua infirmior est, scilicet ex parte carnis. Matt. 26. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Ipsa etiam à deceptione hostis familiaris custodit. Boet. Nulla verò pestis efficacior ad nocendũ quàm familiaris inimicus. Et vt vno verbo comprehendamus, *non est digna ponderatio continentis animæ*, id est temperatæ. Eccl. 26. Quod vocamus communiter temperantiam, vocat Seneca continentiam: Temperantia turpitudinẽ fugit, & sic munditiam seruat. Senec. Si continentiam diligis, turpia fugito antequam veniant, nec quemquam alium vereberis plus quam te, omnia tolerabilia prҿter turpitudinem crede. Ipsa decorem prouidet moribus nostris. Seneca: Si continens es, & animi tui & corporis motus obserua ne indecori sint. Nec ideò illos contemnas, quia latẽt: nam nihil differt si nemo videat, dum tu illos vides.

CAPVT V.

De partibus Temperantiæ secundum Tullium. Et de prima eius parte, scilicet continentia: & de duodecim quæ nobis dissuadent inordinatum amorem voluptatum.

NOtandum quod secundum Tullium in prima Rhetorica, Temperantia tres habet partes. Prima vocatur ab eo Continentia, secunda Clementia, tertia Modestia. Prima videtur regere animum quantum ad appetitum boni. Secunda, quantum ad appetitum ȝleni mali. Tertia, quantum ad exteriora horũ indicia. Continentia, vt ait Tul. est, per quam cupiditas consilij gubernatione regitur. Continentia verò sic sumpta videtur posse diuidi sicut cupiditas, quã ipsa refrænat, diuiditur: & quæ habet duas species, scilicet inordinatum appetitum delectandi, & inordinatum appetitum habendi. Sic continentia videtur habere duas partes: vnam quæ refrænat appetitum voluptatum, & aliam quҿ refrenat appetitũ diuitiarũ. Ad quod videtur pertinere quod dicit gloss. super illud Luc. 6. *Beati pauperes:* Ecce tẽperãtia: tẽperantiã vocat paupertatẽ spiritus, quã refrænat appetitũ diuitiarũ. Has duas partes cõtinẽtiæ tãgit Sen. dicẽs: Hac mediocritatis lineã continẽtiam obseruabis, vt nec voluptati deditus, prodigus & luxuriosus appareas, nec auara tenacitate sordidus aut obscurus existas. Circa illam partem continentiæ quæ appetitum voluptatũ refrænat, notãdum quod duodecim sunt quæ nobis dissuadent inordinatum amorem voluptatum. Primũ est locus in quo sumus. August. in valle miseriæ sumus, vbi eo magis flendum quo minus flemus. Idẽ nescim⁹ quo fine claudimur in hoc exilio: non eiecit Deus hominẽ vt hic faceret aliũ paradisum. Secũdum est tem-

Inc nat amo vol tun diss dec

pus in quo sumus. Bern. Vniuersum tempus pœnitentiæ vigilia quædam est solẽnitatis magnæ & æterni sabbati quod præstolamur. Vigilia non est tempus deliciarum, sed festum. Tertium est exemplum Christi & sanctorum. Bernard. Christus qui nõ fallitur, elegit quod carni molestius est: id ergo melius id vtilius, id magis eligendum: & quisquis aliud docet vel suadet, ab eo tanquam à seductore cauendum est. 2. ad Corinth. 11. *In fame & siti, in ieiuniis multis.* Quartum est exemplum eorum quibus amor voluptatum nocuit: vt exemplum matris Euæ, de qua Gen. 3. *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, &c. & tulit, & comedit.* Exemplum Salomonis de quo Eccl. 20. *Non prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur: propter quod infatuatus est.* 3. Reg. 3. Quintum est periculum in acquirendo sumptus deliciarum: multoties enim acquiruntur vel per mortem propriam, vel per mortem alterius. Noluit Dauid bibere aquam quam sibi attulerãt tres fortes: sed libauit eam Domino, dicens: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc: num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* Melius esset sine periculo tantum panem & aquam sumere, quam cum periculo delicias habere. 2. Mach. 5. Iudas secesserat in desertum locum, ibique inter feras cum suis vitam in montibus agebat, & fœni cibo vescentes demorantur, ne participes fierent coinquinationis. Sextum est, labor qui est in præparando. Epicurus voluptatis assertor omnes liberos suos impleuit oleribus & pomis & cibis vilibus, dicens his esse viuendum: quia carnes & exquisitæ epulę ingenti cura ac miseria præparentur, maioremque pœnam habent inquirendo, quam voluptatem in abutendo. Septimũ est, voluptatũ breuitas. Sen. Voluptas est breuis, fastidit obiecta: quo auidius hausta est, citius in contrarium recidens. Octauum est earum dignitas. Senec. In voluptate nihil est magnificum, aut quod naturam proximam Deo deceat. Non est animi virilis, sed puerilis, voluptates carnales amare. Ideo lacte significatur in Scriptura sacra carnalis voluptas, quod est cibus puerorum: non decet in ætate virili vel senili à mammillis lac sugere. Gen. 18. *Postquam consenui, voluptati operam dabo?* Nonum est penuria fratrum nostrorum & filiorum Dei. Non decet Christianum delicias quærere, cum sciat Christum in tot membris suis necessaria non habere. ad Hebr. 11. *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis magis eligens affligit cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem.* Iniqua est partitio, quod inter filios Dei alii superflua habeant, alii necessariis indigeant. Bernar. Clamant nudi, clamant famelici, & conqueruntur: Nobis, inquiunt, fame & frigore miserabiliter laborantibus, quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manicis? nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur quod inutiliter expéditis. Idẽ: Inueniunt otiosi quo delectantur, & non inueniunt miseri quo sustentẽtur. Decimũ est, voluptatũ impuritas, habent enim multam amaritudinẽ annexã. Recte Deus congregationes aquarũ appellauit maria. Genes. 1. Multitudini enim delectatiónum est annexa multitudo amaritudinum. Boet. Dulcedo felicitatis humanæ multis amaritudinibus respersa est. Io. 30. *Esse sub sentibus delicias reputabã.* Eccl. 7. *Inueni amariorem morte mulierẽ.* Hæc est voluptas carnis animã separans à Deo: & ideo amarior est morte corporis, quæ corpus ab anima separat. Cũ enim Deus melior sit anima separatio ei⁹ erit deterior. Vndecimũ est, voluptatũ vanitas. Ecclesiast. 11. *Adolescentia & voluptas vana sunt.* Vanum est quod non confert plenitudinẽ cõtinenti. Hier. Voluptas habita, famem, non satietatem parit. Eccl. 1. *Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.* Ioan. 3. *Qui biberis ex hac aqua, sitiet iterum.* Augustin. Anima

humana delectationis auida ex quo recessit ab vnitate, cum rerum qualitate non possit, rerum varietate satiari desiderat. Ecclesiast. 20. *Dixi in corde meo: Vadam & affluã deliciis, & fruar bonis, & vidi quod hoc quoque esset vanitas.* Duodecimum est, eorum noxietas. Nocent autem homini multipliciter. Primò, quod multoties sunt corpori occasio mortis vel infirmitatis. Senec. Voluptatibus maior pars corporum perit. Idem: Corpus suggerit vanas voluptates, breues, pœnitẽdas, ac nisi magna moderatione temperentur in contrarium habituras. Idem: Ipsæ voluptates in tormenta vertuntur. Secundò, quia hominem in seruitutem ponunt. Senec. Voluptatibus se immergunt, quibus in consuetudinem adductis carere non possunt: & ob hoc miserrimi sunt, quod eo peruenerunt quod illis quæ sunt superuacua, facta sunt necessaria. Voluptas amantibus se quinque iuga supraproponit, scilicet consuetudines delectationum, quæ sunt secundùm quinque sensus. Luc. 14. *Iuga boum emi quinque.* Tertiò in hoc quod corpus spiritui contumax reddit. Prouerbior. 29. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, posteà sentiet eum contumacem.* Voluptas carni concupiscenti aduersus spiritum in adiutoriũ fit: vnde multoties spiritus succumbit. Bernardus: Si concupiscentia cœperit habere irritamenta, fiunt duo contra vnum, & periclitatur conscientia. Quartò, quia licet videatur esse medicamẽtum: tamen facit ad infirmitatis augmentum. Gregor. in Moral. Ipsum medicamentum in vulnus vertitur: quia exquisito remedio, paulò diutiùs inhæretur, ex eo grauiùs deficimus quod proinde ad refectionem paramus. Quintò; quia multum à salute impedit. Ipsa est quasi forte glutinum. Luc. 14. *Vxorem duxi, & ideò non possum venire*: hæc est voluptas carnis. Sextò obliuionem inducit. Ecclesiast. 5. *Non satis recordabitur dierum vitæ suæ eò quod Deus occupet deliciis cor eius.* Septimò hominem à sapientia impedit. Iob. 28. *Sapientia non inuenitur in terra suauiter viuentium.* Octauò, sterilitatem bonorum operum inducit, Esa. 47. *Et nunc audi hæc delicata.* Et paulò post: *Venient tibi hæc duo subitò in die vna sterilitas, & viduitas.* Ipsa hominem quasi paraliticũ efficit. Ierem. 31. *Vsquequo dissolueris deliciis filia vaga?* Deuter. 28. *Tenera mulier & delicata quæ super terram ingredi non valebat ipsa virilitatem aufer.* Esa. 19. *Erit Ægyptus quasi mulieres.* Ipsa fluuius est in quo Pharao infernalis masculos vult proiici. Exod. 1. Ipsa est aqua Ægyptiis in sanguinem versa. Exod. 7. Nonò, hominem loquacem facit. Ipsa est fluuius ranas ebuliens. Exod. 8. Decimò, reddit hominem incompatientem: vt patet in epulone Euangelico. Luc. 16. Amos 6. *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Vndecimò melioribus diuitiis priuat, scilicet spiritualibus, Bernard. Delicata est diuina consolatio, & non datur admittentibus alienam. Columba aquam refugit, aquam scilicet carnalis voluptatis. Genes. 8. Bernardus loquens de illo verbo: *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet.* Ioan. 17. Quis, inquit, audeat de cætero carnis illecebris fantasticis deditus Paracletũ expectare? Duodecimò, in pœnam æternam commutatur. Apocalyp. 18. *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Aquæ inferiores in mare mortuum descendunt. Iosue 3. Voluptates enim temporales ad amaritudinem æternam ducunt. Multa quæ valent ad refrænandum amorem diuitiarum, inuenies in tract. de Auaritia. De paupertate etiam spiritus quæ amorem diuitiarum refrænat, dicitur in tract. de beatitudinibus: ideò hîc ea quæ pertinent ad refrænationem huius amoris prætermittimus.

Capvt VI.

De descriptione Clementiæ. Et quod principi sit maximè necessaria: quot sint etiam quæ possint incitare principem ad clementiam.

[Q]uid sit clemẽtia.

CLementia est virtus per quam animus in odium alicuius temerè concitatus benignitate retinetur. De his quæ valent ad refrænandum odium, multa inuenies in tractatu de ira, secundùm Senec. Clementia est temperantia animi in potestate vlciscendi, vel lenitas superioris aduersus inferiorem in pœnis cõstituendis. Et notandum quod licèt clementia necessaria sit omnibus, maximè tamen principem populi sui Moysen constituit, qui erat vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra. Num. 12. & 3. Reg. 20. legitur: *Audiuimus quod reges domus Israel clementes sunt.* Hester. 13. *Volui potentis nequaquam abuti magnitudine, sed clementia & lenitate gubernare subiectos.* Et Esa. 16. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ.* Et de Christo legitur Matth. 21. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.* Et lex eius vocabitur lex clementiæ, Prouerbior. vltim. In signum etiam clementiæ inunguntur reges Christiani & Ecclesiæ Prælati. Senec. Nullum ex omnibus clementia magis quam regem aut principem decet. Idem Clementia efficit vt inter regem tyrannumque discrimẽ sit, id est differentia. Item notandum quod clementiæ virtus mediocritatem seruat in parcendo & in vlciscendo. Senec. Tam omnibus ignoscere crudelitas est, quam nulli. Modum tenere debemus: sed quia difficile temperamentum est, quidquid plus æquo futurum est in partem humaniorem præponderet. In arca erat virga Aaron cum manna. Ad Heb. 9. Ille enim qui præest quandoque debet parcere, quandoque vltionem sumere. Virga Assueri extensa, signum erat clementiæ. Hester 8. Ad clementiam pertinet maximè temperantia in vltione propriarum iniuriarum. Senec. Quemadmodum magni animi non est qui de alieno liberalis est, sed ille qui quod alteri donat, sibi detrahit; ita clementem voco non de alieno dolore facilem, sed eum qui cum suis stimulis exagitetur non prosilit, qui intelligit magni animi esse iniurias in summa patientia pati, nec quidquam esse gloriosius principe impunè læso. Vltimò duas res pręstare solet: aut solatium affert ei qui accepit iniuriam, aut in reliquum securitatem. Principis maior est fortuna, quam solatio egeat, manifestiorque vis quam vt alieno malo sibi virium opinionem quærat. Hoc dico, cùm ab inferioribus petitus violatusque est: clementia principem seruat, ne impatientia vel aliqua alia inordinata affectione vltionem præcipitet. Tullius in libro de Offic. Optandum est vt qui præsunt reipublicæ, legum similes sint, quæ ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur. Ad principem verò clementem pertinet illud verbum. Senec. In hac tanta facultate rerum non ita me ad iniqua supplicia compulit, non iuuenilis impetus, non temeritas hominum & contumacia quæ sæpè tranquillissimis quoque pectoribus patientiam extorsit. Clementiæ est causas parcendi quærere. Senec. Alterius ætate prima motus sum, alterius vltima: quoties nullam inueni misericordiæ causam, mihi peperci. Item notandum quod duodecim sunt quæ possunt valere ad incitandum Principes ad clementiam. Primum est exemplum excelsi principis, scilicet Dei, de quo Ioel. 2. legitur, *ipse benignus & misericors est & præstabilis super malitia.* Et Sapient. 12. *Parcis omnibus, quoniam tua sunt.* Senec. Si Deus placabilis est, & delicta potentium non statim fulminibus persequitur: quantò æquiùs est hominem hominibus præpositum miti animo exercere imperium. Secundum est

Ad clemẽtiam exercẽdam à principibus sunt 12. incitamenta.

exemplum creaturarum inferiorum , vt exemplum quod ponit Sen. de rege apum. Iracundissimæ, inquit, ac pro captu corporis pugnacissimæ sunt apes, & aculeum in vulnere relinquunt. Rex ipse sine aculeo est. Noluit ipsum natura nec sæuum esse, nec vltionem magno constaturam petere, telumque detraxit, & iram eius inermem reliquit. Exemplar hoc hominibus regibus ingens. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores, quum tanto mederatior hominum animus esse debeat, quanto vehementius nocet.
3. Tertium est naturalis nobilitas animorum qui regendi sunt. Senec. Remissius imperanti melius paretur: contumax est animus humanus, & contrarium atque arduum nitens faciliúsque sequitur, quàm ducitur.
4. Quartum est, quod clementia naturæ humanæ congruit: crudelitas vero videtur esse contra naturam humanam & quasi bestialis. Senec. Quid istud delectari sono catenarum quocunque ventum est multum sanguinis fundere, aspectu suo terrere & fugare? quæ alia vita esset, si leones, vrsique regnarent, si serpentibus in nos, ac noxiosissimo animali cuique daretur potestas? ipsa rationis inexperta natura abstinet suis, & tuta etiam inter feras similitudo morum est. Arist. in lib. de natura animal. dicit quod non est auium vnius speciei vt se comedant. Senec. Ferina rabies est sanguine gaudere, ac vulneribus, ac abiecto homine in syluestre animal transire.
5. Quintum est, humani sanguinis pretiositas quo parcissime vtendum est. Senec. in epist. Clementia sanguine alieno tanquam suo parcit, & scit homini non esse homine prodigo vtendum. Item vtens verbis quæ competunt clementi principi. Conditum, inquit, imo strictum apud me ferrum est: summa parsimonia etiam vilissimi sanguinis. Vtinam gladius spiritualis Ecclesiæ strictus esset, & vsus eius parcus. Et subdit Senec. Seueritatem abditam ad clementiam in procinctu habeo. Greg. Nazian. ad Imperat. A Christo tibi in homines vita & venia, potestas mortis indulta est, & gladius tibi datus est, non tam opereris quàm commineris, quam etiam depositum, quoddam incruentum & impollutum restituas commendanti.
Sextum est, finis propter quem principes sunt constituti: vt scilicet medeantur generi humano, ideò dicebat Senec. quod non minus turpia sunt principi multa supplicia, quàm medico multa funera. 2. ad Cor. 10. *Potestatem dedit nobis Deus in ædificationem, & non in destructionem vestram.* Idem: *Sapiens multa remittet, multos parum sani, sed sanabilis ingeny seruabit.* Agricolas bonos imitabitur, qui non tantùm rectas procerásque arbores colunt, sed illis quoque quas aliqua deprauauit causa, adminicula quibus regantur applicant: alias circuncidunt, quasdam infirmas vitio loci, nutriunt: videbit quod ingenium, qua ratione tractandum sit. Idem: Princeps alios ex ciuibus suis, quia vtiles bonique sunt, libens videat: alios in numerum relinquat, quosdam esse gaudeat, quosdam esse patiatur.
Septimum est, quod oppositum clementiæ, scilicet crudelitas, hostes multiplicat. Senec. in lib. de clementia: Voluntas oportet ante sæuiendi, quàm causa deficiat. Alioquin quemadmodum præcise arbores plurimis ramis repullulant, & multa satorum genera vt densiora surgant reciduntur: ita regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo; parentes enim liberique eorum qui interfecti sunt, & propinqui amici in locum singulorum succedũt. 7.
8. Octauum est, quod crudelitas audaciam malefaciẽdi dat. Sen. Temperatus timor cohibet animos: Assiduus vero & acer & extrema admonens, in audaciam iacentes excitat, & omnia experiri suadet. Acerrima virtus est quam vltima necessitas extendit. Idem: Videbis sæpe committi, quia sæpe vindicatur. Idem: Summa prudentia, summi viri & rerum naturæ peritissimi maluerunt velut incredibile scelus & vltra audaciam positũ præte-

præterire, quam dum vindicant ostendere
fieri posse. Nonum est, quod clementia
principi securitatem dat. Sen. Errat si quis
9. existimat ibi tutum esse regem, vbi à rege
nihil tutum est. Securitas securitate mu-
tua pascenda est. Non est opus latera
montium abscindere, multiplicibus se
muris turribúsque sepire: saluum regem
clementia in aperto præstabit, vnum est
inexpugnabile munimentum, amor ciuiũ.
Prou. 11. *Clementia præparabit vitam, &*
sectatio malorum mortem. Decimum est,
10. quod clemētia regnum roborat. Prou. 20.
Misericordia & veritas custodiunt regem,
& roboratur clementiâ thronus eius. Vnde-
11. cimum est, quod bonitatem & principis &
populi consummat. Prou. 16. *Clementia*
regis quasi imber serotinus. Sicut imber tē-
poraneus est ad germinationem: sic seroti-
nus est ad maturationem. Temporaneus
inchoat quod serotinus consummat. Sic
clemētia regis benefica est his qui male se
habent, quod est consummatæ bonitatis,
& facit vt populus vitam suam bene con-
summet. Multi enim bene finiunt vitam
suam qui male finiuissent nisi clementer
cum eis actum fuisset. Duodecimum est,
12. quod clementia facit vt princeps tempo-
ralis in futuro iudicem vniuersalem cle-
mentem inueniat, secundum illud Luc. 6.
In qua mensura mensi fueritis, remetietur
vobis. Ad illud potest referri illud Prou.
11. priùs positum: *Clementia præparabit*
vitam.

Capvt VII.

De Modestia.

Tvllius in prima Rhetor. Modestiam sic depingit: Modestia est, per quam pudor honestatis puram & stabilem comparat auctoritatem. Et innuitur in hac descriptione causa & effectus modestiæ. Pudor enim qui est timor turpitudinis, vel fuga rei incedentis, declinando indecentiam in exterioribus efficit ordinationem exteriorem quæ modestiæ est: & sic comparatur auctoritas seu grauitas pura non habens admistionem sui contrarij, scilicet vtilitatis & stabilitatis: non enim est momentanea, sed permanens. Et notandum ordinatio interior, quæ est cùm ratio præest & appetitus obtemperat, causa est exterioris ordinationis: inordinatio vero interior quæ est cùm appeticus non subest rationi, causa est exterioris inordinationis. Vnde cum animus est iratus, aut metu commotus, aut nimis voluptate appetens, exteriora mutantur, cor accensum stimulis iræ palpitat, corpus tremit, lingua præpeditur, facies ignescit. Vnde verum est illud Poetæ: Deprehendas animi tormenta latentis in ægro corpore, deprehēdas gaudia, sumit vtrumque inde habitum facies. Ordinatio vel inordinatio exterior signum est interioris. Eccl. 19. *Amictus corporis, & risus dentium: & ingressus hominis enuntiant de eo.* Greg. in pastor. Intus est custodia quæ cōposita seruat exterius membra. Qui ergo statum mentis perdidit, foris in inconstantia motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat, quod nulla interius radice subsistat. Notandum quod modus à quo modestia dicitur, est tenere decorem. Et est decor iste respectu aspectus hominum. Ad cognoscendum vero aliquid decorũ, vel non, attendendũ est an sit naturæ consentaneum, an sit persona dignum quæ hoc agit vel cum qua agitur. Attendendum est etiam ad congruentiam temporis vel loci. Decorum est in homine quod est consentaneum naturæ excellenti hominis, & est indecens in homine aliquid quod non esset indecens in bruto. Item aliquid est indecens in persona prælati, quod non esset indecens in persona priuata. Aliquid etiam indecens est, quia deest congruentia temporis, secundùm illud Ecclesi. 20. *Ex ore fatui reprobabitur parabola*: Non enim dicit eam in tempore suo. Et ponit exemplum Tullius de duobus collegis seu coniudicibus

ſcilicet Paride & Sophode, coram quibus ſedentibus pro tribunali quum tranſiret quidam iuuenis pulcher, dixit Sophodes ſocio ſuo. O puerum pulchrum! Cui Parides: Prætorem decet habere non ſolùm manus, ſed & oculos continentes. Si Sophodes verbum prædictum in Attelarum probatione dixiſſet, iuſta reprehenſione caruiſſet. Tullius: Vitioſum eſt deriſorie delicatum inferre ſermonem. Ratione etiam loci aliquid indecens eſt: vt in ſacro loco fit aliquid indecenter, quod alibi fieret decenter. Item notandum quod modeſtia indecentiam cauet in verbo, in riſu, in motu corporis, in membrorum ſitu, in habitu vel cultu, in occupatione vel actu. De indecentia in verbo, riſu, & motu, tangit. Sen. in lib. de quatuor Virt. dicens: A verbis turpibus abſtineto: quia licentia eorum imprudentiam nutrit. Sermones vtiles magis quàm facetos & affabiles ama, rectos potius quàm obſecundantes: miſcebis interdum ſeriis iocos, ſed temperatos & ſine detrimento dignationis & verecundiæ. Nam reprehenſibilis riſus eſt ſi immoderatus, ſi pueriliter effuſus, ſi muliebriter factus. Odibilem hominem facit riſus, aut ſuperbus & elatus, aut malignus & furtiuus, aut alienis malis euocatus. Si ergo tempus iocos exigit, hos cum dignitate ſapientiæ gere: non erit tibi ſterilis, ſed grata vrbanitas. Vrbanitas tua ſine dente ſit, ioci tui ſine vilitate, riſus ſine cachinno, vox ſine clamore, inceſſus ſine tumultu, quies tibi non deſidia erit. Idem in eodem: Non ſis aliorum curioſus ſcrutator, neque acerbus reprehenſor, ſed ſine exprobratione corrector, ita vt admonitionem hilaritate præuenias, & errori facile veniam dato, nec extollas quicquam, nec deiicias; requirenti facile reſponde, contendenti facile cede, nec in iurgia execrationéſque diſcedas. Item in eodem: Rari ſermonis ſis ipſe, ſed loquentium patiens: ſeuerus ac ſerius, ſed hilaris, non aſperans. Circa motum corporis cauenda eſt nimia tarditas & nimia celeritas. Sen. Si continens es, & animi tui & corporis motus obſerua, ne indecori ſint. De indecentia in motu corporis vel ſitu membrorum, tangitur Eſa. 3. *Pro eo* (inquit) *quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt collo extento, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant, decaluabit Deus verticem filiarum Sion.* Ezech. 24. *Lateribus & humeris impingebatis.* Prou. 6. dicitur de homine apoſtata: *Annuit oculis, terit pede, digito loquitur.* Et in eodem dicitur: *Sex ſunt quæ edit Deus, & ſeptimum deteſtatur anima eius, Oculos ſublimes.* Iob. 15. *Currit aduerſus Deum erecto collo.* In habitu vel cultu iſte modus habendus eſt, vt vitetur agreſtis in humana negligentia, & habeatur munditia, non tamen niſi exquiſita. Hieron. Ornatus & ſordes pari modo fugienda: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet Sen. Non ſplendeat toga, nec ſordeat 1. ad Timot. 2. *Volo mulieres orare in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe.* In occupatione vero attendendum eſt ad naturam: ad quid ſcilicet aliquis à natura ſit diſpoſitus. Qui enim debilis eſt corpore, & ingenioſus, & viuacis memoriæ, non militiam, ſed ſtudium literarum ſectari debet. Fatuum enim eſt naturæ repugnare, & illud ſequi quod non poſſit aſſequi. Attendendum eſt etiam ad ætatem. Ætas enim adoleſcentiæ labore animi vel corporis eſt excercenda, & auctoritati ſenum ſubiicienda. Debent enim adoleſcentes ſenes vereri, conſilio eorum regi & exemplo informari. Senibus verò labores corporis videntur eſſe minuendi. Animus vero his exercendus eſt: conſilio debet alios iuuare, & exempla imitatione digna eis miniſtrare. Priuatæ perſonæ eſt pari iure cum ciuib. viuere: prælati vero eſt æſtimare ſe gerere perſonam ciuitatis, retinere decus, ſeruare leges.

Modeſtia indecētiam cauet.

Capvt VIII.

De partibus Temperantiæ prout ipsa est virtus regens animam circa delectationes sensuum, & de ordine dicendorum de eis.

DIcto de partibus temperantiæ secundum Tullium, dicendum est de partibus temperantiæ prout temperantia virtus est regens animam circa delectationes sensuum. Notandum ergo quod illæ partes temperantiæ quæ regunt animã circa delectationes quæ sunt secundum gustum & tactum, satis sunt notæ & nominatæ, quæ sunt sobrietas & continentia. Illæ autem partes quæ pertinent ad delectationes quæ sunt secundum visum & auditum & olfactum, non sunt ita notæ, nec habent specialia nomina. Et potest esse in causa vtilitas dictarum virtutum: quia duo sensus, scilicet gustus & tactus pertinent ad esse: tres alij pertinent ad bene esse. Mediante gustu assumitur quod per vim nutritium corpori vnitur: & sic conseruatur esse indiuidui, vnde gustus est ad conseruandum esse indiuidui. Mediante vero tactu per vim generatiuam transfunditur quod erat in vno corpore in aliud corpus: & sic fit multiplicatio indiuiduorum, & saluatur esse speciei in multis indiuiduis, quod non posset saluari in vnico, quum indiuiduum sit corruptibile. Item tactus & gustus sunt principales sensus, alij vero tres sunt ordinati ad illos. Visu enim & auditu & olfactu nutrimentum à lõge agnoscitur, quod gustu de prope agnoscitur. Vnde dicitur in lib. de nat. animal. quod auis rapax est acuti visus, quoniam indiget vt cibum suum videat à remotis. Visu etiam, auditu, & olfactu agnoscitur de longe destructiuum corporis, vel delectabile secundum tactum quod de prope tactu decernitur. Prius vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, quàm de illo gustaret. Gen. 4. & prius vidit Dauid mulierem lauantem se ex aduerso, quàm adulterium cum ea committeret. 2. Reg. 11. Item sicut dicitur in lib. de natu. animal. Sensus tactus in homine subtilis est plus quam alij sensus, & post ipsum gustus. Ceteri sensus in homine sunt hebetiores, quam in aliis animalibus. Item dicitur in eodem lib. quod sensus visus in omnib. animalib. est supra auditum, & sub his olfactus. Tactus & gustus operantur secundum propinquitatem obiecti, alij secundum distantiam. Vnde delectationes quæ sunt secundum tactum & gustum, maiores sunt quam quæ sunt secundum alios tres sensus. Et pronitas ad operationes & delectationes secundum illos duos sensus maior est quàm secundum alios tres. Et vitia quæ sunt circa operationes & delectationes illorum duorum sensuum magis sunt periculosa: ideo virtutes quæ sunt contra illa vitia, magis sunt necessariæ & magis notæ, & habent specialia nomina. Inter virtutes vero pertinentes ad delectationes quinque sensuum, primo prosequemur de sobrietate. Secundò de continentia. Tertiò tangemus de illa temperantia quæ est circa delectationes aliorum trium sensuum.

Capvt IX.

De ordine dicendorum de Sobrietate. De diuersis acceptionibus huius nominis Sobrietas. De eius commendatione ac officijs.

CIrca Sobrietatem vero primo distinguemus diuersas acceptiones huius nominis sobrietas. Secundo ponemus ea quæ pertinent ad eius commendationem. Tertiò tangemus de officiis ipsius. Circa primum notandum quod nomen sobrie-

tatis quadrupliciter sumitur in Sacris. Quandoque enim sumitur large pro temperantia, quę est vna quatuor cardinalium virtutum, vt Sap.8. *Sobrietatem*, ait, *& prudentiam docet, &c.* ad Tit. 2. *Sobrie & iuste & pie, &c.* Secundo sumitur pro temperantia, quæ est generalis: vt ad Tit. 2. *Iuuenes hortate vt sobrij sint.* Gloss. in omnibus. Tertio sumitur pro temperantia quæ est circa potum & cibum, vt ad Tit. 2. *Adolescentulas vt viros suos ament: filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias.* Gloss. in cibo & potu. Quartò sumitur sobrietas pro temperantia circa potum tantum, & sic ebrietas est ei opposita. Sic sumitur Eccl.31. *Æqua vita hominis, vinum in sobrietate: si bibas illud moderate, erit sobrius.* Tertio modo sobrietas hîc sumitur: scilicet pro temperantia circa cibum & potum, & circa delectationes quæ sunt secundum gustum.

De commendatione Sobrietatis.

AD commendationem vero huius virtutis notandum quod sobrietatē suadet nobis natura, scriptura, vniuersa creatura. Natura modicitate oris humani suadet nobis mediocritatem in sumptione cibi & potus. Homo enim in comparatione sui corporis parui oris est: vt dicit Arist. in lib. de natura animalium: Oris vero modicitate suadet nobis natura caritatem in sumendo cibum & potum: vnicum nos habemus cum duos oculos & duas aures habeamus. Breuitate vero delectationis quæ non habetur nisi in transitu cibi, dissuadet nobis sumptuositatem ciborum delectabilium. Bern. in sermone: Huius tam modicæ partis, s. gutturis, tam exigua delectatio quanta paratur solicitudine, quantā deinde molestiam parit: hinc & morbi varij generantur. Idem: Etiam dissuadet nobis corruptio cibi & potus, quæ fit postquam in stomachum descenderunt. Ioel.2. *Vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine: periit enim ex ore vestro.* Non sic est in aliis sensib. non enim corrúpitur res pulchra quæ videtur, cum semel visa fuerit: nec res odorifera cū semel odorem eius aliquis perceperit. Naturales appetitus animæ non sunt deliciarum. Eccl. 29. *Initium vitæ hominis aqua & panis.* Eandem escam assignauit Deus homini & brutis. Gen.1. *Ecce*, inquit, *dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis semen sui generis, vt sint vobis in escam & cunctis animantibus terræ.* Sen. Considerate quantum natura poscat, & quantum cupiditas expetat. Scriptura vero sacra dupliciter suadet nobis sobrietatem, s. admonitionibus multis, & sanctorum exemplis. De admonitio. vero paucas ponere sufficiat 1. ad Thes. 5. *Vigilemus*, inquit, *& sobrij simus.* Et in eodem: *Nos qui diei sumus, sobrij simus* 2. ad Tim. 4. *Ministerium tuum imple, sobrius esto.* 1. Pet. 4. *Estote itaque prudentes, sobrij, &c.* Eiusd. 5. *Sobrij estote & vigilate, &c.* De exemplis hęc pauca ponęre sufficiat. Dan. 1. dicunt pueri bonæ indolis: *Dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua bibendum, cibo regio contempto.* Dan. 10. *Trium hebdomadarum diebus panem desiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum.* Matth.3. & Marc. 1. dicitur de Ioan. Bap. quod esca eius erat locustæ & mel syluestre. Et Luc.1. *Vinum & siceram non bibet.* Bern. super Cant. Abstinebo à carnibus, ne dum nimium nutriunt carne, simul & carnis nutriant vitia. Panem ipsū cum mensura studebo sumere, ne onerato ventre stare ad orandum tædeat. Et de beato Nicolao legitur, quod cum lacte aleretur, quarta & sexta feria semel tantum in die mammillarum lac sugebat. Omnis etiam creatura sobrietatē suadet, quia in omni creatura est modus & mensura, secundùm illud Sap.11. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* Item ad commendationem sobrietatis valere potest, si ostendatur quot & quanti sunt eius effectus, & quā periculosus est

homini eius defectus. Notandũ ergo quod sobrietas valet ad sanitatem, secundùm illud Eccles. 31. *Sanitas est animæ & corpori sobrius potus.* Senec. in epist. Simplex erit ex causa simplici valetudo: multos morbos multa fercula fecerunt. Chrysost. super Epist. ad Hebr. Nihil sic salutem nisi sic sensuum acumen operatur, nihil sic ægritudinem fugat, sicut moderata refectio. Item, sobrietas valet ad vitæ diuturnitatem. Ecclesi.37. *Qui abstinens est, adiiciet vitam.* Item sobrietas valet ad iucunditatem & corporalem & spiritualem. Ecclesi. 30. *Exultatio animæ & corporis vinum moderatè potatum.* Gregor. in Moral. Si à carne hoc quodlibet abscindimus, mox in spiritu hoc quod delectat inuenimus. Homo sobrius delectabiliter viuit, & dormiendo & vigilando. Eccles. 31. *Somnus sanitatis in homine parco: dormiet vsque mane, & anima ipsius cum ipso delectabitur.* Homo sobrius differt comedere donec esuriat, & tunc etiam panis & aqua delectabiliter ei sapiunt. August. in lib. de verbis Domini: Vix fastidiosus satiaris, nescis quomodo sapit quod fames accendit. Sen. in Epist. Solus panis bonus fiet, & tibi eum tenerum & similagineum fames reddet. Ideò non est ante edendum quàm illa imponat. Expectabo ergo, nec ante edã quàm aut bonum panem habere potero, aut malum fastidire desiero. Ber. in epist. Prudenter sobriéque conuersanti, satis est ad omne condimentum sal cum fame. Sap. Desideriis omnia condiuntur. Darius in fuga cùm aquam turbidam ex cadaueribus inquinatam bibisset, negauit vnquam se bibisse iucundiùs. Bern. ad fratres de monte Dei: Panis furfureus & simplex, aqua, olera vel leguinina simplicia, nequaquam res delectabiles sunt, sed in amore Christi & desiderio æternæ delectationis ventri benè morigerato gratanter ex his satisfacere posse, valde delectabile est. Quot millia pauperum ex his vel aliquo horum delectabiliter satisfaciũt naturæ? Facillimũ quippe & delectabile esse adiũcto amoris Dei cõdimento, secũdùm naturam viuere, si insania nostra nos permitteret, qua sanata statim naturalibus natura arridet. Chrys. Cõferamus, inquit, mensam diuitis & mediocris: discutiamus vtroque conuiuas: qui magis, quæso, sunt, qui puram veramque mensæ capiunt voluptatem? illi ne qui cœnas prandiis iungunt, quique ventris distensione rumpũtur, atque oppressione ciborum suorum premuntur, in quorũ corpore vino inundante velut naufragij cuiusdam fluctu obruta anima necatur, vbi nec oculus, nec lingua, nec pes propriis deseruit officiis, sed omnia membra corporis vini vinculis iacent vincta grauiùs quàm catenis, vbi nec sopor eis ad quietẽ datur, nec ad salubritatem cedit. Idem Chrysost. Hi qui in deliciis & luxuriis vitam ducunt, resoluta quidem corpora, & omni cera molliora circumferunt, atque infirmitatibus repleta, quibus ad cumulũ malorum podagræ tremor & immatura senectus accidit, & est eis vita semper in medicis & in medicamentis. Sensus autem tardi, graues & obtusi, & quodammodo iam sepulti. Idem: Quis hæc iucunda dicat & grata, qui tamen nouerit quid sit iucunditas & voluptas? Voluptas à prudẽtibus ita diffinitur: Voluptas est, cùm quis suis desideriis fruitur. Vbi verò desideriis frui non potest, dum vel ægritudo non sinit, vel satietas ipsa desiderij facit ea quæ onerosa sunt ingrata, sine dubio etiam voluptas in eis pariter & iucunditas perit. Idem: Considera ægros qui fastidio perurgentur, quomodo quamuis suaues & lauti cibi appinantur, onero eis magis sunt, quàm voluptati: sicut cùm per abundantiam cupiditas fuerit extincta, pariter & voluptas & iucunditas perimitur: quia non tam ciborum gratia, quam desiderij gignit, satisfactio voluptatum. Vnde anima satiata calcabit extra siue fauum. Prouerbior. vigesimo septimo. Item *de petra melle saturauit eos:* quandoquidem post multam itineris fatigationem & laborem, sitis, aquis

frigidis ex saxo fluetibus fruebantur, easque cum multo desiderio hauriebant. Hoc ipso ergo quod dulcissimæ, & desiderabiliter potandi cupiditas explebatur, aquas illas mel appellauit. Igitur dubitari non potest quod simplicior victus & mensa mediocris plurimum iucunditatis habeat & voluptatis. Et è contrario diuitum mensæ execrabiles & horridæ & morborum & contaminatione plenæ, in quibus molesta sunt hæc quæ delectabilia videntur. Item sobrietas gratiam hominum comparat, sicut eius oppositū hominibus exosum reddit. Eccles. 31. *Vtere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur, & non cùm manducas multum odio habearis.* Idem Deum glorificat. 1. Corinth. 10. *Siue comeditis, siue bibitis, siue aliquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* gloss. Si quid manducas & bibis, sumis ad refectionem corporis, reparationem membrorum, gratias tribuens ei qui tribuit mortali & fragili ista supplementorum solatia; Cibus tuus & potus laudat Deum. Sobrietas etiam in conuiuiis nostris, Deum pascit, prouidendo ibi puritatem in qua ipse delectatur. Cant. 2. *Qui pascitur inter lilia.* Item sobrietas munditiam prouidet vbi maximè immunditia displicet: scilicet in ore & ad mensam. Inter membra in ore maximè displicet immunditia. In mensa etiam multum placet munditia, 2. Paral. 14. *Proponuntur panes in mensa mundissima.* Et Leuit. 24. iubentur duodecim panes pro positionis statui super mēsam purissimam. Sobrietas ornamentum mensæ est. Bernar. ad fratres de monte Dei: Si manducas, mensam tuam per se satis sobriam sobrietas tua prærornet. Item sobrietas offensam Dei cauet, vbi maximè cauenda est, scilicet cum bonis Dei vtimur. Magna iniquitas est cum Deo hostiliter agere cùm in mensa eius sumus. Cauent latrones ne noceant aliquot diebus his cum quibus comederunt. Item sobrietas seruat rationis libertatem quam eius oppositum impedit. Eccles. 31. *Ne comprimaris in conuiuio vini.* Hieron. in epistolis. Qui inebriatur & mortuus est, & sepultus. August. Non est aliud ebrietas quàm manifestissimus dæmon. Huiuscemodi enim vir cùm se bibere putat vinum, bibitur à vino. Sobrietas pessimam seruitutem excutit, scilicet seruitutem corporis quod ad seruiendum datum est spiritui, & nobilitatem animæ seruat Eccles. 10. *Beata terra cuius rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam.* Item sobrietas membrum valde nobile regit, os scilicet: sensum etiam pertinentem ad esse scilicet gustum dirigit, circa quem, vitium valdè periculosum est. Destructiuum enim potest esse ipsius, & esse occasio magnæ infirmitatis, vel mortis. Item sobrietas opus necessitatis regit, in quo sine ipsa frequenter erratur & à iuuenibus & à senibus. Item ad intelligentiam præparat. Vnde Dan. 1. *Pueri qui cibos regios contempserunt grossis cibis contenti, intelligentiores ceteris inuenti sunt.* Item vigilantiam seruat ad quam Deus monet. Matt. 14. & 25. & 26. Et Luc. 21. Et Marc. 13. Vnde notabiliter sobrietas & vigilia sociantur. 1. ad Thes. 4. *Vigilemus,* inquit, *& sobrii simus.* Et 1. Pet. 5. *Sobrii estote & vigilate.* Item, ministerio Dei idoneum efficit. Vnde 1. Timoth. 3. Vbi ostenditur qualis debet esse minister Dei, dicitur *Sobrium, ornamentum, &c.* Et ad Titum 1. *Prudentem, sobrium, iustum, &c.* Item ab igne infernali, scilicet luxuria seruat. Vnde pueri qui abstinentes fuerunt, à fornace Babylonica illæsi exierunt. Dan. 3. *Sobrietas filios Dei fugientes Ægyptios infernales, per siccum ad terram promissionis perduxit.* Exod. 14. *Filii Israel ambulauerunt per siccum, &c.* Qui sobrietatem non habent, in aquis voluptatum submerguntur. Sobrietas primum congressum habet in bello spirituali. Sine ipsa ceteræ virtutes frustra pugnant, Gloss. super Matth. 4. Nisi gula priùs refrenatur, frustrà contra alia vitia laboratur. Qui poplite flexo aquam biberunt, non permissi sunt ire ad bellum cum Gedeone. Iudic. 7.

Poplite flexo aquam bibit qui voluptuose comedit. Item sobrietas diabolo aufert ingressum in homine: & sic videtur ei auferre dominium. Non videtur Dominus esse castri qui non habet ibi ingressum. Sobrietas diabolum in arido ponit vbi ipse non quiescit Matth. 12. *Ambulat per loca arida quærens requiem, & non inuenit.* Piscis infernalis in arido positus palpitat: vt de pisce Tobiæ legitur Tobiæ 6. Esa. 50. *Computrescent pisces sine aqua.* Fames lupum de nemore exire facit: sic sobrietas diabolum de homine. Ipsa carni concupiscenti aduersus spiritum victualia aufert, & igni concupiscentiarum ligna subtrahit vnde diminuitur vel deficit. Ipsa carnem in potestate sua habet. Genes. 16. *Ecce ancilla in manu tua est, vtere ea vt lubet.* Ipsa enim ad modum lapidis pretiosi hominem custodit, ne cibus vel potus ei noceat. Si sobrietas desit dum corpus repletur anima euacuatur, homo depauperatur. Prouerb. 31. *Qui agit epulas, in egestate erit.* Deus blasphematur. Gloss. super illud 1. ad Cor. 10. *Siui comeditis, siue bibitis, &c.* Si modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedis, & vinolentia te ingurgites, quantascunque laudes lingua sonet, vita blasphemat. Item venter deificatur, ad Philip. 3. *Quorum Deus venter est.* Porta oris aperta, exercitus vitiorum ingreditur. Iob. 30. *Quasi rupto muro & aperta ianua irruerunt super me.* Sine sobrietate mensa homini est in laqueum. Ecclesiast. 9. *Sicut pisces capiuntur hamo, & aues comprehenduntur laqueo: ita capiuntur homines tempore malo.* Tempus malum & periculosum est homini non habenti virtutem sobrietatis tempore prandij. Sap. 14. *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.*

De officiis Sobrietatis.

Officia sobrietatis duo.

SObrietatis officia duo sic distingui possunt. Vnum est cauere excessum in cibo. Aliud est cauere excessum in potu. Seneca: Ede citra saturitatem, bibe citra ebrietatem. Lucæ 21. *Attendite ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate.* Crapula quandoque sumitur pro excessu cibi solum, vt in prædicto verbo. Quandóque vero communiter pro excessu in cibo, vel potu: vt Ecclesiast. 37. *Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est, adiiciet vitam.* Et in Psal. *Tanquam potens crapulatus à vino.* Similiter Psal. 77.
nomen ebrietatis quandóque sumitur pro excessu in potu solum: vt ad Rom. 13. *Non in comessationibus & ebrietatibus.* Gloss. Etiam genere masculino dicimus calicem aptum potationi, à quo dicitur ebrietas, quæ est nimia potatio vini. Quandoque vero nomen ebrietatis sumitur communiter pro excessu in cibo vel potu. Et notandum quod sobrietas non ponit modum siue mensuram solum circa quantitatem cibi, vel potus, sed ponit modum quantum ad omnes circumstantias. Qui enim sobrius est, sumit cibum & potum quantum debet, & quando & quomodo debet. Vnde possumus distinguere quinque officia sobrietatis. Primum est, caue- Quinque alia.
1. re ne statutum prandendi terminum præueniamus. Qui tempus præuenit, non expectat donec falsa præparata sit, scilicet fames, vnde cibum insipidum comedit. Ecclesiast. 10. *Beata terra cuius rex nobilis est, & cuius principes comedunt in tempore suo.* Secundum est, cauere ne cibos lautiores quæramus. Seneca: Victus sit tibi ex 2.
facili re: nec ad voluptatem, sed ad cibum accedere. Palatum tuum fames excitet, non sapores. Desideria tua paruo redime, quia hoc tantum curare debes vt desinant. Tertium est deuitare studiositatem 3.
præparandi cibos. Studiose cibos præparare, est hostis nostri gladium acuere. Cibus enim delicatus est gladius quo caro vtitur contra spiritum. 1. Petr. 2. *Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abstinete vos à carnalibus desideriis quæ militant aduersus animam.* Quartum est, ni- 4.

mium appetitum cibi vel potus refrænare. August. Fieri potest vt sine aliquo vitio cupiditatis vel voracitatis preciosissimo cibo sapiens vtatur. Insipiens autem fœtidissimæ gulæ flamma in vilissimum cibum ardescat, & satius quisque more Domini maluerit piscibus vesci, quàm lenticula more Esau. Non propterea continentiores nobis sũt pleræque bestiæ, quia vilioribus escis aluntur. Quintum est, mensuram refectionis nõ excedere. Ezech. 4. *Cibus tuus quo vesceris erit in pondere.* De hæc materia require in tractatu, de vitio gulę. Solet autem quæri vtrum quęlibet ebrietas seu quilibet excessus in cibo vel potu virtutem sobrietatis destruat; quod si verum esset, omnis excessus in cibo vel potu mortale peccatũ esset: virtutem enim eius non destruit nisi mortale peccatum. Ad hoc dicẽdum quod duplex est modus siue mensura ad sobrietatem pertinens, Vnus attenditur in commensuratione naturæ. Vnde mensurate sumit cibũ vel potũ, qui sumit quod necessarium est, & sufficit naturæ. Immoderatè verò qui sumit plusquã necessariũ est. Et iste excessus potest esse & venialis & mortalis. Vnde non omnis talis excessus destruit virtutem sobrietatis. Alius modus attenditur in comparatione boni temporalis ad æternum. Vnde secundum hoc modum seruat quis in sumendo cibum & potum, quando temporale bonum non præfert vel æquat æterno bono. Immoderatè verò se habet sumendo cibum & potum, cùm temporale bonum præfert vel æquat ęterno. Et talis excessus mortale est peccatum, & destruit virtutem sobrietatis.

CAPVT X.

De diuisione Temperantiæ, quæ est circa delectationes quæ sunt secundùm tactum. Et de ista parte Temperantiæ, quæ pertinet ad membra generationi deputata, quæ potest continentia appellari, ac eius descriptione, commendatione & diuisione.

DIcto de sobrietate quæ est temperantia circa delectationes secundùm gustum, dicendum est de temperantia illa quæ attẽditur circa delectationes secundũ tactum. Multiplex verò est delectatio secundùm tactum. Quædam est in suauitate vestium, quædam in suauitate lectorum, quædam in suauitate vnguentorum, quædam in suauitate balneorum. Quædam verò in carnali contactu, quæ duplex est: quędam pertinens ad membra generationi deputata, quædam pertinens ad cætera membra. Temperantia verò circa delectationes prędictas vocari potest continentia. Maximè verò vsitato sermone, continentia vocatur temperantia illa quę cauet illicitas delectationes secundũ tactũ, quoad membra quæ generationi deseruiunt, quæ sic describitur. Continentia est abstinentia ab omni coitu illicito. Et est hæc virtus multùm necessaria: regit enim membra illa in quibus maximè sæuit concupiscentia: mouentur enim quandoque homine inuito vel dormiente. Et dicitur in lib. de natura animal. quod accidit hominibus & quadrupedibus coitum desiderantibus subitò spermatisare quibusdam ad tactum mutuum, aliis ad solum aspectum. Horum membrorum effrenatio multùm periculosa est, vt ostensum est in tractatu de vitio Luxuriæ. Cùm generatio sit ingressus in esse, ipsa est velut quędam porta diligenter custodienda. Cuius Deus vult Dominus esse, ideò in membro generationi deputato specialiter voluit signum suum ponere, scilicet circumcisionem. Circumcisio specialis figura videtur fuisse continentię. Continentia in Scriptura sacra multum nobis suadetur. Exod. 10. *Renes vestros accingetis.* 4. Reg. 4. *Accinge lumbos tuos.* Iob. 38. *Accinge sicut vir lumbos tuos.* Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti.* ad Ephes. 5. *State succincti lumbos vestros.* Continentia zona aurea est sponsę regis cęlestis ad decorem data. Daniel 10. *Ecce vir vnus vestitus lineis, renes eius accincti auro obrizo.* Apoc. 2. *Vidi*

dit Ioannes similem filio hominis præcinctum ad mammillas zona aurea. Eiusdem 15. *Exierunt septem angeli præcincti zonis aureis circa pectora.* Zona aurea circa mammillas vel pectora, est continentia carnis. Aurum in igne seruatur: continentia igne luxuriæ non læditur. Ad commendationem continentiæ faciunt ea quæ valent ad detestationem luxuriæ. Ad commendationem continentiæ faciunt ea quæ valent ad detestationem luxuriæ. De quibus require in tractatu de Luxuria. Et notandum quod tres sunt partes continētiæ. Inter continentes enim qui à coitu illicito abstinent, quidam sunt qui ita abstinent à coitu illicito, quod vtuntur licito, quorum continentia dicitur coniugalis. Quidam verò non solùm abstinent ab illicito, sed etiam à licito. Quod contingit in duplici statu. Vel in eis qui fuerunt in matrimonio. Quantum verò ad personas quæ non fuerunt in matrimonio, non habet speciale nomen quo vocetur.

'artes conti- entiæ unt tes.

Capvt XI.

De continentia virginali, & primo de distinctione nominis virginitatis, ac eius descriptione, de eius commendatione, de his quæ virgines timere debeant, de triplici aureola, & quinque causis propter quas multum competit Officio prædicationis abrenuntiatio propriorum.

Inter has verò tres species continentiæ, primo dicetur de virginali, quæ cæteris prior est & tempore & dignitate. De qua hoc ordine dicetur. Primo, ostendetur quot modis nomen virginitatis sumitur. Secundo, descriptio virginitatis ponetur & exponetur. Tertio, commendationi eius insistetur. Quarto, de his quæ specialiter virginibus sunt timenda. Quinto, tangitur de triplici aureola virginitati debita.

De distinctione nominis Virginitatis.

Circa primum notandum, quod nomen virginitatis quadrupliciter sumitu.r Quandoque pro incorruptione fidei. 2. ad Cor. 11. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Gloss. Aug. Virginitas cordis fides est incorrupta. Quandoque carnis integritas. Vnde gloss. Aug. super verbum prædictum: Virginitas carnis corpus est intactū. Idem contra Iulianum: Pudicitia est res mentis, virginitas corporis. Quandoque autem pro pudicitia mentis cum integritate carnis, quantum ad propositum seruandi eam. Sic virginitas mansisset in Lucia, si inuita fuisset corrupta. Quandoque vero pro pudicitia mentis cum integritate carnis, non solùm in proposito seruandi eam, sed etiam in re. Et virginitas sic sumpta excellenter accipitur: & habentibus virginitatem talem conuenit deferre annulum aureum in Ecclesia militante, in signum quo sunt sponsæ Christi. In triumphante verò Ecclesia meritò huius virginitatis aureola reddetur.

Nomen Virginitatis sumitur quatrupliciter.

De descriptione Virginitatis.

Circa secundum, notandum quod virginitas sic describitur: Virginitas est in carne corruptibili perpetua incorruptionis meditatio, id est propositum seruandi perpetuam incorruptionē. Carnem verò corruptibilem, intellige carnem possibilem corrumpi: siue necessario corrumpatur, vt in statu peccati: siue possibilem corrumpi, vt fuit caro Adam in statu innocentiæ. Et notandum, quod corruptio carnis quæ accidit ei quæ habet propositum cauendi carnis corruptionem omnino contra suam voluntatem, non priuat eam aureola. Vnde dixit Lucia. Si inuitam me violaueris, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Aufert tamen insignia, quæ dantur specialibus sponsis Christi in Ecclesia militante, vt est annulus aureus. Aug. Virgines quæ corruptæ sunt semel, non audeant se sacris virginibus adæquare. Leo Papa. Famulæ Dei quæ oppressione bar-

barica integritatem perdiderunt pudoris, laudabiliores erunt si se incontaminatis nō audeant comparari virginibus. Ratio huius est, quia in militante Ecclesia operamur secundùm iudicium humanum, quod est secūdùm illud quod apparet. In triumphante verò secundùm diuinum. *Deus autem intuetur cor.* 1. Reg. 16. Vnde cùm non appareat quod inuita sit corrupta, non defert insignia virginalia. Corruptio verò carnis ex voluntate mentis proueniens, siue cum culpa, vt extra matrimonium, siue sine culpa, vt in matrimonio, priuat annulo aureo in præsenti, aureola in futuro. Corruptio verò mētis si per pœnitentiam reparata fuerit, & finale propositum seruandi carnis integritatem affuerit, non priuat annulo aureo in præsenti, nec aureola in futuro. Integritas verò carnis in ea, quæ carnis opus appetit, non est digna aureola. Hieron. Nihil prodest carnem habere virginalem, si mente quis nupserit. Augustin. de Virgin. Felicior mihi videtur nupta mulier, quàm nuptura virgo: habet enim iam illa quod ista cupit, præsertim si nondum sponsa cuiusquam fuit. Illa vni studet placere cui data est: hæc multis, incerta cui placere, cui danda est. Hæc vni pudicitiam cogitationis defendit à turba, quod non adulterum, sed maritum quærit in turba.

De commendatione Virginitatis.

NOtandum quod virginitas est pretiosus thesaurus abscōditus in agro corporis. Matth. 13. Pretiositas huius thesauri tāta est, vt ipse non solùm sit pretium gloriæ æternæ, quæ omnibus electis est communis, sed etiam specialis, gloriæ. Debetur enim ei non solùm aurea, sed etiam aureola. Exod. 25. præceptum est vt fieret mensa, & super mensam corona, & super coronam coronula, quę figurata est aureola. Istum thesaurum qui inuenit abscondit: quia qui eius pretiositatem intelligit, seculo renuntians monasterium sibi elegit, vbi in abscondito faciei Dei viuit, Ber. Necesse habemus abscondere si quid habemus boni: quoniā thesaurum regni cœlorū qui inuenit homo abscondit: propter quod in claustro & syluis abscondimur. Nec hoc infructuosè. Credo enim hìc esse si quartam partem eorum quæ facit in sæculo actitaret, qui nō vt sanctus adoraretur, reputaretur vt Angelus. Nunc autem quotidie tanquam negligens increpatur. Thesaurus iste regno cælorum similis est: Vita enim virginum cælesti vitæ multùm assimilatur. Matt. 25. *Simile est regnum cœlorum decem virginibus.* Virginitas ponit in statu cœlesti, quantum ad incorruptionem carnis. Matth. 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei.* Bernard. loquens de castitate, cuius dignior species est virginitas: Hæc sola in hoc mortalitatis loco & tempore quendam statum immortalitatis gloriæ repræsentat. Hæc instar odoriferi balsami quo condita cadauera incorrupta seruantur, sensus, & artus cōtinet & stringit. Virgines designatę sunt per pelles hyacinthinas quæ in tabernaculo superiores fuerūt. Exod. 26. Et ibi dicit gloss. Bedæ. Hyacinthus est cœlestis coloris. Et subditur: Per pelles ergo hyacinthinas exprimi virtutē illorum qui mortificatis illecebris carnis, cœlestem in terris vitam gerunt, & inter homines positi angelicam puritatem imitantur: quia neque nubent, neq; nubentur. Et subditur: Meritò ergo pelles hyacinthinæ supremum locum tenent, & color cœlestis cœlo proximum. Cyprianus: Imaginē eius qui de cœlo est, portat virginitas. Ambr. super illud ad Cor. 7. *Bonum est homini sic esse.* Supergreditur virginitas conditionem humanæ naturæ, per quam homines Angelis assimilantur. Maior tamen victoria est virginū quàm angelorum. Angeli enim sine carne viuunt: homines verò virgines in carne triumphant. Hier. in carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cœlestis. Ber. in ep. Angelus habet virginitatem, sed non carnem. Sanè felicior quam fortior in hac parte. Optimus & optabilis valde ornatus ille, qui & ange-

Virginitas ponit statu cœlesti.

Virgines angelis assimilantur.

ls possit esse inuidiosus. Renuit angelus adorari à Ioanne virgine, Apoc. vlt, *Vide*, inquit, *ne feceris: conseruus tuus enim sum*. Virgines etiam similes regno cœlorũ sunt diuina inhabitatione. Deus enim habitat in cœlis. Regnum cœlorum abscõditũ est. Mira res cum terra in cœlo recludi debeat, in virginibus cœlum terrę includitur. Esa. 50. *Induam cœlos tenebris, & ponam saccum operimentum eorum.* Luc. 12. *Regnum Dei intra vos est.* Vita virginum vita regia est, cum ipsæ sint sponsæ regis cœlestis, & ideò reginæ. Ipsæ etiam regnant in regno sui corporis. Virgines enim figurã tenent Ecclesiæ triumphantis, ideò non consecratur nisi virgo, licet episcopus consecretur, qui virgo non est. Sanctitas enim virginis, sanctitatem signat Ecclesiæ triumphantis, cùm sanctitas episcopi significet sanctitatem Ecclesiæ militantis. Virginibus competit illud 2. ad Cor. 4. *Habemus thesaurum in vasis fictilibus.* Virginitas thesaurus est niueus. Iob. 18. *Nunquid ingressus est thesaurus niuis?* Thesaurus propter preciositatem. Eccles. 26. *Non est digna ponderatio continentis animæ.* Niueus propter puritatem. Virgines propter puritatem lilio comparantur. Canticor. 2. *Sicut lilium inter spinas, &c.* Item. *Qui pascitur inter lilia.* Et notandum, quod virginitas flos est, qui si debito modo seruetur, non decidit quẽ ventus vanę prosperitatis non deiicit, nec hyems aduersitatis lædit. Hunc Ioãnes Euangelista fere centũ annis seruauit. Hîc est flos qui omnem fructum terrenum excedit, cùm etiam fructui cõiugali cõponatur; hac occasione beatus Matthæus occisus est, quia noluit consentire vt Iphigenia quæ virginitatem vouerat, cuidam regi nuberet. Flori virginitatis Deus pro fructu accedit. Sap. 3. *Felix sterilis & coinquinata, quæ nesciuit totum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.* Super hunc florem Spiritus S. quiescit. Es. 10. *Flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus* Domini. Virgo non est arbor sterilis & maledicta: sed terreno fructui præponit cœlestem, & carnali spiritualem. Esa. 56. *Non dicat eunuchus: ego lignum aridum.* Ibidem promittit Dominus nomen eunuchis melius à filiis & filiabus. Non est angelus arbor sterilis vel maledicta, etsi fructum carnalem non habeat. Hier. Nuptiæ terrã replent, virginitas paradisum. Et notandum quod lilium sex habet folia cãdida, & aliqua grana quasi aurea. Velut sex folia in virgine sunt sex quæ valent ad conseruationẽm incorruptionis.

Virgines similes regno cœlorum.

Virginitas flos est.

Sex custodiũt Virginitatẽ.

1. Primũ est sobrietas, quod folium lacerat, excessus in cibo & potu, quasi quædã spina quę via est ad luxuriã. Loth inebriatus perpetrauit incestum. Gen. 19. Prou. 20. *Luxuriosa res est vinũ.* Secundũ est labor. Quasi spina lacerãs est quies ignauiæ, vel otiositas quę est via ad luxuriam. Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, abundantia, & otium.* Tertiũ est, habitus asper & humilis. Ber. in ep. Vt ætatẽ tenerã ordinis asperitas teneat, memento quod asperior carduus pannum facit leniorẽ, & conuersatio conscientiam. Velut spina lacerans est superbus habitus vel mollis, quæ via est ad luxuriam. Num. 25. *Filii Israel fornicati sunt cum mulieribus Moabitarum quæ se ornauerant.* 1. ad Tim. 2. *Non in tortis crinibus, aut auro, vel margaritis, vel veste pretiosa: sed quod decet mulieres promittentes pietatem.* Quartum, est custodia sensuum, præcipuè illorum quis nobis remota ostendunt, vt est visus, vel auditus. Velut spina lacerans est curiositas videndi vana, vel audiendi noua, quæ via est ad luxuriam, vt patet in Dina filia Iacob, quæ egressa vt videret mulieres regionis illius, corrupta est à Sichem filio Emor. Gen. 34. Quintum est, modestia sermonis. Velut spina lacerans est loquacitas, vel turpitudo sermonis. Sen. A verbis turpibus abstineto, quia liceneia eorum imprudentiam nutrit. Prou. 7. *Ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio præparata ad capiendas animas garrulas.* 1. ad Cor. 5. *Nolite seduci, corrumpunt enim bonos mores confabulationes pessimæ, vel colloquia mala.* Hier. Si sermo

virginis prudens, modestus, & rarus: nec tam eloquentia pretiosus, quàm pudore. Sextum est, fuga occasionum peccãdi. Velut spina lacerans est nimia domesticitas: virgo debet esse aliquantulum syluestris, syluestria animalia solẽt habere pulchriorẽ pellem quàm domestica. Opportunitas peccandi via est ad luxuriam: vt patet in Thamar corrupta ab Amõ fratre suo, quia sola cum solo fuit in thalamo. 2. Reg. 13. Gen. 8. *Ne stes in omni loco circa regionem.* Ber. Solẽt virgines quæ veræ virgines sũt, semper esse pauidæ & nunquam esse securæ: & vt caueant timenda, etiam tuta pertimescere: Quasi grana aurea sunt tres modi diligendi Deum, quos distinguit. Bern. dicens: Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti: prudenter, ne decepti; fortiter, ne oppressi ab amore Domini auertamur. Vel grana aurea possunt intelligi motus diuini amoris ex diuersis causis procedentes. Amandus enim est Deus, quia creator, quia remunerator. Item virginis principium est spiritualis pulchritudinis. Pulchritudo sponsæ sicut & pulchritudo sponsi consistit in candore & rubore. Cant. 5. *Dilectus meus candidus & rubicundus.* 1. Corint. 15. Qualis cœlestis, tales & cœlestes. Dignior vero species candoris spiritualis est virginitas. Bern. Candor lucis æternæ est sapiẽtia, & candidam oportet esse animam in qua ipsa sedere elegerit. Virginitas thronus eburneus veri Salomonis est, 3. Reg. 10. *Fecit Salomon thronum de ebore grãdem.* Virginitas animam Dei sponsam efficit. Vnde Leuit. 21. dicitur de summo sacerdote, *Virginem ducat vxorem,* 3. Reg. 1. *Quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem.* Esther 2. Quærantur regi puel-
Psal. 44. læ virgines. Psal. *Adducentur regi virgines.* Virginitas omnibus modis Deo coniungit, vnde Cant. 5. dicitur virgini à Christo: *Aperi mihi soror mea, amica mea, colũba mea, immaculata mea.* Eiusd. 4. *Veni de Libano sponsa mea,* &c. Libanus interpretatur candidatio. Virginitas Deo & hominibus grata est. Eccl. 40. *Ædificatio ciuitatis confirmabit nomen, & super hanc mulier immaculata computabitur.* Hier. Multum distat inter puritatẽ virginalis animæ nulla contagione pollutæ, & sordes eius quæ multorum libidini subiacuit. Isid. Quidam in iuuentute luxuriosè viuẽtes, in senectute continentes fieri delectantur: & tunc eligunt castitati seruire, quãdo libido seruos habere contempsit. Virginitas velut campus est totius picturæ spiritalis: super eam picturam aliarũ gratiarũ ponit Deus. Eccl. 25. *Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata.* Virginitas Dei amicum & familiarẽ reddit. Vnde Ioãnnes virgo specialiter vocatur discipulus quẽ diligebat Iesus. Ipsa tanquam familiaris Christo supra pectus Domini recubuit. Ioan. 13. Deuter. penul. *Amantissimus Domini habitabit confidenter.* Sap. 6. *Incorruptio facit esse proximum Deo.* Beda super Luc. Sicut Christus in summa pace natus est, vt se pacem diligere ostẽderet: Ita de virgine natus est vt se virgineum decus diligere monstraret. Ad literam, Christus toto tempore vitæ suæ fuit virgo, & virginem matrem habere voluit, & virginem patrẽ Ioseph creditur virgo fuisse, & Ioannes familiaris eius virgo fuit. Ps. *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Virgines dulcius & teneriùs à Deo diliguntur. Vnde Ioannes virgo posituseſt ad patres suos, tam extraneus à dolore mortis, quã à corruptione carnis noscitur alienus, vt dicitur in prologo super Ioan. Non enim transiit de mundo per dolorem martyrij, vt alij Sancti & Apostoli. Virgines meritò in Deo delicias inueniunt, quia amore eius delicias carnis relinquunt. Ber. in epist. Quomodo ignis & aqua simul esse nõ possũt: sic spirituales & carnales deliciæ in eodẽ se non patiũtur: vbi curiosa ciborum diuersitas, vbi diuitis supellectilis discolor varietas oculos pariter pascit, & cœlestis panis ieiunam deserit mentem. Num. 21. dicit Moyses. *Mulieres quæ nouerunt viros in coitu iugulate: puellas autem & omnes fœminas virgines reseruate:*

[Right margin notes: Virginitas facit homini amicũ Dei. — Psal. 100.]

mitius agens cum virginibus, quàm cum corruptis. Virginitas *agnum sequitur quocunque ierit.* Apoc. 14. Ipsa etiam cantat canticum nouum, quod aliis cantandum non conceditur Ad literam: solent virgines dulcius cantare quàm corruptæ, Apocalyp. 14. *Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem, &c.* Et subditur: *Et nemo poterat dicere canticum illud, nisi illa centum, &c. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt.* Gregorius in Pastoral. Singulariter canticum Agno cãtare est, cum eo in perpetuum præ cæteris fidelibus etiam de carnis incorruptione gaudere. Virgines enim sunt superior pars Ecclesiæ. Cyprianus: Virginitas est portio illustrior gregis Christi. August. Nunc vobis, virgines, sermo est, ad quarũ quo gloria sublimior, maior & cura. Apocalyp. 14. *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno.* Hieron. Si virgines primitiæ sunt: ergo viduæ, & quæ in matrimonio sunt erunt post primitias. Idem: Ecclesia matrimonium non damnat, sed virginitati subiicit. Idem: Virgo maioris pretij apud Deum est, dum id contemnit quod si fecerit non delinquit. Idem: Plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt quod sibi nõ fuit imperatum. Item Hieron. loquens de illo verbo Apost. 1. ad Corinth. 7. *De virginibus præceptum Domini non habeo.* Quare, inquit, præceptum Domini non habet de virgine? Et respondet, quia maioris meriti est quod non cogitur & offertur. Virginitas difficilè seruatur, & ideo maioris meriti est. Idem: Libido honestas mentes libẽtius persequitur. Et iterum: Libido virginibus maiorẽ parit famem. Dulcius enim æstimatur quod nescitur. Virginitas expeditum & liberum reddit ad seruiendum Deo 1. ad Corint. 7. *Qui si vxore est solicitus est quæ Domini sunt, &c.* Et subditur: *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta in corpore & spiritu.* Hieronym. Si nihil aliud esset, & nulla merces virginem amplior sequeretur, sufficeret ei hæc sola prælatio, cogitare quæ Domini sunt. Oseæ 10. *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.* Virgines habet Deus tanquam proprios seruientes. Vnde ad virginitatem pertinet illud Cantic. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Virginitas in veste immaculata Deo ministrat. Apocalyps. 14. *Sine macula sunt ante thronum Dei.* Et competit illud Ecclesiast. 14. *In habitatione sancta corã ipso ministraui.* Luxuria vestem corporis maculat. In canonica Iudæ: *Odientes eam quæ carnalis est maculatam tunicam.* Esaiæ 9. *Vestimentum mistum sanguine erit in combustionem & cibus ignis.* Virgo castrum debilissimum tenet toto tempore vitæ suæ contra illum. De quo scriptum est Iob. 14. *Non est potestas in terra quæ comparetur ei.* Et ideo merito super alios coronatur. *Non coronabitur nisi qui legitime certauerit.* 2. ad Tim. 2. Virginitati debetur fructus centesimus, cum continentiæ viduali debeatur fructus sexagesimus, & coniugali tricesimus. Matth. 13.

De his quæ specialiter virgines timere debent.

NOtandum quod sex sunt virginibus multum timenda. Primum est superbia. Augustinus in lib. de virginitate: Non solum prædicanda est virginitas vt ametur, verumetiam monẽda ne infletur. Idem in eodem: Superbia amplius amplioribus insidiatur. Non ergo talibus magnã curam humilitatis ingero, in quib. superbia ipsa confunditur: quo magis inest alicui vnde sibi placeat, eo magis vereor ne sibi placendo illi displiceat. *Quis superbis resistit, humilibus autem dat gratiam?* Idem in eodem: Metuo tibi vehementer, ne quum te agnum quocunque ierit secuturam esse glorieris, eum per tumorem superbiæ per angusta ne possis. Et iterum: Bonum virginitatis quanto magnum video, tanto ei pereat futuram superbiam pertimesco. Bernardus super Missus est: Pulchra permistio virginitatis & humilitatis: non mediocriter placet Deo illa anima in quia humili- 1. Superbia.

tas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Poteſt placere humilitas quæ virginitatem deplorat amiſſam: ſine humilitate audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuiſſet. Maria virginitatem oblita gloriatur de humilitate, & tu negligendo humilitatem blandiris tibi de virginitate. Auguſt. in lib. de virginitate: Facilius ſequuntur agnum, & ſi non quocunque ierit, certe quocunque potuerint coniugati humiles, quàm ſuperbientes virgines.

2. Fatuitas. Secundum eſt fatuitas. Hanc fatuitatem ſpecialiter intelligo defectum charitatis. Si dilectio Dei eſt honorabilis ſapientia. Eccl. 1. defectus diuinæ dilectionis eſt deteſtabilis fatuitas. Magna fatuitas nō cauere defectum illius rei, ſine qua cætera non proſunt: *Fatuæ virgines non ſumpſerunt oleum ſecum cum lampadibus.* Matth. 25. Bernard. in epiſt. Caſtitas ſine charitate, lampas eſt ſine oleo: ſubtrahe oleum, lampas non lucet: tolle charitatem, caſtitas non placet. Exempla quod magis tenentur virgines & caſtæ perſonæ diligere Deum & proximum, quàm aliæ. Primum exemplum eſt iſtud. Magis tenetur diligere medicum ille qui ſemper conſeruatus eſt ab eo in ſanitate, quam ille qui incidit in pluribus infirmitatibus, & poſtea ſanatus eſt ab eo. Sic qui conſeruatus eſt à Deo in virginitate, vel in caſtitate, magis tenetur diligere. Item magis tenetur diligere ille aliquem Dominum qui dedit ei equum bonum, qui bene & ſane duxit & reduxit eum, quàm ille qui habuit ab eo equum licèt bonum, tamen cecidit & læſit eum. Item magis tenetur diligere ille qui multa bona recepit ab aliquo Domino, quàm ille qui recepit ab eo debita dimiſſa.

3. Tepiditas. Tertium eſt tepiditas, quæ ſolet accidere in virginibus ex hoc quod confiderant ſe parum peccaſſe. Contra quod dicit Auguſt. in libro de virginitate: Quoniam veritas dixit, quod ille cui modicum dimittitur, modicum diligit: vos vt ardentiſſime diligatis cui diligendo à coniugiorum nexibus liberi vacatis, deputate vobis tanquam omnino dimiſſum, quicquid à vobis non eſt illo regente commiſſum. Multo ardentius debes diligere illum qui flagitioſis ad ſe conuerſis, quæcunque dimiſit, in ea te cadere non permiſit. Quid habes, quod non accepiſti? aut qua peruerſitate minus diligis à quo plus accepiſti? Cogita omnia peccata ſic habenda tanquam dimittantur à quibus Deus cuſtodit ne committantur. Noli modicum diligere, quaſi à quo tibi modicum dimiſſum eſt: ſed potius multum dilige à quo tibi multum tributum eſt. Contra hanc tepiditatem valet virginibus, ſi habeant frequenter vinum ſacræ Scripturæ, quod eſt vinum germinans virgines Zachar. 9. id eſt, affectiones virginales. Ad idem valet meditatio Dominicæ paſſionis. Thren. 1. Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda. Iſtud torcular fuit preſſura crucis. In hoc torculari fuit preſſa vua illa, de qua Geneſ. 49. *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* 1. Machab. 6. Oſtenderunt elephantis ſanguinem vuæ & mori, ad acuendos eos in prælium. Hoc vinum Dei amore inebriat. Pſalm. *Calix meus inebrians quàm præclarus eſt.* Pſal. 2[illegible]

4. Macula peccati. Quartum eſt macula peccati, quæ in virgine eſt macula in gloria. Macula turpior eſt in veſte alba: virginitas eſt veſtis alba. Vnde byſſo comparatur. Prou. vlt. *Byſſus & purpura indumentum eius.* Ideo macula peccati valde indecens eſt in virgine. Hieron. Præclara eſt virginitas & pudicitiæ virtus, ſi non aliis macularum lapſibus infirmetur. Qui virginitatem carnis habent cum corruptione mentis, ſimiles ſunt ſepulchris quę exteriùs apparent hominib. ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum. Matth. 23. Hieron. Nihil prodeſt virginitas corporis vbi operatur corruptio mentis. Idem: Illa virginitas hoſtia Chriſti eſt, cuius nec mentem cogitatio, nec carnem libido comma-

culat. Ad cauendam maculam peccati necessarium esset sponsæ Christi frequenter inspicere in speculo. Speculum est Scriptura sacra. Gregor. Specula sunt Dei præcepta, quibus animæ sanctæ semper aspiciunt. Et si quæ in eis sunt fœditates deprehendunt. Cant. 6. *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident super fluenta plenissima.* Columba lacte lota est sponsa Christi cum puritate virginali, quæ per fluenta sacræ Scripturæ sedet, vt vmbram accipitris infernalis videat. Hieron. in epistol. Tanto maiori studio placendi opus est, quanto maior est ille cui placendum est: impossibile est quemquam Deo placere, si quicquid ei placeat ignorat. Fieri potest vt & obsequendi voto offendat, si quomodo obsequi debeat, ante non didicit. Aliud speculum est vita sponsi. Bernard. super Cant. Vtrumque es mihi Domine Iesu & speculum patiendi, & præmium patienti. Cum speculo etiam necessaria est ablutio quæ per confessionem fit: vnde cum lauatorio erant specula. Exod. 38. Bernard. in epist. Audi cui places, ama vnde places: ama confessionem ob quam amaris, ama confessionem si affectas decorem. Confessioni iungitur decor. Psalm. Confessio & pulchritudo in cõspectu eius. Lota facie, humilitate confessionis grata est Deo confessio laudis. Cant. 2. *Ostende mihi faciem tuam.* Ibid. *Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.*

5. Diuisio cordis. Quintum est, diuisio cordis. Augustin. loquens de virginibus: Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce: totum teneat in animo vestro, quicquid noluistis occupari connubio. *Væ duplici corde.* Eccles. 2. Duplici corde est virgo, quæ scilicet vult placere & Deo & mundo. Gregor. Nemo potest in vna eadémque re omnipotenti Domino atque eius hostibus gratus existere. Nam Deo amicum se denegat, qui eius placet inimico. Bernard. in epistolis: Volens placere hominibus, Deo non places. Si non places, non placeas. Signum quod virgo cor diuisum habeat & velit mundo placere, Psal. 44. est exterior ornatus. In Psalm. *Omnis gloria filiæ regis abintus.* Ambros. de virginitate: Deiecta decoris cura plus placet, & hoc ipsum quod vos non ornatis, ornatus est. Hieron. in epistol. Satis pulchram Deo crede faciem; sed hominibus apparere pulchra non studeas. Bernard. in epistolis: Filiæ Babylonis quarum vere gloria confusio est, induuntur purpura & bysso, & subinde conscientia pannosa iacet: fulgent monilibus, & sordent moribus. E contra. Tu foris pannosa, intus speciosa resplendes: sed diuinis aspectibus, non humanis. Idem: Decor qui cum veste induitur, & cum veste deponitur, vestis procul dubio est non vestiti. Tu ergo noli æmulari in vanitatibus & mendicantibus pulchritudinem alienam vbi perdiderunt suam. Indignum tibi iudica formam à pellibus murium, & operibus vermium mutuari: tua tibi sufficiat. Ille est verus propriusque cuiusque rei decor, qui nulla interiacente materia per se inest. Idem: Vides nempe auro, argento, lapidibus pretiosis, & omni denique cultu regio non tam ornatas, quàm oneratas. Vides post se longas trahentes fimbrias, & dẽsas pulueris nubes excitantes in aera. Hæc non te moueant: illæ illa in morte deponent, te tua sanctitas non relinquet. Non sunt sua quæ portant, & quum interierint non sument omnia. Mundus cuius sunt illis exeuntibus retinebit.

Sextò timendum est ne desit perseuerantia. Augustin. in libro de virginitate: Sequimini agnum tenendo perseueranter: quod nouistis, ardenter facite quum potestis, ne virginitatis bonum à vobis pereat, cui facere nihil potestis vt redeat. Virginitas amissa non recuperatur, si lampas confracta non redintegratur. Amos 3. *Virgo Israel profecta est in terram suam: non est qui suscitet eam.* Cùm aliqua amisit virginitatem, si totum mundum daret 6. Instabilitas.

pro ea,& totus esset aurum, non recuperaret eam. Bernard. in epistol. Studeto perseuerantiæ quæ sola coronatur. Idem: Scias diabolum soli semper perseuerantiæ insidiari, quam solam virtutum nouit coronari.

De triplici aureola, scilicet prædicatorum, virginum, & martyrum.

Gloria cœlestis augeri potest varie.

SEquitur de aureola, quæ est additio ad gloriam electis debitam. Et notandũ, quod multis modis potest fieri additio ad gloriam. Vno modo per augmentũ charitatis, secundum quam mensuratur præmium: vnde charitate augmentata maior gloria debetur. Secundo in resurrectione per gloriam corporis. Vnde super illud Exod. 25. *Et super illam alteram coronam aureolam*, dicit gloss. Corona aurea labio mensæ apponitur, quum in scriptura dicimus egredientes de corpore animas in cœlis æterna recipere præmia. Hæc aureola superponitur cùm in Scriptura dicitur quod ei sublimior gloria in receptione corporum seruetur. Tertiò per opera supererogationis, siue per impletionem consiliorum. Vnde dicit quædam gloss. super prædictum verbum. Exod. *Corona aurea*, additur, cum per Euangelium his qui mandata custodiunt vita æterna promittitur. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Huic coronæ aureola supponitur, cùm dicitur: *Si vis esse perfectus, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Triplex autem est additio gloriæ, quæ communiter aureola dicitur. Prima est, quæ debetur his qui excellenter officium prædicationis exercent. Vnde super prædictum verbum Exod. dicit Interlin. In hoc figuratur remuneratio eorum qui in doctoribus excellunt: excellentia vero ista secundùm quosdam in hoc attenditur, quod cum prædicatione sit illud opus supererogationis, quod est abrenuntiatio propriorum, quæ supererogatio fuit in primis Ecclesiæ prædicatoribus, scilicet. Apostolis. Et notandum est, quod quinque de causis multum competit officio prædicationis abrenuntiatio propriorum.

Marc.10 Pastoribus aureola dabitur

Prædicatori non cõpetunt propria & cur.

1 Prima, ne hi qui contemptum temporalium prædicant, hoc facere videantur vt ea soli habeant.

2 Secunda est, quia qui habent officium prædicationis, oculi sunt Ecclesiæ. Oculos autem expedit longe esse à terra: modicum enim terræ oculo iniectum multum impedit visum. Sic amor terrenorum multum impedit spiritualem visum. Eccl. 20. *Encænia & dona excæcant oculos iudicum.*

3 Tertia est, quia secundùm Dei ordinationem officio prædicationis debita est ministratio necessariorum à subditis: vt probat Paulus 1. ad Corinth. 9. *Quis* (inquit) *militat suis stipendiis vnquam?* Et paulo post: *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Et iterum: *Deus ordinauit his qui Euangelium annuntiant de Euangelio viuere.* Item Gal. 6. *Communicet is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.* Matth. 10. *Nolite possidere aurum, &c.* Et subditur: *Dignus est operarius cibo suo.* Hieron. Considerandum est quod vni operi nostro duplex merces debetur: vna in via, altera in patria. Vna quæ nos in labore sustinet: altera quæ nos in resurrectione remuneret. Beda: Hìc merces inchoatur, & in cœlo perficitur. Idem: Qui saccum & peram prohibuit, sumptus ex prædicatione concedit. Deut. 12. *Non alligabis os boui trituranti.* Luc. 9. *Nihil tuleritis in via.* In signum quod prædicator non debet ferre secum necessaria: sed alius debet ei ministrare, fert alius puluinar diacono lecturo Euangelium. Cantic. 2. *Læua eius sub capite meo.*

4 Quarta est, quia exercentes prædicationem specialiter reputantur operarij in vinea Dei: vnde prouisio eorum specialiter pertinet ad dominum vineæ. De ope-

rariis

rariis habetur Matt. 9. *Messis quidem multa, operarij pauci* Et eiusdem 20. *Misit operarios in vineam suam.* Non reputat Deus operarios illos qui tantùm propter corpus laborant: sicut non reputat dominus vineæ vindemiatorem qui non diligit, nisi quod comedit. Chrysost. Opera nostra sunt opera iustitiæ, non vt agros colamus, non vt diuitias acquiramus. Idem: Sicut nemo conducit operarium vt hoc solùm faciat quod manducat: sic nos non ideo vocati sumus vt hæc sola operemur quæ ad nostrum pertinent vsum, sed ad gloriam Dei, sicut mercenarius totam diem impendit circa opus, modicam horam circa cibum: Sic nos omne tempus debemus impendere circa gloriam Dei, modicam partem circa terrenos vsus. Beda: Tanta prædicatori debet esse fiducia in Deo, vt præsentis vitę snmptus non ferat.

5. Quinta est, vt liberius operi Prædicationis possint intendere, maxime vtili. Qui enim habent diuitias, vel in toto, vel in parte sunt diuitiarum, nec proprij seruientes possunt esse Dei. Vnde Matth. 6. *Non potestis Deo seruire & mammonæ.* Mammona Syrâ linguâ diuitiæ. Chrysost. Diuitiæ à seruitute Dei nos expellunt in suam captiuitatem. Vnde diuites dicuntur viri diuitiarum in Psal. Sen. Nostri essemus si nostra non essent. Secunda additio gloriæ quæ aureola dicitur est illa quæ debetur virginitati. De qua gloss. super Exod 21. Ad hanc coronam pertinet canticum nouum quod virgines tantùm coram agno concinunt, & quæ sequuntur quocunque ierit. Et super illud Apocalyp. 14. *Cantabant quasi canticum nouum ante sedem,* dicit interl. id est, de integritate animæ & corporis exultabunt. Tertia additio ad gloriã, quæ aureola dicitur, est illa quæ debetur martyrio. Prima videtur pertinere ad vim rationalem & ad virtutem prudentiæ secundum illam speciem prudẽtiæ quæ dicitur docilitas, quæ videtur dignior species prudentiæ. Excellentissimum verò opus pertinens ad virtutem docilitatis, videtur esse euangelizare. Hoc opus est valdè difficile, vnde super illud 1. ad Cor. 1. *Non misit me Deus baptizare, sed euangelizare,* dicit gloss. August. perfectè baptizare etiam minus docti possunt: perfectò autem euangelizare, multo difficilioris & rarioris est operis. Ad hoc quos aliquis perfectè euãgelizet, oportet quod totus à Spiritu sancto occupetur: vt scilicet scientia sit in intellectu, charitas in affectu, dulcedo in sermone, lux boni exempli in opere. Opus istud angelicum est. Lucæ 2. *Euangelizo vobis gaudium magnum, dixit Angelus.* Imo quodammodo diuinum est opus. Ad illud enim Deus in mundum venit. Esaiæ 61. *Euangelizare mansuetis misit me.* Marc. 1. *Eamus in ciuitates & vicos proximos vt ibi prædicem: ad hoc enim veni.* Vnde quum istud opus excellentissimum sit & quasi supra hominem, non est mirum si exercentes opus istud, supra cæteros homines remunerentur, maxime si excellenter illud exerceant, scilicet totaliter illo officio dediti syncere & libere. Syncceritas in hoc attenditur, vt exerceatur sine cupiditate tẽporalis lucri. Libertas in hoc quod sine timore temporalis damni. Exercentes hoc officium hic præhonorandi sunt, & similiter in futuro præhonorabuntur. 1. ad Timoth. 3. *Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant verbo & doctrina.* Et super illud ad Ephes. 1. *Vt sciatis quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos,* dicit gloss. Quoddam incrementum habebunt summi doctores, vltra illud quod omnes communiter habebunt. Daniel. 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt plurimos quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Sicut claritas stellarum excedit claritatem firmamenti: sic claritas doctorum claritatem cæterorum. Ipsi habebunt coronam non solũ pro se, sed etiã pro aliis qui per eos saluati fuerint. Vnde super illud Phil. 4. *Fratres mei charissimi & desideratissimi gaudium meum & corona mea.*

Dicit gloss. Ambr. Per quos in præsenti lætificor, & in futuro coronabor. Secunda videtur pertinere ad vim concupiscibilem & ad virtutem temperátiæ secundùm illam partem eius quæ dicitur continentia virginalis. Virginitas triumphat de concupiscentia illa quæ sæuior est. In membris enim generationi deputatis maximè sæuit concupiscentia. Ipsa refrænat maiorem delectationem quæ fit: illum s. quæ est secundum tactum, & excellenti modo: integritate s. carnis, vel incorruptione seruata. Ipsa etiam gloriam filiorum amore Dei contemnit: vnde non est mirum si gloria eius in futuro cumuletur. Tertia aureola videtur pertinere ad vim irascibilem, & ad virtutem fortitudinis. Martyrio enim superatur mors quæ est maximum terribilium. Vnde non est mirum si martyres præ cæteris remunerantur. Et vt vno verbo dicatur, in carne præter carnem viuere, euangelizare, mortem non timere, supra hominem esse videntur, vnde meritò horum operum fiet remuneratio super cæteros. Aureola videtur pertinere ad virtutem iustitiæ: qui hoc triplex meritũ habent. Speciales imitatores Christi sunt in præsenti vita, & speciales imitatores eius erunt in gloria. Christus fuit virgo, prædicator, & martyr. Et Ioan. Bapt. à quo incœpit euangelizatio regni cœlestis. Decebat vas integrũ esse & syncerum per virginitatem in quo repositum erat balsamum cælestis sapientiæ dispensandum per prædicationẽ, & cãdori munditiæ sociari decuit candorem sapientiæ: & vt nullus locus remaneret dubitationi, veritatem doctrinæ necesse fuit confirmari morte. Nullus enim sani capitis auderet mendacium morte propriâ confirmare.

Capvt XII.

De Continentia viduali.

Dicendum est de aliis duabus partibus continentiæ. Et primo de illa quæ est abstinentia ab omni coitu post experientiam carnalis operis. Hæc enim continentia dignior videtur esse continentia coniugali, cùm ei debeatur fructus sexagesimus. Matth. 13. Similior etiam videtur esse virginali continentiæ, quum abstineat ab omni coitu sicut & ipsa. Hæc species verò continentiæ cum non habeat nomen proprium quo nominetur, quandóque vocatur castitas: quod nomen generalius solet accipi pro continentia quacunque: quandóque verò nominatur continentia vidualis, quæ est species ipsius. Abstinentia enim ab omni coitu in carne corrupta: quædam est vidualis, vt illorum qui fuerunt in matrimonio: quædam vero non est vidualis, vt illorum qui non fuerunt in matrimonio, vt sunt ministri Ecclesiæ. Ad commendationem castitatis facit illud Bernard. in epistolis: Quid castitate decorius, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domestico, angelum denique de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus & angelus, licèt felicitate, non virtute. Sed & si illius castitas felicior, huius tamen esse fortior cognoscitur. Multa etiam de his quæ posita sunt ad commendationem continentiæ in genere vel virginiratis referri possunt ad commendationem castitatis. Castitas verò vidualis commendatur exemplo turturis quæ vni marito associatur in tota vita sua: vt legitur in libro de natura animalium. Hanc etiam commendat Apostolus 1. ad Corinth. 7. dicẽs: *Dico autem innuptis & viduis: bonum est illis si sic permaneat sicut & ego: quod si non se continent, nubant: melius est nubere, quam vri.* De hoc commendatur Iudith 15. eiusd. *Confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaueris, & post virum tuum alium nescieris, ideo eris benedicta in æternum.* Ad castitatem vidualem incitare potest personam relictam vnitas quæ fuit & carnalis, & mentalis, inter eam & comparem suum dum viueret. Fuerunt enim duo in carne vna. Genes. 2. & Matth. 19.

Et subditur: *Itaque iam non sunt duo, sed vna caro*; ergo persona relicta quasi semimortua est. Vnde satis rationabile est vt non multum adhæreat huic seculo: sed magis cogitet de alio in quo iam est quasi dimidia, & in breui tota futura. Vnde August. 4. l. Conf. loquens de quodam amico suo defuncto: Benedixit quidam de amico suo. Dimidium animæ suæ, nam ego sensi animam meam & animam illius vnam fuisse in duobus corporibus: & ideo horrori erat mihi vita, quia nolebam dimidius viuere. Bernard. super Cant. loquens de fratre suo Gerardo defuncto: Quum essemus cor vnum & anima vna, hanc meam pariter & ipsius animam pertransiuit gladius, & scindens mediam partem locauit in cælo, partem verò in cœno deseruit. Ergo illa portio misera in luto iacens, truncata parte sui & parte potiori. Ad vidualem etiam castitatem incitare potest oppressio filiorum quam facere solent secundi mariti filiis qui fuerunt de primo marito. Et tribulatio experta quam habent qui sunt in coniugio 1. ad Cor. 7. *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi*. Gloss. Pro necessariis rebus prouidendis sibi, & filiis. Ad idem incitare potest impedimentum Deo seruiendi. 1. Cor. 7. *Hoc ad vtilitatem vestram dico non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id quod honestum est & quod facultatem præbeat sine impedimento Domino obseruandi. Si quis autem, &c.* Et notandum quod castitas vidualis specialiter commendabilis est in iuuene quæ modicum fuit cum viro quum postea toto tempore vitæ suæ continet. De hoc commendatur Anna Luc. 2. *Hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis VII. a virginitate sua. Et hæc vidua vsque ad annos LXXXIV.* Hieron. Perfectæ virtutis indicium est, renuntiare subito ex parte voluptati, fugere notas carnis illecebras & calentis adhuc ætatis flammas fidei ardore extinguere. Et notandum quod mulier quæ vidualem castitatem vult seruare, debet occasiones peccandi declinare. Vnde legitur de turture in lib. de natura animalium, quod in æstate se mittat ad loca frigida: in hyeme verò non apparet: sed manet in nido. Hieron. Parum castitati credo sine suis appenditiis. Tertia videntur esse appenditia castitati viduali. Primum est, non euagari: sed vel in propria domo manere, vel in templo orare, de quo commendatur Anna Luc. 2. *Quæ non discedebat de templo ieiuniis & obsecrationibus seruiens die ac nocte.* Euagatio viduis reprehenditur. 1. ad Tim. 5. Simul otiosæ discunt circuire domos: non solum autem otiosæ, sed & verbosæ & curiosæ, loquentes quæ non oportet. Secundum est ciborum asperitas. 1. ad Tim. 5. *Vidua quæ in deliciis est, viuens mortua est.* Gloss. viuens inquam vita corporis, mortua est in anima. Tertium est, vestium humilitas. Vnde Genes. 38. legitur de Thamar, quod deposita veste viduitatis assumpsit alium habitum quando voluit carnali operi intendere. Ornatus qui tolerabilis est in ea quæ necesse habet placere viro suo, non est tolerabilis in vidua, quæ ad hoc solum studere debet vt placeat Deo.

CAPVT XIII.

De castitate ministrorum Ecclesiæ. Et de octo causis quare castitas multum eis competat.

NOtandum ergo quod castitas multum decet eos, vnde etiam apud Gentiles, sacerdotes castitatem amplectebantur. Plato in Timæo: Sacerdotes prædicti apud Athenas separati à cætero populo manebant, ne contagione aliqua eorum castitas pollueretur. Castitas figuraliter suadetur ministris Ecclesiæ. Exod. 1. vbi comesturis agnum paschalem dicitur, *Renes vestros accingetis*. Item eiusd. 29. *Indues* (inquit) *tunicis lineis, & cinges*

baltheo Aaron & filios eius. Item Leuit. 16. *Feminalibus lineis verenda celabit, accingetur zona linea.* Minister Ecclesiæ castus, est vnus illorum trium qui bene incedunt. Prou. penult. *Tria sunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter,* enumeratur *secundo loco gallus succinctus lumbos.* Sap. 4. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate dignitatis*, s. Eccl. Thr. 4. *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte.* Candor niueus vel lacteus est vera castitas. Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti.* ad Eph. 6. *State succincti lumbos vestros in veritate.* Et ad Tim. 3. vbi describitur quales debeant esse ministri Ecclesiæ, dicitur quod oportet episcopum esse pudicum. Et paulo post dicitur quod diaconos similiter oportet pudicos esse. Et eiusd. 5. *Teipsum castum custodi.* Et 1. Pet. 1. *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ sobrij, perfecti sperate in eam quæ offertur vobis gratia.* Et ad Titum 1. dicitur de episcopo, *oportet episcopum esse continentem.* Et notandum quod octo causæ assignari possunt, quare castitas multum competit ministris Ecclesiæ.

Quare castitas ministris Ecclesiæ competat.

1. Prima est, quia ipsi debent Deum placare. Eccl. 44. *in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Placare verò non possunt nisi placeant. Placare verò non possunt si carnaliter viuant. ad Rom. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* Bern. Væ filiis iræ qui nondum reconciliationis alienæ negotium quasi gens quæ iustitiam fecerit apprehendunt.

2. Secunda est, quia ipsi sunt loco Dei, ideo viuere debent vt Deus: spiritualiter scilicet, non carnaliter. Deus enim spiritus est. Ioan. 4. Apoc. 1. *Vidit Ioannes similem Filio hominis, præcinctum ad mammillas zona aurea.* Similis Filio hominis est vicarius Christi, qui zonam auream continentiæ debet habere.

3. Tertia est, quia ipsi angelicum officium habenti, eidem Domino seruientes cui & angeli: ideo & puritatem angelicam habere debent. Vnde Malac. 2. dicitur de sacerdote, *Angelus Domini exercituum est.* Exod. 19. *Sacerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificantur ne percutiat eos.*

Quarta est, quia ipsi intendunt spirituali generationi quæ munda & sancta est: ideo non decet eos intendere generationi carnali quæ immunda est. Nec expedit eos habere filios carnales: nedum solicitudo & amor eorum diuiduntur ad eos, minuantur ad filios spirituales. Ioannes Euangelista virgo maiorem solicitudinem & dilectionem habebat ad filios spirituales, quam ad carnales 3. Ioan. *Maiorem horum non habeo gratiam, quam vt audiam filios meos in veritate ambulare.* 4.

Quarta est, quia ipsi contrectant Sancta: ideo oportet eos sanctos esse, maximè quantum ad carnis munditiam. 1. Reg. 11. *Non habeo panes laicos ad manum, sed tantum panem sanctum: si mundi sunt pueri, maxime à mulieribus, manducent.* Leu. 21. *Incensum Domini, & panes Dei sui offerunt: & ideo sancti erunt.* Item in eodem: *Homo qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius.* Macula valde turpis, luxuria est: hanc maculam dedit Salomon in sua gloria. Eccles. 47. Item Leuit. 22. *Homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ sanctificata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino.* 1. Reg. 7. Sanctificauerunt Eleazarum, vt custodiret arcam Domini 1. Paral. 15. *Sanctificati sunt sacerdotes & Leuitæ, vt portarent arcam Domini.* Esa. 52. *Mundamini qui fertis vasa Domini.* 5.

Sexta est, quia eos oportet esse valde alios, ideo oportet esse valde mundos eos. Eccl. 34. *Ab immundo quid mundabitur.* Paral. 29. dictum est Leuitis. *Sanctificamini, mundate domum Domini.* Nehemiæ 12. *Mundati sunt sacerdotes & Leuitæ, & mundauerunt populum.* 1. Machab. 4. *Elegit Iudas sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei, & mundauerunt sancta.* 6.

Septima est, quia ipsi habent sponsam nobilissimam, s. sapientiam: ideo facilius 7.

sponsa vel concubina carnali carere possunt. Sap. 8. *Hanc amaui, & exquisiui illam à iuuentute mea, & quæsiui sponsam eam mihi assumere, & amator factus sum formæ illius.* Prouerb. 7. *Prudentiam voca amicam tuam vt custodiat te à muliere extranea.* Homines quasi immersi in balsamo sapientiæ, immunes sunt à corruptione. Eccl. 24. *Quasi balsamum non mistum odor meus.* In Psa. *Eloquia Domini eloquia casta.* Ab effectu. Iac. 3. Quæ desursum est sapientia, primum quidem pudica est. i. pudicum faciens. Hieron. Ama sacras literas, & carnis vitia non amabis.

8. Octaua est, quod ipsi ministri sunt Altissimi: ideo decet vt ipsi sint proprij ipsius. Decet enim dominum tantum habere proprios seruientes, quod non habet similiter potestatem in corpore eorum. 1. ad Cor. 7. Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

Capvt XIV.

De continentia coniugali. Et primo de destructione erroris illorum qui damnant matrimonium.

SEquitur de continentia coniugali. Circa quam primo destruetur error ille qui matrimonium damnat. Secundo, matrimonium commendabitur. Tertio, ostendetur qualiter sint matrimonia contrahenda. Quarto, quia continentia coniugalis abstinet à carnali opere illicito, & vtitur licito: & ostendetur, quod opus carnale sit illicitum, & quod licitum. Circa primum vero primo ponemus testimonia Noui Test. quibus dictus error innititur. Secundo auctoritates & rationes quibus falsitas dicti erroris conuincitur. Qui sunt huius erroris vocantur Cathari: vel à cato cuius posteriora osculantur, in cuius specie Luciferum dicunt sibi apparere. Vel à catarrho quod est fluxus: defluūt enim per diuersa vitia: ponūt enim naturam corporis malam esse, & esse à principio malo, debere eam omnibus modis purgari, vt citius à natura mala liberemur: vnde nolunt fluxum illum matrimonio restringi. Ipsi dicūt opus carnale quod tamen ab vxore exercetur, fornicationem esse, vtentes ad hoc probandum illo verbo 1. Cor. 7. *Propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat*: ergo est fornicatio cum vxore. Sed verbum dictum sic est intelligendum. *Propter fornicationem, &c.* non propter fornicationem faciendam, sed euitandam. Simile ad Rom. 4. *Christus traditus est propter delicta nostra,* non facienda, sed destruenda. Et est vulgaris modus loquendi: vnde dicitur aliquis ferre pelliceum propter frigus: non propter frigus faciendum, sed repellendum. Item in eodem. *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium:* ergo peccatum est matrimonium, cum indulgeatur. Præterea post dicit ibidem Apostolus: *Volo omnes homines esse sicut meipsum:* id est continentes. Et dicendum est quod indulgentia ibi non accipitur pro venia, sed pro concessione minoris boni. Minus enim bonum est matrimonium quam virginitas vel castitas. Vtrumque bonum est, & donum Dei. Vnde subdit Apostolus: *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo.* Alius quidem sic, alius verò sic. Propter hoc ergo dicit quod vult omnes homines esse sicut se, quia vellet eos non solum bonos esse, sed etiam meliores. Item in eodem dicitur, *Bonum est homini mulierem non tangere:* ergo malum est eam tangere. Non sequitur, sicut non sequitur: bonum est non bibere vinum, ergo malum est bibere vinum. Item in eodem: *Qui habent vxores, sint tanquam non habentes:* ergo malum est cum eis commisceri. Sed hoc non sequitur: sicut non sequitur: *Qui emunt, sicut tanquam non possidentes,* quod ibidem legitur: ergo non debent comedere de fructibus agri empti. Qui habet vxorem est tanquam non habens,

si debitum reddit & non exigit: Item Dominus monet ad relinquendum vxorem. Luc. 18. Nemo est qui relinquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat multò plura in hoc tempore &c. Et eiusdem 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem suam, & vxorem suam, &c. non potest meus esse discipulus:* ergo vxor est relinquenda & odio habenda. Ad quod dicendum quod vxor est relinquenda & odienda eo modo quo & pater & mater, vt scilicet si vult trahere aliquem ad idololatriã, vel hæresim, vel aliud peccatum, non consentiatur ei, tamẽ si benè se habeat, amanda est sicut pater & mater. 1. ad Cor. 7. *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Licèt autem dictus error iam in sua radice destructus sit, vbi fuit destructus error Manichæorũ, qui ponit duo principia prima, vnum bonum, & aliud malum, à quo dicit esse ea quæ sunt corruptibilia, à quo errore hîc error ortum habuit: tamen manifestè falsitas eius conuinci potest testimoniis scripturæ quæ sequuntur. Matth. 19. Pharisæis interrogantibus Christum, an liceret dimittere vxorẽ suam quacunque ex causa. Ipse præmisso testimonio Gen. intulit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Ostendens manifestè matrimonium esse à Deo, & non esse ab homine separandum. Patet ergo quod matrimonium est bonum. Item Luc. 1. dicitur de Zacharia & Elizabeth vxore eius, ambo erant iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini, sine querela, & angelus Gabriel Zachariæ nuntiauit hæc: *Elizabeth vxor tua pariet tibi filium.* Et paulò post, *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Non est ergo matrimoniũ malum in quo sancti homines fuerunt, & ex quo fructus tam bonus processit. Et Ioa. 2. Maria interfuit nuptiis, & Iesus, & discipuli eius ad eas vocati sunt, & fecit ibi Iesus initiũ signorũ suorũ. Non honorasset Christus tot modis nuptias si malæ essent. Item ad Rom. 7. *Mulier viuente viro vocabitur adultera si fuerit cum altero viro. Si autem fuerit mortuus vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera si fuerit cum altero viro.* Item 1. ad Cor. 7. *Vxori vir debitum reddat: similiter & vxor viro.* Et in eodem: *Nolite fraudari ad inuicẽ, nisi fortè ad tempus, vt vacetis orationi, & iterùm reuertimini in idipsum.* Et Iterũ. *His qui in matrimonio iuncti sunt principio, non ego, sed Dominus, vxorẽ à viro non discedere.* Et paulò post: *Et vir vxorem non dimittat.* Item in eodem: *Alligatus es vxori, noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore, noli quærere vxorẽ. Si autem acceperis vxorem, non peccasti: & si nupserit virgo, non peccauit.* Item in eodem: *Qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit, & qui non iungit, meliùs facit.* Mulier *alligata est legi, quãdo tempore vir eius viuit.* Quod si dormierit vir eius, liberata est à lege viri: *cui vult, nubat, tantum in Domino, ergo etiam secundæ nuptiæ sunt licitæ.* Item ad Eph. 5. *Viri, diligite vxores vestras &c.* In eodem: *Vnusquisque vxorẽ suã sicut seipsũ diligat.* Et 1. ad Tim. 2. *Mulier seducta in præuaricatione fuit. Saluabitur autem per filiorum generationem.* Item 4. *Spiritus manifestè dicit; quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium & cauteriatam habentium suam conscientiã, & prohibentium nubere, &c.* Et eius. 5. *Volo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse.* Item ad Heb. vlt. *Honorabile coniugium in omnibus,* supple sit: *& thorus immaculatus. Fornicationes enim & adulteros iudicabit Deus,* id est, damnabit. Bernard. Omnis immunditiæ habenas laxat, qui nuptias damnat. Idem: Rara est in terris continentia, neque pro tantillo quæstu exinaniuit se filius Dei, formam serui accipiens. In hac approbatione matrimonij conueniunt nobiscum tam Iudæi quàm Gentiles: Gentiles enim in veneratione habuerunt coniugium, & filios.

qui non erant nati de coniugio, illegitimos iudicabant. In hoc autem conueniunt nobiscum sapientissimi, vt Salomon Pro. 19. *Domus & diuitiæ dantur à parentibus: à Domino vero propriè vxor prudens.* Seneca etiam vxorem habuit, vt aperte habetur in eius epistolis. Et notandum quod illi qui sunt huius erroris, dicunt mulierem damnari si prægnans decedat vel in partu. Quod manifeste patet esse falsum in Elizabeth. Luc. 1. quæ prægnans erat quum salutauit eam beata Virgo: & tamen repleta est Spiritu sancto, & infans exultauit in vtero eius, quæ si decessisset in partu saluata esset. Partus enim pœnam habet, non culpam.

CAPVT XV.

De commendatione Matrimonij.

Cōmendatur matrimoniū. SEquitur de commendatione matrimonij. Et notandum quod duodecim sunt quibus matrimonium potest commendari fidelibus qui vtrunque testamentum recipiunt.

1. Auctoritate instituentis. Primum est auctoritas instituentis illud. Cùm alios ordines instituerit aliquis sanctus, vt August. vel Benedictus, ordinem beati Benedicti transgreditur: constat quod valde culpabilis est qui transgreditur ordinem matrimonij à Deo institutum.

2. Loci. Secundum est, locus in quo institutum est, s. paradisus. Institutum enim est immisso sopore in Adam. Genes. 2. Et raptus est Adam in spiritu, & interfuit curiæ cælesti, & ibi agnouit virtutem matrimonij, & cuius rei esset sacramentum. Et erat Adam tunc corpore in paradiso terrestri, mente verò in paradiso cælesti. Vnde super Genes. 1. dicit Gloss. August. Extasis rectè intelligitur ad hoc immissa, vt mens Adæ particeps Angelicæ curiæ & intrans in sanctuarium Dei nouissima intelligeret: vnde euigilans prophetico spiritu eructauit: Hoc nunc os ex ossibus meis, &c. Hæc verba cum Adæ scriptura fuisse dicat, Christus in Euangelio Deum dixisse declarat. Matth. 19. vt intelligamus per illam extasim Adam diuinitus hæc dixisse.

Tertium est antiquitas. Non enim de nouo institutus est ordo iste, imo antiquitate excedit omnem ordinem in terris institutum. 3. Antiquitatis

Quartum est, status. Institutum enim est in statu innocentiæ in illo felici tempore in quo homo nondum peccauerat. 4.

Quintum est, quod hunc solum ordinem saluauit Deus tempore diluuij. In arca enim tantùm saluati sunt Noë & vxor eius, & tres filij eius & vxores eorum. Si qui erant concubinarij, si quæ meretrices, omnes diluuio sunt submersi. 5. Status & ordinis.

Sextum est quod beata Virgo hunc ordinem intrare voluit: licet proposuisset seruare virginitatem: quod non parum facit ad honorem matrimonij: noluit filius carnem ex ea assumere, donec fuit in matrimonio. Matrimonium pallium est quo beata Virgo vsa est, quo occultauit cælestem conceptum. Sub quo pallio latere voluit filius Dei: sub hoc pallio celatum est diabolo mysterium redemptionis nostræ. Infelices & maledictæ sunt illæ quæ potiùs eligunt esse in confusione diaboli, quàm in ordine beatæ Virginis. Confusio diaboli est status meretricum, quæ quandoque peccant cum patre, quandoque cum filio, quandoque cum duobus fratribus vel cognatis, quandoque cum solutis, quandoque cum coniugatis, quandoque cum sacerdotibus, quandoque cum religiosis, quandoque cum leprosis. Infelices etiam sunt adulteræ quæ matrimonio non deferunt, quæ non timent pallium beatæ Virginis inquinare. 6. Probatur exéplo.

Septimum est, quod Deus voluit honorare nuptias sua præsentia & matris suæ, & discipulorum suorum. Ioan. 2. Vbi inue- 7. Præsentia.

niunt concubinarij quod Christus vel beata Virgo in domibus eorum comederit? Diabolus potius in domibus eorum inhabitat, cui de corporibus suis sacrificia faciunt. Sicut enim qui continenter viuunt, corpora sua Deo sacrificant, iuxta illud ad Romanos 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem.* Sic qui luxuriose viuunt, corpora sua sacrificant diabolo. Quomodo habitaret Deus vbi exercetur opus illud quod plus Deo fœtet & angelis eius, quàm aliquod cadauer hominibus fœteat?

8. Miraculis. Octauum est, quod Dominus nuptias voluit honorare. Primo aperto miraculo quod fecit coram discipulis suis. Ipsum verò miraculum quo aqua mutata est in vinum, ostendit cuius virtutis sit matrimonium. Aqua enim vilis est, vinum pretiosum. Sic opus carnale absque matrimonio vile quid est: opus verò matrimoniale pretiosum. Vnde infelices sunt concubinarij qui aquam fœtentem vino pretioso præeligunt, potius volentes exercere opus illud extra matrimonium cum peccato, quam in matrimonio sine peccato. Infelices etiam sunt illi qui vinum bonum & purum habent, & relinquunt illud pro vino prauo quasi felle misto. Hi sunt illi qui proprias vxores habent & alienis adhærent.

9. Benedictione. Nonum est, excellens benedictio quam Ecclesia facit coniugibus iuxta altare ad missam in præsentia Dominici corporis. Qui potius vult esse concubinarius quam legitimus maritus, ipse potius vult habere maledictionem quam benedictionem. Quamdiu enim est in peccato, maledictus est quidquid agat. In Psal. *Noluit benedictionem, & elongabitur ab* Ps. 108. *eo.* Concubinarij videntur velle maledictionem, & merito illam habebunt. Dicetur enim eis illud Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* His autem qui bene se habent in matrimonio dicetur illud Matth. *Venite benedicti Patris mei, &c.*

Decimum est, pretiosus fructus qui ex matrimonio sequitur. Generantur enim inde filij huius seculi, qui post per adoptionem fiunt filij Dei. Si quis haberet vineam quæ annuatim ferret mille modios vini, valde amaret eam. Quantum ergo amandum est matrimonium vnde pueri procreantur, cum puer vnus præualeat toti vino quod in mundo est. Ex matrimonio generantur virgines. Vnde virginitas multum amanda est, & matrimonium multum amandum est. Hieronymus: Laudo coniugium, quia virgines generat: lego de spinis rosam, de concha margaritam. Valde infelices sunt meretrices quæ operi carnali intendunt: & tamen quia exponendo se omnibus, se ita inquinant, non sunt dignæ vt Deus det eis fructum prolis. Mira fatuitas, non cessant seminare, licet videant se nullum fructum inde colligere. Meretrices habent officium in mundo isto iugulandi homines pro denario & denario. Vix inter latrones inuenitur aliquis qui tale officium velit habere. Ipsæ adiutrices sunt damnationis humanæ, sicut & dæmones. Quid dicent in die iudicij, si quæratur ab eis vbi sunt filij earum? Ipsæ dominabuntur quasi eos occiderint. Exponendo enim se omnibus quasi suffocauerunt eos. 10. Fru[ctu]

Vndecimum est, quod matrimonium est vnum de septem sacramentis Ecclesiæ. Si quis in aqua baptismi lutum proiiceret, vel alio modo sacramento baptismi contumeliam faceret, non esset parum culpabilis. Sic nec parum culpabilis est, qui adulterando sacramento matrimonij contumeliam facit. 11. Est vn[um] de Sa[cra]mentis Eccl[e]siæ.

Duodecimum est, virtus magna matrimonij, quæ multis potest ostendi. Primo per hoc quod opus carnale, quod sine eo esset mortale, cum eo est veniale: vel omnino sine peccato. Secundo per hoc quod remedium est contra mala quæ ex meretricio sequuntur concubitu, quæ sunt sterilitas, 12.

arios bet e- us. tilitas, prolis interfectio, incestus. Tertio per hoc quod adeo efficax est ad concordiam faciendam: quæ adeo placet Deo, sicut discordia multum ei displicet. Tota patria vna vno matrimonio quandóque ad concordiam reducitur. Prou. 6. *Sex sunt quæ odit Deus, & septimum detestatur anima eius.* Septimum, quod detestatur est ille qui seminat inter fratres discordias. Quarto per hoc quod descendit in hominem ex ea parte qua diabolus eum fortius impugnat. Iob. 40. *Fortitudo eius in lumbis eius.*

Capvt XVI.

De modo contrahendi Matrimonium.

NOtandum ergo quod ille qui vult contrahere matrimonium: Primo debet habere intentionem ad Deum: vt scilicet contrahat desiderio generandi filios secundum carnem, qui post fiant filij Dei per adoptionē. In illis enim qui Deum excludunt ab intentione sua: potestatem habet dæmonium. Tob. 6. dixit angelus Tobiæ minori. In eos qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus in quibus non est intellectus, habet super eos dæmonium potestatem. Et in eodem: *Accipies virginem cum timore Domini, & amore filiorum magis quàm libidinis ductus.* Item eiusdem 8. dixit Tobias minor: *Nunc Domine tu scis quoniam non luxuriæ causa accipio vxorem meam, sed sola posteritatis dilectione in qua benedicatur nomen tuum in secula seculorum.* Secundo debet eligere vxorem similem sibi, nobilem si nobilis est, ignobilem si est ignobilis. Gen. 2. *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* De costa viri formauit Dominus mulierem, ne posset vnus contra alterum gloriari se esse de nobiliori genere. Non formauit Deus mulierem de capite, ne crederetur formata ad dominationem. Neque de pede, ne crederetur subiicienda in seruitutem: sed de costa, vt habeatur tāquam socia. Poëta: Si qua voles apte nubere, nube pari. Paritas ista non solum attendenda est quantum ad nobilitatem, sed etiam quantum ad iuuentutem & pulchritudinem. Quando enim iuuenis & pulchra nubit seni & deformi, habet exosum & adultera efficitur. Paritas ista bene in annulo ostenditur: qui si strictior sit, digito non congruit: si laxior decidit. Sic se habet inter coniuges si sint dispares: quia vel simul manentes non sunt concordes, vel vnus ab altero discedit. Tertio, vt cum tali contrahat quæ sit de progenie bona. Non debet ducere filiam vsurarij vel raptoris. Hæc enim fuit vna de causis diluuij. Videntes enim filij Dei filias hominum quod essent pulchræ; acceperunt vxores sibi ex omnibus quas elegerant. Gen. 6. Filij Dei vocantur qui erant de stirpe Seth: filij hominum qui erant de stirpe Cain. Quarto quod persona cum qua contrahit sit bona & prudens, quod est vnum de magnis donis Dei. Prou. 19. *Domus & diuitiæ dantur à parentibus: à Domino verò proprie vxor prudens.* Eccl. 26. *Mulieris bonæ beatus vir.* Et in eodem: *Pars bona, mulier bona, in parte bona timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis.* Et in eodem: *Gratia super gratiam, mulier facta & pudorata.* 1. Cor. 6. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem.*

Capvt XVII.

Quod opus carnale sit illicitum & quod licitum. Et quot & quæ requirantur ad hoc quod opus carnale fiat sine culpa & meritorie. Et quot sint quæ requirant separabilitatem matrimonij.

SEquitur videre de opere carnali, quod sit illicitum & quod licitum. Poterit tamen videri alicui quod opus illud nunquam fiat sine culpa. Primo per hoc quod

dicit Aug. in lib. de fide ad Pet. Sine libidine non est parendum concubitus. Secundo per hoc quod dicit glos. Hieron. super illud 1. Pet. 3. *Vt non impediantur orationes vestræ.* Impediri orationes officio coniugali commemorat: quia quotiescunque vxori debitum reddo orare non possum. Vult enim secundum gl. illam, redditio debiti semper habere culpam, cum semper orationem impediat. Tertio per hoc quod dicit gl. super illud 1. Cor. 6. *Qui fornicatur, in corpus suum peccat.* Hic proprie seruit anima corpori: sed vbi anima quæ debet dominari corpori, seruit ei, videtur esse peccatum, cum sit ibi priuatio debiti ordinis. Quarto per hoc quod dicit gl. ibidem: Sic totus homo absorbetur à carne, vt iam dici non possit ipse animus suus esse, sed simul totus homo dici possit caro. Quinto per hoc quod semper in illo opere videtur esse immoderata delectatio. Et dicendum est quod opus illud exerceri potest sine omni culpa, & etiam meritorie in tribus casibus. Primus est, cum sit causa prolis suscipiendæ & ad cultum Dei educandæ, cum aliis debitis circumstantiis. Aug. Cõcubitus necessarius est, causa generandi inculpabilis est solus nuptialis. Iste concubitus solus dicitur esse nuptialis, quia principaliter institutum est matrimonium ad suscipiendum prolem. Et hæc prima institutio & principalis dicitur fuisse facta in officium. Secunda eius institutio fuit in remedium, scilicet ad fornicationem euitandam. Secundus casus est cum petenti redditur debitum. Aug. Reddere debitum coniugale, nullius est criminis. In hoc casu iustitia mouet. Tertius casus est, cum aliquis exigat opus illud vt caueat compari suo ne in peccatum cadat: vt cum aliquis sciens vxorem suam verecundam & nunquam petituram debitum, & timet de casu eius, debitum exigit. Et in hoc casu pietas mouet. Si vero aliquis exerceat opus illud vt impleat cõcupiscentiam suam, culpa est ibi quandóque venialis, quandóque mortalis. Venialis, quando concupiscentia ita subiecta est rationi quod non cognosceret eam nisi esset coniux sua. Mortalis verò, quando adeo immoderata est concupiscentia quod cognosceret eam, licet non esset sua. Et in hoc casu intelligitur illud verbum quod dicit glos. super 1. ad Corint. 7. *Omnis vehemens amator propriæ vxoris adulter est.* Et ibidem dicit gloss. August. Coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpam propter thori fidem venialem. In verbo verò Aug. in lib. de fide ad Petr. libido dicitur concupiscentia inordinata quæ pœna est, & non sumitur pro culpa vel veniali vel mortali. Ad aliud dicendum quod oratio sumitur quandóque pro quolibet bono opere: vnde gloss. super 1. Thessal. vlt. Non desinit orare qui non desinit bene agere. Quandóque pro oratione vòcali: quandóque verò pro actu interiori: cùm anima in Deum afficitur. Et iste actus excellens animæ impeditur opere carnali. Si enim animæ vires ordinentur, generatiua videtur esse infima: vis vero secundum quam anima afficitur in Deum, summa videtur esse: vnde non est mirum si operationes illarum virium sibi non consociantur. Item intelligendum est de illuminatione prophetica quæ tunc non habet fieri. Hieron. super Matth. Connubia legitima carent peccato, non tamen tempore illo quo coniugales actus geruntur: præsentia sancti Spiritus dabitur, etsi propheta esse videatur qui officio generationis obsequitur. Gloss. verò quæ sunt super illud 1. Cor. 6. *Qui fornicatur, &c.* intelligendæ sunt non de coniugali facto cum debitis circunstantiis, sed de opere libidinoso vbi ratio vincitur. Ad illud autem quod immoderatione delectationis obiicitur, dicendum est, quod ex quo Adam peccauit, non fuit coniugale opus sine aliqua immoderatione: sed quædam immoderatio est quæ pœna est solum, & prouenit ex inordinatione sæuientis concupiscentiæ. Sed ex quo aliqua prædictarum trium causarum, prius

inchoatur opus illud, & non propter delectationem, & delectatio manet infra fines ſuos, ſcilicet in vi brutali, nec trahitur ratio vt delectationi conſentiat, non eſt delectatio illa peccatum. Aquæ enim inferioris à ſuperioris ſunt diuiſæ firmamento virtutis.

Quot & quæ requirantur ad hoc quod opus carnale ſine culpa ſit, & meritorium.

ET notandum quod multa requiruntur ad hoc quod opus carnale ſine culpa ſit & meritorium.

Primum eſt, vt fiat in eadem ſpecie. Natura enim eſt, vis rebus inſita ex ſimilibus procreans ſimilia. Vnde ſi fiat opus illud in alia ſpecie, eſt peccatum contra naturam: quod tangitur Exod. 22. *Qui coierit cum iumento, morte moriatur.* Et Deut. 27. *Maledictus qui dormierit cum aliquo iumento.*

Secundum vt fiat in organo diſſimili. Si vero fiat in organo ſimili, eſt peccatum, contra naturam: quod tãgitur Rom. 1. *Nam fœminæ eorum mutauerunt naturalem vſum, in eum vſum qui eſt contra naturam. Similiter & maſculi relicto naturali vſu fœminæ exarſerunt in deſideriis ſuis, in inuicem maſculi in maſculos turpitudinem operantes.*

Tertium eſt, vt fiat in organo ad hunc vſum deputato: contra quod eſt pollutio extraordinaria, quam tangit gloſſ. ſuper prædictum locum. Rom. 1. Qui cum ipſa coniuge alio modo quam licet dormierit, operatur contra naturam.

Quartum eſt, vt non fiat modo beſtiali, ſed modo quem decet rationalem naturam: modo ſ. idoneo infuſioni ſeminis, quantum ad virum; & receptioni ſeminis, quantum ad fœminam. Contra hoc vero eſt illud peccatum contra naturam quod enumerat Methodius inter cauſas diluuij, dicens: Mulieres in veſaniam verſæ ſupergreſſæ viris abutebantur.

Quintum eſt, vt perſonæ inter quas hoc opus exercetur non ſic ſe habeant, quod vna ſit radix à qua alia proceſſerit, vel proceſſerint ab vna radice è proximo. Hoc enim multum valet ad ſocietatem quæ multum eſt conſeruatiua humani generis. Per hoc enim quod matrimonium contrahitur cum perſona non attinente, initur ſocietas inter conſanguineos vtriuſque perſonæ coniugum qui ſibi non attinebant. Si hoc opus exerceretur cum attinentibus, haberent homines ſuſpectam cohabitationem vxorum ſuarum cum ſuis propinquiſſimis, & cum propinquiſſimis ipſarum: ſic in magna parte periret ſocietas humana conſeruatiua humani generis. Contra hoc eſt peccatum inceſtus, peccatum valde deteſtabile, quod etiam exemplo brutorum animalium nobis diſſuadetur. Vnde legitur in lib. de natura animalium, quod camelus cooperto capite matris eius ſuper eam ſaltauit, & operimento ſublato matrem cognoſcens, turpitudinis opere quod inceperat intercepto, deſcendit & ingeniaorem interfecit. Similiter cum fieret equo & matri eius, cognoſcens matrem ſibi ſuppoſitam, ſubito fugit.

Sextum eſt, quod perſonæ inter quas hoc opus exercetur, vnitæ ſint inſeparabiliter: non enim ſufficit vt conſentiat vno conſenſu ſicut fornicatores.

De inſeparabilitate Matrimonij.

HAnc inſeparabilitatem primo videtur requirere, quia matrimonium ſacramentum eſt figuratiuum matrimonij ſpiritualis, quod eſt inter Chriſtum & Eccleſiam. Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* Vnde cum illud matrimonium ſit inſeparabile, & matrimonium carnale inſeparabile debet eſſe. Secũdo fructus ad quem eſt matrimonium, eſt indiuiſibilitas. Deſtruitur enim proles ſi diuidatur 3. Reg. 3. Dixit mulier cuius filius erat viuus, ad regem qui eum

iusserat diuidi: *Obsecro, Domine mi, date illi infantem viuum, & nolite interficere eum.* Si quis tamen obiiciat quod quando sunt plures filij, potest fructus diuidi. Dicendum est quod nec tunc diuidi potest quin omnes sint filij patris sicut & matris, & omnes teneantur tam patri, quam matri, & tam pater quam mater omnibu. Tertio, fidei integritas, sine qua non est secura societas. Si separari deberent, non confideret vnus coniugum de altero: nec vnus fidelis esset alteri quantum ad bonorum communicationem. Prou. vlt. legitur de forti muliere: *Confidit in ea cor viri sui.* Quarto, magnitudo amoris qui est inter ipsos: maximus enim videtur esse inter amores qui sunt ratione carnis, cum etiam amori patris vel matris videatur præualere, secundum illud Matth. 19. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Cum aliqua vnio corporum inseparabilis sit vt mistio aliqua: mentalis vnio videtur debere esse inseparabilis, & maxime videtur de illa quæ est maritalis amoris, quæ maxima & familiarissima videtur esse. Præterea si omni tempore diligit qui amicus est, nulla aduersitas separare debet amicitiam coniugum. Quinto societas consanguineorum coniugum ipsis mediantibus contracta, quæ separabitur si matrimonium eorum dissoluatur, sicut mediantibus illis sociati fuerint: quæ societas cum adeo sit Deo valde grata, ab homine separanda non est. Contra vnitatem inseparabilem, est peccatum fornicationis. Sextum est, vt illud opus exerceatur inter personas quæ sint vnitæ singulariter. Vnica enim vnici debet esse. Ad quod facit magnitudo amoris. Si enim maximus amor carnalis & familiarissimus est inter eos, cum vnica debet esse amor ille. Quod enim per superabundantiam dicitur, vni soli conuenire: hic singularitas vnitatis in annulo ostenditur, qui vnicum digitum cap. Si quis tamen obiiciat quia vnus debeat multas habere, vt sic multiplicentur cultores Dei, cum vnus homo sufficiat multas fœcundare: Respondēdum est, quod Deus non attendit tantum multiplicationem generis humani quātum ad numerum, quantum attendit eius multiplicationem quantum ad meritum, & vt frequentius, qui generantur non sunt viri cultores Dei, Eccl. 15. *Non concupiscit Deus multitudinem filiorum infidelium & inutilium.* Luc. 15. *Venient dies in quibus dicetis: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt.* Licet paucissimi essent cultores Dei tēpore primorum parentum: tamen noluit Dominus ordinare vt Adā haberet duas vxores simul, vt sic citius multiplicaretur genus humanum. Præterea primus quem genuit Adā malus fuit, sc. Cain. Vnde patet quod citius genuit imitatorem diaboli quā cultorem Dei. Præterea animalia magna, vt dicitur in lib. de natura animalium, raro generant. Elephas enim fœmina cessat triēnio post partum à coïtu: & camela per annum. Paucos etiam generant, quia vnicum fœtum: cum animalia parui corporis generent multos, vt ibidem legitur. Sic homo maximus dignitate inter animalia, non est mirum si raro & paucos filios generet. Præterea quandóque qui sufficit multas fœcundare, vix sufficit vni & proli eius sine periculo animæ suæ necessaria prouidere. Legitur in l. de natura animaliū, de aquila, quod valde grauatur in nido; ita quod venari non possit: & ideo non sufficit pascere plus quàm duos pullos: vnde tertiū ouum proiicit, vel tertium pullum. Si quis vero obiiciat quod saltem in principibus, qui sufficiunt prouidere, tolerabile erit quod vnus habet plures. Discēdum est quod frequentius isti minus sufficiunt prouidere vxori & filiis suis sine periculo animarum suarum, quam alij. Præterea multiplicatio dominorum destructio est terrarū. Multiplicatis hæredibus sequitur diuisio regnorū quā consequitur desolatio eorū. Matth. 12. *Omne regnum in se diuisum desolabitur.* Multiplicatis principibus multiplicantur mala super terrā. 1. Mac. 1. legitur de Alex. qui diuisit regnum suum pueris nobilibus

qui secum erant nutriti à iuuentute: Et subditur: *Obtinuerunt pueri eius regnum vnusquisque in loco suo, & imposuerunt sibi diademata post mortem eius, & filij eorũ post eos annis multis, & multiplicata sunt mala super terram.* Quando aliquis princeps habet multas vxores successiue, vix est pax inter filios qui sunt ex illis vxoribus. Præterea nollet princeps vxorẽ suam ab alio fœcundari, etiamsi ipse nõ posset eam fœcundare. Vnde nec ipse velle debet etiam quum vxor sua sterilis est, ex alia fructum habere: hoc enim est de iure naturali, vt nõ faciat alij quod sibi nõ vult fieri. Præterea vix perfecta pax seruari posset, si vnus plures haberet. Conquesta est Sara. Gen. 16. quod ancilla sua Agar contẽneret eam cui ipsa virum suum communicauerat. Et Lia dixit Racheli: *Parumne tibi videtur, quod præripueris maritum meum mihi?* Gen. 30. Contra hanc singularitatem est peccatum adulterij. Octauum est, vt non moueat ad opus carnale delectatio, sed vel bonũ prolis vel iustitia vel pietas, de quibus prius tactũ est. Nonũ est, vt opere inchoato ratio non trahitur ad consentiendum delectationi. *Vnusquisque enim tentatur à concupiscentia sua attractus & illectus.* Iacob. 1. Decimum est, vt eligatur tempus in quo licet opus illud exercere, abstinendum enim est ab illo opere tempore menstruorum. Leu. 16. *Si coierit vir cum muliere tempore sanguinis menstrualis, immundus erit.* Eiusd. 28. *Ad mulierem quæ patitur menstrua, non accedes.* & dicit August. Quod tunc abstinendũ est ab illo opere propter prolis corruptionẽ. Hier. dicit, quod tunc concipiuntur membris damnati, cœci, claudi, leprosi. Item tẽpore sacro. Aug. Propter dies processionis & ieiuniorum aliquando non licet conuenire: quia etiã à licitis abstinendũ est, vt facilius impetrari possit, quod postulatur. Itẽ tẽpore quo vxor grauida est: vnde elephas prægnantẽ fœminã non tangit: vt legitur in lib. de natura animalium. Vndecimum est, vt locus sacer caueatur: nõ enim est exercendum illud opus in loco sacro.

Capvt XVIII.

De Temperantia delectationum secundum visum, auditum, & olfactum.

Dicto de Temperantia delectationũ, quæ sunt secundum gustum & tactum, dicendum est de Temperantia quæ est secundum visum, auditum & olfactum. Et notandum, quod cum visus in omnibus animalibus sit supra auditum, & sub viso olfactus, vt legitur in libro de natura animalium, periculosior visus esse videtur nisi refrænetur, quam auditus; & auditus, quam olfactus. Vnde scriptura multum suadet nobis refrænationem visus. Eccl. 9. *Ne respicias mulierem multiuolam.* In eodem: *Virginem ne conspicias.* Item: *Noli circumspicere in vicis ciuitatis.* Et iterum: *Ne circumspicias speciem alienam.* Eiusdem 25. *Ne respicias mulieris speciem.* Et 41. *Ne respicias mulierem alieni viri.* Causas quare visus sit periculosus, require in tractat. de Luxuria, cap. de aspectu mulierum. De refrænatione visus & auditus, habetur. Esa. 33. *Qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum, iste in excelsis habitabit.* Visus & auditus videntur habere curiositatem quasi insatiabilem. Eccl. 3. *Nõ satiatur oculus visu, nec auris auditu impletur.* Gregorius: Graue curiositatis est vitium, quæ dum cuiuslibet mentẽ ad inuestigandam vitam proximi exterius ducit, semper ei sua intima abscondit, vt aliena sciens, se nesciat. Idem: Curiosi animus quanto peritus fuerit alieni meriti, tanto fit ignarus sui. *Visus periculosus & cui?*

Et notandum, quod auditus à multis est temperandus.

Primo à musicis instrumentis. Iob. 21. *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt,*

Esa. 5. *Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris, & opus Domini non respicitis.* Antigonus Alexandri pædagogus citharam eius fregit, adiecitque dicens: Tuæ ætati iam regnare conuenit, pudeatque in corpore regis voluptatem luxuriæ dominari.

Secundo à lasciuo cantu vel colloquio mulierum. Vnde Ecclesiast. 9. dicitur de saltatrice: *Ne audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.* Et in eodem dicitur de muliere aliena: *Colloquium illius quasi ignis exardescit.*

Tertio à malis proximi. Ecclesiast. 28. *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam detrahentem.*

Quarto à bonis propriis quæ adulatores solent hominibus ad memoriam reducere. Senec. Si continens es, adulationes euita: sitque tibi tam triste laudari à turpibus, quam laudari ob turpia. Idem: Difficillimum opus continentiæ est, assensiones adulatorum repellere, quorum sermones animam quadam voluptate resoluunt.

Quinto à suauitate proprii cantus. Gregor. *Dum blanda vox quæritur, sobria vita deseritur.* Olfactus etiam temperandus est à suauitate odorum: quum scriptum sit Esa. 3. *Erit pro suaui odore fœtor.* Vna pœna infernalis erit fœtor sulphuris. In Ps. *Ignis, sulphur, & spiritus procellarum, &c.* Esa. 30. *Flatus Domini quasi torrens sulphuris succendens eam.*

TERTIÆ PARTIS PRINCIPALIS de quatuor Virtutibus Cardinalibus,

TRACTATVS QVARTVS.

De Fortitudine.

PARS PRIMA.

De ordine dicendorum in hoc tractatu. Et de diuersis acceptionibus huius nominis Fortitudo.

Dicto de Prudentia & Temperantia, dicendum est de Fortitudine. De qua hoc modo dicetur. Primo ponentur diuersæ acceptiones huius nominis fortitudo. Secundo, diuersæ descriptiones fortitudinis. Tertio, ea quæ pertinent ad eius commendationem. Quarto, dicetur de his quæ iuuant fortitudinem. Quinto, de partibus ipsius. Circa primum, notandum est quod nomen fortitudinis sumitur quandoque pro fortitudine corporali, qualis fuit fortitudo Samsonis. Hæc fortitudo videtur esse potentia facile agendi, & difficile à contrario patiendi. Quandoque vero pro fortitudine animi: & sic sumitur quadrupliciter: Vno modo generaliter, & secundum hoc fortitudo reperiri potest in omni vi, & omnis virtus fortitudinem habet respectu vitij sibi contrarij: vt continentia contra luxuriam. Prouerb. vlt. *Accinxit fortitudine lumbos suos.* Ad fortitudinem istam pertinet in omni opere meritorio facere ne quid minus, sicut ad temperantiem generalem pertinet facere ne quid nimis. Alio modo nomen fortitudinis sumitur largè, non tamen ita generaliter sicut prius. Et fortitudo hoc modo attenditur circa difficilia in passionibus, siue sint exteriores passiones, siue interiores. Exteriores passiones sunt con- Nom. fortit dinis accip tur d plicit.

tumeliæ, damna rerum, & molestiæ corporis ab alio illatæ. Passiones interiores illæ dicuntur contra quas certamen habet temperantia: vt sapores gustui, & ea quæ appetitui sensibili passiones inferunt. De his passionibus dicit Philosophus, quod difficiles sunt & contemporaneæ vitæ. Sic accipitur fortitudo super illud Prouer. vlt. *Mulierem fortem quis inueniet?* Gloss. Mulier fortis, Ecclesia quæ pro amore sponsi prospera, & aduersa contemnit. Contemnere prospera, temperantiæ est. Et Tull. in lib. de Officiis dicit, quod fortis animus & magnus duabus rebus maxime discernitur, quarum vna in rerum externarum despicientia ponitur: altera res est, vt sit ita affectus animo vt res gerat magnas & maxime vtiles: sed vehementer arduas & plenas laborum & periculorum. Et August. in lib. de libero arbit. dicit, quod fortitudo est affectio animæ, qua omnia incommoda & damna rerum non in potestate nostra constitutarum contemnimus. Res non in potestate nostra constitutæ sunt quæ nobis inuitis auferri possunt. Tertio modo strictius sumitur pro fortitudine, scilicet quæ attenditur circa ea quæ sunt difficilia in passionibus exterioribus, ita quod non comprehendit temperantiam. Et sic sumitur ab Augustino in lib. de moribus Ecclesiæ: Amor, inquit, ille de quo loquimur, quem tota sanctitate inflammatum esse oportet in Deũ, non appetendis istis temperans, in amittendis fortis inuenitur. Quarto strictissime sumitur secundum quod non attenditur circa quodcunque difficile in passionibus exterioribus, sed tantum circa exteriores passiones quæ corpori infliguntur, & non extendit se ad damna rerum. Et sic videtur Aristot. sumere Fortitudinem in Ethicis.

PARS II.

De descriptionibus Fortitudinis.

Circa secundum notandum est quod fortitudo sic describitur ab Augustino in lib. de moribus Ecclesiæ: Fortitudo est amor omnia facilè tolerans, propter illud quod amatur. Sed videtur hæc descriptio non solum conuenire fortitudini, sed etiam fidei, spei, charitati, & timori. De fide enim legitur 1. Pet. vlt. *Cui resistite fortes in fide.* Gloss. quæ est tanquam mutus. De spe. Heb. 6. *Fortissimum solatium habeamus qui confugimus ad tenendam propositam spem, &c.* Gloss. quod nos faciat in omni aduersitate fortes, volentes ad horam pati, vt in æternum regnemus. De charitate, 1. Cor. 13. dicitur quod *omnia suffert.* Et Cant. vlt. *Fortis est vt mors dilectio.* De timore, Iob. 4. *Vbi est timor tuus? vbi formido tua?* Gloss. has virtutes congruo ordine ponit, sicut in via seculi audacia fortitudinem, timor debilitatem parit: ita in via Dei timor fortitudinem. Ad hoc dicendum est quod fides, spes, & charitas & timor faciunt aliquem fortem ad aggrediendum terribilia, vel sustinendum difficilia, & aliter fortitudo, quia actus illi proprie sunt à fortitudine originaliter. Et fortitudo facit fortem formaliter ad aggrediendum terribilia & sustinendum difficilia. Prædicta vero fortem faciunt eo modo quo accidit in certamine mundano, quod brauium, quod proponitur in medium certantibus, dum videtur ab eis & speratur haberi, & desideratur, motiuum est vt vtilius certent: Sic præmium æternum dum per fidem aspicitur, & per spem speratur, & per charitatem desideratur, hominem excitat vt fortius certet. Timor etiam filialis siue castus cuius causa est amor, dum timet separari à Deo quem amat, ex hoc ipso plus Deo coniungitur, & fortius ei adhæret. Fortitudo sic describitur super illud Matth.

15. *Erant quatuor millia hominum qui manducauerant.* Gloss. Fortitudo est firmitas animi contra molestias seculi. Tullius vero in 1. Rhet. sic eam describit: Fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio. Idem in 2. Rhet. Fortitudo est magnarum rerum appetitio & humilium contemptio, & cum ratione vtilitatis laborum perpessio. Item fortitudo est rationabilis aggressio terribilium cum constanti eorum perpessione. Macrobius: Fortitudinis est animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia metuere, vel prospera vel aduersa tolerare. Arist. Fortitudo est virtus difficillimorum in passionibus operatiua gratia boni. Et loquitur Arist. de passionibus siue molestiis exterioribus.

Pars III.

De commendatione Fortitudinis.

NOtandum ergo quod ad commendationem Fortitudinis potest valere. Primo frequens admonitio quam sacra Scriptura facit de ipsa. Ios. 1. *Confortare, & esto robustus*: Simile habetur Deuter. 31. & 3. Reg. 2. & Dan. 10. Item Tob. 4. *Forti animo esto.* Simile eiusd. 72. Secundo, quod virtus fortitudinis plus videtur habere virtuositatis cæteris virtutibus. Vnde nomen virtutis antiquitus fuit solius fortitudinis, vt ait Tullius. Tertio, quod hæc virtus multum competit statui in quo sumus. Mundus enim iste locus est laboris & certaminis: ideo in vita valde necessaria est nobis fortitudo. Ad Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Eccles. 9. *Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos quò tu properas*: Bernard. In mundo isto quasi in stadio certaminis positi sumus. Eccl. 3. *Tempus belli & tempus pacis.* Tēpus belli est in præsenti. *Militia est vita hominis super terram.* Iob. 7. Vnde illa pars Ecclesiæ quæ in terris est, militans Ecclesia vocatur. Quæ fortitudine debet esse induta in præsenti. Prouerb. vlt. *Fortitudo & decor indumentum eius.* Esa. 52. *Induere fortitudine tua Sion.* Si sine fortitudine sit, necesse habet fugere hostes suos tanquam inermis. Thren. 1. *Abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.*

Virtus fortitudinis etiam inseparabilis est. Totus enim mundus non posset vincere vnum hominem in quo esset vera fortitudo animi. Senec. Facilius est gentem vnam quam virum vnum vincere. Sine fortitudine animi quasi nihil est fortitudo corporis. Eccles. 9. *Verti me ad aliud, vidique sub sole nec velocium esse cursum, nec fortium bellum.* Esa. 1. *Erit fortitudo vestra vt fauilla stupæ.* Et eiusdem 30. *Erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem.* Virtus fortitudinis Deum lætificat. Nehemiæ 8. *Gaudium enim Domini est fortitudo vestra.* De hostibus triumphat. 2. Reg. 22. *Accinxisti me fortitudine ad prælium, incuruasti resistentes mihi subtus me.* Homini bona sua seruat. Luc. 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt cuncta quæ possidet.* Item hominem ditat. Prou. 10. *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium diuitias parat.* Eiusdem 11. *Robusti habebunt diuitias.* Et 21. *Cogitationes robusti semper in abundantia: omnis autem piger semper in egestate erit.* Item hominem glorificat, sicut ignauia hominem vilificat. Prouerb. 12. *Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est tributis seruiet.* Ipsa etiam regnum cœlorum violenter occupat. Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Pars IV.

De his quæ iuuant Fortitudinem.

QVæ iuuant Fortitudinem, videntur duodecim esse. Duodecim fortitudinem iuuant.

Primo iuuat eam maiorum exhortatio. Deut. 20.

Deut. 20. *Appropinquante iam prælio stabit sacerdos ante faciem, & sic loquetur ad populum: Audi Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, ne pertimescat cor vestrum, &c.* Et 2. Mach. cap. vlt. legitur de Machabæo, quod armauit socios suos non clypei & hastæ munitione: sed sermonibus optimis & exhortationibus. Et in eod. *Exhortati itaque Iudæ sermonibus bonis valde, statuerunt dimicare & confligere fortiter.*

2. Secundo, exempla robustorum. Vnde 2. Mach. 6. Hoc modo vita decessit Eleazarus memoriam mortis suæ exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens.

3. Tertio exercitatio ad Bern. fratres de monte Dei: Rusticos duros habet neruos, fortes lacertos. Exercitatio hoc fecit, sine ea corpore mollescit. Voluntas facit vsum, vsus exercitium, exercitium vires in omni labore suo ministrat.

4. Quarto, fides, mercedem fortium operum ostendendo. 2. Paral. 15. *Confortamini, & non dissoluentur manus vestræ. Erit enim merces operi vestro.*

5. Quinto, timor. Prouerb. 14. *In timore Domini fiducia fortitudinis.* Timor illud expellit propter quod vel solum vel maxime timédum est, scilicet peccatum. Ecclesiast. 1. *Timor Domini expellit peccatum:* ideò merito hominem reddit securum. Item timor hominem facit pure operari, quod valet ad fortitudinem. Iob. *Mundis manibus addet fortitudinem:* Præterea timor facit hominem in se deficere, ideò in Deo roborat. Bernard. in sermo. Vtilis prorsus infirmitas quæ medici manum requirit, & salubriter in se deficit, quam perficit Deus. Idem super Cant. Optanda infirmitas quæ Christi virtute compensatur. Quis dabit mihi non solum infirmari, sed etiam penitus destitui & deficere à memetipso, vt Domini virtutum virtute stabiliar?

6. Sexto, spes. Esa. 30. *In silentio & spe erit fortitudo vestra:* spes fortem efficit, omnipotenti inniti faciendo. Ad Philip. 4. *Omnia possum in eo, qui me confortat.*

Septimo, charitas. Ex hoc dupliciter. 7.
Vno modo adiutorium proximi habendo. Prouerb. 18. *Frater qui adiuuatur à fratre quasi ciuitas firma.* Eccles. 4. *Melius est duos esse simul, quam vnum. Habent enim emolumentum societatis suæ. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur.* Et in eodem: *Si quis præualuerit contra vnum, duo resistunt ei.* Secundo modo veritati adhærendo. Gregorius in Moral. Qui veritati inhæret, vnitati nullo modo succumbit: quia dum forti pede cogitationis intus intentionem fixerit, omne quod foras mutabiliter agitur ad arcem mentis minime pertingit.

Octauo, sapientia. Prouerb. 24. *Vir sapiens fortis est, & vir doctus, robustus, &c.* 8.
Greg. in Mor. Valdè fortitudo destituitur, nisi per concilium fulciatur.

Nono, temperantia quæ in prosperis seruat. Gregorius in Moral. Nulla aduersitas deficit quam prosperitas nulla corrumpit. Idem: In hac vita qui nulla prospera appetit, nulla aduersa pertimescit. Primum pertinet ad temperantiam: secundum ad fortitudinem. 9.

Decimo, disciplina corporis quæ hostem domesticum debilitat. Bernard. Quid mirum si hoste debilitato, tu fortior efficeris? 10.

Vndecimo, eleemosyna. Prou. 22. *Victoriam & honorem acquiret qui dat munera.* 11.
Eccl. 29. dicitur de eleemosyna: *Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.*

Duodecimo, oratio quæ multum valet ad fortitudinem. *De cœlo enim fortitudo est.* 12.
Mach. 3. Exod. 17. *Cum leuaret manus Moyses, vincebat Israel.*

Pars V.

De partibus Fortitudinis. Et primo de securitate. De duodecim solatiis contra timorem mortis, de timore inordinato, & securitate commendabili & reprehensibili.

Partes Fortitudinis. NOtandum ergo, quod Tullius in 1. Rhetor. quatuor partes eius assignat, scilicet magnificentiam, fiduciam, patientiam, perseuerantiam. Macrobius vero septem partes eius tangit. Magnanimitatem, fiduciam, securitatem, magnificentiam, constantiam, tolerantiam, firmitatem. Quidam vero sex tantummodo partes assignant, scilicet magnanimitatem, fiduciam, securitatem, patientiam, constantiam, magnificentiam. Et satis rationabiliter videntur posse poni hæ sex partes fortitudinis. Fortitudo enim debilitatem animi expellit, & magnitudinem animi efficit. Quod debilitatem expellat, patet ex hoc, quod fortitudo debilitati opponitur. Quod magnitudinem animi efficiat, patet ex hoc, quod fortitudo dicitur magnanimitas. Seneca in libro de quatuor virtutibus principalibus. Triplex verò est debilitas animi. Prima est, nimia pusillanimitas à malo futuro, quæ timiditas vocari potest. Quæ dissuadetur, Eccl. 7. *Noli esse pusillanimis in animo tuo*, Et reprehenditur, Matthæi 8. *Quid timidi estis modicæ fidei?* Secunda est nimia passibilitas à malo præsenti, quæ est quasi quædam teneritudo vel mollities, cuius signũ est facilitas dolendi, quæ infirmitas est in quibusdam qui conqueruntur secum dure agi vel sibi dura verba dici. Tertia est instabilitas, quæ similis est debilitati virgæ subtilis, quæ de facili in omnem partem flectitur. Contra has tres infirmitates, tres sunt partes fortitudinis. Securitas contra timiditatem. Patientia contra teneritudinem. Constantia contra instabilitatem. Fortitudo inquantum animi magnitudinem efficit, tres habet partes. Ipsa enim quantum actus suos habet ad principium, medium, & finem. Quantum ad principium, pertinet ad eam magnanimitas, quæ est rationalis aggressio terribilium: quantum ad medium, fiducia quæ est certa spes perducendi ad finem rem quæ inchoata est: quantum ad finem magnificentia quæ est rerum quæ geruntur felix consummatio.

Debilitas animi triplex.

De Securitate.

INter has sex partes fortitudinis, primo de securitate prosequemur, quæ est intimiditas mali. Iuxta illud Arist. in Ethic. Fortis est intimidus mali. Et describitur sic: Securitas est habitus secundum quem imminentes incommoditates & rei inchoatæ affines non formidantur. Et coarctat hæc descriptio securitatem ad intimiditatem quæ est post rei inchoationem. Securitas commendatur nobis in leone. Prou. 28. *Iustus vt leo confidens absque terrore erit.* Eiusdem 38. *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum.* Et notandum, quod secundum Philosophum, quæ congregata sunt in homine secundum rationem, dispersa sunt in brutis secundum naturam: vt castitas in elephante, liberalitas in leone. Vnde dicitur in lib. de natura animalium, quod vulpes sequuntur leonem, quia est animal communicatiuum prædæ. Mansuetudo vero in agno. Esa. 53. *Quasi agnus coram tendente se, obmutescet.* Modestia irascendi in columba. Ierem. 25. *Facta est terra in desolationem à facie columbæ, & à facie iræ furoris Domini.* Gloss. Greg. Quia in Deo nulla furoris inæqualitas reperitur, furorem Domini iram columbæ nominauit. Vt enim vim diuinæ districtionis imperturbabilem demonstraret, & iram dixit & colũbæ. Securitas conflictum habet cum timore. Securitatis officium est, contra aspera fortunæ solatium dare. De quibus solatiis ait Seneca lib. de remediis fortuitorum. De cuius verbis pauca ponamus; Morieris, inquit. Et re-

Quid sit securitas.

spondet: Hac conditione intrauit vt exirẽ. Morieris. Gentium lex est, quod acceperis reddere. Morieris. Peregrinatio est vita: cum multum ambulaueris, diu redeũdum est. Item morieris. Stultũ est timere quod vitare non possis. Istud non effugit etiam qui distulit. Morieris. Nec primus, nec vltimus. Omnes te antecesserunt, omnes te sequentur. Item peregrè morieris. Ego quod debeo soluere paratus sum: videat fœnerator quò me appellet. Item iuuenies morieris. Optimum est antequam optes mori. Optimum est mori quem iuuat viuere. Iuuenis moriar. Fortassis alicui malo te subdet fortuna: & si nulli alij, certe saltem senectuti. Insepultus iacebis. Quid aliud respondeam, quam Virgilianum illud: Facilis iactura sepulchri? Si nihil sentio, non pertinet ad me iactura corporis sepulti: si sentio, omnis sepultura tormentum est. Quid interest, ignis an feræ me consumant, an tempus? omnium vltima sepultura, non defunctorum cura, sed viuorum inuenta est sepultura, vt corpora & visu fœda & odore amouerentur. Idem in lib. de naturalibus quæstionibus. Nihil refert quam minax mors veniat: quod à nobis petit, minimum est. Et hoc senectus à nobis ablatura est: hoc auriculæ dolor, hoc humoris corrupti abundantia. Pusilla res est hominis vita, sed ingens res est contemptus vitæ. Hanc qui contempserit, securus videbit maria perturbati. Illa inferorum regna retegantur, stabit super illam voraginem interpidus, & fortasse quo debebit cadere, prosiliet. Quid ad me quam magna sint quibus pereo, ipsum perire non magnum est: si volumus tranquille degere, anima in expedito est habenda, siue illam insidiæ, siue morbi petant. Idem in eodem: Nihil interest vtrum me lapis vnus elidat, an toto monte premat. Item egregie Vagellius: Si cadendum, inquit, mihi est, cœlo me cecidisse velim.

De duodecim solatiis contra timorem mortis.

Contra timorem mortis possunt va- 1
lere duodecim solatia, quæ ex scri-
pturis diuersis colliguntur. Primum est,
quod ipsa mors hostem nostrum fami-
liarem occidit, scilicet corpus, ad Galat.
5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, &
spiritus aduersus carnem.* Sapiens: Nul-
la pestis efficacior est ad nocendum quam
familiaris inimicus. Secundum est, quod 2
ostium nobis efficit in carcere immun-
do in quo capti detinemur, in corpore
scilicet. In Psalm. secundum aliam lite-
ram: *Educ de carcere animam meam.* Sed
sunt quidam adeo assueti miseriæ huius
carceris, vt nihil timeant tantum in hoc
carcere, quam ostium vel exitum. Seræ
& repagula ab incarceratis odio solent
haberi, & non liber exitus. Tertium est, 3
quod nos expedit ab onere cophini im-
munditia pleni. Sapient. 9. *Corpus quod
corrumpitur, aggrauat animam.* Quartum 4
est, quod nos expedit, vel finem imponit
peregrinationi laboriosæ & amaritudi-
nibus plenæ. Grego. Quid est vita mor-
talis, nisi via? & quale sit, fratres mei,
perpendite in via lassari, & viam nolle fi-
niri. Idem: vita præsens laboribus ple-
na est: cum luctu agitur, & tamen cum
lachrymis dimittitur. Ecclesiast. 20. *Me-
lior est mors, quam vita amara.* Quintum 5
est, quod lentum equum omni genere
vitiorum vitiosum nobis occidendo, dex-
trarium optimum nobis restitui facit.
Equus vitiosus, corpus est. Ab hoc equo
expediri desiderabat Paulus, ad Roman.
7 *Infelix ego homo! quis me liberabit de
corpore mortis huius?* Tribus de causis timet miles equum suum amittere: vel quia non est securus de emenda, vel quia capi timet equo amisso, vel propter equi bonitatem. Nulla vero harum trium causarum est in casu proposito. Securus enim est de emenda seruus Dei. Ambros.

Propter quæ timeat miles perdit equum.

Mori non timeo, quia bonum Dominum habeo. Et Mach. 7. Dixit vnus de septem fratribus: *De cœlo*, inquit, *ista possideo, sed propter legem Dei ista despicio, quia me ea recepturum spero.* Non timet etiam seruus Dei capi equo amisso: tunc enim de manibus hostium liberatus est. In Psalm. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Equus iste etiam adeo vitiosus est, vt optandum sit seruo Christi ab eo expediri.

6. Sextum est, præsentis vitæ periculum. Mors portus est periculosæ nauigationis in mari huius mundi, iuxta verbum Bernard. periculum probat transeuntium raritas, & pereuntium multitudo. In mari Massiliæ de quatuor nauibus non perit vna: in mari huius mundi, de quatuor nauibus vix euadit vna.

7. Septimum est mortis necessitas. Seneca. Nullus est perniciosior hostis, quàm quem audacem angustiæ faciunt. Paria conantur magnus animus ac perditus. Cogitemus non quantum prope mortem perducti sumus: omnes reseruamur ad mortē: nec de re, sed de die queritur. Nonne contemneres eum qui inter morituros constitutus, beneficij loco peteret vltimus ceruicem amputari. Idem facimus, magni æstimamus tardius mori. Idem in lib. de naturalibus quæstionibus: Nullum magis solatium mortis, quam ipsa mortalitas.

8. Octauum est, moriendi continuitas. Senec. Quid times quod quotidie experieris. Idem quotidie morimur, tota die aliqua pars vitæ demitur, & tunc quoque cum crescimus, vita decrescit.

9. Nonum est, mortis propinquitas. Chrysost. Signati post modicum morituri sumus. Quare ante modicum in causa Dei cum gloria non morimur, vt fiat voluntarium quod futurum est necessarium? Senec. Nemo tam immitis est, qui malit semper pendere, quam semel cadere. Idem: Erras si in nauigatione sola putas minimum esse qua morte vita diuiditur. In omni loco æque tenue interuallum est. Non vbique se mors tam prope ostendit, vbique tam prope est.

Decimum, est mors Christi. Hebræor. 12. 10
Curramus ad propositum certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. August. Magna consolatio est membris ex capite, quod Christus qui est sapientia Dei patris, gaudium mundi, fugit, & ad mortem voluntarie veni, certissimum argumentum est, quod mors seruis Dei timenda non sit.

Vndecimum 11.
est, amantissimi & sapientissimi patris potestas. Hoc solatium exhibuit Dominus discipulis suis, dicens eis post suam resurrectionem: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Matth. vltim. Magna consolatio est filiis Dei, quod persecutionis virga est in manu patris eorum. Patris, inquam, misericordiarum, cuius sapientiam nihil latere potest, cuius potentiam nihil potest superare. Vnde verisimile est quod persecutor non affliget filios eius, nisi quantum pater videbit eis expedire. Esa. 10. *Virga furoris mei Assur.* Matth. 18. *Nonne duo passeres asse væneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro.*

Duodecimum est, sequens 12.
immortalitas. Tullius: Non est lugenda mors quam immortalitas consequitur. Ecclesf. 9. *Melior est dies mortis, die natiuitatis.* Duabus de causis melior est seruis Dei *dies mortis, die natiuitatis.* Vna est, quia mors est egressus à miseria, natiuitas vero ingressus est ad miseriam: melior est egressus à miseria quā ingressus ad miseriam. Sapiens: Mors bona si non est, finis tamen illa malorum est. Sen. Mors malorū omnium remedium est. Secunda est, quia mors est porta gloriæ seruis Dei. Ipsa est inchoatio beatæ vitæ: vnde est nobilior mors quam sit natiuitas secundum corpus. Vnde transitus Sanctorum, natale eorum vocatur ab Ecclesiā, in Psal. *Pretiosa in cōspectu Domini mors sanctorum eius.* Verè pretiosa, quia est regni æterni pretium. Sequitur de quibusdam aliis solatiis quæ tāgit Seneca in lib. de remediis fortuitorum.

Curc[illegible] morr[illegible] meli[illegible] dien[illegible] uitat[illegible]

Psal[illegible]

Exulabis. Et respondet: Patria est vbicunque bene es. Illud autẽ per quod bene es, in homine, nõ in loco est. Si sapiens est, peregrinatus: si stultus, exulat. Dolor imminet. Si exiguus est, feramus: leuis est patiẽtia. Si grauis est, feramus: non leuis est gloria. Dura res est dolor, immo tu mollis. Non sum potens, gaude: iniuriam facere non poteris. Pecuniam perdidi, fortasse illa te perdidisset. O te felicem! si cum illa auaritiam perdidisti. Sed si manet illa apud te, es tamen vtcunque felicior, quod tanto malo materia subducta est. Pecuniam perdidisti, & illa quàm multos. Eris nũc in via expeditior, domi tutior. Exonerauit te fortuna, si intelligis, & tutiore posuit loco. Damnum putas, remedium est. Pecuniam perdidisti: nempe quam vt tu haberes alius ante perdiderat. Oculos perdidi: quã multis cupiditatibus via incisa est. Oculi incitamenta sunt vitiorum, duces scelerum. Amisi liberos: Stultus es qui fles mortem mortalium. Periere perituri. Habebãt illi cuius essent magis quam tui. Educandos tibi fortuna mandauerat: recepit illos, non abstulit. Naufragiũ feci. Cogita non quid perdideris, sed quod euaseris. Nudus exij. Sed existi. Omnia perdidi: sed cum omnibus perire potuisti. In latrones incidi: noli conqueri quod incideris, gaude quod effugeris. Amicum perdidi, alium quære, & tibi cum quæras vbi inuenias. Quære inter liberales artes, inter honesta & recta officia: quære in laboribus. Ad mensã res ista non quæritur. Perdidi amicum, fortem animum habe: si vnum, erubesce: si vnicum, quid tu in tanta tempestate ad vnam anchorã stabas? Bonam vxorẽ amisi: Inuenies, si nihil quæris nisi bonam vxorẽ. Soror bona non potest recuperari, nec mater. Vxor aduentitium bonum est. Non est inter illa quæ semel vnicuique contigunt. Multos tibi numerare possum, quibus bonam vxorem lugentibus contigit melior. Contra aspera huius mũdi abundantius consolatur scriptura, & specialiter doctrina Saluatoris, qui ad consolandum miseros in mundum istum venit. Esa. 61. *Ad annuntiandum mansuetis misit*, &c. *vt consolaret omnes lugentes.* De consolationibus habes Matt. 5. & 10. & Luc. 6.

De Timore inordinato.

Securitas timorem inordinatũ expellit. Contra quem dicit Senec. in epistolis: Nos ad præsentia non aptamur: sed cogitationes in lõginqua prẽmittimus. Itaque prouidentia maximum bonũ conditionis humanæ in malum versa est. Feræ pericula quæ vident fugiunt, quum effugere securũ sit, nos & vẽturo torquemur & præterito. Multa bona nostra vitio nostro nobis nocent. Timoris tormentum memoria reducit, prouidẽtia anticipat: nemo tantũ præsentibus miser est. Idem: Plura sunt quæ nos terrent, quam quæ premunt: & sæpius opinione, quam re, laboramus. Illud tibi præcipio, ne sis miser ante tẽpus, cum illa quæ velut imminentia expauisti, fortassis nunquam ventura sint. Quædam magis torquent quam debeant: quædã torquent, cum omnino non debeant: quædam ante torquent quam debeant. Idem: Respice an certa argumẽta sint futuri mali: plerunque suspicionibus laboramus, & illudit nobis illa quæ conficere bellum solet, fama. Non coarguimus illa quæ nos in metum adducunt: nec excutimus, sed trepidamus: & sic vertimus terga, quemadmodum illi quos puluis motus, fuga pecorum fugauit castris, aut quos aliqua fabula sine auctore sparsa conterruit: Nescio quomodo vana magis conturbant: vera enim modum habent. Quàm multa expectata nunquam comparuerunt, etiam si futurum est: quid iuuat dolori suo occurrere? satis cito dolebis cum venerit, interim tibi meliora promitte. Idem: Spe metum tempera: alius dicat, fortasse non veniet: tu dic, quid si veniet? videbimus verum, veniat: fortasse pro me venit, & mors ista vitam honestabit. Contra timorem inordinatum multum valet sapientia. *Attingit enim à fine vsque ad finem fortiter, &*

disponit omnia suauiter. Sap. 8. Econtrario est de stultitia. Seneca: Stultitia nihil peccatum habet, ad omnia pauet, & ipsis terretur auxiliis.

De securitate commendabili & reprehensibili.

ET notandum quod est securitas commendabilis, & securitas reprehensibilis. De commendabili dicitur. Prouer. 15. *Secura mens quasi iuge conuiuium.* Greg. in Moral. Quasi continuatio refectionis, est tranquillitas securitatis. Idem: Iustis initium retributionis est ipsa plerumque in obitu securitas mentis. Idem: Quisquis ad vitæ præcepta se dirigit, priusquam vitæ æternæ præmia percipiat, hic iam initia securturæ in perpetuum securitatis degustat. Securitas ista videtur esse sequela virtutum. Greg. in Moral. Dum virtutes menti lætitiam pariunt, quandam etiam securitatem gignunt. Ad securitatem primo valet puritas conscientiæ. Conscientia pura merito secura est, cum à peccato purgata sit, propter quod solum vel maxime timendum est. Bern. O vita secura, vbi pura conscientia in quam via secura, vbi absque formidine mors expectatur, immo exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum deuotione. Secundo diuturnitas pœnitentiæ. Greg. In pœnitente, cum longa mœroris anxietate fuerit formido consumpta: quædam iam de præsumptione veniæ securitas, nascitur. Tertio contemptus boni transitorij. Greg. in Moral. Mira securitas cordis, alieua non quærere. Aug. in l. de libero arbritrio: Nemo securus est in his bonis, quæ potest inuitus amittere: virtutem autem & sapientiam nemo amittit inuitus. Qui bona transitoria contemnit, mala pœnæ transitoriæ non metuit. Sene. Desines timere, si sperare desieris. Quarto integer amor interni & æterni boni. Vnde super illud Prouerb. 28. *Iustus autem quasi leo confidens absq; terrore erit.* dicit gl. Iusti securitas leoni comparatur: quia cum quaslibet aduersitates insurgere conspicit, ad mentis suæ cōfidentiam reddit, & scit quod vincit, quia illum diligit quem nemo inuitus amittit. Securitas reprehensibilis est securitas temeraria: vt est securitas eorum qui ita sunt securi in mari huius mundi, quasi iam essent in portu; & ita sunt securi dum adhuc bellum durat, quasi iam triumphassent. 3. Reg. 10. *Ne glorietur accinctus æquè vt discinctus.* Bern. in sermonibus: Nusquam est securitas, fratres, neque in cœlo, neque in paradiso, multo minus in mundo. In cœlo, cecidit angelus sub præsentia deitatis. Adā in paradiso de loco voluptatis. Iudas in mundo de scola Saluatoris. August. in lib. Conf. Nemo securus debet esse in vita ista quæ tota tentatio nominatur. Hier. in epist. Nulla securitas est vicino serpente dormire. Qui habent hanc securitatem, facilè à diabolo vincuntur. Hier. in epist. Timor virtutum custos est: securitas ad lapsum facilis. Iud. 18. *Nullus erit labor, intrabimus ad securos.* Hieron. Noli nimis esse securus: nimia securitas mentis tempestas est. Greg. in Moral. Sæpe quem certamen suæ tentationis superare non valuit, sua securitas deterius strauit: vnde se pertimescit quandoquidem cadere, inde accipit fortiter stare. Idem: Sancti viri sic de spe sunt certi, vt tamen semper sint de tentatione suspecti. Quæ securitas? vbi etiam excellentia sunt dona Dei, vt est diuina reuelatio, possunt esse homini occasio ruinæ. 2. ad Cor. 2. *Ne magnitudo reuelationum extollat, datus est mihi,* &c. Gl. Aug. Quomodo securus agnus egreditur, vbi aries sic periclitari metuit: Gregor. In paradisum duceris, & ab angelo sathanæ tentaris. Item securitas reprehensibilis, est securitas cum negligentia. Greg. in hom. Plerique pigri remanent ad exercenda bona præcipua: quia valde sibi securi sunt; quod nulla commiserint mala grauiora. Idem in Moral. Dum mens secura redditur, in torporem laxatur. Idem: Mater negligentiæ solet esse securitas. Item repre-

Quid securitatem animi foueat.

Quæ securitas reprehensibilis.

hensibilis est securitas incauta. Gregor. Moral. Multis sæpè graue periculum, incauta securitas fuit, econtrario. Prouerb. 11. *Qui cauet laqueos, securus erit.* Greg. in Morali. Sæpè mens dum in se virtutis suæ securitate resoluitur, insidiante aduersario inopinatæ culpæ telo perforatur, & inde à Deo in æternum longe fit, vnde ei ad tempus sine cautelæ custodia propinquauit. Item securitas reprehensibilis est eorum qui pericula futura non præuident. De securitate talium. Iob. 21. *Domus eorum securæ sunt & pacatæ, &c.* *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* De improuisione talium, Prouerb. 28. *Viri mali non cogitant iudicium de securitate malorum.* Eccles. 8. *Quia non profertur cito contra malos sententia, filij hominum absque timore vllo perpetrant mala.* In eodem: *Sunt impij qui ita securi sunt quasi iustorum facta habeant.* Securitatem cum improuidentia habebat, cui dictum est: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te,* Luc. 12. Item illi de quibus eiusdem 17. Edebant, & bibebant, vxores ducebant & dabantur ad nuptias vsque in diem qua intrauit Noe in arcam: & venit diluuium, & perdidit omnes. Et in eodem similiter factum est in diebus Loth: *Edebant, &c. Et pluit ignem sulphur de cœlo, & omnes perdidit.* Talis etiam securitas fuit Ierosolymitis, quibus Dominus ait; Luc. 19. *Et quidem in hac die quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, &c.* Et 1. ad Thessal. 5. *Cum dixerint pax & securitas: tunc repentinus eis superueniet interitus.*

DE PATIENTIA.

PARS SEXTA.

Sex habet Capitula.

CAPVT PRIMVM.

De ordine dicendorum de Patientia, de descriptionibus Patientiæ & merito, ac distinctione nominis eius.

uid pa- ntia.

SEquitur de Patientia, de qua hoc modo dicetur: Primo ponentur descriptiones eius. Secundo, ea quæ pertinent ad eius commendationem. Tertio, agetur de his quæ iuuant patientiam. Quarto, ponentur eius diuisiones. Circa primum notandum quod patientia est æquanimis malorum illatorum tolerantia. Et potest sumi hæc descriptio à verbis Gregorij super illud Lucæ 21. *In patientia vestra possidebimus animas vestras.* Gregorius: Vera patientia est, aliena mala æquanimiter perpeti: & contra eum qui irrogat mala, nullo animi dolore moueri. Et super illud Iob. 4. Vbi fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum? dicit Gloss. In fortitudine proficit qui mala aliena immotus tolerat. Describitur etiam sic: Patientia est virtus contumeliarum, & omnis aduersitatis impetus æquanimiter portans. Vel sic: Patientia est omnium passionum molestarum aliunde illatarum, victoriosa perpessio. Item sic describitur à Tullio in 1. Rhetoric. Patientia est honestatis aut vtilitatis causa, rerum arduarum & terribilium voluntaria ac diuturna perpessio. Honestatis causa est perpessio: vt cum quis

pro fide Christi potius eligit mori, quam negando eam, saluare vitam suam. Vtilitatis vero causa: vt cum quis pro salute regis mori eligit. Voluntaria vero ideò dicitur, quia qui omnino inuitus patitur, non habet laudem vel meritum. Ideo dicitur 1. Petr. 4. *Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.* Si autem vt non Christianus erubescat, diuturna dicitur: quia ad verum patientem pertinet vt patiendo perseueret. Si quis obijciat quod passio exterius illata non videtur voluntaria esse & ideò nec meritoria. Dicẽdum est, quod quædam sunt passiones intrinsecus natæ: tamen per apprehensionem extrinseci boni vel mali mouentis; vt gaudium, spes, timor, dolor. Et hæ passiones possunt esse à voluntate eius qui patitur, tanquam à causa efficiente vel non resistente, quę indubitanter possunt esse meritoriæ. Aug. 14. libro de Ciuit. Dei. Cupiditas, lætitia, metus, tristitia, voluntates sunt. Recta voluntas bonus est amor, & peruersa, malus est amor. Amor fugiens quod ei aduersatur, timor est: idque si acciderit sentiens, tristitia est: animi dolor qui tristitia nominatur, dissensio est. Quædam vero passiones sunt extrinsecus illatæ: vt molestia corporis, vel contumelia verbi. Et passiones non sunt voluntariæ à voluntate eius qui patitur tanquam à causa efficiente. Tamen possunt quodammodo dici voluntariæ voluntate consentiente & non contradicente. Voluntas vero sustinendi seu recipiendi eas, secundùm quosdam, meritoria est etiam aureæ & aureolæ, si tamen sit coniuncta passioni: aliter vero nõ est meritoria aureolæ. Secundum alios passio quæ quodammodo est voluntaria, est meritoria, prout meritorium dicitur quod de debito fit magis debitum. Dicitur enim mereri secundum alios multipliciter. Vno modo est impetrare aliquid de congruo: sic boni merentur aliis gratiam. Alio modo de indebito facere debitum; & mereri hoc modo, pertinet ad gratiam mediante actu liberi arbitrij. Tertio modo, mereri est de debito facere magis debitum: sic meretur quis actu exteriori, vel passione, meretur aureolam, inquantum ex charitate eam suscepit, & non ipsa voluntate suscipiendi. Plus enim dicit susceptio voluntaria, quam voluntas suscipiendi. Ponit enim actualem passionem, & voluntatem circa ipsam susceptionem: tamen forsitan non exigitur quod tunc sit actu voluntas, sed sufficit quod voluntas illa fuerit ex qua hæc susceptio est voluntaria, dummodo patiens maneat in charitate. Et notandum quod patientia quandoque large sumitur, quandoque strictè. Patientia large est circa omne difficile & circa omnem tentationem. Iacobi 1. *Beatus vir qui suffert tentationem.* Stricte vero est circa passiones extrinsecus illatas: actus vero patientiæ est recipere passionem: ita quod animus nec succumbat, neque vindictam inferenti appetat.

Passiones duplices.

Capvt II.

De commendatione Patientiæ.

Ad commendationem Patientiæ. Primo facit frequens admonitio, quam facit scriptura Sacra ad patientiam. Ephes. 4. *Obsecro vos in Domino, vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & patientia.* 1. Thess. 4. *Patientes estote ad omnes.* 1. Tim. 6. *Homo Dei sectare patientiam.* Heb. 12. *Per patientiam curramus ad propositum nobis.* Iacobi 5. *Patientes estote fratres vsque in aduentum Domini.* Secundo, quia patientia valdè gloriose triumphat. Ad gloriam triumphi eius facit quod ipsa sine ictu vel repercussioné vincit. Non leuaret vnam festucam ad hostes feriendos: sed tela eorum retundit, & in corde hostium mittit. In Psalm. *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Persecutoris gladius in cor Psal.

eius

eius intrat, quia animam eius occidit. Patientiâ vincit homo persecutores, & dæmones, & seipsum. De persecutoribus patet in beato Vincentio, qui vicit Datianum. Vnde dixit ei: Videbis me plus posse dum torqueor quam possis ipse qui torques. De dæmonibus vero, idem patere potest, quos patientia martyrum eiecit de dominio huius mundi. Legitur de quodam sene monacho eremita, quod cum quidam homo malo spiritu arreptus eum fortiter in maxilla percussisset, & senex mox alteram præbuisset, diabolus statim recessit. Similiter legitur de filia cuiusdam primarij dæmonium habente, quod cum quidam discipulus secum venisset ad domum in qua ipsa erat puella à dæmonio vexata, dedit alapam ei: ille autem præbuit ei mox & aliam. Dæmon autem coactus clamauit, quod violenta mandata Dei expellerent eum inde, & statim curata est puella. Patientia vincit seipsũ, quod genus vincendi est rarissimum, est etiam nobilissimum. Sen. in li. de Naturali quæstio. Innumerabiles sunt qui populos, qui vrbes habuerunt in potestate, paucissimi qui se ad gloriam huius triumphi. Primo facit quod hostis familiarissimus eo vincitur. Nulla vero pestis efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus. Secundo, quod patiens hostem superat, qui iam est secum in arca. Difficilius vero est hosti resistere cum intrauit castrum vel arcem quàm si sit extra. Vnde super illud Prou. 15. *Melior est vir patiens viro forti, &c.* dicit gl. Minor est victoria vrbes expugnare, quia extra sunt quæ vincuntur. Tertio; quia qui fortior est in fortiori, fortior est in minus forti: & cum aliquis multas vrbes expugnauit, si postea seipsum superauerit, nobilior erit triumphus vltimus præcedentibus, quo victor vrbium seipsum deuincit. Ad gloriam huius triumphi etiam facit, quod eum in aliis triumphis pugnet homo totus contra hostem, hic non pugnat nisi quasi dimidius. Patientiâ Sancti vicerunt regna. Patientia hominem reddit inuincibilem. Vnde super illud Iob. 4. *Vbi est fortitudo tua, &c.* Qui se vincit, contra omnia fortis est. Vnus homo vere patiens à toto mundo vinci non posset. Seneca: Facilius est gentem vnam, quàm vnum hominem vincere. Idem loquens de quodam qui vicit ignem, & duos reges patientia sua. Ego non dubito quin maiorem laudem trunca illa manus manci meruerit, quam cuiuslibet fortissimi, quam saluam fecit hostium flammarumq; contemptor, & manum suam in hostili foculo distillantem spectauit, donec iussum est vt inuito ignis eriperetur, hoc tanto magis puto quanto rarius est hostem amissa manu vicisse, quam armata. Fecit bellum inermis & mancus, & illa manus trunca duos reges vicit. Poëta: *Maxima virtutum patientia pugnat inermis. Armatosque solet vincere sæpè viros.* Legitur quod Socrates positus in carcere, cum essent qui permitterent eum fugere, noluit exire: sed remansit vt duarum rerum grauissimarum hominibus metum auferret, mortis scilicet & carceris. Sancti maxime videntur gloriari in his quæ sunt patientiæ. Galat. vltim. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini.* 2. Cor. 12. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, &c.* Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus.* Tribus de causis electi gloriantur in tribulationib. Primo, quia viros strenuos magis decet tribulatio quam prosperitas. Sicut militi gloriosius est esse in exercitu, quam in balneo. Boëtius. Vir sapiens moleste ferre non debet quoties in certamen forte adducitur. Sic virum fortem non decet indignari, quoties bellicus increpuit tumultus. Sen. in epist. Quid enim malit, quisquis vir est, somnum suum classico quàm symphoniâ rumpi? Secundo, quia in hoc assimilantur Christo, cui assimilari magnæ gloriæ est. Eccl. 18. *Magna gloria est sequi Dominum.* Bern. super Cant. Quanta gloria est sponsæ assimilari sponso? nihil gloriosius reputat quàm Christi portare opprobrium. Idem. Grata ignominia crucis, sed ei qui

Cur electi gloriãtur in tribulationib.

crucifixo ingratus non est. Gloriosum est militi deferre arma regis: sic gloriosum est Christiano deferre stigmata Christi. Galat. 6. *Nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Iesu Christi in corpore meo porto.* Aug. Stigmata appellauit, quasi notas pœnarum de persecutionibus quas patiebatur. Stigma enim dicitur punctum, vel nota aliquo ferro facta. Tertio, quia tribulatio ostendit eos esse amicos Dei. Apoc. 3. Ego quos amo, corrigo, & castigo. Tertio, magnum dominium patientiæ. Patienti seruient persecutores. Prouer. 12. *Qui stultus est seruiet sapienti.* Nullus adeo seruiuit beato Vincentio vtiliter, vt Datianus, fabricando ei coronam regni æterni. Et in Psalm. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.* Fabricauerunt, inquam, coronam æternam. Patientiæ seruiunt æstus & hyems, & omnia aduersa mundi. Sterilitas ægrorum implet eius horrea, sterilitas vinearum cellaria. Fures & raptores & alia hominibus noxia seruiunt ei. Ignis domos aliorum exurens ædificat patientiæ domum in cœlis. Ad eam pertinet illud Psalm. *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum.* Ipsa confringit potentias, arcum, scutum, gladium & bellum. Omnia enim ista in obsequium eius conuertuntur. Ipsa mors seruit ei, tenebrosum carcerem corporis confringendo. Mors clauis regia est, quam Deus exhibet ad liberandum amicos suos à carcere corporis. Ipsa porta est per quam amici Dei effugiunt è manibus persecutorum ad Dei misericordiam. Prouerb. 14. *Sperat iustus in morte sua.* Patientiâ dominatur homo sibi ipsi. Luc. 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Hoc dominium attenditur in hoc quod ipsa cohibet hominem interiorem ab illicito appetitu vindictæ. Cohibet similiter exteriorem. Linguam enim cohibet à contumelia, manum à violentia. Vnde sicut dicitur de garrulo, quod non potest tenere linguam suam: de homine verò modesto in verbis, contrarium dicitur: Sic patiens potens est seipsum cohibere, & interius & exterius, ab his quæ pertinent ad vindictam. Et quantum ad hoc dicitur patiens animam suam possidere. In homine impatiente dominatur ira vel furor, & eum possidet. Quarto, quod hominem ditat. Patiens sapienter agit ad hoc vt debita sua soluat. Ipse sapienter acquirit, sapienter custodit, & multiplicat; sapienter debita soluit, nihil de suo in solutione expendendo, sed faciendo vt hostes sui ea soluant, dum iniurias ab eis illatas patienter sustinet, quæ sunt velut aurum & argentum & lapides pretiosi, quibus à debitis suis absoluitur. Iob. 37. *Ab aquilone aurum veniet.* Ipse de his quæ nullius valoris videntur esse, debita sua soluit: vt sunt mala pœnæ, mors scilicet, infirmitas, & similia. Mors enim ei pretiosa est: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Aug. in lib. de Ciuit. Dei: Quid pretiosius quam mors per quam fit vt omnia delicta dimittantur, & merita cumulatius augeantur? Patiens de hoc quod necesse habebat expendere, à debitis suis se absoluit, & insuper regnum cœlorum emit: vt patet in martyribus, quorũ mors, per quam necessario transituri erant, ab omni pœna eos absoluit, & regnum cœlorum eis acquirit. Patiens sapienter acquirit: quia sine suo labore, labore scilicet persecutoris, qui materiam coronæ perpetuæ ei ministrat. Et in hoc est melior vir patiens viro forti. Prouerb. 16. Fortis enim multo labore diuitias spirituales acquirit, vigilando, ieiunando, peregrinando. Patiens etiam conseruando sapienter agit. Si enim persecutor in aliquo temporali damnificat hominem patientem, ipse quæ sibi remanent, maxime spiritualia, diligenter custodit. Non minor est virtus, quam quærere, parta tueri. Econtrario impatiens si ei auferatur aliquid terrenum ipse proiicit spiritualia bona. Prouerb. 19. *Qui patiens est, non sustinebit damnum.* Eccles. 2. *Væ his qui perdiderunt sustinentiam.* Patiens etiam multiplicando

Persecutores serui sunt patientis. Psa. 128. Psal. 26.

Dit. hom. nem.

Ps.

ſapienter agit: Ipſe enim mala in bona conuertit. Ipſe de malis commodum ſuum facit Ipſe non experitur quidquam mali. Eccleſ. 8. *Qui cuſtodit præceptum, non experietur quidquam mali.* Eſa. 3. *Dicite iuſto, quoniam benè, &c.* Patienti in omnibus aduerſis bene accidit, quia iuxta verbum Greg. nulla nocebit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas. Patientia ariditate paupertatis vberius fructificat. Ipſa ad modum vrſi verberibus impinguatur: & vt Salamandra, de igne tribulationis viuit. Et ad modum aſini pungitiuis paſcitur, & vt ſtruthio ferrum & alia dura comedit. Quia gaudet patientia duris. Ipſa ad modum piſcis marini equis tribulationum nutritur; Et lapides in panes conuertuntur: quibus enim impatientes lapidantur, patientes paſcuntur & ædificantur. Patientiæ donum à Deo datum eſt, vt alat ſuos in fame. Fames enim eſt eorum refectio. Patientia eſt defertum & hortus voluptatis. Patientia eſt velut aurum quod igne tribulationis deputatur. Homo impatiens eſt vt palea quæ ibi exuritur. Auguſt. in lib. de Ciuitate Dei: ſicut aurum ſub vno igne rutilat, palea fumat, & vbi paleæ comminuuntur, frumenta purgantur: Ita vna eademque vis irruens, bonos probat, purificat; malos damnat, vaſtat, exterminat. Vnde in eadem afflictione mali Deum deteſtantur & blaſphemant, boni Deum precando laudant. Quinto, quod iram Dei & proximi mitigat. Prouerb. 25. *Patientia lenitur princeps.* Bernard. Vapulem ſane vt male operans, ſi mihi flagella in merita computentur: forſitan miſeretur flagellato, qui in me non inuenit meritum quod remuneret. Prouerb. 15. *Vir iracundus prouocat rixas, qui patiens eſt, mitigat ſuſcitatas.* Sexto, quod Chriſto vicem reddit. 1. Pet. 2. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius.* In Pſalm. 115. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* Vult Chriſtus vt aliqua patiamur pro eo, ſicut ipſe paſſus eſt pro nobis. Vnde cum comediſſet de piſce aſſo, dedit reliquias diſcipulis ſuis. Lucæ vltimo. Piſcis aſſus eſt Chriſtus paſſus. Voluit Chriſtus communicare diſcipulos paſſioni ſuæ ad Coloſſ. 1. *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea.* Septimo, quod hominem quaſi martyrem facit. Greg. Sine ferro vel flammis martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam in animo veraciter conſeruamus. Octauo, quod mira facit. Gregor. Ego virtutem patientiæ ſignis & miraculis maiorem puto. Si patientiam habens, aliquid mortiferum biberit, non ei nocebit. Sermo venenatus quem audit, in medicinam ei vertitur. Patienti nox aduerſitatis vt dies illuminabitur: ita enim clare videt in nocte aduerſitatis, ſicut in die proſperitatis, vel etiam clarius. Et implet Dominus illam promiſſionem. Eſaiæ 42. *Cum tranſieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaueris in igne, non combureris, homo patiens eſt vt rubus ardens abſque læſione.* Exod. 3. Homo patiens eſt vt pueri quos Deus in igne Babylonicæ fornacis illæſos ſeruauit. Daniel. 3. Ita accidit homini patienti, ſicut accidit beato Tiburtio, qui cum nudis plantis incederet ſuper carbones ardentes, videbatur ei quod ſuper roſeos flores incederet. Prouer. 6. *Nunquid poteſt homo ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ eius?* homo patiens hoc poteſt. Nono, quod patientia multum ad ſapientiam facit. Prouerb. 14. *Qui patiens eſt, multa gubernatur ſapientia.* Homo impatiens non ſolum eſt ſtultus, ſed quaſi inſanus, quia ira furor breuis eſt. Prouerb. 19. *Doctrina viri per patientiam noſcitur.* Gregor. Tanto quis oſtenditur minus doctus, quanto minus patiens conuincitur: quum Dominus qui ſapientiſſimus eſt, ſit patientiſſimus, in fine mundi eius iniurias ſuas vindicaturus eſt. Qui magis patiens eſt, magis ſapiens eſt, & magis Deo aſſimilatur. Prouerb. 14. *Impatiens operabitur ſtulti-*

Iram mitigat (margin)

Patiens patiendo fit Martyr (margin)

tiam. In eodem: *Qui impatiens est, exaltat stultitiam suam.* Decimo, quod patientia statui huius exilij multum congruit. Apocal. 13. *Hæc est patientia & fides sanctorum.* ad Heb. 10. *Patientia vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* Ministri Dei qui sunt de Ecclesia militanti multum indigent patientia; sicut illi qui sunt in bello, multum indigent scuto vel aliis armis. 2. ad Cor. 6. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia.* Et inter ea quæ charitatis sunt, primo ponit Apostolus patientiam. 1. ad Cor. 13. *Charitas,* inquit, *patiens est, benigna est.* Qui in hac vita est absque patientia, est quasi homo sine cappa in tempore pluuiali, & sicut homo inermis in medio hostium suorum. Vndecimo, quod patiētia vestis purpurea est, valde decens in electis Dei. Coloss. 3. *Induite vos sicut electi Dei viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.* Patientia vltima ponitur quasi ordinās & protegens ceteras virtutes. Prouerb. vlt. legitur de hac purpura. *Byssus & purpura indumentum eius.* Duodecimo, quod ipsa animam perficit. Vnde super illud Iob. 4. *Perfectio viarum tuarum,* dicit Gloss. De patientia perfectio nascitur. Iacob. 1. *Patientia opus perfectum habet.* Habent ceteræ virtutes opus perfectum quantum ad sufficientiam: sed patientia quantum ad excellentiam. Patientia vitam feliciter consummat. Ipsa enim efficit ne vir iustus in tormentis deficiat. Tertiodecimo, quod ipsa est radix ceterarum virtutum. Vnde dicit Gloss. super illud Luc. 21. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Patientia est radix & custos omnium virtutum, quia sicut radix portat plantam cum ramis suis & fructu, ita patientia portat omnia onera quæ sibi imponuntur. Decimoquarto, quod ipsa rosa est quantum ad redolentiam & ruborem martyrij. Patientes enim dicere possunt illud: *Propter te mortificamur tota die.* Martyrum patientiæ quandoque durat quadraginta annis, quum martyrium beati Laurentij paruo tempore finitum sit. De redolentia dicit Gregor. in Morali. Sicut aromata odorem suum quum incenduntur expandunt: ita viri sancti omne quod de virtutibus redolet in tribulationibus innotescunt. August. in libro de Ciuit. Dei: Non qualia, sed qualis quisque patiatur, interest. Nam pari motu exagitatum vel exhalatum, horribiliter, tenuiter, & suauiter fragrat vnguentum. Decimoquinto, quod valdè efficax est ad acquirendum cœlum. Hieronym. Non nisi per patientiam impletur quod dicitur: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. 11. Vnde quum in aliis beatitudinibus fiat promissio de futuro, patientibus dicitur regnum cœlorum esse de præsenti. Matth. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Decimosexto, quod animi magnitudinem ostendit. Senec. Magni animi est, iniurias in summa patientia pati.

CAPVT III.

De his quæ iuuant Patientiam, de Tribulatione, & multiplici eius vtilitate.

TRIA vero videntur multum iuuare patientiam, scilicet Scriptura sacra, oratio, sancta meditatio. Scriptura sacra: Vnde in Psalm. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me.* Mensam, inquam, Scripturæ. Prouerb. 30. *Omnis sermo Deo clypeus ignitus est sperantibus in se.* Oratio multum iuuat eam, cum patientia, vel eius profectus, donum Dei sit. Vnde Psalm. *Ab ipso patientia mea.* Et iterum. *Tu es patientia mea.* Item oratio gratiam impetrat, qua tribulatio refrigeratur. Ecclesiastici 18. *Nonne ardorem refrigera-*

Psal.

Psal.

bit vos? Hieron. 17. Dicitur de ligno plantato iuxta aquas, quod non timebit cum venerit æstus. Ideo Dominus, Matth. 26. Appropinquante tribulatione passionis, discipulos monet ad orandum: *Vigilate*, inquit, *& orate, ne intretis in tentationem.* Et Luc. 21. prædicta tribulatione ante iudicium ventura monuit eos ad orandum: *Vigilate*, inquit, *omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere quæ ventura sunt.* Esaiæ 19. *Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem.* In Psalm. *In tribulatione inuocasti me, & liberaui te.* Iac. vltim. *Tristatur aliquis vestrum? oret.* Meditatio etiam iuuat patientiam. Præuenit etiam tribulationem, & ad eam præparat maxime meditatio de his quæ fidei sunt. Vnde fides & patientia sociantur, ad Hebr. 6. *Imitatores eorum qui fide & patientia hæreditabunt promissiones.* Et Apoc. 13. *Hic est patientia & fides Sanctorum.* De præparatione ista tangitur Ecclesiast. 2. *Præpara animam tuam ad tentationem.* Psalm. *Ego autem in flagella paratus sum.* Maditatio vero præparans ad tribulationem, diuidi potest in quinque species: Quarum prima versatur circa exempla. Secunda, circa ea quæ fecimus. Tertia, circa ea quæ meruimus. Quarta, circa persecutores. Quinta, circa tribulationes. Prima subdiuiditur in tres species. Quarum prima est circa malos qui tot & tanta patiuntur, vt peccata sua perficiant, qui quotidianis cruciatibus cruciatum merentur æternum. Eccles. 21. *Via peccantium complantata lapidibus, & in fine illius inferi, & tenebræ & pœnæ.* Sapient. 5. *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis. Ambulauimus vias difficiles*, dicunt mali. Libenter sustinere debent boni pro vita beata, quæ sustinent mali pro morte æterna. Secunda est circa alios qui pro minimis bonis, scilicet transitoriis tot & tanta sustinent. Iac. 5. *Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum: patientes estote & vos, &c.* Tertia circa bonos. Tob. 2. Hanc tentationem permisit Deus euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob. Et post: *Non est contristatus contra Deum, quia plaga cæcitatis euenerit ei.* Iac. 5. *Exemplum accipite fratres exitus mali, & longanimitatis, laboris, & patientiæ Prophetarum, qui locuti sunt in nomine Domini.* Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis. Hieron. Quis Sanctorum sine patientia coronatus est? à cunabulis Ecclesiæ non defuit iniquitas premens, & iustitia patiens. Greg. Facta præcedentium patrum consideremus, & non erunt grauia quæ toleramus. Inter exempla vero sanctorum præcipuum est exemplum Christi, ad Hebr. 12. *Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficientes.* Exemplum Christi est quasi scutum quoddam cordium nostrorum. Thren. 3. *Dabis eis scutum cordis laborem tuum.* 1. Pet. 4. *Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini.* Bern. super Cant. Vtrunque es mihi, Domine Iesu, & speculum patiendi, & præmium patientis, vtrumque fortiter prouocat ac vehementer accendit. Idem super illud Cant. *Fasciculus myrrhæ &c.* Habete illum semper: non retro in humeris, sed ante præ oculis, ne portantes & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat. Videntes angustias Domini, leuius vestras portabitis. Greg. Si ipse hinc sine flagello non exiit qui sine peccato venit: Quomodo flagellis digni non erunt qui hunc cum peccato venerunt? Passio Christi lignum est aquas tribulationum dulcorans, signata ligno illo quod à Domino ostensum est Moysi, vnde aquæ dulcoratæ sunt. Exod. 15. Gregor. Si passio Domini ad memoriam reuocetur, nihil adeò durum quod non æquo animo toleretur. Elephantis ostendebatur sanguis vuæ & mori, ad acuendum eos in prælium. 1.

[Margin: Psal 17. Meditatio præpară ad tribulationem quintupliciter diuiditur.]

Machab. 6. Et Dominus oſtendit manus & latus diſcipulis in tribulatione poſitis. Lucæ vltim. Et aſpectus ſerpentis æneî ſanabat à morſibus ignitorum ſerpentum. Numer. 21. Aſpectus enim Chriſti in cruce iram & impatientiam ſanat. Ad ſecundam ſpeciem meditationis, quæ verſatur circa ea quæ fecimus, pertinent verba ſacræ Scripturæ, quæ ſequuntur. Gen. 42. *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum.* Michææ 5. *Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei.* Poëta: *Leuiter ex merito quicquid patiare ferendum eſt.* Gregor. in Moralib. Tunc illata conuitia bene toleramus quum in ſecreto mentis ad male perpetrata recurrimus. Idem. Tanto quis patientius ferrum medici tolerat, quanto putridum eſſe conſpicit quod ſecat. Idem. Per hoc quod culpæ pondus cognoſcitur, afflictionis pœna alleuiatur. Idem: Patienter iniuriam illatam tolerat, qui piè meminit quod fortaſſe adhuc habeat in quo debeat ipſe tolerari. Idem: Conſiderat infirmitas propria mala, nobis excuſat aliena. Idem in Paſtoralibus. Si quis ſua incommoda quæ portantur, conſiderat, ea quæ ab altero ſuſtinet leuius portat. Ad tertiam quæ eſt circa ea quæ meruimus, pertinet illud Greg. Leue quidem videtur quod iniuria percutimur, dum in actione noſtra conſpicimus quod peius eſt quod meremur. Habac. 3. *Ingrediatur putredo oſſibus meis, & ſubter me ſcateat vt requieſcam in die tribulationis.*

In quarta meditatione attendendus eſt ſtatus perſecutoris, qui eſt quaſi inſanus vel freneticus in ſeipſum manum iniiciens, in cor ſuum primo gladium mittens. Fratri vel filio inſano vel frenetico debetur compaſſio, non odium vel indignatio. Hanc meditationem inuenit Gloſ. Bedæ ſuper illud Luc. 6. *Benedicite maledicentibus vobis, &c.* Medicus animarum quos ad curãdos proximos inſtruit, omnia quæ ad ſalutem proximorum valere poſſunt, tolerare præcipit, vt tanquam à filiis ægrotantibus vel freneticis, ſi ſalus illorũ id exigit, multa patiatur, donec infirmitas tranſeat. Item attendendum eſt quod perſecutor virga eſt patris miſericordiarum: illis qui patientes ſunt eſt aurea: impatientes verò habebunt ferream, quæ tanquam vas figuli confringet eos. Virga iſta in ſignum clementiæ extenditur in filios Dei: vnde non eſt odienda, ſed potius amplectenda Eſther. 3. *Oſculata eſt Eſther virgam auream quam oſtendit ei Aſſuerus.* Perſecutor eſt quaſi virga Dei.

Qui virgam patienter ſuſtinent, tormentum malitiæ euadent. Sapient. 3. *Et non tanget illos tormentum malitiæ ſine mortis.* Item attendendum eſt in hac meditatione, quod licet perſecutor in præſenti filios Dei pungat, tamen in futuro eis mellificat: In Pſal. *Circumdederunt me ſicut apes, &c.* Apes etſi inferant compunctionis dolorem, amantur tamen, quia miniſtrant mellis dulcedinem. Similiter amandi ſunt perſecutores, & toleranda eſt punctura ad tempus propter iucunditatem quæ ex ea ſequitur. Eccleſ. 1. *Vſque ad tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio iucunditatis.* Gregor. Si illic dulcia appetimus, neceſſe eſt vt prius hic amara toleremus.

De tribulationibus.

SEquitur de quinta meditatione quæ circa tribulationes verſatur. In qua primo attendendum eſt, à quo ſit tribulatio. A Deo enim eſt. Eccleſ. 21. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.* Et ita cum ipſa ſit à ſummo bono, indubitanter ipſa bona eſt & amanda. Ipſa eſt munus datum à Deo qui amantiſſimus eſt: Vnde chara habenda eſt. Solent homines chara habere quæ dantur eis ab amiciſſimis ſuis, licet ſint parui valoris. Ioan. 18. dicit Dominus Petro: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Tribulatio, potio eſt data à ſapientiſſimo & fideliſſimo medico. Vnde non eſt timendum infirmo de exceſſu. Quomodo enim excederet qui ſapientiſſimus

est & fidelissimus? 1. ad Corinth. 10. *Fidelis enim Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* In Psalmis: *Congregans sicut in vtre aquas maris.* Mensurat enim amaritudines tribulationis. Exod. 15. *Stetit vnda fluens*, Iob. 38. *Circumdedi mare terminis meis, & posui vectem & ostia, dixi: Hucusque venies, & non procedes amplius.* Secundo attendendum est quod non solum tribulatio est à summe bono, sed etiã in summe bono fuit: ex quo manifestum est ipsam bonam esse. In eo enim nihil potuit esse nisi bonum. Augustinus: Omnia terrena bona contempsit homo Christus, vt contemnenda monstraret: & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda pręcipiebat, vt nec in illis quęreretur felicitas, nec in istis timeretur infelicitas. Idem: Vnicus ille de Patris substantia natus, æqualis Patri, in forma Dei, Verbum, quo facta sunt omnia, non habebat vbi flagellaretur: ad hoc autem carne indutus est, vt sine flagello non esset. Qui flagellat vnicum sine peccato, relinquet adoptatum qui est cum peccato. Tertio attendendum est quod tribulatio ad summum bonum ducit, & ideo indubitanter est bona. Gregor. Mala quæ nos hîc premunt, ad Deum ire compellunt. Act. 14. *Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cælorum.* Et notandum quod cum tribulatio bona sit, licet amara, ipsa tamen non est proiicienda, vt faciunt quidam, similes illi qui ascendens in arborem nucis, inueniens amaritudinem in cortice fructus, eum proiicit, & ideo non gustat de dulcedine nuclei. Sic aliqui infelices, tribulationem proiiciunt, cum eius amaritudinem sentiunt. Sap. 3. *Sapientiam & disciplinam qui abiicit, infelix est.* Prou. 3. *Tene disciplinam & ne dimittas eam.* Potius condienda est tribulatio quasi quadruplici sale. Primo, consideratione æternorum suppliciorum, quæ est pungitiua: generat enim timorem. *Dedit Dominus metuentibus se, significationem vt fugiant à facie arcus.* Arcus, inquam, diuini iudicij. Hæc significatio est tribulatio: quia homines futura mala non timent, ideo Dominus adhibet præsentia mala, propter quæ, velint nolint, dolent, vt dolor præsentium introducat timorem futurorum. In Ps. *Apprehendite disciplinam.* Gloss. etiam si fugiat. Disciplina præsentis tribulationis tabula est, apprehendẽtes eam à naufragio liberans: sed in futuro tribulatio apprehendet & submerget illos qui eam nunc fugiunt. Iob. 27. *Apprehendet eum quasi aqua inopia.* Virga Moysi proiecta, versa est in colubrum. Exod. 4. Sic tribulatio proiecta in mortem, &c. Qui increpationes odit, morietur. Virga non occidit. Prouerb. 23. *Si percusseris eum virga, non morietur.* Sed coluber occidit. Ideo recte in virga intelligitur pœna transitoria: in colubro mors æterna. Secundo consideratione æterni præmij. Hæc est quasi aromatica. Gregor. Consideratio pręmij, minuit vim flagelli. Tertio est, consideratione passionis Christi. Aug. Magna consolatio membris ex capite 2. ad Tim. 2. *Si compatimur, & conregnabimus.* Bernardus: Nunquid Christus socium tribulationis à communione sua patietur arceri? Sibi confidens in cruce latro, eadem die cum eo fuit in paradiso.

Tribulatio cõdienda triplici cõsideratione. Psal. 2.

De multiplici Tribulationis vtilitate.

QVarta est multiplex vtilitas tribulationis. Et primo ponamus septẽ vtiles effectus tribulationis, secundum septem proprietates ignis. Tribulatio enim per ignem in Scriptura sacra consueuit significari. Psal. *Igne me examinasti.* Notandum ergo, quod tribulatio ad modũ ignis illuminat. Thre. 3. *Ego vir videns paupertatem meam, in virga indignationis eius.* Greg. Oculos quos culpa claudit, pœna aperit. Dan. 4 *Septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Altissimus in regno hominum.* Et subditur. *Post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi.* Hæc illuminatio figurata est in

Effectus vtiles tribulationis secundum effectus ignis. Psa. 16.

illuminatione Tobiæ, qui felle posito super oculos eius visum recepit. Tobiæ 11. In amaritudine fellis, intellige amaritudinem tribulationis. Tribulatio fugat stultitiam ab homine, & veram sapientiam introducit. Prouerb. 22. *Stultitia colligata est in corde pueri, sed virga disciplinæ fugabit eam.* Iob. 27. *Sapientia non inuenietur in terra suauiter viuentium.* Interlin. Nam si verè saperent, in hoc exilio potius lugerent. Gloss. Quivsque adhuc vitæ voluptatibus pascitur, ab æternæ sapientiæ intellectu separatur. Aurum verò terræ Heuilath optimum est: quod interpretatur dolens, Genes. 2. Ecclesi. 24. *Qui emittit disciplinam sicut lucem.* Esa. 28. *Tantum sola vexatio dabit intellectum auditui.* Thren. 1. *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* Ierem. 6. Secundum translationem L X X. per omnem dolorem & flagellum erudieris Hierusalem. Prouerb. 29. *Virga atque correptio tribuit sapientiam.* Ecclesi. 22. *Flagella & doctrina omni tempore sapientia,* id est, causa sapientiæ. Efficacior vero ad erudiendum videtur esse aliquando disciplina verberum, quam disciplina verborum. Vbi enim non potest disciplina verborum, additur disciplina verberum. Item Ecclesiastic. 22. *Pungens oculum deducit lacrymas; & qui pungit cor, profert sensum.*

Secundo emollit, vt ignis ceram, vel omnino liquefacit vt ignis metalla dura. Iob. 22. *Deus molliuit cor meum.* Psalm.
Ps. 57. *Liquefacta est terra sicut cera.* Cera igne modico emollitur, & veterem imaginem deponit, & nouam recipit: sic corda non indurata, modica tribulatione emolliuntur, & vetustatem vitiorum deponunt, & nouitatem virtutum assumunt: corda vero dura non liquefiunt ad ignem tribulationis, nisi sit tribulatio magna, mortem inferens vel comminans. Tunc vetustas vitiorum deponitur, & corda parata sunt fluere in omnem modulum & formam rectè viuendi, omnino parata stare sacerdotis mandato. Tunc fit tibi felix commutatio dexteræ excelsi: vas enim ignominiæ commutatur in vas gloriæ, & serui diaboli efficiuntur filij Dei. Prouer. 12. *Verte impios, & non erunt.* Iob. 28. *Auro locus est in quo conflatur.* Hic locus est ignis tribulationis.

Tertio, tribulatio hominem roborat: sicut ignis roborat laterem, quem tamen videtur comburere, ad Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur:* Tribulatio roborat indurando Sanctos, vt dentes leonis infernalis, qui sunt hæretici, malorum suggestores, detractores & persecutores nihil possunt in eis: dentibus diaboli, dicitur Esa. 3. *Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commollitis?* Patientia martyrum multos dentes extraxit de ore diaboli, quia visa patientia Sanctorum multi ad Christum conuersi sunt.

Quarto, tribulatio destruit, & quasi adnihilat vincula amoris, quibus aliquis ligatus est mundo. Vnde Daniel. 3. *Tres pueri qui ligati missi sunt in fornacem, inuenti sunt soluti.* Vnde accidit in homine, qui tribulationem patitur, sicut accidit quum Christianus populus obsideret quoddam castrum quod tenebant, Saraceni. Opposuerunt enim Saraceni quendam Christianum nobilem captum machinæ, sperantes quod in eam partem iacere nollent lapides. Illo autem clamante, vt propter eum non desisterent ab impugnatione, cœperunt Christiani lapides iacere, & primo lapidis ictu ruptus est funis, quo ille ligatus pendebat. Vnde ille cadens in fossatum abstractus est à Christianis, & sic liberatus est, qui vere potuit Domino dicere, *Dirupisti Domine vincula mea.* Ps. 1[illegible]
Catena illa quæ nos ligatos tenet, est amor viuendi: iuxta verbum Senecæ: Aliquando vero vnico actum tribulationis tædet aliquem viuere, & mortem desiderat cadens in profundum humilitatis. Eccl. 41. *O mors bonum est iudicium tuum, homini indigenti.* Sicut adhæret cibus vasi, in quo decoquitur nisi moueatur,

tur, & amittit saporem debitum & colorem: sic cor hominis adhæret huic mundo per amorem, nisi tribulationem patiatur,
c. 49. secundum illud Psal. *Conglutinatus est in terra venter noster.* Nec est modica vtilitas separatio ab amore mundi, cum totum & solum malum hominis sit amor mundi. Iuxta verbum August. Greg. Ipse mundus dum tot amaritudinibus cruciat, dum calamitates ingeminat, quid aliud nisi, vt non ametur, clamat? Nisi tribulationes essent, homines Deum obliuiscerentur, bonis temporalibus contenti. Greg. Electis suis Deus iter asperum facit, ne dū delectantur in via, obliuiscantur eorum quæ sunt in patria. Baruch. 4. *Dilicati mei ambulauerunt vias asperas.* Tribulatio est velut absynthium, quo hi qui sunt paruuli spiritualiter, à temporali consolatione separantur, sicut pueri aliqua amaritudine à lacte separari solent.

Quinto, tribulatio hominem probat. Eccles. 27. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* Eiusd. 2. *In igne probatur aurum & argentum & homines receptibiles in camino humiliationis.* Iob. 23. *Probabit me quasi aurum quod per ignem transiet.* Tob. 12. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret.* In
Psal. 16. Psal. *Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, &c.* Gregor. Nemo vires suas in pace cognoscit. Si bella desunt,
Gr. virtutum experimenta non prodeunt. Idē: Improuidus miles est qui se fortem in pace gloriatur: nemo quippe quantum profecit, nisi inter aduersa, cognoscit: ad Rom. 5. *Patientia probationem operatur.* Gen. 27. *Accede, fili mi, vt tangam te, & probem vtrum sis filius meus, an non.*

Sexto, purgat, Ioan. 16. *Omnem palmitem qui fert fructum, purgabit filios Leui.* Greg. Quod flagelum grano, quod lima ferro, quod fornax auro, hoc tribulatio viro iusto. Sed de quibusdam potest dici illud Ier. 6. *Frustra conflauit conflator. Malitiæ enim eorum non sunt consumptæ.* Argentum reprobum vocat eos, quia Deus proiecit eos. Maledictum ferrum, quod ex lima contrahit rubiginem. Non aurum, sed paleam se ostendit, qui in igne tribulationis non pugatur, sed per impatientiam crematur. Matthæi 3. *Paleas comburet igni inextinguibili.*

Septimo, tribulatio ad modum ignis desiccat ab aquis deliciarum, & sic conseruat. Greg. in Past. Cor Salomonis idcirco funditus sapientiam deserüit, quoniam ipsum nulla disciplina exterius custodiuit. Tribulatio est vt myrrha à putrefactione custodiens. Hæc Paulum custodiuit ne superbiret. 2. Cor. 2. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Sathan qui me colaphizet.* Tribulatio viris Israelitis, murus est à dextris & à sinistris. Exod. 14. *Erat aqua filiis Israel quasi murus ad dextram & ad læuam.* Tribulatio sepit viam inferni, ne electi per eā incedant. Os. 2. *Sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria.* Tribulatio hominem seruat à furibus infernalibus. In hominibus voluptati deditis vitia abundant. Esa. 26. *Iustitiam nō facimus in terra nostra: ideo non ceciderunt habitatores terræ*: id est, peccata ad Rom. 7. *Scio quod habitat in carne mea peccatum.* Adam in deliciis quasi in aqua dulci computruit. In tribulatione vero quasi in aqua salsa seruatur homo à putrefactione. Greg. Liber homo per cibū sibi mortem intulit, & reductus ad veniam sub disciplina melius viuit. Idem: Quo nos Deus durius ex dispensatione percutit, eo amplius ex pietate custodit. Idem: Electū suum diuina gratia tunc magis erudiendo custodit, cum quasi percutiēdo deserit. Sic facit Deus Ecclesiæ sicut Alexandrum fecisse legitur, qui cinxit quoddā nemus igne propter serpentes. Sic Christus igne tribulationis Ecclesiam cingit, propter serpētes infernales. Vtiles alij tribulationis effectus. Præter effectus prædictos habet tribulatio multos alios effectus. Primus est quod sanat. Ipsa est medicina sanans eos qui spōte eam recipiunt: eos vero qui eam recipere nolunt, inquinat: effunditur enim super eos. Dauid: *Calicem salu-* Ps. 78.

taris accipiam. Idem: *Effunde iram tuam super eos qui te non nouerunt.* Eccl. 28. *Altißimus de terra creauit medicinam, & vir sapiens non abhorrebit eam.* Inuoluenda est hæc medicina quasi sub quadam nebula præsentis vtilitatis, ne homo abhorreat eam: vel admiscendum est ei saccharũ æternæ dulcedinis ad Heb. 12. *Omnis disciplina in præsenti non videtur esse gaudij, sed mœroris:* postea autem fructum pacatissimũ exercitatis per eam reddet iustitię. Tribulatio est velut cauteriũ factũ in mẽbro minus nobile, ad sanandũ membrũ magis nobile: molestia corporis infirmitatẽ sanat mẽtis. Eccl. 19. Curatio cessare, faciet peccata maxima. Pro. 13. Legatus fidelis sanitas. Fideliter agit tribulatio cum eo cui Dominus mittit eam: operatur enim ad eius vtilitatem, non ad voluntatem. Eccl. 31. *Infirmitas grauis sobriam reddit animã.* Prou. 27. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula.* Cautiora videntur esse vulnera, quum tamen potius sint remedia. Sic tribulatio videtur esse aduersitas, cum potius sit remedium à Deo datum. Eccles. 7. *Melior est ira risu.* Ira, inquam, aduersitatis, risu prosperitatis. Dicit Gregorius de beato Benedicto, qui propter tentationem carnis proiecit se in spinis, quod vulnere corporis sanauit vulnus mentis. Idem. Quis nesciat quod multo melius est ardere flammis febrium, quàm igne vitiorum? & tamen cùm febre corripimur, quia vitiorum æstu qui occupare nos poterat considerare negligimus, de percussione murmuramus. Idem: Durum non æstimes esse quod pateris, dũ æternis cruciatibus ab interna passione liberaris. Idem: diuina dispensatione agitur, vt prolixiora vitia prolixior ægritudo exorat: item tribulatio hominem incitat vt
Psal. 82. Deum requirat. Esaiæ 26. *Domine, in an-*
Psal. 31. *gustia requisierunt te.* In Psalm. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Idem: *Quùm occideret eos, quærebant eum.* Oseæ. 6. *In tribulatione sua*
Psal. 15. *mane consurgent ad me.* In Psal. *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Exod. 22. Vrgebant Ægyptij Israelitas exire de Ægypto. Et filius prodigus fame vrgente quum rediit ad patrem suum. Luc. 15. Item accelerare facit. In Psalm. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt.* Ad Hebr. 4. *Festinemus ingredi in illam requiem.* Saltem deberet, qui à Deo flagellatur, intelligere quod iumentum percussum videtur agnoscere, scilicet quod percutiatur, qui erat extra viam: vnde redit ad viam, vel quia nimis lente incedebat: vt gresſũ acceleret. Sic qui flagellatur à Deo, si extra viam erat per mortale peccatũ; debet redire ad viam deserendo peccatũ: si in via erat, sed lente incedebat pauca bona agendo, accelerare debet gressum plura bona agendo. Item tribulatio consolationem meretur. Esa. 61. *Vt ponerent consolationem lugentibus Sion.* In Psalm. *Secundum multitudinem dolorum* Psal.
meorum, &c. Idem: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Deuteron. 8. *Afflixi te penuria, & dedi tibi manna.* Item tribulatio virtutes iuuat. Hier. Adiutrix virtutum est tribulatio. Ipsa valet ad timorem, dum pœnas futuras facit intelligi. Gregor. Si Deus tam aspere percutit vbi parcit, quam asperè pertutiet vbi non parcet? Idem: Districtus iudex, quanta illic districtione feriet quos reprobat, si hic cruciat quos amat. Luc. 23. *Si in viridi hoc faciunt, in arido quid fiet?* Ierem. 15. *Quum noluerint accipere calicem de manu tua vt bibant, dices ad eos: Bibentes bibetis, &c. quia ecce, in ciuitate in qua inuocatum est nomen meum, ego incipio affligere, & vos quasi innocentes & immunes eritis? non eritis immunes.* 1. Pet. 4. *Tempus est vt incipit iudicium à domo Dei.* Si autem primum à nobis, quis finis eorũ qui non credunt Euangelio? Item valet ad spem, ad Rom. 15. *Vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Merito spem habet de regno æterno, qui monetam habet qua ipsum emitur. Moneta ista ab electis non reprobanda, est tribulatio. Iob 5.

Increpationem Domini ne reprobes. Item valet ad charitatem, dum facit intelligi quod pro nobis filius Dei fecerit, cum pro nobis morti se exposuit. Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, &c.* Item valet ad humilitatem. Iob. 6. *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Item valet ad pietatem. Homo enim in deliciis nutritus, nescit aliis compati. Ieremiæ. 44. *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua.* Et subditur: *Non est transfusus de vase in vas.* De vase inquam iustitiæ, in vas misericordiæ. Filius Dei compassionem didicit patiendo. Heb. 4. *Non habemus pōtificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia.* Item tribulatio signum est diuini amoris. Apoc. 3. *Quos amo, arguo & castigo. Æ*mulare ergo, & age pœnitentiam. Prouer. 13. *Qui parcit virgæ odit filium suum: qui autem diligit, instanter erudit.* Eccl. 30. *Qui diligit filium suum assiduat ei flagella, vt lætetur in nouissimo suo.* ad Heb. 12. *Quem diligit* Deus *castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.* In eod. *Quis filius quem non corripiat pater?* Et iterum: *Si extra disciplinam estis cuius participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filij estis.* Aug. Si exceptus es à passione flagellorum, exceptus es à num. filiorum. Idē: Noli esse iniquo sensu & puerili, vt dicas, plus amat pater meus fratrem meum, cui permittit facere quicquid vult, quàm me: quia si me mouero contra eius missionem, flagella inuenio: potius gaude sub flagellis, quia tibi seruatur hæreditas. Illis ad tempus parcit quos in æternū damnabit. Idem: Quid mirum si flagellat custodiens paruulos Dominus, quos grandes quærit hæredes? Idē: Nō timeas flagellari, sed exhæredari. Gre. Nisi correctis Deus hæreditatem dare disponeret, erudiri eos per molestias non curaret. Idem: Ne queraris de verbere, dum nescis quæ te maneant præmia in retributione. Tribulatio in præsenti ex pietate datur. Gre. Ideo Deus hîc quibusdam parcit, vt eos in perpetuum feriat: ideo autem hîc ferit, non parcendo; vt in æternum parcat. In Psal. *Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in adinuentiones eorum.* Amos 3. *Tantummodò vos cognoui ex omnibus congregationibus terræ: idcircò visitabo super vos iniquitates vestras.* 2. Mach. 6. Non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij indicium est. Greg. Electi quique timent, ne vltio quæ suspenditur, in fine grauior seruetur. Feriri paterna correctione desiderāt, & dolorem vulneris salutis medicinam putant. Gaudere debet infirmus, cum videt cœlestem medicum intromittere se de eius infirmitate, & ex hoc sperate salutem. Illi qui in omnibus in mundo isto prosperantur, sunt quasi infirmus desperatus, cui nihil quod petat negatur. Greg. Desperatis ægris, medici quicquid poposcerint dari præcipiunt, & eis qui reduci possunt ad salutem, quæ appetunt dari contradicunt. Idem: Continuus successus temporalium, est certum futuræ calamitatis indicium. Vitulus mactādus liber ad pascua mittitur. Gre. Iniustus ad debitam mortem currens, effrænatis voluptatibus vtitur: quia & vituli qui mactandi sunt, in liberis pascuis relinquuntur. Iustus à delectationis transitoriæ iucunditate restringitur, quia etiam nimirum vitulus ad laboris vsum deputatus sub iugo retinetur.

Aliquando quod videtur esse misericordia, vere est ira: & quod videtur esse ira, vere est misericordia. Augu. ad Marcellinum: Cui licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur: quia nihil infelicius felicitate peccātium, quia pœnalis nutritur impietas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur. Sed peruersa & aduersa corda mortaliū felices res humanas putāt, quum rectorum splendor attenditur, & labes non attenditur animorum, quum theatrorum moles extruuntur, & effodiuntur fundamenta virtutum: quum gloriosa est effusionis insania & opera misericordiæ deridentur: cum ex his quæ diuitibus abūdant, luxuriantur histriones, & ne-

cessari a vix habent pauperes. Hæc si Deus pollere permittat, tūc indignatur grauius: si impunita dimittit, tunc punit infestius: cum verò euertit subsidium vitiorum & copiosas libidines, inopes reddit, misericorditer aduersatur. Esa. 25. *Misereamur impio*. Et subditur: *Et non discet facere iustitiam.* August. in 2. libro Confess. Tu semper aderas misericorditer seruiens, & amarissimis aspergens offensionibus omnes illicitas iucunditates meas, vt ita quærerem sine offensione iucundari. Idem: Percutis vt sanes, & occidis nos, ne moriamur abs te. Idem 5. lib. Patiebar in cupiditatibus meis amarissimas difficultates, te tanto magis propitio, quanto minus sinebas mihi dulcescere quod non eras. Idem 7. libr. Acies conturbata & tenebrata mentis meæ acri collyrio salubrium dolorum de die in diem sanabatur. Ezech. 16. *Auferetur zelus meus à te, & requiescam, nec irascar amplius.* Ose. 4. *Non visitabo super filias vestras,*
Psa. 90. *quum fuerint fornicatæ.* Item tribulatio
Psa. 33. Dei socium efficit, secundum illud Psalm.
Psa 90. *Cum ipso sum in tribulatione.* Et iterum: *Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde.* Bernar. Quantumcunque sæuiat tribulatio, non putes te derelictum, sed memineris scriptum esse: *Cum ipso sum in tribulatione.* Et Dan. 3. *Vidit Nabuchodonosor in fornace cum tribus pueris quartum similem filio Dei.* Es. 43. *Cum ambulaueris per aquas, tecum ero.* Greg. Da mihi semper tribulationem, vt semper possis esse mecum. Item tribulatio est quasi via strata & munda, quū prosperitas via sit lutosa. Vnde quum Deus de prosperitate educit hominem, & ponit in statu aduersitatis, deberet lætari dicens cum Dauid: *Eduxit me de lacu miseriæ, de lūto fæcis, & statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos.* Item tribulatio hominem proficere facit. In Psalmis, *In tribulatione dilatasti mihi.*

Sine tribulatione dormimus. Sine tribulatione homines dormiunt somno pigritiæ: sed tribulatio excitat eos, vt ignis in domo succensus, & vt aqua nauem subintrans. Matt. 8. *Domine, salua nos, perimus.* Aug. Ideo præmiantur iusti in Ecclesia, vt pressi clament, clamātes exaudiantur, exauditi glorificent Deum. Item tribulatio virtutem perficit. 2. ad Cor. 12. *Virtus in infirmitate perficitur.*

Tribulatio perficit virtutes. Tribulatio multis modis facit perfectionem virtutis. Primò, quia purgat virtutes, vt ignis aurum. Greg. Fornax tribulationis ligna vitiorum incinerat, & aurum purgat. Secūdo, quia hostem debilitat, corpus scilicet. Tertio, quia magnitudine tribulationis occasionem dat vt Deus gratiam augeat. 1. ad Cor. 10. *Fidelis est Deus, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis: sed faciet cum tentatione prouentum: id est, virtutis augmentum.* Quarto, quia secundum verbum Senecæ, multum adiicit sibi virtus lacessita. Et secundum Gregorium, ignis flatu premitur vt crescat. Item tribulatio patienti debita soluit. Luc. 6. *Dimittite, & dimittetur vobis.* Quum capti apud Saracenos mendicare cogantur redemptionem suam; fatui sunt capti à diabolo, si aurum & argentum vnde possunt se redimere, gratis sibi oblata recusant. Prouerb. 13. *Redemptio animæ, viri propriæ diuitiæ.* Tribulationes, diuitiæ propriæ hominis dicuntur, quia homo occasio earum fuit. Thren. 3. *Non humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominum.* Sap. 1. *Deus non fecit mortem.* Eccl. 2. *Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe.*

Et notandum, quod magna Dei misericordia est, quod pro pœnis futuris recipit retributiones præsentes. Tale enim est ac si ille cui debentur marcæ auri & argenti, reciperet pro eis fabas vel lapillulos quibus facta est computatio: plus enim est faba vna respectu marcæ argenti, quam translatio præsens respectu pœnæ futuræ. Ezech. 4. Diem pro anno dedi tibi. Tribulatio succursus est homini à Deo missus.

Tribulatio succursus à Deo missus. Quod tripliciter ostendi potest. Primo sic: Si domus alicuius igne esset succēsa, quam per se non sufficeret extinguere, aquam sibi oblatam cum gaudio susciperet, & obsequium non persecutionem reputaret:

quanto magis quum domus conſcientiæ ſuccenſa eſt igne concupiſcentiæ, aquam tribulationis debet reputare ſuccurſum, & non aduerſitatem vocare, quia non eſt aduerſus eum: ſed proſperitatem, quia pro ipſo eſt. Sed ſunt aliqui qui fugiunt, quum nihil eos perſequatur. Prouerb. 18. *Fugit impius nemine perſequente.* Secundo ſic:
2. Si aliquis ab hoſtibus ſuis duceretur ſuper equum velocem ad locum vbi eſſet occidendus, gratum haberet ſi quis equū illum vulneraret vel occideret, vt ſic ab hoſtibus liberaretur, & hoc reputaret ſuccurſum, non nocumentum: quantum ergo gratus debet eſſe ei qui corpus ſuum laſciuum in quo ad mortem æternam ducitur, infirmitate vel alio modo lædit, vt ſic à dæmonibus liberatur? Prouerb. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem.* Tertio
3. ſic: Si duellum committeres cum aliquo, & videres hoſtem tuum tibi præualere, gratum haberes ſi quis hoſtem illum debilitaret in tantum, vt ei præualere poſſes. Quaſi duellum eſt inter carnem & ſpiritum: *Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.* Galat. 5. Vnde ille qui videt præualere carnem aduerſus ſpiritum, magnas gratias debet agere Deo, ſi infirmitate vel alia tribulatione carnem eius debilitet, vt à ſpiritu ſuperetur. Iob. 40. *Memento belli, nec vltra addas loqui.* Gregor. ac ſi diceret, tanto te ad diſciplinam patris exhibe placidum, quanto te proſpicis ad bella infirmum. Si occulti hoſtis contra te bellum conſideras, quidquid à me pateris non accuſas. Item tribulatio ſanctis occaſio eſt pugnæ, & per conſequens victoriæ & coronæ. 2. Timoth. 2. *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.* Gregor. Inimicus humani generis callide inſidians, fraudem quam contra ſanctum Iob parauerat, pertulit: quia ſancto viro quot occaſiones intulit, quaſi tot cauſas victoriæ miniſtrauit. Sap. 10. *Certamen forte dedit ei vt vinceret*: Non eſt timenda tribulatio electis Dei, quum Deus eam mittat illis, vt ab eis vincatur. Item tribulatio pondus eſt ad quod præmium cœleſte tradetur nobis: ideo non eſt optanda eius diminutio. 1. Corinth. 4. *Id quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis, ſupra modum in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operabitur in nobis.* Item tribulatio materia eſt coronæ noſtræ. Bernardus: Si pœnitentia noſtra crudeli miſeratione minuitur, paulatim gemmis corona noſtra priuatur, Iacob. 1. *Beatus vir qui ſuffert tentationem: quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Tribulatio præſens vertetur in gaudium, ita quod pro vna gutta tribulationis erunt quaſi mille modij gaudij. Ioan. 16. *Vos contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Baruch. 4. *Qui induxit nobis mala, ipſe rurſus adducet nobis ſempiternam iucunditatem cum fame noſtra.* Eſa. 54. *Ad punctum in modico dereliquit te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui.* Mutatio iſta tribulationis in gaudium figurata eſt Ioan. 2. in mutatione aquæ in vinum. Præeligenda eſt aqua tribulationis in vinum gaudij mutanda, vino gaudij temporalis mutando in aquam æternæ tribulationis. De hac mutatione habes Luc. 6. in diuite & Lazaro. Bernard. Ego ſane diuitem, de quo Saluator facit mentionem in Euangelio, in nullo audio accuſari, niſi quod induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide: ſi crudelitatis eum arguimus, quod ſuſtantiam mundi habens & videns fratrem ſuum egere, clauſerit viſcera ſua ab eo: quid dicturi eſtis qui tot videtis Lazaros eſurientes & nudos, & plus de iumentis veſtris & earum phaleris, quàm de illorum miſeriis cogitatis? Sed ad tremendum iudicium Abrahæ veniamus: *Memento, fili, quod receperis bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.* Verum vtrumque eſt, negari non poteſt, fer ſententiam, quia paucis expreſſa

est summa negotij. Ille bona & iste mala excepit: *Nunc autem hic consolatur, tu autem cruciaris.* Expergiscimini ebrij & flete: terribilis in iudiciis Deus super filios hominum. Hæccine est cruciatuum causa tota, quod in seculo bona receperat: Ita planè, neque enim nos ad hoc de paradiso voluptatis diuina animaduersio eiecisse videtur, vt alterum sibi hic paradisum adinuentio humana pararet. Legitur, Ioannem Euangelistam virgas & lapides communes in aurum & lapides pretiosos conuertisse, quis virgas illas & lapides illos si indubitanter crederet ea conuertenda esse in aurum & pretiosos lapides, non amaret? Item tribulatio virga Moysi est, in qua mirabilia fiunt. Per eā aqua de petra educitur. Aqua, inquam, lacrymarum, de cordibus duris & quasi petrinis. Per ipsam etiam veri Israëlitæ à Pharaone infernali & eius exercitu liberantur. Tribulatio seruos Dei liberat ab hostibus: sicut flagellis pecora ad castrum vrgentur, ne à prædonibus rapiantur.

Tribulatio electa à Christo in mundo.

Tribulatio locus est quem filius Dei elegit in hoc mundo ad manendum. Bernard. Christus qui non fallitur elegit quod carni est molestius. Id ergo melius, id vtilius, id magis eligendum: & hic est locus filiorum Dei in mundo isto. *Omnes enim qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patientur propter iustitiam, 2. Tim. 3.* Qui cor nobile haberet, potius eligeret esse cum filiis Dei in tribulatione, quam cum damnatis in temporali prosperitate. Hebr. 11. dicitur de Moyse, quod negauit se esse filium Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem. Dauid: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Psa. 83. Si aqua amara transeundo per terram dulcis efficitur, & si vinum transiens per garyophyllos garyophyllatum efficitur, & vinum in quo abluuntur reliquiæ, sanctum reputatur: tribulationes quæ per Christum transierunt & alios Sanctos, quasi sanctæ habendæ sunt. Sanctitatis verò eorum signa esse videntur mirabilia quæ ipsi operantur. Qui enim mortui fuerunt in deliciis viginti annis vel ampliùs, superueniente eis forti tribulatione suscitātur. Nullæ reliquiæ in mundo isto tot & tātas infirmitates sanare videntur vt tribulationes, per hoc quod in Christo fuerunt: & crux iam videtur esse vncta, eo quod in Christo, qui vnctus est, fuit. Vnde cruces in cōsecratione Ecclesiarū oleo inunguntur. Bern. loquens de illo verbo, *Qui fingis laborem in præcepto.* An non labor fictus, iugum suaue crux inuncta. Et notandum, quod cum tribulatio in Scriptura sacra per aquam designetur, vt Cantic. vlt. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Septem sunt effectus vtiles tribulationis secundum proprietates aquæ. Primus est, quod hostes spirituales submergit, vitia scilicet & dæmones. Exod. 15. *Operuit aqua tribulantes eos: vnus ex eis non remansit.* Secundus est, quod fideles nutrit, sicut aqua pisces. Esa. 50. *Computruerunt pisces sine aqua.* Et notandum, quod aqua amara dulces nutrit pisces & magnos. Cete grandia non inueniuntur nisi in mari. Aliæ aquæ nutriunt pisciculos: sic homines magnæ virtutis nutriuntur in aquis tribulationum. Tertius est, quod munit, sicut aqua munit castra quæ cingit. Vnde Iob 3. dicitur de amicis Iob. *Nemo ei loquebatur verbum:* Videbant enim dolorem esse vehementem. Quartus est, quod aqua eleuat nauem dum crescit. Gen. 7. *Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime a terra.* Sic tribulatio electos Dei exaltat & proficere facit: Econtrario dicitur de malis. Iob 17. *Cor eorum longe est à disciplina, propterea non exaltabuntur.* Quintus est, quod ad modum aquæ mundat. Vnde sponsæ regis cœlestis vestem de bysso præparat. De qua Apoc. 19. *Datum est ei cooperare se bysso candido & splendenti.* Apoc. 7. *Hi qui sunt amicti stolis albis*, qui sunt? & vnde venerunt? Et dixit illi, *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna.* Sextus

Effectus tribulationis secundum proprietates aquæ.

est, quod vinum temporalis gaudij temperat ne cordibus debilibus noceat. Vinum enim gaudij temporalis homines infatuat, si bibant illud purum, vt patet in Salomone, Eccl. 2. *Non prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur.* Septimus est, quod ignem libidinis extinguit: vt patet in monacho illo, qui de luxuria tentabatur, quem Abbas suus iussit ab aliis infestari, qui postea interrogatus super illa tentatione, respondit: Mihi viuere non licet, & fornicari libet. Item notandũ, quod tribulatio multiplicationem bonorum iuuat. Exod. 11. *Quanto magis opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur.* Item in bono sustentat. Eccl. 2. *Sustine sustentationes Dei.* Sustentationes sunt tribulationes. Gregor. in Moral. Ipso infirmitatis nostræ pondere deorsum quotidie ducimur, vt mira manu artificis per subuenientia flagella releuemur. Econtrario prosperitas malo sustentat. Greg. in Moral. Difficilius malum corrigitur quod prosperitate fulcitur. Idem: Qui à Deo auertitur, & prosperatur; tanto perditioni fit proximus, quanto zelo disciplinæ inuenitur alienus. Item tribulatio ad Deum trahit. Ber. sup. Cant. Trahimur cum tribulationibus, & tentationibus exercemur. Aug. cum molestiæ in huius vitæ fragilitate crebrescũt, æternam requiem nos desiderare compellunt. Mundus quippè iste periculosior est blandus quã molestus, & magis cauendus est cùm se illicit diligi, quam cum admonet cogitque contemni. Tribulatio viam electorum asperam efficit, ne eos magis diu pergere, quàm cito peruenire delectet, secundum verbum. Greg. Tribulatio porta est regni cœlorum. *Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.* Luc. vlt. *Oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam.* Actor. 14. *Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum.* Et vt vno verbo dicamus, adeo vtiles sunt tribulationes, quod hi qui eas sustinent, beati à Domino reputantur. Luc. 6. *Beati qui nunc fletis, quoniam ridebitis.* Matt. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, &c.* Iob 5. *Beatus qui corripitur à Domino.* Iac. 1. *Beatus vir qui suffert tentationem.* Eiusdem 3. *Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt*, 1. Pet. 3. *Si quid patimini propter iustitiam, beati.* Eiusd. 4. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis*: ideo tribulatio cum gaudio est suscipienda. Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, &c.* Iac. 1. *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis.* 1. Pet. 4. *Communicantes Christi passionibus, gaudete vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes.* Matth. 5. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis.* Simile Luc. 6.

Capvt IV.

De diuisione Patientiæ in patientiam diuinæ correctionis, humanæ persecutionis, & dæmoniacæ impugnationis.

Consequenter ponendæ sunt diuisiones pertinentes ad patientiam. Notandum ergo quod ad patientiam pertinet patienter ferre Dei correctionem, hominum persecutionem, dæmonum impugnationem. Scriptura vero sacra multum beatificat patienter sustinentes prædicta. Sustinentes Dei correptionem beatificantur. Iob 5. *Beatus vir qui corripitur à Domino.* Correptio Dei procedit ex magno amore. Esa. 11. *Egreditur virga de radice Iesse.* Iesse interpretatur incendium. Respuere Dei correptionem, periculosum est valde. Ecclesiast. 21. *Qui odit correptionem minuetur vita.* Eiusdem 21. *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris.* Dei correptio est ægritudo corporis, quæ cum gaudio recipienda est, quia vtilissima. Multum enim debilitat hostem familiarem, corpus scilicet, & subdit spiritui. *Cum infirmior, tunc potens sum.* 2. Corinth 12. Et Correctio Dei beatificat.

in infirmitate experitur homo virtutem animi. Seneca: Non in mari tantum aut prælio vir fortis apparet: sed exhibetur etiam & in lectulo virtus. In vitis patrum, cum quidem peteret à Ioanne eremita vt sanaret eum à tertiana, respondit: Rem tibi necessariam cupis abijcere, vt enim corpora nitro, ita anima languoribus & castigationibus purificatur. Et quidam senex infirmanti discipulo dixit: Ne contristeris ex infirmitate vel plaga corporis: Si enim ferrum es, æruginem amittis: Si vero aurum es, per ignem probatus, à magnis ad maiora proueheris. Et cum quidam miles rogaret quendam virum sanctum vt à morbo liberaret eum cum precibus suis: vir sanctus audito ab eo, quod melior esset in ægritudine, & deuotior quàm in sanitate, dixit: Oro Dominum vt seruet te in statu in quo melior es. Dicebat quidam quod cum Deus dat infirmitatem alicui, si pro ea seruiret ei centum annis, non esset nimis. Prouerb. 20. *Liuor vulneris absterget mala.* Ecclesf. 11. *Malitia vnius horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ.* Idem etiam dicebat, quod diues est Christianus, qui non habet nisi vnā solam febrem quatuor accessionum, vel etiam solam ephimeram, dum solum sciat & velit de illa cum Deo negotiari. Ægritudo corporis citatio est de pace facienda cum Deo, si fuerit ad mortem peremptoria, si non fuerit dilatoria. Pax vero ad quam est citatio, valde honorabilis est peccatori: omnes enim offensæ ei à Deo remittuntur, & insuper pax eius regno cælorum quasi emitur. Gaudere debet qui infirmatur de hoc quod vilis domuncula eius incipit destrui, cum spem habeat domum regiam se habere in cœlis. 2. ad Corinth. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationes dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habeamus domum non manu factam, sed æternam in cœlis.* Et notandum quod super illud Matth. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua,* Ostendit Gloss. Bedæ, quod quinque modis infirmitates contingunt. Primo, vt merita iustis per patientiam augeantur, vt Iob. 2. Secundo, ad custodiam virtutum, vt in Paulo 2. Corinth. 12. Tertio, ad corrigenda peccata, vt lepra Mariæ. Num. 12. Quarto, ad gloriam Dei, vt cœco nato. Ioan. 9. & Lazaro. Eiusdem 11. Quinto, ad initium pœnæ, vt Herodi. Act. 12. *Patientes persecutiones beatificantur,* Matth. 5. *Beati, inquit, qui persecutionem patiuntur, &c.* Persecutor præparat tibi coronam æternam. Noli odire vel repercutere fabricatorem coronæ tuæ. In Psalm. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.* Fabricauerunt, inquam, coronam. Sustinentes dæmonum impugnationes, beatificantur. Iacob. 1. *Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, &c.*

Exemplum.

Cur infirmitatibus premantur.

Psal. 12

Capvt V.

De tentationibus dæmonum. Et primo, quod dæmones tentent homines: de vtilitate tentationum, de modo tentandi quem habet tentator, & de modo repugnandi quem debet habere qui tentatur.

Circa tentationes. Primo ostendemus quod dæmones impugnent homines. Cum enim ipsi sint inuisibiles, & pugna eorum inuisibilis est, nec agnoscitur, nisi oculis cordis; Ignorantia vero eius periculosa est homini. Non enim repugnat qui se impugnari ignorat. Grande periculum est habere iuxta se hostē suum, si homo hoc nesciat. Hieron. Tunc maxime impugnaris, cum te impugnari nescis. Secundo ostendemus vtilitates tentationum, vt magis patienter sufferantur. Tertio, tangemus de modo impugnandi quem habet tentator. Quarto, de modo repugnandi, quem debet habere qui tentatur. Circa primum notandum quod impugnatio quam diabolus facit homini, primo

certi-

certificari potest. 3. Gen. vbi serpens mulierem decepit, & Deus ibidem ostendit impugnationem istam esse duraturam, dicens ad serpentem; *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum & semen illius.* Secundo, ex libro Iob 1. & 2. cap. vbi Sathan petijt à Domino vt permitteret eum impugnare. Iob. Et eiusdem legitur: *Militia est vita hominis super terram:* & alia translatio habet, tentatio est vita, *&c.* Item Matth. 4. & Luc. 4. vbi diabolus Dominum tentauit. Et secũdum August. assumpsit diabolus formam humanam quod permisit Dominus, vt tentatio nobis certior fieret. 1. Corinth. 7. *Reuertimini ad idipsum, ne tentet vos sathanas.* Matth. 7. *Vigilate, ne intretis in tentationem.* Ad Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, &c.* Actor. 5. *Cur tentauit sathanas cor vestrum?* Et de beato Martino legitur, quod multoties diabolus ei apparuerit in forma humana. Similiter de Beato Antonio, cui apparuit in forma pueri nigri, & in forma etiam animalium diuersorum generum. Simile legitur de multis aliis sanctis. Aug. in serm. Præmonitos vos esse volo, neminem super terram, absque tentatione victurum, vt cui forte tollitur aliqua, aliam securus expectet.

De vtilitate Tentationum.

Circa secundum notandum, quod tentatio ad multa vtilis est. Primo, erudit. Eccles. 34. *Qui non est tentatus, quid scit?* Iterum: *Qui non est tentatus, qualia scit?* Et iterum: *Qui non est tentatus, pauca recognoscit.* Iud. 3. *Hæ sunt gentes quas reliquit Dominus, vt his erudiret Israelem.* Secundo, humiliat. Gregor. Dum vitia nos tentant, proficientes in nobis virtutes humiliamur. Idem: Iebusæum Israël tolerat, vt humana mens de se humilia sentiat, dum minima non superat. Tertio, negligentiam repellit. Gloss. super illud. Proba me Deus, & tenta me. Ideo dicit tenta: quia nisi tentaret, negligentes essemus. Quarto, virtuti addit. Seneca: Multum adijcit sibi virtus lacessita. In vitis Patrum dixit quidam abbas: Cruda regula si mittatur in flumen, statim dissoluitur, cocta non Ita est homo habens sapientiam carnalem, qui non est tentationum igne decoctus. Quinto, seruat. Gregorius: Nisi Psalmista per tribulationes se melius seruari nosset, non diceret: *Proba me Domine, & tenta me.* Psal. 45 Idem in Moral. Cum per tentationem humilitas proficit, prospera est ipsa aduersitas quæ mentem ab electione custodit. Idem: Cur tentamur vitiis, diuina dispensatione nobiscum agitur, ne virtutibus quibus proficimus extollamur. 2. ad Corinth. 12. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, &c.* Greg. in Mor. Tunc interius benè custodimur, cum per dispensationem Dei tolerabiliter tentamur exteriùs, aliquando vitiis, aliquando pressuris. Nec tentatio exterior culpas perficit, quia interior intentio sursum trahit: Nec sursum interior intentio in superbiam eleuat, quia tentatio exterior humiliat. Sic magno ordine cognoscimus in interiore profectu quid accepimus, in exteriore defectu quod sumus. Sexto, virtuté hominis notificat. Deuter. 13. *Tentat vos Deus vester vt palam sciat vtrum diligatis eum, an non.* Septimo, Deum glorificat. Psam. *Eruam te, & glorificabis me.* Octauo, populum ædificat. Tob. 3. hanc tentationem ideò permisit euenire illi, vt posteris daretur exemplum patientiæ illius. Nono, ei qui tentatur, in præsenti honorem acquirit. Vnde legitur de beato Antonio quod cùm quadam nocte à dæmonibus esset laceratus, subito radius quidam lucis & dæmones & tenebras effugauit, statimque sanatus Christum præsentem intelligens, dixit: Vbi eras, Iesu bone, vbi eras? quare principio non affuisti, vt curares vulnera mea? Et vos ad eum ait: Antoni, hic eram: sed expectabam videre certamen tuum: Nunc autem quia viriliter dimicasti, in toto orbe te faciam

nominari. Decimo, in futuro coronat. 2. ad Timoth *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Et Iacobi 1. dicitur de sufferente tentationem, quod cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, Tob 3. *Hoc autem pro certo habet omnis qui colit te: quia vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur.*

De modo impugnandi, quem habet tentator.

Modi tentandi dæmonis prope infiniti. SEquitur de modo impugnandi, quem habet tentator. Notandum ergo quod modi impugnandi, quos habet, quasi infiniti sunt. Vnde Paulinus Episcopus Augustino: Hostis noster, cui mille nocendi artes, tam variis expugnandus est telis quã impugnat incidiis: tamen nos, causa breuitatis, de paucis dicemus. Bernardus quatuor species impugnationis eius distinguit loquens de illo verbo Psalm. *Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno, &c.* (Ps. 90.) His verbis significatæ sunt quatuor tentationes, quibus vndique circundati necesse habemus scuto Domini circundari ante & retro, à dexstris & à sinistris. Timor afflictionis nocturus est & planè tenebrosus, quia abscondit ab oculis quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Sed facilè hunc radius veritatis exulat. Ingerit enim oculis cordis peccata quæ fecimus, nunc æterna supplicia, nunc æterna præmia, nunc ea quæ pro nobis pertulit Christus. Ergo ad lucem tam multiplicis veritatis nox recessit. Sed time sagitam quæ in die leuiter volat, sed non leue vulnus infligit. Hæc sagitta, vana est gloria, quam oportet cauere feruentiores, ne deserant scutum veritatis. Quid enim tam contrarium vanitati? Deinde subdit: Primo à sinistris pulsat diabolus pusillanimitate. Deinde à dextris humanis laudibus. Si sic non proficit, dicit: Viribus deijcere nequeo, sed fortè decipere possum alicuius ingenio proditoris. Negotium perambulans in tenebris est ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctatis. Contempsit, ait, vanam gloriam, quoniam vana est: fortè solidius aliquid affectaret, fortè honores, fortè diuitias. Quid si veritas inuestigat hunc proditorem, & negotium arguit tenebrarum: Non restat callido inimico contra eos quos videt omnibus modis diligere iustitiam & odisse iniquitatem, nisi vbi iniquitatem palliet virtutum imagine. Quos enim perfectos boni nouit amatores, malum eis sub specie boni non mediocris, sed perfecti suadere conatur, vt facilè qui currit incurrat. 2. ad Corinth. 11. *Ipse sathanas transfigurat se in angelum lucis.* Sol autem est veritas quæ palliatam detegat falsitatem? iuxta verbum Bernardi: Item Gregor. Quatuor, inquit, has tentationes in generali statu Ecclesiæ haud difficile diligens considerator inueniet. Timor nocturnus nouellam adhuc exercebat Ecclesiam, quando omnis qui occidebat seruos Dei arbitrabatur obsequium se præstare Deo. Deinde persecutione cessante, & die reddita, turbauit eam grauiùs & afflixit sagitta volans: quoniam exierunt aliqui de Ecclesia inflati spiritu, carnis suæ inanis & volatilis gloriæ cupidi, & volentes sibi facere nomen, linguas suas magnificando, diuersa, & peruersa dogmata prædicauerunt. Et quidem nunc pax à paganis, pax ab hæreticis: sed non pax à filiis falsis. Omnes Christiani ferè quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. Ipsa quoque Ecclesiasticæ dignitatis officia, in turpem quæstum & tenebrarum negotia transiere: nec in his animarum salus, sed luxus quæritur diuitiarum. Superest vt iam reueletur homo peccati, filius perditionis Antichristus, dæmonium non modo diurnum, sed etiam meridianum, quod

non solùm transfigurat se in angelum lucis, sed extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Nimirum insidiatur acrius calcaneo matris Ecclesiæ, à qua caput suum docet esse contritum. Sed ab hoc quoque incursu Ecclesiam electorum veritas liberabit, propter eos breuians dies, & dæmonium meridianum destruens illustratione aduentus sui. Item notandum quod secundum Gregor. in Moral. quatuor modis peccatum perpetratur in corde, quatuor consummatur in opere. In corde namque suggestione, delectatione, consensu, & defensionis audacia perpetratur. Fit enim suggestio per aduersarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem. Vnde & illam primi hominis rectitudinem antiquus hostis his quatuor ictibus fregit. Nam serpens suasit, Eua delectata est, Adam consensit, qui etiam requisitus confiteri culpam per audaciam noluit. Quatuor etiam modis peccatum consummatur in opere. Priùs namque latens culpa agitur, postmodum verò ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur, abhinc in consuetudinem ducitur, ad extremum quisque vel falsæ spei seductionibus vel obstinatione miseræ desperationis enutritur. Notandum quod diabolus tanquam præsumptuosus libenter suadet id quod temeritatis est & præsumptionis. Vnde mulierem incitauit ad hoc vt iudicaret de facto superioris, & de intentione præcipientis dicens: *Cur præcepit vobis Dominus, &c.* Genes. 3. Quorum vtrumque temerarium est. Item impugnationibus suis multum mendacio vtitur. Vnde mulieri post eius responsionem mentitus est, dicens: *Nequaquam moriemini.* Et Matt. 4. *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Iob 8. *Ipse mendax est & pater eius.* Quum ipse vult aliquem deijcere in peccatum, ipse promittit ei quod cito resurget. Esa. 51. *Dixerunt animæ tuæ: Incurnare, vt transeamus.* Bernard. Nolite acquiescere dicenti: Incuruare vt transeamus: non est enim transiturus, sed te grauiter oppressurus. His vero qui sunt in peccato longam vitam repromittit, quæ repromissio nequissima multos perdidit. Eccles. 19. Et notandum quod diabolus quinque modis decipit hominem qui est in statu pœnitentiæ, suadendo ei vt onus illud abijciat. Primo mentiendo exonerationem quod non est exoneratio, sed leuis in oneris grauissimum commutatio: vt festucæ in trabem vel montem. Vnde qui tentatur debet dicere sic tentanti: Si onus deposuero, nunquid sine onere ero? Cui quæstioni si plenè respondere voluerit tentator, dicit: Immo ponetur super te mons: scilicet infernalis pœna, quæ pœna grauior est monte. Apoc. 6. *Dicent montibus, cadite super nos, &c.* Bonum est ergo leue onus pœnitentiæ ferre, vt tantum onus possit vitari. Apocal. 2. *Non mittam super vos aliud pondus, tamen id quod habetis tenete.* Secundum decipit, ea quæ diuisim portanda sunt simul ostendendo, dicens: Quomodo posses hoc portare tot annis? Cui dicendum est: Hodie cum adiutorio Dei portabo hoc, & cras tandem cum adiutorio Dei portabo leuius propter assuetudinem. Sic vbi fallit compositio, soluit diuisio. Matth. 6. *Sufficit diei malitia sua.* Tertio decipit, virtutem hominis à Dei virtute diuidendo, dicens: Tu debilis es, nullo modo potes hoc portare. Cui dicendum est: si intelligis mea virtute sola, verum dicis, quia dicitur Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Si vero intelligis quod non possim Dei virtute adiutus, mentiris, ad Philip. 1. *Confidimus in Domino Iesu, quoniam qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet.* Eiusd. 4. *Omnia possum in eo qui me confortat.* Quarto decipit, spoliationem mentiendo exonerationem. Sicut latro quandoque simplicem scholarem exonerat à cappa sua. Aurum vel lapides pretiosos debes reputare pœnitentiam, quam tibi vult diabolus auferre. Vnde debes cauere eum

[Margin: Quatuor modis peccatum perpetratur in corde.]

[Margin: Dæmō quinq; modis decipit pœnitentem.]

tāquam ſpoliatorem rei pretioſiſſimæ. Apoc. 3. *Suadeo tibi emere aurum, &c.* Aurum emere, eſt fructū pœnitentiæ præparare. Quinto, quærendo pondus diminuere, ad quod gaudium cæleſte tibi tradendum eſt. 2. ad Corinth. 4. *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ: ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Item diabolus ſupra pectus ſuum graditur ſicut ſerpens, qui ſolebat erectus incedere, nunc ſupra pectus graditur. A Deo enim auerſus eſt diabolus, qui ad Deum conuerti debuit, & in eis proficit qui à Deo auertuntur, qui ſcilicet oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram. Daniel 12. dicitur de iniquis iudicibus: *Declinauerunt oculos ſuos, ne videant cœlum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum.* Item diabolus terram comedit: vt dicitur de ſerpente. Geneſ. 3. Amatores enim terrenorum deuorat. Eſa. 65. *Serpenti puluis panis eius.* Iob. 18. *Abſcondita eſt in terra pedica eius.* Eſa. 24. *Laqueus ſuper te qui habitator es terræ.* Econtrario dicitur. Prouerb. 1. *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. Idem calcaneo inſidiatur.* Geneſ. 3. Calcaneus eſt pars extrema & infima in corpore. Eſt etiam à poſteriori, vnde rarò ab oculis videtur. Et quia retro eſt, & quia ab oculis longè eſt diabolus, calcaneo, id eſt, extremæ parti Eccleſiæ maximè inſidiabitur: in fine enim mundi, ſcilicet tempore Antichriſti, maxima erit tribulatio ipſius. Vnde tunc implebitur illud Iob. 40. *Stringet caudam ſuam quaſi cedrum*, quod dicitur de Behemoth, cùm cauda ſtringitur, eleuatur. Cauda ergo Behemoth ſtringetur, cum in fine mundi Antichriſtus eleuabitur. Calcaneo etiam diabolus inſidiatur: quia in fine vniuſcuiuſque maxime conatur hominem vincere: ſciens quia ſi tunc hominem non vicerit, nunquam poſteà ab eo vincetur. Gregorius: Sciendum quod plerumque eis quos ceperit, tunc grauiores culpas ingerit, cum præſentis vitæ termino illos propinquare cognoſcit. Fini etiam actionis inſidiatur diabolus. Gregor. Diabolus aliquando nec intentionem vitiat, nec in itinere ſupplantat: ſed opus bonum in fine actionis illaqueat: Item diabolus calcaneo. id eſt, infimæ parti inſidiatur, carni ſcilicet. Iob. 40. *Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus eius in vmbilico ventris eius.* Et in eodem *Fœnum quaſi bos comedet.* Fœnum vocat homines carnales: *Omnis enim caro fœnum.* Eſa. 40. Habac. 1. *Incraſſata eſt pars eius.* Diabolus partis ſenſuum inſidiatur. 1. Iudic. 9. Appropinquans Abimelech oſtio, ignem ſupponere nitebatur. Item diabolus ex illa parte ex qua homo ſibi minus cauet impugnat: & ſic calcaneo inſidiatur. Ipſe circuit, ſi forte inueniat quem deuorare poſſit. Iob. 1. *Circuiui terram, & perambulaui eam.* 1. Petr. 5. *Tanquam leo rugiens circuiuit. &c.* Diabolus otioſos & ſecuros percutit. Ezechiel. 38. *Aſcendam ad terram ſine muro, veniam ad quieſcentes habitanteſque ſecure.* Iob. 40. dicitur de Behemoth: *Circundabunt eum ſalices torrentis.* Salices torrentis ſunt homines infructuoſi in aquis deliciarum plantati, qui circa diabolum ſunt, & diabolus quaſi ſpatiatur cum eis. Iud. 18. *Nullus erit labor, intrabimus ad ſecuros.* Item diabolus ſemina bonorum rapit, ſciens illud Bernardi: Modica ſementis detractio, non modicum eſt meſſis detrimentum. Matt. 13. *Quædam ceciderunt ſecus viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt illa.* Ipſe in negligentibus zizania ſeminat. Matt. 13. *Quum dormirent homines, venit inimicus, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici.* In vitis Patrum dicebat quidam ſenex, quod tres ſunt virtutes ſathanæ, quæ præcedunt vniuerſa peccata. Prima obliuionis, ſecunda negligentiæ, tertia concupiſcentiæ. Prima generat ſecundam, ſecunda tertiam, & ſic corruit homo. Item diabolus vnanimes diſpergit, & ſic vincit. Matth. 12. *Qui non colligit mecum, diſpergit.* Item tortuoſe incedit, & ideo

valde difficile est præcognoscere quò tendit. Prou. 30. *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro.* Et vnum illorum trium est via colubri super petram. Gloss. Viam colubri vocat venenati hostis astutiam, quæ insidiari non desinit quos in petra fundatos esse conspicit. Item diabolus quod delectabile est præponit, quod molestum supponit: primo quasi vngit, & postea pungit. Ecclesiasticor. 9. *Sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo, sic homines capiuntur tempore malo*, scilicet tempore tentationis. Pisces capiuntur esca hamo superposita. Item circa impugnationem diaboli attendenda est impugnationum varietas, impugnandi continuitas, impugnationis vniuersitas. Diabolus variis impugnationibus impugnat, vt quem non superat vna, superet alia: vt patet Matth. 4. in tentationibus Domini. Continue etiam impugnat, vt quasi tædio victus homo succumbat. Gregorius: Diabolus assidua tentatione nos tentat, vt saltem tædio vincat, Daniel. 3. *Non cessabant ministri regis succendere fornacem.* Vniuersalis etiam est eius impugnatio. Impugnat enim & diuites & pauperes, & iuuenes, & senes: vnde dicitur vti sagena, quæ est rete totam aquam occupans. Habac. 1. *Totum in hamo subleuauit, & traxit illud in sagena sua.* Item in eodem: *Expandit sagenam suam, & semper interficere gentes non cessat.* Et licet omnes impugnet, magis tamen eos qui ad Deum conuertuntur. August. in sermonibus. Quotidianis discimus experimentis eos qui conuerti deliberant, tentari acriùs à concupiscentia carnis, & vrgeri grauius in operibus luti & lateris, qui Ægyptum egredi, Pharaonem effugere moliuntur. Ideo accedenti ad seruitutem Dei dicitur, Eccles. 2. *Præpara animam tuam ad tentationem.* Iob 19. *Obsederunt in gyro tabernaculum meum.* In
Ps. 117. Psalm. *Circundederunt me sicut apes.* Eccl. 9. *Extruxit munitiones per gyrum.* Greg. de diabolo: illos pulsare negligit, quos iure quieto possidere se sentit. Hieron. Appropinquante salute, appropinquat & tentatio. Gregor. in Moral. Lucem rectitudinis vmbra sequitur tentationis. Idem in eodem. Post lucem æstus sequitur, quia post illuminationem diuini numinis, tentationis certamen augetur. In Psal. *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me?* Psal. 3.
Sicut aliquis dum est captus in carcere vnicum habet custodem vel duos; si vero euaserit, omnes eum insequuntur: sic dum quis captus est à diabolo, non tantum eum dæmones persequuntur quàm quum euasit. Vnde quidam eremita vidit vnum solum diabolum sedentem in porta ciuitatis, & vidit abbatiam in qua vnicuique monacho assistebat diabolus. Quum vero quæreret ab angelo ductore quare hoc esset. Respondit: quia in ciuitate illa omnes faciunt voluntatem diaboli, sufficit ibi vnus diabolus: sed quum in hac abbatia omnes sint boni, necesse vt vnicuique vnus assistat. Idem magis impugnat diabolus eos qui præsunt, quam cæteros. 1. Reg. 31. *Totum pondus prælij versum est in Saul.* Item impugnat etiam hominem secundum complexionem: vel mores, vel statum ipsius. Vnde in Psal. *Iuxta iter scandalum posuerunt mihi.* Diabolus eos Ps. 139.
qui sunt in deserto paupertatis incitat ad iram vel impatientiam. Vnde tentatio eius talibus est ventus vrens. Deut. 8. dicitur de solitudine in qua fuerunt filij Israel, quod in ea erat serpens flatu adurens, & scorpio, & dipsas, & nullæ omnino aquæ, Ierem. 3. *Ventus vrens in viis quæ sunt in deserto.* Exod. 10. *Ventus vrens leuauit locustas.* Et subditur: *Et nihil omninò virens relictum est in terra.* Locustæ sunt motus superbiæ, qui postquam in homine religioso inualuerint, nihil viride in eo remanet. Ezech. 17. *Nonne quum tetigerit eam ventus vrens siccabitur?* Ionæ 4. *Præcepit Dominus vento calido & vrenti, & percussit sol super caput Ionæ, & æstuabat.* His vero qui sunt in prosperitate, suadet diabolus pigritiam. Et talibus est tenta-

Exemplum.

tio diaboli, vt ventus aquilo. Eccles. 43. *Frigidus ventus aquilo flauit, & gelauit cryſtallus ab aqua.* Quandoque vero diabolus, Deo permittente, hoc ad probationem & profectum amicorum ſuorum ſuſcitat, quaſi ventum vehementem, vt videatur omnia concutere. Iob. 1. Ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus. Et Ionæ 1. *Miſit Dominus ventum magnum in mare, & facta eſt tempeſtas magna.* Et Matth. 8. *Motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.* Item diabolus quandoque impugnat aggerem comportando, vt quum bonorum pauperum procurat ditationem, vt ſic mali efficiantur. Habac. 1. *Ipſe ſuper omnem munitionem ridebit, comportabit aggerem, & capiet eam.* Ipſe de potentibus triumphat adiutus potentia eorum contra ipſos dum ea abutuntur, contra animas ſuas ea vtentes. Habac. 1. *Ipſe de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt.* Tyranni ſunt ſimiæ diaboli, dum in ſubditos ſibi deſæuiunt, ſicut & diabolus ſeruientes ſibi torquebit. Item diabus immiſericorditer impugnat, vt patet in Iob cui abſtulit ſua & ſuos, afflixitque ipſum in propria perſona. Et ſi in aliquo videtur parcere, in eo intendit impugnare; vt patet in vxore Iob quam ei reliquit, per quam poſtea eum impugnauit. Vnde dixit illi vxor ſua, quum ipſe amiſiſſet & ſua & ſuos, & percuſſus eſſet vlcere peſſimo: *Adhuc, tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Deo & morere.* Iob 2. Irriſio eſt, id eſt, ſi perſeueraueris in benedictione tua, morieris. Eccleſ. 7. *Iuſtus perit in iuſtitia ſua.* Malach. 3. Vanus eſt qui ſeruit Deo. Greg. Duobus modis diabolus impugnat homines tribulatione vt frangat, perſuaſione vt molliat. Victus ergo de tribulatione recurrit ad artem qua Adam vicit. Prou. 7. *Multos vulneratos deiecit.* Dicitur de muliere. Item diabolus illos quos videt feruentes ad bonum, incitat ad hoc quod excedant vt de alto poſſit eos præcipitare, quod valde periculoſum eſt. Bernardus ſuper Cantic. Non habet callidus hoſtis machinamentum efficacius ad tollendum de corde dilectionem, quam ſi efficere poſſit vt in ea incaute & non cum ratione ambuletur. Epheſ. 5. *Videte, fratres, quomodo caute ambuletis.* 1. Pet. 4. *Nolite peregrinari in feruore qui ad tentationem vobis fit.*

De modo repugnandi diabolo.

SEquitur de modo repugnandi diabolo. Et notandum quod modus cõuenientiſſimus repugnandi ſerpenti infernali, eſt contritio capitis eius. Quem modum docet Dominus Gen. 3. loquens ad ſerpentem de muliere, quæ figuram tenet Eccleſiæ. Ipſa conteret caput tuum. Serpens caput præ cæteris membris cuſtodit. Et non eſt caput nequius ſuper caput colubri. Eccl. 25. Ideo conari debet homo ad eius contritionem. Caput vero eius poteſt intelligi ſuperbia, vel principium tentationis vel peccatum cordis antequam extra exierit. Contritio capitis, ſcilicet ſuperbiæ multum valet ad repugnandum ei. Et hanc facit humilitas, quæ multum valet ad triumphandum de diabolo. Humilitas enim ad modum aſtuti luctatoris, dũ videtur ſe deiicere, hoſtem facit corruere. Ipſa eſt quæ euadit laqueos diaboli. Inde beatus Antonius retulit ſe vidiſſe omnes laqueos diaboli ſuper terram extentos. Et quum ſuſpirans dixiſſet: Quis hos poterit tranſire? audiuit vocem dicentem. Humilitas ſola, ô Antoni, pertranſit: Humilitas gloriam victoriæ totam Deo attribuit, & propter hoc totum pondus prælij eidem imponit. Cuius enim eſt victoriæ gloria, eiuſdem eſt pugna. Humiles Deus iuuat, ſicut contrario ſuperbis reſiſtit. Iacob. 3. & 1. Pet. 5. Ideo non eſt mirum ſi ipſi triumphent. Humilitas Deum quodammodo vincit. Gregor. in Moral. Quotidie tela tentationum eius accipimus: ſed & nos contra illum iacula mittimus, ſi confeſſi

tribulationibus humilia respondemus. Prou. 15. *Responsio mollis frangit iram.* Caput etiam serpentis est conterendum, quia in principio tentationis est resistendum. Ouidius: *Principiis obsta, sero medicina paratur: Cum mala per longas conualuere moras.* Gregor. in Moral. Si tentationi in corde nascenti festine non resistitur, hac eadem qua nutritur mora roboratur. In Psalm. *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram.* Diabolus quasi paruulus est in principio tentationis, vnde tunc facilius potest occidi. In morte primogenitorum liberati sunt filij Israel de seruitute Pharaonis Exod. 12. Primogenita Pharaonis infernalis sunt principia tentationum: quibus si viriliter resistatur, liberatur homo citò à diabolo. Item caput serpentis conterendum est: quia peccatum destruendum est, quum in corde est, antequam extra per locutionem vel operationem processerit. Si cogitatio mala cor intret, tam cito pugnandum est contra eam, & specialiter orando. Gregorius in homilia. Quanto grauiori tumultu cogitationum carnalium premimur: tanto orationi dabemus insistere ardentius. Non simus eradicatores cogitationum, sed luctatores contra eas: vt dixit quidam senex de antiquis patribus, vt legitur in Vitis patrum. In eodem: Dicit quidam Abbas. Si cogitationem non habes, spem non habes: quoniam si cogitationes habes, opera habes. In eodem: Interrogatus Abbas Pastor, de immundis cogitationibus: respondit. Nunquid gloriabitur securis sine eo qui incidit in ipsa. Tu ergo non eis porrigas manus, & otiosæ erunt. Idem cuidam Abbati: Sicut capsa plena vestibus si dimissa fuerit longo tempore, putrefiunt vestes in ea: ita sunt & cogitationes in cordibus nostris, si non fecerimus eas corporaliter tempore longo, exterminantur & putrefiunt. Idem ad Abbatem Iosep: Sicut si quis claudat serpentem vel scorpionem in vase & obturet illud, procedente tempore serpens moritur: ita malignæ cogitationes quæ studio dæmonum pullulant, patientia eius cui immittuntur paulatim deficiunt. In eodem: Quidam frater dixit Abbati suo: Quare non recedunt à me tentationes: & dixit ei senex: Quia vasa earundem passionum intra te sunt. Hæc vasa intelligi possunt ipsæ concupiscentiæ, secundum quas cogitationes in corde oriuntur: vbi enim amor, ibi oculus. Quidam frater interragauit senem quendam: Quid faciam quia multæ cogitationes solicitant me, & nescio quomodo repugnem eis? Qui respondit: non repugnes contra omnes, sed contra vnam quæ caput est aliarum. Contra immundas cogitationes valet confessio, quæ eas sanctis patribus manifestar. Vnde quidam seniorum cuidam impugnato à spiritu fornicationis, dixit: Fili, ne abscondas cogitationes tuas; ita enim confusus immundaus spiritus discedit à te. Nihil enim ita confundit & allidit virtutem dæmonum: quomodo si quis secreta immundarum cogitationum reuelauerit sanctis ac heatissimis patribus. Specialiter expedit ne cogitationes iracundiæ ad verba procedant. Vnde quidam frater requisiuit Abbatem Isaac, quare dæmones eum ita timerent? qui respondit: Ideo me timent dæmones, quia ex quo factus sum monachus statui apud me ne iracundia mea extra guttur meum procederet. Item notandum quod ad repugnandum diabolo multum valet sapientia, cum ipse astutia maxime impugnet. Vnde Dominus diabolum tentantem cum paucis verbis sacræ Scripturæ confusum repulit. Matth. & Luc. 4. Sapien. 5. *Melior est sapientia quàm vires.* Eiusd. 8. *Sapientiam non vincit malitia.* Eccl. 9. *Melior est sapientia quam arma bellica.* Es. 11. *Non occident, & non nocebunt in vniuerso monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini.* Error principium est tentationum difficilium: ideo multum necessaria est sapientia militi Christi, vt ab-

errore caueat. 1. Iaon. 4. *Nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus si ex Deo sint.* Ad repugnandum diabolo multum valet fides. Ephes. vltim. *In omnibus sumentes scutum fidei.* Et 1. Petr. 5. *Cui resistite fortes in fide.* Fides ostendit militibus Christi sanguinem eius, vt sic in prælia exacuantur & vincant. 1. Mach. 6. *Elephantis ostenderunt sanguinem vuæ & mori, ad acuendum eos in prælium.* Apocal. 12. *Ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni.* Fides etiam eis ostendit pœnam paratam si victi fuerint. Gregor. in Moral. Solerter inuigilandum est, vt cum culpa blandiri inchoat, ad quantum interitum mens trahatur agnoscat. Item ostendit eis coronam paratam si vicerint. Apocal. 2. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* In eodem: *Vincenti dabo manna absconditum.* Item ad triumphandum de diabolo multum valet fiducia de Deo. Exod. 14. *Dominus pugnabit pro vobis & vos tacebitis.* Numero. 14. *Dominus nobiscum est, nolite timere.* 2. Paralip. 20. *Non est vestra pugna, sed Dei.* In eodem: *Tantummodo confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos.* Esa. 41. *Ne timeas, quia ego tecum sum.* Et 14. simile Ierem. 20. *Dominus mecum est tamquam bellator fortis: idcirco qui persequuntur me, cadent & infirmi erunt.* Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Ad repugnandum etiam diabolo multum valet oratio. Matth. 24. *Vigilate & orate ne intretis in tentationem.* Ad idem etiam multum valet misericordia. 2. Petr. *Nouit Deus pios de tentatione eripere.* Et super illud Psal. *misericordia mea & refugium meum,* dicit Gloss. De nulla re ita vincitur inimicus diabolus, sicut de misericordia. Eccl. 29. dicitur de eleemosyna: Super scutum & super lanceam potentis pugnabit pro te aduersus inimicum tuum. Homines etiam incompatientes & indignantes peccatoribus permittit Deus corruere in peccatum. Item ad superandum diabolum, multum valet timor Domini, Eccl. 32. *In tentatione Deus timentem se seruabit, & liberabit à malis.* In Vitis patrum Abbas Amon dixit cuidam fratri interroganti ab eo aliquem sermonem: Vade, & fac talem cogitationem tuam, qualem faciunt iniqui qui sunt in carcere. Illi enim interrogant homines, vbi est iudex, & quando veniet, & in ipsa expectatione pœnarum suarum plorant. Sic & monachus debet animam suam obiurgare, dicens: Væ mihi, quomodo astare habeo ante tribunal Christi, & actuum meorum reddere rationem! Si sic semper meditatus fueris, poteris saluus esse. Timor Dei negligentiam expellit, quæ multos facit corruere. Ecclesi. 7. *Qui timet Deum, nihil negligit.* Timor Dei etiam solicitum hominem reddit, & quasi paratum ad prælium. 1. Machab. 12. præcepit Ionathas suis vigilare & esse in armis paratos ad pugnam. Item timor Dei offensam cauet: quod multum valet ad hoc quod Deus hominem iuuet, & sic de hoste triumphet. Deut. 23. *Quando egressus fueris aduersus hostes tuos ad pugnam, custodies te ab omni re mala.* 1. Cor. 9. *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Item timor occasiones peccādi cauet, vt est familiaritas eorum qui mala suggerunt, qui sunt quasi halitus diaboli. Iob 41 *Halitus eius prunas ardere facit.* Item occasio mali est aspectus rei delectabilis. Gen. 3. *Vidit mulier lignum quod esset bonum, & ad vescendum suaue,* &c. Amor etiam mundi occasio est, vt quis à diabolo superetur. Non est mirum si à diabolo capitur qui voluntarie pedes suos in rete eius mittit. Retia diaboli sunt temporalia ista. Iob 28. *Immisit in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat.* Sap. 14. *Creaturæ Dei factæ sunt in odium, & in tentationem animæ hominum, & muscipulam pedibus insipientium.* Item ad superandum diabolum multum valet constantia. Eph. 3. *Nolite locum dare diabolo.* Iac. 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Item ad hoc valet spiritualis lætitia. 1. Machab. 3. *Prælia bitur Israel prælium cum lætitia.* Anton. vnica

vnica ratio vincendi inimicum, est lætitia spiritualis. 1. Reg. 4. dicunt Philistiim figuram tenentes dæmonum. *Væ nobis, non enim fuit tanta exultatio heri & nudiustertius.* Et notandum quod quandoque diabolus nos impugnat molestiis, quandoque deliciis. Cum impugnat molestiis non est fugiendum. Bonæ enim sunt & vtiles, & fugientes magis grauant. Iosue 7. *Mi Domine Deus, quid dicam videns Israelem hostibus suis terga vertentem?* Sen. Quemadmodum perniciosior est hostis fugientibus: sic omne fortuitum incommodum magis instat cedenti & auerso. Salustius: Fugientes sæpius videas capi aut occidi. Fortissimum quemque tutissimum. Bern. in epistolis: Sola causa qua perdere possis victoriam, fuga est. Fugiendo poterit illam amittere, moriendo non potes: & beatus si pugnando moriaris, quia mortuus, mox coronaberis. Væ autem tibi si declinando pugnam perdis, & victoriam simul & coronam. Idem in epistolis: O vere tuta pro Christo & cum Christo pugna, in qua nec vulneratus, nec prostratus, nec conculcatus, nec millies si fieri possit occisus, fraudaberis à victoria, tantum ne fugiat. Idem: Libentius insequitur aduersarius fugientum, quam sustineat repugnantem. Impugnatio vero quæ fit deliciis, vincitur fugiendo 1. Cor. 6. *Fugite fornicationem.* Impugnatio per molestias vincitur patiendo. Illa quæ fit per delicias, percutiendo virga disciplinæ. Prou. 23. *Si percusseris cum virga, non morietur.* Senec. in epistolis, Vir bonus quidquid ei acciderit, æquo animo sustinebit. Sciet enim hoc accidisse lege diuina ex qua vniuersa procedunt. Idem: Voluptates inter res vilissimas præcipue extirpa, quæ latronum more in hoc nos amplectuntur vt strangulent. Et notandum quod cum habeamus bellum contra astutiores & fortiores nobis, necessarium est nobis adiutorium: Et enumerantur octo adiutoria. Primum est, cælestis doctrina. In Psal. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium.* Prou. 24. *Vir doctus robustus & validus.* Sap. 8. *Per sapientiam in multitudine bonus videbor, & in bello fortis:* Secundum est diuina confortatio, quæ multum valet ad fortitudinem, & ad hoc quod aliquis vincat: sicut disconfortatio multum facit ad hoc quod aliquis vincatur. Daniel. 10. *Corroborare, & confortare.* Iosue 1. *Confortare, & esto robustus.* Tertium est, refrænatio hostium ne tantum nos impugnent quantum vellent; vt patet in Iob, quem sathan non poterat ad voluntatem suam impugnare, donec à Deo fuit ei hoc concessum, 1. Cor. 10. *Fidelis est Deus qui non permittet vos tentari supra id quod potestis.* Quartum est, mira Dei protectio, quæ promititur Esaiæ 53. *Quum transieris per aquam, tecum ero, & flumina non operient te.* Sic protecti sunt tres pueri in fornace Babylonica. Daniel. 3. Quintum est, mira hostium impugnatio. Exod. 14. *Fugiamus Israelem: Deus enim pugnat pro eis contra nos.* Sextum est, miræ virtutis collatio, vt Moysi. Exod. 34. & Eliæ 4. Reg. 19. data est virtus ieiunandi 40. diebus: sicut mira virtus corporalis data fuit Samsoni. Septimum est, armatura mirabilis quæ habenti nihil nocere possit. Qualis armatura est patientia quæ data fuit beato Vincentio & Laurentio. Octauum est, angelorum custodia, quam vocat Dominus sepem. Esa. 5. *Auferam sepem eius, & erit in direptionem.* Angeli sancti, dæmones compescunt. Tob. 8. Raphael religauit dæmonium in deserto, & 4. Reg. 6. dixit Eliseus ad ministrum suum: *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.*

CAPVT VI.

De aliis diuisionibus Patientiæ.

CONsequenter ponendæ sunt aliæ diuisiones pertinentes ad patientiam. Et sumitur diuisio prima secundum ea à

quibus patimur. Quædam enim patimur ab extraneis: quædam vero à notis, tamen inimicis. Quædam vero ab amicis, quæ molestius sustinemus. Psalm. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique.* Alia sumitur secundum ea quæ patimur, quæ sunt contumeliæ verborum, molestiæ corporum, & damna rerum. Contumeliæ verborum patienter tolerandæ sunt. Sunt enim velut aurum & argentum quibus ditamur. Heb. 11. *Maiores diuitias æstimans thesauro Ageyptiorum improperium Christi.* Ad contumelias debet homo se habere vt surdus. In Psalm.
Psal. 37. *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus, &c.* Debet etiam homo immobilis permanere. 2. Reg. *Sicut angelus Dei, sic est Dominus meus rex, vt nec benedictione vel maledictione moueatur.* Ille qui maledicit, reputandus est vt nuntius à Deo missus, vt scilicet abstergat maculas eius cui maledicit. Greg. Idcirco Dominus linguas detractorum in electos laxat, vt si quid in eis elationis surrepserit, lingua detractoris detrahat. Multum vilipendit Deus malos, quando de lingua eorum facit abstersorium sordium bonis. Prou. 1. Qui stultus est, seruiet sapienti. 2. Reg. 16. dixit Dauid cùm Semei ei malediceret: *Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum* Domini *si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna.* Et dicit gloss. Greg. Qui verborum contumeliis pressus virtutem patientiæ seruare non sufficit, factum Dauid ad memoriam reuocet: quem cum Semei conuitiis vrgeret, & armati proceres vlcisci contenderent, ait: *Quid mihi & vobis filij Seruiæ, &c. dimittite eum vt maledicat, &c.* Quibus verbis indicat quod pro peccato Bersabeæ insurgentem contra se filium fugiens, reduxit ad animum malum quod fecit: &. contumeliosa verba, non tam conuitia quam adiutoria esse credidit, quibus se purgari sibique misereri posse iudicatur. Tunc enim illata conuitia bene toleramus; quum in secreto mentis ad mala perpetrata recurrimus. Leue quippe videbitur quod iniuria percutimur, dum conspicimus quod peius meruimus: sicque fit vt contumeliis gratia magis quàm ira debeatur, quarum interuentu Deo iudice pœna grauior declinatur. Dicenti verba contumeliæ compati debemus quasi insano verba extranea loquenti. Senec. Dicis, male de te loquuntur: moueret si hoc iudicio facerent, nunc morbo faciunt. Hieron. Apud Christianos non est miser qui patitur contumeliam, sed qui facit: beatum debet se reputare cui mali maledicunt. Matth. 5. *Beati estis quum maledixerint vobis homines.* 1. Pet. 4. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis.* Exemplum huius patientiæ habemus in Christo Esa. 53. *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & sicut agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Matth. 27. *Quum accusaretur à principibus sacerdotum, nihil respondit.* De patientia ad molestiam corporum habetur. Matth. 5. *Si quis percusserit te in dexteram maxillam tuam, præbe ei & alteram.* De patientia ad damna rerum, habetur ibid. *Qui vult contendere tecum in iudicio, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* De hac patientia commendat quosdam Apostolus ad Heb. 10. *Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Alia diuisio sumitur secundum causas propter quas patimur. Quandoque enim quis patitur ex culpa sua. In quo casu magis patienter sustinet. Quandoque vero sine culpa sua: & tunc magis moleste sustinet, dicens: Si meruissem, non sustinerem moleste: nunc vero non est mirum si moleste sustineam, quum hoc non meruerim. Cui dicendum est quod ipse secundum hoc potius vult esse similis latronibus quàm Sanctis. Latrones enim propter culpam suam patiuntur ea quæ sustinent; sancti vero sine culpa. 1. Petr. 2. *Hæc est gratia si propter Dei con-*

ſcientiam ſuſtinet quis triſtitias patiens iniuſte. In eodem: *quæ eſt gratia ſi peccantes & colaphizati ſuffertis:* Sed ſi benefacientes patienter ſuffertis, hæc gratia eſt apud Deum. Eiuſdem 3. *Si quid patimini propter iuſtitiam beati.* In eodem: *Melius eſt benefacientes ſi velit voluntas Dei pati, quam malefacientes.* Eiuſdem 4. *Nemo veſtrum patiatur, quaſi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: ſi autem vt Chriſtianus, non erubeſcat.* Alia diuiſio patientiæ eſt talis. Eſt patientia culpæ, & eſt patientia naturæ & conſuetudinis longæ & gratiæ. Prima triplex eſt. Quædam eſt, remiſſionis: vt quum quis ſuſtinet non ſuſtinenda, vt ſcilicet ſe redigi in ſeruitutem diaboli. 2. ad Corinthios 11. *Suſtinetis ſi quis vos in ſeruitutem redigit.* Prouerb. 12. *Manus quæ remiſſa eſt, tributis ſeruiet:* Hæc patientia eſt quaſi aſinina. Aſinus non diſcernit quid ſibi imponatur vtrum aurum vel lutum. Alia eſt ſeruilis timoris: vt quum aliquis timore diſciplinæ, vel quia erubeſcit exire de clauſtro ſuſtinet aſperitatem religionis, & non amore Dei. Et talis patientia ſolet eſſe cum murmure propter defectum vnctionis gratiæ, ſicut rota murmurat ſi vncta non fuerit. Eccleſi. 33. *Præcordia fatui, quaſi rota curri.* Tertia eſt patientia hypocritarum, figurata in patientia latronis mali qui cum Domino paſſus eſt. Patientia vero naturæ eſt quam habet aliquis ex ſtrenuitate naturali, vt ſunt multi milites, qui licet non habeant charitatem, tamen prius ſuſtinerent mortem, quam fidem negarent patientia naturali. Patientia laboris inuenit Alexander exercitum ſuum, quum eum probaret, ducens illum ſub torrida zona per diætam ſine potu, vſque ad fluuium quendam. De patientia conſuetudinis longæ dixit, quidam: *Quod male fers, aſſueſce feres.* Tullius: Optima forma eligenda eſt viuendi, quam iucundam reddet aſſuetudo. Patientia vero gratiæ triplex eſt: Quædam eſt incipientium, quædam proficientium, & quædam perfectorum. Incipientium eſt ſuſtinere mala, quæ eis inferuntur patienter. Proficientium vero eſt ſuſtinere ea non ſolum patienter, ſed etiam libenter: Perfectorum verò non ſolum libenter, ſed etiam lætanter. Hos tres gradus patientiæ poſſumus agnoſcere in Paulo. Primus, habetur 2. Corinthiorum 4. *Tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur*, ſcilicet per impatientiam. Secundus eiuſdem 12. *Ego libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ego ipſe pro animabus veſtris.* Tertius, ad Galat. vltim. *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Et notandum quod qui habet perfectam patientiam, cum mala ei inferuntur, lætatur: inferenti compatitur, & beneficium largitur, & Deo regratiatur. De primo habes Actor. 5. *Ibant Apoſtoli gaudentes, &c.* 1. Petr. 3. *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete.* De ſecundo 2. Petr. 1. *In patientia pietatem.* Gregor. in homil. Patientia vera eſt quæ & ipſum amat quem portat. Nam tolerare & odiſſe non eſt virtus manſuetudinis, ſed velamen furoris. De tertio. Luc. 6. *Benedicite maledicentibus, &c.* 1. ad Corinthios quarto. *Maledicimur & benedicimus, blaſphemamur & obſecramus.* De quarto exemplum habemus in Tobia, cap. 2. quod immobilis in Dei timore permanſit, gratias agens Deo omnibus diebus vitæ ſuæ. Et beatus Laurentius: Gratias ago tibi Domine Ieſu, quia hoſtia tua effici merui. Qui ad ignem tribulationis Deo gratias agunt, ſimiles ſunt altilibus, quæ cum ad ignem aſſantur, pinguedine ſua ſe ſuperfundunt; Et ſicut pinguedo aſſata gratioris eſt ſaporis quam elixa: ſic gratiarum actio gratior eſt Deo, quando perſonat in his qui ſunt in tribulatione, quam ſi perſonat in his qui ſunt in proſperitate.

Patientia perfecta quæ.

Mala cũ inferuntur quare lætandum.

Capvt VII.

De Constantia.

Quid cõstantia. Cõstãtia duplex.

Constantia est stabilitas animi firma, & in proposito perseuerans. Et notandum quod est constantia generalis quę attenditur in perseuerantia propositi, quæ omnem virtutem circuit: & est constantia specialis, quæ attenditur circa res terribiles & ad sustinendum difficiles, quæ lædunt naturam. Et hæc constantia pertinet ad fortitudinem. Item notandum, quod constantia est seruare medium inter mutabilitatem seu leuitatem & pertinaciam, quoniam vtrumque reprehensibile est. 2. ad Corinth. 1. *Nunquid leuitate vsus sum?* Num. 19. legitur de filiis Israel, quod ad imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium eius figebant tabernaculum. Sic à proposito recedendum est, quum creditur Deo displicere, & in eo perseuerandum est quum creditur ei placere. Item notandum, quod sex videntur pertinere ad constantiam.

Sex pertinẽ ad constantiam.

1. Primum est, stabilitas intellectus quæ variatur secundum diuersas species cognitionum. Quædam enim stabilitas est in his quæ sunt fidei. Ad quam monemur 1. Corinth. vlt. *Vigilate, & state in fide.* Ad Ephes. 4. *Non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Tob. 2. *Vitam illam expectamus quam Deus daturus est his qui fidem suam nunquam mutant ab illo.*

2. Secundum est grauitas seu æquanimitas in vtraque fortuna. Tullius: Præclara est æqualitas in omni vita, idemque semper vultus, eademque frons, vt de Socrate accepimus. Econtrario, *cor stultorum dissimile erit.* Prou. 15.

3. Tertium est, stabilitas circa ea quæ desiderantur. Senec. in epistol. Ante omnia hæc, cura, vt constes tibi. Quoties experiri voles an aliquid actum sit, obserua an eadem velis quæ heri. Mutatio voluntatis indicat animum nutare atque alibi apparere prout tulit ventus. Non vagatur quod fixum atque fundatum est. Quidam adeo sunt inconstantes, vt constantia eorũ hæc esse dicatur, scilicet esse instabiles. Poëta: *Quod petiit, spernit: repetit quod nuper omisit,* Item: *Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.*

4. Quartum est, stabilitas loci, quæ multum facit ad stabilitatem animi. Bernardus ad fratres Dei: Impossibile est, hominem fideliter figere in vno animum suum, qui non prius alicui loco perseueranter affixerit corpus suum. Nam qui ægritudinem animi migrando de loco ad locum effugere nititur: est sic sicut qui fugit vmbram corporis sui, seipsum fugit, seipsum circumfert, locum mutat non animũ, eundem vbique se inuenit: nisi quod deteriorem ipsa facit mobilitas, sicut lædere solet ægrum qui circumferendo concutit. Sen. in epistolis: Animum debes mutare, non cœlum. Quid miraris, nihil tibi peregrinationes prodesse, cum te circũferas? Premit te eadem causa quæ expulit. Onus animi tui deponendum est. Non ante vllus tibi placebit locus. Vadis huc atque illuc, vt excutias insidens pondus, quod ipsa iactatione incõmodius fit, sicut in naui omnia immota minus, vrgẽt, inæqualiter con. uoluta citius eam partem in qua incubuerunt demergunt. Motu ipso noces tibi. Ægrum enim cõcutis. Ac cum istud exemeris malum, tunc omnis mutatio loci iucũda est. Magis quis venerit, quã quo interest. Idem: Primum argumentum compositæ mentis existimo, posse cõsistere, & secum morari: lapis quadratus stabilis est: sic homo bene ordinatus est stabilis. Et econtrario male ordinatus, instabilis. Poëta:

Romæ Tybur amo ventosus, Tybure Romam,
In culpa est animus qui se non effugit vnquam,
Cœlum non animum mutant qui trans mare currũt.

Seneca: Non conualescit planta quæ sæpe transfertur. Ad loci stabilitatem multum

monet Scriptura. Eccles. 10. *Si spiritus potestatem habentis super te ascenderit, locum tuum ne dimiseris.* Eccles. 11. *Confide in Deo, & mane in loco tuo. Facilè enim est in oculis Dei subito honestare pauperem.* Luc. 9. *In quamcumque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis.* Eiusdem 10. *Nolite transire de domo in domum.* 1. ad Corinth. 14. *Fratres, stabiles estote & immobiles.* 1. ad Thessal. 4. *Rogamus vos, fratres, vt operam detis, vt quieti sitis.* 2. ad Thess. 3. *Scitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos.* Instabilitatem reprehendit Paulus in quibusdam mulieribus. 1. ad Tim. 5. *Otiosæ,* inquit, *discunt circumire domos, &c.* Instabilitas quantum ad locum, Deo displicet: homini verò est damnosa & periculosa. Ierem. 14. *Dilexit moueri pedes suos, & non quieuit, & Domino non placuit.* Prouerb. 27. *Sicut auis transmigrans de nido suo: sic vir qui relinquit locum suum.* Sicut auis transmigrans de nido suo damnificatur in pullis suis, sic & homo locum suum relinquens in bonis suis. Dina egressa vt videret mulieres regionis illius, corrupta fuit. Genes. 32. Et Semei egrediens de Ierusalem fuit occisus. 3. Reg. 2.

5. Quintum est, firmitas contra ventos tentationum. De qua commendatur Ioan. Matth. 11. & Luc. 7. *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam.* In Psalm. *Non sic impij, non sic: sed tanquam puluis, &c.* Eccles. 5. Non ventiles te in omnem ventum. Psal. 1.

6. Sextum est, stabilitas in occupatione seu operatione. Senec. Meliùs est vt proposita custodias, quam vt honesta proponas. Item notandum, quod constantia seu stabilitas est valde admirabilis in statu præsentis vitæ, quæ ita instabilis est. Iob. 14. *Numquam in eodem statu permanet.* Difficile est folium arboris stabile esse, dum flatu venti percutitur. Greg. in Moralib. Humana anima quot tentationes patitur, quasi tot flatibus mouetur. Idem in eodem: Qui arbor fuit in conditione, folium à semetipso factus est in tentatione: sed post, stipula apparebit in deiectione. Stabilitas etiam quædam imago est æternitatis. Ipsa ponit hominem quasi in statu angelico. 2. Reg. 14. *Sic est Dominus meus rex sicut angelus Dei, vt nec benedictione nec maledictione moueatur.* Item notandum, quod sex videntur facere ad instabilitatem.

Sex ad instabilitatem mouet.

Primum est stultitia. Eccles. 27. *Stultus vt luna mutatur.* Senec. in epist. Quid est sapientia? Semper idem velle atque nolle. Non potest cuiquam semper idem placere, nisi rectum. Nesciunt homines quid velint, variatur quotidie iudicium, ac plerisque agitur vita per lusum. Idem: Quid colluctatur cum animo nostro, nec permittit nos quidquam velle? Nihil libere volumus, nihil semper. Stultitia est, cui nihil constat, nihil diu placet.

Secundum est peccatum. Genes. 4. dictum est Cain post homicidium: *Vagus & profugus eris super terram.* In eodem: *Ecce eijcis me hodie à facie tua, & ero vagus & profugus in terra.* Esa. 57. *Cor impij quasi mare feruens quod quiescere non potest.* Thren. 1. *Peccatum peccauit Ierusalem: propterea instabilis facta est.* Iob. 11. *Si iniquitatem quæ est in manu tua abstuleris à te, nunc leuare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis.* In Psalm. *Non dabis in æternum fluctuationem iusto.* Ps. 54.

Tertium est impatientia. Boët. in lib. Consolationum: Quis est ille tam felix, qui cum dederit impatientiæ manus, statum suum mutare non oportet?

Quartum, defectus timoris. Timor animum stabilem reddit, sicut lapides superpositi asseribus eos custodiunt ne à vento moueantur, vel sicut anchora nauem stare facit. Eccles. 25. *Timor Domini super omnia se superposuit.* Gregorius: Anchora mentis, pondus timoris.

Quintum est defectus dilectionis boni. Amor boni, animum stabilem reddit,

ficut radix profunda arborem. Eccl. 34. *Qui implantatus est, abundabit nequitia.* Senec. Non vagatur, quod fixum atque fundatum est.

Sextum est duplicitas animi. Iacob. 1. *Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis.* Vir duplex est animo, qui vult hic gaudere cum mũdo, & in futuro cum Dño. Hier. Deceptus es chariſſime, ſi & hic vis gaudere cum ſeculo, & poſtea regnare cum Christo. Et notandum quod homo instabilis, quaſi lunaticus eſt. Matt. 17. *Domine, miſerere filio meo, quia lunaticus eſt.* Et eſt ſimilis homini erranti, qui quandoque vadit huc, quandoque illuc. Cano. 1. Iudæ: *Sydera errantia quibus caligo tenebrarum reſeruata eſt in æternum*, ſecundum gl. Sydera errantia, ſunt apoſtatæ.

PARS VIII.

De Perſeuerantia.

Breuiter hic agetur de Perſeuerantia, quia aliqua de ea dicentur in tract. de Acedia capit. de vitio Imperſeuerantiæ, & recte poſt Conſtantiam. Eſt enim Perſeuerantia, permanentia, ſicut & conſtantia: vnde communicat cum conſtantia. Tamen in hoc differt: quia conſtantia eſt permanentia in propoſito: perſeuerantia vero permanentia in bono, ſiue continuatio boni. Conſtantia cauet leuem tranſitum à propoſito vno in aliud: perſeuerantia vero cauet diſcontinuationem vel imperfectionem ſeu defectum debiti finis. Et deſcribitur ſic perſeuerantia magiſtraliter: Perſeuerantia eſt permanentia in bono, diuturna vel finalis. Tull. vero in Rhet. ſic eam deſcribit: Perſeuerantia eſt in ratione bene conſiderata ſtabilis & perpetua permanſio. Et notandum, quod eſt perſeuerantia generalis & ſpecialis. Generalis attenditur in continuatione boni, & circuit omnem virtutem. Specialis verò attenditur circa terribilia & difficilia, ad ſuſtinendum quæ lædunt naturam, quæ pertinet ad fortitudinem, ad quam monemur. Hebr. 12. *In diſciplina vera*, inquit, *perſeuerate.* Item notandum, quod quædam eſt perſeuerantia finalis, quædam eſt non finalis. Non finalis eſt, quando aliquis longo tempore perſeuerat in bono, tamen poſtea cadit per mortale. Finalis vero perſeuerantia dupliciter dicitur. Vel finalis propoſito, vel finalis actu. Finalis vero propoſito, fit finalis actu, in his quæ permanent in bono. De perſeuerantiæ finali actu, dicit Aug. quod multi eam habere poſſunt, nullus amittere: incipit enim eſſe finalis actu in termino vitæ. Et notandum, quod perſeuerantia regulariter datur homini per bona merita. Vnde gloſſ. ſuper illud Pſal. *Retribuet mihi ſecundum iuſtitiam meam* dicit. Pro fide & ſpe, & aliis bonis operibus reddet Deus perſeuerantiam. Ideo autem dictum eſt regulariter: quia virtutes communiter primo dantur in aliqua quantitate, ſecundo per bona opera merentur augeri, tandem perfici: tamen alicui, vt Chriſto, datæ ſunt virtutes in ſtatu perfectionis, quæ neque augentur nec intenduntur.

[Differẽtia cõstãtiæ & perſeuerantiæ.] [Quid perſeuerantia.] [Perſeuerãtia duplex.] [Pſa. 22]

Ad commendationem perſeuerantiæ. Primo, valere poteſt frequens admonitio quam Scriptura facit ad perſeuerandum. Iudic. 18. *Nolite negligere, nolite ceſſare.* 1. Corinth. 7. *Vnuſquiſque ſicut vocauit Deus, ita ambulet.* In eodem: *Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat.* Eiuſdem 9. *Sic currite vt comprehendatis.* Galat. 5. *State, & nolite iugo iterum ſeruitutis contineri.* 1. Ioan. 2. *Vnctionem quam accepiſtis à Deo maneat in vobis.* Apoc. 2. *Id quod habetis, tenete donec veniam.* Secundo, promiſſio quæ fit perſeuerantibus. Apoc. 2. *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Rom. 11. *Vide in te bonitatem Dei ſi perſeueraueris in bonitate.* Matth. 10. & 24. *Qui perſeuerauerit vſque in finem ſaluus erit.* Bernardus in epiſt. Scias diabolum ſoli ſemper perſeuerantiæ inſidiari, quam ſolam virtutum nouit coronari. Idem in eod. Studete perſeuerantiæ, quæ ſola

[Perſeuerãtiæ cõmẽdatio.]

coronatur. Tertia comminatio quæ fit non perseuerantibus, scilicet ablatio coronæ. Apoc. 3. *Tene quod habes, & nemo accipiat coronam tuam.* Quarto, exempla Dei. Genes. 2. *Compleuit Deus die septimo opus suum quod fecerat.* Deut. 33. *Dei perfecta sunt opera.* Secundo, exemplũ Christi hominis. Ioan. 17. *Opus consummaui quod dedisti mihi & faciam.* Tertio, exempla Sanctorum. Iob. 27. *Iustificationem meam quam cœpi tenere, non deseram.* 2. Tim. 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui.* Act. 20. *Non facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodo consummem cursum meum.* Quinto commendabilis est perseuerãtia à suo effectu multiplici. Primus est, quod à Deo impetrat quod vult. Luc. 11. *Si perseuerauerit pulsans, & si non dabit ei, eo quod amicus eius sit: propter improbitatem tamen eius surget, & dabit ei quotquot habet necessarios.* Eiusdem 17. de iudice iniquó, qui licet Deum non timeret, nec homines reuereretur: tamen fecit quod vidua voluit propter eius improbitatem. Matt. 16. *Misereor turbæ, quia iam triduo perseuerat mecum.* Gregorius: Quæsiuit Maria Magdalena priùs, & minimè inuenit: perseuerauit vt quæreret, vnde contigit vt inueniret. Idem: Sic quippè quod popofcerat, obtinere Anna meruit, quia se post lachrymas in eodem mentis rigore seruauit. Tob. 3. *Sara in oratione persistens, & cum lacrymis Deum deprecans, exaudita est.* Et Apostoli perseuerantes in oratione, Spiritum sanctum acceperunt. Act. 1. *Hi omnes erant vnanimiter in oratione perseuerantes, &c.* Secundus est, quod perseuerantia bona acquisita custodit, sicut imperseuerantia destruit. Prou. 19. *Qui mollis est & dissoluitur frater est opera sua dissipantis.* August. Perseuerantia magnum donum Dei est, quo dona cætera conseruantur. Tertius est, quod difficilia & aspera, facilia & suauia facit. Bernard. in epist. Subito procedenti de vmbra ad solem, de ocio ad laborẽ, graue cernitur omne quod incipit: sed postquam ab his dissuescere, & ad illa se paulisper assuescere cœperit, vsus tollit difficultatem inuenitque facile esse quod impossibile ante putauit. Quartus est, quod nihil imperfectum relinquit. Senec. Non despero indurato: nihil est, quod non impugnet pertinax opera ei intenta ac diligens cura. Videmus debiles mulieres senilis ætatis, perseuerando peregrinationes longas perficere. Item videmus naturam continue operando, ex modica nuce additione imperceptibili magnam arborem efficere: & aquam quæ adeo mollis est, lapidem adeo durum perseueranti percussione excauare. Quintus est, quod perseuerantia virtutem operanti ministrat. Senec. Perseuerandum est, & assiduo labore robur addendum est. Sextus, quod meretur apprehendere præmiũ, 1. ad Cor. 9. *Vnus accipit brauium,* scilicet, *perseuerans.* Bernard. Perseuerantia est singularis filia summi regis, virtutum finis & consummatio. Chrysostomus: Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratias, nec laudẽ fortitudo. Denique non qui inceperit, sed qui perseuerauerit saluus erit. Idem: Incipere multorum est, finire paucorum: semper in principio delectatio est, in fine probatio. Idem: Assueuerunt multi in initio feruentes esse, in fine remitti & dissolui: quæ vtilitas est seminum florentium, & postea tabescentium. Gregor. in Moral. Incassum bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur: quia etiam frustra velociter currit qui priusquam ad metas veniat deficit, & super illud Matt. 10. *Qui perseuerauerit, &c.* dicit gloss. Non cœpisse vel fecisse, virtutis est: sed perficere. Vnde cauda hostiæ iubetur offerri. Leuit. 3. Ornatus virtutum, est vestis ad talos si perseuerantia fuerit: sin ea vestis est inhonestè decurtata. Vltimus dies perseuerantis plus videtur ei valere, quàm quicumque præcesserunt. Si enim illa die defecisset, præcedentia perdidisset.

Commendabilis ab effectu

Capvt XII.

De Magnanimitate.

Magnanimitatis variæ significationes.

Magnanimitas quandoque sumitur pro fortitudine. Et attenditur non solum in aggrediendo terribilia, sed etiam in sustinendo. Et pertinet ad eam non solum aggressio arduorum, sed etiam processus & consummatio eorum. Seneca in libr. de quatuor Virtutibus: Magnanimitas, quæ & fortitudo dicitur, si insit animo tuo, cũ magna fiducia viues. Quandóque magnanimitas dicitur terribilium spontanea & rationabilis aggressio: sic accipitur à Macrobio.

Magnanimus cur difficilia aggreditur.

Item notandum, quod homo magnanimus terribilia seu difficilia aggreditur, propter communẽ vtilitatem, vel propter honestatem; non propter cupiditatem vel gloriæ vanitatem: non enim decet vt cupiditate vincatur, qui metu non frangitur. Tullius: Nihil tam angusti animi est, tamque parui, qnam amare diuitias. Macrobius: Virtutis fructum sapiens in conscientia ponit, minus perfectius in gloria. Item ad magnanimum pertinet cauere non solum timiditatem, sed etiam temeritatem. Non enim debet homo absque causa offerre se periculis. In adeundis periculis imitari debemus medicorum consuetudinem. Illi enim leuiter ægrotantes, leuiter curant: grauioribus autem morbis, ancipites curationes adhibere coguntur. In tranquillo tempestatem optare dementis est: tempestati autem cum euenerit subuenire, sapientis, Poëta:

Vis consilij expers mole ruit sua.

Seneca in lib. de 4. Virtutib. Eris magnanimus, si pericula non appetas vt temerarius, nec formides vt timidus. Tull. Turpis fuga mortis, omni morte peior. Ad magnanimitatem pertinet, ardua opera appetere: & magnitudinem boni vel mali transitorij superare. Primum innuit Tull. Te, inquit, animo excelsum natura creauit. Audita de magnanimitate, tibi statim insedit oratio, id est, intimè sedit vel placuit. Magnitudo boni transitorij superatur contemnendo: magnitudo verò mali transitorij non timendo. Seneca in epist. Animus numquam maior est, quam vbi aliena seposuit, & fecit sibi pacem nihil timendo, fecit sibi diuitias nihil concupiscendo. Idem in epist. Magni animi est magna contemnere, ac mediocria malle, quam nimia. Illa enim vtilia vitaliaque sunt, hæc eo quo superfluum nocent. Sic segetem nimia sternit vbertas, sic rami onere franguntur. Sic ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas. Idem animis quoque euenit, quos immoderata felicitas rumpit, qua non in aliorum iniuriam, sed etiam in suam vtuntur. Idem in eodem. Magnus ille qui fictilibus vtitur quemadmodum argento. Nec minor est quidem qui sic argento vtitur quemadmodum fictilibus. Idem in eodem. Scitote tam bene homines culmo, quam auro tegi: contemnite omnia quæ superuacuus labor velut ornamentum aut decus posuit: mementote præter animum nihil esse mirabile, cui magno nihil est magnum. Idem in lib. de Naturalib. quæst. Magna ista, quia parui sumus, credimus multis rebus, non ex sua natura, sed ex humilitate nostra magnitudo est. Idem in libro de Clementia: Magni animi est, iniurias in summa patientia pati. Ad magnanimitatem pertinet iniurias receptas vilipendere, & inimico cum est in potestate hominis parcere, & fraudes & dolos vitare. Seneca in libro de quatuor Virtutib. Si magnanimus fueris, nunquam iudicabis tibi iniuriam fieri. De inimico dices. Non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit. Cum illum in potestate tua videris, vindictam putabis vindicare potuisse. Scito enim magnum & honestum vindictæ esse genus ignosce-

Quid ad magnanimitatẽ pertineat.

Distribuitur in tres partes.

re.

re. Palam aggredere, non geres conflictum nisi indixeris. Nam fraudes & doli imbecillum decent. Magnanimitas videtur posse distingui in tres partes: scilicet in cordis altitudinem, latitudinem, & longitudinem. Cor altum est quod in aduersis non deijcitur, sed eleuatur. Cuius exemplum habes in gallis, quorum cristæ eleuantur cùm ira eos ad pugnandum accendit. Seneca in epistolis: Non est mirum in tranquillitate non concuti: Illud mirare, ibi extolli aliquem vbi omnes deprimuntur, ibi stare vbi omnes iacent. Vel cor altum est, honores transitorios despiciens. Cor vero latum, est cor despiciens magnitudinem diuitiarum. Senec. in epist. Ille ingentis animi est, qui diuitias circumfusas sibi multum diuque miratus quod ad se venerint, ridet: suosque magis audit esse, quam sentit. Cordis longitudo est, per quam vincitur tædium longæ expectationis, vel longitudo molestiæ & laboris. Quidam sunt breues animo statim volentes quod fieri desiderant, statimque volentes transire, quod molestum sustinent; similes agricolis qui iactato semine statim metere vellent.

Pars X.

De Fiducia & Magnificentia, de descriptione vtriusque, & de officiis magnificentiæ, tam in pace quam in bello.

[M]agni-[ficentia] [...]id. SEquitur de Fiducia & Magnificentia. Fiducia est certa spes animi producendi ad finem rem inchoatam. De fiducia bona vel mala, require in tractatu de Spe. Magnificentia vero quandoque dicitur negotiorum difficillium & præclarorum consummatio. Et sic sumitur à Macrobio. Quandoque vero sic sumitur magnificentia, quòd ad eam pertinet non solum consummatio præclarorum negotiorum, sed etiam inchoatio eorundem. Et sic sumitur à Tullio in primo Rhetoric. Vnde sic describit eam. Magnificentia est rerum magnarum & excelsarum cum animi ampla quadam & splendidissima propositione, cognitio atque administratio. Nec loquitur de magnanimitate, imo sub magnificentia comprehendit eam.

De officiis Magnificentiæ.

DIstinguuntur vero officia magnificentiæ tam in pace, quam in bello. Officia magnificentię tempore pacis In pace, secundum Platonem, tria ad eam pertinent quantum ad prælatos. Primum est, vt sic vtilitatem ciuium tueantur, vt quæcunque agunt, ad eam referant commodorum suorum obliti. Secundum est, totum corpus ciuitatis curent, ne dum partem aliquam tueantur, reliquam deserant. Vt enim tutela, sic procuratio reipublicæ ad vtilitatem eorum qui commissi sunt, non eorum quibus commissa est, gerenda est, Hæc duo documenta Platonis recitat. Tull. in libr. de offic. Qui parti vrbis consulunt, partem deserunt, perniciosissimam seditionem in ciuitatem inducunt. Tertium est, vt contentionem caueant. Dicit enim Plato similiter facere eos qui inter se contendunt quinam potius ciuitatem administrent, vt si nautæ certarent tempore tempestatis quis eorum potissimum gubernaret. Officia vero magnificentiæ in bello, nouem assignantur. Primum est, ea intentione suscipere bella, vt sine iniuria in Tempore belli. pace viuatur. Augustin. in libro de Ciuitate Dei: Constat pacem belli esse optabilem finem. Idem ad Bonifacium: Pacem debet habere voluntas, bellum necessitas. Idem ad eundem: Bellum geritur vt pax acquiratur. Esto ergo in bello pacificus, vt eos quos expugnas, ad pacis vtilitatem vincendo perducas. Secundum est, ante aggressionem belli diligentem adhibere præparationem in clientulis, municipiis, & sumptu & armis. Senec. Longa belli præparatio celerem affert victoriam. Omnia autem priùs experiri,

quàm armis certare, sapientem decet. Iuxta verbum Philosophi. Tul. in libr. de offic. Cum sint duo genera decertandi: vnū per disceptationem, alterum per vim: illud proprium hominis, hoc belluarum: confugiendum est ad posterius, si superiore vti non licet. Tertium est, ne temere desperes propter ignauiam, aut propter cupiditatem nimis confidas: in periculum n. ducit immoderatus amor habendi. Quartum est, plus turpitudinem quàm mortem horrere, plus ad honestatem quā ad salutem temporalem, & alia commoda spectare. Quintum est, copias suas crebris laboribus exercere Poëta:

Variam semper dant otia mentem.

Sextum est, postquam ad bellandum ventum est, hortando bonam indolem erigere, modo laudibus animos afficere, modo admonitionibus desidiam discutere. 2. Machab. vlt. Exhortati inde sermonibus bonis valde, de quibus extolli posset impetus, & animi iuuenum cōfortari, statuerunt dimicare & confligere fortiter. Septimum est, in concursu ad primos impetus accurrere, inclinatis opem ferre, labentes fulcire. Octauum est, habita victoria seruare eos qui non crudeles fuerunt. Nonū est, fœdera & promissa hostibus seruare: exemplo reguli, qui captus præstito iuramento quod rediret, missus est Romam pro captiuis commutandis: qui vt venit, videns captiuos non esse reddendos, cum retineretur ab amicis, ad supplicium redire maluit, quam ad fidem hosti datam fallere, vt narrat Tullius in l. de Officiis.

TERTIÆ PARTIS PRINCIPALIS de quatuor Virtutibus Cardinalibus,

TRACTATVS QVINTVS. *De Iustitia.*

PARS PRIMA.

De ordine dicendorum in hoc tractatu. Et de diuersis acceptionibus huius nominis Iustitia.

Iustitia variè sumitur. PRimo ponentur diuersæ acceptiones huius nominis Iustitia. Secundò, diuersæ eius descriptiones. Tertiò, eius commendationes. Quarto, ipsius diuisiones Quinto, tāgetur de opposito ipsius. Circa primū notandū quod iustitia quandoque valde large sumitur, sc. pro bonitate, secundum hoc dicit August. duas partes esse iustitiæ, scilicet declinare à malo, & facere bonum. Et super illud Hebr. 1. *Dilexisti iustitiam*, dicit gloss. Omne bonum. Sic sumitur Matt. 6. *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius.* Gloss. Iustitia regni est omnia quæ Christus docuit obseruare. Eiusdem 13. *Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum.* Sic etiam sumitur quum dicimus impium iustificari. Quandoque etiam sumitur nomen iustitiæ minus large, scilicet pro virtute reddente vnicuique quod suum est, & sic sub iustitia pietas videtur contineri. Quandoque autem sumitur strictius, prout attenditur in inflictione pœnarum. Sic videtur iustitia esse opposita pietati vel misericordiæ. Sic sumit hoc nomen iustitia Bernard. dicens: Nullum nomen Dei est quod non

Large quid iustitia.

Stricte

quod non sonet, aut iustitiam, aut pietatē. Et notandum quod iustitia etiam, prout est virtus cardinalis, quodammodo generalis est, sicut & prudentia generalis est quoad directionem. Dirigit n. opera cæterarum virtutum. Iustitia vero generalis est, quoad imperium. Potest n. imperare opera cæterarum virtutum: non sufficit tamen ad exequendum ea, vel ad eligendum sine ceteris virtutibus.

Pars II.

De descriptionibus Iustitiæ.

Iustitiæ varia descriptio.

Circa secundum notandum, quod Tull. in 1. Rhet. sic describit Iustitiā: Iustitia est habitus animi, communi vtilitate seruata, suam vnicuique tribuens dignitatem. Iustitia multum attendit communem vtilitatem. Vnde quandóq; punit hominē plusquam meruit propter publicam vtilitatem. Tull. Primum fundamentum iustitiæ est, ne cui noceatur, deinde vt communi vtilitati seruiatur. Amb. in l. de paradiso: Iustitia magis aliis quam sibi prodest & vtilitates suas negligit, cōmunia emolumenta præponens. Iustitia etiā cuique suam dignitatē tribuit: quia vnicuiq; tribuit, quod dignū ei est tribui, siue quod ei debetur. Illud autem debitum quandóque est fœdere naturali, quādoque etiam ratione officij vel prælationis, vt obedientia debetur prælatis: quandóq; vero ratione meriti, vt cum pœna vel præmium redditur his qui meruerunt. Macrobius dicit quod iustitiæ est, vnicuique seruare quod suum est. Aug. vero in li. de lib. arb. dicit: Iustitiam quid dicam esse, nisi virtutē quâ sua cuiq; tribuuntur? Et super illud Matt. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam*, dicit gloss. Iustitia est, sua cuiq; tribuere, sibi & proximo & Deo. Senec. in lib. de 4. Virtut. dicit: Quid est iustitia, nisi naturæ tacita conuentio in adiutorium multorum inuenta? Idem in eod. Iustitia diuina lex est, & vinculum societatis humanæ. Isid. sic describit eam: Iustitia est ordo & æquitas qua homo cum vnaquaq; re benè ordinatur: ordo dicitur conueniens rei collocatio, vel secundum Anselmum sic describitur: Iustitia est rectitudo voluntatis propter se seruata. Voluntatis dicitur, quia lapis quūdescēdit, recte agit faciēdo quod debet, tamen non dicitur iustus esse, quia hoc non facit voluntariè. Rectitudo verò quæ est iustitia, non est cuiuscunq; appetitus, sed appetitus rationabilis qui est cū discretione. Si enim aliquis impediat ab ingressu domus aliquem volentem intrare, vt innocentem ibi occidat: ignorans tamen, quid ille ibi acturus sit, non reputatur ipse in hoc iustus. Non dicitur etiam aliquis iustus propter rectitudinem intellectus vel operis, si desit rectitudo volūtatis. Item si aliquis coactus reddat pecuniā quam abstulit, vel causa inanis gloriæ, non est propter hoc iustus, sed si amore iustitię hoc faciat. Ideo ergo hoc benè dictū est, quod iustitia est rectitudo volūtatis propter se seruata. Et notandum quod quum rectum sit in quo medium non exit ab extremis, vbi rectitudo iustitiæ, aliquid est vt medium, & aliqua vt extrema. In iudicio vero hoc manifestū est, vbi iudex medius est inter partes, qui non debet declinare ad dextram vel sinistram. Generaliter vero tria considerari possunt vbi est iustitia, scil. quod redditur, cui redditur, & per quod redditur. Per quod redditur, est vt mediū, alia duo sunt vt extrema. Describitur etiam iustitia sic: Iustitia est virtus conseruatrix humanæ societatis, & vitæ communitatis. Societatem, id est, cohabitationem hominum sic seruat iustitia, dum homines cohabitant: obtinet vnus agros vel alias possessiones quibus eget alius, ideo concitaretur inuidia & seditio, nisi iustitia adesset, quæ vnicuique ius suum redderet. Vitæ autem cōmunicantem custodit, dum eundem modum viuendi plures sectātur: vt mercaturam, vel militiam, quæstus vnius minuit alterius lucrum, quæ res liuorem moueret nisi iustitia adesset. Item iustitia sic describitur ab August. in lib. de morib. Eccles. Iustitia est amor soli amato seruiens, & propterea recte dominās. Itē

19. lib. de Ciu. Dei: Qui fundum aufert ei à quo emptus est, & tradit ei qui nihil habet in eo iuris, iniustus est, & qui semetipsum aufert dominanti Deo à quo factus est, & seruit malignis spiritibus, iniustus est. Bern. in lib. de dilig. Deo: infidelē ratio vrget & iustitia naturalis, totum se tradere illi à quo totum se habet. Et notandum, quod secundum Aug. 4. lib. de doct. Christiana: Sicut ratio rotunditatis eadem est in magno disco & in cumulo exiguo, vt à puncto medio omnes lineæ pares in extrema ducantur, ita vbi aliquis parua iuste gerit, non minuitur iustitiæ magnitudo.

Pars III.

De commendatione Iustitiæ.

Natura tripliciter cōmendat iustitiā.

NOtandum ergo quod iustitiam commendat natura, commendat & Scriptura. Natura tripliciter. Primo, quia rectitudo quam dedit corpori humano monet ad rectitudinem iustitiæ. Eccl. 7. *Hoc inueni quod fecerit Deus hominem rectum.* Bernard. sup. Cant. *Rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo.* Rectus itaque Dominus hominem rectum fecit. Idē: Staturam dedit Deus homini rectam, forsitā vt ista corporea rectitudo exterioris viliorisq; figmenti, hominem illum interiorem qui ad imaginem Dei factus est spiritualis, suæ seruandæ rectitudinis admoneret, decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecentius quam curuum recto corpore gerere animū? Secundo, quia ea quæ sunt iustitiæ pro magna parte naturaliter in corde hominis scripta sunt. Aug. in lib. Conf. Furtum certè punit lex tua Domine, & lex scripta in corde hominum, quam nec ipsa quidem delet iniquitas, quis enim fur æquo animo furem patitur? Tull. in 1. Rhet. Iustitię initium est à natura profectum, deinde quædam in consuetudinem ex vtilitatis ratione venerunt, postea res & à natura profectas, & à consuetudine probatas legū metus & religio sanxit. Naturæ ius est, quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit: vt religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obseruantiam, veritatem. Senec. in epist. Hæc societas diligenter & sanctè nobis obseruanda est, quæ nos omnes omnibus miscet, & indicat aliquod sese commune ius generis humani. Tertio, quia natura docet etiam bruta animalia multa eorum quæ ad iustitiam pertinent, vt innocentiam, concordiam, pietatem ad animalia sui generis. Scriptura etiā multis modis iustitiam nobis commendat. Primo, multum ad eam monendo. In Psal. *Sacrificate sacrificium iustitiæ.* Sap. 1. *Diligite iustitiam qui iudicatis terrā.* Eccl. 3. *Vsque ad mortem certa pro iustitia.* Eiusd. 3. *Ante obitum operare iustitiam.* Idem 18. *Ante iudicium para iustitiam.* Ezec. 45. *Rapinas intermitte, & iudicium, & iustitiam facite.* 1. Tim. 6. *Homo* Dei *sectare iustitiam.* Secundo, ostendendo eos esse beatos qui iustitiam esuriunt. Matth. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* Tertio, beatos ostendendo qui aliquid pro iustitia patiuntur. Matth. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, &c.* Et 1. Pet. 3. *Si quid patimini, propter iustitiam, beati.* Item ad commendationem iustitiæ hoc facit, quod hæc virtus multum Deo est grata, & homini multum necessaria. Primum in multis locis ostendit Scriptura. In Psal. *Iustus Dominus, & iustitiam dilexit.* Item: *Acceptabis sacrificium iustitiæ.* Prouerb. 15. *Qui sequitur iustitiam, diligetur à Domino.* Eiusd. 16. *Initium vitæ bonæ facere iustitiam: accepta autem apud Deum magis quam immolare hostias.* Act. 10. *In omni gente quæ timet Deum & operatur iustitiam acceptus est illi.* Econtrario iustitiam multum displicet ei, vnde Deuter. 25. post illud: *Non habebis in sacco diuersa pondera, &c.* Subditur, *Abominabitur eum Dominus qui facit hæc, & aduersatur omnem iustitiam.* Iustitia expresse nominatur inter illa quatuor quibus vtilius nihil est in vita hominibus, Sapient. 8. *Ipsa adeo*

Scriptura. Psal. Psa. 1 Psa. 5

necessaria est, vt nec etiam latrones omnino ea carere possint. Tullius in lib. de Offic. Tanta est vis iustitiæ, vt nec illi quidem quæ maleficio & scelere pascuntur, sine vlla iustitiæ particula viuere possint. Iustitia adeo vtilis est vt nihil vtile reputetur, quo ipsa amittitur. Vnde super illud Psalm. *Rapinas nolite concupiscere*, dicit Gloss. O lucra damnosa, inuenis pecuniam, perdis iustitiam. Iustitia adeo vtilis est, vt cum ea vtilia sint quæ maxime noxia videntur, vt mors. Num. 23. *Moriatur anima mea morte iustorum.* Iustitia non solum est homini necessaria in vita, sed etiam in morte: nec solum in præsenti, sed etiam in futuro. Iustitia in præsenti vita à malo pœnæ custodit. Daniel. 7. *Conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo iustitia inuenta est in me.*
Psal. 106. Temporalia bona tribuit. Prouerb. 13. *Iustitia eleuat agentem.* Eccles. 20. *Qui operatur iustitiam, ipse exaltabitur.* Econtrario dicitur in Psalm. de quibusdam: *Propter iniustitias enim suas humiliati sunt.* Et Eccl. 10. *Regnum à gente transfertur in gentem propter iniustitias, &c.* Item à malo culpæ defendit propter quod lorica dicitur, ad Ephes. 6. *State*, inquit, *induti loricam iustitiæ.* Item appetitum boni transitorij restringit, ideo vocatur zona. Eccl. 45. *Circumcinxit Aaron zona iustitiæ.* Et Esa. 11. *Et erit iustitia cingulum lumborum eius.* Item iustitia homini pacem dat: & sic Deo in homine locum præparat. *In pace enim factus est locus eius.*
Psal. 84. In Psalm. *Iustitia & pax osculatæ sunt.* Esa. 32. *Erit opus iustitiæ pax.* In Psalm. *Iustitia ante eum ambulabit.* Item: *Iusti-*
Psal. 88. *tia & iudicium præparatio sedis tuæ.* Iustitia necessaria est in morte: quia, *virum iniustum mala capient in interitu*, vt dicitur in Psalm. Econtrario vero sperat iustus in morte sua. Prouerb. 14. Iustitia in futuro necessaria est, & maxime in illo districto iudicio in quo iustitia Dei iudicabit, quæ iustitiam condemnare non poterit. Genes. 30. *Respondebit mihi cras iustitia mea.* Prouerb. 10. *Nihil proderunt thesauri impietatis: iustitia vero liberabit à morte.* Difficile erit homini habenti iustitiam, imo intolerabile, apparere tunc Psal. 16.
coram Dei iustitia. Psal. *Ego in iustitia ap-* Psal. 5. Psal. 36.
parebo in conspectu tuo. Idem: Non permanebunt iniusti ante oculos tuos. Item: *Iniusti punientur.* Item: *Iniusti autem disperibunt.* Ad commendationem iustitiæ etiã valere potest præeminentia quam ipsa habet respectu aliarum cardinalium virtutum. In ipsa, vt ait Tullius, maximus est splendor honestatis. Et Plato dicit de ea, quod si ipsa conspiceretur, miros spectantibus sapientiæ excitaret amores. Iustitia finis videtur esse aliarum cardinalium virtutum. Vnde propinquior videtur esse mercedi, saluti, & coronæ quæ specialiter & in Scriptura sacra attribuuntur. In Psal. 5.
Psalm. *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam.* Item: *Tu benedices iusto.* Prouerb. 10. *Benedictio Domini super caput iusti.* Eiusdem 11. *Seminanti iustitiam merces fidelis.* Item 12 *In semita iustitiæ vita.* Sapient. 1. Iustitia perpetua est & immortalis: iniustitia autem mortis acquisitio. Ecclesiast. 30. *Salus animæ in sanctitate iustitiæ.* 2. ad Tim. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ.*

PARS IV.

De diuisionibus Iustitiæ.

NOtandum quod secũdum quosdam iustitia diuiditur in seueritatem & liberalitatem. Seueritas virtus est debito supplicio coërcens iniuriam. Liberalitas vero est virtus beneficiorum erogatrix, quam pro affectu benignitatem, & pro effectu beneficentiam vocant. Et consistit hæc virtus tota tribuendo. Benignitas Et retribuẽdo.
diuiditur in partes septem. Benignitatem vero diuidunt in septem partes: scilicet religionem, pietatem, innocentiam, amicitiam, reuerentiam, concordiam, misericordiam. Secundum Macrobium ad

iustitiam pertinent innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, humanitas. Secundum Tullium vero in 1. Rhetor. ad iustitiam pertinent religio, pietas, gratia, vindicatio, obseruantia, veritas. Quidam vero iustitiam diuidunt in quinque partes, scilicet in obedientiam quæ est respectu superioris, & disciplinam quæ est respectu inferioris, & æquitatem quæ est respectu paris, & veritatem & fidem quæ pertinent ad omnes. Gloss. vero super illud Luc. 6. *Si diligitis eos qui vos diligunt, &c.* Aliam innuit diuisionem iustitiæ, dicens: Philosophi in tres partes diuidunt iustitiam. Vnam in Deum, quæ pietas dicitur. Alteram in parentes vel reliquum humanum genus. Tertiam in mortuos, vt his exequiarum iura soluātur. Sed Dominus legis oraculum & philosophiæ fastigium supergressus, in eos, quos qui læserint, pietatis porrexit officium. Secundum Senecam vero in libro de quatuor virtutibus, duo pertinent ad iustitiam, scilicet velle omnibus prodesse & nulli nocere. Amabis, inquit, Deum, si in hoc illum imitaberis, vt velis omnibus prodesse, & nulli nocere: tūc te virum iustum appellabunt omnes. Et hæc duo videntur concordare duobus pręceptis iuris naturalis, quorum alterum habes. Tob. 4. *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias.* Reliquum Matth. 7. *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines; & vos eadem facite illis.* Sed quia nulla prædictarum diuisionum perfecte tangere videtur ea quæ ad iustitiam pertinent, generalior videtur ponenda esse diuisio iustitiæ. Et quia virtute iustitiæ reddimus vnicuique quod debemus, diuidetur iustitia secundum ea quæ debemus, & quibus debemus.

Notandum ergo quod quædam debemus omnibus, vt dilectionem, veritatem, & fidem: quædam vero non omnibus & inter ea aliquid debemus superiori, aliquid inferiori, aliquid pari. Item aliquid speciale debemus nobis specialiter coniunctis, vt parentibus, & patriæ beneuolis, quod debitum soluit pietas, prout Macrobius & Tullius de ea loquuntur. Item debemus aliquid his qui beneficia conferunt: scilicet gratiam, de qua loquitur Tullius. Et aliquid his qui mala inferunt: scilicet vindicationem, de qua idem loquitur. Et aliquid etiam his qui mala ferunt vel sustinent, scilicet misericordiam.

PARS V.

De Latria & Religione, prout Tullius religionem sumit, & de vtriusque descriptione, & latriæ commendatione, & diuisione: de partibus eius, ac quadruplici officio religionis.

INter ea vero quæ superiori debentur, aliquid est quod soli Deo debetur, & aliquid quod nō soli Deo. Soli Deo debetur latria. Vnde gl. super illud Matt. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Græcè latria dicitur, seruitus Latinè. Seruitus communis Deo & homini & cuicunque. Græce dicitur dulia. Illa vero quæ soli Deo debetur, latria, distinctè: vnde idololatra, qui quod soli Deo debet, idolo dat. Primo inter partes iustitiæ de latria prosequemur. Quod autem latria Græcè dicitur, videtur à Tullio religio vocari. Quam ipse sic describit: Religio est quæ superioris cuiusdam naturæ, quam diuinam vocant, curam ceremoniamque affert. In hoc quod dicit curam, innuit cultum interiorem. In hoc quod dicit ceremoniam, exteriorem cultum qui signum est interioris. Isid. 8. lib. etymol. dicit, quod religio appellata est, quia per eam vni Deo religamus animas nostras ad cultum diuinum vinculo seruiendi. Hæc religatio fit in principio vniuscuiusque religionis: vt in baptismo, vbi initiatur Christiana religio: vel in specia-

fibus religionibus, cum quis obligat se ad ea quæ religionis sunt. Secundum August. verò 10. lib. de Ciuitate Dei: Religio dicta perhibetur à religendo Deum quem amiseramus negligentes. Et secundum hoc religio respicere videtur statum peccati, & non statum innocentiæ. Deut. 26. *Dominum elegisti hodie vt sit tibi Deus.* Latria vero sic describitur: Latria est cultus Deo debitus & exhibitus. Vel sic: Latria est voluntas impendendi Deo cultum debitum. Adorationem latriæ commẽdat nobis multiplex exhortatio quam
Psal. 94 Scriptura sacra facit de ea. In Psalm. *Venite adoremus, & procidamus ante Deum.* Item: *Adorate Dominum in atrio sancto eius.* Item: *Adorate Dominum omnes angeli eius.* Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis.* Ad idem valent exempla sanctorum, vt exemplum Christi, de quo Luc. 22. *Positis genibus orabat, dicens, &c.* Et Matth. vlt. dicitur de vndecim discipulis, quod videntes Iesum adorauerunt. Apoc. 4. legitur de viginti quatuor senioribus, quod procidebant ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in secula seculorum. In eiusdem 15. *Vigintiquatuor seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt, &c.* Et eiusd. 7. *Omnes angeli stabant in circuitu throni, &c. & adorauerunt Deum, dicentes, Amen, Benedictio & claritas.* De adoratione etiam vingintiquatuor seniorum, habetur eiusdem 11. Item legitur de beato Bartholomæo, quod centies flexis genibus exorabat Deum per diem, & centies per noctem. Et de Iacobo minore, quod tantùm iacebat super genua sua orans, quod genua habebat vt calcaneum, similem duritiam habens in eis duritiei camelorum. Gloria adorationis est quam sibi Deus specialiter retinere voluit. De hac dicitur Esaiæ 42. *Gloriam meam alteri non dabo.* Ecclesiast. 25. *Bono animo gloriam redde Deo, & non minuas primitias manuum tuarum.* Gloria ista significata est per thymiama, de quo Exod. 40. *Sanctum sanctorum vobis erit thymiama.* Talem compositionem non facietis in vsus vestros, quia sanctum Domino est. Homo quicunque fecerit simile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis suis. Obsequium istud multum placet Deo. Eccles. 35. *Qui adorat Deum in oblectatione suscipietur: & deprecatio illius vsque ad nubes propinquabit.* Et notandum quod licet adoratio latriæ soli Deo sit exhibenda: tamen dicitur exhiberi illi homini qui est filius Dei, sed quasi per accidens. Non enim exhibetur ei inquantum est homo, sed inquantum est filius Dei, sicut dicitur de homine illo, quod creauit stellas, quas tamen non creauit inquantum homo, sed inquantum est Deus. Et notandum quod triplex est cultus Deo debitus. Primus est, cordis. Secũdus est, oris. Tertius, operis. Cultum cordis specialiter vocat Gloss. cultum, super illud Exod. 20. *Non adorabis neque coles.* Aliud est, inquit, colere, aliud est adorare. Potest quis inuitus adorare, vel adulando regibus idololatris, vel tormentis victus, quum sciat quia idolum nihil est. Colere vero est toto his affectu & studio mancipari. De cultu interiori dicit Isiod. 8. lib. Etymol. Tria sunt quæ in religionis cultu ad colendum Deum in hominibus perquiruntur: fides, spes, charitas. August. in Enchirid. Fide, spe, & charitate colimus Deum. Item Augustinus loquens de theosebia siue pietate, quæ est cultus Dei, dicit quod consistit in cognitione Dei & dilectione, cum debita subiectione. Et super illud 1. Cor. 12. *Alij per spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ,* dicit gloss. loquens de illo verbo Iob secundum vnam literam 28. *Ecce pietas est sapientia:* vbi litera nostra habet, *Timor Domini ipse est sapientia.* Pietatem, inquit, hoc loco posuit Dei cultum, quæ Græce dicitur theosebia: & quis cultus est nisi amor & cognitio eius? Cultus interior Deo debitus in duobus videtur consistere, scilicet in cognitione & affectione.

Cultus triplex Deo debetur.

Cognitio vero ad cultum Dei pertinens est, vt credulitas qua creditur Deo sicut Deo credendum est, scilicet propter se & super omnia: sicut enim primæ veritati credendum est. Item credulitas qua credimus de Deo digna Deo: vt summam potentiam, summam sapientiam, summam bonitatem, & consequentia ad hæc, vt quod ipse est omnium bonorum creator & conseruator, mundi gubernator, hominis recreator, seruientium sibi liberalissimus retributor: eorum vero qui pertinaciter rebelles ei sunt zelantissimus vltor. Inter affectiones vero pertinentes ad cultum Dei. Prima videtur esse timor, & non qualiscunque timor, sed talis timor qualis timendus est ille cuius potentiæ nullus potest resistere, cum sit summa: cuius sapientiæ nihil potest abscondi, cum sit summa: & cuius bonitas, cùm summa sit summe odit malitiam, & sine fine puniet eam in eis quos pertinaces in ea inuenerit: Timendus est ergo super omnia. Secunda est spes non qualiscunque: sed talis qualis ponenda est in eo cuius potentiæ facillimum est liberare ab omni miseria, cuius sapientiæ notissima est miseria nostra. Abyssus enim miseriæ non inuocat abyssum misericordiæ nisi agnoscatur, & cuius bonitati proprium est misereri semper & parcere, quæ etiam propter liberalitatem suam fecit quæcunque fecit, quia omnia fecit ad dandum: in ipso ergo super omnia sperandum est. Tertia amor, & non qualiscunque amor, sed talis qualis amandus est qui optimus est in se, & ideo amore dignissimus, qui etiam fons est omnium bonorum à quo suscepimus omnia bona quæ habemus, vel habuimus, & à quo suscepturos nos speramus quicquid boni suscepturi sumus. De timore & amore dicit Seneca in libro de quatuor Virtutibus: Quisquis iustitiam sectari desideras, time Deum prius, & ama, vt ameris à Deo. De spe dicitur in Psalm. *Sperent in te omnes qui nouerunt nomen tuum.* Nomen Domini agnoscunt qui serui eius esse volunt, à quibus spes specialiter requiritur. Cultus oris est vocalis professio maiestatis diuinæ, quam fideles faciunt, frequenter Deum orando, laudando, benedicendo, gratias ei agendo. Cultus operis est, vt quum aliquis opere recognoscit singulare dominiũ Dei, quod Ecclesia ore recognoscit, Christo dicens: Tu solus Dominus. Dominium istud, quantum ad personas nostras, recognoscimus Deo genuflexione, & prostratione Esa. 45. *Mihi curuabitur omne genu.* Mich. 6. *Curuabo genu Deo excelso.* Quantum ad nostra verò, oblatione alicuius partis bonorum illorum quæ ab eo accepimus. Deut. 26. *Profiteor hodie coram Domino & cætera: tradidit nobis terram lacte & melle manantem, & idcirco offero nunc tibi primitias frugum terræ quam Dominus dedit mihi.* Ad cultum operis pertinebant sacrificia veteris legis quæ fiebant de animalibus, quorum immolatione sacrificantes ostendebant plenissime Deo se esse subiectos, etiam ad occidendum. Morte enim animalium ostendebant Deum eos occidere posse, & eos mortem meruisse, & sperabant misericordia Dei mortem propriam quam meruerant in mortem animalium commutare. Et notandum quod sacrificium soli Deo debetur, vnde August. 10. de Ciuit. Dei: Sacrificium certe nullus hominum est qui audeat dicere deberi, nisi Deo. Multa denique de cultu diuino vsurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera: ita tamem vt quibus ea deferuntur, homines habentur, qui dicuntur colendi & venerandi. Si autem eis multum additur, & adorandi. Quis vero sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum aut sciuit, aut putauit, aut finxit? Et subdit: Sacrificium visibile sacrificij inuisibilis sacrum signum est. Et tangit sex species sacrificij spiritualis. Primum sacrificium est cordis contritio. In Psal. *Si voluisses sacrificium dedissem vtique: holocaustis nõ delectaberis.*

Sacri cium lius I cultu.

Speci spirit lis sac ficijs Psal.

Sacrifi-

Sacrificium Deo spiritus, & cætera. Augustinus: intueamur quemadmodum vbi Deum dicit nolle sacrificium, ibi Deum ostendit velle sacrificium. Non vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis. Secundum sacrificium est cordis igne diuini amoris inflammati. De quo Augustin. Deo suauissimum incensum adolemus, cum in eius conspectu pio sanctóque amore flagramus. Tertium sacrificium corporis propter Deum, mortificati. Roman. 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, &c.* Quartum est, sacrificium corporis pro Deo proprio sanguine cruentati. Augustin. Deo cruentas victimas
Ps. 49. cædimus quando vsque ad sanguinem pro eius veritate certamus. Quintum est, sacrificium laudis: de quo in Psalm. *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis.* Sextum est, sacrificium misericordiæ quo miseriæ proximi volumus subuenire. Hebr. 6. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Item Augustin. eodem lib. dicit, quod sacrificium res diuina est. Et videtur velle quod verum sacrificium opus sit misericordiæ. Verum sacrificium est opus quod fit propter Deum, vt homo à miseria releuetur, & Deo adhærendo beatus efficiatur. Vnde dicit: Verum sacrificium est, omne opus quo agitur vt sancta societate inhæreamus. Deo relatum ad illum finem quo veraciter beati esse possumus. Et subdit: Vera sacrificia opera sunt misericordiæ: siue in nosipsos, siue in proximos, quæ referuntur ad Deum. Opera vero misericordiæ non ob aliud fiunt, nisi vt à miseria liberemur, ac per hoc vt beati simus: quod non fit nihil bono illo, de quo dictum est: *Mihi adhærere Deo bonum est.* Idem in eodem: *Ipsa misericordia qua homini subuenitur, si non propter* Deum *fit, non est sacrificium.* Ad cultum etiam operis pertinet thurificatio quæ ostendit affectum nostrum integrè in Deum esse dirigendum, quasi in omne bonum, sicut totus fumus thuris tendit sursum. Exod. 33. *Ego ostendam omne bonum tibi.* Et notandum quod religionis, quam Tullius ponit partem iustitiæ, quæ idem videtur esse quod latria, secundum quosdam quadruplex est officium. Primum est perpetrati sceleris pœnitere. Hoc videtur esse primum sacrificium Deo acceptum post mortale peccatum. Psal. *Sacrificium Deo spiritus, &c.* Psa. 50. Secundum est temporalium mutabilitatem paruipendere. Post quam enim anima Deo æterno se religauit religione fidei, spei, & dilectionis, spe æternorum despicit transitoria. Seneca. Nemo dignus Deo qui opes non contempserit. Tertium est vitam nostram Deo committere. Qui enim agnoscit per fidem se habere vitam suam à Deo, vult illam ei offerre, & oratione, & obsequiis impetrat eam à Deo dirigi. Tob. 4. Omni tempore benedic Dominum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant. Quartum est, veritatem dicere de his quæ ad religionem pertinent: Fidelis primò debet habere pœnitentiam de his quæ agnoscit se fecisse contra Deum & contra se. Secundo, despicere ea quæ agnoscit esse infra se. Tertio, Deo committere se. Quarto, his quæ sunt iuxta se veritatem dicere quam accepit de religione sua.

DE DVLIA.

PARS VI.

Quæ habet 3. Capitula.

CAPVT I.

De ordine dicendorum de Dulia, & nominis duliæ distinctione ac descriptione.

DIcto de cultu Latriæ, qui soli Deo debetur, dicendum est de his quæ aliis superioribus debentur. Et inter ea aliquid est quod soli debetur creaturæ, vt est reuerentia seu honor duliæ. Aliquid vero quod debetur & creatori & creaturæ, vt obedientia. Et primo dicetur de honore seu reuerentia duliæ. De qua hoc ordine agetur. Primo ostendetur quid sit reuerentia seu honor duliæ. Secundò tangetur de diuersis speciebus duliæ. Tertio de errore illorum qui Ecclesiam dicunt idololatrare, adorando diuersos sanctos, & imagines sanctorum. Circa primum vero est notandum quod hoc nomen duliæ quandoqve communiter sumitur pro seruitute quæ exhibetur Deo vel creaturæ. Vnde dulia Græcè, seruitus Latinè dicitur: & dulos dicitur seruus. Gl. super illud Matth. quarto. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Seruitus communis Deo & homini & cuicunque, Græcè dicitur dulia. Quandóque autem nomen duliæ restringitur ad honorem creaturæ debitum: & secundum hoc sic describitur: Dulia est cultus vel honor creaturæ debitus & exhibitus. Dulia videtur esse idem vel in toto vel in parte cum reuerentia, prout sumitur in prima diuisione iustitiæ prius posita, quæ sic describitur: Reuerentia est virtus personis grauibus vel aliqua prælatione sublimatis, debitæ honorificationis cultum exhibens. Et notandum quod reuereri tripliciter accipitur. Vno modo dicit motum qei est fugiendo seu resiliendo ab altitudine alicuius rei in propriam prauitatem: Et vocatur iste motus timor reuerentiæ. Et huic motui interiori respondet exterius elongatio vel fuga, qua humiles personæ elongant se ab his qui sunt in dignitate positi, non audentes eis appropinquare. Quandoque verò reuereri dicit honorem quem aliquis exhibet alij gratia dignitatis, ad ostendendum quod ei subiectus sit & paratus voluntatem eius sequi, vt est assurgere venienti, assistere sedenti, inclinare transeunti, incedentem sequi, & genuflexio. Quandoque comprehendit motum timoris, reuerentiæ, & honoris. Et sic sumitur super illud Hebræorum 12. *Patres carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos.* Gloss. Reuereri est cum timore honorem impendere. Tullius in secunda diuisione prius posita, in parte honorem duliæ comprehendit sub illa parte iustitiæ quæ dicitur obseruantia, quam sic describit: Obseruantia est, per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultum & honorem dignantur. Item notandum quod hoc nomen honor multipliciter sumitur Quandoque pro dignitate. Hebr. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem: sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Quandoque vero honor dicitur quod exhibetur alicui, gratia superioritatis, ad ostẽsionem subiectionis, vel propter proprietatem, vel naturæ dignitatẽ, vel excellentiam in aliqua gratia propter proprietatem: vt Roman. 13. *Cui honorem, honorem.* 1. Pet. 2. *Regem honorificate.* Propter proprietatem temporis: vt Leu. 19. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Propter dignitatẽ naturæ: vt Exod. 20. *Honora patrem tuum & matrem tuam,* & Malach. 1. *Si ergo pater, vbi honor meus?* Propter excellentiam in aliqua gratia honor exhibendus est omnibus, quia debe-

Nominis duliæ acceptio.

Reuereri tripliciter accipitur.

mus credere quod omnes nos excedant in aliqua gratia. 1. Petr. 2. *Omnes honorate.* Rom. 12. *Honore inuicem præuenientes.* Gloss. Aliter non est fraternus amor, nisi in mutuis se præueniant obsequiis. Ephes. 5. *Subiecti inuicem in timore Christi.* Philip. 2. *In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes.* Gloss. August. Non hoc ita debemus arbitrari, vt nos æstimare fingamus, sed vere æstimemus posse esse aliquid occultum in alio, quo nobis superior sit, etiam si bonum nostrum, quo illo videntur superiores esse, non sit occultum.

Capvt II.

De speciebus Duliæ.

Sequitur de speciebus duliæ. Notãdum ergo quod dignissima species duliæ est honor qui debetur humanæ naturæ, quam filius Dei assumpsit: specialiter vero honoranda est humana natura in Christo propter inhonorationem quam in cruce sustinuit: secundum illud Phil. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem: mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Propter hoc ex institutione ecclesiæ fit adoratio crucis, in qua id cui exhibetur honor ille est, Christus passus: ignominia vero est causa illius honorationis. De adoratione humanæ naturæ à filio Dei assumptæ, dicit Gl.
Psal. 98. Augustin. super illud Psalm. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Sciendum quia in Christo terra est, id est, casto, quæ sine impietate adoratur. Hæc species duliæ hyperdulia vocatur: quæ soli humanitati Christi exhibetur. Vnde gloss. super illud Psalm. *Adorate scabellum pedum eius*, &c. Dulia ado-
Psal. 98. ratio est, quæ etiam creaturæ exhibetur. Quæ duas species habet: vnam quæ indifferenter omnibus, alteram quæ soli humanitati Christi exhibetur. Post naturam humanam à filio Dei assumptam, exhibendus est honor beatæ Virgini, in qua & ex qua filius Dei carnem assumpsit. Damascen. Dei genitricis imaginis non materiam, sed figuram adoramus. Figuram hic intellige figuratum, siue significatum per imaginem. Et subdit Damascen. Honor enim qui est ad ipsam, ad eum qui ex ipsa incarnatus est reducitur. Hoc ideo dicit, quia propter filium adoratur Mater. Tertio exhibendus est honor beatis angelis, & sanctis qui sunt in statu gloriæ, ab his qui sunt in statu miseriæ. Status enim miseriæ inferior est statu gloriæ. Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*: qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo. Quarto exhibendus est honor his qui præsunt in Ecclesia militante: qui scilicet sunt in gradu superiori, ab his qui sunt in gradu inferiori: Qui enim præsunt, loco Dei sunt: & ideo honor vel cultus eis exhibendus est. Vnde & dij vocantur. Exod. 23. *Diis non detrahes: & principi populi tui non maledices.* Præcipuè vero honor exhibendus est his qui præsunt ad spiritualia 1. ad Tim. 5. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime hi qui laborant in verbo & doctrina.* Quinto exhibendus est honor amicis Dei, etiam in statu viæ qui sunt notæ sanctitatis. Vnde qui se reputant peccatores, cum genuflexione suffragia solẽt petere à talibus. Status enim eorum secundum suam reputationem inferior est statu aliorum: sicuti status serui à statu filij vel domini. Filius domini à seruis Dominus solet vocari. Matth. 15. *Non est bonum sumere panem filiorum & dare canibus.* Canes vocat peccatores; filios, iustos. Et subditur: *etia Domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Intellige illos dominos qui prius vocati sunt filij. De hoc honore dicitur. Esa. 46. ad Ecclesiam: *Vultu in terra demisso adorabunt te,*

Item notandum quod honor quandóque exhibetur creaturæ absolute, quandóque Deo absolute: quandóque verò honor respicit relationem seu comparationem creaturæ ad Deum. Et de illo honore sciendum est, quod potest exhiberi Deo in creatura: vt in imagine eius, vel in ministro eius, vel in templo materiali, vel spirituali, vel in altari, vel in aliis rebus quæ ad cultum Dei pertinent: & est honor latriæ. Et Deus est id cui proprie exhibetur honor ille: creatura vero est medium vel occasio aliqua cogitandi de Deo, & afficiendi in eum, & signo exteriori indicandi affectum illum. Si vero honor ille exhibeatur creaturæ comparatione Dei: honor duliæ est, & Deus est vt causa illius honoris, creatura enim siue consideretur absolute, siue inquantum imago Dei, vel ministrans ei, vel associata ei in vna persona, non fuit sic ab æterno, sed incœpit esse: vnde non videtur ei exhibenda reuerentia latriæ. Et notandum quod reuerentia quæ debetur rebus Deo dedicatis, vt loco sacro, scilicet templo vel cœmiterio, vel his quæ pertinent ad ornatum templi, vel sacro tempori, videtur esse quidam timor quo timemus intrare templum illoti vel non sanctificati, vel appropinquare altari, vel aliis rebus sacris, vel contrectare res sacras, vel inquinare nos in loco vel tempore sacro, vel violentiam inferre sacro loco, vel communia opera ibi excercere, de hoc timore legitur, Genes. 28. *Quam terribilis est locus iste? non est hîc aliud nisi domus Dei, &c.* Malach. 2. *Leui à facie nominis mei pauebat.* Cum Dominus sanctus sit, in sanctitate vult appropinquari ad eius ministerium. Exod. 28. *Aaron sanctificatus minister mihi,* Qui vero Deum non ostendit sanctum ad ministerium eius in sanctitate appropinquãdo, ipse ostendet eum non sanctum pro immunditia sua à Deo pœnam recipiendo. Leuit. 10. *Arreptis Nadab & Abiu filij Aaron thuribulis, imposuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienam, quod eis præceptum non erat: egressusque ignis à Domino, deuorauit eos. Dixitque Moyses: Hoc est quod locutus est Dominus. Sanctificabor in his qui appropinquant mihi.* Non legitur Christum in Euangelio in vita ista tantam iram per zelum ostendisse, quantam ostendit cum vidit quod templo non exhibebatur debita reuerentia. Ioann. 2. & Matth. 22. *Tunc impletum est illud, Zelus domus tuæ comedit me.* Marc. 10. legitur, quod nõ sinebat vt quisquam transferret vas per templum 1. Corinth. 3. *Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Traditur de Pompeio, quod postquàm illi qui cum eo erant prophanauerunt templum, & stabulauerunt equos in porticu templi, nunquam post pugnauit quin vinceretur, qui hactenus fuerat fortunatissimus: & Heliodorus volens templum spoliare, diuinitus flagellatus est. 2. Machab. 3.

Reuerẽtia exhibita rebus sacris timor est.

Capvt III.

De errore illorum qui dicunt Ecclesiam idololatrare circa Sanctos & imagines Sanctorum.

Sequitur de errore illorum qui dicunt Ecclesiam idololatrare, quia ponit in Ecclesiis imagines, & adorat diuersos sanctos. Qui error occasionem potuit habere ex illo verbo. Exod. 20. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, &c. Non adorabis ea, neque coles.* Item in Psalm. *Confundantur omnes qui adorant sculptilia.* Esther 3. legitur de Mardochæo, quod solus non flectebat genua, nec adorabat Aman, cum omnes serui regis qui in foribus palatij morabantur hoc facerent: sic enim eis præceperat Imperatur: & Danielis tertio, Tres pueri noluerunt adorare statuam

Erro[r] circa imag[i]nes nostr[æ] Eccle[siæ] Psal.[...]

Nabuchodonosor. Item Apocalypseos vltim. dixit angelus Ioanni, cùm cecidisset ad pedes eius vt eum adoraret. *Vide ne feceris: conseruus tuus sum & confratrum tuorum.* Sed contrarium manifestè ostenditur ex hoc quod Dominus imagines Cherubim præcepit fieri. Exod. 15. Esaiæ etiam vidit Dominum sedentem super solium excelsum. Esaiæ 6. *Seraphim stabant super illud, &c.* Ezechiel vidit imagines quatuor animaliũ. Ezech. 1. & Ioan. Apocal. 4. Quas figuras sicut sancti minutis literis scripserunt, quantum ad illos qui legem sciunt: sic picturis vel sculpturis quasi grossis literis scribi potuit, quantum ad laïcos qui legem nesciunt. Sicut enim Scripturæ literæ sunt clericorum: ita picturæ vel sculpturæ literæ sunt laïcorũ. Licet ergo Eccles. habere imagines: nec est hæc reuocatio idololatriæ, sed potiùs reuocatio ab idololatria. Et sicut Dominus voluit sibi sacrificia fieri, vt filios Israël reuocaret à sacrificijs quæ idolis fiebant: ita imagines solebant fieri diis qui colebantur, volens Ecclesia homines ab hoc reuocare, voluit imagines fieri in Ecclesia ad rememorandum facta memoria digna. Damas. Quia non omnes noscunt litteras nec lectioni vacant, Patres excogitauerunt velut quosdam triumphos imaginibus scribere. Prohibuit autem Moyses fieri sculptile vel similitudinem falsorum deorum, ad adorandum vel colendum. Vnde subdidit: *Non adorabis ea neque coles.* Nec fuit intentio sua prohibere omninò, vt nulla similitudo fieret, vel nullum sculptile, cùm ipsemet contrarium fecerit, vt in Cherubim. Exod. 15. Adoratio verò quam Moyses prohibuit fieri creaturæ, adoratio latriæ fuit, non adoratio duliæ. Ad illud verò quod dixit angelus Ioanni, *Vide ne fecerit.* Dicendum est quod hoc dixit vt daret exemplum humilitatis, exemplum scilicet refugiendi honorem huius, cum aliqui exhibent: vel ad ostendendum sublimitatem humanæ naturæ in Christo sublimatæ. Greg. Timet angelus adorari ab humana natura, quam videt in Deo sublimatam. Vel quia periculosa est talis adoratio propter facilem declinationem in idololatriam. Vnde Aug. loquens de Angelis venientibus ad Abraham: Duplici, inquit, de causa aliquis est arcendus à bono: vel propter maius bonum aggrediendum, vt Deus reuocauit, volentem sepelire patrem suum. Matth. 8. vel propter facilem declinationem in malum. Et notandum quod spirituales substantiæ, licet corporeæ non sint, tamen figurari possunt corporeis imaginibus illarum rerum in quibus quandoque leguntur apparuisse: vt angeli qui apparuerunt Loth & Abraham, assumptis corporibus humanis in figura humana depinguntur. Item notandum quod propter hoc, quia angelus sathanæ transfigurat se in angelum lucis, vel in speciem Christi, si appareat aliquis alicubi in specie angeli vel Christi, & non constet ei cui apparet an sit angelus vel Christus, adorare potest Christum simpliciter, vbicunque ipse sit, recognoscendo eum filium Dei æternum, omnipotentem: non tamen debet adorare eum in eo qui ei apparet, nisi sub conditione, scilicet, si ipse est Christus. Matth. 24. *Si quis dixerit vobis: Ecce hîc est Christus vel illic, nolite credere.* Item exhibere potest debitam reuerentiam omnibus beatis angelis Dei vbicunque sint, illi vero qui apparet non simpliciter, sed sub conditione, scilicet si est de beatis angelis Dei.

DE ORATIONE.

PARS VIII.

Quæ habet decem Capitula.

CAPVT PRIMVM.

De ordine dicendorum de Oratione. Et de diuersis acceptionibus huius nominis Oratio.

POst latriam & duliam tractabitur de oratione. Ab eo enim cui cultum latriæ vel duliæ impendimus oratione beneficium impetramus. Et honor latriæ vel duliæ efficacem reddit orationem: secundum illud Eccles. 35. *Qui adorat Deum, in oblectatione suscipietur: & deprecatio illius vsque ad nubes appropinquabit.* Præterea oratione quodammodo Dei maiestatem profitemur: dum pro defectibus nostris supplendis, ad eum quasi ad fontem bonitatis orãdo recurrimus. Item cum ab eo postulamus ea quæ soli potentiæ diuinæ possibilia sunt, & soli liberalitati diuinæ cõgruunt, vt est collatio regni cœlestis. De oratione vero hoc modo tractabitur, & primo ponentur diuersæ acceptiones huius nominis Oratio. Secundo, eius descriptiones. Tertio, commendationes. Quarto, agetur de præparatione orationis. Quinto, de impedimentis eius. Sexto, ostendetur quando sit orandum. Septimo, vbi orandum. Octauo, quomodo orandum. Nono, quid orandum. Decimo, agetur de speciebus orationis. Circa primum notandum quod oratio quandoque, dicitur esse opus bonum. Vnde super illud 1. Thess. vlt. *Sine intermißione orate*, dicit gloss. Semper orat, qui semper benè agit. Quandoque vero dicitur iustitia seu bonitas hominis, quæ apparens Deo in filiis eius quasi quædam imago Dei, habet quasi vim orationis apud Deũ: sicut & apparitio filij Dei coram patre suo, est quasi oratio pro nobis. Heb. 9. *Iesus introiuit in cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Sic sumitur, Orate in gloss. super illud 1. Thess. vlt. *Sine intermißione, &c.* Iustus nunquam desinit orare, nisi desinat iustus esse. Bernard. ad fratres de monte Dei, specialiter dicit charitate Dei, à qua maxime est bonitas in anima, quod ipsa est oratio nunquam deficiens. Charitas, inquit, quæ nunquam deficit, ipsa est sine intermissione oratio. Et subdit. Est enim quædam iugis bonitas mentis, & bene compositi animi, & ad patrem Deum in filiis Dei bonitatis quædam similitudo. Quondoque oratio dicitur petitio boni, siue dirigatur ad Deum, siue ad Angelos, siue ad Sanctos: sic litania oratio est, vel orationes. Quandoque vero strictius sumitur, vt dicatur oratio petitio boni, quæ ad Deun dirigitur: & sic maxime à magistris sumitur, vt inferius patebit. Quandoque vero amplius restringitur, scilicet ad petitionem, quæ est pro adipiscendis bonis. Vnde gloss. super illud Psalm. *Exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationẽ, &c.* Deprecatio est pro remouendis malis, oratio pro adipiscendis bonis. Psal.

CAPVT II.

De descriptionibus Orationis.

CIrca secundum notandum quod oratio sic describitur à Ioanne Damasc. Oratio est ascensus intellectus ad Deum. Intellectum verò hic accipias prout comprehendit duas vires, quę sunt propriè animæ rationalis, quarum vna est apprehensiua, altera motiua. Apprehensiua dicitur intellectus speculatiuus: motiua intellectus practicus. Ad Deum ascendit, cum hac consideratione humanorum defectuum, ad consideratione̋ boni sufficientissimi & potentissimi supplere defe-

id ora- ctus illos transit. Et innuitur in hoc modus quo debet procedere qui vult orare. Primo enim debet defectus suos considerare, deinde ascendere ad eius liberalitatem, qui hoc potest supplere. Vnde 3. Reg. 6. Dixit Salomon tẽplo ædificato: *Si quis cognouerit plagam cordis sui, & extenderit manus suas in domo hac: tu exaudies in cœlo, &c.* Intellectus practicus ad Deum ascendit desiderio & spe, à liberalitate eius sperando impleri desiderium suum. Item oratio describitur sic à Ioanne Damasc. Oratio est petitio dicentium à Deo: Non decet Dei filios omnia indifferenter petere. Nec Deum decet omnia indifferenter dare. Non sunt petenda à Deo nisi honesta: Seneca in epistolis: Quanta, inquit, dementia est, hominum turpissima vota Deo insusurrant: ita vt si quis aurem admouerit, conticescant; & quod scire hominem nolunt, Deo narrant. Sic viue cum hominibus, tanquam Deus videat: sic loquere cum Deo, tanquã homines videant. Non decet filios Dei petere vilia: vt sensibilia ista quæ sunt trãsitoria & corruptibilia. Senec. in epistolis: Maior sum & ad maiora natus, quam vt mancipium sim sensuum meorum. Item nõ decet viros virtutis petere puerilia. 1. Cor. 13. *Quando factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Item oratio sic describitur: Oratio est pius mentis affectus in Deum directus. Iste affectus desiderium est. Vnde super illud primæ ad Thessalonicenses vltimo capite. *Sine intermissione orate,* dicit gloss. Ipsum desiderium bonorum, oratio est: & si continuum est desiderium, continua est oratio. Pietas, à qua pius est affectus, quæ est oratio, est theosebia, siue cultus Deo debitus, qui comprehendit fidem, spem, & charitatem. Vnde Aug. de orando Deo, ad Probam: Ipsa, fide, spe, & charitate continuato desiderio semper oramus. Idem in eodem: Ora in spe, ora fideliter & amanter. Affectus qui est in Deum, dicitur dirigi ad modum nuntij. Est enim velut nuntius ab homine ad Deum missus. Vnde super illud Psalm. *Intret oratio mea in conspectu tuo,* Ps. 87. dicit Gloss. Virtus magna puræ orationis hic notatur, qui quasi persona quædam ad Deum intrat, & mandatum peragit quò caro peruenire nequit. Item in lib. de Spiritu & anima sic describitur: Oratio est mentis conuersio in Deum per pium & humilem affectum. Greg. vero in sexta parte Moral. dicit quod veraciter orare est amaros compunctionis gemitus & non composita verba resonare. Item oratio magistraliter sic describitur: Oratio est ostensio voluntatis nostræ ei à quo impetrare speramus id quod desideramus.

CAPVT III.

De commendatione Orationis.

Ad commendationem Orationis. Primò valere potest frequens admonitio quam sacra Scriptura facit ad orandum. Ecclef. 18. *Non impediaris orare semper.* Ier. 33. *Clama ad me, & exaudiam te.* 1. Mach. 5. *Et nunc clamemus in cœlum.* Luc. 11. *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Aug. Non tamen hortaretur vt peteremus, nisi dare vellet. Erubescat humana pigritia: plus vult ille dare, quàm nos accipere: plus vult ille misereri, quàm nos à miseria liberari. Item Luc. 22. & Matt. 26. *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Rom. 12. *Orationi instantes.* Item ad Coloss. 41. ad Thess. vlt. *Sine intermissione orate.* Iac. 1. *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, &c.* Eiusdem 1. *Tristatur aliquis vestrum, &c.* 1. Petr. 4. *Vigilate in orationibus.* Secundo exempla, & inter ea est efficacissimum exemplum Christi, qui licet oratione non indigeret, cum per se omnia posset: tamen vt daret nobis exemplum orandi, toties orabat. De eius oratione habes Matth. 14. *Dimissa turba ascendit in montem solus orare.* Item

Christ• orauit. eiusdem 26. *Sedete hic donec vadam illuc, & orem: progressus pusillum procidit in faciem suam, orans & dicens*: Pater mi, *&c.* Et paulo post: Iterum secundùm abiit & orauit: dicens: *Pater mi, &c.* Et subditur: *Et orauit tertiò eundem sermonem dicens.* Idem Marci 1. *Diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.* Idem Luc. 4. *Iesu baptizato & orante, apertum est cœlum.* Et eiusdem 6. *Factum est in diebus illis, exiit in montem orare; & erat pernoctans in oratione Dei.* Item eiusdem 9. *Facta est species eius altera dum oraret.* Item 1. *Factum est, cum esset in loco quodam orans, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare.* Item eiusdem 22. *Et factus in agonia prolixius orabat.* Eiusd. 23. *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Ioan. 12. *Pater, saluifica me ex hac hora.* Item eiusdem 17. habes multum de oratione eius. Ad commendationem etiam orationis valere possunt exempla alia; & causa breuitatis, pauca de illis tangamus. Legitur Luc. 2. de Anna, quod non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens die ac nocte. Et Actuum 1. E*rant omnes perseuerantes in oratione vnanimiter cum mulieribus, & Maria matre Iesu & fratribus.* Et eiusd. 10. *Ascendit Petrus in supertora domus, vt oraret.* Et de B. Martino legitur, quod etiam moriens inuictum ab oratione spiritũ non relaxabat. Et de Paulo primo eremita legitur, quod mortuus quasi orabat: vnde habuit signũ orãtis, ore & manibus in cœlum erectis, cũ inueniretur sanctum cadauer eius appodiatum arbori à B. Antonio, qui de eo ait: Patet quàm assidue, quantumque oraret Deum viuus, qui non desinit orare mortuus. Et Iacobus Alphæi ex vtero matris sanctificatur, ex assiduitate orandi contraxerat in genibus suis duritiem camelorum. Et Bartholomæus centies in die, & centies in nocte ante Deum genua flectebat.

Tertio, quod filius Dei adeo diligenter nos voluit instruere ad adorandum. Vix enim est aliquod opus ad quod ita diligenter instruxerit. Ipse enim docuit quid orandum, & vbi, quando, & quomodo orandum, & quo fine, & qua necessitate, vt in sequentibus patere poterit. Noluit nos negligenter addiscere, quod adeo voluit diligenter docere. Verecundũ est discipulis Christi ignorare, quod magister eorum diligentissime docuit. Item verecundum est eis raro facere quod magister eorum tantum frequentauit.

Quartò, dignitas angelorum orationes nostras Deo offerẽtium. Tob. 12. dixit Angelus Tob. *Quando orabas cum lachrymis & sepeliebas mortuos: ego obtuli orationem tuam Domino.* Non debet homini esse onerosum xenium illud Deo mittere, quod angelus non dedignatur ei deferre: imo quod plus est, ipse Christus qui inquantũ homo est, summus Sacerdos, illud offert Deo Patri. Quod figuratur in hoc quod Diaconus thuribulũ tradit sacerdoti, & sacerdos thurificat Deo. Sic Christus orationes Ecclesiæ Deo patri pręsẽtat, quæ præsentatio multũ facit eas valere. Quomodo n. à Deo contemneretur, quod à tanto mediatore ei præsentatur. Quinto, præeminentia quam oratio habet respectu aliorũ operum. Oratio præmium respectu lectionis. Isidor. Orationibus mundamur, lectionibus instruimur, vtrumque bonum est si liceat: si non liceat, melius est orare quam legere. Item præeminentia quam videtur habere respectu ieiunij & eleemosynæ. Primò, in hoc quod oratio est respectu eius quod supra nos est, sc. respectu Dei: eleemosyna vero & ieiunium respectu eius quod iuxta nos, vel infra nos. Vnde cum oratio ad digniorem ordinet, in hoc videtur esse dignior. Præterea ieiuniũ & eleemosyna videntur seruire orationi. Sunt enim velut duæ alæ, de quibus dicit Isidor. Qui vult orationem suam volare ad Deum, faciat illi duas alas, ieiunium & eleemosynam. Tob. 12. *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.* Oratio columba est, auis scilicet Spiritus sancti, quæ ramum

ramum oliuæ apportat, dum pacem hominibus impetrat. Ideo dicimus esse auem Spiritus sancti: quia deuota oratio à Spiritu S. est Rom. 8. *Spiritus sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Bern. Trepida est omnis oratio, nisi eam præcedat inspiratio. Sexto, facilitas huius operis. Si dicatur alicui quod det eleemosynam, potest excusare se, cum non semper habeat homo argentum in bursa. Si dicatur ei quod ieiunet, potest excusare se, cum multi propter debilitatem capitis ieiunare non possint. Sed ab oratione nullus potest excusare se. Quilibet enim potest habere orationem saltem mentalem, etiam si sit mutus. Vnde Psal. *Apud me oratio.* Et super illud, *Iustus autem miseretur,* dicit Gl. Semper est aliquid iusto quod det, saltem orationem Chrysost. Solam orationē quasi spirituale tributum anima offert de suis visceribus. Septimo, quod opus hoc est honorabile. Multa sunt officia, quæ aliquibus cederent ad dedecus; sicut arare, vel fodere: sed orare Deum, nulli quantumcunque nobili cedit ad dedecus: quia cum oramus, ipsi cum Domino loquimur, quod sine dubio magnus honor est. Isidor. Qui vult cum Deo esse, frequenter oret & legat: nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur: cùm verò legimus, Deus nobiscum loquitur. Octauo, quod officium istud valdè lucrosum est. Quod primo potest ostendi ex hoc, quod nihil est ad quod oratio valere non possit. Vnde secundo Paralip. 20. *Quum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos ad te dirigamus,* hoc est officium quo potest homo lucrari omni tempore, in hyeme, & in æstate, in sereno & in pluuiali tempore, de die & de nocte, festiuis diebus & ferialibus, in infirmitate & sanitate, in iuuentute & senectute, stando & eundo, in domo & extra domum. Quandóque vna hora plus lucratur homo orando, quam valeat ciuitas vna: quia modica oratione deuota, acquirit homo regnum cœlorum. Nono,

[Margin: ...b oratione ...llus ...cipi...r.]

[Margin: ...al. 31.]

orandi necessitas, quam in præsenti habemus. Tria solent esse occasio clamandi habentibus: ignis, aqua, hostes. Bern. Hæc tria quasi singulis diebus incitare debent nos vt ad Deum in oratione clamemus. Vix enim est dies in quo domus conscientiæ nostræ non succendantur igne infernali: sc. igne concupiscentiæ prauæ. Vnde necesse habemus clamare ad aquam diuinæ gratiæ, & ad aquam lacrymarum recurrere. Ignis iste aliquando ex vna parte extinguitur, & ex alia parte accenditur. Ex ipsa enim aqua lacrymarum, vnde debuit extingui, quandóque vires sumit: vt quum aliquis vanè gloriatur de hoc quod peccata sua plorat. Item vix est dies in quo homo non sentiat fluctus malarum cogitationum super caput cordis sui, vt necesse habemus frequenter clamare illud Matt. 8. *Domine, salua nos; perimus.* Item vix est dies in quo hostes suos non videat ad portas castri sui: vt quum verba mala in ore habet, vel fatuam mulierem aspicit. Oratio multum competit loco in quo sumus. Sumus enim in valle miseriæ: ideò necesse habemus ad Dei misericordiam frequenter orando clamare. Pugnam habemus cum eo de quo scriptum est. Iob. 41. *Non est potestas in terra, quæ ei valeat comparari.* Ideo necessario habemus frequenter auxilium Dei inuocare. In futuro cessabit hæc pugna: ideo non erit oratio necessaria. August. de orando Deo: In vita æterna non erit vlla tentatio, itaque nec oratio: neque enim erit ibi boni promissi expectatio, sed redditi contemplatio. Decimo commendabilis est oratio à multiplici suo effectu. Notandum ergo quod oratio infirmitatem corporis sanat. Eccl. 38. *Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum: sed ora ad Dominum, & curabit te.* Iacob. vlt. *Oratio fidei sanabit infirmum.* Item vitam prolongat. Esa. 38. *Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos.* Item ab opprobrio liberat, vt Saram filiam Raguelis. Tob. 3. Liberat etiam à

[Margin: Tria sunt occasio clamā-di.]

mortis periculo, vt Susannam Dan. 12. Itē à principe iniquo. Baruch. *Clamate ad Dominum, & eripiet vos de manu principum inimicorum.* Act. 11. Liberauit Petrum de carcere, Ecclesia sine intermissione orante pro eo. Item Ionas orans de ventre ceti liberatus est. Ionæ 2. Item oratio sanat morbos spirituales. Iac. vlt. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent,* &c. *& si in peccatis sit, dimittentur ei.* Hieron. Ieiunio sanantur pestes corporis, oratione pestes mentis. Item oratio etiam in bello corporali triumphat. Exod. 17. *Quum leuaret manus Moyses, vincebat Israel.* Iudic. 14. *Memores estote Moysi serui Dei, qui Amalech* (non ferro pugnando, sed precibus sanctis) *deiecit.* Gloss. super Num. Plus valet vnus sanctus orando, quā innumeri peccatores præliando. Oratio sancti cœlum penetrat: quomodo hostes in terris non vincat? Plus vetula vna acquirit de cœlo vna hora orando, quā mille milites armati acquirunt de terra longo tempore præliando. Item de hostibus spiritualibus triumphat. Isidorus: Hoc est remedium eius qui vitiorum tentamentis æstuat, vt quoties quolibet tangitur vitio, toties se ad orationem subdat: quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. Dicebat magnus Cantor Parisiensis: Qui molestatur luxuria vel huiusmodi, certum numerum genuflectionum cum litania sibi constituat. Item oratio dæmones fugat. Matt. 17. & Marc. 9. *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, nisi per ieiunium & orationem.* Item dæmones cruciat. Vnde clamabat quidam dæmonio plenus, Bartholomæe Apostole Dei, incēdunt me orationes tuæ. Item oratio hominem illuminat. Vnde super illud Act. 10. *Erat Petrus in Ioppe orans*, dicit Aug. Oratione melius soluuntur dubia, quàm inquisitione alia. Item ad amorem Dei inflammat. Vnde 4. Reg. 1. *Descendit ignis de cœlo ad orationem Eliæ.* Item mundat. Isid. Orationibus mundamur. Item confortat. Luc. 21. *Positis genibus orabat dicens: Pater, &c.* Et subditur: *Apparuit autem illi angelus de cœlo, confortans eum.* Bernardus ad fratres de monte Dei: Amorem Dei oratio illuminat & confortat. Maximæ consolationes ab amicis Dei in orationem recipiuntur. Eccles. 15. *Qui adorat Deum, in oblectatione suscipietur.* Luc. 9. *Ascendit Iesus in montem vt oraret: & facta est, dum oraret, species vultus eius altera, & vestitus illius albus refulgens.* Item oratio etiam ad tranquillitatem valet. 1. Tim. 1. *Obsecro primùm omnium fieri obsecrationes, &c.* Vt quietam & tranquillam vitam agamus. Iob. 8. *Si diluculo consurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus, statim euigilabit ad te, & paratum reddet habitaculum tuum.* Nec solùm oratio operatur in terra, sed etiam in cœlo. Aug. Magna virtus orationis, quę effusa in terra, operatur in cœlo. Ipsa cœlum aperit. Luc. 4. *Iesu baptizato & orante, apertum est cœlum.* Ipsa etiam cœlum claudit, vt patet in oratione Eliæ, 3. Reg. 18. Iacob. vlt. *Multum valet deprecatio iusti assidua.* Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, *&c.* Oratio etiā Deum mitigat. Vnde super illud Tob. 3. vbi dicitur quod tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit: sed in oratione persistens cum lacrymis deprecabatur Deum, dicit gl. Oratio Deū lenit, lacryma cogit: hęc vngit, illa pungit. Oratio velut quoddam scutum ab ira protegit. Vnde Sapient. cap. 18. *Properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ.* Oratio quodammodo tenet Deum, & habet in potestate sua. Exod. 32. Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos. Gregorius: Quid est dicere seruo: Dimitte me, nisi deprecandi ausum præbere? quasi diceret. Pensa quantum ad me valeas, & cognosce quia obtinere poteris quidquid pro populo oras. Esa. 44. Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te. Ierem. 7. *Noli orare pro po-*

pulo hoc, & ne assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi. Item oratio cœlestem curiam quasi quadam redolentia delectat. Apoc. 5. *Habebant phialas aureas plenas odoramentorum*, quæ sunt orationes Sanctorum Oratione sancti impetrant apud Deum quod volunt, secundum promissiones à Christo factas. Matt. 18. *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quacunque petierint, fiet illis à Patre meo.* Eiusd. 21. *Omnia quacumque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Et Luc. 11. *Petite & dabitur vobis, &c.* Item Ioan. 16. *Petite & accipietis.*

Capvt IV.

De præparatione Orationis.

Ad præparationem Orationis monemur. Ecclef. 18. Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat eum. Orans tunc Deum tentare videtur, quum illud pro quo orat, nec impetrare desiderat, nec se acceptuꝝ rum sperat. Præparatio multum valet ad hoc vt oratio exaudiatur. Psalm. *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Huius præparationis figura est, præparatio quam facit sacerdos celebraturus induendo se sacris vestibus. Item hanc præparationem nobis commendat templi ædificatio, & ornatus ipsius. Priùs ædificauit Salomon templum, deinde ad Deum orauit 3. Reg. 8.

[Duplex præparatio ad orationem.]

Et notãdum, quod duplex est præparatio ad orandum: quædam propinqua, quędam remota. Ad remotam præparationem pertinet, primo quod homo bene viuat Greg. sup. Iob. Sunt nonnulli intra Ecclesias qui prolixas ad Deũ preces habent, sed vitam deprecãtium non habent. Item in Dialogo: Quid mirum si postulantes tardè à Domino exaudimur, qui præcipientem Dominum tarde aut etiam nullo modo audimus: Idẽ in Moral. Clamorem angustiæ tempore Dominus non audit, quia tranquillitatis tempore in præceptis suis ipse clamantem Dominum non audiuit. Isid. Non potest habere precum certã fiduciam, qui adhuc in præceptis Dei pigritat, & quem peccandi recordatio delectat. Qui à præceptis Dei auertitur, quod in oratione postulat non meretur: nec impetrat ab illo bonum quod poscit, cuius legi non obedit. Idem: Si id quod Deus præcepit facimus: id quod petimus sine dubio obtinemus. 1. Ioan. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, quidquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus.* August. in lib. de opere monach. Citius exauditur vna obedientis oratio, quàm decem millia contemptoris. Psalm. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum,* secundum Isidor. necessarium est vt oratione operatio, & opere fulciatur oratio. Moyses oratione pugnans contra Amalech, manus habebat ad Deum leuatas. Exod. 17. Thren. 3. *Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum.* Isid. Cor suum manibus leuat, qui orationem cum opere subleuat. In Psal. *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Quod sacrificium erat dignius. 1. Tim. 2. *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus.*

[Ad orationem ieiuniũ & eleemosyna pertinent.]

Item ad præparationem remotam specialiter videntur pertinere ieiunium & eleemosyna, quæ specialiter iuuant orationem. Vnde cum thure in quo significatur orationis deuotio, offerunt Magi aurum, in quo significatur eleemosyna: & myrrham, in qua significatur carnis maceratio, quæ est per ieiunium. Matth. 2. Hæ sunt duæ animæ orationis, de quibus loquitur Isidor. Tob. 12. *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.* Qui ieiunio corpus suum macerat, dum miseriam assumit, Dei misericordiam prouocat, & sic orationem iuuat. Daniel. 9. *Posui faciẽ meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari, in ieiunio, sacco & cinere.* Qui vero eleemosynam dat, dum misericors proximo exi-

ſtit, Deum ſibi eſſe miſericordem inuitat. Matth. 5. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Eſa. 50. *Frange eſurienti panem tuum, &c. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adſum, quia miſericors ſum Dominus Deus tuus.* Qui vult aliquid ab aliquo impetrare, præmittit munera, vt facilius impetret. Eccleſ. 19. *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc exorabit pro te.* Item ad præparationem remotam videtur pertinere confeſſio homini facta. Iacob. vltim. *Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate, &c.* Et ſacerdos celebraturus Miſſam, facit generalem confeſſionem. Appropinquans verò præparationem.

1. Ad orationem requiritur reuocatio cordis. Primo videtur pertinere reuocatio cordis ab exterioribus ad interiora cum retentione eius. Matth. 6. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum, &c.* Ingreſſus in cubiculũ, eſt cordis reuocatio. Clauſio oſtij eſt cordis retentio. Fatuum eſt Deum inuocare vt ad ſe veniat & gratiæ eleemoſynam conferat, ſi homo eum non expectat. Ber. omnes nobis plangimus deeſſe gratiã: ſed iuſtius, ipſa gratia conqueritur nonnullos deeſſe ſibi. Idem: Sic pauperes cum multis clamoribus inuocatus fuerit diſtributor eleemoſynarum diuerticula captãt. Iſid. Purgandus eſt primum animus, atque à temporalium rerum cogitationibus ſegregandus, vt pura acies cordis ad Deũ vere & ſimpliciter dirigatur. Idem: Pura eſt oratio quam in ſuo tempore ſeculi non interueniunt curæ. Longè autem à Deo eſt animus qui in oratione, cogitationibus ſæculi fuerit occupatus.

2. Cõſideratio ſuiipſius. Secundo pertinet ad propinquam præparationem cõſideratio ſuiipſius. Bernard. ad fratres de monte Dei: Debemus noſmetipſos coram Deo conſtituere, quaſi facie ad faciem, & in lumine eius proſpicere tribulationem de nobiſipſis nobis venientem. Iſid. Quum Deo aſſiſtimus, gemere & flere debemus reminiſcentes quàm grauia ſunt quæ cõmiſimus, quàm dura inferni ſupplicia quæ timemus. Dicebat quidam, quod latrones & tyranni docuerant eum orare. Latro attendens quid fecit, & quod tormentum ſibi præparatum ſit, inter hæc duo cum multis lacrymis miſericordiã petit: Tyranni vero ea quæ ſunt miſerabiliora in eis improbiſſime oſtendunt, & quæ ſana ſunt abſcõdunt, vt magnitudo miſericordiæ ad miſericordiã excitet. 3. Reg. 8. *Si quis cognouerit plagam cordis ſui, & extenderit manus ſuas in domo hac, tu exaudies in cœlo.* Ex conſideratione peccatorum prouenit luctus qui multum valet in oratione, vt inferius oſtendetur. Iſidor. peccatorum recordatio mœrorem gignit, luctus vero mentem puriorem reddit: quod ſic valet ad hoc, vt oratio exaudiatur. Auguſt. Munda tantum cubiculum cordis, intus eſt qui exaudiet. Et ſuper illud Pſalm. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus*, dicit Gloſſ. Puritas orationis auditur. Libanus Hebræa lingua candor interpretatur, lingua vero Græca, thus. Candor enim puritatis, & deuotio orationis quæ in thure deſignatur congruè ſibi iunguntur. Item ex conſideratione peccatorum humilitas prouenit, quæ multum iuuat orationem. Eccl. 35. *Oratio humiliantis ſe, nubes penetrabit.* Item conſideratio ſtatus periculoſi multum valet ad augmentum deſiderij. Magnitudo vero deſiderij multum iuuat orationem ad hoc vt exaudiatur: vt inferius patebit.

Tertio, pertinet ad præparationem propinquam, vt attendatur ad eum cui ſacrificium orationis offert. In Pſal. *Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus.* Multum deberet nos reddere attentos in oratione hoc quod cum Domino maieſtatis loquimur. Gen. 18. dicit Abraham: *Loquar ad Dominum meum, cum ſim puluis & cinis.* Ber. loquens de proficiente: Admonendus eſt, inquit, quanta poteſt puritate cordis intendere in eum cui ſacrificium ora- 3. cui o[...] ratur

tionis offert, se ipsum intendere qui offert: intelligere quid offert. Quantum enim videt vel intelligit illum cui offert, tantum est ei in affectu. Sicut secundum ligna syluæ exardescit ignis. Ecclesiast. 28. Sic secundum diuersas meditationes de Deo, sequuntur diuersas affectiones. Meditationem iustitiæ diuinæ sequitur affectio timoris: meditationem misericordiæ affectio spei: meditationem sapientiæ omnia videntis, affectio erubescentiæ: meditationem bonitatis vel beneficentiæ, affectio gratitudinis vel amoris: meditationem suauitatis diuinæ, affectio quæ potest dici sancta esuries. Secundum verò affectum mentis sequitur affectus orationis. Augustinus de orando Deo, ad Probam: Dignior, inquit, sequitur effectus quem feruentior præcedit affectus. Affectio spei specialiter valet ad impetrandum. Bernard. Quatenus in bonis Domini pedem fiduciæ porrexeris, eatenus possidebis. Idem: Nihil omnipotentiam verbi clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes qui in se sperant. Denique omnia possibilia sunt credenti. Voluit Christus orantes specialiter attendere, quod Deus pater, Deus deorum est, vt fiduciam haberent impetrandi quod peterent. Naturale enim dignoscitur esse patris, filiis vtilia prouidere. Vnde cum dixissent discipuli ei, *Domine, doce nos orare:* Respondit, *Cùm oratis, dicite: Pater noster, &c.* Luc. 11. Et in eodem. *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester cœlestis, dabit spiritum bonum petentibus se?* Et Iob 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

CAPVT V.

De impedimentis Orationis.

DIxit Abbas Euagilus: Magnum est quidem sine impedimento orare, maius etiam est psallere sine impedimento. Dicebat Abbas Agathon: Nullum laborem tantum esse in religione, quantum orare Deum. Diabolus enim nullum opus tantum conatur interrumpere, quantum orationem deuotam. Aliud enim opus quousque perficiatur habet aliquam requiem, oratio autem nullam. Et possunt enumerari duodecim impedimenta orationis.

Primum est, peccatum orantis. Esa. 1. *Quum multiplicaueritis orationes vestras, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* In Psalm. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Esa. 59. *Peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.* Ierem. 5. *Peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis.* Thren. 3. *Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus: idcirco inexorabilis es.* In eod. *Opposuisti tibi nubem, ne transiret oratio.* Ioan. 9. *Scimus quia Deus peccatores non audit, &c.*

Secundum est orationis dubietas. Iac. 1. *Postulet in fide, nihil hæsitans.* Et subditur de hæsitante: *Non æstimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino.* Bernard. Indignus cœlesti benedictione esse conuincitur, qui Deum dubio quærit affectu.

Tertium est, quod non petitur quod petendũ est: quia scil. vtile est quod petitur, vel non expediens petenti. Ioan. 16. *Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo.* Gloss. quod aliquid sit rei comparatione permanentis. Matth. 20. *Nescitis quid petatis,* dictum est filiis Zebedæi petẽtibus honorẽ. Et Paulo petenti amotionẽ stimuli quæ sibi non expediebat, dictũ est: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in*

infirmitate perficitur. Ideo frequenter Ecclesia non auditur petendo amotionem tribulationum. Esa. 26. *Misereamur impio, & non discet facere iustitiam.* Iac. 4. *Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis.* Isidor. Multi orantes non exaudiuntur: prouidet enim Deus illis meliora quàm petunt. Sicut contingere solet paruulis, qui ne in scholis vapulent, Deum exorant: sed non datur illis postulationis effectus, quia impedit talis exauditio ad profectum. Quartum est, indignitas eius pro quo oratur. Ierem. 7. & 11. *Noli orare pro populo isto, neque assumas pro eis laudem & orationem: quia non exaudiam.* Eiusd. 15. *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum iustum.* In vitis patrum quidam frater patiebatur molestiam à spiritu fornicationis, & abiit sæpe ad seniorem vt pro se oraret. Cúmque frequens oratio senioris eum non iuuaret, Dominus nocte seniori ostendit negligentiam fratris esse in causa quare non exaudiretur. Vidit enim senior monachum sedentem, & spiritum fornicationis in diuersis formis mulierum ludentem apud ipsum, & ipsum cum eis delectari. Vidit etiam angelum Domini astantem & indignantem grauiter contra eundem fratrem, quia non surgebat nec prosternebat se in orationibus ante Deum, sed magis delectabatur in cogitationibus suis: cognouit ergo senior culpam fratris esse quod ipse non exaudiebatur pro eo, & dixit fratri: Impossibile est discedere à te spiritum fornicationis, aliis pro te orantibus, nisi tu ipse laborem assumas in ieiuniis & orationibus, & vigiliis, rogans Dominum cum gemitu. Audiens frater verba senioris, compunctus est corde, & per afflictionem corporis meruit misericordiam.

Quintum est, cogitationum malarum multitudo. Eccles. 10. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Genes. 15. Abigebat Abraham volucres à sacrificio. 2. Mach. 2. *Templum eius sicut homo ignobilis.* Templum spirituale est, vt homo ignobilis cum immundis cogitationibus occupatur.

Sextum est, contemptus diuinæ legis. Prou. 28. *Qui declinat aurem suam ne audiat legem, eius oratio erit execrabilis.* Prouerb. 1. *Inuocabunt me, & non exaudiam, &c. eo quod exosam habuerunt disciplinam.*

Septimum est durities. Quæ duplex est: quædam in pauperes, de qua, Prou. 11. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit ipse, & non exaudietur.* Alia est ad eos qui offenderunt, quum aliquis non vult eis remittere. Eccles. 28. *Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata soluentur.* In eodem: *Homo homini seruat iram, & à* Deo *quærit medelam.* Marc. 11. *Cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis aduersus aliquem; & Pater vester qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra.*

Octauum est, peccati additio. Eccl. 34. *Vnus orans & vnus maledicens, cuius vocem exaudiet* Dominus*?* Opus malum orationi additum est quasi quædam maledictio vel mali imprecatio, quæ orationi aduersatur. Qui peccatum addit, quasi elongat se à Deo: & ideo difficilius à Deo exauditur. Psal. *Qui elongant se à* Deo, *peribunt.* Item: *Prolongauerunt iniquitatem suam.* Esa. 55. *Inuocate eum dum propè est.* Iac. 4. *Appropinquate* Domino, *& appropinquabit vobis.* Deo appropinquat, qui à malo opere cessat. De hoc impedimento & præcedenti, tangit Isidor. dicens. Duobus modis oratio impeditur ne impetrare quisquam valeat postulata: hoc est, si aut quisque adhuc mala committit, aut si delinquenti sibi debita non dimittit. Idem: Sicut nullum proficit in vulnere medicamentum, si adhuc ferrum in eo sit: ita nihil proficit oratio illius, cuius adhuc dolor in mente, vel odium manet in pectore.

Nonum est, diaboli suggestio, quæ multos ab oratione retrahit. Vnde Greg.

in dialogo: In quadam abbatia Pompeiani abbatis, quidam monachus non poterat stare in oratorio in oratione, sed semper exiuit, qui sæpe correptus noluit se emendare. Sed cùm quadam die beatus Benedictus venisset ad eum corripiendum, vidit quendam nigrum puerulum tenentem eum per fimbriam vestimenti. Cumque orassent per biduum, Benedictus, Pompeianus, & Maurus, illi tres viderunt puerulum illum, & beatus Benedictus monachum verbere corripuit, & dæmon recessit, ac si ipse esset verberatus.

Exemplum.

Decimum est, prauitas desiderij Aug. Seruat tibi Deus quod non vult tibi cito dare, vt discas magna magne desiderare. Grego. in Moralib. Æternam vitam si ore petimus, nec tamen corde desideramus, clamantes tacemus. Psal. *Tacui dum clamarem tota die.*

Vndecimum est, petentis impatientia. 1. Reg. 28. *Consuluit Saul Dominum, qui non respondit ei.* Et sequitur: *Dixitque Saul: Quærite mulierem habentem pythonem.* Iudith. 9. *Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.*

Duodecimum est, defectus perseuerantiæ in orando. Luc. 11. *Si perseuerauerit pulsans, &c.* Psalm. *Benedictus Deus qui non amouit, &c.* Augustin. Si non est amota oratio, securus esto, quod nec misericordia.

Capvt VI.

Quando sit orandum.

TEmpus orandi Dominus determinat. Luc. 18. dicens: *Oportet semper orare, & non deficere.* Et eiusd. 21. *Vigilate,* inquit, *omni tempore, &c.* Non debet miles Christi scutum orationis mouere dum bellum durat. Bellum autem durat, quum durat vita præsens; *militia enim est vita hominis super terram.* Iob. 7. Sap. 18. *Homo sine querela proferens suæ seruitutis scutum orationem, restitit iræ.* 1. Thess. 5. *Sine intermissione orate.* Pericula nunquam desunt, ideo continue indigemus Dei adiutorio. Nunquam deest miseria, ideo continue indigemus Dei misericordia. Ideo si fieri posset semper esset orandum. Sed quia alia negotia hoc non permittunt, præmittenda est oratio operibus nostris, & etiam intermiscenda. Hieronymvs ad Paulam: In principio cuiuslibet operis præmitte Dominicam orationem, & signum crucis in fronte. Idem: Sicut militem sine armis ad bellum exire non conuenit: ita homini Christiano procedere non licet quolibet sine oratione. Bernardus: Hauriendus est sæpe lectionis serie affectus, & formanda oratio quæ lectionem interrumpat. Hieronymus: Orationi lectio, lectioni succedat oratio. Breue videbitur tempus, quod tantis operum varietatibus occupatur. Oratio & gratiarum actio deberent magnam partem vitæ nostræ occupare. Oratio opera nostra deberet præcedere, gratiarum actio seqni. Cùm videmus mala vel in nobis vel in aliis, orandum esset. Cum videmus bona in nobis vel in aliis, gratiarum actioni esset instandum. 1. Thess. 5. *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite.* Bernard. ad fratres de monte Dei: Charitas tot modis in oratione vel gratiarũ actione in Deum se iugiter refundit, quot in suis vel necessitatibus vel consolationibus, in proximi etiam vel compassionibus, vel congratulationibus causales in hoc materias inuenit pius affectus. Orationi vero præcipue intendendum est, vel cum maior est necessitas, vel maior temporis opportunitas. Maior necessitas orandi est, vt cum aliquam gratiam à Deo recepimus. Tunc enim instandum est apud eum, qui dedit eam vt nobis conseruet: quia vt ait Greg. cito bonum amittitur, nisi à largiente custodiatur. Poëta:

Orãdũ cursẽ-per.

Non minor est virtus quàm quærere, parta tueri.

Quanto aliquis plus habet quod possit amittere, tanto diligentior & magis solicitus debet esse de conseruatione. Ideo Dominus sacramento baptismi suscepto, orationi se dedit. Luc. 3. Item necessitas orandi est, cum aliqua ardua opera facturi sumus. Ideo Dominus electurus Apostolos, orationem præsumit. Luc. 6. Item necessitas orandi est cum imminet tribulatio, vel sibi vel proximo. Vnde Dominus imminente passione sua, ter orauit. Matth. 26. Et orationem suam multum protendit. Luc. 22. *Factus in agonia prolixius orabat.* Et Matth. 13. legitur quod ascendit in montem orare: & innuitur causa illius orationis, quum subditur: Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus. De temporis verò opportunitate notandum, quod Bernard. ostendit tres horas diei multum opportunas esse orationi, dicens fratribus de monte Dei: Extra illas horas de quibus dicit propheta, *Septies in die laudem dixi tibi:* matutinum aut vespertinum, aut mediæ noctis sacrificium maxime obseruandum est. Non enim ait Propheta frustra: *Mane astabo tibi & videbo*, sed quia tunc à curis exterioribus adhuc sumus ieiuni. *Et dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum:* quia tunc ab huiusmodi impedimentis inuenimur degesti, qui etiam in nocturnis vigiliis nostris, quibus media nocte surgimus ad confitendum nomini Domini, confessionis eundem ordinem contexens: In die, inquit, tribulationis meæ, Deum exquisiui manibus meis in nocte contra eum. Et alibi in Psalm. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Ad orandum mane mouemur exemplo Christi: Marc. 1. *Diluculo valde surgens Iesus, egressus abiit in desertum locum: ibique orabat.* Ad orandum vespere. Matth. 14. vbi sic legitur: *Dimissa turba, ascendit in montem solus orare: vespere autem facto solus erat ibi.* Ad orandum nocturno tempore. Luc. 6. Vbi legitur: *erat pernoctans in oratione.* Efficaciam matutinæ orationis ostendit. Iob 8. vbi dicitur: *Si diluculo consurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus, statim euigilabit ad te.* Et filij Israel mane colligebant manna. Exod. 16. Dulcedo enim Spiritus sancti tali hora impetranda est. Sapient. 16. *Oportet præuenire solem ad benedictionem tuam.* Consueuerunt diuites eleemosynam dare pauperi, qui mane eis primo occurrerit. Item tempus opportunum ad orandum est dies Parasceues, in qua Dominus adeo largus fuit quod matrem suam dedit Ioanni, regnum latroni, corpus & animam in redemptionem humano generi. Ideo Ecclesia illo die pro omnibus orat Iudæis, paganis, schismaticis, hæreticis. Item tempus opportunum est ad orandum ante Ascensionem Domini, quando aduocatus Ecclesiæ, secundum repræsentationem nostram, vadit ad curiam cælestem: tunc enim formandæ sunt petitiones. Item tempus opportunum ad orandum, est tempore medio inter Ascensionem & Pentecosten. Consueuerunt enim filij regũ dare larga munera suscepto regno. In Psalm. *Scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum, Dominus exaudiet me, cum clamauero ad eum.* Item tempus idoneum ad orandum est in magnis solemnitatibus: Consueuerunt enim principes in festis magnis magna munera dare.

Capvt VII.

Vbi sit orandum.

Notandum, quod vbique orandum est, cum vbique sint pericula, & vbique Dei auxilio indigeamus. 1. ad Timoth. 2. *Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus.* Sapient. 14. *Creaturæ Dei*

Dei in odium facta sunt, & in tentationem animæ hominum, & in muscipulam pedibus insipientium. Specialiter locus idoneus ad orandum, est locus secretus. Isidor. de Summo bono: Oratio priuatis locis oportunius funditur. Matthæi 6. *Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum.* Eiusdem 14. *Christus dimissa turba ascendit in montem solus orare.* Et Marci primo dicitur, quod abiit in desertum locum, ibique orabat. Et Lucæ 22. *Auulsus est à discipulis suis, quantum iactus est lapidis, & positis genibus orabat.* Item locus idoneus ad orandum, est templum materiale Deo dedicatum. Matth. 21. *Domus mea, domus orationis vocabitur.* 3. Reg. 9. *Exaudiui orationem tuam, &c. sanctificaui domum istam, &c. & erunt ibi oculi mei, & cor meum cunctis diebus.* 2. Paral. 7. *Oculi mei erunt aperti: & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui orauerit in loco isto.* Et subditur: *Elegi & sanctificaui locum istum: vt sit nomen meum ibi, in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* In eod. *Quum complesset Salomon fundens preces: ignis descendit de cœlo, & deuorauit holocausta, & victimas, & maiestas Domini repleuit domum.* Exod. vlt. *Postquam cuncta perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud.* Christus multum frequentabat templum materiale. Lucæ 19. *Erat quotidie docens in templo.* Et eiusd. 21. *Erat cunctis diebus docens in templo.* In templo inuentus est à matre sua. Luc. 2. & ait: *Nesciebatis, quia in his quæ sunt Patris mei oportet me esse?* Eiusd. 19. *Intrauit Iesus in templum.* Chrysost. Proprium erat boni filij vt veniens primum ad domum curreret patris. Tu autem imitator Christi factus, intrans ciuitatem, primum ante omnes actus ad Ecclesiam curras, & super Matth. 22. dicit gloss. Ingressus vrbem primo templum adiit, dans formam religionis vt quocunque imus, domum orationis, si ibi est, primum adeamus, & per orationes Deo commendati ad agenda negotia secedamus. Item locus idoneus ad orandũ est templum spirituale, scilicet cor mundum & purum. Cor carnale vel malignum, stabulum vel spelunca latronum potiùs esse videtur, quàm templum, 1. ad Cor. 3. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Psal. *domum tuam decet sanctitudo.* 3. Reg. 6. *Nihil erat in templo, quod non auro tegeretur.* 1. ad Cor. 3. *Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* Ioan. 4. *Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare.* 1. ad Cor. 14. *Orabo spiritu, orabo & mente.*

CAPVT VIII.

Quomodo sit orandum.

ATtente orandum est. Vnde super illud 1. Pet. vlt. *Vigilate in orationibus.* dicit gloss. Non animus cogitet aliquid præter id solum quod precatur. Indiscrete orare videtur, qui Deum precatur vt ei intendat: ipse verò nec sibi, nec Deo intendit, sed quod deterius est, immundo in corde versando fœtorem horribilem aspectu Dei ingerit. Reuocare debet cor suum qui vult orare. 2. Reg. 7. ait Dauid: *Inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret te.* Potius orandum est corde quàm ore. 1. Reg. 1. *Anna loquebatur in corde suo, & vox illius penitus non audiebatur.* Matth. 6. *Orantes autem, nolite multum loqui.* Augustinus: Diu orare cum vacat, non est improbum neque inutile: neque enim hoc est orare in multiloquio, si diutius oretur: aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam & de ipso Domino scriptum est, quod pernoctauerit in oratione. Luc. 16. *Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio.* Nam multum loqui in orando est rem necessariam superfluis agere verbis. Multum autẽ precari est ad Deum, quem precamur, diuturna & pia cordis excitatione pulsare: quod

plerumque plus gemitibus, quàm sermonibus agitur. Item notandum est cum magnitudine desiderij. Deut. 4. *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum, si tamen toto corde quæsieris.* Ier. 19. *Cum quæsieritis me in toto corde vestro, inueniar à vobis.* Magnitudo desiderij clamor est quem Deus exaudit. De quo clamore Exod. 14. *Quid clamas ad me?* Dicit Dominus ad Mosen. Et Dan. 13. Exclamauit voce magna Susanna. Dilatatio desiderij est quasi præparatio cordis, vt sit capax eius quod petitur. Aug. Cur petere, quærere, pulsare nos compellit, qui nouit quid nobis sit necessarium priusquam petamus: nisi quia voluit exerceri nostrum desiderium in orationibus, quò possimus capere quod præparat dare? Item Aug. Si aliquãdo Dominus tardius dat, commendat dona, non negat. Diu desiderata dulcius obtinentur: Cito autem data vilescunt. Seruat tibi Deus quod non vult cito dare, vt tu discas magna magnè desiderare. Item notandum est cum gemitu & lachrymis. Exod. 2. *Audiui gemitus eorum.* 1. Reg. 1. *Cum esset Anna amaro animo orauit ad Dominum flens largiter.* In Psalm. *Auribus percipe lacrymas meas.* Gloss. Quæ lacrymæ violentæ sunt in precibus. Ecclesi. 35. *Non despiciet preces pupilli, nec viduam si effundat loquelam gemitus.* Et in eodem subditur de lacrymis viduæ: *A maxilla vsque ad cœlum ascendunt.* Esa. 37. *Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas.* Osee 12. dicitur de Iacob luctante cum angelo. *Fleuit & rogauit eum.* Et Iudith. 8. *Indulgentiam illius fusis lacrymis postulemus.* Hebr. 1. *Preces supplicationésque cum clamore valido & lacrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.* Item orandum est humiliter. Psal. *Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum.* Eccl. 35. *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit.* Iudith. 9. *Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Humilitate obtinuit Chananæa à Christo quod voluit; catello se comparans, cum Christus eam cani comparasset, Matth. 15. & Mat. 7. habetur quod Christus ei dixerit, propter hunc sermonem, *Vade, exiuit dæmonium de filia tua.* Mat. 8. Post illud verbum humile Centurionis, *Domine, non sum dignus vt intres sub tectum meum*, dictum est ei à Christo, *Sicut credidisti, fiat tibi.* Et Luc. 15. Postquam filius prodigus dixit: *Non sum dignus vocari filius tuus*; Pater accurrens cecidit super collum eius. Item orandum est confidenter sicut orabat Dauid; *Miserere,* inquit, *mei; quoniam in te confidit anima mea.* Item orandum est perseueranter: vt ostendit Dominus Luc. 11. exemplo amici qui panes necessarios accommodauit improbitate amici deprecantis deuictus. Et exemplo iudicis iniqui Deum nõn timentis & homines non reuerentis, qui improbitate viduæ victus, vindictam fecit ei de aduersario ipsius. Luc. 8. Apostoli perseuerando in oratione, Spiritum sanctum accipere meruerunt. Actor. 1.

Capvt IX.

Quid in oratione sit petendum.

In oratione petenda sunt gloria & gratia: siue regnũ & iustitia regni. Matt. 6. *Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Non monet Dominus vt temporalia quærantur. Primo, quia non sunt digna peti. Bona infima sunt, & incuruantur qui amant & quærunt ea. Quæ incuruatio dæmonibus placet: Esa. *Incuruare, vt transeamus.* Bernardus. Noli acquiescere dicenti; Incuruare vt transeamus; non enim est transiturus, sed te grauiter oppressurus. In Ps. *Miser factus sum & curuatus sum vsque in finem.* ad Coloss. 3. *Quæ sursum sunt quærite non quæ super terram.* Secundo quia temporalia debentur his qui habent iustitiam regni. Iustitia enim regni filios facit. Filiis vero debetur prouisio. Vnde

super illud: *Et hæc omnia adiicientur vobis*, dicit gloss. Quia omnia sunt filiorum, & ideo hæc omnia adiicientur etiam non quærentibus: quibus si subtrahuntur, ad probationem est: si dantur ad gratiarum actionẽ. Tertio, quia nescit homo vtrum sibi expediat temporalia habere, cum vt frequentius possessoribus suis noceant. Prou. 1. *Vsquequo stulti ea quæ sunt noxia capient?* Et super illud 2. ad Cor. 13. *Virtus in infirmitate perficitur.* Dicit gloss. Aug. Cum ea quę Deus laudat & promittit, petitis, ab illo securi petite, illa enim propitio Deo conceduntur. Quando autem petitis temporalia, cum modo petite, & cum timore illi committite, vt si prosint det: si scit obesse, non det. Quid enim obsit vel prosit medicus nouit, non ægrotus: Item notandum quod super illud Matth. 26. *Et orauit tertio eundem sermonem dicens.* Tanget gloss. tria à nobis petenda. Tribus vicibus, inquit, orauit, vt & nos à præteritis peccatis veniam, à præsentibus malis tutelam, & à futuris periculis cautelam oremus. De primo. Eccl. 38. *Fili, in infirmitate tua ne despicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te.* De secundo, Matth. 26. *Vigilate & orate vt non intretis in tentationem.* De tertio, Luc. 3. *Vigilate in omni tempore, orantes vt digni habeamini fugere quæ ventura sunt.* Item, notãdum quod in oratione petere possumus vt Deus custodiat nos ab occasione peccandi. Exemplo Salomonis dicentis. Prou. 30. *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, sed tribuas tantum victui meo necessaria, ne forte illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Domini mei.* Item possumus in oratione petere id quod dat nobis occasionem salutis: vt eos qui nos recte instruant secundum admonitionem Christi. Matth. 9. *Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.*

PARS X.

De speciebus Orationis.

ORatio potest diuidi in orationem fructuosam. Fructuosa oratio multas habet species. Quædam enim fit verecundo & humili affectu. Qualis fuit oratio publicani, quia non audebat oculos suos in cœlum leuare Lucę decimo octauo. Item talis fuit oratio filij prodigi, qui ait ad patrem suum: *Pater, peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.* Luc. 15. Verecundia multum placet Deo in pœnitente, sicut impudentia displicet ei in peccatore. Bernardus: Quantum displicet Deo impudentia peccatoris, tantum placet ei erubescentia pœnitentis. Similiter humilitas orantis multum placet ei. Bernardus: Citius placas Deum si mensuram tuam seruaueris, & altiora te ne quæsieris. Quædam oratio fit in puro affectu: sic orauit Susanna. Dan. 13. dicens: *Domine Deus, tu scis quia hæc isti malitiose composuerunt aduersum me.* Alia species orationis fit lato affectu. Sic orauit Moyses. Exod. 32. dicens: *Aut dimitte eis hanc noxam: aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Alia oratio fit grato affectu. Sic monet Apostolus orare ad Col. 4. *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione.* Oratio infructuosa similiter multas habet species. Quædam enim est simiatica, quæ solis labiis fit. De qua Matth. 15. *Populus hic me labiis honorat: cor autem eorum longe est à me.* Es. 29. sic habetur: *Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me: cor autem eius longe est à me:* Aug. Sicut vox sine modulatione quasi vox picarum: sic oratio sine deuotione quasi mugitus boum. Idem Aug. Quid prodest strepitus labiorum, si mutũ est cor: Qualis differentia inter paleam & granũ, & inter similã & furfur, & inter pellem animalis & ipsum animal, talis est

Orationis duæ species.

differentia inter sonum vocalis orationis, & deuotionem cordis. Praui pastores pro animali sola pellem reddunt: quibus similes sunt qui male orant, tantum exteriorẽ sonum vocalis orationis habentes. Et notandum quod deuotio sic describitur. Deuotio est teneritudo cordis qua quis de facili in lacrymas resoluitur. Vel sic, Deuotio est feruor bonæ voluntatis quem meus cohibere non valens certis manifestat indiciis. Deuotio est medulla holocaustorum. Sine ipsa holocausta sunt arida. Psal. *Holocausta medullata offeram tibi.* Alia species infructuosæ orationis est, oratio præter opera: qualis fuit oratio Eliæ, cum petiit animæ suæ vt moreretur. 3. Reg. 19. Tertia species est, saluti contraria. Qualis fuit oratio Pauli petentis à se stimulum amoueri. 2. ad Cor. 12. Quarta species est, oratio præsumptuosa. Qualis fuit oratio filiorum Zebedæi, qui volebant peruenire ad regnum, non per calicis potum: quibus dictum est: *Nescitis quid petatis.* Matth. 20. Quinta species est, oratio ridiculosa. Qualis est oratio hypocritarũ, qui elati de multitudine operum suorum Deum quasi irrident, dum manibus plenis eleemosynam gratiæ ab eo petunt. Talis fuit oratio superbi Pharisæi, dicentis: *Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo,* Luc. 18. Vacuas oportet esse manus hominis per humilitatem, ad hoc vt eleemosyna gratiæ ei à Deo detur. Item oratio hypocritarum ridiculosa est, qui manus tendunt ad terram cum eleemosynam petunt ab eo qui est in cælis: terrenam enim mercedẽ quærunt in operibus suis. Item potest diuidi oratio in postulationem & obsecrationem, & orationem strictè sumptam. Et sumitur hæc diuisio ex illo verbo 1. ad Tim. 2. *Obsecro ergo primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* Membra vero ista notificat Bern. in epist. ad fratres de monte Dei, his verbis: Postulatio, inquit, est circa obtinenda temporalia & necessaria vitæ huius, in qua Deus postulantis quidem approbans bonam voluntatem, facit tamen quod ipse melius iudicat, & dat libenter sequi postulantem. Ad postulationem pertinet petere tranquillitatem pacis, suauitatem corporis, temperiem aëris. Obsecratio est in exercitiis spiritualibus anxia ad Deum instantia. Oratio est hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam & pia allocutio. Gratiarum actio est in intellectu & cognitione gratiæ Dei bonæ volũtatis indeficiens & interflexa intentio. In postulationibus pie ac fideliter est orandum, sed non est illis pertinaciter inhærendum: quia nos nescimus, sed Pater noster qui est in cælis, quid in temporalibus istis necesse est nobis. Obsecrationibus insistendum est, sed in omni humilitate & patientia, quia non afferunt fructum nisi in patientia. Nonnumquam enim cum celerius gratia non subuenit, fit obsecranti cælum æneum, & terra sua ferrea. Et cum relicta sibi humani cordis duritia, ad votum exaudiri non meretur: anxietas desiderantis negari sibi existimat quidquid differtur. Cumque sicut Chananæa illa præteriri se aut despici gemiscit, quasi in immunditia carnis præterita sibi pecata imputari vel improperari imaginatur. Nonnunquam vero sine labore petens accipit, quærens inuenit, & pulsanti aperitur, & consolationes ac suauitates orationis inuenire tandem meretur labor obsecrationis. Nonnunquam etiam puræ orationis affectus & bona illa affectionis suauitas non inuenitur, sed quasi inuenit cum non petentem, & quasi nescientem gratia præuenit, & tanquam genus seruorum suscipitur in mensa filiorum, & rudis adhuc & insipiens animus in eum orandi assumitur affectum, qui pro merito sanctitatis reddi solet meritis perfectorum. Quod cum fit, agitur vt vel in iudicium suum negligendi, non liceat nescire quid negligat: vel vt prouocatio charitatis amorem in eo

Deuotio quid

vltrose proferentis accendat. In quo, proh dolor! multi falluntur: quia cùm pane pascuntur filiorum, iam se filios esse arbitrantur: & deficientes vnde proficere debebant, ex visitante gratia euanescunt à conscientia sua, se esse aliquid arbitrantes, cum nihil sint. Item oratio sic potest diuidi. Est oratio quam aliquis pro se ad Deum dirigit: & est oratio qua aliquis pro alio intercedit, quæ suffragiū dicitur: quod suffragium humiliter petendum est, & maximè à sanctis qui iam beati sunt. Iob. 5. *Ad aliquem Sanctorum conuertere.* Populus etiam humiliter debet suffragium petere à ministris Ecclesiæ. Leuit. 3. *Rogante pro eis sacerdote propitius erit eis Dominus.* Item habetur eiusdem 5. & Num. 16. *Deprecatus est Aaron pro populo, & plaga cessauit.* Ministri etiam Ecclesiæ suffragium himiliter debent petere à populo, exemplo Pauli ad Rom. 15. *Obsecro,* inquit, *vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad* Deum. Item petendum est suffragium ab his qui creduntur esse speciales Dei amici. Iob. 42. *Iob seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam.* Illi verò qui in Christo decedit, dicēdum est illud Gen. 40. *Memento mei, cùm bene tibi fuerit.* Libenter debet orare vnus pro alio. Iacob. 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini.* Et 1. Ioan. 5. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum, non ad mortem: petat, & dabitur ei, &c.* Multum etiam sperandum est de suffragiis sanctorum, ad Philip. 1. *Scio quod hoc mihi proueniet ad salutem per vestram orationem.* Idem ad Philemonem: *Spero per orationes vestras donari me vobis.* De commendatione & expositione Dominicæ orationis, require in sermone illo epistolarum: *Omnes vnanimes in oratione estote.* Isidor. de summo bono: Fidei symbolum & Dominica oratio pro tota lege paruulis Ecclesiæ ad cœlorum regna sufficit capessenda: omnis enim latitudo scripturarum, in eadem oratione Dominica & Symboli breuitate concluditur.

Pars VIII.

De laude Dei, & de necessariis intendenti laudi diuinæ.

Deum laudare quæ inducant.

NVnc tangendum est de laude Dei & gratiarum actione, quæ orationibus suis consueuit Ecclesia admiscere. Et primo de laude Dei. Ad quam multum incitat nos sacra Scriptura. Dauid: *Immola Deo sacrificium laudis.* Idem: *Psallite Deo nostro, psallite, &c.* Eccl. 39. *In omni corde & ore collaudate, & benedicite nomen Domini.* Heb. 13. *Offeramus hostiam laudis semper* Deo. Apoc. 19. *Laudem dicite* Deo *nostro omnes sancti eius, & qui timetis* Deum *pusilli & magni.* Ad laudandum Deum maximè incitat Scriptura. Psalm. in tertia quinquagena, quæ in laude terminatur: *Omnis spiritus laudet* Dominum: & in qua sunt tot psalmi incipientes, vel à verbo laudandi, vel confitendi, vel cantandi. Itē ad laudandum Deum incitat omnis creatura. Greg. Mirum est quod homo semper Deum non laudat: quia quęlibet creatura ad eum laudandum semper inuitat: Opera laudabilia artificem laudabilem ostendunt. Eccl. 9. *In manu artificum opera laudabuntur.* Prou. vlt. *Laudent eam in portis opera eius.* August. 4. lib. Confess. Si placent opera Domini, ex his lauda: & in artificem eorum retorque amorem, ne in his quæ tibi placent tu displiceas. Idem intellige de aliis operibus Dei. Laudatio Dei est valde nobilis operatio, cum angeli & animæ iam beatæ huic operationi intendant. In Psalm. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* August. in libr. de Ciuitate Dei: Vacabimus & videbimus: videbimus, & amabimus: amabimus,

& laudabimus. Laudationem ponit vltimam operationem: ideò pallio comparatur. Esa. 61 *Pallium laudis pro spiritu mœroris.* Pallium superponitur aliis vestibus. Bernardus loquens de cœlesti ciuitate, dicit quod eius operatio est assidua Dei laudatio: multum gaudere deberet, qui in terris admittitur ad hanc cœlestem operationem exercendam. August. in lib. de doctrina Christiana. Deus, cum de illo nihil digni dici possit, admisit tamen humanæ vocis obsequium, & verbis nostris in laude sua nos gaudere voluit. Bernard. super Cant. Nihil ita propriè in terris repræsentat quondam cœlestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum. Qui beati sunt, perfectè Deum laudant; sed qui sunt in præsenti vita, imperfectè. *Vnde iubilant.* Iob 38. *Cum me laudarent simul astra matutina & iubilarent omnes filij Dei.* Greg. Iubilatio dicitur, cùm cordis lætitia oris efficacia non impletur. Laudant angeli, qui iam tantæ claritatis latitudinem in sublimibus vident. Iubilant vero homines, quia adhuc in inferioribus oris sui angustias sustinent. Bernard. Semiuiuus in terra relictus semilaudare possum: vbi totus vixero, ibi totus in laudem. Loquela homini data est ad laudandum Deum: & qui Deum non laudat, quasi mutus reputandus est. August. in lib. Conf. Væ, tacentibus de te, quoniam loquaces muti sunt! Felix esset qui semper posset laudi diuinæ insistere. Hieronymus: Fœlix lingua quæ non nouit nisi de diuinis texere sermonem. In Psal. *Sem-*
Psal. 33. *per laus eius in ore meo.* Eccl. vlt. *Laudabo nomen tuum assidue.* Esa. 62. *Tota die & tota nocte non tacebunt.* Operatio ista valde est Deo gloriosa. In Psalm. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Tob. 12. *Opera Dei reuelare & confiteri honorificum est.* Item operatio ista homini valde est vtilis. Ipsa malignum spiritum fugat. 1. Reg. 6. *Ecce spiritus Domini malus exagitat te. Iubeat Dominus noster rex, & serui tui, qui coram te sunt, quærant hominem scientem psallere in cithara: vt quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, & leuius feras.* Et subditur in hoc capit. *Dauid tollebat citharam, &c. & leuius habebat Saul, recedebat enim ab eo spiritus malus.* In Psal. *Laudans inuocabo* Psa.
Dominum, & inimicis meis saluus ero. Item Spiritui sancto viam præparat. Gregor. super Ezech. Cum vox Psalmodiæ per intentionem cordis agitur, omnipotenti Deo iter ad cor paratur. 4. Reg. 1. Cum caneret Psaltes, facta est super Elisæum manus Domini. Item hominem lætificat. In Psal. *Exultabunt labia mea cum cantauero tibi.* Iac. 5. *Tristatur quis in vobis? oret æquo animo, & psallat.* Gl. Crebra psalmodiæ dulcedine nociuam tristitiæ pestem de corde expellat. Item ad Deum cor reuelat. Bernard. Cum à corde fortis missa fuerit omnis immunditia, oculos cordis attollunt meditatio admirabilis essentiæ Dei, & castæ veritatis inspectio, oratio munda & valida, iubilus laudis, & desiderium ardens in Deum.

Et notandum quod homines maximè debent instare laudi diuinæ ex quo sunt redempti. Vnde nato Saluatore, facta est multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, Lucæ 2. ad prouocandum homines ad Dei laudem. Dauid: *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.* Et subditur causa: *terra dedit fructum suum:* Terra dicitur beata Virgo, quæ dedit fructum sufficientem & hominibus & angelis ad æternam refectionem. Esaiæ 52. *Gaudete, & laudate simul deserta Ierusalem: quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Ierusalem.* Fecit Salomon duo Cherubim in lateribus arcæ, habentes pedes obliquatos & quasi ad iubilandum eleuatos, vt in tripudiis habent mulieres saltando iubilantes. Arca figurat Dominicum corpus. Duo Cherubim quasi iubilantes iuxta arcam, sunt clerici & religiosi filium Dei assumendo, humanam naturam, humilitatem laudantes & glorificantes. Item legitur

Dei la[udibus] cur in[sistendum]

Lucæ vltim. de discipulis quod post ascensionem Domini reuersi sunt in Ierusalem, & erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum. Item notandum quod operatio ista discrete est exercenda.
Psa. 46. In Psalm. *Quoniam rex omnis terræ Deus, psallite sapienter.* Item Bernard. Psallite ei in vociferatione. Vociferatio est desiderij magnitudo. Vnde super illud Exod. 14. *Quid clamas ad me?* Dicit gloss. Voces apud aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Et qui vult laudi Dei insistere.
Psal. 96. Primo prouidentia est munditia. Eccles. 15. *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* In Psalmis. *Confessio & pulchritudo in conspectu eius.* Confessio, inquam, laudis. Cantic. 2. *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Denique sex sunt necessaria, quæ tangit Bernard. super Cant. 13. sermone, his verbis: Immolantes hostiam laudis, & reddentes vota nostra de die in diem, curremus omni vigilantia iungere sensum vsui, affectum sensui, exultationem affectui, grauitatem exultationi, humilitatem grauitati, libertatem humilitati, quo interdum liberis purgatæ mentis passibus procedamus & excedamus per inusitatas quasdã affectiones, speciales lætitias, in iubileis amœnitatibus, in lumine Dei, in suauitate, in Spiritu S. Sensus iungendus est vsui: id est, psalmorum intelligentia cum attentione prolationi vocis. Vnde super
Psal. 10. illud Psalm. *Psallite sapienter*, dicit Gloss. Nemo sapienter facit quod non intelligit. Bernard. Cibus in ore, psalmus in corde, non negligat anima illum terere dentibus intelligentiæ suæ, ne si forte integrum glutiat, frustretur palatum sapore dulciori super mel & fauum. Item iungendus est affectus sensui. Bern. Nunquã
Psal. 6. intelliges Dauid, donec ipsa experientia ipsos Psalmorum indueris affectus. Dauid intelligit in illo psalmo, *Domine ne in furore:* qui affectum timoris induit, vt ad intuitum illius furoris quem Deus exercebit in die illa contremiscat. Hieronym. Quoties illam diem cogito, toto corpore contremisco. Dauid intelligit in illo Psal. *Deus iudicium tuum regi da*: qui districtionem extremi iudicii timet, & ad Christum timorem habet. Duplici enim affectu incitabatur Psalmista, quum illud peteret. Psal. 71.
Item exultatio iungẽda est affectui. Vnde Psal. 33.
Hieron. Malo psalmum vnum cum hilaritate mentis decantare, quàm totum psalterium, cum torpore, fastidio, & acedia. Item, quia leuitas solet comitari exultationem: iungenda est grauitas exultationi. Dauid: *In populo graui laudabo te.* Item: *Exultate ei cum tremore:* & quia homines graues solent contemnere homines leues, vel fauorem vanæ gloriæ de grauitate sua quærere, ideo humilitas iungenda est grauitati. Bernard. Magna virtus humilitas, sine cuius obtentu virtus non solum virtus non fit, sed etiam in superbiam erumpit. Item quia humilitatem quandóque sequitur pusillanimitas, iungẽda est etiam humilitati libertas, quæ est quum cor dilatatũ est abundantia gratiæ, vt mere voluntariè faciat quod pro Deo facit. 2. Cor. 3. Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Tullius: Libertas est potestas viuendi vt velis. Item notandum quod non solùm laudandus est Deus sermone, sed etiam bene viuendo. Laus enim bonæ vitæ magis continua est. Augustinus: Qui Deum lingua laudat, non semper laudare potest: qui Deum moribus laudat, semper potest. 1. ad Corinth. 10. *Siue manducatis siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Augustinus: Si quod manducas & bibis, ad refectionem corporis sumis reparationemque membrorum, gratias agens ei qui tibi præbuit mortali ac fragili ista supplementorum solatia, cibus tuus & potus laudat Deum. Item notandum, quod gratior est Deo laus quæ exhibetur in aduersitate, quàm quæ in prosperitate. Gregor. in Moralib. Despecta vox confessionis est, quam format iucunditas prosperitatis. Et intelligas hoc de confessione laudis.

Laudãdus De° non sermone solum, sed opere.

Idem: Sola confessio habet meritum magni ponderis, quam à veritate rectitudinis non separat vis doloris. In Psalm. *Rectos decet collaudatio*. Gloss. Recti sunt qui dirigunt cor suum secundum voluntatem Dei, quæ est regula, & proponunt voluntatem meliori suæ voluntati: id est, voluntatem omnipotentis voluntati infirmi. Curuus laudat Deum quando sibi bene est: blasphemat, quando male: rectus verò semper, id est, in prosperis & in aduersis: vt dicit Gloss. ibidem.

Pars X.

De his quæ possunt hominem incitare ad gratiarum actionem. Et de beneficiis pro quibus homo regratiari debet Deo.

Gratiarũ actionẽ prouocantia quot sint.

OCto sunt, quæ possunt hominem incitare ad gratiarum actionem. Primum est, admonitio sanctarum Scripturarum. Bernardus: Disce in ferendo gratiam non esse tardus aut signis. Disce ad singula dona gratias agere: diligenter considera quæ tibi apponuntur, vt nulla Dei dona debita gratiarũ actione frustrentur. Tob. 3. *Omni tempore benedic Deum*. ad Col. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, gratias agentes Deo & Patri*. Eiusdem 4. *Orationi instantes, vigilantes in ea in gratiarum actione*. Ad Ephes. 5. *Gratias agentes semper*. 1. ad Thessal. 5. *In omnibus gratias agite*.

Secundum est admonitio creaturarum, quæ incessanter nos inuitant ad gratiarum actionem: Beneficium enim datum alicui inuitat eum vt danti gratias agat. Ergo quum omnia quæ videmus homini data fuerint, secundum illud Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris & volatilibus cœli, & bestiis terræ, vniuersæque creaturæ*; omnia quæ videmus ad gratiarum actionem nos inuitant. Tertium est, ipsum tempus in quo sumus, scilicet tempus gratiæ, cui nulla operatio magis congruere videtur quàm gratiarum actio. Ideo valde bonum videtur gratiarum actioni initare. Prouer. 15. *Sermo opportunus optimus est*. August. ad sanctum Aurelium: Quid melius animo geramus, & ore probemus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hoc enim nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grãdius, nec agi fructuosius potest. Quartum est, quod gratiarũ actio operatio est quæ exercetur in paradiso, in Psal. *Misericordias Domini in æternum cantabo*. Hoc canticum erit gratiarum actio, de hoc quod fuerimus misericorditer à periculis liberati. Esaiæ 51. *Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis*. Vnde bonũ est assuescere huic operationi quam in futuro exercebimus. Bonũ est addiscere officium quod tamdiu facere oportebit. Quintum est, vtilitas multiplex quę ex hoc opere sequitur. Prima est, quod ipsa hominem in tribulatione custodit, Deum ei adesse faciens, quod figuratum est Daniel 3. in pueris qui in fornace suppositi gratias agentes Deo, ab igne læsi non fuerunt, & quartus apparuit eis similis filio Dei. Secunda est, quod diuinam largitatem prouocat ad dandum. Prouerb. 11. *Anima quæ benedicit impinguabitur*. Ad locum vnde exeunt flumina gratiarum reuertuntur, vt iterum fluant. Eccl. 42. *Benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis, exaltantes autem replebimini virtute*.

Quo fruct prodi cat.

Sextum est, quod hæc operatio multum placet Deo. Gratiarum actio adeps est spiritualis, de quo Leuit. 3. *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo*. Item vnguentum est quo caput Ecclesiæ vngitur. Matth. 29. & Marc. 14. Bernard. Bonum est vnguentum contritionis, quod peccatorum recordatione conficitur; meliùs deuotionis, quod fit de recordatione beneficiorum Dei.

Deo grat

Septi-

Septimum, quod ingratitudo quæ gratiarum actioni contraria eſt, ruſticitas eſt magna. Si magna eſt ruſticitas ei cui mittitur vaſculum vini gratias non agere: quãta ruſticitas eſt ei gratias non agere, qui inceſſanter nobis tribuit bona ſua? Greg. Dignum eſt ſemper gratias agere, quia Deus nunquam ceſſat benefacere. Vltimum eſt, multiplex malum quod prouenit ex ingratitudine. Primum eſt, quod bona iam à Deo accepta, auferri facit. Vnde ſuper illud ad Rom. 1. *Qui quum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt*, dicit Auguſt. Quod Deus dederat gratis, tulit ingratis. Secundum eſt quod impedit ab his quæ darentur homini, niſi fuiſſet ingratus. Gregor. Non eſt dignus dandis qui non agit grates de datis. Bern. Ingratitudo eſt ventus vrens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ. Tertium eſt quod non ſolum priuat hominem bonis, imo etiam pœnam addit. Vnde Ezechias punitus eſt de ingratitudine: Cum enim Dominus dediſſet ei triumphum incredibilem, & percuſſiſſet CLXXXV. millia in caſtris Sennacherib: licet ſecundum Ioſephum cum populo hoſtias Deo immolaſſet, non tamen digne gratias egit, & canticum non cantauit, ſicut in huiuſmodi patres conſueuerant facere, & ideo ægrotauit ad mortem. Eſa. 38. Item notandum quod gratias agere debemus Deo, & de beneficiis generalibus, & de ſpecialibus & de ſingularibus. Generalia tangit Bernard. dicens: Agamus fratres gratias factori noſtro, benefactori noſtro, redemptori noſtro, remuneratori noſtro. Primum, quod nobis præſtitit, quod nos ipſi ſumus. Adiecit etiam vnde ſubſiſteres qui iam eras. *Faciamus*, inquit, *hominem, &c.* Quid verò poſtea? *& præſit piſcibus, &c.* Iam tertium opus tuæ redemptionis attende. Idem: Fecit te Deus tuus: fecit tam multa propter te, factus eſt ipſe tecum caro vna, te quoque faciet ſecundum ſpiritum vnum. Beneficia ſpecialia ſunt tria. Primum eſt, beneficium expectationis quo Deus peccatores patienter expectat ad pœnitentiam. Secundum eſt iuſtificationis, quando diu expectatos conuertit, infundendo gratiam ſuam. Tertium conſeruationis, quando conuerſos in ſtatu bono conſeruat. Et notandum quod circa vnumquodque horum beneficiorum quinque attendenda ſunt, vt agnoſcamus magnitudinem eorum. Circa primum debet homo cogitare quoties meruerit vt tempus pœnitentiæ ſibi auferretur. Quoties enim mortaliter peccauit, hoc meruit. Peccator enim indignus eſt vita, quia ingratus eſt authori vitæ: Iob 30. *Qui ipſa vita putabantur indigni.* Secundo, debet cogitare quàm proximus fuerit quandoque amiſſioni miſericordiæ. Tanto enim miſericordia gratior eſt, quanto pœna proximior eſt à qua parcitur. Vt ſi aliquis ſuſpendendus iam laqueum haberet in collo, vel ſi mutilandus membro, iam membrum haberet ſupra lignum vbi mutilari deberet, maius beneficium reputaret ſi tunc liberaretur. Vnde debet homo cogitare, ſi quandoque fuit in periculo mortis, dum in ſtatu erat damnationis, & quo iuiſſet ſi in illo ſtatu deceſſiſſet, & quid promeruerit apud Deum, vt tunc Deus ei pepercerit. Tertio debet cogitare quàm pretioſam rem Deus ei contulerit, quando tempus pœnitentiæ ei dedit. Pretioſitas temporis ex duobus perpenditur. Primo ex hoc, quod in momento temporis poteſt homo lucrari regnum æternum. Secundo ex hoc, quod illis qui ſunt in inferno plus valeret momentum temporis in quo pœnitentiam ageret, quàm tanta maſſa auri quanta eſt totus mundus. Bernardus: Nihil pretioſius tempore. Sed heu! hodie nihil vilius reputatur. Valde ingratus eſt peccator qui non vult conuerti, quum quælibet hora temporis quam dat Dominus plus valeat, quàm centum marcæ auri. Quarto debet cogitare, quàm male meruiſſet vt res tam pretioſa ei confer-

Margin notes (cut off at the page edge): grati dinis anta ala. — ratia m a- iones quib. nefi- is po- ſimũ ibedæ it.

retur, qui magnum tempus sibi priùs datum in contumeliam Dei expenderat. Quinto, debet cogitare qualiter sciebat Deus eum esse vsurum tanto beneficio. In hoc enim est cumulus diuinæ misericordiæ, quod licet Deus sciuerit eum vsurum tanto beneficio pro magna parte in contumeliam sui: tamen non dimisit propter hoc dare illi. Circa secundum beneficium debet homo cogitare, primo à quibus vinculis Deus liberauerit eum. Tot vinculis est peccator ligatus, quot peccatis irretitus: iuxta illud Prouerb. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum quisque constringitur.* Et sunt ideo fortia vincula ista, quod nec etiam per mortem quandoque soluuntur. Vnde non parum debet esse gratus Deo, quem Deus ab his vinculis liberauit. Secundo debet cogitare quot & quanta ei Deus dimisit: pro quolibet enim mortali ei dimisso, reus erat mortis æternæ. Si quis esset reus mortis temporalis quæ momentanea est, pro dimissione illius paratus esset illi seruire tota vita sua. Quid ergo faciẽdum est pro dimissione mortis æternæ, quæ etiam vni soli mortali debetur? August. Cui dictum est, Nauiga, ne moriaris, & distulit: cui dictum est, Labora, ne moriaris, & piger fuit. Leuia iubet Deus, vt in æternum viuamus, & obedire negligimus. Tertio, debet cogitare ad quantam dignitatem Deus eum elegit quando eum iustificauit. Elegit enim eum ad regnum æternum. Quarto, debet cogitare in quali statu Deus eum elegerit: hostis enim Dei erat, & indignus etiam pane quo vescebatur. Peccator enim secundum August. indignus est pane quo vescitur. Quinto debet cogitare quod Deus relinquit quibus tale beneficium non præstitit, imo in peccatis suis eos perire permisit. Circa beneficium vero conseruationis, primo attendenda est difficultas standi, quæ apparet specialiter in tribus personis, scilicet in Lucifero, qui cum esset maxima arbor paradisi, ad modicum ventum siue flatum superbiæ cecidit. Et in Adam, qui cum esset sine corruptione naturalium: tamen propter cohabitationem vnius mulieris, paradisum amisit. Hieronym. Memento semper quod paradisi colonum de possessione sua mulier eiecerit. Si potuit mulier eijcere eum qui iam erat in paradiso, non est mirum si iam eos impediat qui nondum in paradisum peruenerunt. Difficultas etiam standi patet in Iuda, qui cum esset sub tanto pastore, & inter tales fratres, tamen occasione modicæ administrationis cecidit, & non adiecit vt resurgeret. Secundo, debet attendere pugnæ continuitatem in qua sumus. Diabolus enim nos impugnare non cessat, vt saltem tædio vincat. Mirãtur aliqui cum audiunt aliquem bonum cecidisse, sed non est mirum si quandoque cadat qui continuè est in pugna, imo potius mirum est si aliquando non cadat. Legitur in vitis Patrum, quod quidam venit ad Abbatem Theodorum, dicens ei: Ecce quidam frater reuersus est ad seculum. Respondit Abbas Theodorus: In hoc non admireris: sed si audieris quod prævaluit quis effugere de ore inimici, hoc admirare. Tertio, debet attendere propriam infirmitatem: tantæ enim infirmitatis est homo, vt ad sibilum vnius verbi deijciatur. Quarto, hostis impugnantis potestatem cum astutia & crudelitate. De potestate, Iob 42. *Non est potestas super terram quæ ei comparetur.* De astutia. Genes. 3. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* De crudelitate. Gregor. Nihil se fecisse æstimat, quum animas non sauciat. Incessanter sitit diabolus sanguinem nostrum. Vnde sanguisuga vocatur. Prouerb. 30. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes, Affer, Affer.* Quinto, debet attendere periculorum varietatem. Tot enim sunt pericula quòd quando aliquis vult cauere ab vno, incidit in aliud. Vnde Esa. 24. *Et erit qui fugerit à facie formidinis, cadet in foueam: & qui se expli-*

cuerit de fouea, tenebitur laqueo. Formido est peccatum auaritiæ quod homines formidare facit. Vnde de auaro legitur. Iob 15. *Sonitus terroris semper in auribus eius: & quum sit pax, ille semper insidias suspicatur.* Fouea est peccatum luxuriæ: fouea enim profunda est meretrix, vt legitur Prouerbiorum 23. Laqueus vero peccatum superbiæ, quo volatilia huius mundi, scilicet nobiles capiuntur. Singulariter beneficia sunt quæ vnicuique singulariter sunt exhibita. Pro quibus etiam Deo gratiæ agendæ sunt secundum illud Bernard. priùs positum. Disce ad singula dona gratias agere.

DE OBEDIENTIA.

PARS X.

Quæ habet septem Capitula.

CAPVT I.

De Ordine dicendorum de Obedientia, & de descriptione eiusda.

OBedientia debetur & creatori & creaturæ. De qua hoc modo dicetur. Primo ponentur descriptiones ipsius. Secundo eius commendationes. Tertio tangetur de his quæ possunt iuuare obedientiam. Quarto, de gradibus obedientiæ. Quinto, de partibus ipsius. Sexto, de his quæ obedientiæ aduersantur. Septimo, tangetur de errore illorum qui dicunt soli Deo obediendum esse, & non homini. Obedientia sic describitur: Obedientia est voluntas faciendi præceptum, vel mandatum superioris. Et intelligas mandatum quod fit mediate per nuntium vel literas: præceptum verò quod fit immediate. Vel mandatum intelligas voluntatem indicandi, quæ est sine coactione imperij: Præceptum vero quando est imperij coactio. Item sic potest describi: Obedientia est obtemperatio secundum regulam sacræ Scripturæ maioribus quibuscunque debita. Et intellige sacram Scripturam largè, etiam pro statutis canonicis & legalibus, in quibus agitur de iurisdictione superiorum. Item sic describitur obedientia: Obedientia est spontaneum & rationale propriæ voluntatis sacrificium. Vel sic: Obedientia est pio studio propriæ voluntatis abnegatio. Et notandum quod propria voluntas dupliciter accipitur. Vno enim modo dicitur propria voluntas quæ non est Deo subiecta: & secundum hoc abnegatio propriæ voluntatis fit, quum voluntas nostra diuinæ voluntati subijcitur. Alio vero modo dicitur propria voluntas, voluntas quæ non est subiecta homini. Et secundum hoc, propria voluntas abnegatur in eo qui voto se obligans homini, voluntatem suam subdit voluntati humanæ. Et sic abnegatio propriæ voluntatis specialiter videtur pertinere ad religiosos. Pio studio dicitur, ad differentiam illorum qui voluntatem suam humanæ voluntati subdunt timore seruili, vel pro luero terreno. Et intellige hîc pium studium vehementem animi applicationem ad cultum Dei, vt pium hîc dicatur à pietate quæ dicitur Theosebia.

Obedientiæ variæ descriptiones.

Et notandum quod alicui visum est quod obedientia, prout est virtus specialis attenderetur, respectu eorum quæ sunt indifferentia. Et ad confirmandum hoc vsus est illo verbo August. in libr. de vera religione: Peccatum est non solum malum, sed etiam vetitum facere: inferens à simili quod opus virtutis est non solum bonum, sed etiam præceptum facere. Ad quod videtur facere quod Dominus obedientiam Adæ experiri voluit in eo quod secundum se erat indifferens, scilicet in comestione fructus ligni scientiæ boni & mali. Alicui etiam visum est quod obedientia secundum

Obedientia circa quæ attenditur.

quod est specialis virtus attendatur, non respectu cuiuscunque superioris, sed solum respectu hominis cui aliquis se sponte obligauit. Et subdidit: Sed potest aliter dici, quod sicut prudentia virtus est quodammodo generalis, scilicet quoad directionem. Dirigit enim opera cæterarum virtutum. Et de iustitia dictum est quod est generalis quantum ad imperium. Imperare enim potest opera cæterarum virtutum, etsi non sufficiat ad exequendum ea sine cæteris virtutibus. Sic obedientia quodammodo generalis est: mouere enim potest ad opera omnium virtutum. Omne enim opus virtutis iuberi potest à superiore, vel Deo, vel homine. Vnde si aliquis velit exire in opus virtutis, quia iussum est à superiore, voluntas illa erit obedientiæ. Vnde voluntas faciendi iussum superioris quia iussum est, specialis actus est obedientiæ. Item notandum quod cum subdere se alteri sit humilitatis & obedientiæ, differunt tamen hæ subiectiones. Subdere enim se alicui secundum reputationem humilitatis est. Hoc enim proprium electorum esse solet, vt de se sentiant infra quam sint: iuxta verbum Gregor. Item cum superbia sit appetitus propriæ excellentiæ, humilitas est contemptus propriæ excellentiæ: iuxta Bernard. in epist. Ad humilitatem etiam pertinet amor inferioritatis vel vilitatis secundum illud Bernard. super Cantic. Verus, inquit, humilis, vilis vult reputari. Et Luc. 13. *Cum inuitatus fueris, vade & recumbe in nouissimo loco.* Item subiectio aliqua ad obedientiam pertinet: sed hæc subiectio est voluntatis respectu alienæ voluntatis. Subiectio humilitatis respicit personam secundum se, subiectio vero obedientiæ respicit eam personam cui aliquis subditur inquantum est præcipiens, & personam quæ subditur inquantum est agens. Exemplum harum duarum subiectionum inuenire possumus, vt videtur in Christo & Ioanne, Matth. 4. Subiectione obedietiæ subiecit se Ioannes Christo, quando consensit vt baptizaret Christum, prout Christus volebat. Vnde dicit ibi Gloss. Vera est humilitas quam non deserit ibi comes obedietia: Christus vero subdidit se Ioanni, subiectione humilitatis volens à Ioãne baptizari. Superioris enim est baptizare, & inferioris baptizari. Act. 20. *Beatius est dare, quam accipere.*

Capvt II.

De Commendatione Obedientiæ.

Ad commendationem obedientiæ. Primo valere possunt admonitiones quæ fiunt in Scriptura sacra ad obediendum. Romanor. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Ephes. 6. *Filij obedite parentibus vestris in Domino.* Coloss. 3. *Filij obedite parentibus vestris per omnia.* Heb. 13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

Secundo, admonitio quam nobis facit etiam creatura insensibilis quæ obediens est vniuersaliter creatori suo. In Psalm. *Præceptum posuit & non præteribit.* Et Baruch. 3. *Stellæ vocatæ sunt, & dixerunt, Assumus.* Item in Psalm. *Terminum posuisti quem non transgredientur.* Et Matt. 8. *Quis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Ambros. Hexameron: Non mediocris pudor est, imperio Dei insensibilia elementa parere & homines non obedire, quibus sensus ab ipso tributus est auctore.

Ps. 14[8]
Ps. 10[3]

Tertio, exempla quæ in sacra Scriptura inueniuntur. Et inter ea specialiter notabilia sunt, exemplum Abrahæ, & exemplum Christi. Cum homo per obedientiam à Deo recessisset: Deus volens formare sibi populum acceptum, secundum illud Esa. 43. *Populum istum formaui mihi, laudem meam narrabit.* Abraham, ex quo populum sibi formauit, voluit probare

per obedientiam, & per illam placuit ei Abraham. Triplici autem præcepto probauit obedientiam eius. Primum fuit de patriæ desertione. Genes. 12. *Egredere de terra*, &c. Secundum fuit de circuncisione. Eiusd. 17. Tertium de filij immolatione. Eiusd. 27. Primo præcepto voluit separare Abraham ab his à quibus ipse ortum duxerat. Vltimo vero ab eo quod duxerat originem ab ipsa. Medio vero præcepto voluit eum separare à seipso quantum ad carnalia desideria: circumcisione enim facta in carne, monebat ad resecationem superfluorum desideriorum carnalium: ideo fiebat in membro illo quo maxime concupiscentia sæuiebat. Circa tertium vero præceptum quod fuit de immolatione filij attendere possumus XIV. pertinentia ad difficultatem illius operis, in quo Abraham voluit obedire Deo præcipienti. Primum est quod Abraham voluit ad præceptum Domini re sibi charissima carere. Secundum est, quod ipse voluit amicissimum occidi. Posset esse quod aliquis ad præceptum Dei vellet filio suo carere, ita vt nunquam eum de cætero videret, qui tamen nollet occidi. Tertium est, quod voluit eum occidi coram se, imo ipsemet manu propria voluit hæc facere. Multi enim sustinerent quod filii eorum occiderentur: tamen non possunt hæc aspicere vel propria manu facere. Quartum est, quod filius ille erat vnigenitus. Non enim habebat alium filium ex libera vxore. Quintum est, quod miraculose habuerat eum, quia cum vxore vetula & sterili, quum ipse iam esset senex. Sextum est, quod magna promissio facta erat Abrahæ de ipso. Septimum est, quod ipse erat solatium matri suæ: quod notatur ibi cum dicitur, *Isaac*: quod interpretatur risus. Dixit enim mater sua eo sibi dato: *Risum fecit mihi Deus, quicunque audierit, corridebit mihi*. Genes. 21. Quid dixisset mater Isaac, si Abraham reuertens de eius immolatione, dixisset ei: *Immolaui filium tuum*. Octauum est, quod voluit eum non solum occidi, sed etiam incendi. Vnde dicitur ibi, *Offer eum in holocaustum*: quod interpretatur totum incensum. Noluit ei parcere nec viuo nec mortuo. Nonum est, quod voluit eum ducere per triduum ad locum immolationis. Gl. Non est iussus Abraham statim occidere filium, sed per triduum ducere ad immolationis locũ, vt longitudine temporis tentatio augeretur, & crescentibus curis paterna viscera cruciarentur. Decimum est, quod non apparebat aliqua præcepti vtilitas. Quæ enim vtilitas innocentem occidere? damnum vero manifestum erat. Vndecimum est, quod non excusasset eum auctoritas præcipiẽtis, cum nullus testis affuisset, nec crederetur ei si diceret Dominum hoc ei præcepisse. Duodecimũ est, quod hoc erat rationi contrariũ. Tertiumdecimũ est, quia non præcesserat in sanctis patribus huiusmodi obedientiæ exemplum. Quartumdecimum est, quod omnium ad quorum notitiam hoc peruenisset imminebat scandalum. Abraham vero accepto præcepto tam difficili non se excusauit, causam præcepti non interrogauit, sicut faciunt quidã imitatores diaboli, qui ait Gen. 3. *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis*, &c. Item non procrastinauit mandatum exequi, nulli consilium communicauit. Si aliquid horum fecisset, forsitan meritum amisisset, quia Dominus dixisset ei: Nolebam quod taceres hoc, sed ad probandũ tè, hoc dixi. Item attendendum est quàm vtile sit promptum esse ad obedientiam: Abraham enim filium non immolauit, & tamen tantum meritum habuit obediẽtia eius. Gen. 22. *Quia non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum*. In eod. *In semine tuo benedicentur omnes gentes: quia obedisti voci meæ*. Homo qui promptam habet voluntatem ad obediendũ Deo, in omnibus placet Deo pro infinitis rebus quas vnquam facturus est. Greg. Non est manus vacua à munere, si arca cordis plena fuerit bona voluntate. Item voluit Deus probare Christum

per obedientiam, in quo volebat sibi formare populum nouum. Christus non terram sicut Abraham, sed cœlum deseruit. Ipse matrem suam dilectissimam reliquit, quando gladius transiturus erat animam eius. Luc. 2. *Ipse domum reliquit, quia nullam habere voluit.* Matth. 8. *Vulpes foueas habent & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Ipse formam spiritualis circumcisionis dedit, quando voluntatem patris voluntati suæ præposuit. Matth. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et Marc. 14. *Non quod ego volo, sed quod tu vis.* Et Luc. 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Ipse mandato patris in holocaustum seipsum obtulit. Ioan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Quarto valere potest ad commendationem obedientiæ, quod legitur de Christo Heb. 5. *Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex his quæ passus est obedientiam.* Didicit, inquam, per experientiam. Item didicit in corpore per ea quæ passus est in capite. Ipse fuit & discipulus & doctor obedientiæ. Si filius Dei obedientiã didicit tot laboribus & angustiis, non debet homini esse onerosum addiscere eam, & maxime his qui sunt in scholis ipsius, scilicet in claustro. Valde verecundum erit illis qui diu fuerunt in scholis his, si obedientiæ ignari inuenti fuerint. Adam inuentus est male se habuisse in obedientia, in qua Deus eum probare voluit. Et quam grauem disciplinam Deus ei dederit omnes nouimus. Filij etiam Israel similiter in obedientia probati sunt & durissime flagellati, cum in ea male se habuerunt. Sic durissime flagellabuntur qui inobedientes inuenti fuerint. Inobedientia hominem de paradiso eiecit. Genes. 3. Obedientia verò eum in paradisum introducit. Luc. vlt. *Eduxit eos foras Bethaniam, & eleuatis manibus suis benedixit eis, Et factum est dum benediceret eis, recessit ab illis, & ferebatur in cœlum.* Felix quem Dominus eduxit in Bethaniam, scilicet in domum obedientiæ. Sperare potest quod sit ascensurus in cœlum. 1. Petr. 1. *Sperate in eam quæ vobis affertur gratiam in reuelationem Iesu Christi quasi filij obedientiæ.* Obedientiam voluit Christus docere, & in mundum istum veniens, & de mundo transiens, & in mundo manens. Primum ostenditur, Iob. 6. *Descendi,* inquit, *de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Secundum Matth. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ioan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Bernard. Mementote, fratres Christi, ne perderet obedientiam, voluit perdere vitam: in signum quod obediendo mandato Patris, mortem sustinebat; inclinato capite emisit spiritum. Ioan. 19. Tertium Ioan. 4. *Meus,* inquit, *cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me.* Eiusdem 5. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Obedientia est imago cœlestis hominis, sicut inobedientia est imago terrestis hominis. 1. Cor. 15. *Sicut portauimus imaginem terreni, ita & portemus imaginem cœlestis.* Ephes. 4. *Induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est:* id est, opere diuino conceptus, non opere humano, more aliorum hominum. Quinto commendabilis est obedientia à suo multiplici effectu. Notandum ergo, quod obedientia Dei seruum efficit, quod non est modicum quid. Si enim seruus regis terreni dicitur esse par comiti, quantum est esse seruum regis æterni? Obedientia in hoc quod efficit hominẽ Dei seruum, efficit etiam Deum hominis Dominum. Non vere reputat inobediens Deum Dominum suum: etsi ore vocet eum Dominum. Luc. 6. *Quid vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico:* Inobedientes ostendet Dominus non fuisse seruos suos, cum regni cœlorum ianuam eis claudet. Matth. 7. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis*

Obed[ien]tiã qu[o]modo Chri[stus] d[o]cuerit

Obed[ien]tiæ ef[fe]ctus.

est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Magna securitas est habere Dominum omnipotentem. Ambr. Mori non timeo, quia bonum Dominum habeo. Beatus est, qui habet hunc Dominum. In Psalm. *Beatus populus cuius Dominus Deus eius.* Item: *Beata gens, cuius est Dominus Deus eius.* Item: *Obedientia hominem Christi fratrem efficit, imo quasi omni genere attinentia attinentem.* Eccles. 33. *Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima, quasi fratrem sic tracta illum.* Matth. 12. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Simile Marc. 3. Item obedientia Deo præstat obsequium acceptissimum. 1. Reg. 15. *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius obediatur voci Domini?* Melior est obedientia quàm victimæ. Eccles. 4. *Multo melior est obedientia, quàm stultorum victima.* Licet Deus nos non exaudiat quandoque ad voluntatem, vt exaudiat nos ad vtilitatem: eo quod ipse scit quid nobis expediat, nos verò hoc nescimus, ipse tamen vult vt seruiamus ei ad eius voluntatem, non ad suam vtilitatem, cum ipse bonorum nostrorum non egeat, vt quum voluntas eius semper recta sit. Eccles. 35. *Salutare sacrificium est, attendere mandatis.* Deut. 12. *Quæ præcipio tibi, hoc tantum facias: non addas quidquam, nec minuas.* Item obedientia in homine habitaculum Deo quasi excidit, expellendo à corde hominis sensum proprium & propriam voluntatem. Vnde Dominus in domo Simonis leprosi discubuit, Luc. 7. sed non in domo Simonis Cyrenæi qui crucem Domini fert in angaria, vbi vnctio deest Spiritus sancti, & ideo murmur est ibi. Eccles. 33. *Præcordia fatui quasi rota carri.* Rota carri si vncta non fuerit, murmurat. Bethaniæ, quod interpretatur domus obedientiæ, Christus vngitur. Ioan. 12. *Ipse illos diligit qui ibi habitant.* Ioan. 11. *Diligebat Iesus Martham, & sororem eius & Lazarum.* Cum deest ei hospitium, venit Bethaniam vt ibi hospitetur. Marc. 11. *Circumspectis omnibus, quum iam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.* Gloss. Vt quod in vrbe non inueniebat, in agro paruulo apud Lazarum & sorores eius haberet hospitium. Tunc in hospitio vteri virginalis filius Dei receptus est, quum Maria verbo angeli obediuit. Luc. 1. *Fiat*, inquit, *mihi secundum verbum tuum.* Item obedientia hominem super se leuat. Thren. 3. *Leuauit se super se.* Nisi corpus esset sociatum spiritui vt sensu eius & imperio regeretur, non ascenderet ad hoc vt remunerationem æternam mereretur. Sic vir simplex per obedientiam ascendit ad sapientiam, & mores maiorum à quibus regitur, imo quodammodo vsque ad Deum ascendit dum seipsum exuit, & Deum quodammodo inquit, ad Galat. 2. *Viuo ego: ego iam non ego, viuit vero in me Christus.* Sic quodammodo deificatur homo secundum illud: *Ego dixi: Dÿ estis.* Et non solum deïficatur quoad sensum & voluntatem Dei quæ assumitur, sed quodammodo quoad potestatem. Facit enim diuina & mira: vt patet in Petro, qui obediens Christo iubenti, ambulauit super aquas. Matth. 14. Et Gregor. refert in dialog. quod cum Placidus puer in flumine post vas suum demersus esset, cum vellet aquam haurire, beatus Benedictus in cella existens & hoc intelligens, dixit Mauro: Frater Maure, curre, quia puer ille in lacum cecidit, & eum iam longius trahit vnda. Maurus autem existimans se currere super terram, cucurrit super aquam, & eductum per capillum, extraxit. Qui postea reuersus ad se attribuit hoc sanctitati Benedicti. Sed beatus Benedictus attribuit hoc bono obedientiæ. Obedientia ponit hominem in excellentissimo statu, & in præsenti & in futuro. Primum ostenditur Deuter. 27. *Si audieris vocem Domini Dei tui, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus.* Secundum ostensum est cuidam patrum in extasi

Exemplum.

posito, qui vidit quatuor ordines ante Deum. Primus erat hominum infirmantium & gratias Deo agentium. Secundus, eorum qui fuerant hospitales. Tertius, eorum qui solitudinem sectantur, & non vident homines. Quartus, eorum qui propter Deum & obedientiam solicite sunt subiecti patribus. Erat autem hic ordo superior illis tribus, & maiorem gloriam præ cæteris habebat, vtens torque aurea. Et quum quæreret senex, quare hoc? Responsum est ei. Quoniam omnes alij habent requiem adimplendo proprias voluntates, quamuis in bonis operibus: hic autem omnes voluntates suas relinquens, totus pendet in voluntate patris iubentis. Merito qui hic nullam habent requiem, in futuro summam habebunt, ad Philip. 3. dicitur de Christo: *Factus obediens vsque ad mortem*, &c. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen.* Item obedientia Deum glorificat. Esa. 58. S*i glorificaueris eum dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua vt loquaris sermonem, tunc delectaberis Domino: sustollam te super altitudinem terræ*, &c. Multum glorificat Deum vere obediens qui facit beneplacitum Dei, cum Deus etiam hoc mandat ei per vtilem personam; & tanto maior est Dei gloria, quanto persona vilior. Ideo vere obediens merito à Deo glorificatur. 1. Reg. 2. *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum.* Ecclesiast. 10. *Semen hominũ honorabitur hoc, quod timet Deum: semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandatum Domini.* Item: *obedientia quod vult à Deo impetrat.* Gregor. Si obedientes fuerimus præpositis nostris, obediet Deus orationibus nostris. August. in lib. de opere monachorum. Citiùs exauditur vna oratio obedientis, quàm decem millia contemptoris. 1. Ioan. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, quod quidquid petierimus ab eo, accipiemus, quia mandata eius custodimus.* Et post illud Hebr. 5. *Exauditus est pro sua reuerentia*, subditur tanquam causa illius exauditionis: E*t quidem cum esset filius Dei, didicit ex his quæ passus est, obedientiam.* Obedientia est quæ dicit illud Cantic. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi*: Deus enim facit ac si esset totaliter cum obedientia: quia obedientia est totaliter cum illo. Vere obedientes dicunt illud Roman. 14. *Nemo nostrum sibi viuit.* Item obedientia à periculoso mari huius mundi liberat. Obediens nauem pertransit huius mundi. Sapient. 14. *Exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeunte mare per ratem liberati sunt.* Exiguum lignum est humilis obedientia. *Facta est quasi nauis institoris.* Prouerb. vlt. Qui in naui est etiam quiescens & comedens vel bibens procedit, quia alieno motu mouetur. Sic obediens qui in religione est etiam quiescendo, comedendo & bibendo meretur. Item obedientia hominem ditat. Nec mirum, cum de suo nihil extendat, quia nihil suum reputat: & cum in cunctis quæ agit, voluntatem alterius facere intendat; ideo pro omnibus quæ agit, merito remunerationem expectat. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias.* Prouerb. vltim. Obedientia vero, *supergressa est vniuersas.* Quis est qui quandoque non faciet multa specialiter pro se de quibus non expectat remunerationem, nisi ille qui sub obedientia viuit? Item obedientia quasi equus in paradisum vadit, alieno sensui & alienæ voluntati quasi pedibus alienis innitendo. Ideo velocius cadit, quia pedes quibus innititur velociores sunt propriis. Multi in religione valde surgunt mane, & frequenter ieiunant, qui si essent in seculo minus secum agerent. Propter eandem causam obedientia non maculatur. Prouerb. 3. *Viæ eius viæ pulchræ.* Propter eandem causam legitur. Si quidem enim culpæ vel periculi est in eo quod ei iniungitur, superioris est qui portat, cuius censui & voluntati ipse innititur, nisi manifestum

Psa. 98. festum peccatum sit illud quod ei iubetur De ea videtur scriptum esse illud Ps. *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Item obedientia hominem expedit & exoneratum reddit, cum obediens à seipso alleuiatus sit. Alij enim incumbit solicitudo pro ipso & temporaliter & spiritualiter: Ideo non solum potest currere, sed etiam volare. Si tamen obedientia habet duas alas sibi coniunctas, scilicet voluntariam paupertatem & castitatem. Apocal. 12. *Datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum.* Bern. Magna penna paupertas, quâ tam cito volatur in cœlū. Nam in aliis virtutibus quæ sequuntur, promissio futuro tempore iudicatur: paupertati vero non tam promittitur, quam datur. Castitas etiam magna penna est quæ hominem expedit ab illa delectatione qua difficillimum est hominem bene vti, & fortissima occasione peccādi, scilicet à muliere per quam diabolus Adam deiecit, Gen. 3. Et quam Iob reliquit, vt per eam eū deiiceret. Iob 2. dixit illi vxor sua. *Adhuc tu permanes in simplicitate tua?* Item obedientia facit hominem triumphare. Prouerb. 21. *Testis mendax peribit: vir obediens loquetur victoriam.* Testis mendax est, qui professus est obediētiam, & eam non seruat: qui in præsenti perit, cū in bello spirituali succumbit: & in futuro peribit, quia ęternaliter dānabitur. Exemplum habemus de hoc in populo Iudaïco qui promisit se seruaturum legem. Exod. 19. *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus.* Item Iosue 1. *Omnia quæ præcepisti nobis faciemus.* Cūm vero transgrediebatur legem, vincebatur. Iosue 7. *Anathema in medio tui Israel est, non poteris stare coram hostibus tuis.* Adam similiter factus inobediens suo superiori, habuit repugnans suum inferius. Genes. 3. *Qui comedit, & aperti sunt oculi eius.* Gloss. August. Anima rationalis motus bestiales in carne sua erubuit. Et subditur: Motus iste de transgressione veniebat, Et 3. Reg. 11. legitur ea Salomone: *Fecit Salomon quod non placuerat coram Domino.* Et subditur: *Et suscitauit Dominus aduersarium Salomoni.* Sic accidit ei qui in religione est, qui obedientiam non seruat ei cui promisit, quod Dominus permittit eum impugnari & vinci: & sic perit qui propriam voluntatem in religione vult sequi, tanquam filius perditionis. Iob 17. *Nemo periit ex eis, nisi filius perditionis.* Vere filius perditionis est qui voluntarie laqueum sibi iniecit quo periturus erat. Prouerb. 6. *Illaqueatus es verbis oris tui.* Vere filius perditionis est qui de loco salutis fecit sibi locum damnationis: & cum esset liberatus de mari huius mundi, & iam ingressus nauem religionis, ibi etiam periclitatur: Act. 28. *Vtique homicida est homo hic qui cum euaserit de mari, vltio diuina non permittit eum viuere.* Vir obediens potest loqui victoriam, quia habet nobilissimum genus triumphi: sicut antiqui patres habita victoria solebant cantare canticum laudis & gratiarum actiones. Nobilissimum genus triumphi est seipsum vincere: quod facit vir obediens. Vnde super illud: *Melior est obedientia,* &c. Dicit Gloss. Gregor. Vir obediens loquitur victorias. Dum enim alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Prouerb. 17. *Melior est, qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Multi vrbes & regna sibi subiugauerunt, qui tamen ad hunc triumphum nobilem non peruenerunt. Hic triumphus proprius est hominis. Vincit leo vel aliud animal cætera animalia, sed seipsum vincere non potest. Sen. Qui seipsum vincit, contra omnia fortis est. Obediens, Deo subiectus est: & ideo merito cætera ei sūt subiecta & nihil ei repugnat. Deus in obediētia pugnat, ideo non est mirum si ipse triūphat. Leu. 26. *Si in præceptis meis ambulaueritis,* &c. *persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis.* Item obedientia animā ornat. Vnde inauris est aurea quam cœlestis spōsus dat animæ. Pro. 25. *Inau-*

ris aurea & margaritum fulgens, qui arguit sapientem & aurem obedientem. Margaritum fulgens, inauri aureæ decenter iungitur, & doctrina mentem illuminans auri obedieti vtiliter proponitur. Dat Eliezer Rebeccæ inaures aureas. Gen. 24. Et amici Iob dant ei inaurem & ouem. Iob vlt. Item obedientia Ecclesiam lætificat. Eccles. 3. *Qui obedit patri, refrigerabit matrē.* Hominem glorificat, ad Rom. vlt. *Vestra obedientia in omnem locum diuulgata est.* Item hominem castificat à libidine propriæ voluntatis 1. Petr. 1. *Animas vestras castificantes in obedientia charitatis.* Item obedientia conseruat animam. Proue. 19. *Qui custodit mandatum, custodit animam suam.* Obedientem merito custodit Deus tanquam suum. Prouer. 29. *Verbum custodiens filius, extra perditionem erit.* Eccl. 8. *Qui custodit præceptum, non experietur quicquam mali.* In vitis Patrum cuidam seni cū dessent necessaria vitæ, præcepit discipulo suo vt iret in vicum ad ministrum qui solebat ei necessaria deferre. Et ille licet timeret ire propter scandalum: tamen dixit se iterum propter bonum obedientiæ. Cui senex: Vade, confide in Domino, & protege te ab omni tentatione. Cum autē venisset frater ad ostium ministri senis, aperto ostio inuenit ibi filiam ministri solam, quæ amplexata eum cœpit allicere ad commistionnem carnis, amplexās eum. Et cum vrgerent eum cogitationes, clamauit ad Dominum dicens: Domine, propter orationem eius, qui me misit, salua me ex hac hora: & statim inuentus est ad flumen iuxta monasterium suum, & reuersus est ad patrem sine macula. Item obedienti obediunt omnia, & creator & creaturæ. De creatore, habetur. Ios. 10. *Non fuit postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis.* De creaturis vero multa habes exempla in Vitis Patrum. Quidam de senioribus misit discipulum suum ad hauriendum aquam, & erat puteus remotus à cella. Discipulus vero oblitus funem venit ad puteum, & præ longitudine viæ non audens reuerti pro fune, ne forte contristaret seniorem prostrauit se in oratione, & surgens de oratione, clamauit. O putee putee, misit me seruus Iesu Christi, abbas meus, vt hauriam aquā, & statim ascēdit aqua ad os putei, & impleuit frater lagenam, glorificans potentiam Saluatoris. Aqua autem putei reuersa est ad locum suum. Item in Vitis Patrum Abbas Paulus præcepit discipulo suo Ioanni vt afferret ei fimum bonum qui erat in necessarius ad vtensilia. At ille ait: In loco vbi fimus est habitat leæna. Cui Abbas: Si venerit super te, alliga eam, & duces eam tecum. Iuit Ioannes & inuenit leænam irruentē super eum, qui voluit eam tenere, sed ipsa aufugit. Ioannes vero sequebatur eam, dicens: Abbas meus præcepit vt alligatam ducam te ad eum: & statim bestia substitit, & tenens eam reuertebatur ad monasterium. Quod cum vidisset Abbas, ne forte discipulus inde extolleretur, dixit: Sicut tu insensibilis es, ita insensibilem bestiam adduxisti: solue, & dimitte eam vt pergat ad locum suum. Item obedientia homini pacem dat. Prou. 13. *Qui timet præcepta, in pace versabitur.* 1. Machab. 14. *Siluit terra Iuda omnibus diebus Simonis.* Siluit, id est, quieuit vel pacem habuit. Es. 48. *Vtinam attendisses ad mandata mea, fuisset quasi flumen pax tua.* Item obedientia hominem benedici facit. Deut. 11. *Propono vobis benedictionem, si obedieritis mandatis Domini.* Eiusd. 28. *Venient super te omnes benedictiones istæ, & apprehendent te, si tamen præcepta eius audieris. Benedictus tu in ciuitate, &c.* Item facit hominem beatum. Matt. 16. *Beatus es Simō, &c.* Prou. 19. *Qui custodit legem beatus est.* Obedientia in præsenti hominem dignū prælatione efficit. Vnde Simonē præfecit Dominus cæteris Apostolis. Matt. 16. 1. Mac. 2. *Simon frater vester scio quod vir consilij est: ipsum audite semper: & ipse erit vobis pater.* In vita beati Philiberti dicitur: Præesse non audeat, qui subesse non didicerit. Nec obedientiam à subiectis imploret, qui eam

Prælatis exhibere non nouit. Obedientia ad regnum introducit. Matt. 18. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Inobedientia clauem paradisi amisit, sed obedientia eam recuperauit. Vnde Simoni Petro dictũ est. Matt. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Obediẽtia vitam hominis feliciter consummat. Iob. 16. *Si audierint, & obseruauerint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria. Si autem non audierint, transibunt per gladium.* Sexto valere possunt ad cõmendationem obedientiæ verba sanctorũ quæ videntur ostendere præeminentiam huius virtutis ad alias virtutes. Simonem præfecit Dominus cæteris Apostolis. Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Et obedientia secundum verba sanctorũ præeminere videtur cæteris virtutibus. Greg. in Moral. Sola obedientia virtus est quæ cæteras virtutes menti inserit, insertasque custodit. Solent inseri arbori agresti duo ramũculi alicuius nobilis arboris, deinde arbor quæ prius erat agrestis producit flores, fructus & folia secundum naturam arboris nobilis, à qua ramũculi sunt assumpti. Sic obedientia alienum sensum & alienam voluntatem assumit, & cordi eius qui promittit obedientiam inseruntur, & iam cor illud secundũ sensum & voluntatem sui superioris operatur. Itẽ dicit Greg. quod obedientia non tam est virtus, quam mater virtutum. Quod ideo potest intelligi esse dictum, quia obedientia producere potest motus omnium virtutum. Omnes enim possunt iuberi: & si aliquis producat motus illos, quia iussus est, obedientiæ sunt. Item super illud Genes. 2. *Lignumque scientiæ boni & mali:* dicit gloss. Augustin. Obedientia sola verissima est virtus creaturæ rationali sub Dei potestate degenti. Quod potest intelligi dictum esse.

[Obedientia sola vir|tus, mẽ|reli|quas virtutes|inserẽs.]

Primo, quia obedientia perficit hominem ex parte illa qua habet comparationem ad Deum sub quo est, & respectu actus qui est nobilissimus tanquam finis hominis. Finis enim optimum in vnoquoque. Hic actus est obseruatio mandati diuini. Ecclesiast. vltim. *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo.* Hoc innuit Aug. in hoc quod post illud, obedientia sola est verissima virtus, subdit: rationali creaturæ sub Dei potestate degẽti.

Secundo potest hoc intelligi dictũ propter meritum ad quod valet multum obedientia. Vnde super illud Gen. 2. *Lignumque scientiæ:* dicit August. Oportebat vt homo sub dominio positus ab aliquo prohiberetur, vt esset ei virtus merendi obedientia. Dum aliquis intendit facere voluntatem propriam, non videtur mereri apud semetipsum. Ab illo enim merces expectatur cui seruitur, vel cuius volũtas fit. Non meretur ergo apud alium nisi qui vult facere eius propriam voluntatem, quod est obedientiæ. Greg. Sola est obedientia quæ meritũ fidei possidet. Tertia propter maiorem difficultatem. Virtus enim est circa difficile, iuxta sapientem: & nomen virtutis à vi videtur esse dictum. Difficillimum autem videtur esse agere contra se, quod facit obediens, quod sonat nomen obedientiæ. Obedire est cõtra audire, scilicet contra proprium sensum & propriam volũtatem. Greg. super 1. Reg. 15. Melior est obedientia quam victimæ, quia per victimas aliena caro, per obediẽtiam vero propria caro mactatur. Obedientia quasi quoddam martyrium est. Greg. tanto Deum quisque citius placat, quãto repressa arbitrij sui superbia gladio præcepti se immolat. Obediens quasi proprium caput sibi amputat pro Christo, & caput sibi Christũ constituit, vel eum qui loco eius est. Qui martyrium pro Christo sustinet, vnam volũtatem sibi amputat: sc. voluntatem viuendi, sed iste omnẽ voluntatem, obedientia maxime voluntati propriæ detrahit, & ideo virtuti maxime addit. Sapiens: *Hoc solum virtuti adiicies, quod propriæ voluntati detraxeris.* Poëta.

Est virtus, placitis abstinuisse bonis.

Propter ea quæ dicta sunt, amãda est obedientia à fidelibus tanquam mater eorum.

1. Petr. 1. *Sperate in eam quæ offertur vobis gratiam, in reuelationem Iesu Christi, quasi filij obedientiæ.*

Capvt III.

De his quæ possunt iuuare Obedientiam.

Obedientiā quinque efficiunt.

SEquitur de his quæ posſūt iuuare obedientiam. Et notandum quod quinque sunt quæ valere solēt ad hoc quod aliquid sit magis tractabile vel flexibile, & similia his possunt valere ad hoc quod cor alicuius sit inobediēs. Primum est, exilitas.. Vt patet in virga quæ propter exilitatem flexibilis est. Etiam ferrum si sit exile vel tenue flecti potest. Sic exilitas humilitatis valet ad obedientiā. Vnde cantor magnus Parisiensis humilitatem posuit matrem obedientiæ. Et Apost. ad Phil. 2. loquens de obedientia Christi, præmittit de eius humilitate: *Humiliauit*, inquit, *semetipsum factus obediens*, &c. Aug. 14. lib. de Ciuit. Dei: Obedientia nisi humilium esse non potest. Cum humilitas sit sensus proprij vacuitas, humilis habet vbi sensum alienū recipiat, quasi vacuus à suo: & qui sensum alienū recipit, nisi sit apertè malus, recipit alienam voluntatem, & sic fit obediens. Superbus prius exibit de sensu suo, quàm recipiat sensum alienum vel alienā voluntatem, & fiat vere obediens. Prou. 26. *Vidisti hominem sapientem sibi videri: magis spem illo habebit insipiens.* Cibus in quo nimis est de sale, quasi perditus est. Facilius sal cibo additur, quàm subtrahatur.

Religioni monasticæ qui apti vel inepti.

Sic qui ad religionem venit, si sal proprij sensus in eo omnium abūdet, non est aptus religioni. Facilius homo simplex religionis efficietur, quam ipse. Bern. ad fratres de monte Deo: Superbia quamuis prudens sibi videatur, dimittenda est sibi & abigenda. Si enim admittitur superbus, prima die qua incipit habitare, incipit leges dare. Nimium vero stultus discere non potest quas inuenit Ecclesiast. 19. *Melior est que minuitur sapientia, & indiget sensu in timore Domini, quàm qui transgreditur legem Altissimi.* Timor qui æstimat etiam pericula quæ non sunt, & defectus suos scrutatur, inuenit se sensu indigere: & sic timor humilitatem introducit. Humilitas vero videns sensum suum sibi non sufficere, alieno sensui acquiescit: nec vult habere ducem illum qui in tot foueas eum præcipitauit, scilicet sensum proprium.

Secundum est assuefactio. Vnde equus assuescit circumuolutionibus, vt facilius ad voluntatem sessoris flecti possit Prouerbiorum vigesimo quinto. *Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuet.* Equus est religiosus cui frænum obedientiæ impositum est. Zachar. 10. *Posuit eos equum gloriæ in bello.* Operatur Deus in viro religioso gloriosa, & ideo equus gloriæ potest dici. Hic per assuefactionem parandus est ad obedientiam, vt nunc ad dexteram prosperitatis, nunc ad sinistram aduersitatis versetur: aliter in die belli succumbet, quando scilicet aliquid graue ei iniungetur. Religiosus qui in sua voluntate nutritur, destruitur. In Vitis Patrū B. Antonius præcepit Paulo simplici eremitæ suere & dissuere vestimenta, texere & frangere sportulas: sic volebat volūtatem eius flexibilem & obedientem efficere. Tertiū est ignis: vt patet in cera, quæ calefacta de facili flectitur: & in metallis quæ ad ignem liquefiunt, & sic de facili formam rei cui infunduntur accipiunt. Sic valere potest ad hoc quod per obedientiam magis flexibile fiat, ignis diuini amoris: scil. si ostendatur qualiter Deus dilexit nos. Luc. 12. habetur de hoc igne: *Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi vt accendatur?* Frequenter cogitandus esset amor ille ex quo Altissimus obedire voluit pro nobis vsque ad mortem crucis, vt cōfunderemur male obedientes esse ad leuia quæ nobis ex parte eius iniungūtur. Quartum est, separatio rei ab aliquo minus flexibili cui adhærebat: vt patet in corio adhærēti ligno, quod flecti non potest

nisi à ligno separetur. Sic expediret ei qui perfectè obedire vellet quod voluntatem suam ab omni re temporali separaret & eam recolligeret, vt haberet paratam quādo mandatum superioris veniret. In Psal. *paratus sum, & non sum turbatus.* Item: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Bernard. Paratum ad sublimia, paratum ad vniuersa quæcunque præceperis. August. verus obediens mandatum non procrastinat, sed parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, & se totum intra se colligit vt mandatum peragat imperantis. Quintum est, alicuius liquoris admistio. Vt pellis dura vngitur vt sit tractabilior, & terræ duræ aqua miscetur. Similiter vnctio gratiæ necessaria est vt cor magis obediens fiat. Ideo qui in religione est, frequenter in oratione Deo supplicare debet, vt gratiam obediendi sibi tribuat, & prælato beneplacitum suum de eo inspiret. August. 20. lib. Confess. Domine, continentiam iubes: da quod iubes, & iube quod vis. A simili debet religiosus dicere Deo: Obedientiam iubes, da quod iubes, & iube quod vis. Potest etiam valere ad obedientiam modestia imperantis. Senec. Remissius imperanti meliùs paretur. Gregor. Qui ab vnoquoq; bono subiectos vetat, necessarium est, vt multum concedat, ne obedientis mens funditus intereat, si à bonis omnibus repulsa ieiunat. Vnde Deus Adæ vnicam arborem prohibuit, omnes alias concessit. Genes. 2. & 3. Reg. 12. populus inobediens factus fuit propter graue imperium Roboam.

[Psal.] 118.
[Psal.] 107.

Capvt IV.

De gradibus Obedientiæ.

[O]bedie[ntiæ] [...] ægra[dus] [...]is se[p]tem.

Bernardus septem gradus obedientiæ tangit, quorum primus est libenter obedire. Quem gradum, vt ipse ait, non potest ascendere qui voluntatem præcipientis, suam non fecerit. Libenter obediebat qui dicebat, *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me.* Ioan. 4. August. 10. lib. Confess. Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc à te audire quod ipse voluerit: sed potiùs hoc velle quod à te audierit. Bern. Quisquis occulte satagit, vt quod vult ipse, hoc ei prælatus iniungat, ipse se seducit, si fortè sibi quasi de obedientia blandiatur. Nec enim in ea re ipse prælato, sed magis ei prælatus obedit. Paratum ad Domini voluntatem se ostendit. Paulus dicens Actor. 9. *Domine, quid vis me facere?* Bernard. in Sermonibus: Nec dubium est, quin ampliorem gratiam mereatur, qui paratum se exhibet ante mandatum, quàm qui obedire satagit post mandatum. Requirit Dominus oblationes voluntarias. Exod. 15. Iste est sermo quem præcepit Deus: *Omnis voluntarius prono animo offerat primitias Domino.* Dauid: *Voluntarie sacrificabo tibi.* Coacta sacrificia Deo non placent. Sed quidam sunt similes rusticis, qui dominis suis nullum seruitium volunt facere nisi coacti. Et notandum quod libenter obedire præcipuè laudabile est, cum grauia iniunguntur. Vnde super illud 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, &c.* dicit gloss. Greg. sciendum quod obedientia aliquando si de suo aliquid habet, nulla est: aliquando anima est, si suum aliquid non habet. Cum enim locus superior imperatur, obedientiæ virtutem euacuat sibi qui ad hunc proprio desiderio anhelat. Cum verò probra & contumeliæ imperantur, nisi hoc ex semetipso animus appetat, obedientiæ sibi meritum minuit qui ad hanc inuitus descēdit. Hinc Moyses principatum populij humiliter recusat. Paulus autem audacter dicit: *Ego non solum ligari in Ierusalem, sed & mori paratus sum.*

Psal. 53.

Et notandum, quod obedientia in difficilioribus gratior est, quàm inobedientia grauior. Inobedientia vero in facilioribus multum Deo displicet. Bernard. de

præcepto & diſpenſatione: In obediendi ratione hæc generalis regula teneatur, vt in difficilioribus quibuſcunque agendis obeditio gratior quàm præuaricatio grauior iudicetur, & in facilioribus minuſque onerofis contemptus damnabilior, quam actus laudabilior æſtimetur. Auguſt. 14. lib. de Ciuitate Dei. In paradiſo tanto maior inobedientia fuit, quanto illud quod præceptum eſt nullius difficultatis fuit. Vbi enim magna eſt inobedientiæ pœna propoſita, & res à creatore facilis imperata, quiſnam ſatis explicet quãtum malum ſit non obedire in re facili, & tantæ poteſtatis imperio & tãto terrenti ſupplicio? Secundus gradus eſt obtemperare ſimpliciter. Multos enim videmus ſecundum verbum Bernard. poſt præcipientis imperiũ multas facere quæſtiones, quare ſæpius ingeminare, vnde hoc veneris, quis hoc inuenit conſilium? inde murmuratio, excuſatio, ſimulatio, impoſſibilitates, aduocatio amicorum. In Pſalm. *In auditu auris obediuit mihi*, vt oſtenderet vno eodémque momento proceſſiſſe & imperantis imperium & obſequium obſequentis. Ad ſimplicitatem obedientię pertinet, non iudicare quid vel quare præcipiatur. Bernard. in lib. de conſideratione: Omnibus nobis in conuerſionis initio nulla magis virtus eſt neceſſaria, quam ſimplicitas humilis, & grauitas verecunda. Bernard. ad fratres de monte Dei: Perfecta obedientia maxime in incipiente eſt indiſcreta: hoc eſt, non diſcernere quid vel quare præcipiatur: ſed ad hoc tantum niti, vt fideliter & humiliter fiat quod à maiore præcipitur. Pſal. 17.

Idem loquens de nouitio: Stultus fiat vt ſit ſapiens: & hoc omnis eius ſit diſcretio, vt in hoc nulla ei ſit diſcretio: hæc omnis eius ſapientia ſit, vt in hac parte nulla ſit ei. Idem in ſermonibus: Rara auis in terris diſcretio: ideo diſcretionis locum fratres in vobis ſuppleat virtus obediẽtiæ, vt nihil plus, nihil minus, nihil aliter quàm imperatum ſit ſatisfaciatis. Deut. 12. *Quæ præcipio tibi, hæc tantum facias: nec addas quidquam, nec minuas.* Cum Iulius Cæſar in perdomandis hoſtibus quinque annorum ſpatium ſibi permiſſum tranſiſſet, licet glorioſe triumphaſſet, honor tamen debitus ſibi denegatus eſt: nec vrbẽ ingredi permiſſus eſt, eo quod vltra terminum ſibi præfixum moram contraxiſſet. Deuter. 12. *Non facietis ibi quod nos hic facimus hodie, ſinguli quod ſibi rectum videtur.* Bernard. ſup. Cant. Qui veſtri curam ſemel nobis credidiſtis, quid rurſus de vobis vos intromittitis? Perfecte obediens debet ſe habere vt iumentũ. Dauid: *Vt iumentum factus ſum apud te.* Item: *Deduxiſti ſicut oues populum tuum.* Et iterum, *Qui deducis velut ouem Ioſeph.* Simplicitatem obedientiæ multum amabant antiqui Patres in diſcipulis ſuis: ideo in principio non præcipiebant eis recta. Vnde in vitis Patrum, dixit quidam abbati Paſtori: Patres ſeniores non loquuntur ab initio fratrib. recta, ſed magis diſtorta: & ſi viderint quia ea quæ torta ſunt faciunt, iam eis non loquuntur niſi quod expedit cognoſcentes, quoniam in omnib. obedientes ſunt. Debent inferiores audire mandata ſuperiorum, quaſi à Deo dicerentur. Matt. 10. *Qui vos audit, me audit.* Vnde ſicut non diſcernerent ſi aliquid à Deo eis præciperetur, ſed humiliter illud implerent: ſic non debent diſceptare de mandatis pręlati. Ber. Non te moueat magiſter imperius, indiſcreta poteſtas: ſed memento: quia non eſt poteſtas niſi à Deo: & qui poteſtati reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit. Ad Col. 3. *Serui, obedite per omnia dominis, &c.* Et ſubditur: *Quodcunque facitis, ex animo operamini ſicut* Domino, *& non hominibus.* Tertius gradus eſt hilariter obedire. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* 2. Corinth. 6. ſecundum verbum. Bernard. Serenitas in vultu, dulcedo in ſermonibus multum colorant obedientiam obſequentis. Nubiloſa corporis compoſitio, & facies tenebris triſtitiæ obfuſcata, deuotionem ab animo receſ- Pſal 7 Pſ. 7

fiſſe ſignificat. Quis enim libenter imperat homini triſtitiam afflanti. Ad Epheſ. 6. *Omnia facite ſine murmurationibus*. Eccleſ. 36. *In omni dato hilarem fac vultum tuum*. Qui cum murmure obediunt, cum praua ſalſa Deum paſcere volunt. In Pſal. 68. *Dederunt in eſcam meam fel*. Obedientia talium eſt quaſi obedientia dæmonum. Ad præceptum enim Chriſti exibant dæmonia à multis, clamantia. Qui ſic obediunt, non verè ſunt obedientes; etſi dicantur eſſe. Matth. 27. *Inuenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem*. Tales ſunt vt magni lapides qui moueri non poſſunt ſine afflictione mouentis. Eccleſ. 10. *Qui transfert lapides, affligetur in eis*. Tales ſunt vt rotæ carri non ſolum in hoc quod præ defectu vnctionis murmurant, ſed quia vnus alterum præcedere non vult: non faciam hoc dicit vnus, niſi ille idem fecerit. Eccleſ. 33. *Præcordia fatui quaſi rota carri*. Tales ſunt ſicut imagines in ædificiis quæ ſuſtinent columnas quæ in facie triſtitiam oſtendunt. Prælatus cuius ſubditi cum triſtitia & murmure obediunt, ſimilis eſt illi qui haberet omnia membra infirma, quæ neceſſe haberet mouere, & nullum mouere poſſet ſine dolore, qui eſſet in magna miſeria. Prælatus talis imperat iſti, & ille affligitur, & contriſtatur, & ipſe cum eo. Similiter imperat alij, & ille contriſtatur, & ipſe cum eo, & ſic qui obſequi debuerunt, offendunt, ad Heb. 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim perui gilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, vt hoc faciant cum gaudio, & non gementes, hoc enim non expedit vobis*. Senec. in lib. de beneficiis. Ita à natura comparatum eſt, vt altius iniuriæ quam merita deſcendant: illa cito defluant, has tenax memoria cuſtodiat. Quid expectat qui offendit dum obligat? Satis aduerſus eum gratus eſt, qui beneficio eius ignoſcit. A ſimili poſſumus dicere quod ſatisfacit Deus pro obedientia aliquorum, ſi affectionem, quam ipſi faciunt ſuperioribus ſuis, eis ignoſcit. Quartus gradus eſt velociter obedire. Lucæ 19. dictum eſt Zachæo: *Feſtinans, deſcende*. Et ſubditur remuneratio: *Hodie*, inquit, *ſalus huic domui facta eſt*. Matth. 4. dicitur de Petro & Andræa à Domino vocatis: Et illi continuo relictis retibus ſecuti ſunt eum. Et ſimiliter ſubditur de Iacobo & Ioanne: Illi ſtatim relictis retibus & patre ſecuti ſunt eum. Hieron. Perfecta obedientia eſt ſua imperfecta relinquere. Cant. 5. *Manus eius tornatiles*. In vitis Patrum Abbas Syluanus habebat duodecim diſcipulos, vni eorum nomen Marcus, quem præ cæteris diligebat propter bonum obedientiæ quod erat in eo. Cúmque quidam dixerunt ei quod alij diſcipuli contriſtarentur ex hoc, ipſe pulſauit ad oſtium vniuſcuiuſque vocans eum, & nullus exire voluit. Tandem vocauit Marcum ad eius oſtium, qui ſtatim exiuit, & Syluanus in quaterno quem ille ſcribebat tempore vocationis, literam vltimam imperfectam inuenit, quam poſt vocationem propter bonum obedientiæ implere noluit. Tunc illi iudicauerent eum magis eſſe diligendum, eo quod Deus magis diligeret eum propter bonum obedientiæ. Item quidam Abbas ſeniori ſuo abbati debuit præparare piſcem, & appoſuit cultellum & incidebat eum, & vocatus ab abbate ſuo reliquit piſcem ſemiſciſſum propter bonum obedientiæ. Valde gratum ſolet eſſe principibus quum præcepta eorum velociter adimplentur. Prouer. 22. *Vidiſti hominem velocem in opere ſuo: coram regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles*. Quintus gradus eſt, viriliter adimplere mandatum. Bernard. Manum tuam inſiſte ad fortia, agendum eſt inſtanter & conſtanter obediendum. Nec inter aſperitatem verbum tam regalis eſt ſemita relinquenda. Et loquitur de ſemita obedientiæ. Chriſtus hanc ſemitam etiam pro morte ignominioſiſſima relinquere noluit. Ad Philip. 2. *Factus obediens vſque ad mortem: mortem autem crucis*.

Bernard. Mementote fratres, Christus ne perderet obedientiam, perdidit vitam. Idem: Putas obedientiæ fructum, cum subditus audit obedientiam quam multis expetierat votis, cum ei præcipitur quod redoleat dignitatem? Et contrario meritum assigna illi obedientiæ, quæ terret animum audientis, grauis ad audiendum, grauior ad implendum, grauissima ad tenendum. Sextus gradus est, humiliter obedire. Et subdit Bernard. Magna virtus humilitatis, sine cuius obtentu virtus fortitudinis non solum virtus non fit, sed etiam in superbiam erumpit. Luc. 17. *Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt, dicite serui inutiles sumus: quod facere debuimus, fecimus.*

Perseuerãtia est filia regis. Septimus gradus est, indefinenter obedire. Et subdit Bern. Perseuerantia singularis est filia summi regis. Idem: Quid currere prodest, & ante cursus metam deficere? Sic currite vt comprehendatis, 1. ad Corinth. 11. *Hi sunt septem gradus scalæ quam vidit Iacob.* Genes. 28. *Hanc visionem vidit Iacob dormiens in itinere, lapide supposito capiti.* gl. Caput ponit in lapide qui Christo inhæret mente. Et secundum August. in itinere dormire, est in via huius seculi ab impedimento secularium actionum quiescere. Beatus Benedictus & August. & alij Sancti qui religiones instituerunt, quum Christo corde adhæsissent, & à curis huius seculi quiescerent, spiritualiter viderunt visionem illam. Scala ista obedientia est, cuius duo latera possunt intelligi, paupertas voluntaria & continentia, vel abrenuntiatio proprij sensus & propriæ voluntatis.

Attendenda vero sunt quatuor quæ de hac scala dicuntur. Primum est, quod erat stans super terram. In quo notatur rectitudo intentionis, quæ debet esse in his qui viam obedientiæ aggrediuntur. Et excluditur per hoc macula intentionis terrenæ eorum qui habent terrenam intentionem in religione. Scala eorum non stat, sed potius iacet super terram; vel potius directa est ad infernum. Eccles. 4. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Domini.* Pedem, inquam, intentionis. Secundum est, quod cacumen eius tangebat cœlum. In quo figuratum est, quod conuersatio religiosorum in cœlis debet esse, vel quod immediatus transitus est in morte à via perfectæ obedientiæ in cœlum. Parum enim vel nihil morantur perfectè obedientes in purgatorio. Et quia magni lucri est obedientia, vt prius ostensum est, & ideo sufficit hic soluere debita. Et quia in vero obediente Christus viuit & operatur, ad Galat. 2. *Viuo autem iam non ego: viuit vero in me Christus* Nec est verisimile quod Deus sit in futuro eorum vltor quorum hic est actor. Tertium est, quod Iacob vidit angelos ascendentes & descendentes per scalam illam. In quo insinuatur quod via obedientiæ vita angelica est. Siue enim descendant verè obedientes fratribus suis ministrando, siue ascendant Deo assistendo in oratione, lectione, meditatione, ad modum angelorum voluntatem Dei peragunt. Vnde quantum ad illos impletur orationis Dominicæ petitio, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.* Matth. 6. Quartum est, quod Dominus erat innixus scalæ. In quo insinuatur quod perfecta obedientia se habet immediatè ad Deum. Nullum enim interuallum vel modicum est inter mortem vere obedientis & diuinam visionem. In Psal. *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate mea deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.* Esa. 58. *Si auerteris à sabbato pedem tuum, &c. sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui.* Multum deberent incitare eos qui sunt in scala obedientiæ ad ascendendum viriliter spes & desiderium videndi Dominum innixum scalæ. Sicut quum acclamatum est in obsidione alicuius castri, illum habiturum centum libras qui primo intrauerit: spes & desiderium tanti lucri facit aliquos per scalam ascendere, tenentes clypeos supra se, licet

Obedientia perfecta immediatè refert ad De[um]. Psa. 7[2]

lapidibus

lapidibus desuper percutiantur. Sic spes & desiderium, de quibus iam diximus, deberent facere vt homines per scalam obedientiæ ascenderent, omnes aduersitates, quæ occurrunt superando. Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Item insinuatur in hoc quod Dominus erat innixus scalæ, quod ipse paratus est iuuare & conseruare eos qui viam obedientiæ aggressi sunt quasi suos. Perfecte obediens è proximo sequitur Dominum. Vnde Dominus quasi fidelis socius, vbi deuentum est ad locum difficilem ad transeundum, porrigit ei manum iuuans eum. In Psalm. *Adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.* Attendendum etiam est quod sequitur: *Vere Dominus est in loco isto*, dicit Iacob. Deus Dominum se exhibet vere obedienti, eum iuuando, conseruando, & ei prouidendo: & merito, cum ille se exhibeat seruum Dei, voluntatem eius adimplendo. Item attendendum est quod Iacob postea dixit: *Quàm terribilis est locus iste.* Terribilis est locus sanctus, scilicet locus religionis, propter Domini præsentiam. Solicite enim debent se habere qui sunt in religione, propter hoc quod Dominus præsens est. Hoc est vnum illorum quæ Deus requirit ab homine, scilicet solicite ambulare cum Deo suo. Mich. 6. Terrorem incutere deberet his qui peccant in locis sanctis, pœna illorum qui in locis sanctis peccauerunt, vt pœna Luciferi & Adam. Sequitur: Non est hîc aliud, nisi Domus Dei, & porta cœli, Domus Dei dicitur religio: quia in verè obedientibus Deus habet dominium. Porta vero cœli est propter propinquitatem quam habet perfecta obedientia ad Dei visionem. Væ illis, qui de porta cœli faciunt portam inferni: & de domo Dei, speluncam latronum: vt qui simoniacè intrant religionem aliquam, vel proprietarij sunt ibi. Matth. 21. *Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Item: Væ illis religiosis qui de scala regni cœlestis scalam faciunt confusionis, quorum peccata tanto amplius fœtent hominibus, quanto ipsi sunt in gradu altiori.

Psal. 61.

CAPVT V.

De partibus obedientiæ.

EST obedientia reprehensibilis, & est obedientia commendabilis. Obedientia reprehensibilis est triplex. Prima est cum aliquis obedit creaturæ inferiori homine: vt pecuniæ. Eccles. 10. *Pecuniæ obediunt omnia.* Secūda est, cum ex remissione superioris & ceruicositate inferioris accidit quod ille obedit qui debet imperare, & ille imperat qui debet obedire: cum scilicet ille est supra qui deberet esse infra, & membrum super verticem se extollit. Prou. 30. *Per tria mouetur terra, & quartum quod non potest sustinere. Per seruum cum regnauerit, &c.* Tertia est, cum aliquis suo superiori in malo obedit. Greg. in Moral. Nunquam per obedientiam malum fieri. Aliquando autem debet bonum quod agitur per obedientiam intermitti. Bernardus in epist. Facere malum quolibet etiam iubente domino, constat non esse obedientiam, sed potius inobedientiam. Greg. Caueant subditi ne plus quàm expedit sint subiecti, ne dum plus quàm expedit student subijci, superiorum compellantur vitia venerari. August. Sic modus obedientiæ tenendus est, vt bonis in malo non consentias, nec malis in bono non contradicas. Obedientia vero commendabilis quædam est necessaria, quædam abundans vel perfecta. Necessaria est, vt cum aliquis obedit in his in quibus tenetur obedire. Abundans verò est, quum obediat etiam in his in quibus non tenetur obedire. Bern. Subiectus huiusmodi obedientiam quæ finibus cohibetur nouerit imperfectam: nam perfecta obedientia legem nescit termi-

Obediētia quotuplex.

nis non arctatur, neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis. Item ad perfectionem obedientiæ pertinet non solum facere quod iubetur, sed etiam sicut iubetur. Bernard. Illum optimum dixerim obedientiæ gradum, cùm eo animo opus iniunctum recipit quo & præcipitur. Genes. 17. dicitur de Abraham. *Et circumcidit carnem præputij eorum statim ipsa die sicut præcepit ei Deus.* Matth. 1. *Exurgens Ioseph à somno fecit sicut præcepit ei angelus.* Ioan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Item notandum quod est obedientia quæ debetur ex natura: vt illa quæ debetur Deo. Actor. 5. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Et illa quæ debetur parentibus carnalibus. Ad Ephes. 6. *Filij obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim iustum.* Item ad Coloss. 3. *Filij, obedite parentibus vestris per omnia: hoc enim beneplacitunt est Domino.* Item est obedientia quæ non debetur ex natura, sed habuit voluntatem principium sui, vel voluntatem liberam, vel non liberam. Voluntatem non liberam sui principium habuit obedientia quam debet seruus Domino, ad Coloss. 3. *Serui, obedite per omnia dominis vestris.* Voluntatem vero liberam sui principium habuit obedientia quam vxor debet viro, vel quam debet subditus prælato. ad Ephes. 5. *Mulieres subditæ sint viris suis in omnibus.* Genes. 3. mulieri dicitur *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* ad Hebr. 3. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.*

Capvt VI.

De his quæ aduersantur obedientiæ. Et de 12. malis quæ propria voluntas homini facit.

Obediẽtiæ quæ aduersentur.

Obedientię primò aduersatur proprius sensus, deinde propria voluntas. Sicut equus videns non est idoneus circumire ad molam: sic qui habet proprium sensum, non est aptus volubilitati obedientiæ. Deuter. 12. *Non facietis ibi quod nos facimus hic hodie singuli quod sibi rectum videtur.* Iudic. 17. *In diebus illis non erat rex in Israël: sed vnusquisque quod rectum sibi videbatur hoc faciebat.* Exemplum relinquẽdi proprium sensum, dedit Christus à matre sua in templo inuentus. Luc. 2. *Descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* Bernard. Quis non erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando suum sapientia ipsa deseruit? Proprius sensus, oculus est veteris hominis qui inimicus est Deo, & ideo eruendus est. De propria voluntate, notandum est, quod ipsa Deo multum displicet, Diabolo multum placet, homini multum nocet. Nec mirum si Deo multum displicet. Ipsa enim est quæ Deo primo iniuriatur. Ipsa sola Deo aufert dominium suum, & dat illud diabolo. Sicut enim obedientia efficit hominem seruum Dei: sic propria voluntas efficit eum seruum diaboli: ideo multum placet diabolo. Eccles. 18. *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Propria voluntas homini multipliciter nocet. Primò aufert ei Deum. Bern. sup. Cant. Non dabit inobedienti copiam sui tantus obedientiæ amator, vt mori quam non obedire maluerit. Secundò, beneficia Dei homini subtrahit. Greg. Dignum est vt ab eius beneficiis sit quilibet extraneus, qui eius nimirum iussionibus non vult esse subiectus. Tertiò, meritum euacuat. Esa. 58. *Quare ieiunauimus, & non aspexisti?* Et subditur: *Ecce hodie ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Bernard. super Cant. Grande malum propria voluntas, quâ fit vt bona tua tibi bona non sint. Quartò, hominem excommunicat. 2. ad Thess. 3. *Si non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo.* Quintó, hominem furem efficit. Illi enim qui in reli-

gione est propriæ voluntatis, contractat rem alienam, scilicet seipsum, Domino inuito. Matth. 16. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Luc. 14. *Omnis ex vobis qui non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Sexto, reddit hominem maledictum. Deuter. 28. *Si audire nolueris vocem Domini Dei tui vt custodias & facias omnia mandata eius, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ: maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ.* Septimo, idololatriam efficit, 1. Regum 15. *Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Gloss. Sola est obedientia quæ fidei meritum possidet, sine qua infidelis quisquis conuincitur. Inobediens negat Deum inquantum Deus est. Greg. in Moral. Contra conditorem superbire, est præcepta eius peccando transcendere: quia quasi à se iugum dominationis eius excutit, cui per inobedientium subesse contemnit. Octauo, hominem à dignitate deijcit: vt patet in Saül, cui dicit Samuel, 1. Reg. 15. *Quia proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus ne sis Rex super Israel.* Nono, aduersarium homini suscitat. 3. Reg. 11. *Fecit Salomon quod non placuerat coram Domino & suscitauit Dominus aduersarium Salomoni.* Decimo, hominem confundit. Osee 10. *Confundetur Israel in voluntate sua.* Esa. 45. *Confundentur omnes qui repugnant ei:* In hoc confunditur qui propriam voluntatem in religione sequitur, quia contrarium accidit ei illius quod intendit. Quærit alicubi consolationem, & ex hoc postea habet maiorem desolationem. Vel in remorsione conscientiæ, vel in punitione pœnitentiæ, vel in infirmitate quæ quandoque ex hoc sequitur. Qui plus vult facere voluntatem suam in religione, plus cogitur facere contra eam. Quum enim talis non habeat gratiam illam apud Deum vel homines quam habet verus obediens, multa non conceduntur sibi quæ conceduntur vero obedienti. Ionas effugere voluit vt Dei voluntatem non impleret: impleuit tamen eam inuitus. Gregor. Ecce Ionam fugitiuum Dei tempestas inuenit, sors ligat, mare suscepit: & quia auctoris voci obedire renititur, ad locum quo missus fuerat suo reus carcere portatur. Vndecimo, hominem affligit. Vnde Saül inobedientem malignus spiritus exagitat. 1. Reg. 16. Homo propriæ voluntatis in religione animum habet inordinatum, & ideò affligitur. Augus. in lib. de Conf. Iussisti, Domine, & sic est, vt pœna sibi sit omnis inordinatus animus. Duodecimo, hominem morte temporali & æterna dignum efficit. Deut. 17. *Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, morietur.* Eiusd. 21. *Si genuerit homo filium contumacem, qui non audierit patris aut matris imperium, & coërcitus obedire contempserit, lapidibus eum obruet populus.* Iosue 1. *Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis sermonibus tuis quos præceperis ei, moriatur.* 2. Reg. 13. *Vir Dei qui inobediens fuit ori Domini percussus est a leone.* Ber. Quid odit Deus, aut quid punit præter voluntatem propriam? Cesset enim propria voluntas, & infernus non erit.

PARS VII.

De errore illorum qui dicunt soli Deo obediendum esse, & non homini.

FAlsitas huius erroris facilè manifestari potest his qui vetus Testamentum recipiunt: cum in veteri lege præcipiantur occidi, qui imperio sacerdotis, vel principis, vel parentum inobedientes sunt. De primo habetur. Deuter. 17. *Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, morietur.* De secundo Iosue 1 *Qui contradixerit ori tuo, &c.* De tertio Deuter. 21.

Si genuerit homo filium contumacem, &c. Testimoniis etiam Noui Testamenti falsitas docti erroris manifestè potest ostendi. Rom. 14. Omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta sit. Non enim est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, sibiipsi damnationem acquirunt. Ephes. 6. *Filij obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum est.* In eodem: *Serui obedite dominis vestris carnalibus: cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri sicut Christo.* ad Coloss. 3. *Filij obedite parentibus vestris: hoc enim beneplacitum est Domino.* In eod. *Serui obedite per omnia dominis carnalibus,* ad Tit. 3. *Admone illos principibus & potestatibus subditos esse.* ad Heb. 13. *Obedite præpositis vestris & subiacete eis.* 1. Pet. 3. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi quasi præcellenti; siue ducibus, quasi ab eo missis.* In eodem: *Serui subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* Præterea constat quod Christus voluit apostolos esse loco sui, & vicem eius gerere: secundum illud Matth. 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Et eiusd. 16. dictum est Petro: *Tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Item eiusdem 18. *Amen dico vobis: quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, &c.* & Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis, retenta sunt.* Obediendum ergo fuit Apostolis sicut Christo, tanquam eius vicariis. A simili ergo successoribus eorum obediendũ est tanquam Christi vicariis. Si quis vero dicat quod obediendum fuit Apostolis tanquam Christo, sed non eorum successoribus. Ergo Christus recessurus ab Ecclesia non sufficienter ordinauit de ea: si non ordinauit de ea, nisi quandiu Apostoli viuerent. Si Rex Franciæ iturus esset in peregrinationem, & poneret aliquem loco sui vsque ad certum tempus infrà quod sciret se non esse rediturum, ipse non sufficienter ordinaret de regno. Ergo quum Christus ascensurus in cœlum sciret se non esse rediturum ad Ecclesiam ante mortem Apostolorum, si ipse solum ordinauit qui essent loco eius dum Apostoli viuerent, ipse sufficienter prouidit Ecclesiæ suæ? Relinquitur ergo quod successoribus eorum obediendum sit, sicut & ipsis obediendum fuit. Si quis vero dicat hominibus esse obediendum, sed tantum bonis, non malis, patet primò hoc esse falsum ex verbis Christi. Matth. 23. *Super cathedram,* inquit, *Moysi, sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite, secundum vero opera eorum nolite facere.* 1. Pet. 2. *Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* Præterea si tantum bonis esset obediendum, iurisdictio Ecclesiæ nihil haberet certitudinis, nescitur enim quis sit bonus vel malus. Ecclesiast. 9. Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta. Item iurisdictio Ecclesiæ nihil haberet stabilitatis. Ille enim qui est bonus, in momento potest fieri malus, & iam non ei est obediendum. Præterea sicut pictor fœdus depingit statuam pulchram, nec vitium pictoris statuam deturpat: sic & prælatus malus potest facere præceptum bonum: nec est periculum his qui subiecti sunt, si obediant prælato malo in eis in quibus obedirent prælato bono. Ex quo prælatus malus habet potestatem. Omnis enim potestas à Deo est: & qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit, ad Rom. 13. Si vero prælatus malus præpiat malum: tunc planè non est obediendum ei. Aug. super illum ad Rom. 13. Qui re-

ſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Si ille iubeat quod non debes facere, hîc ſanè contemne poteſtatem, timendo poteſtatem maiorem. Ipſos humanarum rerum gradus aduerte. Si quid iuſſerit curator, nunquid tibi faciendum eſt ſi contra proconſulem iubeat? Rurſus ſi quid proconſul iubeat, & aliud Imperator, nunquid dubitatur contempto illo, illi eſſe ſeruiendum? Ergo ſi aliud Imperator & aliud Deus iubeat, contempto illo obtemperandum eſt Deo.

DE DISCIPLINA.

PARS XI.

Quæ habet ſeptem Capitula.

CAPVT I.

De ordine dicendorum: de Diſciplina, & de diuerſis acceptionibus huius nominis Diſciplina.

DIcto de Obedientia quâ redditur quod debetur ſuperiori, dicendum eſt de Diſciplina qua redditur quod debetur inferiori. De qua hoc modo dicitur. Primo ponentur diuerſæ acceptiones huius nominis Diſciplina. Secundo, tangetur de his quæ poſſunt incitare ad faciendum correptionem. Tertio, de his quæ poſſunt eam impedire. Quarto, de modo corripiendi, vel corrigendi. Quinto, de his quæ incitare poſſunt ad libenter recipiendum correptionem. Sexto, de diuerſis partibus diſciplinæ. Septimo, de erroribus circa diſciplinam. Circa primum notandum quod diſciplina quandoque dicitur deſiderium corrigendi inferiores, & ſic videtur eſſe pars iuſtitiæ. Quandoque autem dicitur diſciplina id quod adhibetur ad correptionem aliquorum. Sic ſumitur Hebræor. 12. *Fili mi, noli negligere diſciplinam.* In eodem: *In diſciplina perſeuerate.* Item: *Si extra diſciplinam eſtis, &c.* Quandoque autem diſciplina dicitur effectus diſciplinæ ſumptæ ſecundo modo. Et ſic videtur eam deſcribere Cyprianus, dicens: Diſciplina eſt morum ordinata correptio, & maiorum præcedentium patrum regularum obſeruatio. Item magiſter Hugo de ſancto Victore: Diſciplina, inquit, eſt conſeruatio bona & honeſta: cui parum eſt non malum facere, ſed ſtudet in his quæ bene agit per cuncta irreprehenſibilis apparere. Bern. in epiſtolis: Diſciplina ceruicem ſubmittit, ponit ſupercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frænat, iram ſedat, format inceſſum. *Zelus quando idem quod diſciplina & quid ad eum ſpectet? Pſ. 138.*

Item magiſter Hugo de ſancto Victore. Diſciplina eſt membrorum omnium motus ordinatus, & diſpoſitio decens in omni habitu & actione. Diſciplina ſumpta primo modo poterit videri alicui idẽ eſſe quod zelus. Ad zelum primo videtur pertinere dolor de Dei contumelia, qui eſt quaſi quædam ſciſſura cordis, quam interdum indicat veſtium ſciſſura. Secundo tabeſcentia quæ eſt quum dolor vehementior aut diuturnior fuerit. Dauid: *Super inimicos tuos tabeſcebam.* Tertio, ira per zelum, quæ eſt appetitus vlciſcẽdi Dei offenſam: quæ ira ſi inueterata fuerit, efficitur odium. De quo in Pſal. *Nonne qui oderunt te Domine oderam.* Idem: *Perfecto odio oderam illos.* Perfectum odium eſt quo inimicos Dei vſque ad dilectionem vel perfectionem perſequimur, non habentes pacem cum eis, quandiu ſunt Dei inimici. Vel perfectum odium dicitur odium virorum perfectorum, quo peccata hominum non homines odio habentur. Ambroſ. Qui habent zelum, omnes inimicos ſuos putant qui ſunt hoſtes Dei, quamuis patrem, ſororem, de omnibus dicunt: Inimici facti ſunt mihi. Idem: Nemo grauior hoſtis omnium, quàm qui omnium lædit auctorem. Auguſt. Vnumquemque Chriſtianum zelus domus Dei *Ibidem*

comedit. Non enim magis est domus tua quàm illa vbi habes salutem æternam. Si ergo in domo tua ne quid peruersum fiat satagis, in domo Dei vbi salus est proposita & requies sine fine, non debes pati, quantum in te est, si quid peruersum forte videris. Et notandum quod non videtur omnino idem esse zelus & ita per zelum. Bonus zelus est, vt ait Gloss. August. super illud Ioan. 2. *Zelus domus tuæ.* Feruor animi quo mens abiecto timore humano pro defensione veritatis attenditur, eo comeditur, quo quælibet praua quæ viderit, corrigere satagit: si nequit, tolerat & gemit. Ita vero per zelum est ira iusta. De qua Gloss. super illud Matt. 5. *Omnis qui irascitur, &c.* Iusta ira est mater disciplinæ. Et super illud Iob 5. *Virum stultum interficit iracundia.* dicit Gregor. Est ira per zelum, qua irasci sicut nostris, proximorum erroribus debemus. De hac ira etiam dicit Glossa super illud Ecclesiast. 7. *Melior est ira risu.* Hæc est ira qua vitiis irascimur. Item notandum quod super illud Ezech. 4. *Sume tibi sartaginem ferream,* dicit Glossa Gregor. Nullum maius sacrificium Deo est, quàm zelus animarum. Zelus Dei gloriam in hoc mundo defendit: zelus carbo est quem vnus de Seraphim accepit de altari cælesti, & tetigit labia Esaiæ. Esa. 6. *Nam non sunt digna prædicare verbum Dei labia illa quæ hic carbo non tetigerit.* In Psalm. *Mors in labiis eorum*, vbi littera communis habet, *Gladius in labiis eorum.* In labiis quorundam verbum Dei quod deberet esse spiritus & vita, mors est. Propter defectum enim zeli, verbum Dei ita frigide annuntiant aliqui, quod auditores eorum inde potius frigescunt quàm accendantur. Propter ignem istum dictum de Elia. Eccl. 48. *Surrexit Elias propheta quasi ignis.* Zach. 2. *Ponam duces Iuda sicut caminum ignis in lignis.*

Zelus & ira per zelum quî differant.

Psa. 58.

Capvt II.

De his quæ possunt incitare ad faciendam correptionem.

Ad correptionem faciendam, notandum quod ad hoc primo incitare potest frequens admonitio sacræ Scripturæ. Matth. 10. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* ad Galat. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos qui spiritales estis instruite huiusmodi.* 1. ad Thess. 4. *Rogamus vos fratres, corripite inquietos.* Prou. 24. *Noli subtrahere à puero disciplinam.* Eccl. 7. *Filij tibi sunt? erudi illos, & curua illos à pueritia illorum*: Eiusdem. 30. *Tunde latera eius, dum infans est, ne forte induret: & non credat tibi.* In eodem: *Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudine illius offendas.* ad Ephes. 6. *Educate filios vestros in disciplina & correptione Domini.* Secundo exempla, & maxime exemplum Christi. De cuius zelo habes Matth. 21. & Ioan. 2. Et in Psalm. *Zelus domus tuæ comedit me.* Esaiæ 59. *Opertus est Dominus pallio zeli.* Et Cant. 2. *En ipse stat post parietem*: ad modum scilicet zelantis & auscultantis. Exemplum zeli habes Exod. 32. in Moyse & Leuitis vindictam sumentibus de idololatria Iudaici populi. Item Num. 25. in Phinees, qui interfecit virum Israëlitam coëuntem cum Madianitide: de quo Dominus ait ad Moysen, Phinees filius Eleazari auertit iram à filiis Israël: quia zelo meo commotus est cõtra eos. Item tertio Reg. 10. in Iesu qui interfecit prophetas Baal. Item 1. Mach. 2. in Matathia qui trucidauit Iudæum sacrificantem idolis. Tertio vtilitas ex correptione proueniens, virga correptionis fructifera est. Vnde significata est per virgam illam quæ protulit flores & amygdala. Num. 17. Vtilitatem correptionis in multis locis insinuat sacra Scriptura. Prouer. 17. *Melior est manifesta correptio*

quàm amor absconditus. Et in eodem : *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta odientis oscula.* Eiusd. 18. *Qui corripit hominem, gratiã postea inueniet apud eum, magis quam qui per linguæ blandimenta decipit.* Eiusd. 29. *Virga atque correptio tribuit sapientiam.* Eccl. 7. *Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi.* Eiusd. 30. *Qui diligit filium, assiduat illi flagella, vt lætetur in nouissimo suo.* Item in eodem : *Qui docet filium suum, laudabitur in eo.* Augustinus ad Vincentium: Non omnis qui parcit, amicus est; nec omnis qui verberat, inimicus. Melius est cum seueritate diligere, quam cum lenitate decipere. Vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo iustitiam securus negligebat, quam esurienti panis frangitur, vt iniustitiæ seductus acquiescat. Et qui phreneticum ligat, & qui lethargicum excitat, ambos molestus ambos amat. Quis non potest amplius amare quàm Deus? & tamen, nos non solum docere suauiter, verumetiam salubriter terrere non cessat. Quarto, malum proueniens ex defectu correptionis. Quod in multis locis sacræ Scripturæ nobis insinuatur. 1. Reg. 3. *Suscitabo aduersus Heli omnia quæ locutus sum super domum eius, eo quod nouerat indigne agere filios suos, & non corripuit eos.* Et 3. Reg. 1. Adonias eleuabatur, dicens : *Ego regnabo.* Et infrà : *Nec corripuit eum pater suus aliquando*, quem occasione regni postea Salomon fecit occidi. Prou. 13. *Qui parcit virgæ, odit filium suum : qui autem diligit, instanter erudit.* Eiusdem 29. *Puer qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam.* Ecclesiastic. 22. *Confusio patris est de filio indisciplinato.* Eiusdem 41. De patre impio queruntur filij, quoniam propter eum sunt in opprobium vel tormentum. Esaiæ 14. *Præparate eius filios occisioni in iniquitate patrum eorum.*

CAPVT III.

De impedimentis correptionis.

OCto sunt quæ solẽt impedire ne correptio debito modo fiat. Primum est, indiscreta humilitas, August. loquens Prælatis : Cum necessitas disciplinæ in moribus coërcendis dicere vos dura verba compellit, si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur vt à vobis subditis, veniam postuletis, ne apud eos quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Eccl. 13. *Noli esse humilis in sapientia tua.* Tit. 2. *Hæc loquere & exhortare, & argue cum omni imperio.* Secundum est timor scandali. Veritas vitæ, doctrinæ vel iudicij propter scãdalum dimittenda non est, ad Gal. 2. dicit Paulus : *Quum venisset Petrus Antiochiam, in faciem restitit ei: quia reprehensibilis erat.* Matth. 15. cum diceretur Christo. *Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scãdalizati sunt?* Ille respõdens, ait: *Omnis plantatio quam non plantauerit Pater meus eradicabitur : Sinite eos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Tertium est, timor mundanus vel humanus. Contra quod legitur de Elia Eccles. 48. *Non pertimuit principem, nec superauit eum verbum aliquod.* Et 3. Reg. 18. Dixit Elias ad Achab: *Non conturbo ego Israel, sed tu & domus patris tui.* Quartum est, remissio. De qua exemplum habetur in Hel. 1. Reg. 1. qui remissè arguebat filios suos, dicens: *Quare facitis res huiuscemodi quas ego audio?* Quintum & sextum sunt austeritas & indiscretio. Contra quæ duo fuerunt in arca testamenti, virga, manna, & tabulæ testamenti. In virga intelligitur correptio. In tabulis, discreto. In manna, mansuetudo. Contra austeritatem dicitur ad Gal. 6. *Vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis*: Cõtra indiscretionem dicitur. Prou. 14. *In ore stulti virga superbiæ.* Septimũ est ira vel odium.

Prou. 19. *Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* Eccl. 19. *Est correptio mendax in ira contumeliosi.* Videtur esse correptio, quod potius est corruptio vel conuiciatio. Octauum est amor terrenorum. Vnde Genes. 4. dixit Cain: *Nunquid custos fratris mei sum ego?* Cain interpretatur possessio: Amator possessionum custodiam fratrum negligit, non attendens illud Eccl. 29. *Perde pecuniam propter fratrem.*

CAPVT IV.

De modo faciendi correptionem.

Correptio procedere debet ex amore. Apoc. 4. *Ego quos amo, arguo & castigo.* Sed sunt aliqui qui illos maxime volũt corrigere quos videntur non amare, quorum correptio ab iis quibus adhibetur, non reputatur correptio, sed hostilis persecutio. Esa. 11. *Egredietur virga ab radice Iesse.* Iesse interpretatur incendium. De incendio amoris egredi debet' virga correptionis. 2. ad Thess. vlt. *Nolite quasi inimicum existimare illum, sed corripite vt fratrem.* Item correptio debet fieri cum compassione. Greg. Nequaquam iacentem erigit, nisi qui status sui rectitudinem per compassionem flectit. Aug. Duo sunt nomina, homo, peccator: quia peccator est, corripe: quia homo est, miserere.
Ps. 140. In Psal. *Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me*, sicut dicit Gloss. super illud Matt. 5. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam.* Iustitiæ lumen est misericordia. Iustitia sine misericordia cæcus furor est. Zelus absque misericordia, est vt cæcus sagittarius qui intendens occidere feram, occidit hominem: sicut Lamech qui intendens sagittare feram, sagittauit Cain, & occidit eum, iuxta traditionem Hebræorum. Ignis zeli ardere debet in oleo misericordiæ. Gregor. super Ezechiel. Zeli sancti districtio, de virtute misericordiæ necesse est vt ardeat. Ideo necesse est eum qui habet alios corrigere, iugiter meditari propriam infirmitatem, vt in seipso discat, quod alij portare possint. In Psalm. *Sciant gentes quoniam homines sunt.* Psa. ad Galat. 6. *Considerans temetipsum ne & tu tenteris.* Eccl. 31. *Intellige quæ sunt proximi ex teipso.* Gregor. Omnipotens Deus idcirco Principem Apostolorum permisit cadere, vt in culpa sua disceret qualiter aliis misereri deberet. Et de Christo legitur, Esa. 53. *Virum dolorum & scientem infirmitatem.* Qui non didicit pati disciplinam, nescit eam in alios exercere. Quidam religiosi habentes abbatem tortorem crudelissimum, inexpertum disciplinæ quam in alios voluit exercere, coëgerunt eum sedere per mensem inter fratres, & agere se tanquam simplicem fratrem: quem quotidie proclamantes, & egregie verberantes, tandem restituerunt eum sedi suæ, dicentes: Ecce per mensem fuisti in scholis disciplinæ: & non solum audisti doctrinam disciplinæ, sed etiam sensisti: non erat mirum si nesciebas quod non didiceras: sis memor eorum quæ didicisti, alioquin tibi rememorationem faciemus ipsorum. Qui didicit ex his quæ passus est disciplinam. Sunt multi qui alios durè volunt corrigere, sed tamen nolentes corrigi, quorum morbus est. Noli me tangere, solo Deo curabilis, cum omnem tactum humanum fugiat. Item correptio fieri debet in mansuetudine. In Ps.
Psalm. *Superuenit mansuetudo, & corripiemur.* Senec. Vitia animi sicut vitia corporis leniter sunt tractanda. Ambr. super Lucam: Plus proficit amica correptio, quàm accusatio turbulenta. Illa pudorem incutit, hæc indignationem mouet: ad Galat. 6. *Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Zelus sedet quasi in fornace, vel iuxta fornacem, scilicet vim irascibilem: vnde de facili emicant scintillæ iræ quibus turbatur oculus mentis. Cato: *Impedit ira animum, ne possit cernere verum.* Et super illud

illud Iob 5. *Virum stultum interficit iracundia.* dicit Greg. Ira per zelum turbat. Ipsa namque zelus rectitudinis, dum acie͂ mentis agitat, turbat. Ideo viri sancti iram sentientes supersedere volu͂t correptioni, donec ira cassauerit & tranquillitas in mente facta sit, imitari volentes illum cui dicitur, Sapient. 13. *Tu dominator virtutis cum tranquillitate iudicas.* Iac. 1. *Ira viri, iustitiam Dei non operatur.* Diogenes cum esset iratus seruo suo, ait: Iam te, nisi iratus essem, verberibus enecassem. In hominibus iracundis non exilit scintilla de fornace vis ira scibilis, sed flamma totum vorans: & quod zelo sancto cœperant, furore consummant. In eis opus sanctum quod zelus sanctus tenebat, ira rapit & sibi vindicat. Scintilla vero iræ, etsi aliquid turbationis oculo mentis ingerat, non tamen opus sancto zelo incœptu͂ sibi vendicat. Simile inuenies in viro qui ex iustitia vult reddere debitum vxori, cuius operi dupliciter potest se ingerere voluptas: vel sic vt opus iustitiæ non auferatur, vel ita vt id totum sibi rapiat: vt scil. solo voluptatis amore consummetur. ad Galat. 3. *Sic stulti estis, vt cum Spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?* Simile etiam accidit in illo qui ex charitate incipit dare eleemosyna͂, cui vana gloria duplex potest se ingerere. Simile etiam accidit in eo qui ex deuotione inchoat iter Ierosolymitanum, & intrat in cor eius cogitatio de negotiatione ibi exercenda, quæ cogitatio dupliciter se potest ingerere vt prius. Item correptio secreto facienda est, si culpa sit occulta. Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum.* Si vero culpa sit manifesta, manifeste facienda est. 1. ad Tim. 5. *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* Isid. Manifesta peccata non sunt occulta purgatione purganda: palam enim arguendi sunt, qui palam nocent, vt dum aperta obiurgatione sanantur, hi qui eos imitando deliquerunt, corrigantur. Dum vnus corripitur plurimi emendantur, necesse est vt pro multorum saluatione vnus condemnetur quàm per vnius licentiam multi periclitentur. Ita erga delinque͂tem sermo est proferendus, sicut eius qui corripitur expostulat salus. Item correptione attendendus est status personarum quæ corriguntur, quia non sanat oculum quod sanat calcaneum. Cum veterano parcius agendum est: vt ait Sen. 1. ad Tim. 5. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem.* In correptione etiam seruanda est modestia. Tenendum est enim medium inter remissionem & indiscretum zelum. 2. ad Tim. 2. *Seruum Domini oportet esse patientem, cum modestia corripientem: qui non possunt cum benignitate corrigi, terrore sunt corrigendi.* Aug. ad Bonifacium: Quidam dixit de pudore & libertate, liberos retinere satius esse credo, quam metu. Et subdit Aug. Hoc quidem verum est, sed sicut meliores sunt quos dirigit amor: ita plures sunt quos corrigit timor. Isid. Qui bla͂do verbo castigatur, & non corrigitur, acrius necesse est vt arguatur. Cum dolore enim abscindenda sunt quæ leniter sanari no͂ possunt. Qualis debeat esse zelus, oste͂dit Bern. super Cant. Zelum, inquit, tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet co͂stantia, sit feruidus, sit inuictus, sit circonspectus. Idem. Quo zelus feruidior, vehementior spiritus, prouisiorque charitas, eo vigilantiori opus est scientia, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem. Sunt qui zelum habent non secundum scientiam. ad Rom. 10. qui vulgariter vocantur homines sine capite, belluina rabie sæuientes in peccatores, co͂uitiis eos dehonestantes, non medicos, sed hostes se exhibentes, quantum in eis est iudicium Dei euacuantes, dum omnia hic vindicare volunt. Si enim hic omnia vindicarentur, vt ait August. locum diuina iudicia non haberent. Ipsi officium dæmonum, quod est torquere, diligenter facerent, si potestatem haberent. In ore eorum persona͂t hæ voces diabolicæ, crucifigatur, co͂fundatur, deponatur, & eiiciatur,

Potestas eorum est vt gladius in manu furibundi: vix ab ore eorum auditur, corrigatur. Ipsi solum vrere norunt,&secare: omni ægritudini ignem & ferrum adhibere volunt, ignorantes quod omnium medicamentorũ saluberrimum est sapientia. Sapient. 9. *Per sapientiam sanati sunt, quicunque placuerunt tibi ab initio.* Eiusd. 16. *Nec herba, nec malagma sanauit eos: sed sermo tuus Domine qui sanat omnia.* Peccatores (vt ait Dionysius) tanquam cœci manuducendi sunt. Tullius: Vndique fulciendi sunt qui ruunt, erigendi sunt qui occiderunt, & sanandi qui vulnerati sunt, non nouo vulnere transfigendi. Qui zelum indiscretum habent, similes sunt illis qui reficiunt veteres patellas, qui foramen vnum volentes obstruere, vno ictu mallei multa faciunt, vel illud augent, vel patellam omninò confringunt. Videntur tales credere quod omnia vasa sint malleabilia, cum tamen fictilia vel vitrea, malleatione potius confringantur. Correptio est vasorum spiritualium confractorum refectio. Ecclesi. 21. *Cor fatui quasi vas confractum.* 2. ad Timoth. 2. *In domo magna sunt vasa non solum aurea & argentea, sed etiam lignea & fictilia.* Hi correptionem hominum facile desperant, ad male sentiendum de hominibus faciles, ad bene sentiendum difficiles. Hi peruersum ianitorem cordibus suis præfecerunt qui mala fratrum tã facile permittunt intrare, bona vero vix vel raró. Opinionem malam semel de aliquo conceptam vix aut raro deponunt, contrá muscas vel pulices gladio magno impugnaré volunt, similes cuidam qui dum musculã, quam videbat super caput alterius volitãtem, securi intentaret percutere, excerebrauit eum. Multoties dum tales ligna peccatorum intendunt cædere, fugit securis manum eorum, ferrumque lapsum de manubrio proximum occidit. Deuter. 19. Gloss. Spiritualiter ligna succidimus cum delinquentium vitia pia intentione resecamus. Securis manum fugit, cum increpatio in asperitatem sese pertrahit, ferrum de manubrio prosilit, cũm de correptione sermo durior exit. Tales zelatores pro medicina venenum propinãt. Iob 20. *Panis eius in vtero eius vertetur in fel aspidum.* Tales similes sunt cuidã fatuo qui rectissime volens procedere, sine ruina domorum, non poterat per ciuitatem incedere. Tales spiritualiter multos corruere faciunt. In tempestate & turbine sunt viæ eorum. Nam 1. Prouer. 10. *Quasi tempestas transiens non erit impius.* Ipsi similes sunt pugilibus qui incedentes per medium pressuræ, alios impellunt, alios conculcant, alios impediunt à gressu, & maledictionem multitudinis post se relinquũt. Sic in quacunq; congregatione tales conuersati fuerint post recessũ vel decessum, querelas vel maledictiones relinquunt. Hi periculose ambulãt inter ventres prægnantium. Quis enim aborsus enarret factorum propositorum quos faciunt, & suffocationes tenerorum partuum? Tales in principe dæmoniorum eiiciunt dæmonia, & in satana satanam expellunt: si tamen expellunt, & non potius introducunt. Interdum enim credentes se expellere spiritum luxuriæ, non expellunt eum, sed latere cogunt, introducentes cum eo spiritum mendacij, & simulationis, & iræ, & odij. Vnde opportunitate inuenta exeunt vitia vt bestiæ de cauernis cum multitudine nouorum vitiorum. Et est error nouissimus peior priore. Et procurantur quãdoque depositiones habentium zelum indiscretum, vel etiam mors eorum multum attendenda esset, in correctionibus infirmitates corrigendorum & potestas correptoris, & anstragé multorum operetur correptio vel salutem paucorũ. Erubescenda est medicis spiritualibus timoratio medicorum corporalium, qui adeo solicite cauent ne medicina eorum alicui sit mortis occasio. Deridenda est quorundam iustitia qui ne amittant de iure suo valens denarium, parati sunt centum marcas expendere. Timendum est ne zelum aliquorum inanis gloria concitet, vt acci-

dit cuidam, qui vt iustus iudex appareret proprium filium pro leui delicto decollauit, mercator insanissimus, qui morte filij sui vanam laudem iustitiæ comparauit. Zelus iste indiscretus procedere solet ex inexperientia disciplinæ in seipsis, & ex ignorantia propriæ infirmitatis & alienæ, & amore inanis gloriæ. Talibus non est danda potestas: esset enim vt gladius in manibus furibundi. Ipsi ad instar dæmonum, quocunque introeunt, incendium post se dimittunt. Qui vero habent zelum discretum, medicos corporum imitantur, morbos spirituales persequentes, salutem vero ægrorum quærentes. Non irascuntur medici corporum patientibus, immo consolantur eos, & ad tollendum horrorem medicinæ prius eam degustant. Item dicit Aug. de Saluatore: Calicem, inquit, passionis bibit medicus prius, ne illum abhorreret ægrotus. Non puniunt qui habent zelum discretum homines secundum merita, hoc Deo relinquunt: sufficit eis vt faciant eos pœnitere: puniunt vt emendent, vt qui peccauerunt humiliter misericordiæ totaliter se tradant. Tales officium tortoris diabolo & angelis eius relinquunt: tales sic secant putrida, vt sana illæsaque relinquãt. Sic herbas pestiferas euellunt vt salutares non lædant. Sic zizania extirpant vt tritico læsionem non inferant. Quidam habentes zelum non secundum scientiam, sic hortos abbatiarum suarum nobilium purgauerunt ab arboribus infructiferis, vt fere ibi nullam relinquerent. Et notandum quod cum parcere & punire sint contraria, & contrariorũ eadẽ sit disciplina, qui nescit parcere, nescit punire. Et notandum quod sicuti zelus indiscretus reprehensibilis est, ita & remissio est reprehẽsibilis. Bern. in epist. Non irasci vbi irascendum, nolle emendare peccatũ est. Plus vero irasci quàm irascendum est, peccatum peccato addere est. Remissio ipsa est vt somnolentia in rectore nauis. Prou. 23. *Eris sicut dormiens in medio maris, & quasi sopitus gubernator amisso clauo.* Isid. prælatum negligentem dormienti assimilat, de cuius manu baculus cadit pastoralis. Et pictores pingunt ipsũ accubãtem in cathedra super cubitũ, somno grauatum, & cadentem de manu eius baculũ pastoralem. Item remissio pigritię in agricola assimilatur. Prou. 24. *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, operuerant superficiem eius spinæ.* Remissio est velut defectus latratus in cane gregem seruante. Esa. 56. *Canes muti non valentes latrare.* Item defectus gladij in custode. Esa. 62. *Super muros tuos Ierusalem cõstitui custodes.* Cant. 3. *Inuenerunt me custodes ciuitatis.* Item est defectus buccinæ in speculatore. Ezech. 33. *Si speculator viderit gladium venientem & non insonuerit buccina & populus non custodierit se, veneritque gladius, & tulerit de his animã: ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram.* Sunt qui remissionem misericordiam reputant, cum tamen potius sit crudelitas. Misericorditer agitur cum frenetico, cum ligatur, & à desideriis suis nociuis compescitur, & cum eo qui in igne est, cum per capillos inde extrahitur, si aliter extrahi non potest. De ore lupi infernalis violẽter extrahendi sunt homines. Am. 3. *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura aut extremum auriculæ: sic eruentur filij Israel.* Iob. 29. *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius eripiebam prædam.* Molæ diaboli sunt vitia & peccata. Eadem dentes etiam possunt dici. Eccl. 21. *Dentes leonis, dentes illius.* Item extrahendi sunt homines ab aquis deliciarum, etiam inuiti antequam ibi submergantur. Et notandũ, quod qui habet correptionẽ facere, nõ de se, sed de Deo debet confidere, & orationi debet instare, cũ solius Dei sit hominẽ corrigere. Eccl. 7. *Cõsidera opera Dei, quod nemo possit corrigere quẽ ille despexerit. Considera, &c.* Id est, discerne quę opera sint propria Dei, & soli virtuti eius possibilia, & inter ea inuenies illud quod nemo possit, &c.

Correptionẽ facturus Deo confidere debet.

CAPVT V.

De his quæ possunt incitare ad libenter recipiendum correptionem vel disciplinam.

SEquitur de his quæ incitare possunt ad libenter recipiendum correptionẽ vel disciplinam. Ad quod potest valere: Primo multiplex admonitio sacræ Scripturæ. In Psal. *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus.* Prou. 3. *Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias.* Et eiusd. 4. *Tene disciplinam, & ne dimittas eam.* ad Heb. 13. *Noli negligere disciplinam.* Item: *In disciplina perseuerate.*

Psal. 2.

Secundo vtilitas ex disciplina vel correptione proueniens. Prou. 29. *Virgo atque correptio tribuit sapientiam.* Et eiusd. 2. *Qui diligit disciplinam, diligit scientiam: qui autem odit increpationes, insipiens est.* Disciplina vel correptio placet sapientibus, & in eis proficit: insipientibus vero displicet, nec proficit in eis. Eccles. 10. *Vir prudens, & disciplinatus non murmurabit correptus.* Prou. 9. *Argue sapientem, & diliget te.* Et eiusd. 25. *Non amat pestilens eum qui se corripit.* Et eiusdem 9. *Qui arguit impium, sibi maculam generat.* Eccles. 1. *Peruersi difficile corriguntur.* Peruersus est qui intellectu & affectu à bonitate auersus est. Eccles. 32. *Homo peccator vitabit correptionem, & ad voluntatem suam inueniet comparationem.* Prou. 17. *Plus proficit correptio apud prudentem, quàm centum plagæ apud stultum.* Eiusdem 27. *Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas desuper feriente pilo, non auferetur stultitia eius.*

Tertiò malum proueniens ex eo quòd disciplina vel correptio abiicitur. Virga enim correptionis in colubrum vertitur. Qui enim hic non corrigitur, in futuro à serpentib. infernalibus punietur. Exod. 4. *Proiecit Moyses virgam, & versa est in colubrum.* Prouerb. 15. *Qui increpationes odit, morietur.* Et eiusd. 29. *Viro, qui corripientem se dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus.* Eccle. 19. *Qui odit correptionem, minuetur vita.* Vita, inquã, triplici, scilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ. Homo qui est sine disciplina, terrenis adhæret, de æternis non curans Iob. 17. *Cor eorum longe fecisti à disciplina, propterea non exaltabuntur.* gloss. Qui per disciplinã minime custodire vitam student, semper per desideria in imis iacent. Qui sine disciplina est, in periculo est. Prouer. 15. *Qui abiicit disciplinam, despicit animam suam:* Sicut carnem despicit qui eam non vult sale condire. Putrescit enim qui cõtemnit disciplinam, & per cõsequens abiicit omne bonum. Sapient. 3. *Sapientiam & disciplinam qui abiicit, infelix est.* Fugiũt enim eum omnia bona. Talis diabolo multum assimilatur, qui incorrigibilis est. Ecclesiast. 21. *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris.* Diabolus peccator dicitur antonomasticè. Cui multum assimilatur, qui odit correptionem: vt vestigium valde simile est pedi.

Et notandum quod laudabilius est correptionem libenter accipere, quàm audacter facere. Augustinus ad Hieronymum. Cum satius sit à tenendo itinere in nullo quàm in aliquo declinare: multo tamen est mirabilius & laudabilius libenter accipere corrigentem, quàm audacter corrigere deuiantem.

CAPVT VI.

De partibus disciplinæ. Et primo de Ieiunio & eius commendatione: de speciebus eius, & de his quæ debent ipsum comitari.

EST disciplina ad omnes pertinens, scilicet disciplina proprij corporis. Et

est disciplina pertinens ad eos qui præsunt cæteris hominibus. Prima multiplex est, vt ieiunium, asperitas vestium, durities lectorum, peregrinatio, vigiliæ, disciplina verborum. Secunda verò duplex est. Quędam spiritualis, cum scilicet delinquentes feriuntur gladio spirituali, quæ specialiter pertinet ad prælatos Ecclesiæ. Quædam verò materialis, cum scilicet delinquentes feriuntur gladio materiali, quæ maxime pertinet ad principes terrenos. Omissis aliis partibus disciplinæ prosequemur de Ieiunio. De quo Scriptura sacra multum loquitur, & quod magnæ efficaciæ est. Ieiunium, vt ait Isidorus in libro Etymolog. est parsimonia victus, abstinentiaque ciborum. De illo hoc modo dicemus. Primò, commendationi eius insistemus. Secundò, agemus de speciebus eius. Tertiò, tangemus de his quæ debent concomitari ieiunium. Circa primum notandum quod ieiunium multipliciter est commendabile. Primo exemplis. Specialiter exemplo Moysis, qui ieiunauit quadraginta noctibus. Exod. 34. Item exemplo Eliæ, qui similiter ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. 3. Reg. 19. Item exemplo Christi, quo Matth. 4. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Secundò ob hoc, quod dicitur esse fundamentum virtutum. Hieronym. Ieiunium non est perfecta virtus, sed est ceterarum virtutum fundamentum. Tertiò, à multiplici suo effectu. Ieiunium rectè factum Dei misericordiam impetrat. Vnde Ionæ 2. *Facto ieiunio misertus est Dominus Niniuitis.* Item gratiam Dei conseruat. Esa. 30. D*abit tibi Dominus panem arctum, & aquam breuem: & non faciet à te auolare doctorem tuum.* Item ad intelligentiam & sapientiam iuuat. Daniel. 1. *Tollebat Malasar cibaria, & vinum potus eorum: dabatque eis legumina. Pueris autem his dedit Deus scientiam & disciplinam in omni libro & sapientia:* Danieli *autem intelligentiam omnium somniorum & visionum.* Exod. 34. *Moses quadraginta diebus ieiunans, legem suscepit.* Et Dan. 10. post ieiunium audiuit ab angelo. *Tu ergo animaduerte visionem sermonis, & intellige.* Esa. 28. *Quem docebit sciemiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte:* à lacte scilicet temporalis consolationis. Item ieiunium consolationem Dei & angelorum meretur. Vnde post ieiunium Domini, accesserunt angeli, & ministrabant ei. Matth. Cornelio ieiunanti, & oranti apparuit angelus. Actor. 10. Et 3. Reg. 19. legitur de Elia, quod ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & venit ad montem Dei Horeb, vbi Deus cum eo locutus est. Item meretur quandóque materialem refectionem à Deo. Sicut enim testatur Hieronym. Paulus primus eremita semper ieiunauit, quoúsque sibi panis de cœlo mitteretur, qui duplicatus est cum ad eum venisset Antonius. Cui ille: Eia frater comedamus, duplicata est nobis annona. Item ieiunium carnem vincit, quæ est hostis familiaris. Hieron. super Marcum: Ieiunio passiones corporis, oratione sanandæ sunt pestes mentis. Marc. 9. Hoc genus dæmonum in nullo potest eijci & exire, nisi in oratione & ieiunio. Sicut ait quidam diabolus: Plus confidit in adiutorio carnis quam in alio: quia plus nocet domesticus hostis. Ipse baculo nostro non cedit, & manus proprio cingulo ligat, vt caro quæ data est nobis in adiutorium, sit nobis in iniuriam & in scandalum. Bernard. Grauis lucta est & grande periculum aduersus domesticum hostem pugnare, maxime quum nos aduenæ sumus, & ille ciuis. Hostem istum fugere non possumus, nec fugare, circumferre necesse est, quoniam illigatus est mihi: perimere non licet, sustentare cogor hostem meum, aduersus me nutrio.

Et notandum est dignos irrisione illos esse qui dicunt se carnem non posse vincere, quum homo posset ei ieiunando vincula subtrahere. Non est castrum adeo *Carnē se negantes nō posse domare, irridendi.*

forte quod non possit expugnari, si possint ei victualia subtrahi. Nec est pugil adeo fortis qui etiam à debili vinci non possit, si fortis necesse habet tenere diætam quã debilis voluerit, nec est ignis adeo magnus qui non deficiat si ligna subtracta fuerint. Prouerb. 26. *Quum defecerint ligna, extinguetur ignis.* Illi qui per impatientiam se excusat de hoc quod à carne sua vincitur, potest Dominus dicere illud quod dixit Abraham Saræ conquerenti de ancilla sua. Genes. 16. *Ecce*, inquit, *ancilla tua in manu tua est: vtere ea vt libet.* Item ieiunium diabolum ab homine expellit, sicut fames cogit lupum exire à nemore. Ieiunium ponit diabolum in arido, vbi requiem non habet. Matth. 12. *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem & non inuenit.* Diabolus ad modum piscis habitat in locis humentibus. Iob 40. Isidor. Immundi spiritibus ibi se magis immittunt vbi plus viderint escam & potum. Sed per ieiunium diabolus poni debet in loco sicco vt ibi interficiatur: secundum consilium Raphaëlis, Tob. 6. dicentis ad Tobiam minorem de pisce magno qui stabat ad deuorandum eum, vt extraheret eum de aqua: quo facto, cœpit palpitare ante pedes eius, & qui priùs stabat ad deuorandũ, tunc de facili est occisus. Sic diabolus de facili occiditur in hominibus per ieiuniũ. Ambr. Vides quanta est vis ieiunij, vt ieiunus homo sputo suo terrenum serpentem interficiat: multo fortius ego spiritualem serpentem. Iudith. 13. Post ieiunium amputauit caput Holofernis. Et filij Israël post ieiunium & fletum vicerunt illos de tribu Benjamin. Iud. c. 12. Item ieiunium de corpore nostro sacrificium Deo facit in odorem suauitatis. Rom. 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, &c.* Eccles. 24. *Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.* Suauis odor myrrhæ est ieiunij placentia. Valet etiam ieiunium ad corporis sanitatem. Vnde dicitur in medicina, quod abstinentia est summa medicina. Eccles. 37. *Qui abstinens est, adiiciet ad vitam.* Item valet contra aduersitates, 1. Esdræ 8. *Ieiunauimus & rogauimus Dominum, & euenit nobis prospere?* Quantum ieiunium placeat Deo, figuratum est Genes. 21. Vbi Abraham fecit grande conuiuium in ablactatione Isaac. Ieiunium mensa Christi hominem dignum efficit. Bernard. in serm. Non est magnum si ieiunet in Christo, qui sessurus est ad mensam patris cum eo. Luc. 6. *Beati qui nunc esuritis, quoniam saturabimini.* Sequitur de speciebus ieiunij. Notandũ est ergo quod triplex est ieiunium, sc. ieiunium à peccato, ieiunium à cibo, & à temporali gaudio: De primo dicit Hieron. Tunc præclara est apud Deum abstinentia corporis, quum animus ieiunat à vitiis. Quid enim prodest tenuari corpus abstinentia, cuius animus intumescit superbia? Isid. Qui à cibis abstinent & praua agunt, dæmones imitantur, quibus esca non est: & nequitia semper est. Esa. 58. *Quare ieiunauimus & non aspexisti?* Et subditur responsio: *Ecce in diebus ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, &c. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis.* Gl. Homo interior vescitur carnibus draconis qui datur esca populis Æthiopum. Et post: Nunquid tale est ieiunium quod elegi? Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? Dissolue colligationes impietatis. Ieiunium à cibo triplex est. Aliud enim est detestabile, aliud laudabile, aliud indifferens. Ieiunium indifferens est quando homo ieiunat causa infirmitatis vel indigentiæ solum. Detestabile est, vt hypocritis, vel auaris qui ieiunant vt parcant bursæ; vel gulosis, qui ieiunant vt posteà melius comedant. De ieiunio hypocritarum, dicitur Matth. 6. *Quum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Chrysost. Si quis ieiunat, & tristem se faciat, hypocrita est; quanto iniquior est qui non ieiunat, sed in facie sua argumentis quibusdam pingit venalem pallorem. Qui ieiunant propter laudem huma-

nam,multũ sunt fatui. De hoc enim quod vni hosti subtrahunt, sc. carni, duos hostes pascunt, mundum scilicet, & diabolum. Ieiunant enim vt pascant oculos hominum. Puluere etiam vanæ gloriæ pascunt diabolum. Esa. 61. *Serpentis puluis panis eius.* Auari etiam fatui sunt, qui proprio ori subtrahunt, quod in ore diaboli ponunt. Os diaboli est bursa auari. Hiero. Sit ieiunium non marsupij lucrum, sed satietas animarum. Tertio ieiunio ieiunant illi quorum Deus, venter est. Ad Philip. 3. qui imminente solemnitate Dei, sui, scilicet ventris, faciunt ieiunium vigiliæ. Gregor. in Pastoral. Non Deo, sed sibi ieiunat si ea quæ ad tempus ventri subtrahit, non inopibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. Ieiunium laudabile describit Hieronymns dicens: Sint pura, casta, simplicia, & non superstitiosa ieiunia. Pura, vt homo sit absque mortali. Ad Rom. 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, &c.* Qui in mortali ieiunat, corpus suum velut cadauer mortuum Deo offert. Casta, vt bona intentione fiant. Simplicia, vt non quærat homo delicias Hier. Qui Christum desiderat non curat quàm pretiosis cibis stercus efficiat. Isid. Spernitur ieiunium quod in vespere deliciis compensatur. Sunt quidam qui delicatoria volunt habere quum ieiunant, etiam plus comedunt vna vice quam comederent duabus si non ieiunarunt: Qui talem gratiam videntur facere Deo, qualem facit ille qui dat alicui duos obolos pro denario. Tales videntur velle parum grauare suum hospitem, scilicee carnem, qui soluenda carni duobus terminis, soluunt termino vno tempore medio. Non debent etiã ieiunia esse superstitiosa. Hieron. Quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam difficultatésque aliorum quærere? Ieiunium laudabile tres habet species, scilicet ieiunium bonum, melius & optimum. Ieiunium bonum est, quando cum charitate est, ad satisfaciendum Deo pro peccatis. Ambr. Qui charitatem non habet, omne bonum amittit quod habet. 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.* Ieiunium melius est quando aliquis ieiunat ad Dei honorem, & proximi vtilitatem, vt scilicet Dei cõtumeliam in suo corpore vindicet, vt pauperibus tribuat quod sibi subtrahit. Ad tale ieiunium monet Dominus. Matt. 6. dicens: *Tu autem quum ieiunas, vnge caput tuum, &c.* Gloss. interlinearis: Deo ieiunat, qui pro eius amore se macerat, & quod sibi subtrahitur, alteri largitur. Optimum ieiunium qaando homo ex vna parte abstinet, & ex altera parte bona agere non cessat. Isidorus: Hoc est perfectum & rationale ieiunium, quando noster homo exterior ieiunat, & interior orat. Sunt aliqui qui nihil boni possunt facere quum ieiunãt, sed ludunt ne sint otiosi. Bernard. Pro vitando otio otiosa sectari, ridiculum est. Ieiunant à gaudio temporali viri contemplatiui. Sic ieiunabat qui dicebat: *Renuit consolari anima mea.* Tob. 3. dicebat Sara: *Mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia: nunquam cum ludentibus me miscui, neque cum his qui in leuitate ambulant participem me præbui.* Sequitur de his quæ concomitari debent ieiunium, quæ sunt tria: Oratio, eleemosyna, & spiritualis lætitia. De primo, Tob. 12. *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere.* De eleemosyna dicit Augustinus in quodam sermone: Tale est ieiunium sine eleemosyna, qualis sine oleo lucerna. Homo primum debet exiccari ab aquis deliciarum per ieiunium. Secundo, necessarium est oleum pietatis quod pertinet ad eleẽmosynam. Tertio, debet applicari Deo à quo debet illuminari quod fit in oratione. In his tribus est iustitia hominis, vt dicit Gloss. sup. illud Psal. *Apud me oratio Deo vitæ meæ.* Psa. 14. De lætitia, dicit gloss. sup. illud *Tu autem quum ieiunas, vnge, &c.* Caput inquit, vngit, qui spirituali lætitia intus pinguescit. 2. ad Corinth. 9. *Hilarem datorem diligit Deus.*

Capvt VII.

De erroribus circa disciplinam. Et primo de errore illorum qui dicunt nullum esse excommunicandum. Et de errore illorum qui dicunt maleficos non esse puniendos.

PRimò tangitur de errore illorum qui dicunt nullum esse excommunicandum. Secundò de errore illorum qui dicunt maleficos non esse puniendos pœna temporali. Primus error videtur posse inniti his testimoniis sacræ Scripturæ. Legitur. Luc. 9. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Peccant ergo sacerdotes qui excommunicationis sententiam ferendo homines iudicant. Item ad Rom. 2. *Inexcusabilis es, ô homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alium, te condemnas.* Item Rom. 12. *Benedicite, & nolite maledicere.* Peccant ergo sacerdotes, qui hominibus maledicunt. 1. Corrinth. 6. *Neque maledici, neque rapaces regnum Dei poßidebunt.* Item 2. Pet. 3. *Non reddentes malum pro malo.* Ad quod monemur exemplo Christi. 1. Petr. 2. *Cum malediceretur, non maledicebat.* Item Ecclesiast. 21. *Quum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam.* Si diabolus maledicendus non est, multo fortius homines non sunt maledicendi.

Ad primum dicendum est, quod est iudicium iustum, & est iudicium iniustum. Iudicium iniustum prohibitum est, iudicium verò iustum non est prohibitum, imo Christus monet ad illud Ioan. 7. *Nolite,* inquit Christus Iudæis, *secundum faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate.* De manifestis concessum est nobis iudicium, de occultis non. 1. ad Corinth. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum.* 2. ad Timoth. 5. *Peccantes coram omnibus argue: vt cæteri timorem habeant.* Quod Apostoli habuerint potestatem idicandi, ostendi potest ex eo quod dictum est Petro, Matth. 16. *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Item eiusdem 18. *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* Et Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* 1. ad Corinth. 5. ostendit Apostolus se iudicasse Corinthium fornicatorem: *Ego,* inquit, *absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens, eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini Iesu, tradere huiusmodi hominem satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi.* Item eiusd. 6. *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Nescitis quoniam angelos iudicabimus?* Ad aliud dicendum est, quod Ecclesia non reddit malum pro malo, nec malum optat quum aliquem excommunicat. Excommunicatio enim medicinalis est: nec est mala, nisi malitia pœnæ: sicut medicina amara dicitur mala, quum verò bona sit, eo quod sit morbi expulsiua. Excommunicatio est ad hoc vt homines salubriter confundantur & conuertantur. Psalmographus: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Psa. Augustinus: Quidquid facit vera & legitima mater Ecclesia, etiam si asperum amarúmque sentiatur, non malum pro malo reddit, sed expellendo malum iniquitatis, bonũ disciplinæ apponit, non odio nocendi, sed dilectione sanandi. Item Augustinus: Melius tumor capitis dolet quum curatur, quoniam dum ei parcitur non sanatur. Ad illud verò Eccl. 21. *Quum maledicit impius diabolum, &c.* Dicendum est, quod verbum illud intelligendum est quantum ad illos qui ad sui excusationem maledicunt diabolo, imputantes

tantes ei peccatum suum. Sicut Eua peccatum suum serpenti imputare voluit, & per consequens auctorem serpentis latenter accusauit. Auctoritatem excommunicandi vel maledicendi habet Ecclesia ex diuersis locis Scripturæ sacræ: vt ex Matt. 18. dicente Domino. *Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Et eiusdem 21. Maledixit Dominus ficulneæ fructum non ferenti. Et Act. 8. dicit Petrus Simoni Mago: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Et in 2. Canonic. Ioan. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite hunc recipere in domum, nec aue ei dixeritis.* 1. ad Corinth. 5. *Si quis frater nominatur & est inter vos fornicator, aut adulter, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum capere.* In eodem; *Nescitis quod modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum.* Item: *Auferte malum ex vobisipsis.* Eiusd. vlt. *Si quis non amat Dominum Iesum Christum, sit anathema.* Item ad Galat. 1. *Si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit.* Item 1. ad Timoth. 1. *Ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare.* Sicut ouis morbida à grege separatur, ne grex ex ea inficiatur; & sicut mẽbrum infirmum & corruptum abscinditur, ne cætera membra per illud corrumpantur: & sicut humores praui à corpore educuntur, ne infirmitatem corpori inducant: sic homines pestilentes ab Ecclesia per excommunicationem separandi sunt, ne cæteros corrumpant, Augustinus: Mali Christiani sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali, quando euomuntur, tunc releuatur corpus: sic & mali quando exeũt, tunc Ecclesia releuatur, & dicit, Ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me.

[…com …ni- …ionis …ctori Ec- …cda-]

De errore illorum qui dicunt maleficos non esse puniendos pœna temporali.

An malefici puniendi.

Sequitur de errore illorum qui dicunt maleficos non esse puniendos pœna temporali, maxime morte. Qui error videtur posse inniti his testimoniis Scripturæ sacræ. Legitur Genes. 1. *Quicunque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius.* Nulli ergo licet effundere sanguinem humanum. Item Exod. 30. *Non occides*: quod verbum assumit Dominus Matt. 5. Deuter. 32. *Mea est vltio, &c.* Ezech. 18. *Nolo mortem peccatoris.* Item Matth. 10. *Ego dico vobis non resistere malo.* In eodem: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Si non licet fratri irasci; ergo non licet eum occidere. Item in eod. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Et eiusdem 13. In parabola de zizaniis superseminatis dicunt serui: *Vis imus & colligimus ea?* Et ait paterfamilias: *Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul & triticum. Sinite vtraque crescere vsque ad messem.* Item Luc. 6. *Nolite condemnare, & non condemnabimini*, ad Romanos 12. *Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam.* Et 1. Ioan. 13. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habebit vitam æternam in se manentem.* Matth. 26. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Item Ioann. 8. *Dimisit Dominus in pace mulierem deprehensam in adulterio.*

Responsio cum declaratione locorũ S Scrip.

Ad primum dicendum, quod illa sententia Domini. Genes. 9. Quicunque fuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius, & illud Matth. 26. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt, potius ostendunt, si quis diligenter inspiciat, aliquem quàm neminem debere occidi. Quum enim sententia Domini indubitanter sit iusta; Quicunque sanguinem

humanum iniustè fundet, iustum est vt sanguis eius effundatur: & qui glaudium iniustè accipit, iustum est vt gladio pereat: ergo in aliquo casu sanguis humanus iustè effunditur, & homo iustè gladio perit. Et sicut quum paterfamilias prohibet ne quis accipiat de vino alicuius dolij sui, non est intentio sua vt non accipiat cui ipse de illo dederit, vel cui ipse hoc iusserit, sed ne hoc aliquis sua auctoritate accipiat. Sic quum Dominus dixit: *Non occides*, non fuit intentio sua vt non occideret, in casibus illis in quibus ipse hoc præciperet: sed ne aliquis occideret aliquem propria auctoritate. Vnde post illud verbum, *Non occides*, Dominus in eodem libro in multis casibus præcipit occidi. Illud autem Deuter. *Mea est vltio*: Verum est cum vltio sumitur de aliquo in præsenti: auctoritate enim Dei sumitur, & intentio sumentis debet esse, Dei contumeliam vel offensam vindicare. Illud autem Ezech. 18. *Nolo mortem peccatoris*, &c. de morte æterna potest poni. De morte etiam temporali, verum est quod Deus non vult mortem quandoque peccatoris quem præuidet corrigendum esse, & misericorditer expectat ipsum ad pœnitentiam: mors vero illius peccatoris qui sibi nocet peccatũ peccato addendo, & alios subuertẽdo & corrumpẽdo, de cuius correctione spes non habetur, indubitanter videtur sibi & Ecclesiæ Dei inutilis esse. Ad illud verò Matth. 5. *Ego dico vobis non resistere malo*, & illud ad Roman. 12. *Non vosmetipsos defendentes charissimi*. Dicendum est, quod loco & tempore potest aliquis & debet non resistere malo, & non defendere se, vt fiebat in primitiua Ecclesia, quando per miracula & passiones Sanctorum Ecclesia nouella plantanda erat. Loco etiam & tempore potest homo resistere malo, se defendere: aliter enim nisi Ecclesia defenderet se ab infidelibus, posset ab eis occidi: & sic periret honor & cultus diuinus. Luc. 22. ait Dominus: *Qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hîc*: quibus Dominus: *Satis est*. Si non habet Ecclesia gladium materialem, sed solum spiritualem, dicendum fuit; Nimis est: & non fuit dicendum; Satis est. Præterea Paulus voluit vt malo resisteretur, quum ipse voluit milites armatos se perducere ad Felicem præsidem. Actor. 23. Luc. vero 6. vbi dicitur: *Nolite condemnare*: prohibetur condemnatio inordinata: vt cùm incerta est culpa eius qui comdemnatur. Ad illud verò 1. Ioan. 3. *Omnis homicida non habet vitam*, *&c*. Dicendum est quod non reputatur homicida qui præcepto Dei hominem occidit: sed qui odio vel desiderio vindicandi se, hominem vult occidere. Vnde Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, &c*. Tunc ergo homicidium iudicandum est, quando ex corde & voluntate propria procedit. Ad illud verò Matth. 13. *Non, ne fortè colligentes Zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite vtraque crescere vsque ad messem*. Dicendum quod Dominus non dixit hoc, nisi vt parceretur tritico: ergo noluit parci zizaniis in tritici detrimentum: ergo quando non potest eis parci sine tritici detrimento, noluit eis parci: vbi ergo crescunt zizaniæ & suffocant triticum, noluit zizaniis parci. Et hoc etiam obseruant rustici in agris propiis. Vbi enim vident zizaniam vel alias herbas noxias quas possunt eradicare sine tritici damno crescere in agris suis, & credunt nisi fuerint eradicatæ, triticum suffocari, diligenter faciunt eas eradicari. In agro verò Domini pertinaciter contendunt eradicationem in consimili casu nullo modo debere fieri. Nec mirum, cum ipsi zizaniæ sint, & sententiam mortis timeant. Si quis verò dicat quod hi qui sunt zizania, possunt fieri triticum, hoc verum est: sed hoc est incertum, an futuri sint triticum: sed certum est quod triticum suf-

focant, quia simplices subuertunt. Raram videmus hæreticorum conuersionem: sed frequentem bonorum subuersionem. Ideo bonum conuersionis rarum & valdè incertum, & valdè difficile, non debet proponi damno magno & frequenter accidenti: ne dum vana spe paucis parcitur, irreparabilis multitudo per eos perdatur. Hoc enim esset ac si paucis lupis in medio gregis existentibus, gregem lacerantibus, parceretur, quia fortè Deus illos oues aut agnos faceret. Et paucos leprosos dimitteremus in medio populi corrumpentes eum, quia forsitan Deus illos sanabit. Facilius rabies lupina sæuit in gregem, quàm mansuetudo ouis transeat in lupos, & contagium lepræ faciliùs à leprosis deriuatur ad sanos, quàm à sanis sanitas ad leprosos. Quod autem sit licitum in aliquibus casibus hominem occidere, manifestè potest ostendi his testimonis sacræ Scripturæ quæ sequuntur. Lucæ 19. *Inimicos meos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.* Matth. 22. Missis exercitibus perdidit homicidas illos. Romanorum 14. de illo qui habet potestatem, *Dei minister est, vindex in iram ei qui malum facit.* Luc. 13. de ficulnea sterili terram occupante. *Succide*, inquit, *illam: vt quid etiam terram occupat?* Matth. 18. *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & proijce abs te.* Ergo Ecclesia abscindere debet membrum quod corrumpit cætera membra. Tullius: Sicut quædam membra amputantur, si languere & tanquam spiritu carere cœperint, nocean tque reliquis partibus corporis: sic ista in figura hominis feritas & immanitas belluæ à communi humanitate segreganda est Iacob. 2. *Abraham pater vester nonne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?* Ergo Abraham placuit Deo, quia ad præceptum eius voluit occidere filium suum, ergo qui præcepto Domini hominem occidit non peccat. Item 1. ad Timoth. 2. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus.* Volebat ergo Paulus quod oraretur pro principibus qui gladium habent materialem, quod defendunt Ecclesiam, & seruant pacem in ea. Ergo non est malum quod ipsi vtantur gladio materiali, ad Roman. 13. *Non est potestas nisi à Deo.* Et paulo post: *Dei minister est tibi in bonum Si enim malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat.* Lucæ 3. Interrogabant milites Ioannem Baptistam, dicentes: *Quid faciemus & nos?* Et ait illis, *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris*: Non dixit, Militiam relinquite; stipendia eorum refutate. Ipse docuisset eos decipere duces si stipendia eorum reciperent, & cum necessitas esset bellum non facerent: non enim debet stipendia recipere qui non vult militare. Vnde beatus Martinus Imperatori rectè respondit: Donatiuum tuum, inquit, militaturus accipiat: Item Petrus occidit Ananiam & Saphiram. Actor. 5. ergo licitum est occidere. Si quis dicat quod occidit verbo & non gladio, quæ vis est in hoc? quomodocunque eos occiderit, ex quo occidit? Rationibus etiam multipliciter potest ostendi quod liceat in casu hominem occidere. Primo sic. Aut paruuli sunt erudiendi & corripiendi saltem leuibus flagellis, aut non. Si non, ergo dimittendi sunt omnibus vitiis, & minus curandum est de eis quàm de equis & asinis. Si verò paruuli corripiendi sunt, multo magis adulti, cum malitia eorum magis sit noxia. Item constat quod bruta de puteis vel cisternis extrahuntur si in illa ceciderint, secundum illud Luc. 14. *Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati?*

Hominem in casibus licere occidere, ostéditur rationibus.

Multo fortius ergo homines etiam inuiti à periculis corporalibus extrahendi sunt. Si sic raro occurritur morti corporali: quanto magis occurrendum est morti spirituali? Item si furiosi sint recludendi vel ligandi, ne sibi vel aliis corporaliter noceant: multo fortius mente insani cohibendi sunt, ne se spiritualiter occidant. Si vero homines pro leuibus culpis leuiter sunt puniendi, si culpa augeatur, augeri debet & pœna: ergo cum culpa augeri possit vsq; ad homicidium, pœna etiam poterit vsque ad homicidium augeri: vt scilicet pro iniusto homicidio quod aliquis commisit iuste occidatur. Item aut mors corporis est pœna omni culpa maior, aut non. Si sic: ergo Deus male inflixit eam pro comestione pomi vetiti. Si non: ergo aliqua culpa punienda est morte corporali. Item si homicidium iniustum est puniendum, aut erit puniendum morte temporali, aut pœna minore. Si morte temporali, ergo licet aliquem occidere. Si pœna minore, aut in infinitum minore aut non. Si sic: ergo nullius comparationis erit id quod patietur qui peccauit ad id quod intulit. Vnde talis erit iniustitia, vt si quis dānificasset alium in mille millibus librarum, & puniretur amissione vnius festucæ. Si verò pœna minori, sed non in infinitum, tale est ac si damnificasset proximum in tribus marcis, & puniretur in vna. Item qui Deum impugnat beneficio ab eo recepto, meretur illud beneficium amittere: ergo qui vita sua à Deo accepta Deum impugnat, meretur vitam æternam amittere. Item si mors æterna est infligenda pro aliqua culpa, quanto magis temporalis? Præterea nonne contra Dei inimicos est pugnandum quandiu rebellant, vel saltem repugnandum quamdiu impugnant? ergo si impugnent vsque ad mortem corporis, repugnandum erit eis vsque ad mortem. Vel si non est repugnandum, fugere debet tota Ecclesia, vel permittendum est quod tota occidatur, & quod cultus Dei destruatur vt corporibus impiorum parcatur. Patet ergo quod hæretici sub specie pietatis honorem Dei & religionem volunt destruere. Ipsi sunt pij in lupos, & crudeles ouibus & agnis. Matth. 7. *Attendite à falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Ipsi pij sunt in fures & alios maleficos, crudeles verò in innocentes. Item si verbo contradicendum est hæreticis, non est ratio aliqua quare manus potius debeat esse exempta quàm lingua quin pro Deo pugnet. Item si bestiæ, vt lupi, leones & serpentes exterminandæ sunt pro salute corporum: quanto fortius spirituales bestiæ pro salute animarum? Et est conueniens similitudo, habito respectu ad venenum pseudoprædicatorum. Tullius: Quid interest, vtrum ex homine se conuertat quis in belluam, an sub hominis figura immanitatem gerat belluæ? Item hæreticus in Ecclesia est vt ouis morbida in grege: vel vt membrum cancerosum cancro incurabili in corpore: ergo quod faciendum est de oue pro grege, & de membro canceroso pro corpore, hoc faciendum est de hæretico pro Ecclesia. Et notādum quod de illis specialiter videtur facienda iustitia, qui negant iustitiam faciendam, tanquam de manifestis hostibus iustitiæ. Secundum eos enim iustitia humana est iniustitia. Si quis verò dicat hæreticos esse occidendos à Deo, non ab Ecclesia: ergo Ecclesia est, & sine defensione dimittenda. Præterea dicit Dominus, Lucæ 6. *Perfectus omnis erit, si sit sicut magister eius.* Magister vero noster Deus est, ergo si Deus hæreticos occidit, non est contra perfectionem bonitatis humanæ hominem occidere. Prætereà, qua de causa volunt tantum hæretici parci corporibus malorum à morte? Si propter spem correctionis: vbi non est spes correctionis, ibi debet cessare hæc falsa pietas. Si vero propter pretiositatem vitæ corporis, propter

maiorem pretiositatem animarum non erit eis parcendum. Præterea Manichæi qui dicunt corpora esse à diabolo, non habent quid respondeant. Destruenda enim erunt à filiis Dei, cum sint opera diaboli. Qui sunt huius erroris, suo specie pietatis ipsis corporibus nocet. Reprobi enim qui amplius viuent, amplius in futuro punientur. Addendo enim peccata peccatis, cumulant supplicia suppliciis, etiam quantum ad corpus, & quælibet pars suppliciorum infernalium maior videtur esse supplicio mortis corporalis. Item licet concupiscentia rei alienæ sit prohibita: tamen qui alienam rem iniuste vsurpat, iuste re sua priuatur. Ergo à simili, licet homicidium sit prohibitum: tamen qui iniuste occidit, iuste occiditur. Item cum nemo habens mentem bene dispositam, dubitet in rebus cæteris ab homine corruptiua esse auferenda: quare hæretici in solis hominibus hoc non recipiunt? Ad quod potest dici, quod fures & alij malefici non libenter dant sententiam contra seipsos, & nullus credit eis si asserant maleficos non esse puniendos. Ita hæretici non libenter dictant sententiam quam vident contra se esse: imo dicunt maleficos iniuste occidi. Sed non est fides eis in hoc adhibenda. Hieronym. super Esaiam: Non est crudelis qui crudeles iugulat, sed crudelis patientibus esse videtur. Nam latro suspensus patibulo crudelem iudicem putat. Cum hæretici sint intrinsecus lupi rapaces. Matth. 7. ipsi bene vellent quod non essent canes in grege Domini qui eos à grege arcerent: Item, si non est distinguendum circa hoc præceptum: *Non occides*, quia Euangelium non distinguit: ergo occidere semper est mortale peccatum: ergo mortaliter peccat qui pulicem occidit.

PARS XII.

De Æquitate, & Pietate, prout Tullius & Macrobius eam diffiniunt.

DIcto de obedientia quæ est respectu superioris, & Disciplina quæ est respectu inferioris, dicendum est de æquitate quæ est respectu paris. Et est æquitas amor æqualitatis in his in quibus debet esse æqualitas. Æqualitas virtus est valde rara. Ideo potest dici semita. Prou. 4. *Ducam te per semitas æquitatis*. Hanc semitam tenet vera sapientia. Prou. 8. *Meum est consilium & æquitas*. Et notandum quod æquitas multum valet ad spiritualis ædificij firmitatem. Sicut ædificium corporale firmum est, si habeat lapides æqualiter dispositos: si vero sint lapides inæqualiter dispositi, minatur ruinam. Sic congregatio vbi æquitas seruatur, stabilis est: vbi vero deest æquitas, stare non potest. In Psalm. *Mirabile templum tuum in æquitate*. Item æquitas facit ad corporis mystici decorem & sanitatem. Sicut in corpore humano inæqualitas membrorum quæ debent esse æqualia facit deformitatem, & cum mittuntur humores inæqualiter ad membra ad quæ æqualiter debent mitti, inducunt infirmitatem: Ita in congregatione inæqualitas magnam facit indecentiam, & in his qui abundant ea quibus alijs indigent generat superbiam quasi quoddam apostema vel aliam infirmitatem. Virtus æquitatis valde necessaria est his qui sunt in aliqua societate. Si enim hæc virtus desit, volunt esse domini qui debuerunt esse socij, & super alios se exaltant volentes se præ cæteris honorari: vel se cum grauamine aliorum dilatant, volentes abundanter habere ea quibus alij indigent. Sen. in lib. de Beneficiis. Quidam, cum alij ob virtutem & rempublicam bene gestam, tantum agri sibi decerneretur, quantum arando

Aequitas promouet ædificiũ spirituale.

vna die circumire posset. Non est, inquit, opus eo ciue, cui opus sit plus quàm vni ciui. Et subdit: Quanto maioris viri putas respuisse mùnus quàm meruisse? Multi enim fines aliis abstulerunt, sibi nemo constituit. De quibusdam congregationibus verum est illud Esa. 59. *Aequitas non potuit ingredi.* Et inuenitur in eis quod dicitur vulgariter, quod licet omnes sint fratres, tamen non omnes scutellæ sunt sorores. Econtrario de filio Dei facto fratre nostro dicitur Hebr. 3. *Debuit per omnia assimilari fratribus vt misericors fieret.* Et notabiliter dicitur, *vt misericors fieret.* Qui enim abundanter habent nesciunt per experientiam quid sit indigentia, nec compatiuntur sociis indigentibus. Item æquitas valde necessaria est dispensatoribus. Si enim desit hæc virtus, dant abundanter propinquis & familiaribus quod dandum fuit indigentibus, & pascunt oculos diuitum de his quæ subtrahunt necessitati pauperum. Genes. 4. secundum quandam literam: Nonne si recte offeras, non autem recte diuidas, peccasti? dispensatores etiam quando bonis dant, si propter gratiam vel consanguinitatem non recte diuidunt, peccant. Bernard. Clamant nudi, clamant famelici & conqueruntur. Et ponit verba conquerentium: Nobis fame & frigore miserabiliter laborantibus quid conferunt tot mutatoria in perticis extensa vel plicata in manticis? Nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur quod inaniter expenditis. Idem loquens de Ecclesia malignantium. De sumptibus, inquit, egenorum seruit oculis diuitum: inueniunt curiosi quo delectentur, & non inueniunt miseri quo sustententur. Item necessaria est valde virtus æquitatis mercatoribus, vt in ponderibus & mensuris nihil iniquum faciant. Leuit. 18. *Statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquusque sextarius.* Prouer. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum, & pondus æquum voluntas eius.* Item necessaria est valde iudicibus, vt sine acceptione personæ inter partes contrarias æqualitatem seruent. Deut. 24. *Aequum iudicium sit inter vos, siue peregrinus, siue ciuis peccauerit: quia ego Dominus vester.* Sicut Deus non est acceptor personarum. Act. 10. Ita vult quod iudices qui iudicando vices eius agunt, non sint acceptores personarum. Iacob. 2. *Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi.*

De Pietate.

SEquitur de Pietate, prout Tullius & Macrobius de hac loquuntur. Est autem Pietas, vt ait Tullius, per quam sanguine coniunctis patriæque beneuolis officium & diligens tribuitur cultus. Ad pietatem sic sumptam ipsa natura hominem incitat. De amore parentum, require in tractatu de Charitate. De honore verò parentibus exhibendo, require in tractatu de Superbia cap. de peccato Irreuerentiæ. Et notandum quod cum patria principium generationis dicatur esse, secundum Philosophum quemadmodum & pater, beneuoli patriæ amandi sunt & honorandi: sic maleuoli patriæ odiosi sunt & detestandi, vt legitur 2. Mac. 5. de Iasone, qui factus est omnibus odiosus, vt refuga legum & execrabilis, vt patriæ & ciuium hostis.

PARS XIII.

De Gratia prout Tullius de ea loquitur: & quæ sint cauenda danti vel accipienti beneficia, & de vindicatione.

GRatiam Tullius sic describit: Gratia est, in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria & remunerandi voluntas continetur. Hæc virtus valde necessa-

ria eſt. Nullum enim officium in referenda gratia magis eſt neceſſarium. Ingratitudinem quæ eſt gratiæ contraria enumerat Apoſtolus 2. ad Tim. 3. inter magna mala quæ erunt nouiſſimis temporibus, dicens: *Hoc ſcito, quia in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus inobedientes, ingrati.* Si volueris gratus eſſe, primo caue ne obliuiſcaris beneficij. Senec. 3. lib. de beneficiis: Ingratus eſt, qui beneficium ſe accepiſſe negat quod accepit: ingratus eſt qui diſſimulat, ingratus eſt qui non reddit, ingratiſſimus omnium qui oblitus eſt. Illi enim ſi non ſoluunt, tamen debent, & extat apud illos veſtigium meritorum intra conſcientiam incluſorum. Et aliquando conuerti ad referendam gratiam aliqua cauſa poſſunt, ſi illos pudor admouerit, ſi facilis occaſio inuitauerit. Hic nunquam fieri gratus poteſt, cui beneficium totum elapſum eſt. Apparet illum non ſæpe de reddendo cogitaſſe, cui obrepſit obliuio. Nunquam voluit eſſe gratus qui beneficium tam longe proiecit vt extra conſpectum ſuum poneret. Quicquid frequens cogitatio exercet aut reuocat memoriæ, nunquam ſubducitur, quæ nihil perdit niſi ad quod non ſæpe reſpexit. Secundo, caue ne ad beneficium impendendum, per iniuriam accedas. Senec. 5. lib. de beneficiis: Ingratis & repudiantibus beneficia, non quia nolunt, ſed ne debeant, ſimiles ſunt ex diuerſo nimis grati, qui aliquid incommodi precari ſolent his quibus obligati ſunt, vt probent affectum beneficiorum memorem: quorum animus ſimilis eſt prauo amore flagrantibus, qui amicæ ſuæ optant exilium vt deſertam fugientemque comitentur: optant inopiam, vt magis deſideranti donent: optant morbum vt aſſideant: & quicquid inimicus optaret, amantes vouent. Fere idem exitus eſt odij & amoris inſani. Idem: Nequitia eſt vt extrahas mergere, euertere vt ſuſcites, vt emittas includere. Non eſt beneficium iniuriæ finis, nec vnquam id detraxiſſe meritum eſt, quod ipſe qui detraxit, intulerat. Non vulneres me, malo, quàm ſanes. Potes inire gratiam ſi quia vulneratus ſum ſanas, non ſi vulneres vt ſanandus ſim. Tertio, caue ne nimis feſtines oſtendere te gratum. Sen. 5. lib. de benefic. Ante omnia diſcamus beneficia debere. Nemo libenter reddit quod inuitus debet: & quod apud ſe eſſe non vult; onus iudicat eſſe, non munus. Idem in eodem: Pœnitet accepti beneficij: quem nondum redditi piget. Non minoris eſt animi debere, quam date: eo quod operoſius hoc quàm illud, quo maiori diligentia cuſtodiuntur quàm dantur accepta. Idem: Æquè delinquit qui ad referendum gratiam ſuo ceſſat tempore, quàm qui alieno properat. Idem Senec. Reiiciendi ſignum eſt protinus aliud munus remittere, & munus munere expugnare. Qui nimis cito cupit ſoluere, inuitus debet: & qui inuitus debet, ingratus eſt. Quarto, caue ne clam gratiam referas. Ingratus eſt enim qui remotis arbitris gratias ugit, vt ait Senec. 2. lib. de beneficiis. Et notandum quod beneficium benigne accipiendum eſt, licet etiam ſit modicum. Si benigne accipis, retuliſti gratiam, ſed non ſolutum te putas, Senec. Qui beneficium dat, vult excipi grate: habet quod voluit, ſi bene acceptum eſt. Idem: Voluntati voluntate ſatisfacimus, rem rei debemus. Beneficium verò rei duplex eſt, ſcilicet pecuniæ & operæ. Beneficium operæ ſplendidius eſt, hoc enim ex virtute depromitur, alterum vero ex arca. Cum beneficium pecuniæ datur materia exhauritur, vt quo in plures vſus ſis, eo minus in multos vti poſſis: beneficium vero operæ, conſuetudine benefaciendi paratiores & exercitatiores facit. Dum Macedonum fauorē pecuniæ largitione captaret Alexander, ſcripſit ad eum pater hæc verba: Quis error in iſtam ſpem te induxit, vt eos tibi fideles putares, quos pecunia corru-

Beneficium duplex.

pisses? at tu id agis vt Macedones te regem, sed ministrum & donatorem putarent. Fit enim deterior qui accipit, atque ad idem semper expectandum paratior. Non tamen hoc genus benignitatis omnino repudiandum est: nam sæpe idoneis hominibus indigentibus de re familiari, impartiendum est, sed diligenter & moderate. Multi enim patrimonia effuderunt, inconsulte largiendo. Nihil autem stultius est quam curare vt diutius facere non possis quod libenter facias. Sequuntur etiam largitores rapinæ: cum enim dando egere cœperint alienis bonis manus inferre coguntur, & maiora odia eorum assequuntur quibus ademerunt, quàm fauores eorum quibus dederunt.

Quæ sint cauenda danti beneficia.

ET notandum quod in dando beneficium primo cauenda est durities. Senec. Non quid detur, refert, aut quid fiat, sed qua mente. Regnum æquauit opes animo, qui exiguum tribuit, sed libenter; qui paupertatis suæ oblitus est, dum in eam respicit, qui non iuuandi tantum voluntatem habuit, sed cupiditatem, qui accipere se putauit cum daret. Idem: Multo gratius venit, quod facili, quàm quod plena manu datur. Idem: Nemo libenter debet quod non accepit, sed quod expressit. Secundo dilatio. Senec. in lib. de benefic. Errat si quis sperat responsurum sibi, quem dilatione lassauit, expectatione torsit. Eodem animo beneficium debetur quo datur. Idem: Qui tarde fecit, diu noluit. Cum ita à natura comparatum sit vt altius iniuriæ quàm merita descendant, & illa cito defluant, has tenax memoria custodiat: quid expectat qui offendit dum obligat? Satis aduersus illum gratus est, si quis beneficio eius ignoscit. Idem 2. lib. Cùm homini probo ad rogandum os suffunditur rubore, qui hoc tormentum remittit; munus suum multiplicat. Grauissimis viris nulla res carius constat, quàm quæ precibus empta est. Molestum verbum est, onerosum, & demisso vultu dicendum, rogo. Nihil æquè amarum quàm diu in spe pendere. Æquiore animo quidam ferunt præcidi spem suam, quàm trahi. Idem: Verum est tantum te gratiæ demere, quantum moræ adiicis. Idem: Quemadmodum acerbissima crudelitas est quæ trahit pœnam, & misericordiæ genus est cito occidere: ita maioris est muneris gratia quo minus diu pependit. Omnis benignitas properat, & proprium est libenter facientis cito facere. Tertio ne beneficium quod das, ei cui datur vel alij obsit. Ea vtamur liberalitate quæ prosit amicis, noceat nemini. Senec. 2. lib. de benefic. Quemadmodum pulcherrimum est opus inuitos nolentesque seruare: ita rogantibus pestifera largiri, blandum & affabile odium est. Pecuniam non dabo, quam numeraturam adulteræ sciam, ne in societate turpis facti, aut consilij inueniar. Idem: Quid turpius, quàm (quod euenit frequentissime) vt nihil intersit inter odium & beneficium? Quarto, ne beneficium maius sit facultate tua. Sen. Cum summæ amicitiæ sit, amicum sibi æquare, vtrique simul consulendum est. Dabo egenti, sed vt ipse non egeam. Succurram perituro: sed vt ipse non peream. Quinto cauenda est exprobratio. Seneca: Hæc beneficii inter duos lex est: alter statim obliuisci debet dati, alter memor esse accepti. Sexto malitiosa astutia inficiandi. Dixit Antigonus Cynico petenti talentum: Plus esse, quàm Cynicus debeat petere. Petenti vero nummum, respondit: Minus esse, quàm regem oporteat dare. Ecce malitiose negabat: nam posset dare talentum, quia ipse rex erat: vel nummum, quia ille Cynicus. Econtrario Alexander nihil animo nisi grande concipiens, cuidam vrbem donabat: & cum ille refugisset munus, dicens illud non conuenire suæ fortunæ: Non quæro, inquit, quid te accipere deceat, sed quid me dare. Septimo cauendum de ingrato querelam

relam facere. Meliorem facies ingratum ferendo, peiorem conquerendo. Nemo id esse quod iam videtur timet, deprehenso pudor emittitur. Senec. Ingratus est aduersus vnum beneficium, aduersus alterum non erit, duorum oblitus est, tertium in eorum quæ exciderant memoriam reduces. Quæ ratio est exacerbare eum in quam magna contuleris, vt ex amico fiat inimicus? Senec. Si Deum imitaris, da etiam ingratis: nam & sceleratis soloritur. Idem: Ego beneficio meo, cum darem, vsus sum: nec ideo pigrius dabo, sed diligentius: quod in hoc perdidi, ab aliis recipiam, sed huic ipsi beneficium dabo. Beneficio igitur tanquam bonus agricola, cura cultuque sterilitatem soli vincens. Non est magni animi beneficium dare & perdere, sed est magni animi perdere & dare. Item 5. libro de Beneficiis: Propositum est optimi viri & ingentis animi tandiu ferre ingratum, donec fecerit gratum.

De *Vindicatione*.

SEquitur de Vindicatione quam sic describit Tullius: Vindicatio est per quam vis aut iniuria & omnino omne quod obfuturum est, defendendo & vlciscendo propulsatur. Hæc virtus maxime necessaria est habenti potestatem secularem. Rom. 13. *Dei minister est, vindex in iram ei qui malum facit* 1. Petr. 3. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi, quasi præcellenti, siue ducibus tanquam à Deo missis ad vindictam malefactorum.*

DE MISERICORDIA.

PARS XIV.

Quæ subdiuiditur in septem Capitula.

CAPVT I.

De ordine dicendorum de Misericordia: & de descriptionibus eiusdem.

SEquitur de Misericordia de qua hoc modo dicitur. Primo ponentur eius descriptiones. Secundo, eius commendationes. Tertio, quædam meditationes quæ misericordiam iuuant. Quarto, diuisiones pertinentes ad misericordiam. Quinto, dicetur de quo fit facienda eleemosyna. Sexto, quomodo facienda. Circa primum notandum quod misericordia sic describitur. Misericordia est virtus per quam animus super calamitate afflictorum mouetur. Damascenus vero dicit, quod misericordia est tristitia in alienis malis. Isid. 9. lib. Etymolog. dicit quod misericors à compatiendo alienæ miseriæ vocabulum est sortitus: & hinc appellata est misericordia, quod miserum cor faciat dolens de aliena miseria.

Quid sit misericordia.

CAPVT II.

De commendatione Misericordiæ.

MIsericordiam commendat nobis & natura, & sacra Scriptura. Natura multipliciter. Primo naturali compassione quam habent membra vnius corporis adinuicem. 1. Corinth. 12. *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* Secundo, naturali pietate quam videntur habere animalia eiusdem speciei adinuicem. Dicitur enim in lib. de natura animalium, quod non est auium vnius speciei vt se comedant. Item quod mortua equa pullum eius relictum alia suscipit nutriendum. Tertio, pietas quæ videtur esse animalium etiam irrationabilium ad res alterius speciei. Dicuntur enim leones ad viam reducere aberrantes, & parcere hominibus prostratis coram se, & animalibus infirmio-

Natura commendat misericordiam variè.

Scriptura. ribus quàm ipsi sint, nisi necessitas famis ad aliud eos coegerit. Item multis experimentis compertum est, quod lupi vel lupę paruulos derelictos & à matribus expositos, ab aliis bestiis defendunt, & etiam nutriunt. Scriptura commendat nobis misericordiam multiplici admonitione. Deut. 15. *Omnino indigens & mendicus non erit inter vos.* In eodem: *Non contrahes manum, sed aperies eam pauperi.* Item: *Præcipio tibi vt aperias manum tuam fatri tuo egeno & pauperi.* Tob. 4. *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet vt nec à te auertatur facies Domini.* Eccl. 9. *Oleum de capite tuo non deficiat*, id est, misericordia de corde. Eccles. 29. *Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius.* In eodem: *Propter mandatum assume pauperem.* Eiusdem 7. *Pauperi porrige manum tuam.* In eodem: *Exorare & facere eleemosynam ne despicias.* Eiusdem 29. *Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, & proderit tibi magis quàm aurum.* Zachar. 7. *Misericordiam & miserationes facite vnusquisque cum fratre suo.* Matth. 19. *Si vis perfectus esse, &c.* Luc. 6. *Estote misericordes.* In eodem: *Omni petenti te, tribue.* Item: *Date, & dabitur vobis.* Eiusdem 11. *Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia sunt munda vobis.* Item 12. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam.* In eodem: *Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum indeficientem in cœlis.* Eiusdem 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c.* 2. Corinth. 8. *Vestra abundantia, illorum inopiam suppleat.* Ephes. 4. *Estote inuicem benigni, misericordes.* 1. Petr. 3. *Estote compatientes, fraternitatis amatores, misericordes.* 2. Petr. 1. *Ministrate in pietate fraternitatis amorem.* Item misericordiam

Creator. commendat & creator & creatura: Creator, dum exemplo suo ad misericordiam nos monet, *miserationes enim eius super omnia opera eius*, vt dicitur in Psalm. Item, *misericordia eius plena est terra.* Ioël. 2. *Benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* Eius proprium est misereri semper, & parcere. Luc. 6. *Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est.* Balaam: Maximam potestatem accipiens, datorem potestatis iuxta possibilitatem suam debet imitari, in hoc autem Deum maxime imitabitur, si nihil iudicauerit quàm misereri pretiosius. Creatura commendat nobis misericordiam, dum viri sancti exemplo suo ad eam nos monet. Inter exempla vero sanctorum maxime nos monet ad misericordiam exemplum Christi hominis: misericordia seu pietas crux aurea fuit quam Christus portauit, quæ videtur fuisse acerbioris supplicij, quàm crux exterior, si magnitudo amoris quo nos diligebat attendatur. Sicut enim non fuit amor sicut amor eius: sic non videtur fuisse dolor sicut dolor eius. Dolor, inquam, compassionis. Thren. 1. *Videte si est dolor sicut dolor meus*: misericordia filium Dei de cœlo deposuit, & corpore induit, iuxta verbum Augustin. Ipsa etiam pro redemptione pauperum eam vendidit. Augustinus: Redemit venditus, viuificauit occisus, honorauit iniuriatus, misericordia eum vsque ad pedum nostrorum ablutionem humiliauit. Item eum vt clypeum nobis opposuit, vt scilicet ictum sustineret, quem Deus pater humano generi minabatur. Tunc impletum est illud: *Scapulis suis obumbrabit tibi.* Et illud: *Scuto circundabit te veritas eius.* Item illud Sap. 5. *Dextera tua teget eos.* Dextera Dei patris, Filius est. Tunc exaudita est oratio illa, *Custodi nos Domine vt pupillam oculi.* Pupilla oculi manus oppositione custoditur, vt manus ictum suscipiat quem pupilla suscepturа erat. Misericordia eum fideiussorem pro hominibus posuit morti adiudicatis. Eccles. 29. *Gratiam fideiussoris ne obliuiscaris: animam enim suam posuit pro te.* Ad commendationem etiam Misericordiæ facit, quod ipsa super omnia Deo placet, & Diabolo displicet, & homini prodest. Primum osten-

Creatura. Psa. Mis. cor. Dec. cet.

ditur diuersis testimoniis Scripturæ. Augustinus: Non est quod ita faciat Deo amabiles, vt pietas in Psalm. *Diligit misericordiam & iudicium.* Prouerbiorum vigesimo primo. *Facere misericordiam & iudicium magis placet Deo, quàm victimæ.* Oseæ 6. *Misericordiam volui, & non sacrificium* Matth. 9. *Discite quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium.* Ratio quare misericordia tantum Deo placet hæc est, quia Deo maxime assimilatur, vt prius ostensum est. Ecclesiast. 13. *Omne animal diligit simile sibi.* Misericordia vnguentum est quo vngitur Christus, & maxime quantum ad mēbra illa quæ maxime vnctione indigent, scilicet quantum ad pedes. Quod figuratum est in hoc quod *Magdalena vnxit pedes eius.* Luc. 7. Bernardus: Bonum est vnguentum contritionis quod de recordatione peccatorum conficitur: melius deuotionis, quod fit de recordatione beneficiorum Dei. Porro vtrunque vincit vnctio pietatis. Misericordiam Christus specialiter consuluit. Matth. 19. *Si vis perfectus esse, &c.* Illam vltimum remedium posuit. Luc. 11. *Veruntamen quod superest date eleemosynam, &c.* Recessurus etiam ab apostolis suis, misericordiam illis commendare in pedum ablutionem voluit. Ioan. 13. Sicut enim facto illo iuxta historiam commendauit nobis humilitatem: ita secundum mysterium commendauit nobis pietatem. Aqua enim in pelui est pietas in corde. Ipse etiam in die iudicij de operibus misericordiæ specialiter disceptabit. Matth. 25. Misericordia diabolo maxime displicet, cum per eam maxime vincatur. Vnde super illud Psal. *Misericordia mea & refugium meum*, dicit gl. De nullo sic vincitur inimicus diabolus, sicut de misericordia. Cum diabolus in multis respectu hominis excellat: in hoc tamen quod misericordiam nō habet, homo ei præcellit. Ipse crudelis est, & non miserebitur. Ierem. 6. *Misericordia homini maxime prodest.* 1. Timoth. 4. *Exercitatio corporis ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia vtilis est.* Quam vtilis sit pietas seu misericordia homini, manifestum fiet si multiplicem effectum eius ostendamus. Notandum ergo quod misericordia peccato obstat, Eccles. 4. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* In multa peccata caderet peccator, à quibus eleemosynæ quæ facit eum custodiunt. Item spatium pœnitentiæ homini impetrat. Vnde dicitur promissionem habere vitæ quæ nunc est, & futuræ. 1. ad Tim. 4. Vbi dicit glos. Si quis misericordiam sequitur, si lubricū carnis patiatur, vapulabit quidem, sed non peribit. Quod non est intelligendum de illo qui propter fiduciam, quam habet in eleemosynis quas facit, peccat. Tali enim dicitur ad Rom. 2. *An ignoras quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adduxit? Tu autem secundum duritiam tuam & cor impœnitens thesaurizas tibi iram.* Item bona temporalia multiplicat. Greg. in dial. Terrenæ substantiæ per hoc quod pauperibus distribuuntur, multiplicantur. Bonifacius duodecim aureos accepit de cista nepotis Constantini presbyteri, & dedit pauperibus, quos ille acceperat de equo suo vendito: qui cum reuersus audisset cistam suam fractam, iratus est in episcopum. Et episcopus ingressus Ecclesiam, rogauit vt Dominus daret ei aliquid quo mitigaret furorem presbyteri, & inuenit statim in sinu suo duodecim aureos fulgentes, quos dedit, & dixit ei: Scito quia post mortem meam episcopus nō erit huius loci. Ille enim collegerat illos aureos pro acquirendo episcopatu post mortem eius. Idem Bonifacius cum esset puer omne triticum matris suæ expendit in vsus pauperum: quod cum mater horreum ingressa perpendisset, cœpit eum increpare, & seipsam pugno cædere in facie. Sed oratione facta à Bonifacio, statim horreum plenum inuentum est. Quo viso mater cœpit eum vrgere vt daret, quia ita celeriter posset quæ petisset accipere.

[Margin notes: Diabolo displicet. — Effectus misericordiæ.]

Luc. 6. *Date, & dabitur vobis.* Prou. 11. *Alij diuidunt propria & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua & semper in egestate sunt.* Eiusd. 27. *Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecationem, sustinebit penuriam.* 3. Reg. 18. Illi viduæ quæ Eliam pauit, farina & oleum non defecerunt. Ratio huius potest esse: quia homo misericors fideliter dispensat pauca bona sibi commissa, & ideo merito super multa cõstituitur. Matth. 15. Item Deum placat. Prou. 21. *Munus absconditũ extinguit iras: & donum in sinu indignationem maximam.* Genes. 32. *Placabo eum muneribus quæ præcedunt.* Tob. 3. dicitur de eleemosyna quod ipsa est quæ purgat peccata. Esa. 58. *Si effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris: orietur in tenebris lux tua.* Lux, inquam, gratiæ. Misericordia à seruitute diaboli liberat. Esa. 10. *Computrescet iugum à facie olei.* Oleum dicitur misericordia, quia sicut oleum cæteris liquoribus supernatat, sic opus misericordię pręcellit respectu aliorum operum. Misericordia à morte spirituali suscitari facit. Sicut Dorcas plena operibus bonis & eleemosynis quas faciebat meruit corporaliter suscitari. Act. 9. Misericordia meretur à Domino visitari. Sicut legitur de Cornelio. Act. 10. *Erat Cornelius eleemosynas multas faciens plebi, & ait angelus ei: Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Domini.* Contra peccata nihil tantum videtur valere quantum misericordia. Vnde super Matth. 12. *Extende manum tuam, & extendit: & restituta est sanitati.* dicit gl. Nihil plus valet curationi quàm eleemosynarum largitas. Et subditur: *Frustra pro peccatis rogaturus manus ad Deum expandit, qui has ad pauperes pro posse non extendit.* Item gratiam cõseruat. Eccle. 29. dicitur de eleemosyna: *Gratiam eius quasi pupillam cõseruabit.* Item hostem impugnat. In eodem: *Super scutum & super lanceam aduersus inimicum tuum pro te pugnabit.* Item quæ petit à Deo, impetrat. Eccl. 29. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc exorabit pro te.* Esa. 58. *Frange esurienti panem tuum, &c.* Et subditur: *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: & clamabis, & dicet, Ecce adsum, quia misericors sum Dominus Deus tuus.* Misericordia multũ potest erga Deum. Ipsa videtur Dei sententias reuocare, vt in Niniue. Ionæ 3. Et Achab 3. Reg. 21. Legitur etiam 10. Iudicum: *Non addam,* inquit, *Dominus, vt liberem vos.* Et post legitur: *Doluit Dominus super miseriis eorum.* Hæc luctatur cum Domino, vt Iacob luctatus est cum angelo. Genes. 32. Et Sap. 18. legitur de Aaron, quod resistit iræ. Gregor. Iræ Dei tunc resistitur, quando ipsemet qui irascitur opitulatur. Misericordia dicitur Deum vincere quodammodo. Vnde dicit Eccl. *Quæ te vicit clementia, vt ferres nostra crimina.* Dicitur etiam peccata nostra de eius memoria delere. In Ps. *Omnes iniquitates meas dele.* Psal. Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, &c. Omnium iniquitatum eius quas operatus est nõ recordabor.* Misericordia Deo fœneratur. Prouerb. 19. *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis.* Eiusdem 22. *Qui accipit mutuum seruus est fœnerantis.* Est ergo Deus quasi in potestate hominis perfecte misericordis, sicuti seruus in potestate Domini, & ille qui mutuum accepit in potestate fœneratoris. Item misericordia non solum potest in terra, sed in cœlo. Ipsa cœlum inclinauit. Ista inclinatio manifestata est ex hoc quod breuior est nunc via in cœlum quàm esse solebat. Adã per multa millia annorũ vix peruenit illuc, modo vero vna hora quandoque peruenitur. Item misericordia ostiũ cœli, Christum scilicet, qui dicit Ioan. 10. *Ego sum ostium.* fregit in die Parasceues, & fecit volare quasi in duo frusta: scilicet corpus & animã: & sic pauperibus cœlestẽ ingressum patefecit. Ipsa viam paradisi dilatat. Prouer. 18. *Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes spatium ei facit.* Item misericordia hominem filium

Dei efficit. Eccl. 4. *Esto pupillis misericors vt pater, & pro viro matri eorum: & eris tu velut filius Altissimi, filius obediens & miserebitur tui magis quàm mater.* Misericordia Deum suum efficit. Heb. 13. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci. Talibus enim hostis promeretur Deus.* Ipsa specialiter honorat Deum propter eum pauperibus sua tribuendo. Prouerb. 14. *Honorat Dominum qui miseretur pauperis:* ideo merito in futuro à Deo honorabitur.

Item misericordia à pœna pro peccatis debita hominem absoluit. Prouerb. 13. *Redemptio animæ viri, diuitiæ suæ.* Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* 4. Reg. 4. Pauper mulier oleo sibi multiplicato soluit creditori suo. Item misericordia amicos & adiutores sibi multiplicat. Ipsa pauperes facit stipendiarios suos. Greg. Pauperes non sunt contemnendi vt egeni, sed exorandi vt patroni. Luc. 16. *Facite vobis amicos ae mammona iniquitatis.* Prouerb. 22. *Victoriam & honorem acquiret, qui dat munera.* Item misericordia hominem in bono roborat. Ecclesiast. 3. de dante eleemosynam: *In tempore casus sui inueniet firmamentum.* Item misericordia homini benedici facit. Vnde eleemosyna vocatur benedictio 2. ad Corinth. 9. *Homini misericordi benedicit Deus,* Deuter. 15. *Omnino indigens & mendicus non erit inter vos, vt benedicat tibi Deus.* Benedicit etiam ei populus. Prouerb. 19. *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.* Deuter. 33. *Benedictus filius Aser, sit placens fratribus: & tingat in oleo pedem suum.* Hæc tria concomitantur se, tingere in oleo pedem affectus, esse benedictum & placentem hominibus. Ruth. 2. *Sit benedictus qui misertus est tui.* Misericordi etiam benedicit pauper, qui ab eo recipit eleemosynam. Iob 29. *Benedictio perituri super me veniebat.* Item misericordia morienti societatem facit. Ambr. Non sunt bona hominis quæ secum ferre non potest. Sola misericordia comes est defunctorum. Ipsa etiam animam in infernum ire non permittit. Tob. 12. dicitur de eleemosyna, quod à morte liberat, & non patietur animas ire in tenebras. Ipsa etiam in iudicio liberat & regnum accipit. Tob. 12. dicitur de eleemosyna, quod facit inuenire vitam æternam. In Psalm. *Iucundus homo qui meseretur & commodat, disponet sermones suos in iudicio.* Ibi specialiter fiet disceptatio de operibus misericordiæ. Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, percipite, &c. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Misericordia filium Dei in mundum fecit descendere. Eadem homines in cœlum facit ascendere. Ad hoc signandum Christus à monte Olіueti in cœlum ascendit. In monte enim Olіueti eminentia misericordiæ designatur. Legitur etiam 2. Reg. 6. Quod in ingressu oraculi fecit Salomon duo ostiola de lignis oliuarum. Quæ duo ostiola possunt intelligi duæ partes misericordiæ. Vna est, qua compatimur miseriæ spirituali. Qui perfecte misericors est, iam beatus reputatur certa spe, tandem beatus futurus est. Misericordes maxime de Dei misericordia sperare possunt. Item Psalm. *Ego sicut oliua fructifera in domo Dei speraui in misericordia Dei.* In Psal. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Prouerb. 24. *Qui miseretur pauperi, beatus erit.* Matth. 5. *Beati misericordes.* Item misericordia loca in regno cœlorum assignat. Ecclesi. 16. *Omnis misericordia faciet vnicuique locum secundum intellectum peregrinationis illius, & secundum meritum operum illius.* Misericordia est negotiatrix prudentissima. Matth. 25. *Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis.* Qui vere prudens est, oleum pietatis vult habere in corde suo, sine quo non habetur ignis charitatis. 1. Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo?* Iacob. 3. *Sapientia quæ desursum est, plena est misericordia.* Nego-

Psa. 111. Psal. 51. Ps. 40.

tiationem misericordiæ specialiter consuluit Filius Dei. Matth. 10. *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Voluit Paulus vt Timotheus hanc negotiationem præciperet his quos habebat regere. 1. ad Timot. 6. *Diuitibus huius seculi præcipe facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum.* Misericordia in negotiatione videtur Deũ circumuenire, dum pro luto temporalium æternas diuitias recipit. Oseæ. 11. *Circumuenit me in negotiatione Ephraim.* August. Præbe tectum, & accipies cœlum. Misericordia calicem frigidæ aquæ proximo tribuit, & torrentem voluptatis æternæ recipit. Ipsa terram in cœlum commutat, hæc est commutatio dextræ excelsi. Misericordia hominem periculose oneratum vtiliter exonerat, & proximum eius iuuat. August. in libro de Disciplina Christiana, loquens ad diuitem: Da, inquit, aliquid fratri tuo. Da aliquid proximo tuo. Da aliquid comiti tuo. Vita ista via est simul ambulantis. Sed fortè dicis: Ego diues, ille pauper. Sarcinam tuam commemoras: Pondus tuum laudas. Et quod grauius est, cõstrinxisti ad te sarcinam tuam, iam non potes porrigere manum. Onera te, liga te, quid te iactas? quid te laudas? Solue vincula colli tui. Minue de sarcina tua. Da comiti, & illum adiuuas & te releuas.

Misericors dans, est accipiens.

Misericordia vnde dare videtur, potius accipit. Vnde Augustinus: Reminiscere, inquit, non solum quid des, sed quid accipias. Panis quem das, terra est, de terra in terram, vt fulciatur terra, vt reficiatur terra. Poterit itaque pauper dicere: Vide, ne plus tibi præstẽ accipiendo, quàm tu dando. Si enim non esset qui à te acciperet, non erogares terram, & emeres cœlum: contemne me, si nihil petis ab eo qui fecit me & te. Si enim petiturus es; quia me exaudisti, tibi præstas vt exaudiaris. Age illi gratias qui rem tam pretiosam vili pretio te facit emere. Das quod in tempore perit, accipis quod manet in æternum, vnde fis socius angelorum, vnde nunquam sitim famemque patiaris. Et subdit: Nemo dicat, quia præstet pauperi: sibi enim plus præstat, quàm pauperi. Misericordia, bona sua quæ dare videtur, in saluo ponit, & inde thesaurum facit. Matt. 6. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.* Et beatus Laurentius: Facultates Ecclesiæ quas requiris, manus pauperum in cœlestes thesauros deportauerunt. Tob. 4. dicitur. *De eleemosynam. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis.* Augustinus: Considerate, fratres, quàm multi subito bona omnia perdiderunt, quæ studiosissime recondebant, vel quum vno impetu hostili captiui ducti sunt, vel quum eis discendentibus flamma successit. O quomodo tales pœnituit: quia non audierunt Domini consilium, scilicet, *Da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo!* Audires amicum tuum consilium tibi dantem de thesauro tuo, & contemnis Deum consilium dantem de corde tuo. Inuasit hostis domum, nunquid inuaderet cœlum? Occidit seruum custodem, nunquid occideret Dominum seruatorem? Qui sunt pauperes quibus damus, nisi delatores nostri? Delatori tuo das, in cœlum portat quod das: an excidit tibi? Greg. Securius diuitiæ transferuntur de patria in patriam per manus plurium, quàm per manus vnius; secundum Aug. Manus pauperum sunt gazophylacium Christi. Vnde quod in manu pauperis ponitur in gazophylacio Christi mittitur, imò quod plus est, in manu Dei ponitur, & ideò iam auferri non potest ei qui dedit, quum non sit qui de manu eius possit eruere. Misericordia bona terrena quæ possessoribus suis solent esse noxia, vtiliter expendit. Isid. Hoc tantum habet bonum possessio præsentium rerum, si vitam reficiat miserorum.

Misericordiæ virtus admirabilis.

Et notandum, quod virtus misericordiæ non solum est valdè vtilis, sed etiam valdè mirabilis. Ipsa de malis aliorum melioratur, de sordibus aliorum sanatur, de paupertate ditatur, de infirmitatibus aliorum sanior efficitur, ipsa portat one-

ra aliorum implens legem Christi, ad Galat. 6. *Alter alterius onera portate, &c.* Et quanto plura bona portat, tanto velocius currit, quia ad beatitudinem festinantius tendit. Ipsa onera aliena frequenter furatur hominibus nescientibus dum ipsis negligentibus peccata eorum assumit & portat, dolendo, ludendo, orando, pro eis eleemosynam faciendo, disciplinis se affligendo. Misericordia quanto plura onera proximi portat, tanto oneribus propriorum peccatorum magis se exonerat. Misericordia de fœtore eorum qui spiritualiter sunt mortui non moritur, sed potius viuificatur. Ipsa est quæ colligit de spinis peccatorum vuas, & de tribulis ficus. Misericordiâ mala aliena in bona conuertuntur. Duæ virtutes sunt quæ omnia quæ proximi sunt acquirere videntur, sc. charitas & pietas. Charitas bona proximi, sua facit. Greg. Pensent inuidi quantum bonum est charitas quæ aliena bona sine labore nostro nostra facit: pietas verò aliena mala, sua facit. Vnde hæ duæ virtutes venientes ad iudicium de nundinis huius mundi, ditissimæ, quantum ad meritum, inuenientur, & ideò abundantissimè remunebuntur. Hæ duæ virtutes alæ sunt quibus fouentur proximi bona, & portantur eius onera. Vnde super illud: *Sub vmbra alarum tuarum protege me.* dicit Gl. Misericordia & charitas sunt alæ patris quibus nos protegit. De his alis Matth. 13. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Item misericordia de vno obsequio duplicem habet mercedem. In præsenti enim remuneratur, & in futuro, vt prius ostensum est. Ipsa de vna seminatione duplicem messem colligit. Ipsa seminat in terra, & metet in cœlo: ipsa consilio Domini agros aridissimos elegit ad seminandum. Luc. 14. *Quum facis prandium, voca pauperes, &c.* Et hi vberius ei fructificant. Et notandum, quod opus misericordiæ semini comparatur, 2. ad Cor. 9. *Qui parcè seminat, parcè & metet,*

[Merces misericordiæ duplex.]

eo quod semini in multis assimiletur. Semen absconditur, sic eleemosyna occultè danda est. Eccl. 29. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis.* Item semen perdi videtur, cùm seminando potius renouetur: sic eleemosyna quum datur, perdi videtur, sed sic melius seruatur. Ecclesi. 29. *Perde pecuniam propter fratrem, & non abscondas illam sub lapide in perditionem.* Isid. Terrena omnia seruando amittimus, largiendo seruamus. Diu cum rebus nostris durare non possumus, quia aut nos illas moriendo deserimus, aut illæ nos viuentes deserunt. Et super illud Matt. 16. *Qui perdit animam suam propter me, inueniet eam,* dicit Gloss. Quasi dicatur agricolæ: Si frumentum seruas, perdis: si seminas, renouas: solas quas dederis semper habebis opes. Item semen cum fœnore surgit: & qui dat eleemosynam, centuplum accipit. Vnde super illud Prou. 19. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis,* dicit interlin. Centuplum accepturus. Ecclesi. 35. *Retribuens Deus est, & septies reddet tibi.* Semen pretiosius in vno anno seminatur, & in alio anno metitur: semen vero minus pretiosum vt hordeum, in eodem anno seminatur & metitur. Sic eleemosyna pretiosa est quæ seminatur in anno gratiæ, cuius messis expectatur in anno gloriæ. Item semen gelu pressum & retardatum vberius fructificat: sic eleemosyna quæ aduersitate premitur, maiorem habitura est remunerationem: vt eleemosyna cui detrahitur, magis remuneranda est quàm quæ laudatur. Item misericordia hic quasi omnia tormenta sustinet. 2. ad Corinth. 12. *Quis infirmatur, & ego non infirmor, &c.* Ideo in futuro merito non ei à tormento parcetur. Ipsa est quæ exemplo Petri dicit Domino: *Tecum parata sum in mortem & in carcerem ire.* Luc. 22. Ideo in futuro merito à carcere infernali immunis erit. Item ad commendationem misericordiæ valere potest detestatio sui oppositi. Notandum ergo quod non solum immisericordia indigna est venia: immo

quod plus est: homini immisericordi videntur peccata iam dimissa reuocari. Matt. 18. *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me, nonne oportuit & te misereri, &c. Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus quoadusque redderet vniuersum debitum.* Misericordia verò literas remissionis habet in Euangelio etiam tria paria. Primo, Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Cùm misericordia Dei fons sit & misericordiæ nostræ fluuius: quomodo esse posset quod fluuius misericordiæ nostræ ad proximũ flueret, & fons diuinæ misericordiæ nobis siccus esset? August. Fluit riuus, & fons siccabitur. Itẽ quum omne animal diligat simile sibi. Eccles. 13. Quomodo hoc esse posset quod Dei misericordia hominem misericordem damnaret? Secundo, Matth. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra.* Tertio, Luc. 6. *Dimittite, & dimittetur vobis.* Item, vbi est misericordia, est peccatorum abundantia. Oseæ 4. *Non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.* Et subditur: *Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt.* Item illi cui deest misericordia, fiet iudicium sine misericordia. Iacob 2. *Iudicium sine misericordia ei qui non fecerit misericordiam.* Immisericordi aures Dei clausæ sunt, & in præsenti, & in futuro. Prou. 21. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, ipse clamabit, & non exaudietur.* Exemplum habemus de hoc Luc. 16. In diuite epulone, qui panis micas Lazaro negauit, in tormentis positus guttam aquæ postulans non accepit. Item ad commendationem misericordiæ facit, si ostendatur eius præeminentia ad alias virtutes. Notandum ergo quod respectu abstinentiæ in hoc præeminet, quod abstinentia Deo corpus immolat. Ad Rom. 12. *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem.* Misericordia verò immolat cor.

Misericordia præeminet ceteras virtutes

Respectu verò charitatis in hoc præeminet misericordia, quod charitas est fluuius bonitatis ripas suas non exiens. Pietas verò est fluuius bonitatis ripas suas exiens, & latè extra inundans. Charitas enim, vt charitas, tantum sua communicat: pietas autem, & hoc facit & aliud: mala enim aliorum insuper sibi assumit. Parũ est sua largiri, quod facit charitas: sed cumulus charitatis est seipsum largiri ad compatiendum, quod facit pietas. Respectu autem iustitiæ, prout iustitia strictè sumitur, & est opposita misericordiæ, hãc habet præeminentiam, quod ipsa est summa iudiciariæ potestatis. Misericordia enim super omnia opera eius. Iacob. 2. *Misericordia superexaltat iudicium.* Vnde licet appellare à curia iustitiæ ad curiam misericordiæ. Vnde si vides tibi imminere grauamen à iustitia, imo quocunque modo contra te iudicet etiam iustè, aliter enim facere non potest, confidenter appella ad Dei misericordiam: quoniam iustitia necesse deferre habet appellationi tuæ. Forum curiæ misericordiæ, est forum pœnitentiale: hoc est solum adiutorium refugium. In hoc foro feruntur sententiæ absolutionis etiam confitentibus culpas suas. In alijs curijs si quis confitetur homicidium, dicitur à iudice, suspendatur: in hoc si confitetur, absoluitur. Item respectu obedientiæ commendabilis est misericordia. Interdum enim obedientiæ & etiam cæteris virtutibus nititur contrariè. Vnde narrat Gregorius in lib. Dialogorũ, quod Paulinus Episcopus se in seruitutem posuit pro quodam captiuo redimendo, licet addictus esset curæ pastorali: & Deus qui miseretur omnibus alijs miserẽtibus, eum postea in plenitudinem officij & dignitatis restituit. Et quidam Cõuersus Carthusiensis proficiscens ad nuundinas, & quadraginta libras secum deferens, vt eas expenderet in necessitatibus domus suæ comitem habuit in via militem veteranum debilem & pauperem, quem quum agnouisset grauatum esse ære alieno & ire ad

peten-

uisset grauatum esse ære alieno, & ire ad petendum inducias à creditore, conuersus dixit militi quod iret secum: qui ingressi sunt domum criditoris, & cum peterent inducias, denegauit eis creditor, addens quod filium eius vinctum in carcerem poneret, nisi ea die redderet vniuersum debitum, & tota eius hæreditas ei appropriaretur. Pro quo quum intercederet conuersus, creditor multa conuitia ei intulit. Ad quem cōuersus: Hodie, inquit, liberabitur iustus iste de carcere mortis, & proijciens ante pedes XL. libras redemit filium militis de carcere, ipsumque à debito liberauit. Qui rediens narrauit fratribus quæ gesta erant. Illi verò quasi viri spirituales multum in hoc facto cōmendabant eum. Item quidam sanctus homo quēdam pœnitentem ligatum à summo pontifice exonerauit tunica plumbea. Qui interrogatus qua auctoritate hoc fecisset, Respondit, Auctoritate illius qui ait, *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Matt. 5. Virtus misericordiæ maxime competit statui miseriæ in quo sumus. Hanc virtutem didicit Christus plus quàm XXX. annis, ad Heb. 4. *Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Bern. Multa voluit pati Christus, vt compati sciret.

Exemplum.

Capvt III.

De his quæ possunt iuuare misericordiam.

TAngendæ sunt aliquæ meditationes quæ possunt iuuare misericordiam. Quarum prima attenditur circa naturæ conformitatem. Aliquis enim moueri potest ad miserendum proximo, habito respectu ad naturæ conformitatem. Esaiæ 58. *Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Secunda attendit principij nostri vnitatem. Sumus enim omnes ex vno patre & vna matre. Augúst. in libro de disciplina Christiana: Si putamus non esse proximos nisi qui de eisdem parentibus nascuntur, Adam & Euam intendamus, & omnes fratres sumus. Tertia attenditur circa miseriam propriam, vt homo intelligat quę sunt proximi ex seipso. Prouerb. 19. *Homo indigens, misericors est.* Homo qui indigentiam magnam habuit, alienæ indigentiæ compati nouit. Quarta attendit spiritualem fraternitatem. Fratres enim sumus ex vno patre, scilicet Deo nati: & vna matre, scilicet Ecclesia, eandem habituri hæreditatem. 1. Ioan. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Quinta attendit Dei in homines paternam charitatem. 3. Ioan. 3. Videre qualem charitatem dedit nobis Deus pater, vt filij Dei nominemur & simus. Secundum hanc meditationem operatur qui dat pauperi, eo quod credit eum filium Dei. Sexta attendit capitis Ecclesiæ & membrorum vnitatem, quæ tanta est quod caput reputat sibi fieri quod membris fit. Sicut caput corporis reputat sibi beneficium exhiberi quod pedibus exhibetur: sic beneficium pauperibus exhibitum Christus sibi reputat exhiberi.

is ...ue- ...ad ...mmi ...andū ...quis.

Et notandum circa hanc meditationem, quod quandóque pauper eleemosynam quærit ab aliquo, ille à quo petitur quatuor debet attendere. Primò, quis petat, quoniam Deus. Matth. 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Hieron. Quotiescunque manum pauperi extenderis, Christum cogita. Augúst. in lib. de disciplina Christiana: Christus petit & non accipit, & offendis nomen pietatis crudelibus verbis, & dicis: Et quid seruo filijs meis? Christum illi oppono, filios suos mihi reponit. Magna iniustitia vt habeas vnde luxurietur filius tuus, egeat Deus tuus. Cum enim legisti, Quod vni ex minimis meis fecistis, & mihi fecistis, & non timuisti: ecce quis eget, & filios tuos numera: postremò, numera filios

A quo petitur eleemosyna, hæc ei consideráda.

tuos, adde vnum illum inter illos, Dominum tuum numera: vnum habes, sit ille secundus: duos habes, sit tertius: tres habes, quartus sit. Secundo, debet cogitare quid petit Deus, quoniam suum petit, non tuum. Vnde valdè ingratus est qui de bonis Dei abundanter habet ad mensam suam, & tamen non vult dare modicum panis Deo petenti. August. Dicit tibi Christus. Da mihi de eo quod dedi tibi. De meo quæro, & mihi non donas: da, & reddo: habuisti me largitorem, facito debitorem. Tertiò cogitare debet ad quid petat: non enim petit ad dandum, sed ad mutuandum & ad centuplas vsuras. August. Miser homo, quid fœneraris homini? fœnerare Deo & centuplum accipies, & vitam æternam possidebis. Mira ingratitudo hominum qui nolunt accommodare Deo ad tales vsuras ad quales accommodarent alicui Iudæo vel Saraceno. Quartò debet cogitare quod ipsa debet petere à Deo regnum æternum qui modo petit ab eo modicum panis: & si negat Deo hoc modicum, negabit ei Deus regnum suum. Prouerb. 21. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit & ipse, & non exaudietur.* Sapiens: Nec dubites cum magna petas, impendere parua. Septima meditatio attendit liberalitatem quam habent homines ad membra diaboli. Si enim diuites mali declinent ad eos, importunissimè inuitantur, & quasi dilaniantur, & pro illis magnæ expensæ fiunt: Christus verò in membris suis vix inuenire potest, vnde sustentetur. Octaua attendit Dei pietatem quam nobis exhibuit in sua paupertate, quando seipsum pro nobis dedit & pro nostra redemptione vendi voluit.

Caput IV.

De diuisionibus pertinentibus ad misericordiam, & de operibus misericordiæ, per ordinem: primo de spiritualibus, circa quæ tanguntur octo incitantia ad compatiendum Crucifixo pro nobis, deinde de corporalibus.

Notandum quod est misericordia commendabilis, & est misericordia detestabilis. Commendabilis est, quæ est respectu personæ: detestabilis, quæ est respectu culpæ. Gregor. in hom. Ad culpas quisque non debet compassionem exercere, sed zelum. Compassio quippè homini, & vitiis rectitudo debetur, vt in vno eodemque homine & diligamus bonũ quod factum est, & persequamur mala quæ fecit. Item Greg. Sunt plerique qui compassionem proximo non spiritualiter, sed carnaliter impendunt, vt ei non ad virtutem, sed quasi miserãdo ad culpas faueant. Qui carnaliter hominibus miserentur, potiùs sunt crudeles quàm misericordes, licet misericordes vocentur. Prouerb. 20. *Multi misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inueniet?* (Misericordia cõmendabilis & detestabilis)

Item notandum, quod quædam opera misericordiæ sunt spiritualia, quædam corporalia. Spiritualia sunt, vt cordis compassio, iniuriarum dimissio, peccantium correctio, ignorantium instructio, de compassione dicit Gloss. Gregor. super illud Iob 30. Compatiebatur anima mea pauperi. Plus est compassio, quàm datum, quia rem quamlibet plerúmque dat etiam qui non compatitur: nunquam qui verè compatitur, quod necessarium conspicit proximo suo negat. Ibidem dicit interlin. Plus est de seipso dare, quàm de suis. Item Gregor. Exteriora largiens, rem extra seipsum præbuit: qui autem fletum & compassionem proximo tribuit, ei etiam ali- (Misericordiæ opera duplicia: Spirituali & corporali[a])

quid de seipso dedit. Compassio crux est interior, cuius brachium superius est compassio, qua quis compatitur Christo pro nobis passo; brachium inferius est compassio qua quis compatitur his qui sunt in purgatorio. Sinistrum vero brachium est cōpassio, qua quis compatitur his qui sunt in hoc mundo quantum ad pœnalem miseriam. Dextrum brachium est compassio, qua quis compatitur animabus quæ pereunt in hoc mundo. Aug. Súntne in te viscera Christianæ compassionis, qui plangis corpus à quo recessit anima, & nō plangis animam à qua recessit Deus? Eccles. 22. *Luctus mortui, septem dies: fatui autem & impij omnes dies vitæ illorum.* Et notandum, quod multa sunt propter quæ aliquis solet alij multum compati, quia omnia circa Christum occurrunt. Primum est, doloris magnitudo. Hæc causa verè fuit in Christo. Thren. 1. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus.* Secundum est, amoris magnitudo. Hæc causa fuit in beata Virgine, cum propter magnum amorem quam habebat ad filium suum, *gladius pertransibat animam eius.* Luc. 2. De Dauid legitur 2. Reg. 18. quod dicebat: *Fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi det, vt ego pro te moriar?* id est, vice tui. Videbatur reputare mortem filij sui grauiorem sibi propria morte. De homo patre dicitur Eccl. 30. *Pro animabus filiorum colligabit vulnera sua, & super omnem vocem turbabuntur viscera eius.* Propter hanc causam filij qui tenerrimè amant matres suas, molestius sustinent quum eas vident percuti, quàm si ipsimet percuterentur. Sed quis dubitat Christum magis amandum esse à nobis, quàm carnales matres? Quæ mater tot & tanta passa est pro filio suo, quāta Christus pro nobis? Nonne matrem propriam reliquit pro nobis? Reliquit etiam synagogam matrem suam, & insuper animam suam morti exposuit pro nobis. Ierem. 12. *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius.* Tertium est, innocentia. Magis enim solemus compati ei qui innocenter patitur. Quæ causa verè fuit in Christo: *Ipse enim peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius* 1. Petr. 2. Propter hoc, Ecclesia quæ lætatur in passionibus aliorum Sanctorum, in die passionis Christi contristatur. Quartum, quando pro culpa nostra aliquis patitur: tunc enim homo qui habet nobilem animum dolorem illum suum reputat per compassionem, sicut suus est per occasionem. Sicut patet in Dauid 2. Reg. vlt. qui quum vidisset angelum populum occidentem, propter hoc quod ipse fecerat eum numerari, dixit ad Dominum: *Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro ira tua contra me.* Hæc causa bene fuit in Christo, iuxta illud Esa. 53. *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra.* Nostra est passio Christi per occasionem, etiam quantum ad vtilitatē: & ideò deberet esse nostra quātum ad compassionem. Quintum est, patientis nobilitas, quæ causa vera fuit in Christo, qui fuit nobilissimus, tanquam Altissimi filius. Valdè alienum erat tale opus ab eo: iuxta illud Esa. 28. *Alienū est opus eius vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Sextum est, patientis benignitas. Hæc causa verè fuit in Christo ad Tit. 3. *Apparuit benignitas*, &c. Matt. 11. *Discite à me, quia mitis sum.* Quum homo benignus & mitis homini gratis cedat, quæ causa est eum gladio perforari? Item quæ conuenientia est stipitis rigidi & duri ad hominem benignum & dulcem? Ideo Ecclesia in illo dulci planctu qui in Dominica passione incipit cantari, specialiter plāgit hoc, quod clauis & lanceâ mite corpus perforatur, & poscit vt arbor crucis ramos suos flectat, & naturalis rigor lentescat, vt superni membra regis miti tendat stipite. Septimum est, pietas ipsius patientis. Magis enim aliquis compatitur ei quem nouit esse pium & compatientem

quàm ei nouit esse sine pietate. Ipse etiam Deus non miseretur hominibus duris, & sine misericordia. Iac. 2. *Iudicium sine misericordia ei qui non fecit misericordiam.* Bern. Nemo duri cordis salutem vnquam adeptus est, nisi forte quem miserans Deus abstulerit ab eo cor lapideum, & dederit cor carneum. Hæc causa benè fuit in Christo, qui ex compassione passus est ea quæ sustinuit in mundo isto. Octauum est, exemplum aliorum compatientium alicui. Hoc enim solet hominem incitare ad similiter compatiendum. Quæ causa benè inuenitur circa Christum, cui creaturæ insensibiles quasi compassæ fuerunt. Vnde sol radios suos abscondit quasi nuditati eius tenebras faciens. Petræ etiam scissæ sunt quasi compatientes. Ad iniuriarum dimissioné monemur. Luc. 6. *Dimittite,* inquit, *& dimittetur vobis.* Matt. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater cœlestis delicta vestra.* Eiusd. 18. *Domine, quoties peccabit frater meus in me, & dimittam ei, vsque septies? Dixit illi Iesus: Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagesies septies.* August. in Enchirid. Multa sunt genera eleemosynarum quæ cum facimus adiuuamur vt nobis dimittantur peccata. Sed interea nihil est maius quàm cum ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccauit. Idem in lib. de Rectitudine catholicæ conuersationis: Quare non dimittat quis fratri parum, vt ei Dominus dignetur dimittere totum? Nam & hoc eleemosynæ genus est, vt dimittat aliquis ex toto corde ei à quo læsus fuerit. Isidorus: Non solum qui esurienti & sitienti & nudo beneficium largitatis impendit, sed & qui inimicum diligit, & qui lugenti affectum compassionis & consolationis impartitur, aut in quibuslibet necessitatibus aliis consilium adhibet, sine dubio eleemosynam facit. Ad corripiendũ fratrem peccantem monet nos Dominus Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* Ad instructionem ignorantium monemur ad Galat. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis instruite huiusmodi in spiritu lenitatis.* Dan. 12. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates.* Eccl. 38. *Vir sapiens plebem suam erudit, & fructus illius fideles sunt.* Opera misericordiæ corporalia sunt illa sex quæ tanguntur Matth. 25. *Esuriui, &c.* Septimum est, quod tangitur Tobiæ 3. scilicet *sepelire mortuos.* Aliqua horum tanguntur. Esa. 58. *Dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne opus dirumpe.* Hoc pertinet ad visitationem incarceratorum: *Frange esurienti, &c.* Ibi tanguntur tria alia opera manifestè. Et carnem tuam ne despexeris, hoc pertinet ad visitationem infirmorum. Ad duo prima opera incitamur frequenti Scripturæ admonitione. Neemiæ 8. *Mitte partes eis qui non præparauerunt sibi.* Tob. 4. *Panem tuum cum egenis, & esurientibus comede.* Prouerb. *Si esurierit inimicus tuus ciba illum: si sitit, potum da illi.* Eccl. *Mitte panem super transeuntes aquas, quia post multa tempora inuenies illum.* Aquæ transeuntes sunt populi mortales. 2. Reg. 14. *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram quæ non reuertuntur.* Luc. 3. *Qui habet escas, det non habenti.* Item excitamur ad ea exemplis Sanctorum Patrum. Tob. 2. De facultatibus suis esurientes alebat. Iob. 31. *Si comedi bucellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea, &c. Humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus conteratur.* Item incitamur ad ea mercedis promissione. Ezech. *Si panem esurienti dederit, vita viuet.* Matth. 10. *Qui potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Luc. 14. *Quum facis conuiuium voca pauperes, debiles, & claudos & cæcos, & beatus eris, quia non habent vnde retribuant tibi. Retribuetur autem tibi in resurrectione iustorum.* Qui cibum sine potu ministrant pauperi, tale prandium dant Domino, quale

Ope[ra] mise[ricordiæ] corp[o]ralia

consueuit dari asino. Item qui de his quæ habent ad mensam suam nihil volunt dare pauperibus, in futuro nihil boni inuenient. Iob. 20. *Non remansit de cibo eius, & propterea nihil remanebit de bonis illius.*

Sequitur de tertio opere misericordiæ, quod est colligere hospitem. Circa quod opus. Primo, tangetur de his quæ pertinent ad eius commendationem. Secundo, qui hospites sint maximè recipiendi. Tertio, quomodo sint recipiendi. Circa primum notandum quod hospitalitas ad susceptioné gratiæ præparat. Quod figuratum est in hoc quod duo discipuli Christum cognouerũt cùm eum ad hospitium inuitassent. Luc. vlt. quandoque diuina cognitio infunditur alicui occasione alicuius sancti viri in hospitio recepti. Item bona temporalia multiplicat: vt patet in illa vidua quę Eliam in hospitio suo suscepit: cui farina, & oleum non defecerunt. 3. Reg. 17. A malo etiam temporali seruat: vt patet in Raab, quæ recepit nuntios filiorum Israël: & ideo à morte saluata est. Ios. 6. *Sola Raab meretrix viuat, &c.* ad Hebr. 11. *Raab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.* Item Deum & angelos meretur recipere, qui hospitalitati deseruit. Reputatiuè sẽper Deum recipit, quum recipit aliquem nomine ipsius. Matth. 1. *Qui recipit vos, me recipit.* Eiusdem 10. *Qui suscipit vnum talem paruulum in nomine meo, me suscipit.* Item 25. *Hospes eram, & collegistis me.* Ioan. 13. *Qui accipit si quem misero, me accipit.* Personaliter etiam quandoque suscipit Deum. Vnde refert Gregorius in homilia Euangelij, quod legitur secundo die Paschæ, quod quidam paterfamilias multum fuit hospitalis. Quadam autem die cum peregrinos suscepisset, & aquam daret manibus in humilitate, vnus fuit inter eos in cuius manibus aquam fundere debuit. Et quum reuersus vrceũ accepisset eum non inuenit. Cúmque hoc factum apud se miraretur, eadẽ nocte ei Dominus per visionem dixit: Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die in memetipso suscepisti. Item Greg. in homilia illius Euangelij: *Videns Iesus ciuitatem fleuit super illam, dicens: quia, &c.* Quidam Martyrius nomine, vitæ valde honorabilis monachus fuit, qui ex suo monasterio visitationis gratiâ ad aliud monasterium tẽdebat, cui spiritualis pater præerat. Pergens itaque leprosum quendam quem dẽsis vulneribus elephantinus morbus per membra fœdauerat, inuenit in via, volentẽ ad suum hospitium redire & præ lassitudine non valentem. In ipso verò itinere se habere perhibebat hospitium quò idem Martyrius monachus ire festinabat. Vir autẽ Dei eiusdem leprosi lassitudinem misertus, palliũ quo vestiebatur in terrã protinus proiecit, & expãdit, ac desuper leprosum posuit, eumque suo pallio vndique constrictum super humerũ leuauit, secumque reuertens detulit. Cumque iam monasterij foribus appropinquaret, spiritalis pater eiusdem monasterij magnis clamare vocibus cœpit: Currite, ac ianuas monasterij citius aperite: quia frater Martyrius venit, Dominum portans. Statim verò vt Martyrius ad monasterij aditũ pertinet, is qui leprosus esse putabatur, de collo eius exiliens, & in ea specie apparens qua recognosci ab hominib. solet redẽptor humani generis Deus & homo Iesus Christus, ad cœlum Martyrio aspiciente rediit, eique ascendens dixit: Martyri, tu me nõ erubuisti super terram: ego te non erubescam super cœlos. Qui sãctus vir mox vt esset monasteriũ ingressus, ei pater monasterij dixit: Frater Martyri, vbi est quem portabas? Cui ille respondens, dixit: Ego si sciuissem quis esset, pedes eius tenuissem. Tunc iisdem Martyrius narrabat, quia cum eum portasset, pondus eius minimè sensisset. Nec mirum: quomodo pondus eius sentire poterat, qui portantem portabat? Ecclesiastic. *Species leprosi apparuit, & is qui est reuerendus super omnia, videri despectus infra omnia dedignatus non est.* Cur hoc nisi vt nos sensu tar- Exemplum.

diores admoneret, quatenus quisquis ei qui in cœlo est festinat assistere, humiliari in terra & compati abiectis & despicabilibus fratribus non recuset: Item Gregorius in homilia Euangelij quod legitur secunda die Paschæ. Pensate fratres quanta hospitalitatis virtus sit. Ad mensas vestras Christum suscipite, vt vos ab eo suscipi ad conuiuia æterna valeatis. Præbete modò Christo peregrino hospitium, vt nos in iudicio non quasi peregrinos nesciat, sed vt proprios ad regnum recipiat. Angelos etiam meretur suscipere. Hebræor. 13. *Hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc enim quidam placuerunt angelis, hospitio receptis*: vt *Abraham*, Genes. 13. Et Loth, eiusdem 19. Origenes, Domos hospitales ingressi sunt angeli, domos vero hospitibus clausas ignis & sulphur succindit. Hieronym. Abraham & Loth angelos susceperunt, quia hospites dilexerunt. Idem: Abraham crebro hospitalitatis officio dum non refutat homines, suscipere meruit Dominum. Matth. 10. *Quicunque non receperit vos, nec audierit sermones vestros*; *Amen dico vobis, quod tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij.*

Quales hospitio recipiendi. Circa secundum notandum est, quod maxime hospitio recipiendi essent boni viri. 4. Reg. 4. *Animaduerto quod sanctus Dei est iste qui transit per nos frequenter: faciamus ei cœnaculum paruum, & ponamus in eo lectum & mensam & sellam, & candelabrum.* Et è contrario in aliquibus locis boni viri vel non recipiuntur, vel malè recipiuntur. Serui vero diaboli cum magno gaudio recipiuntur. Iud. 10. *Vadimus ad domum Dei, & nullus sub tectum nos vult recipere.* Similem querelam multi boni viri hodie possunt facere. Sap. 19. Alij ignotos non recipiebant aduenas. Alij autem bonos hospites in seruitutem redigebant. Matth. 18. *Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Luc. 20. *Non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem.* Ioann. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me.* Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Item peregrini potius recipiendi sunt, quàm indigenæ: quia magis indigent. Iob. 31. *Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Esa. 58. *Egenos vagosque induc in domum tuam.* 3. Ioan. 1. *Charissime fideliter facit quidquid operaris in fratres: & hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ.* Circa tertium notandum quod hospites suscipiendi sunt frequenter. ad Roman. 12. *Necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes.* Sectari frequentatiuum est. Item hospites ad hospitium cogendi sunt. Vnde super illud Lucæ vltimo: *Et coegerunt eum*, dicit gloss. Quo exemplo docemur quod peregrini non solum sunt ad hospitium vocandi, sed etiam trahendi. Gen. 19. *Compulit illos oppidò vt diuerterent ad eum.* Item cum magna reuerentia sunt suscipiendi. Vnde quidam vir religiosus dicebat, fratres aduenientes debere adorari, cùm certum sit in aduentu eorum aduentum Domini Iesu Christi haberi. Sic recipit Abraham tres viros. Genes. 18. *Quos cùm vidisset Abraham, occurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit pronus in terram.* Item sic recipit Loth angelos, Genesis vigesimo nono: *Qui cum vidisset eos, surrexit, & iuit obuiam eis, adorauitque pronus in terram.* Item recipiendi sunt hilariter, non cum murmure. 1. Petr. 4. *Hospitales inuicem sine murmuratione.* Item ministrandum est eis abundanter. Iudic. 18. *Pax tecum sit: ego præbeo omnia quæ necessaria sunt: tantum quæso ne in platea maneas.* Item seruiendum est eis diligenter. 4. Regum 5. *Ecce sedulo in omnibus ministrasti nobis.* Sunt aliqui qui de verbis multis solent seruire hospitibus suis. Vbi autem verba plurima, ibi frequenter egestas. Prouerb. 13. Facit etiam ad hoc quod hospitalitas Deo sit gratior, si dominus domus in propria persona hospitibus suis seruierit. Vnde di-

cit Hieronym. loquens de Abraham qui tres viros susceperat. Genesis 17. Non seruis præcepit vt hominibus ministrarent, nec bonum quod exercebat per alium minuit, sed quasi præda reperta cum Sara humanitati solus incubuit. Ipse pedes lauit, ipse humeris suis vitulum de armento portauit, ipse vt seruus stetit peregrinis prandentibus & manibus coctos cibos ieiunaturus apposuit. Item protegendi sunt qui hospitio recipiuntur à recipientibus. Gen. 19. *Abutimini filiabus meis sicut vobis placuerit, dummodò viris istis mihil mali faciatis.* Iudic. 19. *Nolite fratres malum hoc facere, quia ingressus est homo hospitium meum.* Item incitandi sunt ad comedendum verbo & exemplo. In dialogo legitur quod Abbas Cassianus venit ad quendam senem qui dedit ei manducare cum suis sociis vsque ad satietatem, & hortabatur eum plus comedere. Qui cùm diceret se esse satiatum, respondit: Ego diuersis fratribus hodie superuenientibus septies manducaui, & adhuc esurio. Tu vero semel manducans es satiatus. Et dixit ieiunium esse frangendum propter hospites: quia in hospite suscipitur Christus, & non possunt filij sponsi lugere quandiu sponsus est cum eis. Item quidam senex in Sicilia multum fuit hospitalis faciens manducare omnes ad se venientes. Venit autem ad eum quidam solitarius nolens refici, dicens se ieiunare. Cui senex: Exeamus & oremus sub arbore hac, & cui fuerit arbor inclinata, ipsum sequamur. Orante autem solitario arbor non est inclinata: orante autem illo sene hospitali, arbor inclinata est. Sequitur de quarto opere misericordiæ, quod est vestire nudos. Ad quod sacra Scriptura monet. Tobiæ 4. *De vestimentis tuis nudos tege.* Item Esa. 58. *Cum videris nudum, operi eum.* Et Luc. 3. *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Hoc opus misericordiæ nobis multum commendant exempla sanctorum. Et primo exemplum Dei, qui Adam & vxori eius postquàm ceciderant in statum miseriæ fecit tunicas pelliceas. Genes. 3. Item exemplum Tobiæ qui nudis vestimenta præbebat. Tob. 1. Et exemplum Iob: *Si despexi*, inquit, *prætereuntem, eo quod non haberet indumentum, & absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est.* Iob 21. Hoc opere misericordiæ Dorcas digna fuit suscitari. Act. 9. Item huic operi misericordiæ promittitur vita æterna. Ezech. 19. *Si nudum vestimento operuerit, vita viuet.* Hoc opus misericordiæ videtur præcellere respectu præcedentium, in hoc quod non vnam miseriam releuat, sed multas. Primum opus repellit famem, secundum sitim: sed hoc opus expellit erubescentiam de nuditate, & molestiam frigoris. Item vestis data pauperi memoriale est, vt oret pro eo qui sibi eam dedit. Non transit hoc beneficium ita citò, sicut beneficium cibi vel potus. Sequitur de quinto opere misericordiæ, quod est visitare infirmos. Ad quod monemur. Eccles. 7. *Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.* Hoc opus misericordiæ valde placet Deo. Iac. 1. *Religio munda & immaculata apud Deum & patrem, hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.* Valde etiam est vtile homini. Iob 5. *Visitans speciem tuam, non peccabis.* Qui huic operi misericordiæ insistit, peccatum facilius vincit. Et sicut miseria infirmitatis famem & sitim & frigus videtur excedere: sic hoc opus misericordiæ videtur præcellere respectu præcedentium. Vnde in Vitis Patrum, Frater quidam interrogauit quendam senem, dicens: duo fratres sunt, quorum vnus ieiunat sex diebus, & multum laborans, alius verò seruit ægrotantibus, cuius opus magis acceptum est Deo. Respondit senex: Si frater ille qui sex diebus laborans ieiunat appendat se per nares, non potest esse æqualis illi qui infirmantibus deseruit. Hoc opus misericordiæ

Exemplum.

commendauit nobis filius Dei exemplo suo visitans genus humanum in infirmitate positum. Luc. 1. *Visitauit nos oriens ex alto, &c.* Sequitur de opere misericordiæ, quod est visitare eos qui sunt in carcere. Ad quod monemur, Hebræorum decimo tertio: *Mementote vinctorum*, inquit, *&c.* Eiusdem 10. *Vinctis compassi estis.* Et notandum quod visitandi sunt in carcere non solum vt necessaria eis ministrentur, vel aliqua consolatio eis adhibeatur, sed etiam vt à carcere liberentur.
Psa. 81. Ecclesiast. 4. *Libera eum qui iniuriam patitur de manu superbi.* In Psalm. *Egenum de manu peccatoris liberate.* Item: *Domine, quis similis tibi, eripiens inopem de manu fortiorum eius?* Hoc opus misericordiæ commendatur nobis variis exemplis Sanctorum. Legitur de Tobia quod pergebat per omnes qui erant in captiuitate, & monita salutis dabat eis. Iob. 29. *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Daniel Susannam adiudicatam morti liberauit. Daniel. 13. Et Nicolaus tres pueros morti addictos. Prouerb. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem, &c.* Sequitur de septimo opere misericordiæ, quod est sepelire mortuos. Ecclesiast. 7. *Mortuo non prohibeas gratiam.* Glos. ad eleemosynam pertinet sepultura mortuorum. De hoc opere misericordiæ commendantur viri Iabes Galaad, 2. Regum 2. *Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum.* Commendatur etiam de hoc Tobias. De quo legitur Tob. 2. *Quod cum nuntiatum esset ei quod vnus de filiis Israel iugulatus iaceret in platea statim exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus; tollensque illud portauit ad domum suam occulte, vt dum sol occubuisset, cautè sepeliret eum.* Et Marc. 14. dicitur de Magdalena: *Bonum opus operata est in me, præuenit vngere corpus meum in sepulturam.* Hoc opus misericordiæ exercuerunt Ioseph & Nicodemus Christo. Ioann. 19. Et Zozimas vnico leone obsequente sepeliuit cadauer illius pœnitentis Mariæ Ægyptiacæ. Hoc opus misericordiæ commendatur nobis exemplo etiam brutorum animalium. Legitur enim in libro de Natura animalium, quod mortuo delphino, circunstant alij delphini ne comedant pisces mortuum, & deferunt eum in profundum, atque sepeliunt. Et notandum quod multi propter peccata sua hoc beneficio priuantur. Esaiæ 14. *Tu proiectus es de sepulchro tuo quasi stirps inutilis.* In eodem: *Quasi cadauer putridum non habebis consortium, neque eris cum eis in sepultura.* 4. Regum 9. *Iezabel comedent canes in agro Iezrael, nec erit qui sepeliat eam.* Ierem. 22. *Sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem.* Eiusdem. 25. *Non sepelientur in sterquilinium, super faciem terræ iacebunt.* Et 2. Mach. 5. Iason qui insepultos multos abiecerat, ipse & illamentatus & insepultus abiicitur à sepultura. Econtrario, *corpora sanctorum in pace sepulta sunt.* Ecclesiast. 44. Item notandum quod antiqui eligendo sepulturam, respectum habuerunt vel ad patres suos, vel ad sanctitatem eorum cum quibus sepeliri voluerunt. Gen. 48. Dicit Iacob: *Facies mihi misericordiam vt non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis.* Eiusdem 49. *Sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici.* 3. Reg. 13. *Cum mortuus fuero, sepelite me in sepulchro in quo vir Dei sepultus est.* 4. Reg. 13. *Quidam sepelientes viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchro Elisei, & reuixit.* Præter septem opera misericordiæ de quibus dictum est, videntur etiam esse quædam alia opera misericordiæ, vt accommodare indigenti. Tripliciter enim facit quis eleemosynam, vel dando, vel accommodando, vel remittendo. Eleemosyna mutui in hoc commendabilis est, quod multoties fieri potest, & tamen non perit ei qui eam facit. Recuperat enim quod accommodauit. Ad hoc opus misericordiæ monemur

mur. Matth. 5. *Volenti mutuare à te, ne auertaris*, & Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Deut. 15. *Si vnus de fratribus tuis ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum: sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum quo indigere prospexeris.* Recuperare etiam proximum videtur esse opus misericordiæ. Eccles. 29. *Recupera proximum tuum secundum virtutem tuam.*

Item opus misericordiæ esse videtur, loca lutosa vel aquas periculosas põtibus vel aliter peruia & meabilia facere. Et hoc opus misericordiæ vno denario potest aliquis benefacere omnibus illis qui per pontem transituri sunt.

CAPVT V.

De quo sit Eleemosyna facienda.

NOtandum quod Eleemosyna facienda est de his quæ iustè acquisita sunt. Leuit. 3. *Omnis oblatio quæ offertur Domino absque fermento erit*: absque fermento, inquam, iniquæ acquisitionis. Prouerb. 3. *Honora Dominum de tua substantia.* Tob. 4. *Fili, de tua substantia fac eleemosynam*, & distinguuntur circa eleemosynam tres gradus: est enim eleemosyna bona, melior, optima. Bona est, quæ fit de patrimonio Christi, in quo solam dispensationem clerici habent. Bernard. Facultates Ecclesiarum patrimonia sunt pauperum, & sacrilega eis crudelitate subripitur quidquid sibi ministri & dispensatores, non vtique Domini & possessores vltra victum & vestitum accipiunt. Melior est, quæ fit de proprio patrimonio. Optima est, quæ fit de his quæ acquiruntur proprio labore. Ephes. 4. *Qui furabatur, iam non furetur: magis autem laboret manibus suis operando quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.* Non placet Deo eleemosyna de furto vel rapina facta, ab eo qui potest scire cui sit restituenda. August. Quale est illud munus quod alter cum gaudio accipit, alter cum lacrymis amittit? Eccles. 34. *Immolantis ex iniquo maculata est oblatio, & non sunt beneplacitæ Deo subsannationes impiorum.* In eodem: *Dona iniquorum non probat Altissimus*: Item: *qui offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris.* Item, eiusdem 35. *Noli offerre munera praua: non enim suscipiet illa Deus.* Deuter. 17. *Non immolabis Domino Deo bouem & ouem in quo est macula, aut quippiam vitij: quia abominatio est Domino Deo tuo.* Esa. 11. *Ego Deus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum.* Malach. 1. Intulistis de rapinis munus: nunquid suscipiam illud de manu vestra? 1. Paral. vlt. *Quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Non ea quæ accepimus de manu diaboli.* Prouerb. 13. *Redemptio animæ viri, diuitiæ suæ.* Restituenda sunt malè acquisita de aliis, scilicet nostris. Eleemosynas debemus facere, exemplo Zachæi, Luc. 19. *Ecce dimidium bonorum do pauperibus: & si quem defraudaui, reddo quadruplum.* Gregor. Quidquid in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat. Sicut aqua si munda est lauat, si verò immunda inquinat: sic eleemosyna si fit de re iniustè acquisita inquinat: si verò fit de re iustè acquisita, lauat. Et sicut non est danda eleemosyna de re furtiua, sic nec accipienda. Tobiæ 2. Non licet nobis edere de furto aliquid, aut contingere. Leuit. 11. *Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis.* Et notandum quod eleemosyna est tanto Deo gratior, quanto res quæ datur danti erit carior. 2. Reg. vltim. *Non offeram Domino*, ait Dauid, *holocausta gratuita*: Tamen non multum expedit pauperibus qui non sunt assueti deliciis, dare delicias & sumptuosa cibaria nisi quando sunt infirmi. Aug. in lib. de verbis Domini: Vtantur diuites superfluis, dent pauperibus necessaria, vtantur pretiosis, dent pauperibus vilia: Dicit Hieron. super Malach. quod indi-

gnum est dare Deo quod dedignatur homo. Ministris Dei, propter honorem eius cui ministrant, delicata & sumptuosa dari possent. Ecclesi. 14. *Dignas Deo oblationes offer.* Numer. 18. *Qui offertis de decimis, & in donaria Domini separabitis, optima electa erunt.*

Capvt VI.

Cui sit danda Eleemosyna.

Eleemosyna danda est pauperi. Luc. 13. *Cum facis conuiuium, voca pauperes & debiles, &c.* Et Tob. 14. *Panem tuum cum esurientibus & egenis comede.* Debemus in hoc imitari Deum, de quo Luc. 2. *Esurientes impleuit bonis*, & in Psalm. *Quia satiauit animam inanem.* 4. Reg. 4. Eliseus implet vasa vacua. Hier. Illis tribue diuitias tuas qui non phasidas aues, sed siliginis panem comedunt; qui famem expellant, non qui augeant luxuriam. Idem: De pauperibus, non locupletibus, non superbis: da quo necessitas sustentetur, non quo augeantur opes. Pars sacrilegij est, res pauperum dare non pauperibus. Item dandum est non solum bonis, sed etiam malis, vt simus imitatores eius, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Matth. & Luc. 6. *Omni potenti te, tribue.* Maxime tamen dandum est bonis. Ecclesi. 12. *Si bene feceris, scito cui feceris.* Ibidem: *Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam.* Et si non ab ipso, certo à Deo. Ibidem: *Da bono, & ne recipias peccatorem. Benefac humili, & ne dederis impio.* Quod intelligendum est in duobus casibus: Vnus est, si credas quod propter bonum tuum negligat iustitiam. Alius est, cum non datur intuitu pietatis: vt faciunt illi qui dant histrioni, causa histrionatus. Ecclesi. 7. *Bonum est sustentare iustum.* Sapiens: Cui des videto. Item dandum est diuersis, non tantum vni. In Psal. *Dispersit, dedit pauperibus.* Matth. 20. *Volo & huic nouissimo dare sicut, &c.* Hier. Pecuniam tuam, vt singulis necessarium est, distribuas, non ad luxuriam, sed ad necessitatem.

Capvt VII.

Quomodo sit danda Eleemosyna.

Eleemosyna danda est animo voluntario, Deus enim plus respicit ad animum, quàm ad datum. Prouerb. 16. *Spirituum ponderator est Deus.* Eiusdem 21. *Appendit corda Deus.* 1. Reg. 16. *Deus intuetur cor.* Et super illud Matth. 10. *Quicunque dederit vni ex minimis istis calicem, &c.* dicit gloss. Nota Deum ad pium affectum dantis respicere magis quàm ad quantitatem rei exhibitæ. Et super illud Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia*, dicit Gregor. Cor & non substantiam Deus pensat, nec perpendit quid in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. Hieron. Quæ efferuntur, non sui pondere, sed offerentium voluntate pensantur. Item danda est eleemosyna cum vultus hilaritate. Ecclesi. 25. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* 2. ad Cor. 9. *Hilarem datorem diligit Deus*, Aug. Qui dat vt careat tædio interpellantis, non vt reficiat viscera indigẽtis, & rem & meritum perdit. Item danda est cum sermonis dulcedine. Eccl. 4. *Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & responde ei in pacifica mansuetudine.* Eiusdem 18. *Fili, in bonis tuis non des querelam, & in omni dato non des tristitiam verbi mali.* Greg. Sunt nonnulli qui mox vt ab egenis fratribus fuerint necessaria postulata, prius in eos contumeliosa verba iaculantur: qui se rebus ministeria perficiunt pietatis, in verbis contumeliosis humanitatis gratiam perdunt; ita plerumque videantur iniuriæ illatis satisfactionem exoluisse, cum post contumelias dona largiuntur. Nec debet sequi imprope-

ratio. Eccl. 18. *Stultus acriter improperabit.* Eiusdem 20. *Datus insipientis non erit tibi vtilis, &c.* Exigua dabit & multa improperabit. Item danda est eleemosyna cum festinatione. Prouerbior. 3. *Ne dicas amico tuo: Vade, & cras reuertere, & cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Ecclesf. 7. *Cor inopis ne afflixeris, & ne protrahas datum angustianti.* Iob. 31. *Si oculos viduæ expectare feci, &c.* Super il-
105 lud Psalm. *Producens fœnum iumentis*, di-
40 cit Gloss. Beatus qui præoccupat vocem petituri. Dauid: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Prouerb. 12. *Qui pronus est ad misericordiam benedicetur.* Debet etiam homo dare eleemosynam dum sanus & viuus est. Ecclesf. 14. *Fili, si habes, bene fac tecum, & Deo dignas oblationes offer: memor esto, quoniam mors non tardabit.* Item ante mortem benefac amico tuo, Christo scilicet: eiusdem 18. *Memento paupertatis in die abundantiæ.* Ad Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Eleemosyna quam aliquis dat in vita sua, est sicut lucerna quæ præcedit aliquem, seruans eum ne cadat in lutum vel foueam. Eleemosyna verò quæ fit pro eo post mortem, est sicut lucerna quæ fertur alicui post tergum, quæ non custodit hominem quin cadat in foueam, à qua non est liberatio. Item danda est eleemosyna cum humilitate, ita vt nec vanam gloriam inde quæras, nec pauperem cui das despicias, nec pro eleemosynis quas das, si in peccato mortali es, saltem præsumas. Ad primum monemur, Matth. 6. *Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Ecclesiast. 29. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis.* Prou. 21. *Munus absconditum extinguit iras.* Greg. Sufficit iustis ab eo videri à quo expectant remunerari. Item valdè bona sua paruipendunt, qui ad eorum remunerationem laudem hominum sufficere credunt. Et in legenda beati Nicolai dicitur: Ex quo homo est in huius mundi voragine propter delicta sua deiectus, nullum eius bonum sic Deus approbare legitur, eleemosynam, si tamen ob mundi fiat gloriam. Ad secundum monemur Esa. 58. *Carnem tuam ne despexeris.* Et super parabolam de diuite & Lazaro, Luc. 21. dicit Glos. Si quæ reprehensibilia videmus in pauperibus, non debemus despicere: quia fortasse quos morum infirmitas vulnerat, medicina paupertatis curat. Iob 31. *Si comedi bucellam meam solus.* Gregor. Solent nonnulli multa largiri, sed habere pauperes socios in domestica conuersatione refugiunt, gratiam vitæ communis non habentes. Sed iste præiudicium pietati se facere existimaret, si solus comederet quod Dominus omnium communiter creasset. Ad tertium monemur Ecclesiastic. 7. *Ne dicas: in multitudine munerum meorum respiciet Deus, & offerente me Deo Altissimo munera mea recipiet.* Et super illud Iob 15. *Non credas frustra errore deceptus quod aliquo pretio redimendus sit*, dicit Gloss. Eleemosyna non valet ei qui in malo permanet. Augustinus in Enchirid. Non æstimet aliquis illa nefanda crimina, qualia qui agunt regnum Dei non possidebunt, quotidie perpetranda, & eleemosynis quotidie redimenda. In melius quippè est vita mutanda, & per eleemosynas, de peccatis præteritis propitiandus est Deus: non ad hoc quodammodo emendus, vt ea liceat impunè committere. Item eleemosyna danda est propria manu. Prouerbior. vltim. *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Danda etiam secundum facultatem dantis. Ecclesiast. 14. *Secundum vires tuas exporrigens da pauperi.* Eiusdem 15. *Da Altissimo secundum donatum eius.* Tob. 4. *Quomodo potueris, ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartiri stude.* Nullus potest excusare se à collatione eleemosynæ, etiamsi sit pauper, quum tantum placeat quandóque Deo quando pauper dat pro Deo

obulum, ſicut ſi diues daret pro Deo centum marcas. Libenter emeret pauper carnes in macello ſi tantum crederet ſe habiturum pro vno obulo quantum diues pro centum ſolidis. Lucæ 21. dixit Dominus de paupere vidua quæ miſerat duo æra minuta in gazophylacium: *Vidua hæc pauper plus quam omnes miſit.* Si non poteſt dare pauper obulum, det calicem aquæ frigidæ, & non perdet mercedem ſuam. Matth. 10. Si hoc non poteſt, det verbum conſolationis, vel orationis. Super illud, Iuſtus autem miſeretur, & tribuet, dicit Gloſſ. Iuſto ſemper eſt aliquid quod det, ſaltem orationem. Item danda eſt eleemoſyna ordinate, vt homo primo miſereatur ſui ipſius. Eccleſiaſt. *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Auguſt. in Enchirid. Qui eleemoſynam ordinate vult dare, à ſeipſo debet accipere. Item in libro de rectitudine Catholicæ conuerſationis. Deus rogat vt tui miſerearis, & non vis: quomodo te Deus exaudiet in die neceſſitatis ſupplicantem, qnum tu eum pro teipſo non audis rogantem? Item Auguſt. Quid eſt miſerius miſero non miſerante ſeipſum? Eccleſiaſtic. 14. *Qui ſibi nequam, cui bonus?* Sicut non eſſet miſericors qui matri ſuæ indigenti non miſereretur, licet aliorum miſeretur: ita non eſt verè miſericors qui animæ ſuæ infirmantis ad mortem non miſeretur, cum magis eum diligere debeat quàm matrem. Sapiens: Semper tibi proximus eſto: Item ad ordinem miſericordiæ pertinet vt potius miſereamur animæ quàm corporis, & potius ei qui eſt in maiori miſeria, quàm ei qui eſt in minori.

Eleemoſyna ordinatè danda.

PARS XV.

De his quæ omnibus debemus, vt eſt dilectio, veritas & fides, & præcipue de veritate & eius deſcriptione, de incitantibus ad amorem veritatis, & de errore illorum qui dicunt veritatem non eſſe iuramento firmandam.

DE debito dilectionis legitur ad Roman. 13. *Nemini quidquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.* De dilectione, require in tractatu de Charitate. De veritate hoc modo agetur. Primo, oſtendetur quid ſit veritas, prout veritas pars eſt iuſtitiæ. Secundo, tangentur aliqua quæ ad amorem veritatis poſſunt incitare. Tertiò, deſtruetur error illorum qui dicunt veritatem in nullo caſu firmandam eſſe iuramento. Circa primum notandum eſt, quod eſt veritas increata, & eſt veritas creata. Veritas verò creata triplex eſt, ſcilicet veritas ſignati ſiue rei: & veritas ſigni, & veritas vtentis ſigno. Ad veritatem rei videtur pertinere illud Auguſt. in libro Soliq. Verum eſt id quod eſt. Et illud Philoſophi: Vnum quodque ſicut ſe habet ad eſſe, ita ad veritatem. Ad veritatem verò ſigni pertinere videtur illa deſcriptio Philoſophi: Veritas eſt adæquatio rei & intellectus, ſiue adæquatio ſigni, & ſignati. Veritas verò prout pertinet ad hominem vtentem ſigno pars videtur eſſe iuſtitiæ, quæ ſic deſcribitur à Tullio in 1. Rhetoric. Veritas eſt per quam imminutata ea quæ ſunt aut ante fuerunt, aut futura ſunt dicuntur. Ad amorem veritatis monemur. Prouer. 2. *Veritatem eme, &c.* Veritas emitur quando cum magno ſtudio vel labore cognitio veritatis acquiritur, vel quando cum damno magno vel multorum odio veritas in iudicio vel doctrina dicitur. A

Verita[s] duple[x].

Creat[a] triple[x].

Quid verita[s].

veritate nullo modo recedendum est, quicunque inde debeat scandalizari. Vnde super illud Matth. 18. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, &c.* dicit Gloss. Nota quod inquantum potes sine peccato vitare scandalum proximi, debes: quod si de veritate est, pro scandalo veritas relinqui non debet. Et intelligitur hoc de triplici veritate, scilicet vitæ, iudicij & doctrinæ. Item monemur ad amorem veritatis. Eccles. 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te.* Et eiusdem 4. *Non contradicas verbo veritatis vllo modo.* Sancti antiquitus multum deferebant veritati. 2. ad Corinth. 13. *Non possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate.* Ad perhibendum testimonium veritati, venit filius Dei in mundum. Ioann. 18. *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.* Sed hodie veritas exosa habetur. Terentius in Andria: *Veritas odium parit, obsequium amicos.* Ad Gal. 4. *Ego inimicus vobis factus sum verum dicens vobis.* Bernard. super Cantic. Amara est veritas sine condimento gratiæ. Hodie diminutæ sunt veritates à filiis hominum. Dauid: *Non est in ore eorum veritas. Cor eorum vanum est.* Veritati hodie detrahitur. Iob. 6. *Quare detraxistis sermonibus veritatis?* Veritas hodie captiua detinetur. Vix enim inuenitur qui velit eam dicere, ad Rom. 1. *Veritatem in iniustitia detinent.* Seneca: Monstrabo tibi quid omnia possidentibus desit, scilicet qui verum dicat. Veritas hodie vndique impugnatur, ita vt frequenter necesse habeat corruere: secundum illud Esaiæ 59. *Corruit in platea veritas.* Et Daniel 8. *Prosternetur veritas in terra.* Veritas in terra prosternitur, quando aliquid terrenum veritati præponitur. Veritas hodie à multis vili pretio venditur. Prou. 28. *Qui cognoscit in iudicio faciem, non bene facit, & pro buccella panis deserit veritatem.* Multi hodie deserunt veritatem vitæ, & ideo fugit ab eis veritas doctrinæ. Sicut econtrario sequitur veritas doctrinæ eos qui habent veritatem vitæ. Eccles. 27. *Volatilia ad sibi similia conueniunt: & veritas ad eos qui operantur illam, reuertetur.* Veritas hodie adeo vilipenditur, vt à quibusdam ei præponatur falsitas, ab aliis præponatur ei vanitas, & ab aliis ipsa vmbra vel pictura veritatis. Veritati falsitatem præponunt homines inconsideratè loquentes qui tota die volunt esse in verbis, & ideo multoties mentiuntur. Bernardus in sermonibus: Quidni periclitetur castitas in deliciis, veritas in multiloquio, charitas in hoc seculo nequam? Vanitatem præponunt veritati amatores temporalium istorum quæ vana sunt, eo quod non dant plenitudinem cordi possidentis, nec fulcimentum innitenti, nec fructum expectatum circa ea laboranti. In Psal. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Vmbram & picturam præponunt veritati hypocritæ, qui apparentiam sanctitatis ipsi sanctitati præponunt. Veritas quæ sic modo contemnitur inualescet, & in futuro amatores suos liberabit, & hostes condemnabit. Ioann. 8. Vos cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. 2. Esdræ 4. *Veritas manet & inualescit in æternum, & viuit, & obtinet in secula seculorum.* Sicut se habet denarius falsus ad verum: sic se habet homo mendax ad hominem veracem. Vnde cum homines multum doleant & offendantur si vnus de eorum seruientibus recepit eis vnum falsum denarium pro bono, mirum est quomodo non multum dolent quum falsitatem in seipsis deprehendunt. Viliores se videntur habere, quàm vnum denarium. Et notandum quod veritatem habere debemus quantum ad omnes. Nulli enim mentiri debemus, vt ostendit August. in lib. de doctr. Christ. dicens: Omnis qui mentitur, iniquè facit. Nemo enim mentiens in eo quod mentitur seruat fidem. Nam hoc vtique vult, vt cui mentitur

Psal. 5. Psal. 4. Veritas circa omnes habenda.

fidem sibi habeat, quam tamen mentiendo ei non seruat: omnis autem fidei violator, iniquus est.

De errore illorum qui dicunt veritatem non esse iuramento firmandam.

NVllam veritatem iuramento esse firmandam asserentes, omne iuramentum esse illicitum dicunt. Qui error occasionem potuit habere ex illo verbo Domini, Matth. 5. *Ego dico vobis, non iurare omnino.* Item ex illo verbo Iacob 5. *Ante omnia fratres nolite iurare.* Ad idem facere videtur illud verbum August. in quodam sermone: Falsa, inquit, iuratio exitiosa est: vera iuratio periculosa est, nulla iuratio secura: ergo vt videtur ab omni iuratione abstinendum est. Econtrario verò manifestè ostenditur quod licitum sit iurare. Primo sic iurauit Dominus Gen. 21. *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus*, quod si quis non recipiat vetus Testamentum, probatur hoc per illud ad Heb. 6. Abrahæ promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum: ergo homini licitum est iurare. Et quod hoc argumentum valeat, probatur per illud Luc. 6. Perfectus omnis erit si sit sicut magister eius. Magister noster Deus est, secundum illud Ioann. 13. *Vos vocatis me magister & Domine, & benè dicitis: sum etenim.* & Matth. 23. *Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus.* Ergo non est contra statum perfectionis iurare. Item iurauit Angelus. Apoc. 10. quem Ioannes vidit stantem super mare & super terram, & leuauit manum ad cælum, & iurauit per viuentem in secula seculorum. Item iurauit Apostolus ad Phil. 1. dicens: *Testis est mihi Deus.* & 2. ad Cor. 1. *Ego testem Deum inuoco, &c.* Si quis vero dicat non esse iuramentum in illis; apparet hoc esse falsum, per hoc quod dicitur Ierem. 4. Iurabunt, Viuit Dominus in veritate, & iudicio, & iustitia. Non ergo solum est iuramentum si dicatur, Per Deum, vel simile, imo etiam si dicatur: Testis mihi Deus: vel, Viuit Dominus, ex quo nomen Dei in testimonium vel confirmationem veritatis assumitur. Cum ergo Deus, & angelus & homo sanctus iurent, mirum est quomodo non vult iurare hæreticus, quasi Deo & angelis & sanctis sanctior esse velit. Videtur assimilari diabolo potius quàm angelo, vel Deo vel homini sancto: diabolum enim non memini me legisse iurasse ad confirmationem veritatis. Prætereà præcepit Deus iurare Exod. 22. dicens: *Si quis commendauerit viro pecuniam aut vas in custodiam, &c.* Et post in eodem: *Si quis commendauerit proximo suo bouem, &c. iusiurandum in medio erit, quod non extenderit manum ad rem proximi sui, &c.* Et Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies: ac per illius nomen iurabis.* Et eiusd. 10. *Iurabitque in nomine illius.* Item in Psal. *Quis habitabit in tabernaculo tuo, &c.* & subditur: Qui iurat proximo suo, & non decipit. Matth. 5. *Reddes Domino iuramenta tua.* Præterea iurant omnes nationes, & Gentiles & Iudæi, & Christiani. Sed secundum Philosophum: Vox omnium, vox naturæ est: ergo natura dictat quod licitum est iurare. Philosophus: Iurare nisi vbi necesse est, graui viro parum conuenit. Item licet assumere nomen Dei ad adiurandum aliquem 1. ad Thess. vlt. *Adiuro vos per Dominum, &c.* ergo licet illud assumere ad aliquid iurandum. Si enim licet nomen Domini assumere ad monendum aliquem vt aliquod opus bonum faciat, secundum illud ad Rom. 22. *Obsecro vos per misericordiam Dei vt exhibeatis corpora vestra, &c.* Et eiusd. 15. *Obsecro vos per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus vestris.* A simili licebit nomen Dei assumere ad monendum aliquem vt ipse credat veritati vtili, quum fides sit adeo grata Deo, quod sine ea nemo ei placeat.

Iurare licet & qui.

Præterea, quum dicit Dominus. Quod abundantius iis est, à malo est: aut intelligitur id malum est: aut intelligitur quod sit à malo, id est ab infirmitate non credentis. Si primo modo, ergo malum est quando Dominus ad maiorem confirmationem dicit: *Amen amen dico vobis.* Sermo enim eius debuit esse, est, est: & non debuit aliquid addere. Malum etiam fuit quando Apostolus ad confirmationem verbi sui addidit, *Testis est mihi Deus.* ad Roman. 1. Et 2. ad Corinth. 11. *Deus & pater Domini nostri Iesu Christi scit quod non mentior.* Et ad Gal. 1. *Quæ scribo vobis ecce coram Deo quod non mentior.* Præterea cum in veteri lege prohibita esset iuratio per creaturas, si Dominus voluit ostendere iurationem omnem esse prohibitam, & facere additionem ad veterem legem, potius debuit hoc specificare de iuratione per creatorem, quàm per creaturam, quum iuratio per creaturam satis esset prohibita in veteri lege. Argumenta etiam quibus vtuntur hæretici ad confirmationem dicti erroris valde debilia sunt. Vt est illud Iac. 5. *Ante omnia nolite iurare.* Si enim propter hoc, quia ibi dicitur: *Nolite iurare*, peccatum mortale est iurare. Ergo quum Dominus dicat Matth. 23. *Et patrem nolite vocare vobis super terram*, peccatum mortale erit vocare aliquem patrem super terram. Item si ideo in nullo casu iurandum est, quia Dominus dicit, Matth. 5. *Ego dico vobis non iurare omnino.* Ergo quum aliquis dicit alicui colligenti saluiam vel petrosillum in horto suo, vt non colligat illud omnino: ipse prohibet eum vt nihil inde colligat, quod manifestè falsum est secundum etiam cōmunem vsum loquendi, & etiam quod in alia facultate dicitur. Vnde versus: Omnis nonnullus, non omnis dic aliquis non. Præterea caussa quam Dominus subdit, cum dicit: *Neque per cœlum, quia thronus Dei est, &c.* non est competens caussa quare nunquam sit iurandum: sed quare non sit passim iurandum, siue omnibus modis, etiam creaturam huiusmodi: quia in contemptu ipsius, contemnitur ipse cuius est thronus. Præterea aut semper fuit illicitum iurare, aut incœpit esse illicitum ab illa prohibitione Christi: *Ego autem dico vobis; non iurare omnino.* Primum constat esse falsum, quum lex vetus iurare præcepit, & cum ratio naturalis non dictet hoc malum esse. Secundum etiam videtur falsum esse per hoc quod Dominus dicit: Quod abundantius est à malo est, tanquam ius declarans & non tanquam ius statuens. Præterea quare prohibuit Deus iuramentum vniuersaliter? Si id prohibuit propter periculum periurij, eadem ratione votum debuit prohibere, immo eadem ratione etiam à prohibitione debuit abstinere. Prohibitio enim ista facit plures transgressores quàm sint illi qui incurrunt periurium: hoc enim facit omnes iurantes transgressores, sicut prohibitio: & constat quod plures iurant, quàm peierent. Item quæ est ratio ista quod non sit iurandum per Ierusalem, quę est ciuitas regis magni, quādo illud quod iuratur verbum est eiusd. regis, & scriptū sit: *Cœlum & terra transibunt, &c.* Matth. 24. Præterea sicut magis cauendum est paruulo ab accessu ad aquam vel ad aliud periculum, quàm adulto qui scit sibi benè cauere: sic magis cauendum fuit in hac parte populo Iudæorum rudi & paruulo, quàm populo discreto Christianorum. Vnde si propter periculum prohibitum est, magis debuit prohiberi tunc. Item cum sensus sit: *Ego dico vobis non iurare omnino, &c.* id est, vt non iuretis omnino. Si mortale peccatum est iurare, quia Christus dicit non iurari: ergo eodem modo facere contra quodque dictum à Christo, erit mortale: ergo solum præcepta & prohibitiones erunt, & non erunt consilia aliqua, nec admonitiones ad aliquid melius, & omnes qui erunt circa statum perfectionis, erunt in statu damnationis, cum ad perfectionem moneat Christus, dicens Matth. 5. *Estote perfecti sicut & Pater*

vester cælestis perfectus est. Et mortaliter peccabit, qui fecerit contra illud: *Qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.* Luc. 6. Et iterum qui facit contra illud: *Omni petenti te, tribue.* Et contra illud: *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Matth. 7. Et contra illud Matth. 5. *Et ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium:* & contra illud Matt. 5. *Si quis te percusserit in vnam maxillam præbe ei & alteram.* Contra quod tamen fecit Christus, Iac. 18. qui percutienti maxillam eius, non prębuit alteram, sed allegauit iustitiam suam, dicens: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, &c.* Paul. Act. 23. principi sacerdotum qui præceperat os Pauli percutere: *Percutiet te Deus, paries dealbate.* August. Ista præcepta magis pertinent ad præparationem cordis, quæ intus est, quàm ad opus quod in aperto fit: vt teneatur in secreto animi patientia cum beneuolentia, in manifesto autem fiat quod ei videtur prodesse posse quibus benè velle debemus. Prętерea, quomodo onus Christi erit leue, si quæcunque ipse dicit præcepta sunt vel prohibitiones? Item per quod iurat quilibet, illud veneratur, hoc amat, hoc timet, vt dicit Gloss. Matth. 5. Vnde cum iurare per Deum in veritate vtile, sit Deo honorificum & proximo vtile, & sic deseruiat dilectioni Dei & proximi, quare erit illicitum vel prohibitũ, cum plenitudo legis sit dilectio? ad Rom. 10. Et cum in duobus mandatis de dilectione Dei & proximi vniuersa lex pendeat & prophetæ? Matth. 21. Præterea iurare nihil aliud videtur esse, quàm nomen Dei assumere ad confirmationem eius quod dicitur, sicut haberi potest ex duobus locis Scripturæ sacræ, Exod. 20. *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Assumere enim nomen Dei in vanum, est iurare in vanum. Et ex illo verbo ad Hebr. 6. *Omnis controuersiæ eorum finis*, ad confirmationem, est iuramentum, quia descriptione recepta, facile est ostendere quod liceat iurare. Cum enim filius Dei in hoc natus sit, & venerit in mundum, vt testimonium perhiberet veritati, vt ipse ait Ioann. 18. verisimile est quod nomen suum non neget ad eandem veritatem confirmandam, imo quod plus est, ad confirmationem veritatis mori voluit. Item quum Deus pater sic dilexerit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Ioan. 3. verisimile est quod nomen suum ei non neget ad Rom. 8. *Qui proprio filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non cum illo omnia nobis donauit?* Item cum principes huius mundi talis sint bonitatis, in subditos suos, vt sigillis suis eis confirment veritatem vtilem, nunquid cœlestis Deus habebit hanc bonitatem in subditos suos, vt nomine suo permittat eos vti ad confirmandam veritatem? Simile argumentum facit Dominus, Matt. 7. dicens: *Si ergo vos quum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?* Item, si Deus sigillum suum commendauit seruis, verisimile est quod non neget illud filiis, ad Roman. 7. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Ex prædictis manifestum est, quod iurare non est vniuersaliter malum, imo licitum est iurare ad confirmandam vtilem veritatem. Respondendum est ergo ad ea quæ ipsi obiiciunt.

Notandum ergo quod potuit esse multiplex causa, quare Dominus diceret illud Matth. 5. *Ego dico vobis non iurare omnino, &c.* Prima potuit esse, quia iuramentum quandoque vilipendi facit simplicem assertionem: nec iam reputant multi simplex mendacium, ex quo non est ibi periurium. Sicut multi hodie iuramenta sine solennitate facta non reputant propter iuramenta solemnia: Deus ergo volens suos veritatem seruare in simplici sermone sicut in sermone iurato, voluit vt non iurarent quantum esset in eis. August. super epist.

Mul[tiplex] caus[a] quar[e] Deus [prohi]bue[rit] iuran[en]tum.

epist. ad Gal. Non est contra Dei præceptum iuratio : sed ita intelligitur Deus prohibuisse à iuramento, vt quantũ in ipso est quisque non iuret : quod multi faciunt, in ore habitentes iurationem, tanquã magnum suaue aliquid. Idem in sermone Dom. de mont. Iuramentum faciendum est in necessarijs, quum pigri sunt homines credere, quod est eis vtile. Iuratio non est bona, non tamen mala cum est necessaria : ideò non est appetenda, vt bona, non tamen fugienda tanquam mala, cum necessaria est : Gloss. super Matth. 5. Sermo fidelis pro iuramento debet haberi : & merito tanquam verbum dictum in templo coram altari, imo coram Deo. Templum enim in baptismo dedicatum, est ipse fidelis. Deus autẽ est in hoc templo sancto suo, fides verò altare est. Secunda causa potuit esse periculum idololatriæ, & tertia periculum periurij. Ex frequenti enim iuratione frequens sequitur periurium. Et hæc duo pericula sequebãtur præcipuè ex iuratione creaturarum : ideo talem iurationem præcipuè dissuadet Dominus Gloss. Illi vel cœlum plus aliquid suspicabantur, vel per illud iurantes non putabant se iuramẽto teneri : ideo iuramentum sic temperat, vt cœlum & creatura Dei credatur non plus aliquid, & quia thronus eius est, periurium timeatur. August. In nouo Testamento dictum est, ne omnino iuremus : quod mihi quidem propterea dictum esse videtur, non quia verum iurare peccatum est : sed quia peierare immane peccatum est, à quo nos longè esse voluit, qui omnino ne iuraremus admonuit. Idem in quodam sermone: Qui iurat, iuxta pręcipitium periurij est : qui non iurat, longè est. Quarta causa potuit esse perfectio mansuetudinis, quam voluit esse in discipulis suis, quibus dixit illud verbum sicut in Euangelio Matth. patet : qui illud verbum ponit. Iuramentum verò frequenter est ex ira & impatientia : ideo voluit Dominus eos à iuramento cauere. Septem verò dissuadẽtur circa iuramentum. Primò appetitus iurandi : Iacob. 5. *Ante omnia fratres nolite iurare.* Secundò, assiduitas iurandi. Eccles. *Iurationi ne assuescat os tuum.* Ibidem: *Vir multum iurans replebitur iniquitate.* Chrysost. Nemo est qui frequenter iuret qui non aliquando periuret. Tria alia innuuntur per oppositum. Ierem. 4. vbi dicitur : *Iurabunt, Viuit Dominus in veritate, & iudicio, & iustitia.* Et sunt illa tria, falsitas, defect⁹ deliberationis, & iniustitia. Sextum est, iurare per creaturas. Septimum est, iurare pro nullo. Exod. 20. *Non assumes nomen Dei tui in vanum. Non enim habebit insontem Deus eum qui assumpserit nomen Dei frustra.* Illud verò Matthæi : *Ego dico vobis non iurare omnino*, sic intelligendum est : *Ego dico vobis vt non iuretis omnino*, id est, passim : neque etiam per cœlum, &c. Nec sequitur ex hoc, Ergo nunquam iuretis, sicut opponendo ostendebatur. Et hoc innuitur per causam quæ subditur : Neque per cœlum, quia thronus Dei est, hoc enim quod cœlum est thronus Dei, non est causa quod per cœlum non sit iurandum : sed est causa quod per cœlum non est passim iurãdum, ac si peierando per illud Deus non offendatur, cum cœlum thronus Dei sit, & in cœlo Deus contemnatur. Ad idem videtur pertinere illud Matth. 23. *Væ vobis qui dicitis : Quicunque per templum iurauerit, nihil est, &c.* Et subditur : *Qui iurat in templo, iurat in eo qui habitat in templo : & qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum.* Sicut non valet hoc argumentum : Iste qui vult se radi, & superfluitatem capillorum præscindi, non vult vt capilli sibi omnino abscindantur : ergo ipse nihil vult de capillis suis præscindi : Ita non valet hoc argumentum, *Dico vobis non iurare omnino* : ergo vt nunquam iuretis. Ad illud verò Iac. 5. *Ante omnia nolite iurare*, quadruplex potest esse responsio.

Dissuasio iuramenti.

Primò, vt prohibeatur ibi iuramentum quod aliquis facit quum cito incipit

loqui: illud enim est ex libidine iurandi: prius enim debet esse sermo vester, est, est: non, non: quod si non credatur vobis vtile est credi, potest sequi iuramentum.

Secundò, potest intelligi esse dictum illud contra illos qui habent in consuetudine ante vnumquodque verbum ponere iuramentum.

Tertiò, potest dici quod Iacobus loquebatur illis qui erant in tribulatione. Sicut enim dicit Gloss. super principium Canonicæ eius, occiso Stephano facta est persecutio magna in Ecclesia quæ erat Ierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ præter Apostolos. His dispersis qui propter iustitiam passi sunt, mittit epistolam: monens ergo eos ad patientiam & quædam alia, ante omnia vult vt à iuramentis, quæ impatientiam solent sequi, caueant. Sicut febricitanti prohibetur specialiter bibere, licet alia multa magis sunt nociua, quia ad illud magis pronus: sic qui tribulantur magis proni sunt ad iuramenta. Et illa iuramenta frequenter sunt Dei blasphemiæ: & quandoque tantùm illaqueant homines, quod in magna seruitute est homo, vt impossibile videatur sibi quandoque seruare quodcunque iurauit. Vnde sequitur, vt non sub iudicio decidatis, scilicet à libertate vestra per obligationem.

Quartò, potest intelligi quod affectio siue voluntas iurandi prohibeatur. Vnde non dicit, Non iuretis: sed, nolite iurare: nec sequitur ex hoc quod iurare sit mortale, sicut ex illo verbo Domini: Matth. 23. *Patrem nolite vocare vobis super terram*, non sequitur quod mortaliter peccet qui aliquem patrem vocat super terram. Voluntarium ergo iuramentum prohibetur ibi, sed duplex est voluntarium. Quoddam quod est purè voluntarium, & quoddam quod habet aliquid cogens exterius, licet non sufficiens: & primum hic prohibetur, secundum non. Ad verbum verò August. dicendum est, quod sicuti transire mare nunquam securum, & tamen quandoque sine naufragio aliquis illud transit: sic iuratio nunquam est secura, & tamen quandoque est necessaria, & quandoque sine peccato iuratur.

PARS XVI.

De Fide, prout Fides idem est, quod fidelitas.

EST etiam Fides virtus quâ promissa complentur. Vnde Isidor. 10. lib Etymol. Fidelis dicitur quis: pro eo quod fit ab eo illud quod dicit vel promittit bonum. Et sicut veritas seruat hominem ne aliquem fallat in verbis, sic fides seruat hominem ne aliquem fallat in factis. Fides tamen quandoque largè sumitur: & sic ad eam pertinet seruare hominem ne fallat alium verbo vel facto, & sic sumit August. fidem in libro de doctrina Christ. dicens: Nemo mentiens, in eo quod mentitur seruat fidem. Homo fidelis confidentem de se non fallit. Fides, prout est virtus Theologica, est virtus quâ æterna bona credimus. Fides verò prout hic de ea loquimur, est virtus cui bona nostra in præsenti credimus. Ad hanc virtutem monemur. Apocal. 2. *Esto*, inquit, *fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Hæc virtus multùm commendabilis est. Prouerb. 28. *Vir fidelis multùm laudabitur*. De hac commendauit Abraham. Eccles. 44. *Abraham*, inquit, *in tentatione inuentus est fidelis*. Item Moyses. Num. 12. *Moyses*, inquit Deus, *in omni domo mea fidelissimus est*. Et Dauid 1. Reg. 22. *Quis in omnibus seruis tuis sicut Dauid fidelis?* Fidei virtus est valdè rara & valde chara. Prouerb. 22. *Virum fidelem quis inueniet?* 1. ad Cor. 4. *quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur*; quæritur, inquam, & vix inuenitur. In primitiua Ecclesia inter duodecim

Quis fidelis?

Quid fides.

Apostolos inuentus est vnus infidelis, & alij fideles fuerunt. Hodie vndecim inueniuntur infideles, quando vnus inuenitur fidelis. Huic virtuti committit Dominus bonorum suorum dispensationem. Matth. 24. *Quis putas, est fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam vt det illis cibum in tempore?* Item huic virtuti dat Dominus augmentum gratiæ. Lucæ 19. *Euge serue bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens supra decem ciuitates.* Item huis virtuti dat Dominus gloriam. Matth. 25. *Quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.* Et notandum, quod fidelis specialiter commendabilis est in amico. Ecclesiast. 6. *Amico fideli nulla est comparatio.* In eodem: *Amicus fidelis medicamentum vitæ.* Item valde commendabilis est in seruo: Ecclesiast. 33. *Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic tracta eum.* Specialiter etiam commendabilis est in nuntio. Prouerb. 13. *Legatus, fidelis sanitas.* Econtrario legatus infidelis pestilentia est terræ ad quam mittitur: malo enim exemplo multos corrumpit. Prouerbior. *Sicut frigus niuis in die messis: ita legatus fidelis ei qui misit eum.* Frigus niuis in die messis refrigerat: & legatus, si fidelis sit, ei à quo mittitur, quasi quoddam refrigerium est: à cura enim & solicitudine in parte eum liberat. Econtrario vero dicitur de infideli nuntio. Prouerb. 25. *Dens putridus & pes lassus qui sperat super infideli in die angustiæ.* Dens putridus ori grauem dolorem ingerit. Vnde vulgariter dicitur quod non est dolor sicut dolor dentis. Infidelis ergo nuntius est ei qui in eo sperat, vt dens putridus, quia est occasio ei magni doloris. Est etiam vt pes lassus. Sicut enim multum affligitur qui desiderat peruenire ad locum aliquem, & præ lassitudine non potest: sic affligitur ille qui expectat nuntium infidelem, qui moram nimiam facit.

Et notandum, quod aliquis fidem debet alij in quatuor. Primò, vt eum verbo non fallat. August. in lib. de Doct. Christ. Omnis qui mentitur iniquè facit. Secundò, vt arcanum eius non denudet. Prou. 11. *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum.* Eccles. 27. *Qui denudat arcana amici, fidem perdit.* Tertiò, in hoc vt in aduersis eum non deserat. Eccles. 22. *Fidem posside cum amico in paupertate illius, vt in bonis illius læteris. In tempore tribulationis illius, permane illi fidelis.* Quartò, in hoc vt in donorum sibi commissorum administratione fideliter se habeat. Fidelitas verò quantum ad bona commissa in quinque attenditur. Primum est, vt ipse bona sibi commissa non dissipet. Secundum, vt ea studiose multiplicet. Tertium, vt eum qui tradidit, parte lucri quæ ad eum pertinet non defraudet. Quartum, est, vt bona sibi commissa, proditiosè sua non faciat. Quintum est, vt inimico eius qui sibi ea commisit illa non tradat. De primo legitur Luc. 16. *Hic diffamatus est apud ipsum, eo quod dissipasset bona illius:* & Esa. 14. *Tu terram tuam disperdidisti.* Tripliciter autem fit hæc dissipatio. Primò, quando aliquis vitam suam, quam debuit ei pendere ad honorem Dei & vtilitatem animæ suæ, expendit in Dei contumeliam & damnationem animæ suæ, consumendo eam in seruitio diaboli. Prouerb. 5. *Non des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli.* Item intellige de his qui res suas in seruitio diaboli expendunt seruos diaboli instantissimè inuitãtes, in filios verò Dei durissimos se exhibentes. Secundò quando aliquis desistit ab opere incœpto ante consummationem. Prouerb. 18. *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* Mollis est qui cedit duris. Dissolutus est qui nullo amore ad opus bonum ligatus est, & talis reputatur dissipator operum suorum. Tertiò, quando aliquis quod ædi-

ficat verbo, destruit exemplo. Eccles. 33. *Vnus ædificans, & vnus destruens, quid prodest illis nisi labor?* Circa secundum notandum, quod circa multiplicationem triplex potest esse infidelitas. Prima est cum pecunia domini absconditur. Vndè Matth. 25. reprehenditur seruus malus & piger qui pecuniā domini sui abscōdit. Secunda est, cùm pecuniam domini in mercibus, quæ minoris lucri sunt ponitur. Hæc infidelitas est in illis qui legem Domini per quam lucrari animas possent cōtemnunt, & Physicam vel Leges per quas temporalia lucrantur addiscunt. Nunquid infidelis esset nuntius alicuius mercatoris, qui domino suo emere posset scarlatam eodem pretio quo emit burellum, si eam non emeret? Tertia infidelitas est in eis qui merces domini vendunt, vbi minus vendibiles sunt. Sicut accidit in eis qui Parisiis docent, vbi doctrina eorum vix auditur, & alibi nolunt docere vbi doctrina eorum chara haberetur. Circa tertium notandum quod lucrum bonorum operum in tres partes diuiditur. Prima pars est gloria quę ad Deum pertinet: iuxta illud Apostoli, *Soli Deo honor & gloria.* Secunda pars est exemplum bonum quod pertinet ad proximum. Vnde Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, &c.* Tertia pars est vtilitas mercedis, quæ pertinet ad Deum qui opera bona facit. Deum ergò defraudat parte sua lucri, qui gloriam quærit de bonis operibus, quæ agit. Bernard. Fidelis reuera famulus es, si de multa gloria Domini tui, etsi non exeunt à te, tamen transeunt per te, nihil manibus tuis adhærere contingat. Circa quartum verò notandum, quod illi qui bona sibi commissa, proditiosè sua faciunt, quum infideliter se habeant in paucis, ipsi non constituentur super multa. Vnde Lucæ 6. *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis:* Alienum vocat bonum transitorium, nostrum verò æternum. Et ibidem: Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est. Et qui in modico iniquus est, in maiori iniquus est. Circa quintum notandum quod velut castrum nostræ bonæ fidei commissum est corpus nostrum vel anima nostra. Vulgariter dicitur, quod bonum castrum custodit qui corpus suum custodit. Sed meliùs castrum custodit qui animam suam custodit. Hoc castrum corporis diabolus sibi quærit reddi, quādo peccata spiritualia suggerit. Castrum verò animæ sibi quærit reddi, quando peccata spiritualia suggerit, quando verò nos suggestioni eius consentimus, castrum nobis à Deo commissum, hosti eius tanquam proditores tradimus. Et valdè infideles sumus, præcipuè si non præmittamus nuntium ad dominum nostrum pro succursu, cum ipse possit nobis subuenire, & etiam velit. Non enim vult exhæredari. 1. Corinth. 10. *Fidelis est Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.* Nuntius qui ad Deum mittendus est in tentatione, est oratio. Vnde super illud Psalm. *Intret in conspectu tuo oratio mea*, dicit Gloss. Magna virtus orationis ostenditur, quæ quasi quædam persona ad Deum intrat & illuc mandatum peragit quò caro peruenire nequit. Inexcusabilis est qui priùs castrum suum reddit, quàm pro succursu miserit, vel qui non expectat succursum pro quo misit.

Lucrū bonorū operū in tres partes diuiditur.

Psal. 87

TRACTATVS VI.

TERTIÆ PARTIS PRINCIPALIS, vnum continens capitulum, est de diuisione Virtutum Cardinalium, secundum Macrobium.

Virtutũ Cardinalium diuisio.

VLTIMO de quatuor virtutibus Cardinalibus ponenda est diuisio, quam ponit Macrobius his verbis : Qui æstimant nullis nisi philosophantibus inesse virtutes, virtutum officia sic dispensant. Prudentiæ dicunt esse, mundum istum, & omnia quæ in mundo sunt diuinorum contemplatione despicere : omnémque animi cogitationem in sola diuina dirigere. Temperantiæ, omnia relinquere inquantum natura patitur quæ corporis vsus requirit. Fortitudinis, non terreri animam à corpore quodammodo ductu philosophiæ recedentem : nec altitudine perfecta ad superna ascensionis horrere. Iustitiæ, ad vnam sibi propositi huius consentire viam, vniuscuiusque virtutis obsequium. Atque ita fit vt secũdum hoc tam rigidæ diffinitionis abruptum, rerumpublicarum rectores beati esse non possint. Sed protinus gradus virtutum sic dirigit : Quatuor, inquit, sunt quaternarum genera virtutum. Ex his primo Politicę vocantur. Secundæ purgatoriæ. Tertiæ animi iam purgati. Quartæ, exemplares, & sunt politici hominis, quia sociale animal est. His boni viri reipublicæ consulunt, vrbes tuentur, his parentes venerantur, liberos amant, proximos diligunt, his ciuium salutem gubernant, his socios circumspecta prouidentia protegunt, iusta libertate deuincunt, hisque sui memores alios fecêre merendo. Et est politica prudentia, ad rationis normã, quæ cogitat quæque agit vniuersa dirigere, ac nihil præter rectum velle vel facere, humanisque actibus tanquam diuinis arbitris prouidere. Prudentiæ insunt; ratio, intellectus circumspectio, prouidentia, docilitas, cautio. Fortitudinis, animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia timere, tolerare fortiter vel aduersa vel prospera. Fortitudo præstat magnanimitatem, fiduciam, securitatem, magnificentiam, constantiam, tolerantiam, firmitatem. Temperãtiæ : nihil appetere pœnitendum, in nullo moderationis legem excedere, sub iugo rationis cupiditatẽ domare. Temperantiam sequuntur modestia, verecundia, abstinentia, castitas, honestas, moderatio, parcitas, prudentia. Iustitiæ seruare vnicuique quod suum est. De iustitia veniunt innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, humanitas. Secũdæ, quas purgatorias vocant, hominis sunt qui Dei in se capax est, solum que eorum quæ animum eius expediunt qui decreuit se à corporis contagione purgare, & quadam humanorum fuga solum se inserere diuinis. Hæ sunt otiosorum qui à rerũ publicarum actibus se sequestrant. Harũ quid singulę velint, superius expressimus, cum de virtutibus philosophantium diceremus. Tertiæ sunt purgati iam defęcatiq; animi, ab omni mundi huius aspergine detersi. Illic prudentiæ est diuina nõ quasi in electionẽ pręferre, sed sola nosse; & hæc, tanquam nihil aliud sit intueri; temperantiæ, terrenas cupiditates nõ reprimere, sed

penitus obliuisci. Fortitudinis passiones ignorare, non vincere, vt nesciat irasci, cupiat nihil. Iustitiæ itaque cum superna & diuina mente sociari, vt seruet perpetuum cum ea fœdus imitando. Quartæ exemplares quæ in ipsa diuina mente consistunt, à quarum exemplo reliquæ omnes per ordinem defluunt. Nam si rerum aliarum, multo magis virtutum ideas esse in mente credendum est. Illic prudentia est mens ipsa diuina. Temperantia quæ in se perpetua intentione conuersa est. Fortitudo quod semper eadem nec aliquando mutatur. Iustitia quod perenni lege à sempiterna operis sui continuatione non flectitur.

QVARTÆ PARTIS PRINCIPALIS Tractatus de Donis.

Pars prima.

De ordine dicendorum de Donis: & quare vocentur dona.

DICENDVM est de Donis quæ Christus in se habuit. Esa. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini spiritus sapientiæ, &c.* Quæ etiam fidelibus dedit, ad Ephes. 4. *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* De donis verò hoc modo agetur. Primò ostendetur quare dona vocentur. Secundò tangentur aliqua pertinentia ad commendationem donorum, & ad manifestandum numerum eorum. Tertiò, agetur per ordinem de singulis. Circa primum notandum, quod Deus volens ostendere hominibus sanctitatem Christi mediatoris Dei & hominum in quo sperare debebant, iuxta illud Ecclesi. 24. *In me omnis spes vitæ & virtutis*, voluit ostendere eum conceptum esse ex Spiritu sancto. Matth. 1. *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* In eodem. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est.* Item voluit ostendere Spiritum sanctum in eo continuè mansurum, vnde Esaias loquens de flore ex quo mundus sperare debebat fructum salutis, ait: *Requiescet super eum Spiritus Domini.* ibi dicit gl. In Euangelio Nazaræorum quod Hebraicè scriptum est, ita habetur: Factum est cum ascendisset Dominus de aqua, descendit fons omnis spiritus, & requieuit super eum, & dixit ei: Expectabam te, fili mi, in omnibus Prophetis vt venires, & requiscerem in te. Tu es enim requies mea, tu es filius meus primogenitus qui regnas in sempiternum. Et Ioan. 1. *Vidit*, inquit Ioan. Bapt. *spiritum descendentem quasi columbam de cœlo & manentem super eum, & ego nesciebam: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* gloss. Specialiter dicitur spiritus manere in Christo, à quo nunquam per peccatum recessit. Esa. 61. *Spiritus Domini super me.* Item gloss. super Ioan. Spiritus sanctus in Sanctos venit, & propter peccata recedit. Secundum aliquem effectum, descensus spiritus super Christum in specie columbæ, idem ostendit quod ostendit vox de cœlo veniens. Matth. & Luc. 3. *Hic est filius meus dilectus, &c.* Spiritus enim sonat idem quod charitas, sicut dicit gloss. super illud

Sp. S. quo pacto in Christo maneat.

Apoc. 1. A septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt. Similis vox audita est in transfiguratione Matth. 17. vbi verò Esaias ostendit Spiritum sanctũ in Christo mansurum, enumerantur nobiles effectus qui à Spiritu sancto fuerunt in Christo, cum dicitur: *Requiescet super eum spiritus sapientiæ & intellectus, &c.* Illi verò effectus rectissimè dona vocantur: vel septiformis gratia Spiritus sancti. Cum enim Spiritus sanctus bonitas sit, liberalissimè se & sua communicans: ipse est primum donum, quia se gratissimè communicat. August. Magna misericordia Dei donum dat æquale sibi. Nam Sp. S. donum est. De hoc dono legitur: Act. *Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti.* In ipso etiam dantur liberalissimè cetera dona: ideo effectus Spiritus sancti rectissimè dona vocantur. Nomine enim doni gratitudo vel liberalitas insinuatur. Donum enim iuxta verbum, est datio irreddibilis, quæ sc. fit sine spe retributionis. Senec. lib. 4. de Benef. Non est beneficium, quod in quæstum mittitur. Idem in eod. Si Deum imitaris, da gratis beneficia. Item rectissimè vocatur septiformis gratia. Gratia enim dicitur eo quod gratis detur. Præterea vbi enumerantur illi septem effectus Spiritus sancti qui in Christo fuerunt, agitur de filio Dei veniente ad sponsam suam. Sponsus verò ad sponsam veniens dona consueuit afferre: ideò congruè illi septem effectus dona vocantur.

Donũ quid significet

PARS II.

De commendatione donorum, & numeri eorum manifestatione.

Circa secundum notandum, quod ista septem dona sunt quasi septem stellæ in dextera Christi. Apoc. 1. & 3. Stellæ dici possunt, quia noctem præsentis vitæ illuminant. Præsens vita nox dicitur, & propter aduersitates quibus plena est, & propter tenebrositatem culpæ & ignorantiæ quæ in ea abundant. In dextera verò Christi sunt hæ stellæ, quia Christus donationem horum donorum ad manum suam retinuit. Item hæc dona sunt septem lucernæ, de quibus Exod. 26. *Facies lucernas septem, & pones eas super candelabrum.* Gloss. Lucernæ septem, sunt septem dona Spiritus sancti, quæ in Christo cuncta semper manserunt, & fidelibus secundum voluntatem eius distributa sunt. Hæ super candelabrum ponuntur, quia requieuit super Christum spiritus sapientiæ, &c. Item hæc dona sunt septem lampades, de quibus Apoc. 4 & 7. *Lampades ardentes erant ante thronum quæ sunt septem spiritus Dei.* Interl. Dona Spiritus sancti quæ accendunt & illuminant parata omnibus, quæ sunt sedes Dei. Item hæc dona sunt septem oculi: Apoc. 4. *Et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei.* Zach. 4. *Super lapidem vnum septem oculi sunt.* Et exponit glos. de Christo, qui est lapis angularis coniungens duos parietes in vnum, super quem lapidem sunt septem oculi. De quibus Esa. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, &c.* Item hæc dona sunt septem crines qui caput Ecclesiæ, Christum scilicet, ornauerunt: quibus etiam caput sponsæ Christi, scilicet cor, debet esse ornatum. Hos crines dæmones conantur abradere. His crinibus ablatis homo debilis remanet, vt Samson. Iud. 16. Ista septem dona sunt contra septem mala, quæ enumerat Greg. super illud Iob. 1. Ventus vehemens irruit à regione deserti, &c. His verbis: Spiritus qui mentem ante omnia prudentia, temperantia, fortitudine, iustitia format, eandem contra singula tentamenta septem virtutibus instruit. Contra stultitiam, sapientia; contra hebetudinem, intellectu; contra præcipitationem, consilio; contra

Dona Sp. S. cõmendantur.

Donã septem, in remedium septẽ vitiorum data.

timorem, fortitudine; contra ignorantiam, scientia; contra duritiam, pietate; contra superbiam, timore. Tria istorum malorum ad effectum videntur pertinere, vnum est respectu Dei, scilicet superbia, quæ est inordinata excellentia animi. Aliud respectu proximi, scilicet durities. Tertium respectu inimici, scilicet timor vel pusillanimitas: contra superbiam est donum timoris, Greg. super Ezech. Per timorem humiles sumus, pietas est contra duritiam. Idem: Per pietatem sumus misericordes. Fortitudo est contra pusillanimitatem. Quatuor mala videntur pertinere ad intellectum, scilicet stultitia siue insipientia, quæ est quando intellectus sapore terrenorum, impeditur à gustando saporem æternorum. Secundum est hebetudo, quæ est grossities intellectus, quâ impeditur ne penetret interna mysteriorum, & ne agnoscat creatorem in creaturis. Tertium malum est, ignorantia, quæ est defectus discretionis quantum ad ea quæ communiter sunt agenda. Quartum est præcipitatio quantum ad deliberationem eorum quæ sunt ardua, & quæ pertinent ad perfectionem salutis. Contra hæc quatuor mala vltima sunt donum sapientiæ, & donum intellectus, donum scientiæ, & donum consilij. Donum sapientiæ lumen est, quo agnoscuntur superiora. Scientia lumen est, quo agnoscuntur inferiora. Intellectus, lumen est, quo agnoscuntur interiora: vnde à legendo intus dicitur intellectus. Donum consilij est lumen à quo cognoscuntur periculosiora. Assignentur & aliter septem mala præsentis vitæ, contra quæ sunt hęc septẽ dona. Primum malum est, puerilitas. Esa. 65. *Puer centum annorum morietur.* 1. ad Corinth. 14. *Nolite pueri effici sensibus.* Sap. 12. *Infantium sensatorum more viuentes.* Sen. Plerunque est cum non pueritia, sed quod grauius est puerilitas remanet. Contra hoc malum est maturitas sapientiæ. Greg. super Ezech. Per sapientiam maturi sumus, Ad maturitatem sapientiæ pertinet puerilia despicere, & digna viris intellectu capere, & affectu desiderare. Puerilia intelligas, lac suauitatis temporalis, & bona temporalia, quæ sunt vt pyra & poma comparatione æternarum diuitiarum. Digna viris intelligas gaudia æterna. Secundum malum est brutalitas, qua exteriora sola in rebus sensibilibus capimus illis solis hærentes & quasi foris stantes: intima verò eorum cognitione nõ attingimus. Contra hoc malum est donum intellectus penetrans interiora. Gregor. super Ezech. Intellectus tollit hebetudinem. Tertium malum est, periculositas. Contra quod est donum consilij. Prou. 24. *Erit salus, vbi multa consilia.* Quartum malum est, certaminum spiritualium continuitas. Contra quod est donum fortitudinis. Mundus iste, campus est certaminis. Bern. In mundo isto quasi in stadio certaminis positi sumus. Iob. 7. *Militia est vita hominis super terram.* Quintum malum est, error circa bona & mala, & secundum qualitatem, & secundum quantitatem. Secundum qualitatem, cum creduntur bona quæ sunt mala. Es. 5. *Væ qui dicitis bonum, malum.* Secundum quantitatem, quando creduntur magna bona quæ sunt parua, & econuerso. Contra hoc malum est donum scientiæ. Scientia respicit bonum & malum: vnde nominatur lignum scientiæ boni & mali. Gen. 2. Propter hunc errorem dicitur: Sap. 14. *In magno viuentes inscitiæ bello, tot & tanta mala pacem appellant.* Sextum malum est vitæ execrabilitas: quâ scilicet vita nostra Deo non est honorifica, imo est contumeliosa. Contra quod est donum pietatis, prout dicitur pietas veneratio sanctorum: primò Dei, deinde eorum quæ ei sanctificata sunt. Septimum malum est stulta securitas, quâ nihil est periculosius homini tot malis obsesso. Prou. 28. *Qui confidit in corde suo stultus est.* Et notandum, quod minimum horum donorũ præualet omni auro quod est in mundo. Minimum videtur esse

Donum Dei omni auro nobilius.

donum

donum timoris, de quo tamen legitur, Eccles, 23. *Nihil meliùs quam timor Dei.* De pietate verò legitur 1. ad Timoth. 4. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est futuræ.* Fortitudo verò hominem reddit insuperabilem. Prouerb. 30. *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pauebit occursum.* Qui habet donum fortitudinis, dicit illud: *Omnia possum in eo qui me confortat.* ad Philip. 4. Sapientia in terra manens, ad mensam cœlestem sedet. Timor vendicat infernum vbi vitia exurit: Sapientia paradisum, quæ iam æterna prægustat. Fortitudo verò & pietas vendicant sibi præsentia. Pietas aliena mala compatiendo sibi bona efficit. Fortitudo verò propria mala, patienter ea tolerando, sibi in bonum conuertit. Item fortitudo ad bona ardua hominem potentem reddit. Intellectus sapiẽtiam dirigit. Consilium fortitudinem, scientia pietatem. Timor verò à fide dirigetur, qui cum in Christo non fuerit, inter dona non numeratur. Non enim non enumerantur inter dona omnes gratiæ spiritus sancti, sed gratiæ excellentes quæ in Christo fuerunt.

Dona tria in intellectu.

Et notandum, quod tres illarum gratiarum indubitanter pertinent ad intellectum, scilicet donum scientiæ, consilij, & intellectus. Tres indubitanter ad effectũ, scilicet donum timoris, pietatis, & fortitudinis. Donum verò sapientiæ secundum quosdam pertinet ad intellectum, secundum quosdam ad effectum. Secundum veritatem verò videtur ad vtrúmq; aliquo modo pertinere. Vnde possumus dicere, quod quatuor dona pertinent ad intellectum, quatuor aliquo modo pertinent ad effectum. Quadruplex enim cognitio salubris præcellentiam habens potest esse in intellectu, duæ pertinent ad id à quo sumus, scilicet ad Deum. Deus tripliciter in præsenti cognoscitur. Primò, fide, quæ est cognitio initialis ad omnes pertinens, & innititur auctoritati. Secũdò cognoscitur intellectu, qui innititur rationi. Aug. in lib. de vtili creden. Quod credimus; debemus auctoritati: quod intelligimus, rationi. Tertiò, cognoscitur Deus experientia: gustando scilicet eius suauitatem. Secunda & tertia cognitio de Deo præcellẽtiam habent respectu primæ: & ideò gratiæ excellentes sunt quæ pertinent ad eas, & enumerantur inter dona. Tertia salubris cognitio excellentiam habens, pertinet ad id quod à nobis est, quod arduum est vel periculosum: quæ præcellẽtiam habet respectu illius cognitionis, est circa alia quæ non sunt ardua vel periculosa. Gratia pertinens ad hanc cognitionem dicitur donum consilij. Quarta cognitio est circa res ipsas quæ propter nos sunt specialiter quantum ad bonitatem & malitiam eorum, & habet præcellentiam respectu aliarum cognitionum quæ sunt de rebus quantum ad alias rerum dispositiones. Et gratia ad hanc cognitionem pertinens dicitur donum scientiæ. Item quadruplex ordinata affectio potest esse in affectu: duæ respectu mali, & duæ respectu boni. Malum fugiendum est & fugandum. Fuga mali remoti, scilicet mali futuri, illa virtuosior est præcellentiam habens respectu fugę mali propinqui. Malum enim propinquum facile est fugere, scilicet malum præsens. Item fuga mali quod ducit ad futurum, scilicet mali culpæ præcellentiam habet, cum malum culpæ bonum videatur, eo quod sit delectabile. Gratia ergo pertinens ad fugam mali futuri, & eius quod ducit ad illud, excellens gratia est, & vocatur donum timoris. Item fugare miseriam à proximo per compassionem, mala eius sibi assumendo, & bona sua ei communicando, gratiæ excellentis est. Fugare miseriam à seipso, non est multum virtuosum. Et gratia illa præcellens, donum pietatis dicitur. Respectu verò boni sunt duæ affectiones excellentes: vna respectu boni summi quod est finis: scil. esuries seu sitis suauitatis diuinæ. Amor illius suauitatis omnium est: omnes enim beatitudinem appetunt, sed esuries illa paucorum est. Respectu verò boni;

Affectus animi quadruplex.

quod est in finem, quod arduum est, est affectio fortitudinis quę excellit respectu affectionis, quæ est ad bona quæ non sunt ardua. Vnde gratia pettinens ad illam affectionem, donum fortitudinis dicitur. Item notandum quod inter septem istas gratias, prout in Christo fuerunt, tres sunt pertinētes ad diuina, & quatuor ad humana. Ad diuina, donum intellectus quo cognoscitur Dei veritas, & donum sapientiæ quo gustatur eius suauitas, & donū timoris quo honoratur Dei sublimitas. Timor enim reuerētiæ in Christo fuit: reuerendissimè enim se habuit ad Deum homo ille, non æquans se illi secundum humanitatē, sed ei subiectissimus existens. Ad humana verò pertinent alia quatuor dona: humana enim diuiduntur in ea quæ agenda sunt communiter ab omnibus & sunt in præcepto, & ea quæ pertinent ad perfectionem salutis. Ad ea quæ communiter agenda sunt ab omnibus, pertinet donum pietatis, cui lumen ministrat donum scientiæ. Pietas enim quasi negotiatrix est & communicatrix: ideò necessarium est ei lumen scientiæ quo agnoscat ea quibus negotiatur. Circa ea quæ pertinent ad perfectionem est donum fortitudinis, cui lumen ministrat donum consilij, hominem seruans à pręcipitatione in talibus vbi ipsa valdè periculosa est. Item notandū, quod dono timoris sapientia inchoatur. Prou. 1. *Timor Domini, principium sapientiæ*. Dono sapientiæ consummatur, donis verò mediis proficiendo ad consummationem sapientiæ appropinquat. Item notandum quod duo dona pertinent ad contemplationem, scilicet donum intellectus, & donum sapientiæ. Dono intellectus contemplamur Deum in creaturis, dono sapientiæ in se. Alia quinque dona pertinent ad actiuam. Timore declinatur malum. Prouerb. 15. *Per timorem Domini declinat omnis à malo.* Dono pietatis & dono fortitudinis ad lumen scientiæ & consilij fiunt bona.

Dona diuina & humana quot.

Dona duo pertinent ad vitā cōtemplatiuā.

DE DONIS TIMORIS.

PARS III.

Quæ habet quatuor Capitula.

CAPVT I.

De ordine dicendorum de dono Timoris. Et de descriptionibus eiusdem.

Consequenter agendum est de singulis donis per ordinem. Et primò de his quæ pertinent ad actiuā. Actiua enim prior est tēpore quàm contemplatiua. Oportet enim quod homo exerceat se priùs in actiuam, quàm ascendat ad contēplatiuam. Lia prior fuit nata quàm Rachel. Gēnes. 28. Et prius fuit tradēda nuptui. Vnde legitur in eodem quod Laban dixit Iacob conquerenti de hoc quod Lia ei supposita esset pro Rachele: *Non est in loco nostro consuetudinis vt minores ante tradamus ad nuptias.* Inter dona verò pertinentia ad actiuam, priùs dicetur de dono timoris, à quo nobis inchoandum est, si volumus proficere. Aug. in ser. quodam de timore Domini: Esaias dona enumerans, à sapientia peruenit ad timorem, tanquam de sublimi descendēs ad nos, vt doceret ascendere illuc. Ergo peruenit vnde debemus incipere proficiendo. De timore verò hoc modo agetur. Primò, ponentur eius descriptiones. Secundò, commendationes. Tertiò, tangetur de speciebus timoris. Quartò, de his quæ valere possunt ad incutiendum nobis timorem. Circa primum notandum quod timor est spiritualis fuga mali, ne perdat homo quod amat. Et est sūpta hæc descriptio de Gl. Aug. super Ioan. 10. c. vbi loquitur de mercenario: Fuga timoris, non est fuga ignauiæ, sed est fuga sapientiæ 28. *Ecce timor Domini ipse est sapientia.* Fuga timoris, fuga est cautę declinationis.

Timoris descrip

Prouerb. 14. *Sapiens timet & declinat à malo, stultus transilit & confidit.* Talis est fuga Parthorum, quæ non est ignauia, sed bellandi peritia. Fugiendo vincunt Parthi: Ideò fugientes ab his, quibus nota est eorum peritia, timentur: sic timor dum timet timetur, secundum illud Philosophi: Qui timet Deum, omnia timent eum: qui verò non timet Deum, timet omnia. Vnde Cain perpetrato homicidio fratris, caput tremulum habuit, & ait: *Omnis qui inuenerit me, occidet me.* Genes. 4. Non est turpis fuga, iacula cauere vel protegendo vel abscondendo se, vel simulatâ fugâ hostes ab vrbe longè abstrahere, sicut legitur fecisse populus Domini, Iosue 17. Item dicit August. 14. lib. de Ciuit. quod timor est amor fugiens quod ei aduersatur. Item timor est affectio futuri mali, secundum Damascenum, timor est expectatio mali, dicit enim: Expectatum malum timorem constituit, præsens verò tristitiam.

Capvt II.

De commendatione Timoris.

Ad commendationem Timoris diuini: Primò, valere possunt admonitiones quas Scriptura sacra facit ad timendum Deum. Leuit. 30. *Time Dominum Deum tuum.* Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis.* Iosue 10. *Timete Dominum, & seruite ei corde perfecto.* In Psal. *Seruite Domino in timore.* Item: *Timete Dominum omnes sancti eius.* Eccles. 2. *Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore.* Eiusdem 2. *In tota anima tua time Deum.* Matt. 10. *Timete eum qui potest & corpus & animam mittere in gehennam ignis.* Secundò, promissiones quas Scriptura facit timentibus Deum. Tob. 4. *Multa bona habebimus si timuerimus Deum, & recesserimus à peccato, & fecerimus benè.* Eccles. 1. *Timenti Deum benè erit in extremis, & in diebus defunctionis suæ benedicetur.* In eodem: *Timenti Dominum benè erit, & in diebus consolationis suæ benedicetur.* Tertiò, quod Scriptura sacra adeò beatificat timentes Deum. Prou. 28. *Beatus homo qui semper est pauidus: qui verò mentis est duræ, corruet in malum,* Eccl. 15. *Beatus cui donatum est habere timorem Domini.* Eiusdem 33. *Timenti Deum beata est anima eius.* In Psal. *Beatus vir qui timet Dominum.* Ps. 111.
Quartò, excellentia quam in Scriptura sacra ostenditur habere timor respectu cæterarum gratiarum. Ec. 25. *Timor Domini se super omnia superposuit.* Eiusd. 23. *Nihil melius quàm timor Domini.* Bernard. super Cantic. In veritate didici nihil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam & recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inueniaris non altum sapere, sed timere. Quintò, quod timor Dei valdè placet Deo. Sicut patet his verbis Scripturæ quæ sequuntur, quæ ostendunt quod beneficus sit Deus his qui timent eum. In Psal. *Oculi Domini super metuentes eum.* Oculi, inquam, misericordiæ. Psa. 13.
Firmamentum est Dominus timentibus eum. Psa. 24. *Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum Domine.* Psa. 60. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Ps. 102. *Voluntatem timentium se, faciet.* Ps. 144. Eccl. 33. *Timenti Deum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conseruabit, & liberabit eum à malo.* Act. 10. *In omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Sextò, commendabilis est timor Domini à multiplici eius affectu. Notandum ergo quod timor Domini, malum culpæ quod in homine inuenit, expellit: scilicet peccatum, Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit iustificari.* Gregor. in homil. Praua mens, si non propter timorem quæritur, ab assuetis vitiis non emendatur. Iosue 10. *Timuimus valdè, & prouidimus animabus nostris.* Ecclesiast. 2. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu*

illius sanctificabunt animas suas. Timor medicamentum est, charitas sanitas. Mich. 6. *Salus erit timentibus nomen suum.* Esa. 26. *A timore tuo, Domine, concepimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis.* Mal. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ.* Item timor à malo culpæ futuro custodit Hieronymus: in epistolis. Timor virtutum custos est, securitas ad lapsum facilis. Exod. 20. *Vt probaret vos venit Dominus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis. Timor Domini odit malum.* Prouerbior. 8. ideò non permittit illud in donum cordis intrare. Timor in æternum quasi expauentaculum ponit in corde hominis, & ad deterrendum vitia & dæmones. Ipse est ianitor cordis, vitia ab ingressu eius claua terribili deterrens. Claua illa infinitæ est magnitudinis, quum sit pœna æterna. Ipse gladium ex vtraque parte acutum: gladium inquam, diuinæ sententiæ ad deterrendos fures spirituales intentat. Ipse latrones in terra corporis mei habitantes crucifigit. In
Ps. 118 Psalm. *Confige timore tuo carnes meas.* Timor vigil est, & tempore pacis & tempore belli vigilans, pacem & securitatem suspectam habens. Ipse virtutes excitat ne ad similitudinem ferri in quiete consumantur rubigine, & ne securi subito ab hostibus occidantur. *Quum virtutes dixerint, Pax & securitas, repentinus eis superueniet interitus*, 1. ad Thess. 5. Timor comprimit virtutes ne euanescant, Eccles. 27. *Si non in timore Domini instanter tenueris te, citò subuertetur domus tua.* Item timor à bonis transitoriis quæ solent esse occasio peccati expedit, sicut timor naufragij nauem facit exonerari. Iob. 31. *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Gregor. Quum fluctus tumentes desuper eminent, nulla tunc cura rerum temporalium nauigantibus, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur. Ea quoque ex naui proijciunt pro quibus longa nauigia sumpserunt. Item ad mala præsentis pœnæ hominem intrepidum reddit. Ecclesiast. 34. *Qui timet Deum, nil trepidabit.* Item cor hominis congregat & restringit. Eccles. 21. *Qui timet Deum, conuertetur ad cor suum.* Item timor, bonorum abundantiam introducit. Eccles. 13. *Qui timet Deum, faciet bona.* Eccles. 16. *Qui timet Deum, nihil negligit. Cor est, vbi timor Domini est, sicut ager plenus cui benedixit Dominus.* Genes. 17. Est etiam sicut paradisus propter amœnitatem & fertilitatem. Ecclesiast. 40. *Timor Domini sicut paradisus benedictionis, &c. super omnem gloriam operuerunt eum*, suple benedictiones. In Psalm. *Non est inopia timentibus eum.* Eccles. 40. *In timore Domini non est memoratio.* Prouerbior. 19. *Timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur absque visitatione pessimi.* Timori custodit Dominus bona sua ad seruandum. Esa. 33. *Timor Domini ipse est thesaurus eius.* Timor Domini plenitudinem virtutum operatur. Timorem sequitur spes. Prouerb. 23. *In timore Domini esto quotidie, & habebis spem in nouissimo.* Timentibus Dominum, factæ sunt promissiones. In Psalm. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te.* Item timor Domini introducit charitatem sicut seta linum: iuxta verbum Augustini. Ecclesiast. *Timor Domini initium dilectionis eius.* Item, *Principium est sapientiæ.* Prouerb. & Eccles. 1. Bernard. super Cantic. Instructio doctos facit, affectio sapientes: aliud est multas diuitias scire, aliud possidere: nec notitia diuitem facit, sed possessio: nec cognitio sapientem, sed timor facit qui & afficit. Tu ne sapientem dixeris, quem sua scientia inflat. Item Bernardus: *Initium sapientiæ, timor Domini:* Quia tunc primò Deus animæ sapit, quum eam afficit ad timendum, non quum instruit ad sciendum. Times Dei iustitiam, times Dei potentiam, & sapit tibi Deus iustus & potens; quia timor est sapor. Porrò sapor facit sapientem, sicut scientia

Psa. 14 (margin beside "Timor Domini sicut paradisus")
Psa. 30 (margin beside "Item timor Domini introducit")

ſcientem. Timori ſapiunt mala, prout debent ſapere. Et hæc eſt prima ſpecies ſeparationis ſpiritualis. Eccleſiaſt. 1. *Radix ſapientiæ, timere Deum.* In eodem: *Plenitudo ſapientiæ, timere Deum.* Item in eodem: *Corona ſapientiæ timor Domini.* Corona facit ad ornatum capitis, & timor Dei eſt ornamentum ſapientum. Sapientibus etiam cauſſa eſt coronæ æternæ. Item Prouerb. 19. *Timor Dei, diſciplina ſapientiæ.* Homines literati abſque timore Dei, indiſciplinati ſunt: ſed timor Domini hominem grauem & maturum reddit. Greg. Anchora mentis, pondus timoris. Item timor Dei hominem temparatum reddit. Prouer. 22. *Finis modeſtiæ timor Domini*, id eſt, conſummatio modeſtiæ. Item timor Domini: hominem fortem efficit. Prouerb. 14. *In timore Domini, fiducia fortitudinis.* Hæc fiducia debilitatem hominis, in Dei fortitudinem mutat. Eſaiæ 40. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Greg. In via Domini timor operatur fortitudinem, in via ſeculi debilitatem. Signum fortitudinis eſt, quod timor Dei vincula cupiditatum dirumpit. Item quod cum ardoribus habitat ſempiternis. Eſaiæ 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit de vobis cum ardoribus ſempiternis?* Timor facit impleri illud Eſaiæ 35. *Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus*, ſecundum illud Poëta: *Pedibus timor addidit alas.* Timor tranſilire facit montes & colles altitudinum terrenarum. Timor fortiſſimos reddit pœnitentes ad portenda onera pœnitentiæ. Timor carcerem inferni, mortem, & tormenta quæ hoſtis ei minatur: in gladium & ignem contra eum conuertit. Hæc ſunt eius refugium, iis ſe tuetur contra tela inimici. In igne illo ardorem concupiſcentiarum extinguit. De inferno quaſi de turri fortiſſima tela hoſtium deſpicit: timor ad infernum confugiens, ab illo maximè fugit. Item timor hominem obedientem reddit, Eccleſiaſt. 2. *Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita ſunt ei.* In eodem: *Qui timent Dominum, cuſtodient mandata illius.* Geneſ. 22. dictum eſt Abrahæ obedienti. *Nunc cognoui quod timeas Dominum.* Greg. 1. parte Moral. Deum timere eſt, nulla quæ facienda ſunt præterire. Quomodo timor plenitudinem virtutum operetur, oſtendit Bernardus ad fratres de monte Dei, loquens de ingratitudine Religioſorũ: Timor Dei incipit operari omnium virtutum plenitudinem, dum per iuſtitiam, defert maiori; per prudentiam non credit ſe ſibi, per temperantiam refugit diſcernere, per fortitudinem totum ſe obedientiæ ſubdit non diſcernendæ, ſed adimplendæ. Item timor Domini eſt fons vitæ indeficiens. Prou. 14. *Timor Domini, fons vitæ vt declinet à ruina mortis.* Eiuſdem 10. *Timor Domini apponet dies.* Prouerb. 19. *Timor Domini ad vitam*, ſupple ſeruandam. Item timor Domini hominem glorificat. Humiliat enim hominem, *humilem verò ſpiritu ſuſcipiet gloria.* Prou. 29. Eccleſ. 1. *Timor Domini gloria & gloriatio.* Eiuſdem 1. *Semen hominum honorabitur hoc quod timet Deum.* Eiuſdem 25. *Gloria ſenum timor Domini:* Iudith vlt. *Qui timent te, Domine, apud te magni erunt per omnia.* Prou. vlt. *Mulier timens Deum, ipſa laudabitur.* Eccleſiaſt. 25. *Quàm magnus eſt, qui inuenit ſapientiam & ſcientiam, ſed non eſt ſuper timentem Deum.* Item timor Dei dum vana delectatione hominem cohibet, veram delectationem Dei meretur. Eccleſ. 1. *Timor Domini lætitia, & corona exultationis.* In eodem: *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam & gaudium in longitudine dierum.* Timor Domini eſt ſicut ventus aquilo diſſipans pluuias. Prouerb. 15. Ipſe nubes carnalium cogitationum & affectionum fugat, & mentem ſerenat, riuos concupiſcentiarum reſtringit, reptilia vitiorum de terra corporis humani exterminat, mare mundi congelando conſolidat, vt ſuper illud ambulare quis poſſit: ſicut fecit Petrus Matth. 14.

Vbi timor est, frigus est ardores desideriorum carnalium & secularium temperans. Timor medium fornacis Babylonicæ facit quasi ventum roris flantem. Dan. 3. Timor Dei adeo hominem meliorat, vt vnus timens Deum mille aliis præferendus videatur. Ecclesiast. 15. *Melior est vnus timens Deum, quàm mille filij impij.* Bona etiam transitoria multum meliorare videtur, modicum enim cum timore Dei præferendum esse videtur multis diuitiis sine timore Domini, Prouerb. 15. *Melius est parum cum timore Domini, quàm thesauri magni & insatiabiles.* Et vt breuiter dicamus: finis salubris doctriæ videtur esse timor Domini. Eccles. vltim. *Finem loquendi pariter omnes audiamus. Time Deum, &c.* De timore dicitur, Esaiæ 11. quod Christum repleuerit, quum de aliis donis tantummodo dicat quod in Christo requiescerent. Timor Dei replere debet viros sanctos. Bernardus loquens de spiritu timoris: Nec mirum, iste est qui totum sibi debeat hominem vendicare.

Item: Non est quod admittas superbiam repletus timore Domini. Viri sancti timent semper & vbique. Eccle. 18. *Homo sapiens in omnibus metuit:* Prouerb. 28 *Beatus homo qui semper est pauidus.* Quod semper sit timendum, ostendit Bernard. super Cant. dicens: Quum adest gratia, time ne non dignè opereris ex ea. Amplius time subtractâ gratiâ, quia relinquit te custodia tua. Si redierit grata multò amplius tunc timendum, ne forte contingat pati recidiuum. Recedere enim quàm incidere deterius est, iuxta illud Ioann. 5. *Ecce iam sanus factus es: noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Aliæ tres causæ timoris possunt assignari.
Psal. 18. Quarum prima tangitur in Psal. *Delicta quis intelligit?* Delictum dicitur peccatum omissionis à delinquendo. Multi verò sunt qui licet non committant peccatū mortale, nesciunt tamen vtrum omittendo mortaliter peccent. Alia causa timoris potest esse, quia mult videntur homini bona quæ Deus intelligit esse mala. Greg. Plerunque in conspectu sordet æterni iudicis quod in intentione fulget operãtis. 1. ad Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Tertia causa est, quia nescit homo qualis futurus sit finaliter, licet in præsenti sit bonus. Eccles. 9. Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit. Intellige finaliter.

Potest enim aliquis in momento cadere, & non adiiciet vt resurgat. Vbique timendum est, quia de quolibet statu aliqui damnantur. Oseæ 13. *Consolatio abscōdita est ab oculis meis: quia ipse inter fratres diuidet.* Et loquitur de inferno. Matt. 24. *Duo in lecto, vnus assumetur, & alius relinquetur.* Lectum intelligas quietem contemplationis. Timendum est homini ex omni parte. Homo enim est sicut castrum vndique portas habens per quas capi potest. Portæ istæ sensus sunt. Est etiam homo sicut castrum obsessum vndique ab hostibus. Sapient. 14. *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animæ hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Viri sancti non solum timent in malis, sed etiam in bonis. Iob 9. *Verebar omnia opera mea.* Greg. Piarum mentium est, ibi culpam agnoscere vbi culpa non est. Idem: Si placere Deo veraciter cupimus postquam peruersa subegimus, ipsa in nobis bene gesta timeamus. Greg. in 2. parte Moral. Iusti omne quod agunt metuunt, dum cautè considerant antè quem iudicem stabunt.

CAPVT I.

De Speciebus Timoris.

NOtandum quod super illud. Prou. 1. *Timor Domini, principium sapientiæ,* distinguit Gloss. Bedæ duas species timo-

ris his verbis : Duo sunt timores Domini: seruilis, qui principium sapientiæ est : & amicabilis, qui perfectionem sapientiæ comitatur. Seruilis principium est sapientiæ:quia qui post errara sapere incipit:primo timore diuino corripitur ne puniatur, sed hunc perfecta charitas foras mittit. Succedit huic timor Domini permanens in seculum seculi, quem non excludit charitas, sed auget, quo timet filius ne vel in modico oculos amantissimi patris offendat. Bernard. in serm. distinguit tres species timoris, his verbis : Primus timor est, ne cruciemur in gehenna. Secundus, ne exclusi à visione Dei priuemur tam inæstimabili gloria. Tertius rapiet animam omni solicitudine timidam, ne fortè deseratur à gratia. Sed nec Beda, nec beatus Bernardus ponunt species timoris nisi diuini. Vnde possunt distingui sex species timoris, vt enumerentur omnes species timoris, siue sit timor bonus, siue malus, vel neque bonus neque malus. Prima species timoris est timor naturalis, quo quilibet timet naturaliter nociuum naturæ. Hic timor non est meritorius, neque demeritorius, quia non subest libero arbitrio. Hoc timore timuit Christus naturaliter mortem. Matth. 14. *Cœpit Iesus pauere.* Secunda species est timor humanus : quum scilicet aliquis timet amplius debito corpori suo. Qui timor prohibetur Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* Et procedit ex nimio amore præsentis vitæ. Et sicut amor præsentis vitæ quandoque est veniale peccatum, vt quãdo est citra Deum. Quandoque vero est mortale, vt quando non est citra Deum : Ita timor humanus, est veniale peccatum, quando oritur ex amore veniali. Quandoque mortale, vt cum oritur ex amore mortali. De quo amore Ioan. 12. *Qui amat animam suam, perdet eam.* Ex timore humano negauit Petrus Christum, Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Tertia est, timor mundanus, quando aliquis nimis timet rebus suis:

Timoris species sex.

Iste timor fuit in Iudæis quum occiderent Christum. Ioan. 12. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem.* Iste timor multum habet cruciatus. Aug. Diuitiæ plus excruciãt adeptæ, amissionis timore: quàm concupitæ, adeptionis ardore. Quarta species est, timor seruilis. Timor seruilis est, vt ait Aug. quum propter timorem gehennæ continet se homo à peccato. Et iste timor non est cum charitate. Vnde Aug. loquens de hoc timore: Inaniter, inquit, putat victorem se esse peccati, qui timore non peccat : quia si non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Idem : Ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri: séd ideo non facit, quia non potest impune fieri. Nam quantum in ipso est, mallet non esse iustitiam prohibentem atque punientem. Et vtique si mallet non esse iustitiam, quis dubitabit quod, si posset, eam auferret ? Ac per hoc, quomodo iustus est iustitiæ talis inimicus ? vt si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel iudicantem ferat. Inimicus ergo iustitiæ est, qui præ timore non peccat. Amicus autem erit, si eius amore non peccet. Item super illud Psalmographi : *Confige timore carnes meas.* Ps. 118. Dicit gloss. Timor legis seruilis pædagogus in me præcessit, qui ad castrum duxit, sed non crucifixit carnem : quia viuit peccandi voluntas, & sequeretur opus si speraretur impunitas. Et secundum hanc glossam, non solùm vocatur timor seruilis, quando aliquis dimittit peccare timore pœnæ futuræ, sed quando dimittit peccare timore pœnæ temporalis : vt faciebant multi in veteri lege, & vt fit hodie in multis Religionibus, Rom. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, &c.* Timor seruilis est quasi vestis de sacco, cum quâ nullus ingreditur regnum cælorum. Non licebat indutum sacco ingredi aulam Assueri. Esther. 4.

Quinta species est, timor initialis, qui est cum imperfecta charitate. De quo Ioan. 4. Perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Gloss. Timorem illum de quo dicitur: *Initium sapientiæ timor Domini.* Quo timet quisque incipiens opera iustitiæ, ne veniat districtus iudex, & se minus castigatum damnet. Qui habet hunc timorem, timet puniri; & timet à Deo separari quem iam amat: sed timor separationis principalior est. Sexta species est, timor filialis, qui est cum perfecta charitate, qui secundum aliquem vsum suum manebit in patria. De quo in Psalm. *Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi.* Qui habet timorem filialem, cauet offensam patris cælestis, sicut bonus filius, etiamsi sciret ex illa offensa nihil mali sibi accidere. Cum illo timore securitas est, quum assit perfecta charitas 1. Ioan. 4. *In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij: quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.* Gl. Per hoc habemus fiduciam, quia imitamur perfectionem dilectionis eius in hoc mundo, amando scilicet inimicos. Vbi est perfecta charitas, deest remorsio conscientiæ, & timor æternæ pœnæ. 1. Ioan. 4. *Qui timet, non est perfectus in charitate.* Gloss. super illud, Charitas foras mittit timorem. Perfecta charitas perfectam iustitiam facit: nec habet vnde timeat, sed desiderat. Dicuntur sancti maxime timere gehennam, quia maxime cauent ea quæ ad gehennam ducunt. Greg. super Iob: Mens plus illuminata, plus timet. Hieron. Prudenter timetur quidquid accidere potest. Vsus timoris filialis in patria, dicitur esse quædam resilitio à Dei altitudine in propriã paruitatem. Poterit tamen videri alicui quod timor filialis in patria, sit voluntas cauendi Dei offensam, vel quædam fuga spiritualis diuinæ altitudinis, qua scilicet electi refugiunt se æquare Deo, volentes esse ei subiectissimi. Et notandum quod cum timor sit fuga mali, malum verò diuidatur in malum pœnæ & malum culpæ, timor filialis fugit malum culpæ, scilicet Dei offensam: timor verò naturalis, naturaliter fugit malum pœnæ; Fuga verò mali pœnæ voluntaria pertinet ad alias quatuor species timoris: malum pœnæ diuiditur in pœnam sensus, & pœnam damni: & vtraque diuiditur in temporalem pœnam & æternam. Fuga pœnæ sensus temporalis pertinet ad timorem humanum. Fuga verò pœnæ sensus æternæ, ad timorem seruilem. Fuga damni temporalis, ad timorem mundanum. Fuga damni æterni, ad timorem initialem. Item notandum quod timor sic describi potest: Timor est spiritualis fuga rei præpotentis vel excellentis. Et intelligas rem præpotentem, quæ præpotens est secundum suspicionem vel opinionem timentis. Res verò illa, vel est bona, vel est mala. Si bona, fuga illius pertinet ad timorem reuerentiæ. Si verò malum est, aut fuga illius mali est bona aut mala. Si mala est, pertinet ad timorem humanum, vel mundanum. Ad timorem humanum, si illud malum pertinet ad ipsam personam. Ad mundanum verò si malum illius pertineat ad damna rerum. Si verò fuga illa bona est, & est sine charitate, pertinet ad timorem seruilem. Si verò est cum charitate, sed imperfecta, pertinet ad timorem initialem. Si verò est cum charitate perfecta, pertinet ad timorem filialem. Et notandum quod cum aliquod periculum homini imminet, ipse timere debet eum qui habet omnia in sua potestate. Greg. Quicquid est quod exterius sæuit, per hoc ille metuendus est qui hoc interius disponit. Psal. *Timeat Dominum omnis terra.* Psal. 32.
August. Si creaturæ sæuiant; Deum time, non illas, quia omnia sub ipso sunt. Gloss. Cupiditatem nocendi per te habes: potestatem autem nocendi si ille non dat, non habes. Ideo Deus homo stans ante hominem ait: *Non haberes in me potestatem, nisi esset datum tibi desuper.* Nec etiam ipse diabolus vel vnam ouiculã potuit tollere viro

Timo[r] natur[a]lis qui fugiat quid[…] que F[…] delis.

viro sancto Iob, nisi priùs diceret: *Mitte manum tuam.* Iob 2. hoc est, da potestatem. 1. Mach. 2. *A verbis viri peccatoris ne timueritis: quia eius gloria stercus & vermis est, hodie extollitur, & cras non inuenietur.* Esa. 8. *Timorem eius*, scil. populi coniurantis contra me, *Non timeatis, neque paueatis: Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pauor vester, & ipse terror vester.* Item Esa. 51. *Quis tu vt timeas ab homine mortali, & à filio hominis qui quasi fœnum arescet?* Prou. 29. *Qui timet hominem, citò corruet: qui sperat in Domino, subleuabitur.* Item notandum quod Ioann. Damasc. distinguit sex species timoris, vnamquamque describens his verbis: Diuiditur timor in sex species: in segnitiem, erubescentiam, verecundiam, admirationem, stuporem, agoniam. Segnities est timor futuræ operationis. Erubescentia timor est in expectatione conuitij. Verecũdia timor est in turpi facto. Admiratio est timor ex magna imaginatione. Stupor est timor ex inconsueta imaginatione. Agonia est timor per casum: scilicet per infortunium. De erubescentia, dicit Ioan. Damasc. quod est optima passio. Philosophus de iuuene quodam: Erubuit: salua res est. Senec. in epistolis: Verecundia bonum in adolescente signum est. Tullius in libr. de Offic. Sine verecundia nihil rectum esse potest, nihil honestum. Bernard. super Cant. Nescio si quicquam gratius verecundiâ in moribus hominum deprehendi queat. Verecundia omnium est ornatus ætatum: sed in tenera ætate ampliùs pulchriúsque enitescit. Quid amabilius verecundo adolescente? quàm pulchra hæc, & quàm splendida gemma morum in vltu adolescentis, quàm vera & minimè dubia, bonæ nuntia spei, bonæ indolis index est. Quid ita? turpiloquij & omnis deinceps turpitudinis fugitiuum. Soror est continentiæ. Nullum est æque manifestum signum columbinæ simplicitatis. Et ideò testis est innocentiæ. Lampas est pudicæ mentis iugiter lucens: vt nihil in ea turpe vel indecorum residere attentet quod non illicò prodat. Idem: Verecũdia spiritualis gloria est conscientiæ, famæ custos, vitę decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, insigne totius honesti. De erubescentia bona vel mala, require in tractatu de superbia, vbi agitur de ornatu mulierum.

Timoris descriptio secundũ Damascenum.

Capvt IV.

De his quæ possunt incutere Timorem, De attendendis circa extremum iudicium: Et varietate, acerbitate & infinitate pœnarum infernalium.

Dvodecim sunt quæ possunt homini incutere timorem. Primnm est, consideratio lacrymarum Christi. Verisimile est statum illum valdè periculosum esse pro quo Deus fleuit. De lacrymis Christi habetur, Luc. 19. *Videns Iesus ciuitatem, fleuit super illam.* Et Ioan. 14. *Et lacrymatus est Iesus.* Et 5. ad Hebr. *Cum clamore valido & lacrymis preces offerens exauditus est pro sua reuerentia.* Bernard. Compatitur Dei filius, & plorat: homo patitur, & ridebit. Secundum est consideratio passionis Christi. Ex consideratione remedij, periculi mei æstimo quantitatem. Filius enim occidi iubetur, vt vulneribus meis pretioso sãguinis illius balsamo medeatur. Agnosce, homo, quàm grauia sint illa vulnera pro quibus necesse est Christum Dominum vulnerari. Sic medicinæ æstimatio, & timoris & doloris est exaggeratio. Tertium est, consideratio culpabilitatis nostræ. Si enim timet aliquis, quùm scit se reum esse vnius criminis in curia alicuius terreni principis: quantum timere potest, qui tot & tantorum criminum scit se reum esse apud districtissimũ iudicem? Legitur de quodam rege nobilissimo qui fuit in Græcia, qui memor malorum suorum & diuini iudicij, semper tristis erat, etiam cùm solemnitates cum

Timorem homini 12. incutiunt.

principibus suis celebrabat. Qui interrogatus super hoc à quodam fratre suo, voluit ei causam suæ tristitiæ ostendere, & misit buccinatores suos ante portam eius, quod secundum consuetudinem illius regni certissimum erat signum mortis. Et cum frater regis ad regem esset adductus, & non modicum timeret, & valdè tristis esset, requisiuit rex quare non gauderet. Cui cùm frater respondisset, quomodo in statu tali gaudere posset, indicauit ei rex causam tristitiæ suæ. Si enim ille tantum timebat qui sciebat regem esse fratrem suum, & qui in nullo sciebat se esse culpabilem apud eum, quia aliqua signa offensæ regiæ audierat: meritò timere poterat qui in tot & tantis sciebat culpabilem se esse apud Dominum maiestatis. Hieronym. in epistolis. Si tanta cura pertimescitur iudicium pulueris, qui intentione cogitandum est, qua formidine præuidendum tantæ iudicium maiestatis. Quartum est consideratio humanæ infirmitatis & impatientiæ. Adeò enim sunt homines impatientes, quod musca vna, si eos diu infestauerit, facit eos irasci quandóque vsque ad Dei blasphemiam. Et modica pœna temporalis quandóque affligit hominem vsque ad tædium vitæ: vt patet in Elia 3. Reg. 19. qui petiit animæ suæ vt moreretur. Quintum est, misericordia quam Deus exhibet hominibus in præsenti. Secundum enim magnitudinem misericordiæ in præsenti, erit magnitudo iustitiæ in futuro. Sicut enim Deus est summè misericors, ita summè iustus. Et sicut opera misericordiæ ipsius in præsenti reputantur stultitia, comparatione facta ad hominum misericordiam: Sic iustitia eius in futuro furor hominibus apparebit. Naum. 1. *Vlciscens Deus, & habens furorem.* Furor videbitur quando peccatores, pro quorum salute mori voluit, in ignem proiiciet, nec eos de cætero ab igne eruet. Sicut mulier furibunda iudicaretur, si filium suum in ignem proiiceret, & inde extrahi non permitteret. Sexto valere possunt ad timorem incutiendum opera iustitiæ, quæ legitur Deus fecisse in mundo isto: vt est vindicta quam sumpsit de Lucifero, & angelis qui ei adhæserũt, quos propter peccatum superbiæ irremediabiliter damnauit. Luc. 10. *Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem*, 2. Pet. 2. *Si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit, &c.* Gloss. Rudentes sunt funes quibus nautæ vela suspendunt, vt flante aura portus tranquillitatem relinquant, seque ambiguis fluctibus credant: quibus rudentibus conuenienter immundorum spirituum conamina comparantur, qui mox vt flante superbia impulsi se aduersus creatorem erexerunt: ipsis elationis suæ conatibus in abyssi profundum sunt rapti. Aliud opus iustitiæ est, pœna mundo inflicta pro peccato primorum parentum. Pro peccato enim gulæ totus mundus adiudicatus est morti temporali, & aliis miseriis huius exilij. Aliud opus iustitiæ fuit diluuium quo totus mundus pro peccato carnis est submersus, exceptis octo animabus. Genes. 7. Iob 26. *Quum vix paruam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Tonitruum intelligas terribilem aduentum maiestatis eius, vel sententiam dandam in extremo iudicio. Stillam sermonis, intelligas iustitiam præsentem. Septimò, facilitas pereundi & spiritualiter & corporaliter, quæ est in mundo isto, propter quam in vmbra mortis dicimur esse. Esa. 9. *Habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est eis.* Luc. 1. *Visitauit nos oriens ex alto: illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent.* Octauò, Dei omnipotentia, cui nemo potest resistere, & quam nemo potest effugere. Ps. 8
In Psalm. *Quis nouit potestatem iræ tuæ?* Esa. 47. *Vltionem capiam & non resistet mihi homo.* Luc. 12. *Illum timete qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* In Psalm. *Si ascendero in cœ-*

lum, tu illic es: si descendero in infernum, ades, &c. Nonò, Dei sapientia lucide videns omnia, cui nihil prodest abscondi. 1. Reg. 16. *Deus intuetur cor.* Boëtius: Magna nobis, si dissimulare nolumus, indicta est probitatis necessitas: quum agamus coram oculis iudicis cuncta cernentis. Decimò, zelus diuinæ iustitiæ, qui ex hoc apparet quod Deus pater potius voluit vt eius vnigenitus pœnam, quam debebat humanum genus, solueret, quàm ipse eam remitteret. Rom. 8. *Qui proprio filio suo non pepercit.* Bernard. super Cantic. Qui non parcit filio, nunquid parcit figmento? nunquid parcet seruo nequam? Luc. 23. *Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* Vndecimum, extremum iudicium, circa quod multa attendenda sunt quæ valere possunt ad incussionem timoris. Primum est hoc, quod Scriptura sacra in tot locis comminationes facit pertinentes ad hoc iudicium. Deuter. 32. *Si arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis: & his qui oderunt me, retribuam: inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes,* id est, carnaliter viuentes. Iob. 19. *Fugite a facie gladij, quia vltor iniquitatis, gladius est, & scitote esse iudicium.* In Psal. *Quum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Esa. 13. *Vlulate quia prope est dies Domini.* In eodem: *Ecce dies Domini veniet crudelis & indignationis plenus, & iræ furorisque.* Ierem. 46. *Dies ille Domini Dei dies vltionis, vt sumat vindictam de inimicis.* Ezechiel. 1. *Prope est dies occisionis,* Ioëlis 2. *Prope est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis.* In eodem: *Magnus dies Domini & terribilis valdè, & quis sustinebit eum?* Amos 5. *Væ desiderantibus diem Domini.* Sophon. 1. *Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis.* In eodem: *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ.* Malach. 4. *Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula:* In eodem: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Hebr. 10. *Terribilis est expectatio iudicij, & ignis æmulatio quæ consumptura est aduersarios.* In eodem: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Secundum est, solicitudo quam habebant amici Dei antiquitus de hoc iudicio. Iob. 31. *Quid faciam quum surrexerit ad iudicandum Deus? & quum quæsierit, quid respondebo ei?* Eiusdem decimo quarto. *Quis mihi tribuat vt in inferno protegas me, & abscondas me donec pertranseat furor tuus?* Hieronym. Siue comedam, siue bibam, siue aliquid aliud faciam semper insonare videtur auribus meis illa terribilis tuba. *Surgite mortui, venite ad iudicium.* In Psalm. *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Psal. 6. In Vitis Patrum dixit Abbas Amon cuidam fratri interroganti aliquem sermonem. Vade, & fac talem cognitionem tuam, qualem faciunt illi qui sunt in carcere. Isti enim interrogant homines, vbi est iudex, & quando veniet, & in ipsa expectatione pœnarum suarum plorant. Sic & monachus debet animam suam obiurgare, dicens: Væ mihi! si non cogitauero quomodo habeo astare ante tribunal Christi, & actuum meorum reddere rationem. Si sic semper meditatus fueris, poteris saluus esse. Tertiò, attendenda sunt signa terribilia præcedentia iudiciũ. Quinque signa tanguntur, Luc. 21. *Erunt signa in Sole & Luna, & stellis, & in terris pressura Gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum.* Duo prima specificantur Ioël. 2. vbi dicitur: *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* De tribus simul habetur Apoc. 6. *Vide & ecce terræ motus factus est magnus, & sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, & luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ cœli ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos quum à vento magno mouetur.* De eisdem similiter habetur, Matth. 24. *Sol obscurabitur & luna non*

Circa extremum iudicium quæ & quot attendenda.

Psa. 74.

Signa præcedentia diem iudicij quot.

dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo. De quarto signo quod erit pressura in terris, legitur similiter, Matth. 24. *Erit tunc tribulatio qualis nunquam fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet.* Quintum signum est confusio maris: quam confusionem aliqui æstimant fore quòd mare cum fragore magno peribit, secundum illud Apocal. 21. *Et mare iam non est.* Hieron. in Annalib. libris Hebræorum, inuenit quindecim signa, quindecim dierum ante diem iudicij: sed vtrum continui futuri sint dies illi, an interpollati, non expressit. Prima die eriget se mare quadraginta cubitis super altitudinem montium, stans in loco suo quasi murus. Secundò, tantum descendet vt vix videri possit. Tertiò, marinæ belluæ apparentes suprà mare dabunt rugitus vsque ad cœlum. Quartò, ardebit mare & aqua. Quintò, herbæ & arbores dabunt rorem sanguineum. Sexto, ruent ædificia. Septimò, petræ adinuicem collidentur. Octauò, generalis fiet terræ motus. Nonò, æquabitur terra. Decimò, exibunt homines de cauernis & ibunt velut amantes & non poterunt mutuò loqui. Vndecimò, surgent ossa mortuorum, & stabunt supra sepulchra. Duodecimò, cadent stellæ. Tertiodecimò, morientur homines viuentes tunc, vt cum mortuis resurgant. Quartodecimò, ardebit cœlum & terra, scilicet superficies terræ & aëris. Quintodecimo fiet cœlum nouum & terra noua, & resurgent omnes. Et possunt assignari sex causæ quare signa iudicium præcedent. Prima, vt magnum malum futurum nuntient, Gregor. in homil. illius Euang. *Erunt signa in Sole, &c.* Quid terrores quos cernimus, nisi sequentis iræ præcones dixerim? Item in homilia illius Euangelij: Cùm audieritis prælia. Vltima tribulatio multis tribulationibus præuenitur, & per crebra mala quæ præueniunt, indicantur mala perpetua quæ subsequentur. Et subdit Gregor. Multa debent mala præcurrere, vt malum valeant sine fine nuntiare. Secunda causa est quam tangit Gregor. in eadem homil. dicens: Quia in cunctis delinquimus, in cunctis ferimur. Et subdit: Omnia quæ ad vsum vitæ accepimus, ad vsum conuertimus culpæ: sed cuncta quæ ad vsum prauitatis inflexímus, ad vsum nobis conuertuntur vltionis. Tertiam causam tangit Beda, dicens: Appropinquante suo termino, elementa quasi pauida nutant & tremunt. Quarta causa est, vt scilicet creaturæ ostendantur paratæ esse ad vlciscendum creatorem de hostibus suis. Imminente bello solet fieri armorum ostensio, & faciunt principes vt subditi eorum armati conueniant: sic fiet antequàm Deus vindictam sumat de inimicis suis. Sapient. 5. *Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum.* Eiusdem 16. *Creatura tibi factori deseruiens exardescet in tormentum aduersus iniustos.* Quinta causa tangitur super illud Esa. 24. *Erubescet luna, & confundetur sol.* Gloss. Cernens illos qui eius lumine fruebantur, nihil dignum Dei bonitate fecisse. Sexta est, vt sint incitamenta doloris. Chrys. Patrefamilias moriente, domus eius turbatur, familia plangit & nigris se vestimentis induit. Sic humano genere, propter quod facta sunt omnia, circa finem constituto, totus destruitur mundus. Cœli ministeria lugent, & candore deposito tenebris induuntur. Quartò, attendenda sunt insignia passionis Christi: scilicet crux, claui, lancea, quæ ante Iudicem erunt, & in carne eius videbuntur cicatrices, vt videant in quem pupugerunt. Zach. 9. & Apocal. 1. Tunc peccatoribus exprobrabitur magnum beneficium eis exhibitum, scilicet beneficium passionis Christi, & requiret Christus mortem suam ab eis tanquam pretium quod pro eis dedit, cum seipsos ei abstulerint, quos ita care emerat, & ostendetur magna ingratitudo eorum qui semel crucifixum pro eis iterum crucifixerunt. Hebr. 6. *Rursum crucifigentes in semet-*

Iudiciũ extremum quare signa certa præcedent.

ipsis Filium Dei. Vnde multum confundentur insignia passionis Christi videntes. Matth. 24. *Tunc apparebit signum Filij hominis in cœlo.* Chrysost. Non erit tunc necessitas accusationis, cum viderint crucem, & ipsum Christum habentem in corpore suo testimonia passionis. Quinto, attendēda est curiæ illius magnitudo coram quâ reprobi confundentur. Totus enim mundus erit congregatus ibi. Ioël. 2. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis.* Matth. 25. *Sedebit super sedem maiestatis suæ & congregabuntur ante eum omnes gentes,* ad Rom. 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi.* Canon. Iudæ: *Ecce venit Dominus in sanctis millibus facere iudicium, &c.* Sexto, Iudicis summa potestas à qua non licebit appellare: *Non est qui de manu eius possit eruere.* Iob 10. Septimo, Iudicis perspicacitas, qui in eis quæ modo videntur esse iu-
Psal. 47 stitiæ, iniustitiam agnoscet. In Psalm. *Cùm accepero tempus ego iustitias iudicabo.* Isid. Ad districti examen Iudicis, nec iustitia iusti secura est, nisi pietate diuina, vt & ipsa iustitia qua quisque iustus est, Deo iustifica, nec iustificetur. Iudex ille non solum magna, sed etiam parua quæ nunc vilipenduntur in iudicium adducet. Eccles. 12. *Cuncta quæ sunt adducet Deus in iudicium.* Et super illud Iob 31. *Nonne ipse considerat vias meas, &c.* dicit gloss. Sic Deus vniuscuiusque vias considerat: sic gressus dinumerat, vt nec minutissimæ cogitationes eius iudicio, nec verba tenuissima, quæ apud nos vsu viluerunt, indiscussa remaneant. De cogitationibus dicitur Sapient. 6. *Item cogitationes vestras scrutabitur.* De verbis Matth. 12. *De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.* Etiam de tempore quod hodie multum vilipenditur, ratio exigetur. Bern. Omne tempus tibi impensum, requiretur qualiter fuerit à te expensum. Item: Sicut capillus non perit de capite: ita nec momentum peribit de tempore. Iudex scrutabitur Ierusalem in lucernis. Soph. 1. Nec solum exiget ratione͂ de peccatis propriis, sed quodãmodo de alienis. Gen. 4. *Vbi est Abel frater tuus?* Ezech. 3. & 33. *Sanguinem eius de manu tua requiram.* Iudex rationem exiget etiã de bonis quæ ipse homini commisit, siue sint bona naturæ, siue fortunæ, siue gratiæ, & de malis quæ ei dimisit. Ite͂ exiget ratione͂ de malis operibus quæ homo commisit, & de bonis operibus quæ omisit. Octauò, Iudicis inflexibilitas: quia si beata Virgo & omnes Angeli & Sancti & Sanctæ rogarent in iudicio pro aliquo qui tunc esset in mortali peccato, Iudex non exaudiret eos. Prou. 6. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, non acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plura.* Chrys. Tunc nec diuitiæ diuitibus prosunt, nec parẽtes parentibus intercedunt, nec angeli (sicut solebãt) pro hominibus faciunt verbũ, quia natura iudicij non recipit misericordiam. Prou. 11. *Non proderunt diuitiæ in die vltionis.* Nonò, magnus zelus Iudicis. De quo zelo in multis locis loquitur Scriptura sacra. Dan. 7. *Thronus eius flãmæ ignis.* Mal. 3. *Quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis constans.* Sap. 5. *Accipiet armaturam zelus eius.* Es. 30. *Ardens furor eius, & grauis ad portandum.* Eiusd. 66. *Ecce Dominus in igne veniet.* Apoc. 6. *Dicent montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni:* secundum Augustinum mallent reprobi omne tormentum sustinere, quàm faciem Iudicis irati videre. Decimò, causæ magnitudo: magnum enim est de quo erit illud iudicium. Ille enim qui obtinebit in illo iudicio, adiudicabitur regnum æternum. Ille vero qui cadet à causa illa, adiudicabitur morti æternæ. Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Vndecimo; terribilitas sententiæ, quæ tonitruum dicitur, Iob 26. *Quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Greg. in Moral.

Quis eius iram toleret, cuius & ipsa non potuit mansuetudo tolerari? August. super Ioan. Qui ceciderunt ad vnam vocem Christi morituri. Ioann. 18. *Quid facient sub voce iudicaturi?* Esaiæ 30. *Labia eius impleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans.* Oseæ 11. *Quasi leo rugiet.* Amos 4. *Leo rugiet, quis non timebit?* Zach. 9. *Exibit vt fulgur gladius eius.* Apoc. 1. & 19. *De ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat*: Gladius acutus ex vtraque parte est sententia quâ anima cum corpore damnatur. Duodecimo, sententiæ irreuocabilitas. Euolat enim emissum irreuocabile verbum iudicis. Tertiodecimo, multitudo ministrorum ad executionem sententiæ paratissimorum. Matth. 13. *In consummatione seculi, mittet Filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis.* In eodem: *Sic erit in consummatione seculi: exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis.* Quartodecimò, angustia reproborum. Greg. O quàm angustæ erunt vndique reprobis viæ. Superius erit iudex iratus, subtus horrendum chaos inferni, à dextris peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia ad supplicium trahentia, intus conscientia vrens, foris mundus ardens, miser peccator sic deprehensus quò effugiet? Latere erit impossibile, apparere intolerabile. Si quæris, quis te accusat? Dico, totus mundus: non offenso creatore totus mundus perditum habet odio. Mundus persequetur eum flamma & igne. In Psal. *Sicut ignis qui comburit syluam, & sicut flamma comburens montes: ita persequeris eos in tempestate tua.* Item: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Angustia reproborum ostenditur, Esa. 2. *Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini.* In eodem: *Introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini.* Apocal. 9. *In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Quintodecimò, impotentia reproborum qui non poterunt resistere: sicut nec palea resistere potest igni, vel aliquis ligatus his qui eum ligauerunt. Matthæi 3. *Paleas comburet igni inextinguibili.* Eiusdem 13. *In tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Chrys. Nec resistendi virtus, nec fugiendi facultas, nec pœnitentiæ locus, nec satisfactionis tempus. Ex angustia omnium rerum nihil remanet nisi luctus. Matth. 24. *Tunc plangent omnes tribus terræ.* Sextodecimò, defectus auxilij, quia non audebit nec angelus nec aliquis sanctus pro aliquo damnato rogare. Christus qui tantum homines dilexit quod dedit semetipsum pro eis, ridebit de damnatione eorum. Prou. 1. *Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Sancti etiam, qui pro salute hominum morti se exposuerunt, lætabuntur; quia videbunt Dei contumeliam vindicari. In Psal. *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam.* Nec compatientur sancti miseriæ reproborum. Vnde Gloss. super illud Luc. 16. *Inter nos & vos magnum chaos firmatum est, &c.* Iustorum animæ etsi in naturæ suæ bonitate misericordiam habent, iam tunc auctoris sui iustitiæ coniunctæ tanta rectitudine constringuntur, vt nulla ad reprobos compassione moueantur. Decimoseptimò, denudatio peccatorum. Ecclesiast. 11. *In fine hominis denudatio operum illius.* Esa. 47. *Reuelabitur ignominia tua, videbitur opprobrium tuum.* Ierem. 20. *Confundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum quod nunquam delebitur.* Naum. 3. *Reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.* Matth. 10. *Nihil opertum quod non reueletur, &c.* 1. Corinth. 4. *Veniet Deus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cor-*

Psa. 82
Psa. 99
Psa. 57

dium. Decimooctauo, aduersarij erunt multi, & fortes aduersabuntur peccatoribus, & angeli, & homines. Iob 20. *Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum.* Loquitur de impio. Aduersabuntur eis non solum dæmones, sed etiam ipsi sancti. Sapient. 5. *Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt & qui abstulerunt labores eorum.* Maximi aduersarij erunt peccata quæ damnandos tradent. Sap. 4. *Venient in cogitatione peccatorum timidi, & traducent eos ex aduerso iniquitates eorum.* Decimononò, certitudo reatus. Ad certitudinem istam faciet hoc, quod ipse iudex erit testis. Ipso enim vidente peccata sunt commissa. Hieronym. 29. *Ego sum iudex & testis*, dicit Dominus, Malach. 3. *Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis & adulteris & periuris.* Item ad certitudinem faciet quod ipsi peccatores habebunt literas propria manu scriptas in conscientiis suis quæ testificabuntur contra eos. Daniel. 7. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Libri, inquam, conscientiarum. Apocalyps. 20. *Iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera eorum.* Vigesimò, virtutum cœlestium commotio. Matth. 24. *Virtutes cœlorum mouebuntur.* Chrysost. Si rex terrenus processurus contra aliquem, expeditionem mandat in populo, dignitates omnes mouentur, exercitus exercitatur, tota ciuitas feruet: quantò magis rege cœlesti exigente iudicare viuos & mortuos, angelicæ virtutes commouentur, terribiles ministri terribiliorem Dominum præcedentes? Iob. 26. *Columnæ cœli contremiscunt, & pauent ad nutum eius.* Interl. Non timore pœnali, sed admiratione. Hieron. Quid faciet virgula deserti, vbi concutitur cedrus paradisi? Ad hoc iudicium valde districtum perueniendum est in præsenti, vt rationem reddamus coram vicariis Christi. In Psal. *Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore.* Hæc computatio frequenter facienda esset, & strictè frequenter propter labilitatem memoriæ. Bernard. Computatio dilata, multa faciet obliuisci. Stricte, ne minima prætereantur. Matth. 10. *Omnes capilli capitis vestri numerati sunt.* Ex hoc quod non cogitatur hoc iudicium multa mala proueniunt. In Psal. *Inquinatæ sunt viæ illius omni tempore.* Et subditur causa: *Auferuntur iudicia tua à facie eius.* Prou. 28. Psal. 9. *Viri iniqui non cogitant iudicium: qui autem requirunt Dominum, animaduertunt omnia.* Eccles. 18. *Ante iudicium interroga teipsum.* Cogitandum esset illud iudicium cùm aliquid graue pro Deo toleratur. Gregorius in homil. Illum diem, fratres charissimi, illum ante oculos ponite, & quicquid modò graue cernitur, in eius compassione vigetur.

De pœnis Inferni.

Pœna inferni multiplex.

DVodecimum, valere potest ad incutiendum timorem consideratio pœnarum futurarum. Circa quas multa attendenda sunt. Primum est acerbitas earum. Grauissima enim pœna quæ in hoc mundo toleratur, minor est etiam pœnâ purgatorij. August. Miro modo, licet æternus non sit, grauis est ignis ille: exuperat enim omnem pœnam quam aliquis in hoc mundo perpessus est. Secundum est, pœnarum diuersitas, & inueniuntur in sacra Scriptura nomen pœnæ. Prima est, ignis: Secunda, vermis, de quibus, Esa. vlt. *Vermis eorum non morietur & ignis eorum non extinguetur.* Iudith. 16. *Dabit eis ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur & sentiant vsque in sempiternum.* Iob 20. *Deuorauit eum ignis qui non succenditur.* Non est necesse quod ignis ille succendatur, cum nunquam extinguatur. Eccles. 7. *Vindicta carnis impij, ignis & vermis* Eiusd. 21. *Stupa collecta synagoga peccantium, & consummatio eorum flamma ignis.* Apocal. 20. *Qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est*

in stagnum ignis. Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Luc. 16. *Crucior in hac flamma*, ait diues epulo. Tertia est, fœtor quasi sulphuris. In Psal. *Ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Esa.30. *Flatus Domini quasi torrens sulphuris succendens eam.* Apoc. 21. *Pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure.* Quarta erit frigus, Matth. 13. *Ibi erit fletus & stridor dentium.* Stridor dentium solet sequi frigus. Iob. 24. *Ad nimium calorem transient ab aquis nimium.* Quinta erit fames. Esa. 65. *Serui mei comedent, & vos esurietis*: erit ibi tanta inopia, quod nec vnam guttam aquæ habere poterunt, vt patet in diuite epulone in inferno sepulto. Luc. 16. & Iob 27. *Apprehendet eum, quasi aqua, inopia*, vbi dicit gloss. Diues in inferno, cogente inopia, vsque ad minima petenda perductus est, qui sua tenacitate vsque ad minima neganda pauperibus restrictus est. Item Greg. Guttam petiit qui micam negauit. Ibi erit tantus defectus boni, vt mors quæ in mundo isto præ cæteris timetur, ab hominibus desideretur. Apoc. 9. *Desiderabunt homines mortem, & mors fugiet ab eis.* Ibi habebit locum illud Eccl. 41. *O mors! quam bonum est iudicium.* Vtilius esset homini si tunc se interficere posset, quàm si posset interficere diabolum: quia diabolo interfecto non cessaret cruciatus eorum. Ibi erunt septem anni magnæ penuriæ obliuisci facientes abundantiam præsentis vitæ. Gen. 41. Maxima penuria quæ erit ibi, erit priuatio diuinæ visionis. Greg. in Moralib. Fames interficit, quia suam faciem illis Redemptor abscondit. Sexta pœna erit tortorum. De qua Matt. 18. *Tradidit eum tortoribus, donec redderet omne debitum.* Septima erit horror tam loci, quàm dæmonum. Iob. 10. *Ibi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Eiusd. 20. *Vadent, & venient super eum horribiles.* Si tantum horrorem habet homo quando videt in præsenti vnum dæmonem, quantus horror erit vbi tot horribiles apparebunt & magis horribiles, vt videtur, quàm appareant in præsenti? Si vnus de ministris carceris infernalis tantum habet horrorem, quid habebit horroris ipse carcer? Octaua pœna & nona, erunt tenebræ & vincula. De quibus Matth. 22. *Ligatis manibus eius, proiicite eum in tenebras exteriores*, secundum Greg. in Moral. ignis infernalis concremationem habet, sed lumen non habet: & non solum erit ibi pœnarum varietas, sed earum contrarietas. Greg. Horrendo modo tunc erit miseris dolor cum formidine, flamma cum obscuritate, & in eorum interitu ipsa à suis qualitatibus tormenta discordant, quia à conditoris voluntate dum viuerent discrepabant. Fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia mors semper viuit, & finis semper incipit, & defectus deficere nescit. Mors perimit & extinguit, dolor cruciat & pauorem non fugat, flamma comburit, sed tenebras non discutit: quia enim cum diabolo contra suum creatorem concordarunt, creaturæ contrariæ conuenient ad eorum pœnas. Item Greg. Sempiternus horror inhabitat: quia eius ignibus traditi, in supliciis dolorem sentiunt; & in doloris angustia pulsati, semper pauore feriuntur, vt & quod timent tolerent; & rursum, quod tolerant sine cessatione pertimescant. Tertium, attendendum circa pœnas est earum diuturnitas. Matth. 15. *Ite maledicti in ignem æternam.* Diuturnitas pœnæ multùm affliget reprobos. Satis facile est iacere in vno lecto suaui & mundo; & tamen si alicui posito in tali lecto diceretur: Iace, & quiesce, quia oportebit te ibi iacere xx. annis: ipse responderet: Potius vellem esse mortuus. Quid ergo erit de illo qui erit in igne ardenti, & sciet se mansurum ibi non tantum per xx. annos vel centum, vel mille, sed per infinita secula seculorum; In hac meditatione dicitur fuisse conuersus Falco, qui postea fuit Episcopus Tholosanus. Esaiæ 33. *Quis poterit habitare cum*

ardoribus sempiternis? Iob 20. *Luet qui fecit omnia, nec tamen consumetur.* Gloss. Vt sine fine crucietur, viuere sine fine cõpellitur. Interl. Cuius vita mortua fuit in culpa, eius mors viuet in pœna. Augustin. 19. lib. de Ciuit. Dei: Ibi dolor permanet vt affligat, & natura perdurat vt sentiat, quia vtrumque non deficit, nec pœna deficiet. Quartum est, pœnæ vniuersalitas. Vniuersæ enim partes hominis post diem iudicij erũt in igne. Cum aliquis non posset sustinere ignem in minima parte digiti per vnam horam, quantus erit dolor quando totus homo erit in igne æternaliter? August. 13. lib. de Ciuitate Dei: Nunquam erit homini peius in morte, quàm vbi erit mors sine morte. Hier. Tanta in inferno erit vis doloris quod mẽs ad aliud dirigi non poterit, nisi ad id quod vis doloris impellit. Signum huius doloris est, quod Dominus toties in Euangelio dicit: *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Matt. 13. & 22. & 15. Si singulis diebus in quibus erunt damnati in inferno, flerent vnicam lacrymam materialem, plus exiret aquæ processu temporis ab vno damnato, quàm omnia vasa huius mundi caperent. Quod patet ex hoc quod omnia vasa huius mundi finita sunt & numero & magnitudine: infinitis verò diebus erunt reprobi in inferno. Quintum est, consolationis defectus. Bern. Quid erit cum se viderit illa miseranda conditio omni consolatione nudatam in illas tenebras exteriores excuti, & ab illa beatorum Ecclesia perpetua excommunicatione excludi? Sextum est, pœnarum infernalium inutilitas. Præsens pœna est breuis, & leuis, & fructuosa: sed futura est longa, & grauis, & infructuosa: quia si aliquis fleret in inferno tantum lacrymarum quantum est aquæ in toto mũdo, non sufficeret ad ablutionem peccati vnius mortalis. Plus virtutis haberet hîc lacryma, quam omnes illæ. August. de fide ad Petrum: In inferno etsi erit stimulus pœnitudinis, nulla erit ibi correctio voluntatis, à quibus ita culpatur iniquitas sua, vt nullatenus possit ab eis vel diligi vel desirari iustitia.

Præter prædicta notandum, quod malis dolor veniet ex diuersis causis. Primo, ex bonorum temporalium amissione. In Psal. *Quum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Secundo, ex hoc quod tempus merendi transiit. Ierem. 8. *Transit æstas, finita est messis, & nos saluati non sumus.* Tertio, ex amissione æternæ gloriæ. In Psal. *Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui*: i. e. dum sancti vultum vel faciem tuam videbunt. Chrysost. Omnes gehennæ superat cruciatus, carere bonis quibus in potestate habueris perfrui. Quarto, ex praua societate. Socios enim habebũt dæmones horribiles, & homines igne infernali exustos. Esa. 13. *Vnusquisque ad proximum suũ stupebit, facies combustæ vultus eorum.* Naum 2. *Facies omnes sicut nigredo ollæ.* Ioel. 2. *Omnes vultus eius redigẽtur in ollam.* Quinto, ex loci qualitate qui erit tenebrosus & fumosus, quod valde graue erit diuitibus qui in præsenti domos volebant habere sine fumo. Esa. 65. *Isti fumi erunt in furore meo.*

[Margin: Dolor damnatorum ex diuersis causis. — Psa. 11. Psa. 20.]

Capvt IV.

De Dono Pietatis.

DOnum Pietatis ascendendo est post donum Timoris. August. in quodam sermon. de Timore: Esaias sapientiæ adiunxit intellectum, tanquam quærentibus, vnde ad sapientiam veniretur? Responderet, Ad intellectum. Vnde ad intellectum? A consilio. Vnde ad consilium? A fortitudine. Vnde ad fortitudinem? A scientia. Vnde ad scientiam? A pietate. Vnde ad pietatem? A timore. Greg. super illud Iob 1. *Ibãt filij eius, &c.* videtur velle quod pietas prout est vnũ de septẽ donis, pro misericordia sumatur. Dicit enim, Pietas opera misericordiæ docet. Et paulò post dicitur

in eadem Gloss. Pietas sine scientiæ discretione quomodo misereatur, ignorat. Gloss. verò super quintum Matthæi, videtur velle quod pietas sumatur pro cultu Dei, seu pro veneratione rerum sacrarum. Dicit enim: secunda est pietas quæ conuenit mitibus, qui enim piè quærit, honorat sancta. Et idem videtur Augustinus cum Gregorio sensisse: quia secundum Augustinum: Pietas hominem iugo Dei, subiicit, tanquam animal mansuetum. Sicut timor iugum diaboli abiicit: sic pietas Deum coli vel honorari facit. Et adaptatur donum timoris humilitati seu paupertati spiritus, quæ laqueos diaboli euadit: pietas verò mansuetudini, vnde dicit Augustinus: In timore cor contritum & humiliatũ sacrificatur Deo. Vnde ascenditur ad pietatem vt non resistatur voluntati eius, vt dicatur: Non quod ego volo, sed quod tu. In timore Dei, Beati pauperes spiritu. In pietate vero, Beati mansueti. Et secundum veritatem misericordia & veneratio sanctorum concommitãtur se. Misericors enim Deum veneratur in paupere: immisericors verò Deum in paupere despicit Prouerb. 14. *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori suo: honorat autem eum, qui miseretur pauperis.* Honorantur etiam angeli in pauperibus, quum pauperes honorantur propter angelos eis ad custodiam deputatos, & contemnuntur angeli in contemptu pauperum, Matth. 18. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: Dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.*

Differentia à misericordia. Et notandum, quod aliquibus videtur pietas, prout est donum, differre à misericordia in hoc, quod pietas respicit spiritualem necessitatem, misericordia verò respicit corporalem necessitatem. Occasiones verò sic distinguendæ sunt, ex eo quod dicit Gloss. super illud 1. ad Tim. 4. *Pietas ad omnia vtilis.* Omnis summa disciplinæ Christianæ consistit in pietate & misericordia. Connumerantur enim ibi misericordia & pietas tanquam diuersa. Aliquibus etiam videtur quod pietas releuando miseriam proximi procedat ex principiis fidei, misericordia verò procedat ex principiis iuris naturalis. Misericordia dat pauperi eleemosynam, quia frater noster est, naturalis eiusdem speciei nobiscum: pietas verò dat eleemosynam; quia filius Dei est, vel membrum corporis Christi: vel quia Christus reputat sibi fieri, quod fit pauperibus. De misericordia & veneratione sacrarum rerum & creatoris & creaturarum, habitum est in tractatu de Iustitia: ideo de dono pietatis breuiter hîc pertransimus.

PARS V.

De Dono Scientiæ.

SCientia, prout donum est, sic videtur posse describi: Scientia est humanarum rerum cognitio, saluberrimæ fidei deseruiens. Et sumitur hæc descriptio ex verbis Augustini 14. libro de Trinit. Philosophi, inquit, disputantes de sapientia, deffinierunt eam, dicentes: Sapientia est rerum humanarum diuinarúmque scientia. Ego quoque vtrarumque cognitionem, id est, diuinarum & humanarum, & sapientiam & scientiam dici posse non nego: verùm iuxta distinctionem Apostoli 1. ad Corint. 12. *Alij datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ.* Illa diffinitio diuidenda est, vt rerum diuinarum cognitio propriè sapientia nuncupetur: humanarum verò cognitio propriè scientiæ nomen obtineat. Nunc quicquid sciri ab homine potest in rebus humanis, vbi plurimùm superuacuæ vanitatis, & noxiæ curiositatis est, huic scientiæ tribuo: sed illud tantum quo fides saluberrima quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, roboratur, defenditur. Potest etiam sic describi: Scientia est lumen ho-

minem dirigens in actione vel vsum temporalium. August. super 1. ad Corinth. 12. Sapientia est in contemplatione æternorum, scientia est in actione temporalium. Item August. Distat ab æternorum contemplatione actio qua benè vtimur temporalibus rebus : & illa sapientiæ, hæc scientiæ deputatur. Item August. in lib. de Trin. Hæc est, inquit, sapientiæ & scientiæ recta distinctio, vt ad sapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis : ad scientiam verò temporalium rerum cognitio rationalis. Aliquibus tamen videtur quod scientia, prout donum est, dicatur cognitio boni & mali. Vnde secundum eos ad donum scientiæ pertinet discernere quæ sint vera bona & vera mala, & quæ sint vmbræ verorum bonorum & malorum. Item ad donum scientiæ pertinet discernere inter maiora bona & minora, & maiora mala & minora. August. in serm. de Timore & Pietate: Merebuntur scientiæ gradum, vt nouerint mala de quibus fleuerunt, scilicet mala culpæ : & in quo malo sint huius peregrinationis & mortalitatis, etiam quum felicitas secularis arridet. Item Augustin. in lib. de doctr. Christianâ, loquens de hac scientia, dicit quod facit hominem interius lamentantem, non exterius se iactantem. Eccles. 1. *Qui addit scientiam, addit & laborem.* Et super illud : *Beati qui lugent.* Matth. 5. dicit Gloss. Pij scientiæ spiritu illustrantur, vt sciant quibus malis inuoluantur.

Mala quæ ad donum sciētiæ perti- nent du plicia.

Et notandum quod mala in quibus sumus in hoc exilio, quæ ad donum scientiæ pertinent, quædam sunt ex parte animæ, quædam ex parte corporis, quædam ex parte proximorum, quædam ex parte domonum, quædam ex parte rerum corporalium subiectarum. Ex parte animæ sumus quantum ad vim rationabilem in Ægypto tenebrarum vbi multis plagis percussa est. Quantum verò ad vim concupiscibilem, sumus quasi in Mari rubro, vbi varij fluctus concupiscentiarum sibi inuicem succedunt, vbi etiam fœtor & salsedo carnalis voluptatis est. Voluptas carnalis est velut aqua salsa, sitim prouocans, non sedans. Ioan. 3. *Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum.* Quantum verò ad vim irascibilem, sumus in deserto vbi serpentes igniti sunt, scilicet mortis iræ. In deserto isto aquæ dulces non inueniuntur. Et sicut filij Israël Ægyptum reliquerunt, & Mare rubrum, & desertum transierunt antequam ad terram promissionis peruenirent : sic tenebras ignorātiæ oportet relinquere, & carnales voluptates cōtemnere, & ferocitatem deponere antequam ad tranquilitatem conscientiæ pertingamus. Ex parte verò corporis in multis malis sumus. Corpus enim est velut grauis sarcina ipsi spiritui. Sap. 10. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.* Item est velut domus ruinosa & perstillans. Prou. 19. *Tecta iugiter perstillantia, litigiosa mulier*, caro scilicet. Eiusd. 27. *Tecta pertillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur.* Item est vt seruus maleuolus. Eccles. 33. *Seruo maleuolo tortura & compedes.* Et est equus indomitus. Eccles. 30. *Equus indomitus euadet durus.* Et est vt falsus amicus. Eccles. 6. *Est amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.* In eodem : *Est amicus qui conuertitur ad inimicitiam.* Item : *Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.* Item corpus est malus consiliarius. Ecclesiast. 37. *A consiliario malo serua animam tuam.* Et est hostis domesticus. Sapiens: *Nulla pestis efficaciter est ad nocendum, quàm familiaris inimicus.* Ex parte etiam proximorum sumus in multis malis. Ipsi enim impellunt nos ad mortem. Senec. in epist. Inuitum alter alterum tradimus, quomodo autem reuocari ad salutem possunt quos nemo retinet, populus impellit. Interrogatus quidam philosophus, quid esset inimicissimum homini? Respondit? alter homo, periculosius est homini venire inter homines, quàm inter lupos. Lupus solo

ore nocet, homo verò non solo ore, nec etiam minus ore, quàm lupus nocet. Lupus nocet corpori: homo verò nocet animæ. Multi homines sunt velut serpentes igniuomi, ignem infernalem spirantes. Iacob 3. *Lingua nostra ignis est, vniuersitas iniquitatis.* Et paulò post dicitur, quod inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna: id est, inflammat vitam nostram instabilem à suggestione diaboli inflammata. Quum aliquis venit inter homines, periculosum est ei & audire & audiri, Bernardus: Detrahere, vel detrahentem audire, quod horum damnabilius, non facile dixerim. Item periculosum est & videre & videri: oculi enim hominum, quasi vim fascinandi haberent, bona multorum, quoad valorem sæpe adnihilant. Ipsi etiam ad modum basilisci, solo visu multos interficiunt: illos scilicet qui sunt cupidi vanæ gloriæ & vanæ laudis. De malis in quibus sumus respectu dæmonum, require in tractatu de Patientia, cap. de Sufferentia tentationum. Ibi enim dictum est de deceptionibus & impugnationibus dæmonum. Ex parte rerum inferiorum in multis malis sumus. Laquei enim sunt nobis res illæ. Vnde verè possumus dicere quod laqueos comedimus, bibimus, & vestimus. Cibo enim & potu & vestibus multis multi à diabolo capiuntur. Sapient. 14. *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animæ hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.*

Item ad donum scientiæ pertinet cognoscere infirmitatem peccati originalis. Cui infirmitati attestatur corruptio palati interioris, quæ facit vt mala homini sapiant & bona desipiant. Sicut enim mala dispositio palati, corporis indicat infirmitatem corporalem: sic mala dispositio palati interioris, infirmitatem spiritualem. Infirmitas originalis velut lepra est, propter quam aliquis deiicitur extra castra electorum, quasi indignus eorum consortio. Vnde qui decedunt non baptizati, non admittuntur in ignem purgatorij. Itẽ ad donum scientiæ pertinet agnoscere varias infirmitates spirituales similes infirmitatibus corporalibus quæ in hominibus iñeniuntur. In aliquibus febris spiritualis est, vt in illis qui ardore luxuriæ vexantur. Quæ febris figurata est, Ioan. 4. in febre filij reguli, qui infirmabatur Capharnaum: in villa scilicet pingnedinis. Aliqui paralysi laborant spirituali, quorum sanatio figurata est in curatione paralytici. Matth. 9. Aliqui melancholia laborant, qui semper lugubres sunt, habentes seculi tristitiam quæ mortẽ operatur. 2. ad Cor. 7. Aliqui sunt velut phrenetici, gaudentes quando esset flendũ. Aliqui spirituali hydropisi laborant, in quibus sitis cupiditatis sedari non potest: quorum figuram tenet hydropicus, quem Dominus sanauit. Luc. 14. Aliqui adeò incuruati sunt ad bona temporalia, quod cor suum ad cœlestia erigere non possunt. Quorum infirmitas figurata est in infirmitate mulieris quæ erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere, quam Dominus sanauit. Luc. 13. Aliqui ad modum insanorum se reges aut principes esse credunt, & mirabiliter gaudent, quia habent insignia dignitatis vel honoris: quum secundum veritatem contemptibiles sunt, & indigni etiã cibo quo vescuntur. Aliqui ad modum maniacorũ trepidant vbi trepidandum non esset. Iob 15. *Sonitus terroris in auribus eius: & cum sit pax, ille semper insidias suspicatur.*

Item ad donum scientiæ pertinet discernere inter vitam veram & non veram, & inter veram mortem & non veram. Vera mors est mors gehennæ: & causa eius, scilicet peccatum. Aug. Vera mors est quam homines non timent, separatio animæ à Deo. Vera vita est coniunctio animę cum Deo, vel per gratiam, vel per gloriam Itẽ ad donũ scientiæ pertinet agnoscere breuitatem præsentis vitæ. Iac. 4. *Quid est vita nostra? Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Iob 7. *Memento, quia ventus est vita mea.* Item ad sciẽtiam

pertinet agnoſcere amaritudinem præſentis vitæ. Iob. 14. *Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miſeriis.* Eccleſ. 30. *Melior eſt mors, quàm vita amara.* Item pericula huius vitæ. Iob. 7. *Militia eſt, vita hominis ſuper terram.* Alia litera habet, tentatio. Scientiæ etiam attribuitur abſtinere à malis, & liberali à malis. Iob. 16. ſecundum aliam literam, Abſtinere à malis eſt ſcientia. Prou. 11. *Iuſti autem liberabuntur ſcientiâ.* Item ad donum ſcientiæ pertinet diſcretio maiorum bonorum & minorum; diſcretio multis deeſt, qui habentes zelum Dei non ſecundum ſcientiam, minima bona magno amore amplectuntur, maxima negligentes. Donum ſcientiæ oſtendit ſpiritualem compaſſionem præferendam eſſe corporali, & prius occurrendum moleſtiis & damnis ſpiritualibus, quàm corporalibus; prius paſcendas eſſe animas & veſtiendas, quàm corpora: & prius ædificandum templum Dei viuum lapidibus viuis, quàm templũ forinſecum de lapidibus non viuis; & amplius ſtudendum eſſe decori templi ſpiritualis quàm materialis. Minima autem bona non eſſe negligenda. Matth. 23. *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Item ad donum ſcientiæ pertinet agnoſcere deceptiones quas bona præſentia faciunt amatoribus ſuis. Credunt enim veram ſuauitatem eſſe in eis, cum econtrariò eos pungant. Vnde Dominus vocat eas ſpinas. Matth. 23. Item credunt veram abundantiam ſeu ſufficientiam eſſe ex eis, cum econtrario eos potius exinaniant. Luc. 1. *Diuites dimiſit inanes.* Item credunt honorem & gloriam ex eis habere, cum econtrario eos in ſeruitutem vilem
Pſa. 72. redigant. Vnde in Pſalm. vocantur viri diuitiarum, qui nihil inuenerunt in manibus ſuis. Vnde ſequitur, *Imagines eorum ad nihilum rediges.* De diſtinctione ſcientiæ à fide, prudentia, conſilio, & intellectu require in tractatu, de Fide, c. de commẽdatione fidei. Item in tractatu de prudentia, vbi agitur de ſpeciebus prudentiæ.

Pars VI.

De dono Fortitudinis.

POſt donum ſcientiæ tangendum eſt de dono fortitudinis, vnde Auguſtin. poſtquam locutus eſt de ſcientia quæ facit homines lugentes, ſubdit: Inde aſſurgunt ad fortitudinem, vt mundus èis crucifigatur & ipſi mundo. Gal. 6. & toleretur fames ſitiſque iuſtitiæ. Poſtquam aliquis abiicit iugum diaboli per timorẽ humiliantem, & manſuete portat ſuaue iugum Chriſti per pietatem; & agnoſcens mala huius exilij, luctum gaudio prælegit, ipſe eſt crucifixus ſiue mortuus mundo, & mundus mortuus ei. Ipſe nec bona mundi concupiſcit, nec mala pertimeſcit. Iuſtitiæ viuere vult, eam eſurit & ſitit & ad eam fortis eſt. De fortitudine dicit gloſſ. Greg. ſuper illud Iob 1. *Faciebant conuiuia per domos, &c.* Fortitudo in die ſuo paſcit, dum confidentiam contra aduerſa trepidanti dat. Idem in ead. Gloſſ. Vile eſt conſilium ſine fortitudine, quia quod tractando inuenit, ſine viribus ad actum non perducit. Item ſuper illud Iob 1. *Conſurgenſque diluculo offerebat, &c.* dicit gloſſ. Offert per ſingulos, dum pro vnaquaque virtute Deo preces immolat, ne ſapientia eleuet, ne intellectus erret, ne conſilium dum ſe multiplicat confundat, ne fortitudo per fiduciam præcipitet, ne ſcientia inflet, ne pietas extra rectum vertat, ne timor plus iuſto trepidans deſperet. Dicunt aliqui fortitudinem prout donum eſt, in hoc differre à fortitudine cardinali virtute, quod fortitudo virtus cardinalis eſt circa arduum naturæ ſimpliciter. Fortitudo verò donum eſt circa arduum naturæ etiam adiutæ à gratia: vt eſt, relinquere omnia, & ſimilia, quæ propter ſui difficultatem vel arduitatem non ſunt in præcepto. De fortitudine, require in tractatu de virtutibus cardinalibus.

PARS VII.
De Donis Consilij.

POst donum fortitudinis, dicendum est de dono consilij. Vnde August. postquàm locutus est de fortitudine, subdit: Veruntamen si qua delicta minutatim furtimque subrepunt, deesse consilium non debet: Neque enim tantum potest fortitudinis gradus, vt qui cum astutissimo aduersario continua certatione confligit, non aliquando feriatur, maxime per tentationes linguæ. Quod est ergo consilium, nisi: *Dimittite, & dimittetur vobis?* Luc. 6. Et ideo quinta beatitudo est: *Beati misericordes.* Idem in lib. de fide ad Petrum. Firmissimè tene, etiam iustos & sanctos homines, exceptis illis qui paruuli baptizati sunt, sine peccato hic neminem viuere posse: semperque omni homini esse necessarium, & peccata sua vsque in finem vitæ præsentis eleemosynis diluere, & remissionem à Deo humiliter, & veraciter postulare. De dono consilij dicit Greg. super 1. Iob. Consilium in die suo pascit, dum ratione animum implet, prohibens esse præcipitem. Idem in eadem gloss. Fortitudo quæ plus potest sine moderamine rationis, præceps ruit: vt patet in eo qui vouet quod post præ difficultate non implet. Prou. 20. *Ruina est homini deuotare sanctos: & post, vota retractare.*

Cõsilij nomen dupliciter sumitur. Et notandum, quod nomen consilij quandoque large, quandoque strictè sumitur. Prout large sumitur consilium, est examinata seu excogitata ratio alicuius faciendi vel non faciendi. Rationem hîc intelligas opus rationis, scilicet responsionem rationabilem certificantem eum qui petit consilium. Strictè verò sumptum dicitur consilium, Dei voluntas ad quam non constringimur imperio propter eius arduitatem vel difficultatem, sed est in potestate nostra vt impleamus illud, vel non impleamus. Bern. ad fratres de monte Dei: Non est vestrum languere circa communia præcepta, nec attendere quid Deus præcipiat, sed quid velit, probantes quæ sit Dei voluntas, bene placens & perfecta. De hoc consilio intelligitur verbum August. dicentis: Si consilio vti volueris, minus boni adipiscêris, non mali aliquid perpetrabis. Consilium sic sumptum illuminatio diuina est. Sen. in epist. Bonus vir sine Deo nemo est. Non potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adiutus exurgere. Ille dat magnifica consilia & recta. Talia fuerunt quæ attulit in mundum istum sapientia Dei patris. Esaiæ 9. *Vocabitur nomen eius, admirabilis, consiliarius.* Ista sunt consilia pacis quæ attulit rex pacificus. De quibus Prou. 12. *Qui ineunt pacis consilia sequitur eos gaudium.* Vnde consilium pacis est abrenuntiatio diuitiarum. Sen. Quietissimè viuerent homines, si hæc duo verba tollerentur; meum & tuum. Hoc consilium habetur, Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, &c.* Aliud consilium pacis est de continentia. De quo consilio. Matth. 19. discipulis dicentibus: *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Dicit Christus: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Et subdit: *Qui potest capere, capiat.* Qui intendit deliciis carnis, non habet pacem: cum caro sit mulier litigiosa. Prou. 19. & 27. Aliud consilium pacis, est consilium de patientia. Sine patientia non habetur vera pax, patientia cedendo persecutori pacem sibi seruat. Sicut dicitur vulgariter: Non qui percutit, sed qui repercutit bellum facit. Non potest esse bellum si vnus iniuriam ab alio sibi illatam patienter portat. Aliud consilium pacis, est consilium de humilitate. Humilitas est virtus Christi in qua pax fit. In Psalm. *Fiat pax in virtute tua.* Ps. 121. Humilitas cum his qui oderunt pacem, est pacifica: scilicet cum superbis. Ipsa nulli molesta est, nullum comprimit vel angustat. Ipsa est velut

quoddam inane & vacuum spirituale. Vbi sine contradictione superbus se dilatat. Ipsa timori alieno non obsistit:sed sicut opera concaua intra concauitatem suam corpora tumida recipiunt: sic humilitas molestiam superbo illatam infra sinum profunditatis suæ recipit.

Consilium Christi quod à multis despicitur quale sit. Ps. 105.

Et notandum quod consilium Christi à multis despicitur. Luc. 7. Pharisæi & legisperiti consilium Dei spreuerunt in semetipsis. In Psalm. *Non sustinuerunt consilium.* Item notandum, quod consilium sicut & prudentia de faciendis est. Et est consilium de his quæ sunt ad finem. Damascenus: Ad finem est quod consiliabile est. De differentia vero consilij & prudentiæ require in tractatu de prudentia, vbi agitur de speciebus prudentiæ: Item notandum quod consilium quatuor attendit: expediens, facile, certum tutum:& contraria his scilicet damnosum, difficile, incertum & periculosum: qui consilium dat aliis paribus, expediens debet præponere damnoso, facile dificili, certum incerto, tutum periculoso. Item notandum quod quidam dicunt ad donum consilij pertinere an sit operandum: ad prudentiam vero, qualiter sit operandum. Item notandum quod in quibusdam inuenitur aliquid simile dono consilij per experientiam multam. Ecclesiast. 34. *Vir in multis expertus, cogit abit multa.* Item: *Qui non est expertus, pauca recognoscit.* Sed illa experientia non est vere donum consilij. Consilium enim lumen est cæleste, excellentius quàm lumen prudentiæ, cum ipsam prudentiam rectificet. Per Donum enim consilij declinat prudentia ne eam pœniteat Eccles. 32. *Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* Item notandum quod circa consiliū sunt quinque commendabilia. Primum est, gratia consilium requirendi, quæ est in eo qui non est preceps ad operandum. Prou. 19. Qui festinus est pedibus, offendet. Secundum est gratia consiliarium eligendi. Tertium, gratia dandi consilium. Quartum: gratia examinandi consilium. Quintum est, gratia acquiescendi consilio. De primo legitur, Tob. 4. *Consilium semper à sapiente require.* Prou. 11. *Vbi non est gubernator, corruit populus: salus autem vbi multa consilia.* Simile eiusdem 24. *Erit salus vbi multa consilia sunt.* Eiusdem 13. *Astutus omnia agit cum consilio: qui autem fatuus est, aperiet stultitiam.* Item 15. *Dißipantur cogitationes vbi non est consilium: vbi vero plures consiliarij confirmantur.* Eiusdem 20. *Cogitationes consiliis roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella.* Cogitationes hîc intelligas proposita quæ concipiuntur, quæ consiliis perficiuntur. Tullius in Rhetor. Parua foris sunt arma, nisi sit consilium doni. 1. Machap. 5. *In illa die ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælium.* Eccles. 30. *Fili sine consilio nihil facias, &c.* Eiusd. 37. *Ante omnem actum præcedat consilium stabile.* Prou. 4. *Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.*

Cōsilia rius eligendus.

Ad eligendum consiliarium monemur. Eccles. 6. *Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mille.* Pro consiliario ante omnes eligēdus est Deus. Tob. 4. *Omnia consilia tua in ipso permaneant.* Iacob. 1. *Si quis sapientia indiget, postulet à Deo.* Eccles. 39. *In oratione confitebitur Domino, & ipse diriget consilium* Eiusdem 37. *In omnibus his deprecare Altißimum, vt dirigat in veritate viam tuam.* Deinde recurrendum est pro consilio ad viros bonos. Eccles. 37. *Cor boni consilij statue tecum.* Et subditur: *Anima viri sancti annuntiat aliquando vera, quàm septem circunspectores sedentes in excelso ad speculandum.* Matth 11. *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis* Esa. 19. *Sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens.* Eccles. 37. *A consiliario malo serua animam tuam.* Prou. 12. *Consilia impiorum fraudulenta. Sed facienti consilium nequissimum, super eum deuoluetur.* Eccles. 27, Eiusdem 8. *Cum fatuis non habeas consilium:*

non enim poterunt diligere, nisi ea quæ eis placent. Iob. 31. *Consilium impiorum longe sit à me.* Gen. 49. *In consilium eorum non* Psal. 1. *veniat anima mea.* In Psal. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.* Eccles. 8. *Coram extraneo ne facias consilium: nescis enim quid pariet.* Non est etiam habendum consilium cum homine de negotio quod eum tangit, vel de eo quod nimis odit, vel nimis diligit, ne vel fallatur, vel fallere velit. De hac materia habetur Eccl. 37. *Noli,* inquit, *consiliari cum socero tuo, vel cum patre vxoris tuæ.* Ad literam, de aliquo quod videtur esse contra vxorem: vel cum amicis carnalibus, de his quæ sunt contra carnem. Ierem. 19. *Vnusquisque à proximo suo se custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam.* Michææ 7. *Noli credere amico & noli confidere in duce. Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.* Bern. Amicos consulat quæ non legit, quod inimici hominis domestici eius. Gen. 31. *Iacob ignorante Laban socero suo, cum filiis & vxoribus atque pecoribus suis recessit de Mesopotamia in terram Chanaan.* Legitur etiam Iudic. 19. quod Leuita quidam qui credidit socero tuo, vt cum eo tribus diebus maneret, in via amisit vxorem suam à Gabaonitis oppressam, vnde postea strages populi magna secuta est. Eccles. 37. *A zelantibus te abscondi consilium.* Zelantes intelligas, vel inuidentes, vel nimis amantes. Item non est consilium quærendum à iuuenibus. Roboam regnum pro magna parte amisit consilio iuuenum acquiescẽs, consilio senum relicto. Eccl. 25. *Quàm speciosa veteranis sapientia & gloriosus intellectus, & consilium.* Gratia etiam dandi consilium commendabilis est. 1. Mach. 2. *Ecce Simon frater vester, scio quia vir consilij est, ipsum audite semper.* Præcipue commendabilis est gratia in his qui habẽt alios regere, Eccl. 25. *Quàm speciosum canitiei iudicium, & presbyteris cognoscere consilium.* Gratia etiam examinandi consilium commendabilis est. Senec. Prudentis proprium est examinare consilia multorum, & non cito facili credulitate ad falsa prolabi. Item commendabilis est etiam gratia acquiescendi consilio. Prou. 12. *Via stulti recta in oculis eius: qui autẽ sapiens est, audit consilium.* Eiusd. 13. *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientiâ.* Moyses acquieuit consilio Iethro, licet minor esset. Exod. 18. *Non sic ille adolescens, qui audito verbo Domini: Si vis perfectus esse, &c. abiit tristis. Erat enim habens multas possessiones.* Matth. 19.

Pars VIII.

De præementia vitæ contemplatiuæ respectu actiuæ.

Dicto de donis pertinẽtibus ad vitam actiuam, dicendum est de donis pertinentibus ad vitam contemplatiuam. In hac vero parte, primo tãgetur de præeminentia vitæ contemplatiuæ ad actiuam. Secundo, distinguetur contemplatio à meditatione seu consideratione simplici & cogitatione: & tangetur de speciebus considerationis & contemplationis. Tertiò, agetur de dono intellectus. Quarto de dono sapientiæ. Circa primum notandum quod duodecim sunt in quibus vita contemplatiua præeminentiam videtur habere respectu actiuæ. Primum est, quod contemplatiua meliori intendit, Deo scilicet, cùm actiua intendit proximo. Contemplatiua dicit: *Mihi adhærere Deo bonum est,* Luc. 10. Vnum est necessarium, gloss. Bedę, scilicet Deo iugiter inhærere. In Ps. *Vnam petij à Domino, hanc requiram.* Isidor. in li. differentiarum: Inter actiuam & contemplatiuam vitam hæc distantia est: Actiua vita est, quæ in operib. iustitiæ & proximi vtilitate versatur. Contemplatiua autem, quæ vacans ab omni negotio, in sola Dei dilectione defigitur. Vna in opere bonæ conuersationis, altera in contemplatione immutabilis est veritatis. Idem in l. de Summo bono: Actiua vita mundanis rebus bene vtitur. Contemplatiua vero mundo renuntians, soli Deo viuere delectatur. Secundum est, quod contemplatiua clarius

[Margin notes: Vita cõtemplatiua quot præemineat actiuæ. — Ps. 77]

ua clarius videt. Vnde Gen. 29. dicitur de Lia, quod lippis erat oculis. Gregor. Mens quæ contẽplando otia appetit, plus videt, sed pauciores filios Deo generat: qui verò ad laborem prædicationis se dirigit, minus videt & amplius parit. Tertium est, munditia seu pulchritudo. Vnde Gen. 29. dicitur de Rachele, quod decora erat facie & venusto aspectu. Proue. 3. Dicitur de sapientia: *Viæ eius, viæ pulchræ.* Cant. 5. *Laui pedes meos,* dicit sponsa: *quomodo inquinabo eos?* Quartum est, securitas. Secura est vita contemplatiua respectu actiuæ: Prouer. 1. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Glo. Facile euadit laqueos in terris, qui oculos habet in cœlis. Prou. 3. *Omnes semitæ eius pacificæ.* Quintum est, quies: quieta est vita contemplatiua. Vnde Luc. 10. dicitur de Maria quod *sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.* Glos. Maria sedet, quia contemplatiua pacatis vitiorum tumultibus, optata iam in Christo mentis quiete fruitur. Martha stat, quia laborioso actiua desudat in certamine. De Martha ibidem dicitur, *Martha, Martha, solicita es, &c.* Et Ioan. 11. dicitur quod Maria domi sedebat. Hæc tria, scilicet pulchritudo, securitas, quies, tanguntur Esa. 31. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* De securitate tangitur Deut. 33. *Amantissimus Domini habitabit confidenter.* Amantissimus Domini est vir contemplatiuus. Sextum est, iocunditas. Iocundior est contemplatiua quàm actiua. Vnde super illud Luc. 10. *Maria sedens secus pedes Domini, &c.* dicit glo. Intenta erat Maria quomodo pasceret Dominum. Hæc conuiuium parat Domino: in conuiuio Domini illa iam iocundatur. Greg. in Moral. Contemplatiua vita merito maior est, quam actiua: quia hæc in vsu præsentis operis laborat: illa vero sapore intimo venturam iam requiem degustat. Septimum est contemplatiuæ permanentia. De qua Luc. 10. *Maria optimam partẽ elegit, quæ non auferetur ab ea.* Glos. Contemplatiua hîc incipit, & in cælesti patria perficietur: quia amoris ignis qui hîc ardere inclinat, quum ipsum quem amat viderit, in amore amplius ignescit. Et subditur: Actiua cum corpore deficit: quia in æterna vita panem non porriget esurienti: quia nemo esuriet, nec cetera opera pietatis aget, quia non erunt necessaria. Octauum est, deuotio. Vnde Maria Christum vngit Matth. 26. Marc. 13. Luc. 7. Ioan. 12. Nonum est, Dei familiaritas. Contemplatiua Deo familiarior est. Vnde figuratur per Ioannem Euangelistam, sicut tangit gloss. super illud Ioann. vlt. Conuersus Petrus vidit discipulum quem diligebat Iesus. Et sequitur in gloss. Hanc planè Christus diligit, & seruat in æternum. Loquitur de contemplatiua. Decimum est, pretiositas. Contemplatiua pretiosior videtur esse quàm actiua, eo quod sit rarior. Isid. in lib. de sum. bono: Actiua communis multorum est, contemplatiua vero paucorum. Hoc figuratum est Genes. 6. vbi dicitur de arca: *In cubito consummabis summitatem eius.* Inferius tamen erat valde lata. Vnde ibidem dicitur: *Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo.* Quod exposuit Gregor. dicens: Videmus multos in Ecclesia superbire & lasciuire, & terrenis rebus inhiare, irasci, rixari, & proximum lædere: sed quia ecclesia tolerat eos vt conuertantur, quasi in arcæ latitudine bestiæ fuisse dicuntur. Videmus alios aliena non rapere, illatam iniuriam æquanimiter portare, rebus propriis contentos esse, humiliter viuere: sed quia iam pauci sunt, angustatur arca. Alios videmus etiam possessa relinquere, nullum terrenis rebus studium dare, inimicos diligere, carnem domare, omnes motus ratione promere, per cæleste desiderium cõtemplationis pennâ subleuari: sed quia valde rari sunt, iam arca iuxta cubitum ducitur, vbi homines & volatilia continentur. Vndecimum est, quod

vita contemplatiua vitæ cælesti similior est. Vnde eadem opera ad contemplatiuam videntur pertinere, quæ assignat Augustin. beatæ vitæ, vltimæ lib. de Ciuitat. Dei, dic. Ibi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus &
Psal. 55. laudabimus. In Psalm. *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus.* Duodecimum est, quod vita contemplatiua finis videtur esse actiuæ. Finis vero melior est his quæ sunt ad finem. Per actiuam transitur ad contemplatiuam. Isidor. in lib. de summo bono: Qui prius in hac vita proficit, bene contemplationem conscendit. Gregor. Qui ad arcem contemplationis ascendere desiderat, prius necesse est vt in campo actionis se exerceat, Genesis vigesimo nono. Lia prius introducta est ad Iacob: licet Iacob aliter speraret. Et cum ipse de hoc conquereretur, responsum est ei: *Non est in loco nostro consuetudinis vt minores ante tradamus ad nuptias.*

Pars IX.

De distinctione contemplationis à simplici consideratione, seu meditatione & cogitatione, & de speciebus considerationis & contemplationis.

Consideratio & contemplatio quomodo diuidantur.

CONsequenter distinguenda est contemplatio à simplici consideratione seu meditatione. Et tangendum est de speciebus considerationis & contemplationis Notandum ergo quod Bernard. 2. lib. de considerat. distinguit inter contemplationem & considerationem, iis verbis: Considerationem, non id per omnia quod contemplationem intelligi volo; quòd contemplatio ad rerum certitudinem, consideratio ad inquisitionem magis se habeat. Iuxta quem sensum potest contemplatio diffiniri, verus certusque intuitus animi de quacunque re, siue apprehensio veri non dubia. Consideratio autem intenta ad vestigandum cogitatio, vel intentio animi vestigantis verum, quanquam soleant indifferenter pro inuicem vsurpari. Deinde diuidit ea quæ consideranda sunt iis verbis: Quatuor tibi cōsideranda reor: Te, quæ sub te, quæ circa te, quæ supra te sunt. In quinto vero libro de Consideratione, dicit considerationem peregrinari, quum ab his quæ supra sunt, ad inferiora deflectitur. Velim, inquit, hoc solerter aduertas, vir sagacissime Eugeni: quia toties peregrinatur consideratio tua, quoties ab illis reb. ad ista deflectitur inferiora & visibilia, siue intuenda ad notitiam, siue appetenda ad vsum, siue pro officio disponenda vel actitanda. Si tamen ita versatur in iis vt per hæc illa requirat, non procul resultat: sic considerare repatriare est. Sublimior iste præsentium ac dignior vsus rerum, iuxta sapientiam Pauli: Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sane hac scala ciues non indigent, sed exules. Quid opus scalis teneri iam solium? creatura cæli illa est præsto habens per quod potius ista intueatur. Videt verbum, & in verbo facta verbum: nec opus habet ex iis quæ facta sunt factoris notitiam mendicare. Neque enim vt ipsa nouerit, ad ipsa descendit quæ ibi illa videt, vbi longe melius sunt quàm in seipsis. Deinde in eodem libro distinguit diuersas species considerationis, his verbis: Magnus ille, qui vsum sensuum, veluti quasdam ciuium opes, expendere satagit, dispensando in suam & multorum salutem. Nec ille minor, qui hunc sibi gradum ad illa inuisibilia philosophando constituit: nisi quod hoc dulcius, illud vtilius: hoc facilius, illud fortius esse constat. At omnium maximus qui spreto ipso vsu rerum & sensuum, quantum quidem humanæ fragilitati fas est, non ascensorijs gradibus, sed inopinatis excessibus, auolare interdum contemplando, ad illa sublimia consueuit. Ad hoc vltimum genus illos pertinere reor excessus Pauli: Excessus non ascensus: nam raptum

Consideranda quot sunt.

Considerationis diuersæ species.

potius fuisse quàm ascēdisse ipse se perhibet. Et subdit Bernardus : Vis tibi has considerationis species propriis distingui nominibus : Dicamus si placet. Primam dispensatiuam , secundam æstimatiuam, tertiam speculatiuam. Dispensatiua est consideratio sensibus sensibilibusque rebus ordinare & socialiter vtens ad promerendum Deum. Æstimatiua est consideratio prudenter quæque scrutans ac ponderans ad inuestigandum Deum. Speculatiua est consideratio , se in se colligens & quantum diuinitus adiuuatur , rebus humanis eximens , ad contemplandum Deum rapitur. Quod prima optat , secunda adorat , tertia gustat. Ad quem tamen gustum perducunt & cæteræ , etsi tardius, nisi quod prima laboriosius, secunda quietius peruenit. Dixisti, inquit, satis qua via ascendatur : etiam quo ascendendum dicere habes. Falleris si illud speras : ineffabile est. Tu me existimas loqui quod oculus non vidit, nec auris audiuit &c. *Nobis*, inquit, *reuelauit Deus per Spiritum suum*, 1. Corinth. 2. Ergo quæ supra sunt, non verbo docentur, sed spiritu reuelantur. Verum quod sermo non explicat, consideratio quęrat, oratio expetat, mereatur vita, puritas assequatur. Sane eorum admonitus quæ supra sunt , non te existimes mitti à me suscipere solem, lunam, stellas &c. Ista siquidem omnia, etsi supra loco, pretio infra sunt & dignitate naturæ. Sunt enim corpora cui portio spiritus est. Angeli, Sancti, & Deus supra te sunt, Deus naturâ, angeli gratia. Idem in eodem distinguit quatuor species contemplationis respectu Dei, his verbis: Prima & maxima contemplatio est, admiratio maiestatis. Hæc requirit cor purgatum, & à vitiis liberum atque exoneratum peccatis, vt facile ad superna leuet: interdum quoque per aliquas morulas stupore & extasi suspensum teneat admirantem. Secunda autem necessaria est huic. Est enim intuens iudicia Dei: quo sane pauido aspectu Deum vehementius concutit intuentem , fugat vitia, fundat virtutes, initiat ad sapientiam, humilitatem seruat. Virtutum siquidem bonum quoddam ac stabile fundamentum, humilitas: nempe si nutet, illa virtutum aggregatio non nisi ruina est. Tertia contemplatio occupatur vel potius otiatur circa memoriam beneficiorum: & ne dimittat ingratum , solicitat memorantem ad amorem benefactoris. Quarta, quæ retro sunt obliuiscens in sola requiescit expectatione promissorum. Quæ cum sit meditatio æternitatis , siquidem quæ promittuntur æterna sunt, longanimitatem aliæ & perseuerantiæ dat vigorem. Deinde adaptat Bernardus quatuor dictas species contemplationis , quatuor quæ tangit Apostolus ad Ephesios 3. *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit longitudo , sublimitas & profundum.* Longitudinem, inquit, apprehendit meditatio promissorum. Latitudinem, recordatio beneficiorum. Sublimitatem, contemplatio maiestatis. Profundum, inspectio iudiciorum. Idem in eodem libro : Deus est longitudo, latitudo, sublimitas, & profundū. Res vna est longitudo propter æternitatem , latitudo propter charitatem, sublimitas propter maiestatem , profunditas propter sapientiam. Ista non disputatio comprehendit , sed sanctitas. Sanctum facit affectio sancta, & ipsa gemina, timor Domini sanctus, & sanctus amor. Iis perfecte affecta anima , veluti quibusdam duobus brachiis comprehendit, amplectitur, stringit, tenet , & ait : Tenui eum : nec dimittam. Et timor quidem sublimi & profundo, amor lato longoque respondet. Quod tam timendum , quàm potestas, cui non potes resistere? quàm sapientia cui abscondi non potes? Poterat minus timeri Deus alterutro carens: nunc autem perfecte oportet timeas illum, cui nec oculus deest omnia videns; nec manus omnia potens. Item quid tam amabile quàm amor ipse quo amaris?

Cõtemplationis, cogitationis & meditationis differẽtia.

Amabiliorem tamen iuncta æternitas facit, quæ dum non excidit, foras mittit suspicionem. Stupenda planè sublimitas maiestatis, pauenda abyssus iudiciorum, feruorem exigit charitas, æternitas perseuerantiam sustinendi. Richardus de sancto Victore in lib. de Contemplatione, distinguit inter contemplationem, meditationem, & cogitationem, his verbis: Sciendum est quod eandem materiam aliter per cogitationem intuemur, aliter per meditationem rimamur, aliter per contemplationem miramur. Cogitatio per deuia lento pede sine respectu peruentionis passim huc illucque vagatur. Meditatio per ardua viæ sæpe & aspera ad directionis finem cum magna animi industria nititur. Contemplatio libero volatu, quocunque eam fert impetus, mira agilitate circumfertur. Cogitatio serpit, meditatio incedit, & vt multum currit contemplatio, ante omnia circumuolat. Cogitatio est sine labore & fructu: in meditatione est labor cum fructu. Contemplatio permanet sine labore cum fructu: in cogitatione euagatio, in meditatione inuestigatio, in contemplatione admiratio. Deinde tria prædicta sic describit: Contemplatio est libera mentis perspicacia in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa. Vel contemplatio est perspicax & liber animi contuitus, in res perspiciendas vsquequaque diffusus. Meditatio vero est studiosa mentis intentio circa aliquid inuestigandum diligenter insistens. Vel sic: Meditatio est prouidus animi obtuitus in veritatis inquisitione vehementer occupatus. Cogitatio autem est improuidus animi respectus ad euagationem pronus. Distinguit etiam inter contemplationem & speculationem his verbis: Quamuis contemplatio & speculatio pro inuicem poni soleant, aptius tamen speculationem dicimus, quando per speculum cernimus. Contemplationem verò quando veritatem sine aliquo inuolucro vmbrarumque velamine in sui puritate videmus. Et sic contemplatio valde strictè accipitur. Commune est, tam contemplationi quàm meditationi circa vtilia occupari & in sapientiæ vel scientiæ studiis versari. Sed in hoc solent differre à cogitatione quæ se consueuit ad inepta & friuola relaxare. Fit tamen sæpè vt in cogitationum nostrarum euagatione aliquid animus incurrat, quod scire vehementer ambiat, fortiterque insistat: sed dum mens huiusmodi inquisitioni studium impendit, iam cogitatio in meditationem transit. Item veritatem diu quæsitam tandemque inuentam, mens solet cum auiditate suscipere, mirari cum exultatione, eiusque admiratione diutius inhærere. Et hoc est meditationem in contemplationem transire. Contemplationis formam in cœli volatilibus videmus. Videas alia nunc se ad altiora tollere, nunc se ad inferiora demergere, & eosdem ascensionis descensionisve suæ modos sæpius repetere. Videas alia nunc dextrorsum, nunc sinistrorsum diuertere, & nunc in hanc, nunc in illam partem declinando, in anteriora parum vel penè nihil se promouere, & easdem discursuum suorum vicissitudines multa instantia multipliciter reïterare. Videas alia sub magna festinantia se in anteriora extendere, sed mox sub eadem celeritate in posteriora redire, & sæpe idipsum agere, eosdem excursus atque recursus diutina frequentatione continuare atque protrahere. Videre licet alia, quomodo se in gyrum flectunt. & quàm subito, vel quàm sæpe eosdem vel similes, nunc autem paulò latiores, nunc paulò contractiores circuitus repetunt, & semper in illud ipsum redeunt. Videre licet alia, quomodo alis sæpe reuerberatis, se in vno eodemque loco diutius suspendunt, & mobili se agitatione quasi immobiliter figunt, & ab eodem suspensionis suæ loco diu multúm-

Cõtẽplationis forma in cœ ivolatilibus videtur.

que hærentia penitus non recedunt, ac si operis & instantiæ suæ executione prorsus videantur exclamare, & dicere: Bonum est nos hîc esse. Iuxta hoc sanè propositarum similitudinum exemplar contemplationis nostræ volatus multiformiter variatur, & personarum negotiorumque varietate vario modo formatur. Nunc de inferioribus ad summa ascendit, nunc de superioribus ad ima descendit, & nunc de parte ad totum, nunc de toto ad partem considerationis suæ agilitate discurrit, & ad id quod sciri oportet, nunc à maiori, nunc à minori argumentum trahit. Modo autem in hanc, modo in oppositam partem diuertit, & contrariorum notitiam ex contrariorum scientia elicit, & pro vario oppositorum modo ratiocinationis suæ executionem consueuit variare. Aliquando in anteriora currit, & subito in posteriora redit, modo ex affectibus, modo ex causis & qualibuscunque antecedentibus vel consequentibus cuiuslibet rei modum vel qualitatem deprehendit. Quandoque verò quasi in gyrum speculatio nostra ducitur, dum vnicuique rei quæ sint cum multis comunia considerantur, dum ad vnam quamlibet rem determinandum, nunc à similibus, nũc à similiter se habẽtibus, seu cõmuniter accidẽtibus, ratio trahitur, & assignatur. Tũc autem in vno eodemque loco considerationis nostræ defixio quasi immobilis sistitur, quando in cuiuscunque rei esse vel proprietate perspicienda atque miranda contemplationis intentio libenter immoratur. Modus comtemplationis qui quodammodo fieri solet, antè & retro insinuatur. Ezechiel. 1. *Ibant animalia, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* De illo qui quasi sursum & deorsum est, dicitur in Psalm. *Ascendunt vsque ad cælos & descendunt vsque ad abyssos.* (Ps. 106.) De illo qui est velut in gyrum, dicit Propheta: *Leua in circuitu oculos tuos, & vide.* Esaiæ 60. Deinde distinguit species contemplationis his verbis: Sex sunt contemplationum genera. Primum est, in imaginatione, & secundum solam imaginationem. Secundum est, in imaginatione secundum rationem. Tertium est, in ratione secundum imaginationem. Quartum est, in ratione & secundum rationem. Quintum est, supra rationem, sed non præter rationem. Sextum supra rationem est, & videtur esse præter rationem. Duo itaque sunt in imaginatione, duo in ratione, duo in intelligentia. In imaginatione, cum obstupescentes attendimus corporalia ista, quæ sensu corporeo haurimus: quàm sint multa, quàm magna, quàm diuersa, quàm pulchra vel iocunda. Et in his omnibus creatricis illius superessentiæ potentiam, sapientiam, munificentiam mirando veneramur. Tunc contemplatio nostra in imaginationem versatur: & secundum solam imaginationem formatur, quanto nihil argumentando quærimus, sed libere mens nostra huc illucque discurrit: quo eam in hoc spectaculorum genere admiratio rapit. Secundum genus est, quando ad ea quæ in imaginatione versamus, quæ ad primum contemplationis genus pertinere iam diximus, rationem quærimus & inuenimus, imò inuentam & notam in consideratione cum admiratione adducimus. In illo res ipsas, in isto earum rationem, ordinem, dispositionem, & vniuscuiusque rei causam, modum & vtilitatem rimamur, speculamur, miramur. Tertium genus est, quando per rerum visibilium similitudinem in rerum reuisibilium speculationem subleuamur. Quartum est, quando semoto omnis imaginationis officio, illis solis animus intendit quæ imaginatio non nouit, sed quæ mens ex ratiocinatione colligit, vel per rationem comprehendit: vt quando inuisibilia nostra quæ per experientiam nouimus, &

(Contemplationis sex genera.)

ex intelligentia capimus, in considerationem adducimus, & ex eorum consideratione in cælestium animarum & supermundanorum intellectuum contemplationem assurgimus. Quintum est, quando ea ex diuina reuelatione cognoscimus quæ nulla humana ratione plenè comprehendere, quæ nulla nostra ratiocinatione integrè inuestigare sufficimus. Talia sunt illa quæ diuinitatis natura, & illa simplici essentia credimus & scripturarum diuinarum auctoritate probamus super rationem: nec tamem præter rationem censenda est, quando ei quod per intelligentiæ aciem cernitur, humama ratio contraïre non potest, quin potius facile acquiescit & sua attestatione alludit. Sextum est, quando animus ex illa diuini luminis irradiatione cognoscit ea, & considerat, quibus omnis humana ratio reclamat. Talia sunt penè omnia quæ de personarum trinitate credere iubemur. Duo ex his in imaginatione consistunt, quia solis sensibilibus intendunt: duo in ratione consistunt, quia solis intelligibilibus insistunt: duo in intelligentia subsistunt, quia solis intellectibilibus intēdunt. Sensibilia dico, sensu corporeo perceptibilia. Intellectibilia dico, inuisibilia & humanę tamē rationi incōprehensibilia. Proprium est, primę contēplationi simpliciter & sine vlla ratiocinatione visibilium admirationi inhærere. Proprium est, secundæ visibilium rerum rationi ratiocinando insistere. Proprium est, tertiæ per visibilia ad inuisibilia ratiocinando ascendere. Proprium est, quartæ ex inuisibilibus inuisibilia ratiocinando colligere, & per expertorum intelligentiam ad ignorantium noticiam proficere. Proprium est, quintæ in intellectibilium intelligentia rationem admittere. Proprium est, sextæ intellectibilium intelligentia omnem humanam ratiocinationem transcēdere. Iis sex contemplationum alis à terrenis suspendimur, & ad cælestia leuamur. Circa perfectum te esse non dubites, si adhuc aliquibus illarum cares. Mecum & cum mei similibus bene agitur, si vnum ex his tribus alarum paribus datur: *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* Terrenum & nondum cæleste animal es, quandiu tantum duabus alis contentus fueris, habes tamen vnde corpus tuum valere, vnde volare possis. Corpus velare, est mundanorum concupiscētiam ex mundanæ mutabilitatis consideratione temperare, imo in obliuionem adducere. Volare, est ab amore mundi se elongare. Nitere in iis alis quantum poteris, apprehendere saltem nouissima maris. *Si sumpsero, inquit, pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris.* Extrema maris, mundi terminus, ac vnicuique vitæ propriæ defectus. Extrema maris tenere, est mundi finem atque vitæ exitum cum desiderio expectare. Extremum maris apprehenderat, qui dicere poterat: *Cupio dissolui & esse cum Christo.* Parum tibi esse debet has duas alas accepisse: sed vt probes te cæleste animal esse, stude & satage saltem duo paria habere. Cælestia animalia erant quæ vidit Ezechiel: *Quatuor, inquit, facies vni, & quatuor pennæ vni.* Ezech. 1. Duabus corpus suum velabant: nam ceteris duabus volabant. Sunt corpora cælestia & sunt corpora terrestria. Si totum corpus tuum lucidum fuerit non habens in se aliquam partem tenebrarum, vtile tamen erit illud ab humanæ arrogatiæ oculis abscondere, & sub humanæ mutabilitatis incerto propriæ æstimationis claritatem temperare. Eccles. 9. *Nescit enim homo finem suum, &c.* In primo alarum pari velet homo corpus suum, in secundo volet ad cælum. Satagat studio & desiderio in cælestibus esse, vt possit cum Apostolo dicere: *Nostra conuersatio in cælis est.* Philip. 3. Veruntamen si vsque ad tertium cælum penetrare paras, nunquam id in duobus alarum paribus posse præsumas. Oportet enim sex contemplationum alas assignatas habere qui cupit ad tertij cæli

Corpora quædam terrestria.

Contéplationũ alæ sex. secreta diuinitatisque arcana volare. Has sex alas contemplationum soli perfecti in hac vita vix habere possunt. Has in futura vita electi tam in hominibus quam in angelis habituri sunt, vt de vtraque natura veraciter dici possit: *quia sex alæ alteri.* Esaiæ 6. Primum genus contemplationis debet esse insipientium. In hoc genere contemplationis homo Deum in omnibus operibus eius mirabilem, laudabilem, & amabilem repetit. Psalm. *Domine Dominus noster, quàm admirabile, &c.* Psal. 8. Ecce mirabilem. *A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini*: Ecce laudabilem. *Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Ecce amabilem. Hæc speculatio triplex est. Prima in rebus. Secunda, in operibus. Tertia, in moribus. Prima etiam tres habet species. Quarum prima est in materia. Secunda, in forma. Tertia, in natura. Materiam & formam visu corporeo facile deprehendimus: nam lapidem à ligno, triangulum à quadrangulo sine errore discernimus. Natura consideratur in rerum qualitate intrinseca. Forma consistit in qualitate extrinseca. Qualitas rerum interior ex magna parte, corporeo percipitur sensu: sicut sapores gustu, odores olfactu. Operatio duplex est: alia enim est naturæ, alia industriæ. Operationem naturæ facile deprehendere possumus, vt in graminibus, arboribus, animalibus. In graminibus quomodo crescunt, maturescunt. In arboribus similiter quod frondent, florent, fructificant. In animalibus quomodo concipiunt & pariunt, quòd alia nascuntur & alia moriuntur. Institutio alia diuina, alia humana. Disciplina verò morum partim ex institutione diuina, partim processit ex institutione humana. Ad diuina instituta pertinent obsequia diuina, & quælibet Ecclesiæ sacramenta: ad instituta humana pertinent humanæ leges. Humana institutio est propter vitam inferiorem, diuina propter vitam superiorem. In hoc genere contemplationis Propheta ostendit se exercuisse, dicens: *Meditatus sum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar.* Ps. 142. Item: *Delectasti me Domine in factura tua:* Et iterum: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti.* Psa. 91. Ibidem. Hoc genus contemplationis rectè in septem gradus distinguere possumus. Primus consistit in illa admiratione rerum quæ surgit ex consideratione materiæ. Secundus, in illa admiratione rerum quæ surgit ex consideratione formæ. Tertius, in illa admiratione rerum quam gignit consideratio naturæ. Quartus, in illa admiratione quæ est circa operationem naturæ. Quintus, in illa admiratione, quæ est circa operationem industriæ. Sextus, in considerandis & admirandis institutionibus humanis. Septimus, in considerandis & admirandis institutionibus diuinis. Secundo generi contemplationis penè tota mundana philosophia materiam ministrat, latentes rerum visibilium causas suæ sagacitatis inuestigatione inueniens & in palam producens. Et possunt distingui septem gradus in secundo genere contemplationis, similes septem gradibus distinctis in primo genere; cum circa eadem versetur hæc contemplatio, & prima scilicet circa sensibilia.

Tertium genus contemplationis in quinque gradus distinguitur secundum quinque modos considerationum ex quibus inuisibilium inuestigatione similitudinum ratio quæritur vel assignatur. Primus modus est, quando similitudo sumitur ex eo vnde ipsum est, vel quod ipsum est. Secundus & tertius similitudinem trahit ex eo quod in ipso est. Quartus & quintus, ex eo quod per ipsum est. Primus trahitur ex materiæ proprietate, vt vbi crura illius columnæ marmoreæ quæ fundatæ sunt super bases aureas, Cant. 5. Secundus & tertius, ex rei ipsius qualitate: sed secundus ex qualitate extrinseca, quod diximus formam: tertius ex qualitate intrinseca, quod diximus naturam. Qualitas extrinseca constat in colore &

figura. A colore similitudo assignatur, ibi: *Dilectus meus candidus & rubicundus*. Cāt. 5. A figura, ibi: *Aspectus earum & opus earum quasi si sit rota in medio rotæ*. Ezech. 5. Extrinseca qualitas pertinet ad solum visum, quemadmodum intrinseca qualitas ad cæteros sensus. Ad auditum pertinet illud: *Et vocem quam audiui tanquam vocem citharedorum, &c.* Apoc. 14. Ad odoratum illud: *Sicut cynnamonum & balsamum, &c.* Eccl. 24. Ad delicias gustus, illud: *Spiritus meus super mel dulcis*. Eccl.
Psa. 31. 24. Ad delicias tactus, illud Psalm. *Sicut vnguentum in capite*. Quartus, ex eo quod in ipsa re vel ab ipsa fit secundum motum naturalem: vt ibi: *Quomodo descendit imber, & nix de cœlo, &c.* Esa. 55. Quintus ex eo quod agitur secundum motum artificialem: vt ibi, *Superædificati super fundamentum Apostolorum, &c.* Ephes. 2. In quarto genere contemplationis primum est, vt redeas ad te ipsum, intres ad cor tuū, discas æstimare spiritum tuum. Discute quid sis, quid fueris, quid esse debueris, quid esse poteris, quid fueris per naturam, quid modo sis per culpam, quid esse debueris per industriam, quid adhuc esse possis per gratiam. *Nunquid menti excidit quod regnum Dei intra nos sit?* Luc. 17. *Et quia simile est regnum cœlorum thesauro abs-*
Ps. 79. *condito in agro*. Matt. 13. *Omni custodia serua cor tuum*. Prouerb. 4. Audi Dauid, quomodo tibi seipsum exemplum proponat: *Meditatus sum*, inquit, *nocte cum corde meo, & exercitabar, & sic scopabam spiritum meum*. Meditabatur ille cum corde suo, meditare & tu cum corde tuo. Scopabat ille spiritum suum, scopa tuum spiritū. Exerce agrum istum, attende temetipsum. Absque dubio, insistens huic exercitio, inuenies thesaurum istum absconditum in agro. Ex hoc exercitio crescit auri copia, multiplicatur sententia, augmentatur sapientia. Ex hoc exercitio cordis oculus mundatur, ingenium acuitur, intelligentia dilatatur, nihil rectè æstimat, qui seipsum ignorat. Nescit quod sub pedibus suis omnis mundana gloria iacet, qui conditioni suæ dignitatem non pensat. Nescit omnino, nescit quid de spiritu angelico, quid de diuino sentire debeat, qui spiritum suum prius non cogitat. Si nondum idoneus es incitare teipsū, quomodo ad illa rimanda idoneus eris quæ sunt supra teipsū? Si nōdū idoneus es intrare in tabernaculū primum, qua fronte præsumis ingredi in tabernaculum secundum? hoc est in sancta sanctorum. Si cupis euolare vsque ad secundum seu tertium cælum, fit tibi transitus per primum, in corde hominis inuenire licet animam quandam plenitudinem orbis terrarum. Ibi sua quædam terra suū habet cælum. Nec vnum quantum, sed secundum post primum, & tertium post secundum erit. Tenet imaginatio vicem primi cæli, ratio secundi, intelligentia tertij. Et horum quidem primum cæterorum comparatione grossum quidem est atque corpulentum, eo quod sit imaginarium, post se trahens & in se retinens formas rerum corporalium. Reliqua verò duo huius comparatione sunt valde subtilia, & omnino incorporea, & ab eius crassitudine multum remota. Sic sane cælum hoc exterius quod nos dicimus firmamentum, absque vlla dubitatione constat esse visibile atque corporeum, & ipsum quidem primum & omnium infimum, quod autem est terra ad hoc visibile cœlum, hoc est sensus corporeus ad illud internum, fantasticum & imaginarium cælum. Nam sicut hoc visibile cælum omnium quæ terra gignit atque nutrit multitudinem sinus sui magnitudine comprehendit, sic omnium quæ sensus attigit similitudines, infra sinum suum imaginatio includit. In primo continentur omnium visibilium imagines & similitudines rerum. Veritatem, qui summa veritas est, reseruauit sibi: rerum vero imagines qualibet hora formandas concessit suæ imagini, scilicet animæ. Facile est enim animæ humanæ omni hora quaslibet rerum figuras per imaginationem fingere. Ad secundum

pertinent

perirent visibilium omniũ rationes, diffinitiones, & inuestigationes inuisibilium. Ad tertium spectant spiritualiũ etiã diuinorum cõprehensiones. Intelligentię oculus est sensus ille quo inuisibilia videmus: nõ sicut oculo rationis, quo occulta & absentia per inuestigationẽ quærimus & inuenimus: sicut sępe causas per effectus, vel effectus per causas, & alia atque alia quocunq; ratiocinandi modo cõprehendimus. Sed sicut corporalia corporeo sẽsu videre solemus visibiliter, præsẽtialiter, atq; corporaliter: sic vtiq; ille intellectualis sensus inuisibilia capit; inuisibiliter quidem, sed præsentialiter, sed essentialiter. Sed habet sane oculus hic intellectualis ante se velũ magnum oppansũ ex peccati delectatione fuscatũ, & tot desideriorum carnaliũ varia multiplicitate contextũ, quod cõtemplantis intuitum à diuinorum secretorum arcanis arceat, nisi quantum diuina dignatio quelibet pro sua aliorúmue vtilitate admiserit. Testatur hoc Propheta clamans: *Reuela oculos meos.* Nusquam tibi in omni Dei opere quàm in animæ creatione, reparatione, glorificatione apparet eius potentia sublimior, vel sapientia mirabilior, vel misericordia iucundior. Primo, spiritualis natura creatur vt sit. Secundo, iustificatur vt bona sit. Terrio, glorificatur vt beata sit per creationẽ ad bonũ imitatur, per iustificationem in bona dilatatur, per glorificationẽ in bono consummatur. Prima bona sunt creatoris dona. Secunda bona sunt creatotis dona & creaturæ merita. Tertia bona, creatoris dona & creaturæ præmia. Ex ipsa creationis conditione naturale est omni rationali creaturæ esse, scire, & velle. Cognosce homo quæso dignitatem tuam, cogita excellentem illam animæ tuæ naturam, quomodo fecerit eam Deus imaginem & similitudinem suam, quomodo sublimauerit eam super omnem corpoream creaturam. Et statim mirari incipies quomodo virgo inclyta filia Sion proiecta sit de cœlo in terram, & ad Deũ clamabis: *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* Cogita quàm necessarium, & diuinæ bonitati quam cõgruum, tam dignæ creaturæ boni aut mali discretionem & arbitrij libertatem concedere, vt esset bonum eius tam acceptu quã voluntarium, tam gratum quàm gratuitum. Agnosce quantum emineas per ingenium brutis. Agnosce quantum subiaceas per intellectum spiritibus angelicis. Si attendas primum, cantabis præcordialiter: *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum.* Si secundum, clamabis: *Deus, tu scis insipientiam meam.* Inuestiga diligenter voluntatem, non solum tuam, sed alienam, seu bonam seu malã. Cognosce tuam vt scias quid corrigere, seu vnde debeas gratias agere. Cogita animas perfectorum & peruersorum, spirituum bonorum & spirituũ malignorum, vt elucescat quid imitari, quid vitare expediat. Opus iustificationis sine duobus non cõsummatur. Nunquid enim perficitur, si creaturæ suæ creator non cooperetur? Glorificationis nostræ modum quis sensus hominum capere, quæ ratio potest comprehendere? Sed glorificationi nostræ certitudinem fidei attestatione tenemus, quãuis qualitatis vel quantatis eius modum per intelligentiam necdum capere possimus. Sed pro modico & pene pro nihilo reputat, quicquid humana auiditas per experimentum nõ probat. Scimus autẽ, quia post plenã mundationem conscientiæ, post multa exercitia iustitiæ incipit tandẽ aliquando mens humana sperare quod prius vel poterat credere. Nunquam desistas, nunquam quiescas, donec futuræ illius plenitudinis aliquas (vt ita dicã) arras obtineas, donec æternæ felicitatis quantulascunque primitias accipias, donec diuinæ suauitatis dulcedinẽ prægustare incipias. Ad huius desiderium animare nos voluit qui dixit, *Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo, &c.* Quartum contemplationis genus in quinque gradus potest diuidi. In primo gradu consideramus ea quæ pertinẽt ad animæ qualitatem vel essentiæ ipsius proprietatem, quod vita quædam & perpetua sit quæ nullis

pœnis extingui poſſit : quòd non ſolum poſſit in perpetuũ viuere, ſed corpus etiã ad vitam & ad ſenſum animare, quod nullo ſuſtentamento egeat, quod ſine ſubſidio ſempiterne ſubſiſtat, quomodo ſit per tot corporis membra diffuſa, cum ipſa ſit ſimplex, quomodo in toto corpore ſuo quaſi in ſuo quodãmodo ſit vbique tota. Quemadmodum Deus inuenitur vbique totus in omni creatura ſua, quomodo in illo ſuo mundo ſola volũtate omnia mouet atque diſponit, ſicut in hoc mundo Deus ſolo voluntatis nutu omnia regit, qui eodem voluntatis nutu omnia creauit. In ſecundo gradu conſiderantur ea quæ ad cognitionem ſunt. In hac cõſideratione miramur volubilitatem cogitationis, agilitatem imaginationis, ingenij acumẽ, diſcretionis examen, capacitatem memoriæ, viuacitatem intelligentiæ, & circa hæc alia quælibet ſtupenda. In tertio gradu conſideramus rationalis animi voluntatẽ, multiplicemque eius affectionem. In quarto contẽplamur & admiramur quomodo tot animi affectiones rediguntur in virtutes inquantum per diſcretionem diſponuntur & in bona intentione figuntur. Cum enim nihil aliud ſit virtus quã affectio ordinata, & moderata, ex intentione bona agitur vt ſit affectio ordinata, & per deſcriptionem efficitur vt fiat moderata. In quinto gradu aſpirantis gratiæ modos cum admiratione attendimus. Abſque dubio quicquid boni in bonorum cordibus additur, ſeptiformis ille ſpiritus per inſpirantem gratiam operatur. Ecce vnus atque idem ſpiritus tot menſibus ſemper & vbique præſidet, & gratiæ ſuæ munera multipliciter impendit. In duobus vltimis generibus contemplationis, puta quia opus eſt intima potius compunctione quàm profunda inueſtigatione, ſuſpiriis quàm argumẽtis, crebris gemitibus quàm copioſis argumentationibus.

Scimus quia cordis intima nil adeo purgat, mentiſque munditiã nil adeo reparat, nihil ſic ambiguitatis nebulas detergit, cordiſque ſerenitatem nil melius, nil citius adducit, quàm vera animi cõtritio. quàm profunda & intima animæ compunctio. Sed quid ait Scriptura? *Beati*, inquit, *mũdo corde, quoniam ipſi Deũ videbũt*. Matt. 5. Studeat ergo cordis munditiæ qui cupit Deũ videre. O quàm prudenti circũſpectione: ô quã frequẽti increpatione oportet inuigilare ne vllus mẽtis exceſſus vel cogitationis euagatio diſcretionis perſpicaciã lateat nec ſine redargutione fortique caſtigatione pertranſeat. Quum rationalis creatura, quantũ ad aliqua, Deo ſit ſimilis, ſecundũ illud, *Creauit Deus hominẽ ad imaginem & ſimilitudinẽ ſuã*. Gen. 1. Et ſecundũ illud: *Tu ſignaculũ ſimilitudinis plenus ſapientia & decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti*. Ez. 28. Et quantũ ad aliqua ſit diſſimilis, ſecũdũ illud: *Deus, quis ſimilis erit tibi?* Cõtemplatio quantũ ad primũ non eſt præter rationẽ. Contẽplatio verò quantum ad alia eſt præter rationem.

Aues quũ volare volunt, alas ſuas expandunt: ſic debemus & nos cordis noſtri alas per deſideriũ extẽdere, & diuinę reuelationis horã ſẽper expectare, vt quacũque hora diuinæ inſpirationis aura mentis noſtræ nubila deterſerit, verique ſolis radios detexerit, excuſſis ſtatim contẽplationis ſuæ alis, mens noſtra ſe ad alta eleuet, & euolet & fixis obtutib. in illud ęternitatis lumen quod deſuper radiat, omnia mundanæ volubilitatis nubila tranſcendat. Hoc figuratum eſt in duobus Cherubim, qui erant expandentes alas. Exod. 25. Debemus autem non ſolum ad hoc quod in hac vita habere poſſumus, verum etiam ad illud diuinę cõtemplationis ſpectaculũ quod in futura vita ſperamus, animas noſtras ſuſpendere, & in huiuſmodi expectatione vehementi deſiderio anhelare. Debet anima perfecta omni hora ſuæ peregrinationis terminũ cum deſiderio expectare. Hinc eſt quod Abraham in oſtio tabernaculi ſui ſedebat, Geneſ. 18. Elias in ſpeluncæ ſuæ oſtio ſtabat. 3. Reg. 19. Debet anima ſancta & veri ſpõſi amica ad dilecti ſui aduentum, ſũmo cũ

Alas cordi extẽd re inſi auiũ quid i ceſſar

desiderio anhelare, parata semper vocanti occurrere. Debet sẽper in hoc solicita esse, ne subito adueniens, minus ornatam inueniat, vel diu exclusus vllam molestiã sustineat. Molesta satis verba æstuantique desiderio multum onerosa. Munda, remunda, &c. Dicit huiusmodi anima in suis sordibus inuenta. Certe aduentum tuum præscire debuissem: vt te solemniter susciperẽ. De cætero aduentum tuũ mihi prænuntia. Ecce vox dilecti pulsantis: *Aperi mihi soror mea.* Cant. 5. Respondet, *Expecta modicum.* O quantum timeo ne istud modicum, protrahis in longum, donec transeat. *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat.* Cantic. 5. Permodica morula patienti desiderio satis est molesta. Scimus, quia singularis amor consortem non recipit. Vide ergo ne tunc primo incipias perstrepentium turbas eiicere velle, cum iam ipse inceperit ad ostium pulsare. Alioquin quid iam eris dictura, nisi *Expecta, reexpecta.* Expectandum sane, itemque reexpectandũ ad eiiciendum turbã extraneorum, ad eiiciendum familiam tuorum. Omnes cogitatus tam vani quam noxij extranei iudicãdi sunt qui nulli nostrę vtilitati deseruiunt. Illos verò quasi domesticos famulantes habemus quos nostris vsibus implicamus. Quia vero singularis amor solitudinem amat, totam hãc turbam non solum cogitationum, verumetiam affectionum oportet eiicere, vt dilecti amplexibus liceat inhærere Quanta quæso in hac expectatione mora: Modicum ibi, modicum ibi. Modicum in horto, dum tumultuationum turba dirigitur. Modicum in vestibulo, dum thalamus adornatur. Modicum in thalamo, dum lectulus sternitur: id est, intimus animæ sinus ad summam pacem & tranquillitatem cõponitur. Dilectus auditur per recordationẽ, videtur per admirationem, deosculatur per dilectionem, amplexatur per delectationem. Vel si bonus melius placet, auditur per reuelationem, videtur per contemplationẽ, deosculatur per deuotionem, astringitur ad dulcedinis suæ infusionem. Auditur per reuelationẽ, donec voce eius paulatim inualescente, tota perstrepentiũ tumultuatio sopiatur, solaque ipsius vox audiatur, donec omnis illa tandẽ tumultuantiũ turba dispareat, solusque cũ sola remaneat, & solum sola per contẽplationem aspiciat. Videtur per contemplationem, donec ad insolitæ visionis aspectum pulchritudinisq; admirationem paulatim anima incalescat, magisque inardescat, & tandem aliquando incandescat, donec ad verã puritatem internãque pulchritudinem tota reformetur, & ille internæ habitationis thalamus, paupera & bysso, hiacyntho, coccoq; bis tincto vndiq; perornetur, donec tandem aliquando thalamo perornato & introducto dilecto, fiducia iam inualescente desiderioque perurgente, cum se vlterius cohibere non valeat, subito in oscula ruat, & impressis labiis intimè deuotionis oscula figat. Puto, quia experta dulcedine tanta, de cætero non possit anima illa pulsanti dilecto aliquas moras nectere. Sed quamuis iã prõpta sit aduenientem suscipere, nescio si æquè parata sit vocanti occurrere. Aliud est cum ipso introire, atq; aliud ad ipsum exire. Quid est eius introire, nisi se totam in seipsam colligere? Quid est eius exire, nisi seipsam extra semetipsã totã effũdere? Nihil aliud est animã cũ dilecto suo in cubiculũ ingredi, & solã cum sola morari dulcedineq; perfrui, nisi exteriorũ omnium obliuisci, & in eius dilectione summe & intime delectari. Se solam cũ dilecto videt, quando exteriorũ omnium oblita, ex his quæ in intimis suis considerat, animum suum in affectum dilecti sui inflammat, tam ex bonorum quã malorum suorum consideratione in gratiarum actionem assurgit, & hinc pro impensa gratia, hinc pro indulta venia intimæ deuotionis victimas persoluit. Vsque in intimum dilectus perducitur, & in optimo collocatur, quando ex intimo affectu & super omnia diligitur. Cogita quid sit quod in vita tua ardentius dilexisti, an-

xius concũpisti; quod te iocundiùs afficiebat profundiúsque delectabat. Conderasi eandẽ affectionis violentiam, dilectionisque abundantiam sentis, quando in sũmi dilectoris desiderũ inardescis, quando in eius dilectione requiescis. Notandum intimum illum affectionis tuæ sinum tenet, si intimæ dilectionis aculeus animã tuam in diuinis affectibus minus penetrat, quàm in aliis affectibus aliquando penetrare solebat. Sed si tãtam vel validiorem dilectionis violentiam in intimis tuis circa diuina prospexeris, quam aliàs numquam expertus fueris: vide adhuc si in horto forte aliud aliquid sit in quo delectari vel cõsolari possis. Quod si est, nondum audeo dicere, dilectum intimum ardentissimi amoris sinum tenere. Satage trahere eũ adhuc ad interiora cordis: quis enim neget cor tales recessus habere, in quibus summi & singularis amoris violentia, cum aliquid per affectum infixerit, aliena omnino delectatione auelli non possit? Certe si alienam aliquam consolationem quæris, vel recipis Deum, quamuis fortassis summe, nondum tamen singulariter diligis. Nondum ergo in intimum perducitur. Si ergo non satagis introducere eum ad intima tua, quomodo tè credam posse sequi eum ad ad sublimia sua.

Et notandum, quod sublimitas diuinarum reuelationum, manifestum est diuinæ dilectionis iudicium. *Iam nõ dicam*, inquit, *vos seruos, sed amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*. Ioan. 15. Ex magnitudine diuinæ dilectionis pẽdet modus diuinæ reuelationis. *Comedite*, inquit, *amici, & bibite, & inebriamini, charissimi*. Cant. 5. Qui comedunt, dum cibum masticant; non sine mora vel qualicunque labore quo delectantur traiiciũt. Qui bibunt cum velocitate vel facilitate quod sitiunt traducunt. Nunquid non videntur tibi comedere qui cum multo studio & longa meditatione vix possunt ad veritatis delicias pertingere? Bibẽt qui ex diuinis reuelationibus cum facilitate & iocunditatẽ hauriũnt, quod de intima suauitate veritatis ardenter concupiscunt. Item notandum, quod ea quæ circa vnitatem diuinitatis considerantur, quæ ad quintum genus contemplationis pertinent, sunt humanæ intelligentiæ modum excedentia: nihilominus tamen sunt rationi consentanea. Credimus diuinam essentiam esse summe vnam & simplicissimam. Credimus etiam eam esse omnẽ bonũm. Exod. 33. *Ego ostendam omne bonum tibi*, ait Dominus Moysi. Item credimus eam esse immensam, licet simplicissimam. *Magnus*, inquit, *Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis*. His assertionibus ratio humana facile acquiescit. Bonum enim illud perfectum & omnino sufficiens non esset, si in eo aliquid boni defuisset. Item si compositum esset naturaliter, diuidi posset: & sic esset commutabile, & non esset optimum. Simplicissimum est quantum ad efficaciam, multiplicissimum quantum ad efficaciam. Virtute est immensus, essentiâ est summæ simplicitatis.

Item notandum, quod inter specula triũ vltimarum contemplationum debemus libenter discurrere, si volumus diuinam reuelationem nobis fieri. Dictum est enim Moysi Exod. 25. *De loco qui erat in medio duorum cherubim, inde loquar ad te.*

Item notandum, quod quamuis familiare sit, & quasi proprium videatur duobus nouissimis contemplationum generibus per mentis excessum videre, quatuor autem primis quasi domesticum & penè velut singulare sine vlla animi alienatione in contemplationem assurgere, possunt tamen omnia atque solent modo vtroque contingere. Horum autem qui in suis contemplationibus supra semetipsos ducuntur, & vsque ad mentis excessum rapiuntur, alij hoc expectant & accipiunt ex sola vocante gratia, alij vero vt hoc possint sibi comparant, cum gratiæ tamen cooperatione ex magna animi industria. Et illi quidem hoc donum quasi fortuitum

habent: isti verò iam ex virtute possident, qui ex magna iam parte illud possunt cum volunt. Vnius rei figuram habemus in Moyse. Alterius autem in Aaron. Quod enim Moyses in monte per nubem arcam videre meruit, sola reuelantis Domini gratia fuit. Aaron autem iam ex magna parte in potestate habebat quoties idipsum ordo vel ratio poscebat, in sancta Sanctorum intrare & intra ipsum velum arcam Domini videre.

Contẽplationis qualitates.

Item notandum, quod tribus modis in gratiam contemplationis proficimus. Aliquando ex sola gratia, aliquando ex adiuncta industria, aliquando ex aliena doctrina. Item tribus modis videtur contemplationis qualitas variari. Modo enim agitur mentis dilatatione, modo mentis subleuatione, aliquãdo mentis alienatione. Mentis dilatatio est, quãdo animi acies latius expanditur, & vehementius acuitur, modum tamen humanæ industriæ non supergreditur. Mentis subleuatio est, quando intelligentiæ viuacitas diuinitus irradiata, humanæ industriæ metas transcendit, nec tamen in mentis alienationem transiit, ita vt supra se sit quod videat, & tamen ab assuetis penitus non recedat. Mentis alienatio est, quando præsentium memoria mẽtis excidit, & in peregrinum quẽdam & humanæ industriæ inuium animi statum diuinæ operationis transfiguratione transit. Hos tres contemplationis modos experiuntur qui vsque ad summam huius gratiæ arcem sublimari merentur. Primus surgit ex industria humana. Tertius, ex sola gratia diuina. Medius autem ex vtriusque permistione, humanæ scilicet industriæ & gratiæ diuinæ. De primo legitur: *Leua in circuitu oculos tuos, & vide.* Esa. 60. De secundo *Qui sunt isti qui vt nubes volant.* Eiusd. 60. De tertio, *Ego dixi in excessu meo.* Ille motus qui fit mẽtis dilatatione, tribus solet gradibus excrescere: arte, exercitatione, attentione. Artem nobis ad aliquid veraciter comparamus, quando quomodo aliquid agendũ sit veraci traditione seu sagaci inuestigatione addiscimus. Exercitatio est, quando id quod arte percipimus, in vsum adducimus & in eiusmodi officij executionẽ nos ipsos prõptos & expeditos efficimus. Attentio est, quando studio quod exequimur summa diligentia insistimus. Item ille cõtemplationis modus qui in mentis subleuatione accidit, tribus gradibus excrescit. Intelligentia namque humana diuinitus inspirata & in illo cœlesti lumine irradiata, aliquando subleuatur supra scientiam, aliquando etiam supra industriã, aliquando autem supra naturam. Supra scientiam, quando aliquis tale aliquid ex diuina reuelatione cognoscit, quod modum propriæ scientiæ vel intelligẽtiæ excedit. Supra industriam, quando ad illud humana intelligentia diuinitus illuminatur, ad quod nulla sua sufficit scientia, nec illa quam interim habet, nec sua vlla industria comparare valet. Supra naturam, quando humana intelligentia diuina inspiratione afflata non cuiuscunque hominis, sed generaliter totius humanæ naturæ modum industriæque metas transgreditur. Omne genus prophetiæ sine mentis alienatione videtur ad hunc tertiũ subleuationis gradum pertinere. Nonne supra humanã naturã est, videre de præteritis, quod iam nõ est? videre de futuris, quod nondũ est? videre de præsẽtibus, quod sensibus absẽs est? videre de alieni cordis secretis, quod nullũ sensui subiectum est? Tribus de causis in mentis alienationẽ abducimur. Nã modò præ magnitudine deuotionis, modò præ magnitudine admirationis, modò prę magnitudine exultationis fit, vt semetipsam mens omnino non capiat, & supra semetipsam eleuata, in alienationem transeat. Magnitudine deuotionis, quãdo tãto cœlestis desiderij igne succenditur, vt amoris intimi flãma vltra humanũ modum excrescat, quæ animam humanam ad ceræ similitudinẽ liquefactum ad pristinos status resoluat, & ad instar fumi attenuatũ in superna eleuet, & ad summa emittat. Magnitu-

dine admirationis, quando diuino lumine irradiata, & summæ pulchritudinis admiratione suspensa, tam vehementi stupore concutitur, vt à suo statu funditus excutiatur, & in modum fulguris coruscantis, quanto profundius per despectum suæ inuisæ pulchritudinis respectu in ima deiicitur, tanto sublimius, tanto celerius per summorum desideriorum stuporem reuersata, & super semetipsum rapta in sublimia eleuetur. Magnitudine exultationis: quando intima illa internæ suauitatis abundantia potata, imò plene inebriata, quid sit, quid fuerit penitus obliuiscitur, & insuper mundanum quendam affectum sub quodam miræ felicitatis statu raptim transformatur. Hi tres modi excessionis in Canticis describuntur. Primus, quum dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, & ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniuersi pulueris pigmentarij?* Cant. 3. Secundus ibi: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, & pulchra vt luna, electa vt sol?* Cantic. 6. Tertius ibi: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum.* Cant. 8.

Circa primum notandum, quod per fumum intelligimus deuotæ mentis desiderium, qui fumus ab igne spiritualis amoris surgit. Virgula gracilis & recta: est tuum desiderium anxium & vnicum, surgens ex intentione recta. Per myrrham, intelligas carnis contritionem. Per thus, cordis deuotionem. Per vniuersum puluerem pigmentarium, omnium virtutum consummationem. Nunc anima sancta veraciter quasi fumus & per desertum ascendit, quando ex his quæ in semetipsa inuenit, siue bonis, siue malis, affectum suum in cœlestis sponsi desiderium accendit.

Circa secundum notandum quod mēs velut aurora consurgit, quæ ex visionis admiratione paulatim ad incrementa cognitionis proficit. Aurora paulatim eleuatur, eleuando dilatatūr, dilatando clarificatur. Sed miro modo, dum tandem in diem desinit, per promotionis suæ incrementa ad defectum venit: & vnde accipit vt maior sit, inde ei accidit vt omnino non sit. Sic humana intelligentia diuino lumine irradiata, dum intellectibilium contemplatione suspenditur, dum in eorum admiratione distenditur, quanto ad altiora vel mirabiliora ducitur, tāto amplius dilatatur: & vnde infimis remotior, in semetipsa durior, & ad sublimia subtilior inuenitur. Sed in hac subleuatione dum mens humana semper ad altiora crescit, dum diu crescendo tandem aliquando humanæ capacitatis metas trāscendit, fit demum vt à semetipsa penitus deficiat, & in supermundanum quendam transformata affectum, tota supra semetipsam eat. Et sicut matutina lux crescendo desinit non quidem esse lux, sed esse lux matutina, vt ipsa aurora iam non sit aurora; ita humana intelligentia ex dilatationis suæ magnitudine quandoque accepit vt ipsa iam non sit ipsa: non quidem vt non sit intelligentia, sed vt iam non sit humana. Et sicut primus excessionis modus ex deuotione surgit, sic iste in deuotionem desinit. Ibi ex nimio veritatis desiderio ad veritatis contemplationem assurgitur, hîc ex veritatis reuelatione eiusque contemplatione ad deuotionem animus inflammatur. Quod forte innuitur quum dicitur: *Pulchra vt luna, electa vt sol.* Aurora & luna lucem habent, sed calorem non habent, sol autem vtroque præpollet: quid sole lucidius? quid sole feruentius? Videtis ergo, quod illa mentis ascensio quæ hoc loco designatur, cuius extrema soli comparantur, non in qualemcunque, sed in summam deuotionem quandoque desinat, quamuis à sola claritate veritatisque illuminatione incipiat.

Et notandum, quod ille diuinæ reuelationis splendor quandoque præuenienti meditationi occurrit, quandoque ipsam

humanam præmeditationem præuenit: & modo quærentem adiuuat, modo torpentem excitat. Hinc est, quod regina Austri Regem Salomonem quæstionibus pulsat, 3. Reg. 10. Hinc est quod vinctum Petrum angelus cum luce visitans, à corporis sui somno excutit & educit. Act. 12. Quæ est ista Regina Austri, & illius calidæ religionis inhabitatrix & domina, & videndi Salomonis desiderio succensa, nisi anima sancta sensibus & appetitibus carnis, cogitationibus & affectibus mentis fortiter præsidens, & summi regis verique prorsus Salomonis dilectione feruens, videndique desiderio ardens? Regina Saba prius quærit & audit, postea vidit & intelligit, tandem autem obstupescit & deficit. Primum est, meditationis. Secundum, contemplationis. Tertium, extasis. Meditatione assurgitur in contemplationem, contemplatione in admirationem, admiratione in mentis alienationem.

Circa tertium notandum, quod quasi de deserto humanus animus ascendit, quando supra semetipsum mentis alienatione transit, quando semetipsum in imo deserens, & ad cœlum vsque pertransiens solis diuinis se totum per contemplationem & deuotionem emergit. Deliciarum affluentia ascensionis tunc causa existit, quando ex illa diuinæ dulcedinis infusione quam in intimis sentit, seipsam anima sancta præ gaudio & exultatione non capit, intantum vt exultationis suæ magnitudo eam extra semetipsam effundat. Huius rei formam in animalibus possumus percipere. Solent namque in suis lusibus saltus quosdam dare. Sic pisces dum in aquis ludunt, supra aquas exiliunt. Nemo autem tantam cordis exultationem vel subleuationem de suis viribus præsumat, vel suis meritis adscribat. Vnde & illa anima quæ de deserto ascendere sic describitur, dilecto suo innixa perhibetur. Quid est dilecto inniti, nisi virtute illius & non propriis viribus promoueri? Ducit eam dilectus per desertum in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis: Non haberet quomodo æstus concupiscentiæ temperaret sibi, nisi virtus Altissimi obumbraret. Illi deesset vnde tenebras ignorantiæ suæ illuminaret, nisi in lumine illius videret lumen. Accipit itaque dilecta ex munere dilecti sui duo remedia contra duo principalia mala: refrigerij nubem contra concupiscentiam carnis, & reuelationis lucem contra ignorantiam mentis. Qui ad hanc gratiam profecit, cum eam sibi vltra solitum subtrahi iam sentit, est quod facere debeat vnde ad eam reparandam adiuuari valeat. Debet animus qui huiusmodi est, propriis meditationibus cordis in se exultationem reparare, & impensa sibi diuinorum beneficiorum munera ante recordationis suæ oculos reuocare, & ex eiusmodi recordatione seipsum ad profundam & deuotam gratiarum actionem instigare, & tandem aliquando internum illud spiritualis harmoniæ organum ex affectu in diuinas laudes laxare. Dum itaque eiusmodi studiis intima cordis affectio in diuinæ confessionis magnificentiam plena deuotione resoluitur: quid aliud quàm quoddam (vt ita dicam) spiraculum aperitur per quod in illud cordis nostri vasculum diuinæ suauitatis abundantia infundatur? Hinc est quod Eliseus propheta, verbum Domini requisitus, cum se præsensisset spiritum prophetiæ tunc temporis non habere, fecit Psaltem adduci, quo præsente atque psallente statim spiritum propheticum hausit, eisque suum in verba prophetiæ relaxauit. 4. Reg. 3. Quid est autem psaltem adducere, nisi prouida meditatione exultationem cordis reparare, & ex diuinorum beneficiorum vel promissorum recordatione cordis deuotionem excitare? Tunc psaltem psallere facimus, quando ex magno cordis tripudio in diuina præconia iubilamus, & in gratiarum actionem assurgentes, ex intimis visceribus in diuinas

laudes cum magno cordis clamore roboramus. Hæc itaque agentes, quid aliud quàm viam sternimus per quam venientem visitantemque nos Dominum excipiamus? *Sacrificium*, inquit, *laudis honorabit me, & illic iter quò ostendam illi salutare* Dei. Ad eiusmodi psaltis vocem spiritualis animis medullitus tangitur, & irruente in eo spiritu spiritualiter afficitur. Et dum ad diuinam inspirationem intellectualis sensus aperitur, quodammodo in eo gratia reparatur. Solet dulcis harmonia cor exhilarare, & ei gaudia sua ad memoriam reuocare: & quò amor vehementius animum afficit, eò profundius audita harmonia affectum tangit: & quò profundius per affectionem tangitur, tantò efficacius ad sua desideria renouatur. Quid igitur aliud de prophetico viro sentire oportet, nisi quod exterior harmonia spiritualem harmoniam ei ad memoriam reduxit, & audita melodia audientis, animum ad assueta gaudia reuocauit atque leuauit? Dictum est quibus de caussis mentis alienatio accidere soleat, nunc illud adiiciendum videtur, quibus gradibus ascendat. Ascendit autem aliquando supra sensum corporalem, aliquando etiam supra imaginationem, aliquando verò supra rationem. Quis duos primos ascensus negare audeat, cum illum qui supra rationem est, Apostolica auctoritas conuincat? *Scio*, inquit, *hominem siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit, raptum vsque ad tertium cœlum*. 2. Corinth. 12. Ecce, quia humanam rationem mentis alienatione transierat, quid circa se ageretur discernere nequibat. Ista quæ præcedunt extracta sunt ex libro Richardi, de contemplatione. Tres discipuli in Christi transfiguratione ceciderunt in faciem suam. Matthæi 17. Quia sensus imaginatio & ratio in Dei contemplatione deficiunt. Paulus etiam lucis circumfulgentia excæcatur. Act. 9. Corpus etiam debilitatur. Ezech. 2. *Vidi, & cecidi in faciem meam.* Gregorius: In quantam miseriam cecidimus, qui ipsum bonum ferre non possumus ad quod creati sumus. Daniel. 10. *Vidi visionem hanc grandem, & non remansit in me fortitudo.*

Ps. 49.

Alienatio mētis quibus gradibus ascendat.

PARS X.

De duodecim quæ præparant hominem ad diuinorum contemplationem, de octo gradibus secundum Bernard. quibus viri contemplatiui ascendunt. Item de septem gradibus secundum August. & de diuersis speciebus visionum.

IN summa notandum est, quod XII. videntur esse, quæ hominem præparant ad diuinorum contemplationem. Primum est exercitatio in operibus actiua. Non quam citò peccator Deo reconciliatur, dignus est videre eius faciem: *Absalon mansit duobus annis in Ierusalem, & faciem regis non vidit.* 2. Reg. 14. Secundum est puritas. Aaron non intrabat in sancta Sanctorum, nisi prius lotus. Leuit. 16. Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Bernardus ad fratres de Monte Dei: Hoc ineffabile quum non nisi ineffabiliter videatur, qui vult videre, cor mundet: quia nulla similitudine corpori dormienti, nulla corporea specie vigilanti, nulla indagine rationis, nisi mundo corde humiliter amanti videri potest vel apprehendi. Tertium est solitudo. Oseæ 2. *Adducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*, & Gen. 32. legitur de Iacob, quod remansit solus: *Et ecce luctabatur cum eo vsque mane.* Apparuit Dominus Moysi in interioribus deserti. Exod. 3. Bernard. O anima, sola esto, vt illi te solam serues quem ex omnibus elegisti. Item Bernardus: Deus filius verecundus amator est, & non vult sponsæ suæ secreta reuelare in publico. Quæ anima sit sponsa Christi, ostendit, Bernard. super

Ad cōtēplationē diuinorum rerum quæ dispōnant.

ſuper Cant. his verbis: Animam quam videris, relictis omnibus, verbo votis omnibus adhærere, verbo viuere, verbo ſe regere, de verbo concipere, puta coniugem. Attende in ſpirituali matrimonio duo eſſe genera pariendi, & ex hoc etiam diuerſas ſoboles, ſed etiam non aduerſas, quum ſanctæ matres aut prædicando animas; aut meditando, intelligentias pariunt ſpirituales. In hoc vltimo genere exceditur, & ſeceditur etiam à corporalibus sẽſibus, vt ſeſe non ſentiat quæ verbũ ſentit. Hoc fit cum mens ineffabili verbi illecta dulcedine quodammodo ſe ſibi furatur, imo rapitur atque illabitur à ſeipſa, vt verbo fruatur, aliter ſanè afficitur mens fructificans verbo, & fruens verbo. Illic ſolicitat neceſſitas proximi, hic immutat ſuauitas verbi. Et quidem læta in prole mater, ſed in amplexibus ſponſa lætior, chara pignora filiorum, ſed oſcula plus delectãt. Pergat quis forſitan quærere à me verbo frui quid ſit. Reſpondeo: Quærat potius expertum à quo id quærat: aut ſi & mihi daretur experiri, putas me poſſe eloqui quod ineffabile eſt? Audi expertum: Siue, inquit, excedimus mente Deo, ſiue ſobrij ſumus vobis, hoc eſt aliud mihi credo. Solo arbitro Deo, aliud vobis cõmitto. Bonum eſt ſaluare multos: excedere autem & in verbo eſſe multò iucundius, aut quando hoc aut quandiu hoc dulce commercium, ſed breue momentum & experimentum rarum. Quartũ eſt deſolatio. Deuter. 8. *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna.* Iacob timebat multùm Eſau, quando vidit viſionem illam, pro qua dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem.* Geneſ. 32. Et Stephanus in tribulatione poſitus vidit gloriam Dei. Actuum 7. Et Ioannes in exilium relegatus à Domitiano, vidit viſiones quæ in Apocalypſi ſcriptæ ſunt. Gregor. ſuper illud Gen. 32. *Vidi Dominum facie ad faciem.* Prius exurente triſtitia caligo detergitur, & ſic reſplendẽre raptim incircumſcripto lumine mens illuſtratur, quo in gaudio cuiuſdã ſecuritatis abſorbetur, & quaſi poſt defectum præſentis vitæ vltra ſe rapta in quadam nouitate recreatur. Ibi mens ex immenſo fonte viſionis ſuperno rore aſpergitur: ibi non ſe ſufficere ad illud quod rapta eſt cõtemplatur, & veritatem ſentiendo videt: quia quanta eſt ipſa veritas non videt, cui tanto ſe longè eſſe æſtimat, quãto appropinquat: quia niſi vllam vtcunque conſpiceret, non eam conſpicere ſe non poſſe sẽtiret. Quintum eſt, ſilentium. Maria tacet, Luc. 7. Phariſæo eam contemnente. Item eiuſd. 10. Martha petente eam ſibi dari. Et Matth. 26. quum diſcipuli eſſent ei moleſti pro effuſione vnguenti. Ad contemplatiuam pertinet audire verbum internum, quod in taciturnitate magna vult audiri Dauid: *Audiam quid in me loquatur Dominus Deus.* Eccleſ. 22. *Audi tacens.* In eodem: *Vbi non eſt auditus, non effundas ſermonem.* Psa. 84. Thren 3. dicitur de taciturnitate & ſolitudine: *Sedebit ſolitarius, & tacebit.* Ibidem: *Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei.* Etiam ſi quis Mariam alloquitur, ſilenter debet loqui. Ioann. 11. *Martha vocauit Mariam ſilentio, Magiſter adeſt, &c.* Sextum eſt, gratiarum actio & vox laudis. In Pſalm. *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei.* Psa 49. Sex alia tanguntur. Geneſ. 8. quorum primum eſt humilitas, quæ tangitur in hoc quod Dominus dicitur apparuiſſe Abrahæ in conualle Mambre. Interl. Apparet Deus humilibus. Mambre interpretatur claritudo, vel perſpicuitas. Conuallis Mambre, eſt duplex humilitas: cordis ſcilicet, & corporis, in qua clarius Deus videtur. Bernardus. Superbo oculo Deus non videtur, ſyncero patet. Idem: Quiſquis curioſus eſt ſcire quid ſit hoc verbo frui. Para illi non aurem, ſed mentem: non docet hoc lingua, docet gratia: abſconditur hoc à ſapientibus & prudentibus & reuelatur paruulis. Magna, fratres, magna & ſublimis virtus, humilitas quæ promeretur quod non docetur, &

Dona humilitatis Deo grata.

digna adipisci quod non valet addisci: digna à verbo & de verbo concipere, quod suis ipsa verbis explicare non potest. Locus Mariæ erat ad pedes Christi, Luc. 7. *Stans retro secus pedes*, &c. Eiusd. 10. *Quæ sedens secus pedes, &c.* Ioann. 11. *Videns eum, cecidit ad pedes eius.* Eiusd. 12. *Vnxit pedes Iesu.* Et Ioan. 20. Voluit tangere pedes eius, sed non est permissa. *Noli*, inquit, *me tangere.* Gloss. Hic inuenitur quod pedes eius amplecti voluit. Item Matth. vlt. dicitur de ipsa & socia eius: *Accesserunt & tenuerunt pedes eius.* Secundum est quies, quod tangitur ibi. *Sedenti, &c.* Thren. 3. *Sedebit solitarius, &c.* Ioann. 11. *Maria autem domi sedebat.* Gen. 28. *Vidit Iacob in somnis scalam.* Hanc visionem videt Iacob dormiens in itinere. Augustinus: In itinere dormire, est in via huius seculi ab impedimento secularium actionum quiescere. De somno isto legitur: Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Sap. 8. *Intrans in domum meam conquiescam cum illa.* Tertium tangitur cum dicitur, in ostio tabernaculi. Ostium tabernaculi, est exitus de corpore isto. In ostio tabernaculi sedent qui mortem habent in desiderio, & vitam in patientia. Iacob luctante cum Angelo neruus emarcuit. Gen. 32. Amor enim presentis seculi deficere debet in viris contẽplatiuis. Gregor. Iacob qui cum Angelo contendit, contemplatiui viri animam exprimit, quæ cum Deum contemplari nititur, velut in certamine: modo quasi superat, quia intelligendo & sentiendo de incircumscripto lumine aliquid gustat: modo verò succumbit, quia degustando iterũ deficit. Quasi ergo vincitur Angelus, quádo intellectu intimo apprehenditur Deus. Sed notandum quod idem victus neruum tetigit, & marcescere fecit, & ex tũc Iacob vno pede claudicauit: quia omnipotens Deus, cum per desiderium & intellectum cognoscitur, voluptatem carnis arefacit: & qui prius quasi duobus pedibus nitẽtes & Deum videbatur quærere, & seculum tenere, post agnitionem suauitatis Dei, vnus in nobis pessanus remanet, alter claudicat: quia debilitato amore seculi, solus amor Dei cõualescit. Quartum est, feruor charitatis, quod tangitur ibi: *In feruore diei, Aaron cum igne & thymiamate intrat in Sancta sanctorum.* Leu. 16. Aug. in lib. Soliloq. Sapientiam castissimo conspectu atque complexu, nullo interposito velamẽto, quasi nudam videre ac tenere desideras, qualem se illa non sinit, nisi paucis & electis amatoribus suis. An verò si alicuius pulchræ fœminæ amore flagrares, iure se tibi non daret, si aliud à te quicquã præter se amari comperisset. Sapientiæ castissima pulchritudo, se tibi, si in solam arseris, demonstrabit. Quintum est, cordis eleuatio, quæ est meditando de supernis, quod tangitur ibi: *Cumque eleuasset oculos Christus, in monte trãsfiguratur:* Matt. 17. & Marc. & Luc. 6. Num. 13. *Cum veneritis ad montes, considerate terram qualis sit.* Eiusd. 27. *Ascende in montem istum Abarim, & contemplare terram quam daturus sum filiis Israel.* Deut. 3. *Ascende cacumen Phasge, &c.* In Psal. *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Sap. 6. *Cogitare de illa, sensus est consummatus.* Loquitur de sapientia increata. Psa. 7 Sextum est, oratio, quod tangitur ibi: *Ne transeas seruum tuum, Iesu orante, apertum est cœlum.* Luc. 3. Item: *Eodem orante facies eius facta est altera.* Luc. 9. Oratione dilectus est aduocaedus, tenendus & reuocandus. Bern. super Cant. Dicamus Verbum Dei Deum sponsum animæ, & venire ad animam, & iterum dimittere eam, tantum vt sensu animæ non verbi motu ista fieri sentiamus, v.g. Cùm sentit gratiam, agnoscit præsentiam: cum non absentiam quærit & rursum præsentiam quærit. Verbo abeunte, vna interim & continua animæ vox, continuum desiderium eius. Ideo subtraxit se vt auidius reuocaretur, teneretur fortius. Præteriẽs teneri vult, abiens reuocari. O modicum non modicum, ô modicum longum. Pie Domine, modicum dicis, quod non videmus te. Saluum sit verbum Domini mei, longum est mul-

tum valde nimis. Veruntamen vtrumque verum & modicum meritis, *&* non modicum votis. Quomodo non tardabit si moram fecerit, nisi quoad meritũ. Plusquam satis est, non est tamen satis ad desiderium. Prodar sane vt prosim: & si profeceritis vos, meam insipientiam consolabor. Fateor, & mihi aduentasse verbũ in insipientia: dico pluries, & interdum potui sentire. Introitum ego sentire nunquam, sed ne exitum quidẽ. An forte nec introiuit, nec de foris venit: porrò nec de intra me venit, quoniam bonum est, & scio quia non est in me bonum: ad Rom. 7. Si aspexi foras, exterius comperi illud esse. Si intus, etiam ipsum interius erat. Et cognoui verum esse quod legeram: *Quia in ipso viuimus, mouemur & sumus.* Actor. 17. Tantum ex motu cordis intellexi præsentiam eius. Cœpit eum euellere & destruere, ædificare & plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, & hoc mihi signum ascensionis eius. Tristis necesse sit anima mea donec iterum reuertatur, & recalescat cor meum. Diuina bonitas lumen suum, secundum beneplacitum suum viris contemplatiuis ostendit. Iob 36. *In manibus abscondit lucem, & præcepit ei vt rursus adueniat.* Annunciat de ea amico suo, quod possessio eius sit, & ad eam possit ascendere. Ascensus contemplãtium Dei virtute fit. Eiusd. 39. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila?* Glos. Hoc loco nomine aquilæ, subtilis sanctorum intelligentia, & subtilis eorum cõtemplatio figuratur. Aquila enim acute videt, & alte volat: In Psal.
Psal. 7. *Super excelsa statuit me.* Esa. 58. *Sustollam te super altitudinem nubium, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui* Deus dux & doctor est contemplantium. Prou. 30. *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo.* Quæ dicta sunt præparatiua ad diuinorum contemplationem, tangit Bern. his verbis. Quæ oculos mentis emundant, vt ad lumen verum subleuari possint, hæc sunt: Secularis curæ abscissio, carnis afflictio, cordis contritio, frequens & pura delicti confessio, & lauacrum fletus. Et cum foris missa fuerit omnis immunditia, sursum eos attollunt meditatio admirabilis essentiæ Dei, & castæ veritatis inspectio, oratio munda & valida, iubilus laudis, & desiderium ardens in Deum.

De octo gradibus secundum Bernardum, quibus viri contemplatiui ascendant.

ITem Bernardus distinguit VIII. gradus quibus viri contemplatiui ascendunt, loquens fratribus de monte Dei. Primus est, perfecta obedientia. Secundus est, corpus suum in seruitutem redigere. Tertius est, vsu boni consuetudinem vertisse in dilectionem. Quartus est, intelligere quæ in doctrina fidei apponuntur ei. Quintus est, talia præparare qualia apponuntur. Sextus est, cum in affectum mentis transit iudicium rationis. Septimus est, reuelata facie speculari gloriam Dei. Octauus est, transformari à claritate in claritatem, quasi à Domini spiritu.

De septem gradibus secundum Augustinum.

AVgustinus verò VII. gradus tangit in lib. de quantitate animæ, in quorum vltimo ponit contemplationem. Ad primum gradum pertinent operationes homini cum arbustis communes, vt quod anima præsentiâ suâ corpus viuificat, colligit in vnum, & in vno tenet, defluere & contabescere non sinit, alimenta per membra distribuit, congruentiam corporis & modum seruat, & non tantum in pulchritudine, sed etiam in crescendo & gignendo. Ad secundum gradum pertinent operationes communes, homini & brutis, vt sẽtire & moueri. Ad tertium gradum pertinent operatio-

nes propriæ homines, communes tamen bonis & malis: vt agros colere, vrbes construere, & loqui futura, ex præsentibus coniicere. In quarto gradu omnis bonitas incipit, & omnis vera laudatio: ad hunc gradum pertinent opera virtutum. In hoc gradu anima se non solum suo corpori, sed etiam vniuerso corpori audet præponere, & bona eius sua non putare, atque potentiæ pulchritudinique suæ comparata contemnere, & à sordidis se abstrahit, totamque emaculat, & hæc pertinere videntur ad virtutem temperantiæ. Item roborat se aduersus omnia quæ à proposito & sententia mouere moliuntur, hoc ad fortitudinem. Item societatem humanam magnipendit: nihil vult alteri quod sibi nolit accidere, hoc est ad iustitiam. Sequitur auctoritatem & præcepta sapientium, & per hoc sibi loqui Deum credit, hoc ad prudentiam. In hoc præclaro actu animæ inest adhuc labor, & contra huius mundi molestias atque blanditias magnus conflictus. Ad quintum gradum pertinet vt anima ab omni labe libera maculisque lota in hoc statu se teneat. Aliud enim est efficere, aliud tenere puritatem, vt ait August. alia prorsus actio quæ se inquinata reintegrat, & alia quæ non patitur rursum inquinari. Tunc ingenti quadam & incredibili fiducia pergit in Deum, i. in ipsam contemplationem veritatis, & illud, propter quod tantum laboratum est, altissimum & secretissimum præmium. Sextus ergo erit iste actionis gradus. Aliud enim est mundari ipsum oculum animæ, ne frustra & temere aspiciat, aliud ipsum custodire, & firmare sanitatem, aliud iam serenum atque rectum aspectum in illud quod est videndum dirigere. Quod qui prius volunt facere, quàm mundati & sanati fuerint, luce reuerberantur veritatis. Septimus & vltimus animæ gradus, est visio & contemplatio veritatis: neque est iam gradus, sed quædam mansio. Primus actus dicatur animatio. Secundus, sensus. Tertius, ars. Quartus, virtus. Quintus, tranquillitas. Sextus, ingressio. Septimus, contemplatio. Et notandum quod ad Dei contemplationem non admittitur homo nisi innouatus: vnde de ascensu contemplationis verum est illud Ioan. 3. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit.* Vnde cautè locutus est Apost. 2. Cor. 12. *Scio,* inquit, *hominem in Christo, &c. raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum.* Non raptus fuisset, nisi in Christo, id est, in Christi conformitate fuisset.

De triplici species visionis.

ET distinguuntur ibi in glossa tres species visionis, scilicet corporalis, imaginaria, & intellectualis. Corporalis est, cum quædam corporaliter videntur Dei munere, quæ alij videre nequeunt: vt Balthasar vidit manum scribentem in pariete. Daniel. 5. Imaginaria est, quando aliquis in extasi vel in somno videt non corpora, sed imagines rerum Dei reuelatione, vt Petrus vidit discum. Act. 10. Visus intellectualis est, quando nec corpora, nec imagines eorum videntur: sed in corporeis substantiis intuitus mentis mira Dei potentia figitur. Talis fuit visio Pauli. Et videtur secundum August. quod ipse viderit Deum facie ad faciem. Aug. Cur non credamus quod tanto Apostolo doctori gentium rapto vsque ad excellentissimam visionem, voluit Deus demonstrare vitam in qua post hanc videndus est in æternum? Et secundum hoc illud Exod. 33. *Non videbit me homo, & viuet:* exponendum erit de homine humano modo viuente, secundum illud Aug. in lib. de Trinit. Videri, inquit, diuinitas humano visu nullo modo potest, sed eo visu videtur quo iam qui vident, non homines, sed vltra homines sunt. Et super Exod. 33. dicit gloss. Gregor. in hac carne viuentibus, inæstimabili virtute crescentibus contemplationis acumine, potest æterna Dei cla-

Visionis species triplex.

ritas videri : non tamen videbit homo, & viuet; quia qui ſapientiam quæ Deus eſt, videt, huic vitæ funditus moritur, vt Dei amore teneatur : qui raptus eſt, ſenſu non vtitur. Vnde narrat Auguſt. de quodam ſacerdote, qui quando audiebat aliquod dilectabile, præ gaudio ſtatim quaſi mortuus erat, & appoſitum ignem corpori non ſentiebat. Item. Bern. ad fratres de Monte Dei, loquens de verbo illo Iob 36. *Abſcondi lucem in manibus.* Videtur dicere quod Deus in contemplatione videatur ſicut ipſe eſt. Electo, inquit, & dilecto Dei viciſſim lumen vultus Dei oſtenditur, ſicut lumen clauſum in manibus, patet & latet ad arbitrium tenentis : vt per hoc quod quaſi in tranſcurſu vel in puncto videre permittitur, inardeſcat animus ad plenam poſſeſſionem luminis ęterni & hæreditatem plenæ viſionis Dei. Cui vt innoteſcat aliquatenus id quod ei deeſt, nonnumquam quaſi pertranſiens gratia perſtringit ſenſum amantis, & eripit eum ſibi, & rapit in diem; qui eſt à multitudine rerum ad gaudia cæleſtia, & pro modulo ſuo ad momentum & punctum idipſum oſtendens ei videndum ſicuti eſt. Interim etiam ipſum efficit in idipſum, vt ſit ſuo modo ſicuti illud eſt : vbi cum didicerit quid ſit inter mundum & immundum, redditur ſibi, & remittitur ad mundandum cor ad viſionem, ad aptandum animam ad ſimilitudinem, vt ſi aliquando rurſum admittatur, ſic purior ad videndum, & ſtabilior ad fruendum. Numquam enim melius deprehenditur modus humanæ imperfectionis, quàm in lumine vultus Dei, in ſpeculo diuinæ viſionis. Idem in eadem epiſt. Deus ſemper quæritur, vt dulcius inueniatur : dulciſſimè inuenitur, vt diligentius quæratur. Hoc ergo ineffabile cum non niſi ineffabiliter videatur, qui vult videre, cor mundet, & ſubditur : Hæc eſt facies Dei quam nemo poteſt videre, & videre mundo. Item Auguſtin. in lib. Soliloqu. Quando fueris talis vt nihil prorſus terrenorum te delectet, mihi crede, eodem momento, eodem puncto temporis videbis quod cupis. Quædam ad contemplationem vtilia, require in tractatu Spei, cap. de rebus ſperandis.

PARS XI.

De Dono intellectus.

NOtandum quod donum intellectus, ſecundum quoſdam, dicitur gratia intelligẽda ſalubres ſignificationes ſignorum naturalium vel poſitiuorum. Ad quod facit quod dicit Dominus diſcipulis Mat. 10. quærẽtibus vt ediſſeret eis parabolam: *Adhuc*, inquit, *& vos ſinc intellectu eſtis.* Credebant myſticum quod erat propriè dictum. Vnde non habebant notitiam circa myſteria parabolarum. Item eiuſdem 15. cum diſcipuli ad literam intelligerent illud quod Dominus dixerat, *Cauete à fermento Phariſæorum* : reprehendit eos Dominus, dicens : *Nondum intelligitis, &c.* Item ad idem facit quod legitur Dan. 10. *In viſione opus eſt intelligentia.* Item in Pſalm. *Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* Equus & mulus à foris manent in rebus ſenſibilibus exteriora ſolum videntes, interiora non agnoſcentes. Ad idem facit quod dicit Gregor. ſuper illud Iob 1. *Filij eius faciebant conuiuia, &c.* Intellectus, inquit, in die ſuo paſcit, dum de auditis cor illuſtrat. Item ſuper illud Iob 1. *Ventus vehemens irruit à regione deſerti.* Spiritus mentem inſtruit contra habetudinem. Intellectu animus hebes eſt quo rebus hæret, à foris non ingrediens ad ſignificata earũ : quam hebetudinem donũ intellectus expellit. Vnde dicitur intellectus, quaſi interna lectio. Hoc donum non habuerunt Philoſophi, qui viſibilia huius mundi non acceperunt vt ſigna, ſed quaſi materialiter : qui arguuntur, Sap. 13. *Si enim*

Doni intellectus deſcriptio.

Pſa. 31.

tantum potuerunt scire vt possent æstimare seculum, quomodo huius Dominum facilius non inuenerunt? Ipsi similes fuerunt pueris qui in libris pulchris & deauratis literarum pulchritudinem mirantur, de his quæ scriptura significat non curātes Aug. in lib. de lib. arb. Admirator creaturarum & eis inhærens, non admirans artificem, similis est homini qui syllabas decenter ornatas, miratur, & in eis adhæret relicto sententię principatu. Signa naturalia sunt omnes creaturæ. Omnes enim nobis loquuntur Dei laudem & nostram eruditionem. Deus enim effudit sapientiam super omnia opera sua. Ecclesi. 1. Iob 12. *Nimirum interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt ea pisces maris.* Salomon sapientiam quæsiuit tam in herbis, quàm in arboribus, etiam in animalibus. Disputauit enim ab hysopo vsque ad cedrum, & de omnibus generibus animalium, per singula proponens parabolam. Et Arist. interrogatus à quo tot & tanta didicisset? Respondit: A reb. quæ mentiri non norunt. Aug. in lib. de arb. Quocunq; te vertis, veritas vestigiis quibusdam quæ operib. suis impressit, loquitur tibi, & te in exteriora relabērem ipsis exteriorū formis intus reuocat. Sap. 13. *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter potest creator earum videri.* Ad Roman. 1. *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Ad donum intellectus secundum hanc acceptionem pertinent parabolæ euangelicæ, & alia mystica quæ in scriptura inueniuntur. Bern. in Sermonibus, loquens de apparitionib. Christi post resurrectionem: In spiritu intellectus aperuit eis sensum, vt intelligerent scripturas. Vnde secundū hoc illud quod dicit Aug. in lib. de doct. Christ. Quod cognitio sacræ Scripturæ pertinet ad donum scientiæ non est intelligēdum vniuersaliter: sed solùm de illa parte scripturæ quę de miseria humana loquitur. Signa positiua sunt, vt quę sub veteri lege vel noua sunt instituta. Ad donum igitur intellectus pertinet intelligere ea quæ creaturæ nobis naturaliter significant: quæ significatio maximè est ratione similitudinis. Et secundùm hoc creaturæ sunt quasi libri naturales, sed velut libri factitij in quibus per donum intellectus legimus quę ad nostram salutem pertinent, sunt vt formæ Ecclesiarum, & situs, & ornatus. Item habitus personarum Ecclesiasticarum: & ornatus earum in suis mysteriis. De diuersis libris in quibus homo legere debet, require in Sermonibus epistolarum de verbo illo: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Secundùm aliquos verò, donum intellectus dicitur lumen quo inuisibilia cognoscuntur. Ad quod videtur facere quod legitur in 5. libr. Bern. de consideratione, vbi ipse distinguit inter intellectum, fidem & opinionem, vnumquodque eorum describens. Fides, inquit, est voluntaria quædam & certa prælibatio nedum propalatæ veritatis. Intellectus est, rei cuiuscunque inuisibilis certa & manifesta notitia. Opinio est, quasi pro vero hebere aliquid quod falsum esse nescias. In eodem: Intellectus rationi innititur, fides auctoritati, opinio sola verisimilitudine se tuetur. Idem August. in lib de Vtilitate credendi: Quod credimus, habemus auctoritati: quod intelligimus, rationi: quod erramus, opinioni. Item Aug. in quodam serm. de Timore. Sextus, inquit, gradus est intellectus vbi ab omni falsitate carnalis vanitatis corda mundantur, vt pura intentio dirigatur in finem: propterea & sexto loco dicitur: *Beati mundo corde.*

PARS XII.

De Dono Sapientiæ.

SApientia quandoque largè sumitur, scilicet pro sapida scientia: secundum illud Ecclesi. 6. Sapientia doctrinæ secun- Sapientia dupliciter sumitur.

1. dum nomen eius, sapidam scientiam habet, cui res quas agnoscit sapiunt vt debent: quando scilicet mala culpæ sunt ei amara; bona temporalia, vilia; spiritualia, chara. Bern. in serm. Inuenisti sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas, si huius seculi desiderabilia paruipendas, si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. Inuenisti sapientiam, si tibi horum singula sapiunt prout sunt. Quandoque sapientia strictè sumitur pro cognitione æternorum secundum illud Aug. in li. de Trin. Hæc est, inquit, sapientiæ & scientiæ recta distinctio, vt ad sapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis, ad scientiam vero temporalium rerum cognitio rationalis. Et secundum hanc acceptionem sapientia non est omnino diuersa à dono intellectus. Strictius etiam sumitur sapientia pro cognitione suauitatis diuinæ per experientiam habita, & sic à dono intellectus est diuersa: differt à dono intellectus in hoc, quod sapientia tantum veritati æternæ contemplandæ intendit. Intelligentia vero non modo de æternis est, sed etiam de rebus inuisibilibus & spiritualibus temporaliter exortis. Isid. in li. differentiarum: Sapientia tantum modo æterna contemplatur. Item intellectu intelligibilia capimus tantum. Sapientia vero non modo capimus superiora, sed etiam incognitis delectamur. Donum sapientiæ habebat August. dicens lib. 10. Conf. Aliquando, inquit, intromittis me in affectum multum inusitatum, introrsum nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit quod vita isti non erit. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor, & multum fleo. Sed multum teneor quantum consuetudinis sarcina digna est. Hic esse valeo, nec volo: illic volo nec valeo, miser vtrobique. Quasi per auditum cognitionem habet suauitatis diuinæ qui credit illi verbo Ecclesiast. 24. *Spiritus meus super mel dulcis*. Vel illi: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine*. Cognitio quę habetur per donum intellectus, est quasi cognitio per visum; cognitio vero quæ habetur per donum sapientiæ, est quasi cognitio per gustum. In Psal. *Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus*. Donum sapientiæ tranquillat mentem, & reficit. Greg. Ab intellectu ascenditur ad sapientiam, vt hoc quod acutè intellectus inuenit, sapientia maturè disponat. Gl. super Matth. 5. In septimo est sapientia: id est contemplatio veritatis] pacificans totum hominem. Aug. in serm. de Timore: Cum in finem peruentum fuerit, iam requiescitur. Et finis, nisi Christus, qui est finis legis ad iustitiam? Et sapientia Dei quis, nisi Christus? Propter hoc, sicut septimo posita est sapientia, sic septimo ponitur, *Beati pacifici*. De sapientia dicit Greg. super Iob. 1. Sapientia in diem sua pascit, dum de æternorum spe & certitudine mentem reficit.

Marginalia: Large. — 2. — Stricte donum sapiētię differt à dono intellectus. — Psal. 33.

QVINTÆ PARTIS PRINCIPALIS, Tractatus de Beatitudinibus.

Pars prima.

De dicendorum ordine in isto tractatu. Et de descriptione Beatitudinis.

VLTIMO dicendum est de beatitudinibus, de quibus habetur Matt. 5. de illis verò hoc modo dicetur. Primo ostenditur quid sit beatitudo prout hîc sumitur. Secundo tangentur quædam attendenda & admiranda circa doctrinam illam Saluatoris, in qua gratiæ illæ quæ dicuntur beatitudines nobis commendantur. Tertio de singulis agetur per ordinem.

Circa primum notandum, quod beatitudo, prout hîc sumitur, sic potest describi: Beatitudo est gratia non cuicunque, sed verè sapienti nota, faciens ad suauitatem conscientiæ, propinqua gloriæ. Et videtur posse sumi hæc descriptio ex eo quod dicit Ambros. in li. de offic. Dico, inquit, beatam vitam consistere in altitudine sapientiæ, suauitate conscientiæ, virtutis sublimitate. Quod dictum est: Beatitudo est gratia non cuicunque, sed verè sapienti nota: sumi potest ex eo quod dicit beatam vitam consistere in altitudine sapientiæ. Ad eos qui habent profundam sapientiam pertinet cognoscere quod paupertas hominem beatum efficiat: & sic de ceteris gratiis quas Dominus commēdat. Bern. in sermonibus: Quid tam absconditum quàm paupertatem esse beatam? Matt. 11. *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus*. A sapietibus, inquam, huius mundi. Quod dictum est, Faciens ad suauitatem conscientiæ, sumi potest ex eo quod Ambr. dicit, in suauitate conscientiæ beatam vitam consistere. Paupertas & ceteræ gratiæ quas Deus commendat, videntur habere miseriam vel antecedentem, vel concomitantem, vel esse ipsa miseria: tamen secundum veritatem, ad suauitatem seu tranquillitatem conscientiæ faciunt. Quod dictum est: Propinqua gloriæ, potest sumi ex hoc quod Ambr. dicit virtutus sublimitate. Virtus sublimis, est virtus perfecta, virtus perfecta est virtus propinqua fini suo, siue gratia propinqua gloriæ. Beatitudo prout hîc sumitur, est beatitudo viæ & ideo est beatitudo semiplena. Plena enim beatitudo erit patriæ, quam notificat Aug. in Ench. dicens: Ille beatus est qui omnia quæ vult habet: nec aliquid vult quod non decet. In eo in quo sunt gratiæ illæ quas Dominus commendat, iam est impletum illud, Non aliquid vult quod non decet. Illud verò: Omnia quæ vult habet, quantum ad bona transitoria videtur esse impletum, quum ipse ea contemnat, & amplius etiam de illis habeat quàm velit: quantum verò ad vera bona quæ sunt futura, non est hoc in eo impletum: quodammodo tamen habet ea. scil. in spe, etsi non in re. Ferè etiam habet ea in re, propinquitate vel facilitate perueniendi ad ea. Vnde & pauperum spiritu, & eorum qui persecutionem patiuntur propter iustitiam dicit Dominus iam esse regnum cælorum.

PARS II.

De quinque attendendis & admirandis circa doctrinam illam quæ est compendium nouæ legis.

CIrca secundum notandũ quod quinque sunt attendenda & admiranda circa dictam doctrinam quæ compendium est nouæ legis. Explanatio vero eius subditur in aliis quæ dicit Dominus in illo sermone, sicut patet ex glossa. Vnde super illud : *Ascendit in montem*, dicit gloss. in hoc monte nouum testamentum in cordibus filiorum scribit, incipiens à beatitudine, qui in monte Sinaï vetus testamen um in lapidibus seruis dedit, incipiens à timore. Et alia gloss. dicit. Sicut Moyses decem præcepta proponens postea per partes explicat : sic Christus quasi virtutum genera octo beatitudines proponit, ex quibus pendēt quę in monte dixit : Primum attendendum & admirandum circa doctrinam illam, est : legislatoris benignitas. Secundum, eiusdem auctoritas. Tertium, doctrinæ sublimitas. Quartum, sententiarum extraneïtas. Quintum, doctrinæ integritas. Benignitas legislatoris in hoc apparet, quod ipse nec præcipit, nec prohibet, nec comminatur, sed dulcedine mercedis temperat difficultatem laboris. Vnde lex eius bene potest intelligi illa lex clementiæ, de qua dicit Salomon in fine Prou. loquens de sapiente muliere : *Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius*. Vere non est similis illi in legislatoribus. Iob. 36. Non sunt similes ei qui multitudine præceptorum & prohibitionum subditis suis obstruunt viam paradisi, & comminationes multas eis facientes non dant locum timori Altissimi. Auctoritas legislatotis maxima est. Ipse enim iudex est qui hanc legem dat. Ideo magna securitas est his qui eam obseruāt. Iob. 31. *Quis mihi tribuat auditorē, vt desiderium meum audiat Omnipotens, & librum scribat ipse qui iudicat, vt in humero meo portem illum?* In humero portare, est secundum Greg. scripturam operatione perficere. Ad doctrinā istam pertinet illud Eccl. 24. Ego ex ore Altissimi prodij. Si vestes quæ tetigerunt Saluatorem pro reliquiis habentur, quare verba quæ processerunt de ore eius pro reliquiis non habētur? Nullum verborum illorum negligendum esset. In Psal. *Folium eius non defluet*. Diligenter essent audienda verba illa & memoriæ infigenda. Eccl. 8. *Ego os regis obseruo*. Credendũ est quod verba ipsius magnæ sint virtutis. Illi enim specialiter dicitur in Psal. *Diffusa est gratia in labiis tuis*. Et Luc. 4. *Mirabantur omnes in verbis gratiæ quæ procedebant de ore illius*. Et Cant. 5. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est*. Sublimitatem doctrinæ. Christus ostendere voluit in hoc quod doctrinā illā in monte tradidit. Vnde glos. super illud, *Ascendit in montē*. Altiorē, inquit, docturus iustitiam, quàm illam quæ est Scribarum & Pharisæorum. Item alia gl. *Ascendit in montem*, vt altiora virtutum culmina doceret. Proposuit Dominus in monte illo abscondita cælestis ethicæ. Vnde impletum fuit illud : *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi*. Matth. 13. Et est sumptum in Psalm. Ibi tradidit regulas viuendi quæ ad regimen totius mundi sufficerent, si secundum eas regere se vellet. Ibi tradidit principia moralis philosophiæ, quibus veritas vitæ demonstratur, & æterna felicitas non tam infertur quàm confertur. Ibi sol intelligentiæ velut octo radios ex se emisit ad Ecclesiæ illuminationem Ibi fons sapientiæ, verbum scilicet Dei in excelsis. Eccles. 1. Nouum testamentum velut quendam fluuium paradisi emisit : vt tangitur in Gl. Hic est torrens ille, de quo Ez. 47. *Viuent omnia ad quæ venerit torrent.*

[Margin notes: Benignitas legislatoris Christi: & vnde apparet — Psal. 1. — Psa. 44. — Sublimitas Doctrinæ Christi in monte.]

Ad hunc fluuium pertinet illud Eccl. 34. *Ego quasi fluuius Dorix, & quasi aquæ ductus exiui de paradiso.* Dorix interpretatur medicamentum generationis. Os illud cuius apertionem Matthæus commemorat, veræ vena vitæ fuit. Prou. 10. *Vena vitæ os iusti.* Lex vetus promittebat suis obseruatorib. benedictionẽ temporalis prosperitatis, & transgressoribus comminabatur maledictionem temporalis aduersitatis. Deut. 28. Sed lex noua obseruatores suos beatos prædicat. Magis enim Deo assimilat quàm illa. Quantò verò aliquis Deo similior est, tanto in maiori tranquillitate est. Vnde super illud Ierem. 17. *Ego autem non sum turbatus te pastorem sequens*, dicit Gloss. Quantò magis Christum sequeris, tanto minus turbaris. In doctrina illa erexit nobis Christus scalam mirabilem, cuius vtraque extremitas tangit cælum. In commendatione enim primæ beatitudinis & vltimæ dicitur: *Quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quomodo regnum cælorum sit pauperum spiritu, & quomodo eorum qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, dicetur quum de illis beatitudinibus specialiter agetur. Sententiæ illius doctrinæ valde extraneæ sunt à sententiis sapientiæ mundanæ, quæ miseros iudicat quos illa doctrina beatificat. Sunt enim octo illa verba quasi octo positiones, ipsius ducis philosophiæ: Positiones, inquam, extraneissimæ, sed tamen verissimæ. Causa quare sapientia Dei adeo extraneum iudicium habeat à iudicio mundanæ sapientiæ hæc est: quia lumen sapientiæ diuinæ magis est sufficiens ad visionem eorum quæ sunt prope, & eorum quæ sunt longe. *Attingit enim à fine vsque ad finem.* Sap. 8. Lumen vero mundanæ sapientiæ modicum est, non sufficiens nisi ad visionem præsentium. Sapientia mundana superficialiter solùm res aspicit: sapientia vero Dei interiora penetrat, ideo suauitatẽ inuenit quã non inuenit sapientia mundi. Simia, si loqui posset, nucem amaram diceret propter corticis amaritudinem. Qui vero nucem frangit, & ad nucleum peruenit, dulcedinem in nuce inuenit. Doctrina illa integra est quantum ad principia moralis sapientiæ. Licet anima multas conditiones in rebus attendat, tamen specialiter ipsa sapiens iudicatur secundum conditiones quæ sunt, bonitas & malitia: Anima enim sapiens est, si bona & mala sapiunt ei vt debent. Bernardus in sermonibus: Inuenisti sapientiam, si tibi horum singula sapiunt prout sunt. Perfecte ergo principia moralis doctrinæ tradi videntur in illis octo verbis in quibus anima ad bonum & ad malum perfectè ordinatur. Ad bonum ordinate se habet, si modica bona modicum diligat, si vera bona esuriat & sitiat; & si eis ita adhæreat, vt nullâ pœnâ ab eis separari valeat. Ad primum pertinet illud: *Beati pauperes spiritu, &c.* Ad secundum illud: *Beati qui persecutionem, &c.* Ad tertium: *Beati qui persecutionem, &c.* Ad bonum quis ordinate se habet, si nulli malum inferat, si sibi illatum vel gratis asſũptum ęquanimiter ferat: si alij illatum pro posse auferat, si studiose cauet, vt nec inquinetur malo culpæ, nec perturbetur malo pœnæ. Ad primum pertinet illud: *Beati mites.* Ad secundum illud: *Beati qui lugent.* Ad tertium illud: *Beati misericordes*: Ad quartum illud: *Beati mundo corde.* Ad quintum illud: *Beati pacifici.* Secundum Gloss. in septem primis est perfectio: in octaua, perfectionis ostensio. Ad perfectionem duo pertinent, scilicet purgari à noxiis, & impleri bonis. Purgari verò à noxiis, est prius naturaliter. Augustinus; Bono implendus es, funde malum: paupertas spiritus, & mansuetudo fundunt malum. Paupertas spiritus fundit mala illa quæ veniunt nobis à bonis quæ intra nos sunt], scilicet solicitudinem seculi & amorem: Mansuetudo vero fundit mala illa quę veniunt nobis ab his quę contra nos sunt. Expellit enim perturbationes quas in nobis faciunt aduersa.

Sapientiæ diuinæ & mundanæ differẽtia

Bonu[m] vt ord[inate] ne fiat quæ r[e]quir[a]...

Quinque vero beatitudines sequentes pertinent ad repletionem boni. Duplex est enim bonum præter bonum delectabile: scilicit bonum expediens, vt est medicina, vel incisio propter salutem corporis facta, & bonum simpliciter. Ad bonum expediens pertinet illud: *Beati qui lugent.* Qui enim habet gratiam lugendi, renuit cōsolari, eligens hîc salubriter cruciari vt possit sanari in futuro, & possit veraciter delectari. Ad bonum simpliciter pertinent quatuor sequentes beatitudines. Duæ primæ ad actiuam, & duæ aliæ ad contemplatiuam. Illud: *Beati qui esuriunt, &c.* pertinet ad bonum ad quod tenemur. Illud: *Beati misericordes,* ad bonum ad quod non tenemur. Aliarum duarum quæ pertinent ad contemplatiuam, prior pertinet ad intellectum, posterior ad affectum. Item prima septem beatitudinum quæ pertinent ad perfectionem animæ, expedit vim concupiscibilem, scil. paupertas spiritus: mansuetudo vero expedit vim irascibilem. Vis vero rationalis, postquam cor expeditum est ab amore mundi per paupertatem spiritus, & perturbationibus iræ per mansuetudinem vacare potest & videre statum in quo homo est. Quam visionem sequitur luctus: quia qui opponit scientiam, apponit & dolorem. Eccl. 1. Luctus vero purgat mentem, reliquias infirmitatis expellens, & infectionem palati spiritualis, quæ erat de febre iniquitatis, remouens. Ideo post luctum bene sequitur esuries iustitiæ: sicut homo perfecte purgatus & sanitati corporali restitutus esurire solet. Et notandum quod non tam cito animus perfecte sanatur quod cito peccatum ei remittitur. Vnde Aug. 14. lib. de Trinit. Sicut aliud est febrem, aliud infirmitatem febre factam curare. Item, aliud est telum de corpore demere, aliud vulnus eo factum secunda curatione sanare: Ita aliud est causa afferre languoris, quod per indulgentiā fit omnium peccatorum: aliud ipsum languorem curare, quod paulatim proficiendo fit in renouatione huius imaginis. Primum facit Deus per se & secum: secundum facit Deus per hominem & cum homine. Ideo dicitur in Psalmo: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, & sanat omnes infirmitates tuas.* Sanare infirmitates numeratur quasi diuersum cum eo quod est propitiari iniquitatibus: quia vero esuriens & sitiens iustitiam, ex fragilitate quandoque cadit, saltem venialiter: *Septies enim cadet iustus.* Prouerbior. vigesimo quarto. Necessaria sunt homini opera misericordiæ quibus homo se abluat. Luc. 11. *Verumtamen quod superest, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Sexto vero loco recte ponitur munditia cordis præparans ad Dei visionem, cum omnia præcedentia vel indicatiua sint, vel effectiua munditiæ, esuries & sitis eam indicant, cætera eam efficiunt. Visionem vero Dei sequitur gustatio diuinæ suauitatis: qua degustata animus amore & desiderio eius capitur, & propter hoc auertit se & abrumpit ab aliis vt Deo totaliter vacet. Gustato enim spiritu, vt ait Aug. desipit omnis caro, vnde talis studet paci faciendæ & conseruandæ in se, sciens quod in pace factus est locus eius. Ideo septimo loco recte ponitur illud: *Beati pacifici.* Tres primæ faciunt ad hoc vt vetus homo exuatur: quatuor sequentes ad hoc vt nouus homo induatur. Ad quod monemur Ephes. 4. *Deponite vos secundum pristinam conuersationem veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris, & induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est:* Et ad Colossenses quarto: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induentes nouum hominem, &c.* Ideo septimo loco recte dicitur: *Quoniam filij Dei vocabuntur.* Filius Dei est homo nouus. Filius Adam homo vetus. Bernard. in serm. inter dictas septem beatitudines sic distinguit: Attende, inquit, quemadmodum in tribus prioribus sibi ipsi reconciliatur anima; in duobus, quæ sequuntur

Marginal notes: Ps. 102. — Sanitas animæ vnde eueniat.

proximo : in sexto, Deo : in septimo, alios reconciliat, tanquã receptus in gratiã Domini & felici familiaritate donatus. Nam paupertate, mãsuetudine, fletu, renouatur in anima similitudo quędã & imago æternitatis omnia tẽpora cõplectentis, dũ paupertate futura meretur, mansuetudini sibi præsentia vendicat. Hoc videtur dici propter hoc quod mansuetus sibi dominatur, cũ homini immansueto potius dominetur ira. Et subdit Bern. Luctus pœnitẽtiæ præterita quoq; recuperat, sicut scriptum est: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Porro iustitia & misericordia perfecte proximo cohæremus, dũ quidquid volumus nobis fieri, aliis nõ facimus per iustitiã, & quæcũque volumus vt faciant nobis homines, & nos faciamus illis per misericordiã. Iã recõcilliati nobis, recõciliati etiã proximo, fiducialiter per munditiã cordis, recõciliamur Deo. Beati vero qui de sua reconciliatione non ingrati & pro fratribus suis pie soliciti, eos quãtum præualent, & sibi & Deo reconciliare laborant. Psal. 38.

Pars III.

De paupertate spiritus, & eius descriptione: quare etiam pauperes spiritu sint beati, & regnum cælorum sit ipsorum, ac cui dono paupertas spiritus adaptetur.

Consequenter dicendum est de singulis beatitudinibus. Et primo de paupertate. De qua hoc modo dicetur. Primo, ostendetur quid dicatur paupertas spiritus. Secundo, quomodo pauperes spiritu sint beati. Tertio, quomodo regnum cælorum sit pauperũ spiritu. Quarto, cui dono paupertas spiritus adaptetur. Quinto, agetur specialiter de de his in quibus paupertas spiritus consistit. Circa primum notandum quod Bern. in sermonibus vocat paupertatem spiritus voluntariam paupertatem, quæ est cum spirituali intentione, sic dicens: Diligenter attende quod non simpliciter pauperes nominat, propter plebeios pauperes, necessitate miserabili, non voluntate laudabili. Spero equidem profuturam eis apud diuinæ bonitatis misericordiam hãc ipsam afflictionis suæ miseriam. Scio tamen hoc in loco Dominum non de huiusmodi fuisse locutum, sed de his qui possunt dicere cum Propheta: *Voluntarie sacrificabo tibi.* Attamen nec voluntaria quidem paupertas omnis laudem habet apud Deum. Nã & Philosophi sua omnia reliquisse dicuntur, vt expediti mundialibus curis studio vanitatis possent vacare liberius, & nolebant sensu abundare in sensu suo: Hos discernit quod dictum est, Spiritu: id est spirituali voluntate: *Beati vero pauperes spiritu*: spirituali scilicet intẽtione, desiderio spirituali propter solum beneplacitum Dei & animarum salutem. Super illud vero Matt. 5. *Beati pauperes*, quædã interlinearis dicit Voluntate. Alia interlin. dicit: Pauper spiritu est humilis corde. Glos. vero hæc duo coniungit, dicens: Paupertatis deuotio habet duas partes: rerum abdicationem, & spiritus contritionem. Si quis tamen diligenter attendat, paupertas spiritus videri poterit consistere in tribus, secundum tres vires animæ, scilicet in humilitate secundum vim rationabilem, vt sumamus humilitatem pro illa humilitate, de qua Bernard. Est humilitas quam in nobis veritas parit. Item in lib. de decem gradibus humilitatis: Humilitas est virtus qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit: Et in diffidentia de propriis viribus quantum ad vim irascibilem. Diffidentia enim de propiis viribus commendabilis est, sicut diffidentia de Deo est vituperabilis. Et in contemptu siue prauo amore rerũ temporaliũ quæcunque sint res illæ, siue sint diuitiæ, siue alia. Est iste cõtemptus pertinere videtur ad vim concupiscibilem. Et sub isto tertio membro contineri illa videtur spe-

Psal. 53.

Paupertas spiritus quibus cõsist.

cies humilitatis, quæ est contemptus propriæ excellentiæ, de qua loquitur Bern. in epist. possumus tamen dicere paupertatẽ spiritus consistere in duobus, scilicet in humilitate, & rerum temporalium abdicatione: sicut tangit gl. Et tunc accipietur humilitas ita large, vt comprehendat diffidentiam de propriis viribus. Sicut in tractatu de superbia, præsumptio posita est species superbiæ. Dicunt etiam aliqui, ad paupertatem spiritus pertinere spiritualẽ mendicationem, quia quis mẽdicat ea quæ sunt spiritus, improbum se diuitibus spiritualibus exhibendo, nunc subsidium orationum, nunc panem doctrinæ humiliter petendo. Sed ista mendicatio sequela est veræ humilitatis. Item dicunt aliqui paupertatem spiritus esse, quum aliquis agnoscit, se non habere dominium aliquod, nec in se, nec in eis quæ sua videntur, sed solùm administrationem: Deum verò omnium esse verum dominum intelligit. Hæc paupertas spiritualis est, quum sedem habeat in ipso spiritu. Et qui hanc paupertatem habet omnino sine proprio est. Pro. 13. *Acceptus est regi minister intelligens.* Intelligens, inquam, se solum ministrum esse, & nullius dominum.

Quare pauperes spiritu sunt beati.

Circa secundum notandum est, quod propriissima causa quare pauperes spiritu sint beati, est illa quam Dominus assignat: *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, quasi diceretur: Videntur esse pauperes, verè sunt diuites. Prouerb. 13. *Est quasi pauper quum in multis diuitiis sit.* 2. ad Corinth. 6. *Sicut agentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Tria genera hominum solent haberi pro pauperibus, licèt nihil possideant, scilicet electi ad dignitatem magnam, & qui diuitias multas quas habent in tuto loco reposuerunt, & hæredes principum. Et hæc tria inueniuntur in pauperibus spiritu. Iac. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni?* Ad beatitudinem etiam pauperum spiritu facit, quod ipsi liberi sunt à multiplici miseria quæ superbiam sequitur. De quo require in tractatu de superbia. Item à multiplici miseria in quam ponunt diuitiæ amatores suos. De quo, require in tractatu de auaritia. Quando etiam ponentur ea quæ pertinent ad commendationem paupertatis & humilitatis, amplius patebit, quomodo pauperes spiritu sint beati.

Quare pauperum spiritu sit regnum cœlorum.

Circa tertium notandum, quod pauperum spiritu regnum cœlorum est facilitate acquirendi. Pauperes enim spiritu sunt contemptores mundi, & humiles: qui verò contemnunt mundum, habent eum sub pedibus, & sunt supra mundũ. Humilitas verò est quasi clauis regni cœlorum, contra quam non valet aliqua clausura. Apoc. 3. *Ecce dedi ostium apertum coram te, quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutem.* Facile ergo est pauperibus spiritu intrare & regnum cœlorũ, qui sunt iam supra mundum, & clauem habent tam efficacem. Præterea humilitas est de qua dictum est, quod laqueos mundi euadit. De paupertate autẽ verum est, quod frustra ante eum rete iacitur. Prou. 1. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Pennati sunt contemptores mũdi. Humilium est regnum cœlorum, iuxta illud: *Sinite paruulos venire ad me, & nolite prohibere: talium enim est regnum cœlorum.* Luc. 18. Triplici ratione humilitatis videtur esse regnum cœlorum. Primo propter eius capacitatem. Ipsa enim in præsenti capax est gratiæ quam tumor superbiæ repellit. Iacob. 3. *Humilibus autem dat gratiam:* & quia est capax gratiæ, in futuro erit capax gloriæ. Secundo, propter fidelitatẽ. Quum enim ipsa fidelis sit in modico, super multa constituetur.

Humilibus triplici ratione debetur regnũ cœlorum.

Matth. 25. *Quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Bernard. super Cant. Fidelis re vera famulus es, si de multa gloria Domini tui, etsi non exeunte de te, tamen transeunte per te, nil manibus tuis adhærere contingat. Tertiò ratione vicissitudinis. Humilitas Deum in se recipit: ideo merito in regno Dei recipietur. Prou. 29. *Humilem spiritu suscipiet gloria.* Humilitas in præsenti Deum honorat: ideo merito in futuro à Deo honorabitur. Eccles. 3. *Magna potentia Dei solius, & ab omnibus honorabitur.* 1. Reg. 2. *Qui honorificauerit me, glorificabo eum.* Item diffidentium de propriis viribus est regnum cœlorum, id est, robur & affluentia cœlestis auxilij. De cœlo enim venit eis auxilium, cum de Deo & de Sanctis eius confidant, & non de propriis viribus. Lucæ 12. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri meo dare vobis regnum.* Contemptoribus verò rerum tēporalium regnum cœlorum est, quasi iure emptionis. Bern. in sermonib. Pauperibus pariter & martyribus regnum cœlorum promittitur: quia paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur. Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum, &c. centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.* Item Bernard. in sermonibus: Quid sibi vult, quod eadem promissio facta est martyribus & pauperibus, nisi quia verè martyrij genus paupertas voluntaria est. Item mendicantium suffragia sanctorum, regnum cœlorum est: quia regnum cœlorum pietatis est. Quidquid autem habet pietas, pauperum est. Ecclesiast. 16. *Omnis misericordia faciet locum vnicuique, &c.* Domus cœlestis sicut & alia domus Dei, pauperum est. Illorum verò qui nihil propriū se habere intelligunt, sed omnia commodata vel commendata à Deo reputant, est regnum cœlorum, tanquam eorum qui Deo sunt fidelissimi, nullius rei dominium sibi vsurpantes, sed omnium rerum dominium Deo relinquentes. Ad beatitudinem horum facit, quod si auferatur ab eis aliquid eorum quorum onus & periculum habebunt, nullam molestiam sentiunt, sed suam exonerationem hoc reputant. Præterea cum propriam voluntatem non habeant, & contra voluntatem propriam eorum nihil fit, ideo molestia carent. Hoc enim solum molestum est alicui, quod contra eius voluntatem fit.

Paupertas spiritus dono timoris adaptatur.

CIrca quartum notandum, quod paupertas spiritus dono timoris adaptatur, & quantum ad humilitatem, & quantum ad rerum temporalium paupertatem. Qnantum ad humilitatem, quia timor humilitatem introducit, sicut aliquis solet se inclinare timore gladij super eum eleuati. 1. Petr. 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Paupertas verò rerum temporalium benè timori adaptatur. Timentium enim est proiicere quæcunque fugæ suæ cursum impediunt, & quæcunque euasioni suæ obstant. Multi timore periculi, quod est in mundo isto, mundum relinquunt. Vnde super illud Iob 31. *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* Gloss. Fluctus quum tumentes desuper eminent, ea ex naui proiiciunt pro quibus nauigia sumpserunt.

DE HVMILITATE,

PARS IV.

Quæ subditur in quinque Capitula.

CAPVT I.

De ordine dicendorum de humilitate, & eius descriptione.

COnsequenter agendum est de his in quibus consistit paupertas spiritus,

scilicet de humilitate. *Sicut enim initium omnis peccati superbia:* Eccles. 10. sic initium nostræ reparationis videtur esse humilitas. Hieron. Prima virtus Christianorum est humilitas. De humilitate verò hoc modo agetur. Primò ponentur eius descriptiones. Secundò eius commendationes. Tertiò, tangetur de causis humilitatis. Quartò, de signis eius. Quintò, ponentur diuisiones ad humilitatem pertinentes. Humilitatem sic describit Aug. Humilitas est ex intuitu propriæ conditionis & sui conditoris, voluntaria mentis inclinatio in suo imo ordinabili ad suum conditorem. Humilitas est velut quædam mentis incuruatio seu genuflexio coram Deo, eum semper venerans. Causa vna huius inclinationis est intuitus propriæ conditionis. Propriam conditionem intuebatur Abraham, quum diceret: *Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis.* Genes. 18. Item qui dicebat: *Putredini dixi, Pater meus es: mater mea & soror mea vermibus.* Iob. 18. Ad hunc intuitum mittimur. Mich. 6. *Humiliatio,* inquit, *tua in medio tui:* id est, in ventre. Voluit Dominus ventrem ante esse, vt homo semper videre posset materiam suæ humiliationis. Alia causa inclinationis est intuitus conditoris, in quo nullus est defectus: Vnde comparatione eius magis apparent defectus nostri. Iob 25. *Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius: quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?* Esa. 64. *Quasi pannus menstruatæ omnes iustitiæ nostræ.* Greg. Sæpe iustitia nostra ad examen diuinæ iustitiæ deducta, iniustitia est, & sordet in districtione iudicis, quod fulget in æstimatione operantis. Iob vlt. Nunc oculus meus videt te. Idcirco me reprehendo. Bern. ad fratres de monte Dei: Nunquam se melius deprehendit modus humanæ imperfectionis, quàm in lumine vultus Dei: in speculo diuinæ visionis mens humilis in suo imo manet, tractat enim quæ in se infirma sunt. Senec. in epistolis: Quod homines libentissimè de aliis faciunt, de te malè existima: illud autem maximè tracta, quod in te esse infirmissimum senties. Si palea locum supremum tenet, non sui nobilitate, sed vento & sui vanitate: granum verò quod pretiosum est tenet locum imum: sic superbia vilis elationis opinione, vel ambitionis præsumptione, super alias se extollit: humilitas verò in imo remanet; tamen illud imum ordinabile est ad Deum, Deus enim in corde humili quiescit. Vnde super illud Psalm. *Parata sedes tua ex tunc,* dicit Gloss. Anima tranquilla & humilis sedes est Dei. August. 11. lib. Confess. O quàm excelsus es, & humiles corde sunt domus tuæ! Bernard. in lib. de consideratione, satis insinuat quid sit imum hominis, & quid sit illud quod ad conditorem ordinatur. Vbi considerationẽ sui in tria diuidit: scilicet in cõsiderationem, quid, quis, & qualis sis, quid in natura, quis in persona, qualis in motibus. Et subdit: est in diffinitione hominis quem dicunt animal rationale, mortale: quod diligencius intueri licèt si libet consideranti duo hæc simul, rationale & mortale. Is tibi exinde occurrit fructus, vt & mortale, quod in te est, rationale humiliet: & rursum rationale, mortale confortet, quorum neutrum neglectui erit homini circumspecto. Mortale ergo imum hominis intelligas: id verò quo ordinatur homo ad suum conditorem intelligas rationalem. In quantum mortalis, est homo puluis & cinis: inquantum rationalis, est capax Dei: Item humilitas sic potest describi: Humilitas est voluntarius contemptus sui. Vel sic: Humilitas est sensus propriæ vacuitatis seu inanitatis. Bernard. in lib. de duodecim gradibus humilitatis, eam sic describit: Humilitas est veritas qua homo verissima sui cognitione sibiipsi vilescit. In epistolis verò sic eam describit: Humilitas est contemptus propriæ excellentiæ. Prior descriptio Bernardi videtur pertinere ad humilitatem intellectus, sequens verò ad

Humilitatis descriptio.

Psa. 92.

Quid vera humilitas.

humilitatem affectus. In Vitis Patrum, Frater quidam interrogauit quendam senem, quid est humilitas. Et ille respondit: Qui vult esse humilis, fugiat, eligens taciturnitatem.

CAPVT II.

De commendatione Humilitatis.

NOtandum quod ad commendationem eius, Primò valere potest multiplex admonitio quam S. S. facit de ipsa. Ecclef. 3. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Notabiliter dicitur: *Quanto magnus es*, melius enim sedet humilitas in maioribus. Bernard. in lib. de Consideratione: Cùm omni indifferenter personæ humilitas sit quædam turris fortitudinis à facie inimici, nescio quo pacto tamen vis eius maior in maioribus & in clarioribus clarior comprobatur. Nulla splendidior gemma in omni præcipuè ornatu summi Pontificis. Item Bernard. In alto non altum sapere, sed humilibus consentire, nil Deo charius vel rarius apud homines. Hieron. Nihil est quod nos hominibus ita gratos & Deo faciat, quàm si vitæ merito magni, humilitate sumus infimi. Greg. in Moralib. Mirum est cùm in cordibus sublimium, regnat humilitas morum. Vnde pensandum est, quia potentes quique cum humiliter sapiunt, culmen extraneæ & quasi positæ longè virtutis attingunt. Bern. ad Eugenium Papam: Salubris copula, vt cogitans te summum Pontificem, attendas pariter te vilissimum cinerem non fuisse, sed esse. Bernard. Non est magnum esse humilem in abiectione, magna prorsus & rara virtus est humilitas honorata. Item monemur ad humilitatem. Ecclef. 7. *Humilia*, inquit, *valde spiritum tuum.* Valde debemus nos humiliare. Quantumcunque enim nos humiliauerimus, Christo humiliores non erimus. Luc. 14. *Recumbe in nouissimo loco.* Non dicit in medio. Ostium paradisi humile est. Ioan. 10. *Ego sum ostium.* Ingressuro per istud ostium non est periculum quantumcunque se inclinet: sed si parum plus iusto se erexerit, offendet. Bernard. Non est plane timenda quantalibet humiliatio: horrenda autem nimisque pauenda vel minima temere præsumpta erectio. Quamobrem noli te comparare, ô homo, maioribus, noli minoribus, noli æqualibus, noli vni. Item monemur ad humilitatem. 2. Pet. 2. *Subiecti*, inquit, *estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Eiusdem 5. *Omnes inuicem humilitatem insinuate.* In eodem: *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Secundo, possunt valere ad humilitatis commendationem exempla. Inter quæ præcipuum est exemplum Christi, qui humillimus fuit. Augustin. Ambula per Christi humilitatem, vt venias ad æternitatem: Deus Christus patria est quo imus: homo Christus est via qua imus. Ad illum imus, per illum imus: quid timemus? ne erremus. Item putabas forte sapientiam Dei dicturam: Disce quomodo cœlos feci & astra. Non: sed prius illud: *Quoniam mitis sum, & humilis corde.* Vis capere celsitudinem Dei, cape priùs humilitatem Dei. Item Augustin. 14. lib. de Ciuit. Dei: Nunc in Ciuitate Dei in hoc seculo peregrinanti maximè commendatur humilitas, & in eius rege qui est Christus maximè prædicatur. Contrarium huic virtuti elationis vitium in eius aduersario qui est diabolus maximè dominari, sacris literis edocetur: Humilitatem exemplo suo Christus docuit, & nascendo, & moriendo, & prædicando, & miracula agendo. Bern. loquens de illo verbo, *Paruulus datus est nobis.* Esa. 9. Studeamus, inquit, effici sicut iste paruulus: discamus ab eo, qui mitis est, & humilis corde, ne magnus videlicet Deus, sine causa factus sit homo paruulus. Augustin. Medicina tumoris hominis est humilitas Christi. Erubesceret homo esse superbus,

Exempla humilitatis.

ſuperbus, quia humilis factus eſt Deus. Erubeſceret miles ſedere in ſcamno, ſi videret regem ſedere ad terrã. Eſa. 64. *Vtinam dirumperes cœlos, & venires. A facie tua montes defluerent*, id eſt, ſuperbi humiliarentur. Bern. Intolerabilis impudentiæ eſt, vt vbi ſe exinaniuit maieſtas, infletur vermiculus, & tumeſcat. Greg. Quanta virtus humilitatis, propter quam veraciter edocendam, is qui ſine æſtimatione magnus eſt, vſque ad paſſionem paruulus factus eſt. Bernard. Quid magis admirandum, quid ampliùs deteſtandum, quid grauiùs puniendum, quàm quod videns Dei filium ſummum in regno angelorum, nouiſſimum factum in regno hominum, apponat adhuc magnificare ſe homo ſuper terram? Magiſterium humilitatis ſpecialiter ſibi Chriſtus adſcribit. Matt. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Auguſt. in lib. de Virginitate: Non dicit, Diſcite à me mũdum fabricare, aut mortuos ſuſcitare: ſed quia mitis ſum, & humilis corde. O doctrinam ſalutarẽ, ô magiſtrum dominumque mortalium, quibus mors poculo ſuperbiæ propinata atque transfuſa eſt: noluit docere quod ipſe non eſſet, noluit iubere quod ipſe non faceret. In eodẽ: Itáne magnum eſt eſſe paruum, vt niſi à te qui tã magnus es fieret, diſci omnino non poſſet? Ita plane: non enim aliter inuenitur requies animæ, niſi inquieto tumore digeſto. Chriſtus in operibus ſuis multùm voluit nobis humilitatem commendare: matrem humilẽ voluit habere. Luc. 1. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, &c.* Item voluit habere domum humilem, quia diuerſorium: & lectum humilẽ, quia præſepium: & veſtem humilem, quia pannis inuolutus eſt. Lucæ 2. *Pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diuerſorio.* Bernard. in Serm. loquens de illo verbo angeli dicto paſtoribus: Luc. 2. *Hoc vobis ſignum*: *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.* Non ſine certi ratione myſterij pannis Saluator obuoluitur & ponitur in præſepio, quando idem manifeſte in ſignũ nobis commendatur ab angelo. *Hoc*, inquit, *vobis ſignum: Inuenietis*, &c. In ſignũ poſiti ſunt panni tui. O bone Ieſu! ſed in ſignum cui hodie à multis contradicitur. Pſal. 20.
Agnoſco certe, agnoſco Ieſu magnum ſacerdotem ſordidis opertum veſtibus, dum altercaretur cum diabolo. Zach. 3. Exemplum dedit nobis, vt & nos eadem faciamus. Vtilior ſiquidem in conflictu lorica ferrea, quàm ſtola linea, licèt oneri illa ſit, hæc honori. Erit cum membra ſequentur caput, vt corpus vniuerſum vno ſpiritu pſallat & dicat: *Concidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia.* Chriſtus humilibus per Angelum natiuitatem ſuam nuntiat, quia paſtoribus. Bernard. in Sermone: Quot multa hodie gemmis & auro fulgent altaria, quantis vbique palliis & aurificiis parietes adornantur, putas ad hæc diuertent angeli & pannoſos homines declinabunt? Si ita eſt: cur paſtoribus ouium magis apparuêre quàm terræ regibus, quàm templi ſacerdotibus? Item Chriſtus circumciditur, in quo magnum humilitatis dat exemplum, ſecundũ enim Bern. in incarnatione minoratus eſt paulò minus ab angelis, ſed in circumciſione multo minus: quia latronis cauterio eſt ſignatus. Bernard. Veſtigium nullum vulneris habens, alligaturam vulneris non refugit. Non ſic impij, non ſic agit peruerſitas elationis humanæ. Erubeſcimus vulnerum ligaturam qui de vulneribus etiam interdum gloriamur. Qui ſine peccatò eſt, nõ dignatus eſt peccator reputari; & nos eſſe volumus, & nolumus æſtimari. Item Chriſtus hominibus humiliter ſubditur. Luc. 2. *Deſcendit cum eis, & venit in Nazareth, & erat ſubditus illis.* Quis? quibus? Deus hominibus. Item Chriſtus humiles ſibi ſociauit, quia piſcatores: Matt. 4. Ioanni etiam ſe ſubdit ab eo baptizandus. Matth. 3. Attendendum vero eſt mirabile certamen quod ibi fuit inter humilitatẽ Saluatoris, & humilitatẽ præcurſoris. Ioannes. n. prohibebat eum, dicens:

Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me. Cui Christus: *Sine modò: sic decet nos implere omnem iustitiam.* Bern. Sic plane, sic decet vt vincat etiam humilitate qui sublimitate vincebat. Cessit humilitas præcursoris tanquam minor, & quia obedientia tulit auxilium humilitati Saluatoris, vnde factæ sunt duæ contra vnam. Gloss. super illud, Tunc dimisit. Vera est, inquit, humilitas quam non deserit comes obedientia. Item Christus paruulum amplexus. Marci 9. Et eiusd. 10. increpat prohibentes paruulos ad eum venire, & complexans eos, imponens manus super illos, benedixit eis. Itē in prædicatione sua gloriam patris quærit. Ioan. 14. *Sermonem quē audistis non est meus, sed eius qui misit me Patris.* Eiusd. 17. *Ego te glorificaui super terram,* dicit filius ad Patrem. Eiusd. 8. *Ego honorifico Patrem meum.* In eodem: *Ego gloriam meam non quæro.* Eiusd. 6. Iesus cum cognouisset quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. Item exemplum dat humilitatis in miraculorum operatione, vnde Matt. 8. dicit leproso mūdato: *Vide nemini dixeris.* Item in census solutione. Matt. 17. & in pedum ablutione. Ioan. 13. *Exemplum dedi vobis, vt & vos similiter faciatis.* Matth. 20, *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Item in hoc quod asinare voluit, non equitare. Matth. 21. Et post illud Zach. 9. *Sedens super asinam,* subditur: *Et disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem.* Specialiter contra superbiam, quæ est in equitaturis, voluit Dominus asino insidere. Item in passione, ad Phil. 2. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem.* ibi dicit gloss. August. Ecce habemus humilitatis exemplum, superbiæ medicamentum: quid igitur intumescis homo? O pellis morticina, quid tenderis? ô sanies fœda, quid inflatis? Princeps tuus humilis est, tu superbus? caput est humile, & membrum superbum? Tertio potest valere ad commendationem humilitatis, si ostendatur quantum ipsa placet Deo.

Notandum ergo, quod humilitas miro modo Deo redolet, & cætera bona hominis ei redolere facit. Cant. 1. *Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Nardus propter sui paruitatem, humilitatem designat. Et sicut species aromaticæ cum in puluerem rediguntur vehemētius redolent: sic bona hominis, cum per humilitatem quasi comminuta fuerint, Deo sūt gratiora Cant. 3. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Vbi humilitas est, adest feruor, qui ad redolentiam maiorem solet facere. Humilis nihil reputat se habere vel facere, ideo feruens est. Item Spiritus sanctus liberè flat in corde humili, quod etiam facit ad maiorem redolentiam. Cant. 4. *Veni, Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Humilitatem respicit. Deus oculo misericordiæ. Psa. 1

Luc. 1. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* In Psal. *Humilia respicit in cœlo, & in terra.* Gen. 26. *Vidit Deus humilitatem meam.* Esa. vlt. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu?* Superbum verò respicit Deus oculo iustitiæ. In Psal. *Retribuet abundanter facientibus superbiam.* Esa. 2. *Dies Domini exercituum super omnem superbum.* Humilitatem exaudiuit Dominus. Iud. 9. *Humilium & mansuetorum placuit tibi semper deprecatio.* In Psal. *Respexit in orationem humilium, & non spreuit precem eorum.* Eccl. 35. *Oratio humiliantis se, nūbes penetrabit.* Gregor. Magnus est creatori nostro, ad recipiendū fletus humilium, misericordiæ sinus. Propter defectum humilitatis parum audit Deus hodie orationes Ecclesiæ. Humiliū memor est Deus. In Ps. *In humilitate nostra memor fuit nostri.* Superbos quasi non agnoscit Deus. Vnde dicit superbis virginibus, Matth. 25. *Nescio vos.* Humiles liberat Deus, & à malo pœnæ, & à malo culpæ. In Psal. *Humiliatus sum, & libera-*

Psal. Psa. 1 Psa.

uit me. Reg. 21. *Nonne vidisti Achab humiliatum corã me? quia humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* 2. Paral. 12. *Quia humiliati sunt, auersa est ab eis ira Domini.* Non tenet Dominus iram suam contra humilitatem. *Responsio enim mollis humilitatis, frangit iram Domini.* Prou. 15. Humilis reputatione sui,
Psal. 22. vermis est. In Psal. *Ego sum vermis, & non homo.* Quis honor esset Deo vindicare se de verme vno? Iste modus placandi Deum, scilicet per humilitatem, videtur esse cõmunis Gentilibus, Iudæis & Christianis. Ierem. 6. *Accingere cilicio, & conspergere cinere.* Iob. vlt. *Meipsum reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Iudich 5. *Posuit pulnerem super caput suum.* Iosue 7. *Iosue & senes Israel proni ceciderunt in terram, & miserunt puluerem super capita sua, cum vrbis vrpio Hai cæcidissent de populo Iudæorum triginta sex viros.* Et Ionæ 3. legitur, quod rex Niniue audito verbo Ionæ, indutus est sacco, & sedit in cinere. Respõsio mollis quam fecit humilitas Dauid Sauli, videtur iram eius fregisse. 1. Reg. 24. *Quẽ persequeris rex Israël, quem persequeris?* ait Dauid: *Canem mortuum, & pulicem vnum.* Et respondit Saul tanquam placatus: *Nunquid hæc vox tua est, fili mi Dauid?* Sicut leo animalia sibi repugnantia lacerat & conculcat, subiecta verò illæsa abire permittit: Sic Deus humili parcit, superbum verò persequitur. Sap. 6. Exiguo conceditur misericordia. Dauid humiliter confitens peccatũ suum, audiuit à Propheta: *Dominus quoque tran-*
Psal. 50 *stulit peccatum tuum.* 2. Reg. 12. In Ps. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Humilitas ad modum astuti luctatoris, dum se Deo subdit, quasi eum vincit. Humilitas videtur Dei sentẽtias reuocare, vt patet in humiliato Achab. 3. Reg. 21. & in Ezechia Esaiæ 28. Et Niniuitis, Ionæ 3. Deus humiles etiam in præsenti exaltat: vt patet in Saul. 1. Reg. 15. *Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es?* Saul abscondit se domi cum quæreretur in regem. 1. Reg. 10. Et de Dauid sublimando dicitur eiusdem 16. *Abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico.* Moyses humilis princeps populi constituitur à Domino. Exod. 3. *Quis sum ego,* ait Moyses, *vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel ex Ægypto?* Et Ieremias humilis, super gentes & regna constituitur. Ierem. 5. *A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum,* ait Ieremias. Et Gedeon humilis, dux populi constituitur. Iudith 6. *Ecce,* inquit Gedeon, *familia mea minima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei.* Iob 5. *Ponis humiles in sublime.* Nummus qui descendit in statera, in thesaurũ mittitur: qui verò ascendit, reprobatur. Sic superbi reprobantur à Deo, humiles verò approbantur. In Ps. Psal. 37.
Ipsi de manu tua repulsi sunt. Humiles se deiiciunt, Deus verò eos exaltat. Hieron. loquens de Paula: Quanto plus se deiiciebat, tanto magis à Christo subleuabatur. Humilibus in præsenti dat Deus gratiam suam, in futuro verò suam gloriam. 4. Reg. 4. Vasa vacua replet Eliseus. Iacob 3. & 1. Petr. 5. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Bernardus: Qui de suis confidit meritis, & propriis innititur operibus, cor illius non intrat gratia, nimium plenus est, nec in eo inuenit gratia locum sibi. Non patitur natura vacuum quin illud repleat, nec gratia humilitatem quin illi se infundat. Humilitas gratiam haurit vt vas inclinatum. Eccles. 13. *Humiliare Deo, & expecta manus eius.* Quod Deus humiles glorificet, patet ex his verbis sacræ Scripturæ, quæ sequuntur. Iob 28. *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos suos, ipse saluabitur.* In Psal. *Tu populum humilem saluum facies.* Item. *humiles spiritu* Psal. 17. Psal. 33.
saluabit. Prou. 15. *Gloriam præcedit humilitas.* Eiusd. 18. *Antequam glorificetur cor, humiliatur.* Item 19. *Humilem spiritu suscipiet gloria.* Item Matth. 19. & Marc. 10. & Luc. 18. dicitur de paruulis. *Talium*

est regnum cælorum. & Luc. 14. & 18. *Qui se humiliat exaltabitur.* Eiusd. 11. dicitur pusillis: *Complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Item eiusdem 14. dicitur: *Recumbe in nouissimo loco, vt cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice ascende superius.* Eiusdem 18. *Quicunque non receperit regnum Dei vt puer, non intrabit in illud.* Matth. 18. *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Nec mirum si Deus humiles honoret, cum ipsi etiam honorent eum. Eccles. 3. *Magna potentia solius Dei, & ab humilibus honoratur.* 1. Reg. 2. *Qui honorificauerit me, glorificabo eum.* Humilitas est locus habitationis gloriæ Dei. Humilis enim gloriam suam Deo relinquit, cum superbus eam sibi vsurpet. Bern. in Sermonibus. Elatus quantum in se est, Deum inhonorat. *Gloriam meam,* ait Dominus, *alteri non dabo.* Et superbus: Ego, inquit, mihi eam licet non dederis, vsurpabo. Nō enim placet illi angelica distributio, dans gloriam Deo, pacem hominibus. Humilis Deum magnificat, superbus verò magnificat seipsum. Humilis est vox illa, Luc. 1. *Magnificat anima mea Dominum,* & iterum vox illa. Ioan. 3. *Illum oportet crescere, me autem minui.* Item Deus dona humilitatis specialiter acceptat. Vnde Exod. 17. dicitur de altari: *Nō solidum, sed inane & concauum facies illud.* Altare est cor altum, in eminentia scilicet perfectionis existens: quod per humilitatem debet esse inane, & concauum, vt Deo sint grata quæ ibi offeruntur. Gregorius in prima parte Moral. Vt cuiuslibet facta digniora sint, necesse est vt apud sese semper indigna videantur. Ad literā voluit Dominus vt altare esset concauum, vt capere posset ignem & eius materiam: ligna scilicet & victimas. Nec cor humanum capit ignem Spiritus sancti, nisi humile fuerit. Ligna etiam sacrorum verborum & victimas exemplorum bonorum non capit, nisi sit hnmile. Dedignatur enim superbus dicere inuenta vel dicta ab aliis, & nullum vult imitari.

Item humilitati Deus se ostendit. Gen. 18. *Apparuit Dominus Abraham in conualle Mambre.* Humilitas specialiter videtur habere gratiam apud Deum. Eccles. 3. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus: & coram Deo inuenies gratiam.* Nec mirum: hæc enim virtus specialiter subdit hominem diuinæ maiestati. Bernardus in Sermonibus loquens de illo verbo Angeli. Luc. 2. *Inuenietis infantem pannis inuolutum, &c.* Quid est, inquit, quod sola ab angelo videtur commendari humilitas? Et respondet. Forte specialius commendat Angelus humilitatem, quia ruentibus cęteris per superbiam, ipse in humilitate stetisset. Aut certe propterea cælitus enūciatur humilitas, quod hæc quasi propria virtus diuinæ sit exhibenda maiestati. Præterea humilitas Deo est fidelissima & deuotissima. Bona enim Dei sibi non vsurpat. Ipsius est vox illa. Esa. 15. *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine,* Ipsa homini dicit illud 1. Corinth. 4. *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quare gloriaris quasi non acceperis?* Quarto valere potest ad commēdationem humilitatis, si ostendatur quantum ipsa homini prosit. Notandū ergo quod ipsa sapientiam introducit. Prou. 11. *Vbi humilitas, ibi & sapientia.* Matt. 11. *Reuelasti ea paruulis.* Superbia non habet vbi sapientiam recipiat. Dydimus Philosophus ad Alexandrum: Deus præsto est largiri sapientiam, sed non habes vbi recipias. Greg. in Pastoralibus: Pupilla oculi nigra videt, & albuginem tolerans nihil videt, quia humanæ sensus cogitationis si stultū se peccatorémque intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit. Si autem candorē sapientiæ seu iustitiæ sibi attribuit, à luce supernæ claritatis excludit. Ptolomęus Philosophus: Inter sapientes sapientior est qui humilior existit. Beda: Humilitas est clauis scientiæ. Ipsa humilitas magna pars videtur esse sapiētiæ. Gregorius: Prima stultitia Angeli, fuit elatio cordis. Vera sapiētia efficitur hominis, humilitas

Vtilit[ates] h[u]militatis.

suæ æstimationis. August. de verbis Domini. Quanto humilius sedebat Maria, tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem vallis de supercilio montis. Bernard. in libro de duodecim gradibus humilitatis : Bona via humilitatis qua veritas inquiritur, charitas acquiritur, generationes sapientiæ percipiuntur. In Vitis Patrum quidam frater ieiunauit septuaginta hebdomadas, petens à Deo, vt reuelaret ei de quodam sermone scripturarum, & cũ non fuisset ei reuelatũ, exiit ad quendã fratrẽ vt requireret ab eo, & in itinere obuiauit ei Angelus, dicens : Septuaginta hebdomadas quas ieiunasti non te fecerunt proximum Deo: nunc vero, quia humiliatus es, ita vt ad fratrem pergeres, missus sũ tibi vẽdicare sermonẽ, & docens eum Angelus sermonem, recessit ab eo. Itẽ humilitas charitatẽ reparat. Bern. Sola virtus humilitatis læsæ est reparatio charitatis. Item à laqueis liberat. Ant. Vidi omnes laqueos inimici tensos in terra, & ingemiscens dixi : Quis putas, trãsiet ista? Et audiui vocẽ dicentem, Humilitas non solum est gratia, sed etiam vas aliarum gratiarum, & non quodcunque vas, sed vas admirabile. Vas illud impletione capacius efficitur. Cum datur humili augmentum gratiæ, ipsa humilitas, sicut & cæteræ gratiæ, crescit. Vnde capacior fit, ipsa cũ Dei liberalitate certate videtur, à qua petere concessa, semper habens vbi recipiat: Quanto enim magis recipit, tanto magis vacuam se recognoscit. Humilitas seipsam euacuat vt capacior fiat: qui enim vere humilis est, se humilem non reputat: ideo expeditissimus est ad gratiæ susceptionem. Humilitas est luminare, quod non minuitur in consummatione, Eccl. 43. In ea impletur illud : *Cum consummauerit homo, tunc incipit.* Eiusd. 18. Humilitas cum omnia facit, nihil facit. Vere enim humilis impleuit illud Luc. 17. *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus,* ita humilitas de maioritate oneris roboratur: vere humilis omnia bona quæ à Deo recipit, onera esse intelligit quibus se Deo obligari credit, vnde illis humilior efficitur, sicut ramus arboris ex multitudine fructuũ inclinatur: & sic quãto maius est onus, tanto robustior est humilitas. Item humilitas de morte viuificatur, de morte ditatur, de detrimento augetur. Humilitas nutrix est dilectionis. Chrysostomus: Nutrix dilectionis est humilitas, odij mater est superbia. Item humilitas tutissima est. In imo enim est, & non habet quo cadat, vt dicit Augustin. Ipsa in tentatione hominem seruat. Vnde gloss. super epistolam ad Corinth. Humilitas custodit in omni tentatione, vt non crepet in fornace, qui non timet vento superbiæ. Humilitas abscondendo bona nostra, seruat ea. Gregor. Petit omne quod agitur, si non sollicitè in humilitate custoditur. Idem : Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi puluerem in vento portat. Aug. Nisi humilitas omnia quæcunque benefacimus & præcesserit & comitata & consecuta fuerit, iam nobis de aliquo facto bono gaudentibus totum aufert de manu superbia. Item humilitas de serpente infernali triumphat, caput eius conterendo. Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuũ.* Dauid Galiam in capite percutit, & sic eum deuincit. 1. Regum 17. In hoc capite Ecclesiast. eũ percutit in quadragesima capite ieiunij, cum capitibus fidelium cinerem superponit. Humilitas specialiter dicitur vincere diabolum. Gregor. Tot iaculis nos diabolus percutit, quot tentationibus affligit : & nos contra eum iacula mittimus, cum confessi humiliter respondemus. Diabolus dixit. Machario : Humilitas tua sola me vincit. Interrogatus quidam senex quare inquietaremur à dæmonibus, dixit : quia abiecimus arma nostra quæ sunt contumeliæ, paupertas, humilitas, patientia. Et super illud ad Rom. 7. Et per illud dicit glos. Esto humilis, ne de te præsumas, & poteris vincere. Aug. Solus vincitur qui de se præsumit : solus vincit, qui de se non præsumit. Humilis ideo vin-

cit,quia Deus in eo pugnat:vere enim humilis Deo attribuit gloriam quæ est de victoria : ita per consequens ponit super eum pugnam. Eiusdem enim pugna & de victoria pugnæ gloria. Præterea vere humilis de vulnere suo roboratur, & de infirmitate fortior efficitur 2. Corinth. 12. *Cum infirmor, tunc potens sum.* Ideo non est mirum si non vincatur. Item humilitas propter sui exilitatem & nihilitatem, ab hoste non tenetur : ideo merito non vincitur 4. Reg. in fin. Nabuchodonosor trahens rete captiuitatis per terram Iudæorum, nobiles magnos cepit, & duxit in captiuitatem, pauperes vero reliquit. Superbia propter causas oppositas semper vincitur. Humilitate vincit homo seipsum, quæ victoria est valde difficilis. Greg. Plus stupeo Dauid saltantem, quã pugnantem: pugnando hostem subdidit, saltando seipsum vicit, quam Michol ex tumore regij generis insana humiliatum despexit. Item humilitas pacatissima est. Pacem enim videtur habere cum suo opposito, scilicet cũ superbia. Superbus vnus alium superbum non patitur, nec cum eo pacem habet. Tumor enim vnius, tumorem alterius pungit. Apud Geometras demonstratum est, quod sphærica corpora, quæ quasi tumida sunt, non possunt se cõtingere nisi in solo puncto. Vnde pungere se inuicẽ possunt, sed non plane aut recte sibi inuicem applicari. Sic est de cordibus superbia tumescentib. corpus concauum sphæricum, corpus infra concauitatem suam potest recipere: sic & humilis cum superbo pacem potest habere. Item humilitas astutissima esse videtur. Quod satis patere poterit, si attendatur quomodo cum superbia diuidat mundum. Notandum ergo, quod in diuisione mundi superbia accipit extra, humilitas vero intra. Vnde super illud Ioh. 6. *Eum qui venit ad me non eiiciam foras,* dicit gl. Superbi est foras eiici, qui nihil habet in bono interiori, neque hîc, neque in futuro. Ad humiles pertinet illud : *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* 2. ad Cor. 1. Senec. Sapiens, est verè humilis. Humilitas vult habere trossellum, superbia vero operimento contenta est, humilitas vult habere equum, superbia vero sellam & frenum. Item accipit humilitas nucleum, superbia vero corticem. Item superbia accipit altum, humilitas imum. Superbia habet montes, humilitas valles. Ideo superbia habet ventum. Perflant enim altissima venti. Habet etiam ariditatem, duritiem, sterilitatem, præcipitium. Opposita vero his habet humilitas. Bern. Facile est in alto se cõtuentem obstupescere, & de vita periclitari. Item superbia accipit florem, humilitas fructum. Hier. 48. *Date florem Moab.* Moab interpretatur ex patre: & significat superbos, qui de nobilitate paterna gloriantur. Item superbia accipit pulchrũ, humilitas bonum. Superbia accipit esse in opinione vel visione hominum, vel dictione, humilitas vero esse in rei veritate. Vnde dicitur de hypocritis : *Omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominib.* Matth. 23. Superbia accipit paleam, humilitas granum. Superbia accipit imaginem siue picturam honestatis, humilitas veram honestatem. Sapiens : Apud sapientes sunt honesta, apud vulgus simulachra rerum honestarum. Item superbia elegit ascendere, humilitas descendere. Bern. O peruersitas, ô abusio filiorum Adam : quia quum ascendere difficillimum sit, descendere facillimum, ipsi leuiter ascendũt, & descendunt difficilius, parati ad honores & celsitudines graduum ecclesiasticorum ipsis angelicis humeris formidandas. Item superbia accipit publicum, humilitas absconditum. Esaiæ 23. *Erit vir quasi qui absconditur à vento, & celat se à tempestate.* Item superbia accipit quod est contentionis, humilitas vero quod est pacis. Humilitas recumbit in nouissimo loco Luc. 14. Superbia vero gloriari vult. Gloria vero res contentionis est : cum enim vnus laudat eum qui superbus est, duo eum vituperant. Prou. 22. *Arma &*

gladius in via superbi, custos autem animæ suæ longe recedit ab eis. Custos animæ suæ est vere humilis. Item humilitas valde gloriosa est. Bernard. Gloriosa res est humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat. Idem: Quid facit superbia sub pannis humilitatis Iesu? Numquid non habet quo se palliet humana malitia, nisi vnde inuoluta est infantia Saluatoris? Humilitas laudem fugit, laus vero eam sequitur tanquam laude dignam. E-contrariò superbus laudem sequitur, laus vero eum fugit tanquam laude indignum. Superbia more hominum se & sua ponit, ideo non est mirum si morsus detractionum frequenter ibi sentit. Humilitas vero altissimum ponit refugium suum. Ipsa enim dicit illud 1. ad Cor. 4. *Qui autem iudicat me, Deus est:* ideo morsus detractorum eam non attingunt. Superbi velut idola sunt quæ vanissime laudantur: sicut viri virtutum Dij dicuntur. In Psal. *Ego dixi, Dij estis.* Ipsi sunt velut simiæ sanctorum, *speciem sanctitatis habentes, virtutem autem Dei abnegantes.* 2. ad Timotheum 3. Ipsi etiam sunt sicut arundo, quæ mouetur, non quia viuat, sed quia vento agitatur: sic ipsi mouentur ad opera de genere bonorum, vento inanis gloriæ, non à spiritu vitæ. Matt. 10. *Quid existis in deserto videre? Arundinem vento agitatam?* Et notandum quod vtilitas humilitatis in homine ex diuersis figuris quibus ipsa designatur, potest in magna parte ostendi, de quibus paucas ponere sufficiat.
Psa. 64. Humilitas vallis est fertilissima. In Psal. *Valles abundabunt frumento*, id est, humiles populi bonis operibus. Ipsa est vallis lacrymarum in qua benedictionem dabit legislator. Ibi inueniuntur aquæ gratiarum. In Psalm. *Inter medium montium pertransibunt aquæ.* Aug. Alta sic-
Ps. 103. cantur, ima replentur. Item ipsa est fundamentum ceterorum bonorum. Aug. Magnus vis esse, à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento cogita humilitatis. Bern. Bonus fundus humilitas, in quo omne ædificium spirituale constructum crescit in templum sanctum in Domino. Humilitas est nihilum illud super quo terra Ecclesiæ fundata est. Iob. 26. *Appendit terram super nihilum.* Humilitas facit hominem pulchrum nihil, sed superbia facit hominem turpem nihil. Galat. 6. *Si quis se existimat aliquid esse, quum nihil sit, ipse se seducit.* Item ipsa est radix ceterarum virtutum. Greg. Origo virtutis, humilitas est. Illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est, in humilitate perdurat. Aug. Arborem attendite, figit radicem in humili, vt vertice tendat ad cælum. Idem: Sine radice auras petis, ruina est ista, non crementum. Item humilitas est via ad sublimitatem. Bern. Per humilitatem ascendit ad sublimitatem: quia hæc est via, & non est alia præter ipsam: qui aliter vadit, cadit potius quàm ascendat. Christus cum per naturam diuinitatis non haberet quò ascenderet, quia vltra Deum nihil est: tamen per descensum quomodo cresceret inuenit. Item humilitas est quasi aquæductus per quem gratia ad hominem venit. Ber. Ideo fluenta gratiæ tanto tempore defuerant, quia nondum interuenerat aquæ ductus. Aquæductum istum intelligas humilitatem Mariæ. Multum nititur diabolus destruere aquæductum humilitatis. Holofernes præcipit incidi aquæductum. Iudith. 7. Item humilitas est turris fortissima. Amatoribus mundi videtur esse humilitas in imo, sed secundum veritatem in alto est. Luc. 16. *Quod altum est hominibus, abominatio est apud Deum.* Econtrario: quod altum est Deo abominatio est hominibus. Greg. in 2. parte Moral. In sublimi sunt humiles positi: quia vnde se in omnibus despiciunt, inde contra omnia securiores fiunt. August. 14. lib. de Ciuitat. Dei: Est aliquid humilitas miro modo quod sursum faciat cor. Item in eodem: Humilitas exaltat, quæ facit esse subditum Deo: elatio autem

quæ in vitio eſt, reſpuit ſubiectionem, & cadit ab illo quo non eſt quidquam ſuperius:& ex hoc eſt inferius: & fit quod ſcriptum eſt:*Deiecisti eos dum alleuarentur.* Ipſum quippe extolli, iam deiici eſt: humilitas per hoc oſtenditur eſſe in alto, quia propinqua eſt Altiſſimo.Gloſ.ſuper illud: *Iuxta eſt Dominus iis qui tribulato ſunt corde.* Altus quidem eſt Dominus, incuruatur tamen humili, & non ſe erigenti. Item humilitas eſt clauis paradiſi, Apoc. 3. *Ecce dedi coram te, &c.* Item eſt vas ſecuriſſimum, & habitaculum Dei quietiſſimum, de quibus prius habitum eſt. Humilitas in floribus viola eſt: ipſa etiam in odoramentis,eſt thus,quod quanto in fumum magis tenue reſolutum fuerit, tanto maioris ſuauitatis odorem ſpargit. Sic humilitas dum proprium eſt ſubiectum quaſi in nihilum extenuat: gratiſſimum odorem Deo ſpirat, ipſa eſt vt cinnamomum quod eſt cinerei coloris. Cinerem enim ſe reputat humilis. Ipſa eſt vt odorem amiſſum iuxta fœtentia recuperans. Eſt etiam vt amethiſtus, ebrietatem ſuperbæ præſumptionis tollens. Et eſt vt aſpis phantaſmata fugans. Cor ſuperbi phantaſias patitur, ſomnians ſe aliquid eſſe, quum nihil ſit. Item eſt vt ſapphyrus, cuius virtus eſt humores corporales reprimere. Et eſt vt onychinus, cuius virtus eſſe dicitur hominem inuictum reddere, quam virtutem humilitas indubitanter habet. Item eſt vt diamas, cuius virtus dicitur eſſe facere gratioſum, quod eſt veræ humilitatis. Sicut enim odibilis coram Deo & hominibus eſt ſuperbia: ita gratioſa coram Deo & hominibus eſt humilitas. Item eſt vt balſamum,quod fundum petit, & ad ſeruandum à corruptione eſt efficaciſſimum. Ambroſ. Cuſtos virtutum humilitas. Item humilitas eſt vt gracilitas in ſponſa regis cæleſtis ad decentiam eius faciens, incorruptionem eius atteſtans. Econtrario tumor ſuperbiæ corruptioni ſpirituali atteſtatur. Superba anima de maligno ſpiritu cõcepit eius primogenitam,ſcilicet ſuperbiã. Dicitur vſualiter, & creditur à multis, mulieres interdum à dæmonibus impręgnari. Multi tamẽ credunt eas ex hac imprægnatione nihil habere in vtero niſi ventum, nec aliter detumeſcere niſi multæ ventoſitatis emiſſione quod parabola eſt ſpiritualis imprægnationis diabolicæ. Vẽtoſitas à ſuperbo per iactantiam ſic emittitur, vt tamen non minuatur, ſed per humilem confeſſionem vere euacuatur. Sunt qui non timent confiteri hanc groſſitiem diabolicam, dicentes ſe eſſe groſſi vel magni cordis. Et quod horribile eſt dictu, quidam imprægnati ſunt à proprio patre qui de nobilitate patris tumeſcunt. Alij ab vniuerſitate cognatorum ſuorum. Aliqui etiam à toto populo, vt principes qui de multitudine populi tumeſcunt: vt rex Dauid faciens numerari populum. 2. Reg. 24. Econtrario rex Xerxes cum coram ſe videret exercitum ſuum multitudinis innumerabilis, attendens quod totus ille exercitus infra centum annos in puluerem conuertendus eſſet,dixiſſe fertur:Regem tanti exercitus & tam fortis me vocant homines, ego vero fateor me regem eſſe pulueris. Quædam etiã animæ groſſæ ſunt de virginitate ſua, quod valde mirum videtur, hæ ſunt virgines fatuæ, de quibus legitur Matth. 25. Et notandum quod humilitas in nobis ſupplet defectus aliorum bonorum. Bern. Apud Dominum, fratres, ius habere non poſſumus, quoniam in multis offendimus omnes. Sed nec fallere eum:ipſe enim nouit abſcondita cordis, quanto magis opera manifeſta? Nec reſiſtere virib.quoniam omnipotens eſt. Quid ergo reſtat niſi ad humilitatis remedia tota mente confugere,& quidquid in aliis minus habemus, de ea ſupplere. Item ſine humilitate cetera bona nobis bona non ſunt, nec Deo placent. Bern. Sine humilitate audeo dicere, nec virginitas Mariæ Deo placuiſſet.Item magna virtus humilitatis, ſine cuius obtentu non ſolum virtus, virtus non ſit, ſed etiam in ſuperbiam erumpit.

Psal. 7.

Psa. 33.

CAPVT

Capvt III.

De causis humilitatis & iis quæ valent ad humilitatem.

NOtandum quod in omnibus rebus causas humilitatis inuenire possumus, si diligenter attendamus, videlicet in eis quæ sunt infra nos, & in eis quæ sunt in nobis, & in eis quæ sunt iuxta nos, & in eis quę sunt contra nos, & in eo quod est supra nos. Infra nos sunt corporalia ratione carentia, vt elementa terræ nascentia, animalia irrationalia, cæli luminaria. In terra, quæ est infimum elementorum, multas causas humilitatis inuenire poteris. Primo ergo attende quod in eam reuersurus es. Gen. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es.* Quando ego terram respicis, quasi sepulchrum vel cœmiterium tuum respicis. Attende etiam quod terra quæ nunc est sub pedibus tuis, quandoque futura est super caput tuum. Item attende quantum ea indigeas, ipsa est quæ te sustentat. Si ipsa dirupta fuerit sub pedibus tuis, sicut fuit sub pedibus Datan & Abiron, Num. 16. viuus in infernum descendens. Item ipsa miro modo ex se producit Dei virtute vnde pasceris: quod si non faceret, fame perires. Itē si ligna nō produceret vnde calefis, perires frigore. In aëre etiam multas causas humilitatis potes inuenire. Primū ergo attende quod sine aëre nec ad momentum potes viuere, nisi enim ad refrigerium cordis aëra attraxeris, suffocaris. Item attende quod si aër à vento frigido cōmotus fuerit, te intolerabiliter affligit: si pestilens fuerit, te interficit. Item in aqua multas causas humilitatis potes inuenire. Si aqua non fuerit, vt porcus immundus eris. Item sine aqua terra & arida & sterilis erit, & sic fame peribis. Similiter si ignis non esset, fame & frigore perires. Non haberes enim vnde cibaria decoqueres, vel re calefaceres. Præterea ignis paratus est ad torquendum impios: Eccles. 7. *Vindicta carnis impij, ignis & vermis.* Deut. 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, &c.* Quomodo superbit homo facinorosus, ad cuius cōbustionem fornax iam succensa est? Itē attende circa terræ nascentia, quantum illis indigeas: attēde etiā bona quæ sunt in eis, quib. tu cares, vt est fulgor auri, pulchritudo florum. Matth. 6. *Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant neque nent.* Dico autem vobis quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Item circa animalia irrationalia attende multa bona quibus tu cares: vt est suauitas cantus in multis auibus sine magisterio alicuius creaturæ. Ad quam suauitatem tu multis annis edoctus non posses pertingere. Item velocitas quæ est in auibus & in quibusdam quadrupedibus. Fortitudo etiam & pulchritudo & abundans vestitus, te vero oportet mendicare ab eis vnde nuditatem tuam operias, & vnde pulchritudinem tuam ornes, & debilitatem & tarditatem tuam iuues. Circa luminaria verò cæli attende quantum luce eorum indigeas. Sine luce enim oculi essent tibi inutiles. In nobis etiam multas causas humilitatis inuenies, & ex parte corporis, & ex parte animæ. Ex parte corporis, siue respicias eius originem, siue eius finem, siue statum eis præsentem. Bern. Vide vnde veneris, & erubesce: vbi es, & ingemisce: quo vadis, & contremisce. Si attēdas vnde corpus venit, inuenies quod ex putredine, Iob 17. *Putredini dixi, Pater meus es.* Attende etiam vlterius, graua mina quæ matri quæ te concepit feceris. Bernardus. In sordibus generamur, in tenebris confouemur, matres nostras multùm oneramus, in doloribus parturimur, in partu

matres nostras more vipereo laceramus. Attende etiam quod nudus nascitur homo mēbris impotens, & plorare incipiens, Iob. 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ.* Augustinus: Puer à ploratu incipit. Sap. 7. *Primam vocem similem hominibus emisit plorans.* Attende etiam ad quem finem deuenit corpus. Puluis enim & cinis fit, Genes. 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Item Gen. 18. *Loquar ad Dominum meum, quum sim puluis & cinis.* Non est mirum si se erigat contra dominum suum miles qui habet castrum super altam rupem inexpugnabile: sed fatuus est valde qui non habet domunculam, nisi de palea quæ facillime potestcomburi, si contra dominum suum potentem se erigat. Sic fatuissimus est homo cuius habitatio, scilicet corpus, ad calorem febrilem in cinerem redigitur, nec exigitur ad hoc ignis si contra Deum se erigit. Item corpus à vermibus est corrodendum. In Psal. *Ego sum vermis*, Eccles. 7. *Vindicta carnis impij, & ignis vermis*, 1. Machabæorum 2. *Gloria peccatoris stercus & vermis.* Corpus enim vnde gloriatur, saccus est stercorum, & cibus & materia vermium. Præsentem statum corporis attendebat quæ dicebat: *Humiliatio tua in medio tui.* Michææ 6. Hieronymus: Quomodo superbiat qui secum semper sentinam portat. Ex parte etiam animæ multas causas humilitatis possumus inuenire. Aut enim scit homo se esse in mortali, aut non. Si scit, in inferiori statu est quàm canis, vel porcus, vel bufo: quum debitor sit duplicis mortis, temporalis scilicet, & æternæ: illa verò vnicam mortem debeât. Item miseriam habet & culpæ & pœnæ, quum illa solum habeât miseriam pœnæ: & in hoc solis dæmonibus similis est. Si vero nesciat se esse in mortali, nescit tamen se esse in statu salutis: Sic se quandoque debitorem fuisse mortis æternæ, nescit vtrum adhuc peccatum sibi dimissum sit. Ecclesiastic. 10. *Sunt isti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum reseruantur incerta.* Gregorius: Ad hoc cuncta nobis de meritis nostris incerta sunt, vt vnam certam gratiam teneamus, humilitatem. Item ad humilitatem valere possunt, etiamsi sciremus nos esse in statu gratiæ: negligentia proficiendi quam in nobis videmus, difficultas standi, facilitas cadendi. Ad sibilum enim vnius verbi quandoque deijcitur aliquis, difficultas resurgendi, debilitas minima etiam vitia vincendi. Item circa ea quæ sunt iuxta nos multas causas humilitatis possumus inuenire, vt si attendamus multos de fratribus nostris esse leprosos, multos cæcos, multos impotentes, multos mendicos, & aliis diuersis miseriis afflictos. Iob. 5. *Visitans speciem tuam non peccabis.* Item si attendamus eos qui contra nos sunt, materiam humilitatis inueniemus. Hostes enim inuisibiles nos strangularent, nisi diuina protectio hoc impediret. Iob. 41. *Non est potestas super terram quæ comparetur ei qui factus est vt nullum timeret.* Thren. 3. *Misericordia Domini quod non sumus consumpti.* Item supra nos causas humilitatis inuenire possumus, si attendamus Dei omnipotentiam paratam ad vindictam superborum. Tribus de causis solet aliquis se inclinare vel dimittere: vel quia gladius capiti eius imminet, vel quia transiturus est per ostium humile, vel propter societatem alicuius magnæ personæ, quam ad terram videt sedere. Similibus de causis debet per humilitatem se homo inclinare. Si enim per superbiam se erexerit, gladius Dei omnipotentis euaginatus est super caput eius. 1. Petri 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Item necesse habet transire per humile ostium paradisi. August. super illud Ioan. 10. *Ego sum ostium.* Ostium humile est: si sano capite volumus intrare, oportet caput demittere. Item sanctus sanctorum & ceteri sancti in mundo isto humiliter se habuerunt. Matt. 10. *Sufficit seruo si sit sicut dominus*

Quib. c[...] causis aliqui[...] se incl[...]net.

eius. Simile Ioān. 15. *Siue respiciamus ad bona siue ad mala, inuenire possumus materiam humilitatis.* Bona nostra aliūde habemus, imperfecte ea habemus, perdere ea possumus. Etsi attentè ea inspicere volumus, non dominium rerum, sed onus & periculum in illis habemus. Pro illis censum magnum debemus, & non solum ea perdere, sed etiam pro illis perdi possumus. De malis vero manifestum est quod se humiliare debent homines, maxime si sint peccata mortalia, cum pro illis adiudicati sint patibulo infernali: mirum est quod tot & tantæ causæ humilitatis homines humiles non faciunt. Bernardus: O mira vanitas, ô mira fatuitas cordis nostri, cuius elationem perfecte dirimere, cuius ceruicosos motus omnino domare, humilitatis materia tanta non sufficit, quin adhuc superbiat terra & cinis.

De *iis quæ valent ad humilitatem.*

ET notandum quod ad humilitatem valere possunt ista quæ sequuntur. Primo, familiaritas humilium. Sicut enim qui communicauerit superbo induet superbiam. Eccles. 13. Ita qui communicauerit humili, induet humilitatem. Secundo, meditatio propriorum defectuum. Greg. in Homil. Sancti viri vt humilitatis in se virtutem custodiant, cum quædā mirabiliter sciunt, ante mente oculos student reuocare quod nesciunt, vt dum ex parte infirmitatem suam considerant, ex ea parte qua perfectus est eorum animus se non extollat. Sicut qui emit veterem vestem, ponit digitum vbi vestis habet oculum ad defectum, si quis est in eo. Item Gregorius. Magnus esse vnusquisque studeat, sed tamen magnum se esse nesciat: qui vult esse perfecte humilis, necesse est vt bona sua etiam à propriis oculis abscondat. Tertium est, respectus meliorum. Gregor. Non quibus iam superiores, sed quibus adhuc inferiores estis aspicite. Idem: Sicut incentiuum elationis est respectus deterioris: ita cautela humilitatis est cōsideratio melioris. Quarto, quum quis assuescit sustinentiæ contumeliarum. Bernar. in epistolis: Humiliatio via est ad humilitatem: sicut patientia ad pacem: sicut electio ad scientiam. Si ergo virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Quinto, quum aliquis se exercet in humilibus officiis: exemplo Domini qui lauit pedes discipulorum. Ioan. 13. Superbi ad minora officia se indignos reputant. Alij vero reputant eos indignos maioribus officiis: & sic inutiles sunt tam ad maiora, quàm ad minora officia. Nolunt enim facere quod possunt, nec possunt quod volunt. Vnde accidit eis sicut illis qui rebus quas habent vendere nimia pretia imponunt, imo se ab eis non expediunt. Nolunt enim inde accipere quod possent habere: nec possunt habere quod vellent accipere. Sexto memoria mortis, quod docet Ecclesia in principio Quadragesimæ, imponens cineres capitibus, dicens: *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris.* Et notandum quod homo debet se reputare cinerem, & ex parte corporis & ex parte animæ. Ex parte corporis, propter propinquitatem & certitudinem quam habet ad hoc vt in cinerem redigatur. Sic enim solet loqui Scriptura, vbi aliquid quod futurum est, dicatur iam propter propinquitatem vel certitudinem. Greg. Fere se mortuum considerat, qui se moriturum non ignorat, ad Rom. 8. *Corpus moriturum est propter peccatum:* id est, necessitati moriendi addictum. Quantum vero ad animam, debet homo cinerem se reputare quoad tria. Primo, quoad vilitatem. Cinis enim valde vilis est, licet materia ex quo factus est fuerit pretiosa: sic qui est in statu peccati, quasi nullius valoris est respectu valoris in quo erat ante peccatum. In Psalm. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malig-* Psal. 14.

gnus. Imo minus quàm nihil videtur esse nisi sit spiritualiter resurrecturus. Melius enim esset ei non esse quàm malum esse, si perseueret ita. Secundo quoad hoc: quia sicut cinis resistere non potest modico flatui quin ab eo dispergatur, sic peccator resistere non potest sibilo modici verbi. In Psal. *Non sic impij, non sic: sed tanquam puluis*. Tertio, quod ad hoc: quia sicut cinis non potest naturaliter redire ad statum materiæ vnde factus est, sed Dei virtute: sic peccator non potest redire ad statum bonum nisi Dei virtute. Eccles. 7. Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit: Vere Deus illos despicit quos luto peccati ita diu iacere permittitr. Nec mirum, quum ipsi eum despiciant. Esa. 5. Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris? Humilibus qui se cinerem reputant, specialiter debetur corona. Esaiæ. 61. *Ad annuntiandum mansuetis misit me, vt darem eis coronam pro cinere*. Non reputat se cinerem ex parte corporis, qui bruneta vel scarlata corpus suum induit: quis enim, nisi fatuus, talem saccum facit cineribus suis? Item non reputat se cinerem ex parte animæ qui amat altitudinem. Non enim expedit cineri esse in alto, ne à vento dispergatur. Dixit Dominus Moysi & Aaron, Exod. 9. vt tollerent plenam manum cineris de camino & spargerent in cælum, & subsecuta sunt vlcera & vesicæ. Sic cum aliquis in alto ponitur, sequuntur vesicæ superbiæ, & vlcera vanæ gloriæ, vt leprosus & vlcerosus interius coram Deo appareat, quantumcunque exterius pulcher videatur. Item non videtur se cinerem reputare qui præsumit quod quando volet se emendabit. Eccles. 29. *Repromissio nequissima multos perdidit*. Magna est illius fatuitas qui cinerem illum cuius pars est in vinea sua, & alia in agro, & sic de cæteris possessionibus eius, credit per seipsum congregari, & nouum hominem interiorem inde fieri: cum hoc solius virtutis diuinæ sit, sicut suscitatio corporum ex pulueribus.

Et notandum quod memoria mortis valde vtilis est homini. Eccles. 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*. Hieron. In epistolis: Platonis est sententia omnium sapientium vitam meditationem esse mortis. Sapiens: Summa philosophia assidua est mortis meditatio. Eccles. 38. *Memor esto iudicij mei: sic enim erit & tuum*. Meum heri, tuum hodie. Hoc dicitur in persona mortui loquentis ad viuum. Specialiter mortis memoria necessaria est iuueni. Vnde Thren. 3. post illud: *Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua*, Subditur: *Ponet in puluere os suum. Os sapientium in corde eorum*. Eccles. 21. Os ergo in puluere ponit qui cogitat quod puluis sit.

In hac meditatione proiicienda est cupiditas & vanitas seculi, vnde Leuit. 1. præcepit Dominus vt faciens holocaustum de turturibus vel pullis columbæ, proiiceret vesiculam gutturis & plumas in locum cinerum. Holocaustum fecit Deo de turture, qui dat se Deo vt ei seruiat in claustro: de columba, qui dat se Deo vt ei seruiat in mundo. Turtur enim amat solitudinem, columba gregatim volat. Vesicula gutturis quæ est quasi horreum auium, cupiditatem mundi signat, pluma verò leuitatem.

In loco ergo cinerum vesiculam proiicit; qui consideratione mortis suæ cupiditatem à se abiecit, non curans acquirere ea quæ in breui perdat, & à quibus perdatur. Bernardus. Vtinam tantùm congregata perirent, & non congregator eorum. Tolerabilius esset insudare labori perituro, quàm perempturo. Plumam verò in loco cinerum proiicit, qui consideratione mortis vanitatem huius mundi refugit, intelligens fatuum esse in via ad mortem gaudere. August. Nihil aliud est tempus præsentis vitæ, quàm cursus ad mortem.

Mer riam tis cc men tur.

Ad quæ valeat memoria mortis.

Valet autem mortis memoria ad ista sex quæ sequuntur. Ad fugandum exercitum vitiorum, vel saltem terrendum. Sicut timent latrones iudicis aduentum, sic vitia mortem. Terribilis est eis locus iste quasi porta inferni. Aut ex toto hominem deserunt tunc, aut saltem premunt.
1. Thren. 1. *Sordes eius in pedibus eius, non est recordata finis sui.* Iumentum cauda se defendit à muscis, sic homo à vitiis consideratione mortis.

2. Secundò valet ad contemptum mundi. Vnde Hieron. *Facile contemnit omnia qui se semper cogitat moriturum.* Eccles. 10. *Si annis multis vixerit homo, & in iis omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum: qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.* In morte arguitur vanitatis omne quod est in mundo, scilicet concupiscentia oculorum, & concupiscentia carnis, & superbia vitæ. Concupiscentia oculorum in hoc quod homo nudus reuertitur in terram. Iob 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.* Concupiscentia carnis in hoc, quod corpus in deliciis nutritum vermibus datur. Superbia vitæ in hoc, quod ille qui volebat esse super homines, ponitur sub terra quæ est infimum elementorum.

3. Tertiò valet ad sui contemptum. Facit enim quod homo cognoscat se quasi per resolutionem, qui modus cognoscendi verissimus est. Et hoc est quod Dauid orat: *Sciant*, inquit, *gentes quoniam homines sunt*: id est, de humo.

4. Quartò valet ad hoc vt homo rectè se regat in via præsentis vitæ. Sicut aues cauda regunt se volando & pisces natando. Iob 12. *Interroga iumenta & docebunt te: & volatilia cæli & indicabunt tibi, &c.* qui vult nauem regere ponit se in fine nauis. Et sapiens consideratione finis regit se in iis quæ sunt ad finem.

5. Quintò ad temperandam præsentem lætitiam, sicut & alia mala pœnæ. Eccles. 11. *In die malorum ne immemor sis bonorum.* Memoria mortis multùm valet ad temperandam præsentem lætitiam, quia multum habet amaritudinis. Eccl. 41. *O mors quàm amara est memoria tua homini iniusto!* Sextò ad hoc vt homo rectè iudicet de præsenti vita & futura. Qui enim per meditationem ponit se in articulo mortis, quasi medius est inter præsentem vitam & futuram, vtramque videns de propè. Qui tenet se initio vitæ suæ vel prope interponens sibi & vitæ futuræ, quicquid sperat se victurum, longè est à vita futura, vnde bona illius modica ei videntur. Quasi in initio vitæ suæ se tenebat qui dicebat, Luc. 12. *Anima mea, multa habes bona posita in annos plurimos: requiesce, bibe, comede, epulare.* Sed Deus posuit eum in fine vitæ, dicens: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te.*

Capvt IV.

De signis humilitatis.

Primum humilitatis signum est amor humilium personarum. Ecclesiast. 13. *Omne animal diligit simile sibi.* Secundum est, figura altitudinis. Humilitas laudes fugit sicut venenum, & sicut sagittas mellitas & vt sermones fascinantes. Sap. 4. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona,* & sicut rete expansum gressibus suis. Prouerb. 9. Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius. Christus qui vere humilis erat, fugit volentes eum rapere in regem. Ioan. 6. Tertium est, amor propriæ vilitatis. Bern. Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari. Gaudet de contemptu sui, hoc solo sanè superbus, quod laudes contemnit. De hoc exemplum habemus in Dauid 2. Reg. 6. Exemplum.
Ludam, inquit, *& vilior fiam.* Et in dialogo Gregor. legitur de quodam statura paruo qui Constantinus dicebatur, quod

cum dixiſſet ei quidam, quod nihil hominis haberet, protinus lætus in amplexum eius ruit, eumque ex amore nimio, conſtringere brachiis cæpit & oſculari, magnaſque gratias agere quod de ſe talia indicaſſet, dicens: Tu ſolus es qui in me oculos apertos habuiſti. Et de Dauid legitur ſecundo Reg. 16. *Dimittite*, inquit, *eum vt maledicat mihi*, & Act. 3. *Et illi ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*: humilitas opprobriis paſcitur vt cibo proprio. Thren. 4. *Saturabitur opprobriis.* Sicut ſe habet ſuperbia ad gloriam, ſic humilitas ad ignominiam. Vnde ſicut ſuperbia gaudet de gloria, ſic humilitas de ignonimia. Humilitati ea ſunt pretioſa quæ alij eſſent vilia. Ipſa enim ſpiritum abominationis & contemptus conuertit quaſi in aurum & gemmas. Ipſa vilis vult videri aliis, ſicut & ſibi vilis videtur. Et quanto eſt ſibi vilior, tanto eſt Deo pretioſior. Gregorius in Moral. Tanto vnaquæque anima fit pretioſior in conſpectu Dei, quanto pro amore Dei deſpectior fit ante oculos ſuos. Item Greg. Tanto ſit quiſque vilior Deo, quanto pretioſior ſibi. Et tanto pretioſior Deo, quanto propter eum vilior. Quartum eſt, ſi humilia officia libenter quis facit. De hoc exemplum habemus in Abigail. 1. Reg. 25. pro qua cum miſiſſet Dauid vt eam duceret in vxorem, ipſa ait: *Ecce famula tua ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorum domini mei.* In vitis Patrum, quidam ſenex perfectus virtutibus orauit Dominum. Oſtende mihi Domine quid ſit perfectio animæ, & faciam. Et quum requireret conſilium à quodam alio ſene; ille reſpondit ei de hoc per reuelationem. Vis facere quicquid dico tibi. Et ille, volo. Et dixit: Vade, paſce porcos: & fecit ſic. Et quum alij viderent quod paſceret porcos, dixerunt quod factus eſſet fatuus. Et viſa eius humilitate, reuocatus eſt ad locum ſuum. Quintum eſt ſi conſilio acquieſcit: ſicut hoc quod aliquis non acquieſcit conſilio, ſignum eſt ſuperbiæ. Gregor. de non acquieſcente conſilio: Si ſe, inquit, meliorem non crederet, nequaquam cunctorum conſilia ſuæ deliberationi poſtponeret. Sextum eſt, ſi contumeliam vel etiam correptionem manſuetè audit. Gregor. Qui gloriam non quærit, contumeliam non ſentit. Idem: non timet confundi in conſpectu hominum qui ſolum gloriam quærit apud Deum. Septimum eſt, ſi ſecretum diligit. Bernard. loquens de illo verbo 2. ad Cor. 12. *Parco autem, &c.* Quam pulchre, inquit, dicit parco. Non parcit ſibi arrogans, non ſuperbus, non cupidus vanæ gloriæ, vel iactator actuum ſuorum, qui vel ſibi arrogat, vel mentitur de ſe quod non eſt. Solus vere humilis parcit animæ ſuæ, qui ne putetur quod non eſt, ſemper quantum in ſe eſt vult neſciri quod eſt. Octauum eſt, ſi libenter obedit, ad Philip. 2. *Exinaniuit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem.* Exinanitio præmittitur tanquam cauſa obedientiæ. Qui enim humilis non eſt, non libenter obedit.

Capvt V.

De diuiſione humilitatis.

Conſequenter ponendæ ſunt diuiſiones ad humilitatem pertinentes. Notandum ergo quod eſt humilitas ficta, & eſt humilitas vera. De ficta legitur. Eccleſ. 19. *Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo.* Vera humilitas eſt humilitas cordis, de qua Matth. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Non ficte, dicit interim. Humilitatem cordis ſequitur humilitas exterior, ſicut ramus prodit ex radice. 1. Petri 5. *Omnes inuicem humilitatem inſinuate.* Item eſt humilitas ſufficiens & abundans & ſuperabundans. Quam diuiſionem innuit gloſſ. ſuper illud Matth. 3. *Sic decet*

Tres gradus humilitatis perfectæ.

nos implere omnem iustitiam, id est, humilitatem, dicit gloss. & subditur: Perfecta humilitas habet tres gradus. Primus est, subdere se maiori, & se non præferre æquali, hic vocatur sufficiens, quia sufficit aliquem sic humiliari: & iste gradus omni iusto est necessarius. Secundus gradus est, subdere se æquali, nec præferre se minori, hic dicitur abundans. Tertius est, subesse minori in quo est omnis iustitia. Hunc Christus impleuit. Item humilitas diuiditur in humilitatem intellectus, quæ consistit in cognitione veritatis: & in humilitatem affectus, quæ consistit in contemptu vanitatis. Sicut beatus Bernard. superbiam diuidit in sex species: Superbia, inquit, in species duas diuiditur, In cæcam, & vanam superbiam: quarum prior intelligentiæ, posterior voluntatis vitium est.

Idem: Est humilitas quam in nobis veritas parit, & non habet calorem: & est humilitas quam charitas format & inflammat, atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione consistit. Communiter etiam quatuor gradus humilitatis distinguuntur. Quorum primus est, spernere mundum, siue mundi gloriam. Secundus, spernere nullum. Tertius spernere sese. Quartus, spernere se sperni. De XII. gradibus humilitatis quos Bernardus distinguit, require in tractatu de Superbia 3. parte 35. cap.

Notandum quod Bernard. in libro suo de XII. gradibus humilitatis, non expresse illos XII. gradus humilitatis ponit: sed per oppositum eas insinuat, Bernard in prologo libri illius tituli, inquit, qui de gradibus humilitatis inscribitur: Pro eo forsitan quod non humilitatis gradus, sed superbiæ potius distingui describique videatur, calumniam patietur: sed hoc à minus vel intelligentibus vel attendentibus tituli rationem.

Idem in libro eodem: Idem sunt gradus ascendentium in solum & descendentium, & eadem via ascendentium in ciuitatem & recedentium, & idem ostium ingredientium domum & egredientium. Per vnam denique scalam ascendentes Angeli & descendentes Iacob apparuerunt. In eodem: Proponat tibi beatus Benedictus gradus quos ipse prius in corde suo disposuit. Ego quid proponam tibi non habeo nisi ordine descensionis meæ, in quo tamen si diligenter inspicitur, via forsitan ascensionis reperitur. Si enim tibi Romam tendenti, homo inde veniens obuiaret, quæsiturus viam, quid melius quàm illam quâ venit ostenderet? Denique castella, villas & vrbes, fluuios ac montes per quos transierit nominat, suum denuntians iter, tuum tibi prænuntiat, illa vt eadem loco recognoscas eundo, quæ ille pertransiit veniendo. Hi sunt XII. gradus humilitatis secundùm sanctum Benedictum.

Gradus humilitatis secundũ S. Benedictũ.

Primus est, si quis timorem Dei in memoria habeat Dei præcepta & pœnas paratas eorum transgressoribus, & præmia parata obseruatoribus, & sic omni hora à peccatis se custodiat. Secundus est, si quis non amans propriam voluntatem, desideria sua non delectetur implere. Tertius est, si quis pro Dei amore omni obedientia maiori se subdat. Quartus est, si in ipsa obedientia contra aspera patientiam amplectatur. Quintus est, si omnia mala sua abscondita Abbati suo humiliter confiteatur. Sextus est, si ad omnia quæ sibi iniunguntur indignum se iudicet. Septimus est, si omnibus se inferiorem & viliorem non solùm lingua sua se pronuntiet, sed etiam intimo credat cordis affectu. Octauus est, si nihil agat monachus nisi quod communis monasterij regula probat, & maiorum exempla hortantur. Nonus est, si linguam suam cohibeat, & eam vsque ad taciturnitatem teneat. Decimus est, si non sit facilis & pronus in risu. Vndecimus est, si pauca verba & rationabilia habeat, & non loquatur clamorosè. Duodecimus est, si non solùm in corde humilitatem habeat,

ſed etiam corpore oſtendat eam, ſemper defixis in terram aſpectibus.

Pars V.

De Paupertate.

Paupertas quandoque dicitur carentia diuitiarum. Et ſecundum hoc dicit Auguſt. Inueſtiganti ſingularum rerum naturas, non inuenietur quid ſit paupertas, nuditas & foramen. Sic paupertas, priuatio eſt. Priuationes verò cauſæ ſunt directæ aliarum priuationum, & occaſiones multorum bonorum. Multa vitia elongata ſunt ab eis qui hanc paupertatem habent. Greg. Habent ſancti hoc proprium: nam vt ſemper ab illicitis longè ſint, à ſe plerunque licita abſcindunt. Quandoque dicitur paupertas contemptus diuitiarum. Seneca: Nemo dignus Deo, qui opes non contempſerit. Tertiò dicitur paupertas amor paupertatis. Bern. in epiſtolis: Non paupertas virtus reputatur, ſed paupertatis amor. Denique beati pauperes non rebus, ſed ſpiritu. Idem: Volo te eſſe amicum pauperum, magis autem imitatorem. Idem: Amicitia pauperum regis amicos conſtituit, amor paupertatis reges. Item. Pauperiem æquo animo ferre, virtus patientiæ eſt: ſponte appetere, ſapientiæ laus eſt. Et notandum quod paupertas multis de cauſis amanda eſt. Quarum prima & maxima eſt, quod Deus eam amat. Cuius amoris primum ſignum eſt, quod filius Dei voluit eam aſſumere. Bernard. in Sermonibus. Forte aliquis arbitraretur filio Dei ſublimia eſſe quærenda palatia, vt cum gloria ſuſciperetur: ſed non propter hoc ille à regalibus illis ſedibus venit. In ſiniſtra eius diuitiæ & gloria, in dextera longiturnitas vitæ. Horum omnium æterna in cælis affluentia ſuppetebat: ſed paupertas non inueniebatur in eis. Porro in terris abundabat & ſuperabundabat hæc ſpecies. Neſciebat homo pretium eius. Hanc itaque filius Dei concupiſcens, deſcendit vt eam eligeret ſibi, & nobis quoque ſua æſtimatione faceret pretioſam. De paupertate Chriſti habetur, Luc. 2. *Pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio: quia non erat ei locus in diuerſorio.* Item Matth. 18. vbi miſit Dominus Petrum ad piſcandum pro tributo ſoluendo, dicit Gloſſ. Tantæ fuit paupertatis, vt vnde daret tributum non haberet, & ſuper illud Matth. 11. *Circunſpectis omnibus, cum iam veſpera eſſet hora exiit in Bethaniam cum duodecim.* Dicit Gloſſ. circumſpectis ſi quis eum hoſpitio ſuſciperet. Tantæ eum paupertatis fuit, & ita nulli adulatus, vt in tanta vrbe nullum inueniret hoſpitium. 2. ad Cornth. 8. *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter nos egenus factus eſt cum eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis.* Thren. 3. *Recordare paupertatis meæ, &c.* Bern. Magna abuſio & nimis magna, vt diues eſſe velit vermiculus vilis, propter quem Deus maieſtatis & Dominus Sabaoth voluit pauper fieri. Paupertas Chriſti creſcendo proceſſit. In natiuitate pannis inuolutus eſt, & pro domo habuit diuerſorium: deinde hoſpitium non habuit. Matth. 8. *Filius hominis non habet vbi caput ſuum reclinet, &c.* Marc. 11. Circunſpectis, &c. In paſſione vero etiam propriis veſtibus ſpoliatus eſt. Matth. 27. *Exuentes eum, &c.* Aliud ſignum amoris Dei ad paupertatem eſt, quod propter pauperes filius Dei in mundum venit. In Pſal. *Propter miſeriam & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Luc. 4. *Euangelizare pauperibus miſit me.* Bern. in Sermonibus. Quærat diuitias paganus qui ſine Deo viuit: quærat Iudæus, qui terrenas promiſſiones accepit: ſed qua fronte, magis autem qua mente Chriſtianus diuitias quærit, poſtquam Chriſtus beatos eſſe pauperes prædicauit: Pauperes Chriſtus in principio doctrinæ

Marginalia: Quid ſit paupertas. — Cur amanda paupertas. — Pſal.

suæ beatos prædicauit. Matth. 5. & Luc. 6. & diuites infelices. Luc. 6. *Væ vobis diuitibus.* Pauperes iudicat Christus dignos mensa sua. Vnde Luc. 14. leguntur pauperes ad cœnam Domini introducti. In Ps. *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.*
Ps. 106. Pauperes Deus adiuuat: In Psal. & adiuuit pauperem de inopia. Illis parcit: Esa. 49. *Pauperum suorum miserebitur.* Illos elegit: Esa. 48. *Eligite in camino paupertatis.* Iacob. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in*
Psa. 10. *hoc mundo?* Illos exaudit. In Psal. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus. Eccles. 21. *Deprecatio pauperis ex ore vsque ad aures perueniet.* Illorum est memor. In Psal. Non in finem obliuio erit pauperis.
Psal. 9. Illorum est solicitus: In Psal. *Ego autem mendicus sum & pauper: Dominus autem solicitus est mei.* Illorum est refugium & fortitudo: In Psal. Factus est Dominus re-
Psal. 39. fugium pauperi. Esa. 25. *Factus est fortitudo pauperi, &c.* Illos saluat: In Psal. *Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum saluas faciet.* 2. Reg. 22. Populum pauperem saluum facies. In Psal. Eripiens inopem de manu fortiorum eius. Societatem pauperum prælegit Dominus in mundo isto societati diuitum. Luc. 14. *Omnis qui non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* 1. Reg. 30. Dauid puerum Ægyptium assumpsit, quem Dominus suus reliquerat. Sic Christus assumit quos mundus reliquit. Ps. *Pater meus*
Psal. 10. *& mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.* Item: *Tibi derelictus est pauper.* Greg. in hom. Hos elegit Deus quos despicit mūdus: quia plerunque ipsa despectio hominē reuocat ad semetipsū. Idem: Infimi quique atque in hoc mundo despecti plerumque tantò celerius vocem Dei audiunt, quantò in hoc mundo non habent vbi delectentur. Item pauperibus regnum cœlorum tribuitur. Matth. 5. & Luc. 6. Et non solùm ad possidendum, sed etiam ad dandum aliis. Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Ipse Deus pauperum est. Num. 18. *In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem: ego pars & hæreditas tua.* Ipse est spes pauperum, & exultatio. Esa. 14. *In ipso sperabunt pauperes populi eius.* Eiusdem 29. *Pauperes homines in sancto Israel exultabunt.* Ipse de pauperibus specialiter requiret in iudicio: vt habetur Matth. 25. Imo ipse pauperibus iudicium tribuit. Iob 36. & Matth. 19. *Vos qui secuti estis me, &c. sedebitis super sedes 12. iudicantes duodecim tribus Israel.* Pauperes honorat dicens: In Psal. *Honorabile nomen eorum coram illo.* Illos agnoscit, & nominatim vocat, vt patet in Lazaro, Luc. 16. Illos ab angelis deportari facit ad locum quietis. In eodem: Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Et vt vno verbo dicatur, tāta est dilectio eius ad pauperes, vt quod fit pauperi, sibi reputet fieri. Matthæi vigesimo quinto: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*: & quod vni eorum non fecistis, mihi non fecistis. Væ pauperibus! si eum non amant, qui tantùm eos amat, qui tot signa amoris eis ostendit. Multùm contemnerentur pauperes in mundo isto, nisi Christus eos tantùm honorasset. Multis aliis de causis amanda est paupertas.

Prima est, quia est valde munda: sicut econtrariò diuitiæ immundæ sunt, amatores suos inquinantes. Quod in rerum natura Deus significari voluit, in hoc quod aurum & argentum quæ videntur esse pretiosiora inter eas, tangentes inquinant. Bern. in epist. Beatus qui post illa nō abiit quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. Eccl. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Et super illud Iacob. 1. *Religio munda, &c.* dicit glos. Qui temporalia non diligit, immaculatum ab hoc seculo se custodit. Item paupertas est Deo propinqua. Quod figuratū est Lucæ 2. in hoc quod pastores de loco vicino venerunt ad Christum. Econtrario verò reges à remotis partibus venerunt.

Matth. 12. Paupertas etiam sancta est tanquàm locus in quo mansit filius Dei plus quàm triginta annis. Exod. 3. *Solue calciamenta de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est.* Paupertas specialiter potest dici terra sanctorum. Esa. 6. *In terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Dei.* Esa. 40. *Adorabunt vestigia pedum tuorum.* In eodem: *Locum pedum meorum glorificabo.* Item expedita est. Greg. Liberius ad patriam tendimus, quia quasi in via pondere caremus. Idem: Terrena substantia æternæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. Augustin. in lib. de verbis Domini: Abiice à te diuitiarum onera, abiice vincula voluntaria, abiice anxietates & tædia quæ te plurimis annis inquietant. Hieronym. in epist. Si habes, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: Si non habes, grandi onere liberatus es. Greg. Qui mihi onus diuitiarum abstulit, me ad currendũ citius expediuit. Item paupertas læta est. Seneca: Sæpè pauper fidelius ridet: nulla ei in alto solicitudo est. Idem: Qui felices vocantur, hilaritas ficta est, & grauis tristitia, eo quidem grauior, quia interdum non licet palam esse miseros, sed inter ærumnas cor ipsum excedentes necesse est agere felicẽ. Aug. in lib. Conf. loquens de quodam mendico exhilarato vino: Ille, inquit, lætabatur, ego anxius eram. Nimirũ ille felicior erat, non tantum quia hilaritate perfundebatur, cum ego curis anxiarer: verum etiam quod ille bene operando acquisierat vinum, ego autem mentiendo quærebam typum. In vitis Patrum quidã pauper habebat vnam mattam, de cuius medietate se cooperiebat, aliam medietatem sibi submittebat, & erat validum frigus: & pater monasterij de nocte axiens audiuit eum dicentem. Gratias ago tibi Domine. Quot sunt modo diuites in custodia, & qui in inferno sedent, aut pedes habent in ligno constrictos. Ego autẽ velut Imperator sum, extẽdens pedes meos, & quo volo ambulo. Sen. Felix paupertas læta: nec tamen paupertas est, si læta est. Greg. Cui cum paupertate bene cõuenit, non est pauper. Item paupertas secura est. Gregor. Magna securitas cordis: nihil cõcupiscentiæ habere secularis. Seneca: Etiã in obsessa via pauperi pax est. Gregorius: Qui nihil habet in mundo quod diligat, nihil est in mundo quod pertimescat. Paupertas iuxta verbum sapientis, bonum est sine calumnia. Pro ea non mouentur lites, non timet fures vel raptores, non timet aëris passiones, ipsa est donum à paucis cognitum. Poëta: O munera nondum intellecta, domi paupertas, angustique lares. Eccles. 11. *Paupertas & honestas a Deo sunt.* Paupertas secura est, & temporaliter & spiritualiter. Prou. 1. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Gloss. Facile laqueos euadit in terris, qui oculos habet in cœlis. Iob 18. *Abscondita est in terra pedica eius.* Cain habuit caput tremulum. Cain interpretatur possessio: qui possessiones habent in mundo isto, in tremore sunt. In Psal. *Trepidauerunt vbi non erat timor.* Iob 15. *Sonitus terroris semper in auribus eius: & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur.* Item paupertas quieta est. Seneca: Quietissimè viuerent homines, si hæc duo verba tollerentur, meum & tuum. Gregor. Quid in hac vita laboriosius, quàm terrenis desideriis æstuare? quid quietius, quàm nihil huius seculi appetere? Hinc est quod Israël custodiam Sabbati accepit in munere, Ægyptus percutitur muscarum multitudine. Item paupertas licet terræ macilẽta videatur, fertilissima est verorum bonorum. Gen. 41. *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* In hac terra voluit plantari vnigenitus Dei, lignum scilicet vitæ. Item paupertas vitiis materiam subtrahit: quia non habet vnde suum paupertas pascat amorem. Iuuenalis: Præstabat castas humilis fortuna Sabinas. Sen. Inquis: Pecuniam perdidi. O te felicẽ, si cum illa auaritiam perdidisti: sed si manet illa apud te, es tanto felicior, quo tanto malo

materia subducta est. Paupertas, vermem diuitum superbiam occidit. Ipsa etiã duas filias sanguisugæ infernalis, quæ semper clamant, Affer, affer, suffocat, scilicet gulã & luxuriam. De quibus habetur. Prou. 30. *Paupertas medicinalis est.* Gregor. Quos morum infirmitas vulnerat, paupertas medicina sanat. Ipsa purgat eos qui sunt aurum & argentum; ideo caminus dicitur. Esa. 48. *Elegi te in camino paupertatis.* Ipsa est fortitudo sanctorum, sicut diuitiæ sunt fortitudo diuitum. Prou. 10. *Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius.* Ipsa est vt fossatũ profundissimum, quod diabolus multum nititur implere. Habac. 1. *Comportabit aggerem, & capiet eam.* Mira fatuitas aliquorum, qui diabolum iuuant ad implẽdum fossatum castri sui! Hab. 3 *Væ qui congregat non sua. Vsquequo aggrauat contra se densum lutum.* Pauperes in Ecclesia remanent, dum ditites in regnum diaboli transferuntur. Sicut Nabuchodonosor pauperes dimisit in terra promissionis, nobilibus translatis in terrã suam. Ierem. 39. Sophoniæ 3. *Derelinquam in medio tui populum pauperum.* Pauperum est hæreditare regnum cœlorum: mobilia verò huius seculi sunt diuitum, sicut figuratum est, Gen. 25. vbi Abraham dedit Isaac cuncta quæ possidebat, filiis autem concubinarum largitus est munera. Paupertatem posuit filius Dei vt fundamentũ religionis Christianæ. Matth. 5. Iob 6. *Qui extẽdit aquilonem super vacuum.* Super vacuum, inquam, paupertatis. Aquilonem vocat Ecclesiã de Gentibus conuersam, quæ congelata erat in peccatis suis. Paupertatem posuit Christus gradum quo ad perfectionem ascenditur. Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Paupertas mater & nutrix & custos religionis est. Vnde qui ingrediũtur religionem, ad eam voto se astringunt. Econtrario abundantia religionem destruit. Adeo enim occupat eam, vt meditationes, lectiones, orationes quibus debet sustẽtari, in ea pereãt: ita quod seruitium Ecclesiæ est inordinatus strepitus. Amos 5. *Aufer à me tumultũ carminum tuorum.* Vbi ipsa non est, vitia sunt in pace. Non fiunt ibi correptiones, sed supputationes, vt potius videantur trapezitæ quàm religiosi. Virgæ sunt ibi potius ad ostensionem quàm ad vitiorum effugationem. In refectorio lapidatur sobrietas varietate ferculorum. Ministri manibus eleuatis varia portantes fercula, afferunt vnde ipsa lapidetur: sicut Iudæi afferebant lapides ad beati Stephani lapidationem. In claustris vbi est abundantia temporalium, inueniuntur multi habitum religionis deferentes, qui tamen non sunt religiosi. Sicut clerici qui communiter dicuntur Goliardi, quandoque habitum monachalem deferunt, & tamen monachi non sunt. Aliqui proiiciuntur ibi à parẽtibus, sicut catuli quos matres non sufficiunt enutrire. Aliqui etiam intrant vt fures: vt scilicet ditentur & possint res monasterij consanguineis suis dare. Aliqui instar vulpis se mortuos spiritualiter simulant, vt prædam faciant. Vbi est abundantia, behemoth quiescit, qui in arido paupertas requiem non inuenit. Luc. 11. Paupertas omnes ingredientes in mundũ istum excipit: sed postea à multis eiicitur de possessione sua sine culpa sua: sed in exitu de mundo isto, iterum recuperat eos. Iob 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.* Paupertas seruitutem diuitiarum, quæ adeo generalis est, excutit. Eccles. 10. *Pecuniæ obediunt omnia.* Ipsa cum Petro super aquas ambulat, scilicet super mare huius mundi. Matt. 14. Bern. in Sermonibus: Hæc prærogatio debetur Petro: nouum iter, & noui modus itineris. Antiquorum sane patrum diebus, donec in terris videretur & conuersaretur inter homines Deus maiestatis, non erat euangelicæ forma perfectionis, sed spiritum Domini solo interim spiritu sequebantur. Paupertas luto diuitiarum si affluat, non vult cor apponere. Ipsa ordinem naturæ seruat. Sicut enim terra exte-

rior pedibus, sic ipsa terrena calcat mentis affectibus. Ipsa de fimo stabuli thesaurum facere dedignatur. Stabulum est hæc pars mundi in qua sumus, quia habitaculum est iumenti nostri, scilicet corporis. Paupertas terram talpis & serpentibus relinquit. Esa. 65. *Serpenti puluis panis eius.* Ipsa hominem custodit, ne à serpente infernali comedatur. Cassiodorus super illud Psalm. *Omnia à te expectant.* Quem Deus pro malis suis abiicit, fit diaboli pabulum: quapropter si in escam inimici dari nolumus, non debemus esse terreni, quia sic in principio maledictus est vt terram comedat. Gen. 3. Paupertas amatores suos miro modo facit abundare. Habent enim de ea quantum volunt. Eccles. 11. *Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate.* Paupertas etiam terrenis diuitiis facit quodãmodo abundare: pauper enim diuitias quas pro Christo contemnit, quodammodo habet, dum eas Christo vendit, & de illis in cœlo thesaurum facit. Vnde Dominus emit à Petro, quod pro eius amore reliquerat. Matth. 19. quod non fecisset, nisi illius fuissent. Non enim emeret prædam. Quando aliquis ex corde dicit: Volo habere thesauros regios vel imperiales, & hoc propter Christum: statim Christo eos vendidit, & in cœlo eos thesaurizauit, & hoc sine damno eorum qui eos possidebant. Remanent enim eis pleno iure. Et quod mirum est, eosdem thesauros diuersi possunt vendere, & in cælo thesaurizare. Et non solum hæc possunt facere de his quæ sunt, sed etiam de his quæ non sunt, sed possunt esse. Bern. in Sermonibus. O mira nouitas eius qui omnia noua facit: tollens iugum, inuenit requiem: relinquens omnia, centuplum habet. De illa verò paupertate quæ est eorum qui habent multas diuitias, quarum non se reputant dominos, sed solùm ministros, notandum quod ipsa valde gloriosa est. Ipsa est velut lilium inter spinas. De paupertate huiusmodi verum est illud Prou. 14. *Est quasi pauper, cum multis diuitiis sit.* Ipse in diuitiis dupliciter negotiatur, bene ministrando & non amando. Ipse diuitias terrenas in arca seruat, & tamen in thesauro cœlesti eas reponit: qui enim ad pios vsus diuitias seruat, non claudens viscera sua indigentibus, in cælo iam eas reposuit, cum eas corde iam Deo obtulerit. Pios vsus diuitiarum intelligas etiam vxorum & filiorum competentes prouisiones, cùm ad Dei honorem & animarum salutem referuntur. Non sic est de illis qui auarè retinendo diuitias: quos non pascunt, occidunt, dum eos fame mori permittunt, qui pauperibus partem suam auferunt.

Et notandum quod qui amat paupertatem, non debet eius sequelam fugere, scilicet famem & sitim, nuditatem, defectum tecti, defectum auxiliorum, defectum consolationum. Bern. in Sermonibus. Videmus aliquos pauperes, qui, si veram haberent paupertatem, non adeo pusillanimes inuenirentur & tristes, vtpote reges vt reges coli. Sed hi sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto vt eis nihil desit: & sic diligunt paupertatem vt nullam inopiam patiantur.

PARS VI.

De Mansuetudine & eius descriptione. Quare etiam mansueti sint beati: vbi XVI. tanguntur pertinentia ad commendationem mansuetudinis. Et quare mansueti possidebunt terram, ac cui dono mansuetudo adaptetur.

POst paupertatem spiritus dicendum est de Mansuetudine quæ commendatur in verbo illo: *Beati mites, &c.* Et sequitur bene mansuetudo paupertatem spiritus. Qui enim vere humilis est, cum nihil habeat sui reputatione, non habet vnde turbetur, nec contra se quæ fiunt,

fieri reputat. Item qui terrena non amat, elongauit à se causam perturbationum: Sicut terra mixta aquæ eam turbidã reddit: sic terrena humano cordi amorem sociata, causæ sunt perturbationum. Si verò à corde humano fuerint separata, & tranquillitas in mente. De mansuetudine verò hoc modo dicitur. Primo ostendetur quid sit mansuetudo. Secũdo quando mites sint beati: vbi tangetur de his quæ ad commẽdationem mansuetudinis pertinẽt. Tertio, quare mansueti possidebunt terram. Quarto, quod donum huic beatitudini adaptetur. Mansuetudinem sic describit Peregrinus sacerdos: Mansuetudo, inquit, est modesti animi tranquillitas, quę nulla incurrẽtium rerum tribulatione agitatur. Mansuetudo videtur esse temperantia seu modestia vis irascibilis, respectu mali vel inferendi vel destruendi: moderationem vero irascibilis in qua multum regnat impetuositas, sequitur mentis tranquillitas. Gl. super Matt. 5. Montes temperat mansuetudo & lenitas. Mansuetudo est dulcedo animi, quam non vincit amaritudo. Vnde Gloss. super Matth. 5. Mitis est quem mentis asperitas seu amaritudo non afficiat: sed simplicitas fidei ad omnẽ iniuriam patiẽdam instruit patienter. Hæc dulcedo quandam causam habere videtur sanitatis virium animæ. Prou. 16. *Dulcedo animæ est sanitas ossium*. Mansuetudo bonitas est malitiam vincens, nulli malum vincens, mala in bonum conuertens. Gl. super Matt. 5. Mansuetus non irritat vel irritatur: non nocet, vel nocere cogitat. Et alia Gl. Mitis est quem non rancor vel ira afficit, sed omnia æquanimiter sustinet: *Mansueti si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*. Marc. vltim. Mansuetudo mollities est seu suauitas malo cedens, subesse sciens, superiori non resistens, tractabilis siue bonis consentiens. Primum tangit, gloss. super illud Matth. 5. *Beati mites* qui cedunt improbis, & vincunt in bono malum. Secundum tangit alia gloss. Ibid. Qui piè quærit, honorat sancta, non reprehendit, non resistit, quod est mitem fieri. Tertium tangit gloss. super illud Galat. 5. *Fructus spiritus est Charitas, &c.* Mansuetudo quod non intractabilis, sed potius tractabilis est, quia mansuetudo vel in toto, vel in parte videtur esse idem cum clementia, de qua dictum est in tractatu de Temperantia, vbi inuenies aliqua vtilia ad materiam istam. Aliquando etiam benignitas pro mansuetudine accipitur. Tamen super illud 1. Corinth. 13. *Charitas patiens est, benigna est*, vult gloss. quod benignitas consistat in largitione suorum, dicens, Benigna est, larga egenis. Et super illud Ephes. 4. *Estote inuicem benigni*, dicit gloss. id est, de facultatibus largi. Et super illud Galat. 5. *Benignitas*, dicit gloss. largitas rerum. Animus mansuetus nobilitatem veram habere videtur, & nobilitatem quam aliena rusticitas non corrumpit. Nobiles huius mundi parum sunt nobiles seu curiales, vt primò rusticitatem huiusmodi nõ faciãt: sed si eis facta fuerit, parati sunt eam reddere: sed Dominus vult filios suos adeò nobiles esse, vt nulla rusticitas eis facta eos possit rusticos efficere, vt scilicet nulla rusticitas de eis exeat.

Circa secundum notandum est, quod prima causa & maxima quare mites sint beati, est illa quam Dominus tangit: *Quoniam ipsi possidebunt terram*. Secunda est: quia sunt immunes à miseria, quæ iracundiam vel rabiem comitatur: de qua miseria require in tractatu de ira. Tertio, ad beatitudinem mitium facit excellentia huius virtutis, scilicet mansuetudinis: quia excellentia apparebit si ponentur ea quæ ad eius commendationem pertinent.

De commendatione Mansuetudinis.

ET possumus 16. ponere ad eius cõmẽdationem pertinentia. Primum est, quod natura hominem ad mansuetudinem incitat: Figura n. hominis exterior indicat quod homo mansuetus esse debeat. Et sapiens dicit hominẽ esse animal mansue-

cum natura. In omni specie animalis figura corporis attestatur naturæ inferiori: sicut vngues acuti, magni, & fortes, & curuati, & dentes magni, & scissio oris magna attestantur rabiei, vt apparet in leonibus. Contraria verò his attestantur mãsuetudini, vt in homine. Homines crudeles quasi non sunt homines, in animalia enim syluestria transierunt. Secundum est, mansuetudo Dei, quam Scriptura sacra tantum nobis prædicat. Dan. 3. *Fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam.* Soph. 4. *Quærite Dominum omnes mansueti terræ: quærite iustum, quærite mansuetum.* Ioel. 2. *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est.* In
Ps. 79. Psal. *Suauis est Dominus in omnibus vijs suis.* Tertium est, quod hæc virtus speciale ornamentum fuit mediatoris. In Psal.
Psa. 74. *Propter veritatem & mansuetudinem, &c.* Matth. 21. *Ecce rex tuus tibi venit mansuetus.* Ierem. 11. *Ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam.* Matth. 11. *Discite à me, quia mitis sum.* Quartum est quod hæc virtus enumeratur inter fructus spiritus. Galat. 5. Quintum est, quod hæc virtus ornamentum est multum decens seruum Dei. Ephes. 4. *Obsecro vos vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine.* 1. ad Timoth. 6. *Tu autem homo Dei sectare patientiam & mansuetudinem.* Item 2. ad Timoth. 2. *Admone illos, neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnẽm ostendentes mansuetudinem.* Sextum est, quod Christus magisterium huius virtutis sibi specialiter inscribit. Vnde Gloss. super illud Matth. 5. Huius virtutis quasi magnæ magistrum se facit Dominus, quod non faceret nisi via summæ perfectionis ista virtus esset. Septimũ est, quod hæc virtus diuina acquirit Ecclesiast. 10. *Sedes ducum superborum destruxit & sedere facit mites pro eis.* Octauum, quod eadem conseruat Prouerbior. 20. *Roboratur clementia thronus regis.* Nonum, quod vitam corporis conseruat. Prouerbio. 11. *Clementia præparabit vitam, & sectatio malorum mortem.* Eiusdem 12. *Qui suauis est, viuit in moderationibus.* Decimum est, quod seruat animam. Ecclesiast. 10. *Fili, in mansuetudine serua animam tuam.* Mansuetudo est sicut antemurale in castro animæ, lapides durorum verborum leuiter excipiens, & ideò ictus frustrans, & hominem à læsione custodiẽs. Sicut vasa vitrea in fœno, vel alia re molli inuoluuntur, & sic à confractione seruantur: sic mansuetudo animum seruat, ne ira eam confringat. Vndecimum, quod animum delectat. In Psalm. *Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Psa. 3[illegible] Mansuetudo est velut culcitra mollissima in lectulo floridæ cõscientiæ, in qua animus cum Deo quiescit, Cant. 1. *Lectulus noster floridus.* Duodecimum, quod proximum corrigit. In Psalm. *Quoniam superuenit mansuetudo, & corripiemur.* Tertium decimum, quod proximi gratiam acquirit. Ecclesiast. 3. *Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super gloriam hominum diligeris.* Ezech. 3. *Vt adamantem & silicem dedi faciem tuam.* Sicut adamas ferrum attrahit, sic mansuetudo corda hominum. Decimumquartum, quod iram proximi frangit. Prouerb. 15. *Responsio mollis fragit iram.* Quintumdecimum, quod hominem Deo valde placentem reddit. Ecclesiast. 1. Et quod beneplacitum est ei, fides & mansuetudo. Hæ duæ gratiæ multum placent Dei in homine, quia fides facit vt homo possideatur à Deo quantum ad effectum: Mansuetudo facit hominem à Deo exaudiri. In Psalm. *Memento Domine Dauid,* Psa. 1[illegible] *& omnis mansuetudinis eius.* Iudith 9. *Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Et Dominus beato Dionysio in carcere posito: Benignitas & dilectio quam semper habuisti, facient vt quidquid petieris, aliquibus impetres. Item mansuetudo dignum facit Dei allocutione. In Psalm. Docebit mites vias suas Ecclesiast. 5. Esto mansuetus ad au-

diendum verbum Dei. Iacob. 1. *In mansuetudine suscipite insitum verbum.* Exod. 33. loquebatur Dominus cum Moyse, qui fuit mitissimus hominum, facie ad faciem sicut homo solet loqui ad amicum suum. Mansuetudo etiam dignum facit Dei defensione. Numer. 12. *Locuta est Maria & Aaron contra Moysen, &c. quod quum audisset Dominus, iratus est valde. Erat enim Moyses mitissimus,* & subditur: *Maria apparuit candens lepra.* Decimumseptimum est, quod in iudicio saluat. In Psalm. *Cum exurgeret in iudicio Deus, vt saluos faceret omnes mansuetos terræ.* Item diriget mansuetos in iudicio, & exaltabit mansuetos in salutem. Esaiæ 11. *Arguet in æquitate pro mansuetis terræ.*

Circa tertium notandum, quod mansueti possidebunt terram viuentium. Vnde gl. Virtus mansuetudinis possidebit terram viuentium, & delectabitur in multitudine pacis. Mansueti in præsenti pacifici possidentur à Deo: ideo lege vicissitudinis in futuro possidebunt Deum, qui est beata habitatio viuentium. August. Nullius erit Deus possessio, nisi eius quem ipse prius possederit. Præterea mansueti possident nunc corda sua: homines immansueti non dominantur cordibus suis, sed potius ira dominatur in eis. glo. super Matth. 5. Mites sunt qui malis moribus dominantur: perfecta virtus morum possessio. Prou. 16. *Melior est qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Item mansueti bona spiritualia, si qua habent, possident: homines iracundi ea non possident, etsi ad horam ea habeant. Ignis enim iræ in momento eos depauperat. Item bona terræ magnificè possident, vt non turbentur si ea amiserint. Qui ex amissione bonorum terrenorum turbantur, non possident ea, sed potius ab eis possidentur. Serui enim eorum sunt, non Domini. Vt igitur gratiæ tanquam merito gloria succedens vt præmium respondeat, mansueti qui in præsenti se & sua possident, tam spiritualia quàm terrena, merito in futuro terram viuentium possidebunt. Bernardus videtur intelligere hoc verbum *Beati mites, &c.* de terra quam calcamus. Ait enim: Si humilibus datur cœlum, mitibus terra: quid relinquitur immitibus & crudelibus, nisi infernalis miseria? Idem in sermon. verbum prædictum exponit de terra corporis, his verbis: Hanc terram corpus nostrum intelligo: quod si possidere vult anima, si regnare desiderat supra membra sua, necesse est vt ipsa sit mitis & superiori suo subiecta: quoniam talem inueniet inferius suum, qualem se exhibuerit superiori. Armatur enim creatura ad vlciscendam sui iniuriam creatoris: & ideo nouerit anima quę rebelle inuenit sibi corpus suum, se quoque minus quàm oporteat superioribus potestatibus esse subiectam: mansuescat ipsa, & humilietur sub potenti manu Altissimi, subiecta sit Deo, & his pariter quibus vice eius debet obedire prælatis, & continuo corpus suum inueniet obediens & subiectum. Veritas enim est quæ loquitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Et notandum quod vera mansuetudo apparet, quando homini aliquid dicitur, vel fit contra eius voluntatem. Bernard. Sunt alij mites, sed quandiu nihil dicitur aut agitur, nisi pro eorum arbitrio. Patebit autem quàm longe sint à vera mansuetudine, si vel leuis oriatur occasio. Hæc mansuetudo quomodo hæreditabit quæ ante hæreditatem deficit? Circa quartum notandum quod donum pietatis adaptatur mansuetudini. Si enim pietas accipiatur pro misericordia, manifestum est quod qui habet pietatem, mala proximi compatitur, nec vult nocere proximo. Vnde qui pius est, est mansuetus. Si vero pietas pro cultu Dei sumatur, cultus Dei est *iugum Dei suaue & onus leue.* De quo legitur Matth. 11. Qui mansuetus gratus se inclinat & superponit, sicut mansuetus aliud abiicit. Vnde qui mansuetus est, pius est.

Mãsuetudini adaptatur donũ pietatis.

Pars VII.

De luctu & eius descriptione, de speciebus luctus, & quare lugentes sint beati: vbi tangitur de his quæ ad commendationem lachrymarum pertinent, & impedimentis etiam lachrymarum, & cui dono luctus adaptetur.

POST paupertatem spiritus & mansuetudinem, dicendum est de luctu. Cum enim terreneïtas vix ad plenum à corde amoueatur, tranquillitas autem mansuetudinis sæpe corrumpatur, necessarius est luctus, vt aquâ lachrymarum terreneïtas perfectè expellatur. Iob. 14. *Lapides excauant aquæ, & alluuione paulatim terra consumitur.* Et vt incendia, iræ aqua lacrymarum perfecte extinguantur. De luctu vero hoc modo dicetur. Primo ostendetur quid sit luctus, prout beatitudo dicitur. Secundo distinguentur diuersæ species luctus, vt manifestum fiat cui luctui consolatio debeatur. Tertio, ostendetur quomodo lugentes sint beati: vbi tangetur de his quæ pertinent ad commendationem luctus seu lacrymarum. Quarto, dicetur de impedimentis lacrymarum. Quinto, quod donum aptetur huic beatitudini. Circa primum notandum, quod luctus prout sumitur pro beatitudine, est gratia vehementer dolendi de malo quod accidit, vel de bono quod deficit. Luctus vero sic sumptus non est in iis qui adhuc sunt in peccatis suis. Gregor. in Moral. Nisi à reatu culpæ quo nos ligauimus, misericorditer dimittamur, perfecte flere non possumus, quod in nobisipsis contra nosmetipsos dolemus. Malum vero in descriptione posita intelligas, non id quod mundus vocat malum, scilicet pœnam temporalem quæ medicinalis est: sed quod vere malum est, scilicet malum culpæ, & pœnam futuram quæ eius est sequela. Bonum etiam non intelligas bonum periculosum vt est pecunia: sed verum bonum scilicet bonum gratiæ vel gloriæ. Dolor huiusmodi, signum est salucis. Greg. in Moral. Argumentum salutis est vis doloris.

De speciebus luctus.

CIrca secundum notandum quod super Matth. 5. distinguit Gl. duas species luctus. Prior est luctus pro peccatis, vel suis vel alienis. Secūdus est, ex desiderio cœlestis patriæ. Prior est irriguum inferius, secundus irriguum superius. De quibus legitur Ios. 15. & Iudic. 1. Ille lauat præsentes sordes: hic vero accendit acrius æternorum amatores: vt dicit Gl. super Matth. 5. Aliqui etiam distinguunt quatuor species luctus. Primus luctus est luctus ex propriis peccatis. De quo in Psalm. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, &c.* Secundus est luctus pro alienis peccatis. Ierem. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Tertius est, pro incolatu præsentis miseriæ, Dauid: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est!* Quartus, pro dilectione patriæ. In Psal. *Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, &c.* Hæ quatuor species luctus sunt velut quatuor hydriæ, quas iussit Elias impleri aqua, & effundi super holocausta: quam effusionem ignis cœlestis subsecutus est, 3. Regum 18. Possunt etiam distingui sex species luctus, quarum prima est ex consideratione diuinæ offensæ vel contumeliæ. Secunda est, ex consideratione gehennæ. Greg. super Iob. Super omnia præuisio inferni compunctionem prouocat. Tertia est, ex consideratione alienæ miseriæ. Ad Rom. 12. *Flete cum flentibus, gaudete cum gaudentibus, &c.* Quarta est, ex præsenti affectione. Thre. 1. *Plorans plorauit in nocte.* Quinto, pro spirituali absentia sponsi. Matth. 9. *Non possunt filij sponsi lugere, quandiu*

Luct. duæ species.

Ps. 1[...]

Ps. 1[...]
Ps. 15[...]

Item al[...] species sex L[...] ctus c[...] uisio gener[...] lis.

quandiu est sponsus cum eis, &c. Sexta pro dilatione patriæ. Hę sex species sunt velut sex hydriæ quas Dominus iubet aqua impleri, Ioan. 2. Potest tamen poni diuisio luctus generalior, vt distinguamus luctū in luctum malum: & in luctum bonum, & luctum indifferentem. Luctus malus est, vt luctus cupiditatis. De quo dictum est: *Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.* Vel luctus deceptionis. De quo Poëta: *Vt flerent oculos, erudiere suos.* Vel luctus inordinatæ compassionis. De quo Augustinus in primo lib. Confessionū: Cogebar, inquit, plorare Didonem mortuam quæ se occidit ob amorem: quum interea meipsum in iis à te morientem Deus vitā mea siccis ferrem oculis miserrimus. Quid enim miserius misero nō miserante seipsū? Vel luctus æternæ damnationis. Matth. 8. *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Idem eiusdem 13. & 22. & 24. & 25. Et Luc. 13. Prou. 14. *Extrema gaudij luctus occupat.* Et notandum quod idem faciunt prudentes & imprudentes. Sed imprudentes illud non faciunt tempore opportuno. Eccl. 20. *Imprudens non seruabit tempora.* Senec. De negligentibus facere quod faciendū est, tunc lachrymæ nihil profuturæ cadunt. Plorabunt fatui sicut hic sapientes plorant: sed tunc plorabunt, quādo lacrymæ erunt eis inutiles. Si non plorarent damnati, nisi lachrymam vnam corporalem singulis diebus quibus erunt in inferno, plus plorarēt quam sint aquæ in mari. Omnes enim guttæ maris finitæ sunt, & posset Deus dicere tot sunt & non plures: & damnati verò sine fine erunt in inferno. Luctus bonus triplex est, scilicet luctus cōpunctionis & deuotionis, compassionis & deuotionis. De primo in Ps. *Lauabo per singulas noctes lectū meum, &c.* De luctu compassionis Iob. 30. *Flebam quondam super eo qui afflictus erat.* Eccles. 22. *Super mortuum plora, defecit enim lux eius. Et super fatuum plora, defecit enim sensus,* Ierem. 13. *Plorans plorabit anima mea & oculus meus educet lachrymam: quia captus est res Domini.* Eiusdem 14. *Deducant oculi mei lachrymam per noctem & diem, &c.* Thren. 2. *Defecerunt præ lacrymis oculi mei super contritione populi mei.* Ezec. 32. *Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te.* Luctus deuotionis est, vt cum anima viri perfecti Dei dulcedinem experta, deflet absentiam sponsi, quoad sensum dulcedinis. Bernar. ad fratres de monte Dei, loquens de illo qui repellitur à lumine Dei ad quod admissus est. Si amat, inquit, flere, dulcia habet, & non sine multo gemitu cogitur redire ad conscientiam suā. Item luctus deuotionis est, qui est ex desiderio diuinæ visionis. In Ps. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, &c. Fuerunt mihi lachrymæ meæ, &c.* Psal. 41. Luctus etiam deuotionis est luctus quem habet anima viri perfecti ex magnitudine gaudij spiritualis. De luctu deuotionis intelligi potest illud August. in lib. de ciuit. Dei: Quanto, inquit, est quisque sanctior & desideriis sanctis plenior: tanto eius in orādo fletus vberior. Idem in lib. Soliloq. Modum, inquit, vis habere lachrymas meas, quum miseriæ meæ modum non videam, Impatiens est amor: nec lacrymis modus sit, nisi amori detur quod amatur. Luctus indifferens est: vt luctus afflictionis temporalis, vel etiam gaudij. Tob. vndecimo: *Fleuerunt ambo cum gaudio.* Genes. 43. *Erumpebant lacrymæ, & introiens cubiculum fleuit.* Secundum Gloss. luctus pro peccatis vel pro desiderio cœlesti, consolationem meretur: alius verò luctus non. Secūdum Bern. Luctus eorum qui perseuerantiam non habent; non meretur consolationem. Alios, inquit, lugētes video: sed si de corde procederent lacrymæ, non tam facile illico soluerentur in risum. Nunc autem quum abundantius otiosa & scurrilia verba profluant, quàm prius lacrymæ: lacrymas huiusmodi de his esse non arbitror quibus consolatio diuina promittitur: quandoquidem post illas tam facile consolatio vilis admittitur.

Luctus indifferens.

Quare lugentes sint beati.

CIrca tertium notandum, quod prima & maxima causa quare lugentes sint beati est quam Dominus tangit, dicens: *Quia consolabuntur.* Simile Luc. 6. *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Lugentes in futuro consolabuntur Dei visione, & etiā multis aliis modis. Esa. vlt. *In Ierusalem consolamini: videbitis, & gaudebit cor vestrum.* Et Luc. 15. Dictum est diuiti de Lazaro. *Nunc hic consolatur, tu vero cruciaris.* Ioan. 15. *Tristitia vestra vertetur in gaudium*, quod significauit aquæ mutatio in vinum. Ioan. 2. Ierem. 3. *Conuertam luctum eorum in gaudium.* In præsenti etiam lugentes consolantur. Exod. c. 15. *Aquæ Mara versæ sunt in dulcedinem.* Tob. 8 *Post lacrymationem & fletum, exultationem infundis.* Aug. in lib. Confes. Quantum, inquit, fleui in hymnis & canticis tuis, suauesonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter: & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis. De tali qui habet abundantiā dulciū lacrymarum, verum est illud, quod solet dici communiter: Iste est sicut piscis qui natat in aqua. De suauitate ista non gustat cor ignobile. Prou. 14. *Cor quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur extraneus.* Greg. in Moral. Luctu suo anima pascitur, quum ad superna gaudia flendo subleuatur. Et intus quidē doloris sui gemitum tolerat: sed eo refectionis pabulum percipit, quo vis amoris per lacrymas emanat. Idem in eodem: Fit plerumque vt in ipsis piis fletibus gaudij claritas erumpat, vt mēs quæ cœca iacuerat, ad inspectionem fulgoris intimi suspiriis vegetata conualescat. Aliud ad beatitudinem faciens in lugentibus luctu salubri, potest esse, quod tales immunes sunt à tristitia huius seculi, quæ mortem operatur. 2. ad Cor. 7. Bern. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua.* Mortis horrorem, iudicij tremendum valde discrimen, ardentis gehennæ metum ab oculis cordis tui elōgari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuæ miseriā, recogita annos tuos in amaritudine animæ tuæ, & cogita humanæ vitæ pericula: cogita fragilitatem propriam, & in huiusmodi cogitatione si perseueraueris, dico tibi parū senties quidquid foris videtur esse molestum, dum toto corde circa interiorē molestiam te occupaueris. Sed nec patietur Dominus sine consolatione te esse: quoniā est pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Et complebitur omnino quod pollicetur Veritas, *Beati qui lugent &c.* Tertio ad beatitudinem lugentium facit, quod lacrymæ eos emundant. Sunt & cæteri affectus lacrymarū, de quibus in earum commendatione dicetur.

De commendatione lacrymarum.

ET notandum, quod ad commendationem lacrymarum. Primo valere possūt exhortationes quas Scriptura sacra facit ad flendum. Ierem. 6. *Luctum vnigeniti fac tibi.* Eiusd. 9. *Docete filias vestras lamentum.* Luc. 23. *Super vos ipsas flete & super filios vestros.* Iacob. 4. *Miseri estote, & lugete.* Eiusd. 5. *Plorate vlulantes in miseriis vestris.* Secundo exempla inter quæ præcipuum est exemplum Christi. Bern. Christus compatitur, & plorat; homo patitur, & ridebit. De luctu Christi habes ad Heb. 5. *Cum clamore & lacrymis exauditus est pro sua reuerentia.* Et Luc. 19. *Videns ciuitatem fleuit super illam*, & Ioan. 11. *Et lacrymatus est Iesus.* Primo fletu commendauit nobis fletum compunctionis. Creditur enim fletum illum emisisse in cruce. Crux vero statum pœnitentiæ designat. In secundo, fletum compassionis. In tertio, fletum deuotionis, quando fleuit Lazarum reuocaturus ad præsentem miseriam. Bernar. in Serm. Christum super Lazarum & super ciuitatem fleuisse, & in orationibus pernoctasse lego: risisse vero aut iocasse nunquā. Commendantur etiam lacrymæ exemplo Petri. Matth. 26. *Egressus foras fleuit a-*

Lacry- mas lu- gētiur cōmen- dāt qu- tuor.

mare. Hieron. in epistolis. Petrum ter negantem in locũ suum amaræ restituere lacrymæ. Item exemplum Magdalenæ Luc. 7 *Lacrymis cœpit rigare pedes eius*. Tertio, ad cõmendationẽ lacrymarũ potest locus valere in quo sumus. Aug. in valle miseriæ sumus, in qua eo magis flendum est, quo minus flemus. In Psal. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum*, Eccl. 12. *Musica in luctu importuna narratio*. Quarto, tempus in quo sumus. Eccle. 3. *Tempus flendi, & tempus ridendi*. Tempus flendi est in præsenti, vbi est multa materia fletus, & lacrymæ sunt in suo valore. Materia fletus sunt Dei iniuriæ & contumeliæ, strages animarum, incolatus præsentis miseriæ, dilatio patriæ. De multiplici materia fletus, require in tractatu de luxuria, cap. de Choreis. In futuro erit tempus ridendi. Qui erunt in paradiso, non habebunt materiam fletus. In his vero qui erunt in inferno lacrymæ nullus erunt valoris. *Tunc absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum*. Apoc. 7. Esa. 3. *Aufert Dominus Deus omnem lacrymam ab omni facie*. Bern. Felices lacrymæ, quas pia manus conditoris absterget. Tunc ridebunt electi pleno ore. Iob 8. *Deus non proyciet simplicem, nec porriget manum malignis, donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo*. Hic ridetur ore semipleno: quia hic impletur illud Prou. 14. *Risus dolore miscebitur*.

Psal. 13.

De virtute lacrymarum.

De virtute lacrymarum. Notandum est quod lacrymæ primo animam mũdant. Aqua etiam lacrymarum est velut mare æneũ, in quo ingressuri tabernaculum vel tẽplum, manus ac pedes lauabant. Exodi vltimo. Et 3. Reg. 7. Aqua etiam lacrymarum est lauatorium in claustro spirituali. Quasi aqua de puteo est, si lacrymæ veniant de profundo peccatorum. Et si sint pro propiis peccatis, tunc est puteus in ipso claustro. Si vero sunt pro peccatis alienis, & non propriis: tunc habet claustrum illud aquam quasi de alieno puteo, & videtur habere malum prouisorem. Si vero lacrymæ pro incolatu huius miseriæ, vel pro dilectione patriæ, tunc est aqua quasi de fonte viuo. Ioann. 4. *Aqua quam ego dabo ei fiet fons aquæ salientis in vitam æternam*. Aqua lacrymarum, balneum est, in quo abluuntur animæ, vt sponsæ regis cælestis fiant. Ierem. 4. *Laua à malitia Ierusalem cor tuum vt salua fias*. Item lacrymæ delent literas mortis, quas qui peccat, diabolo scribit manu propria in libro conscientiæ, Daniel 7. *Sedit iudicium, & libri aperti sunt*: Libri, inquam, scilicet conscientiarum. Literæ istæ effusione proprij sanguinis delendæ essent, si aliter deleri non possent. Sic Christus deleuit chirographum nobis contrarium. Coloss. 2. *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci*. Item diabolum submergunt. Aqua lacrymarum est quasi mare rubrum, vbi Pharao infernalis cum exercitu vitiorum submergitur. Exod. 14. In Psalm. *Contribulasti capita draconum in aquis*. Item lacrymæ terram cordis irrigant, & fœcundant. Aqua lacrymarum est vt fons paradisi Genes. 2. *Fons ascendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ*. Ecclesiast. 14. *Rigabo hortum plantationis*. In Psalm. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent*. Item lacrymæ holocaustum impinguant. Gregorius super Ezechielem: Holocaustum aridum, est bonum opus quod orationis lacrymæ non infundunt. Holocaustum pingue, est bonum opus; quod quum agitur, etiam lacrymis impinguatur. Item lacrymæ ardorem concupiscentiarum sedant. Gregorius in Moralibus: Flammam suggestionum diaboli citius extinguit vnda lacrymarum. Si aliquia videat domum conscientiæ suæ igne concupiscentiæ succendi, recurrere debet ad aquam lacrymarum. Item mentẽ humi-

Lacrymę multa efficiunt.

Psal. 73.

Psal. 125.

liāt, Prou.12. *Mœror in corde iusti humiliabit eū.* Item mentē mitigant. Bern. in Ser. Equum indomitum flagella domant: animā immitem contritio spiritus & assiduitas lacrymarum. Et vt breuiter dicatur, omnem infirmitatem spiritualem sanant. Iob. 5. *Mœrentes erigit sospitate.* Item à Deo quod homo vult impetrant. 1. Reg. 1. *Quum esset Anna amaro animo, orauit* Deū, *flens largiter, quæ à* Domino *exaudita est.* Esa. 38. dictum est. Ezechiæ: *Vidi lacrymam tuam, & ecce sanaui te.* Tob. 3. *Orauit Tobias cum lacrymis, & Sara similiter, & exauditæ sunt preces amborum.* Iudith 8. *Indulgentiam eius cum lacrymis postulemus.* In Psalm. *Auribus percipe lacrymas meas*: Augustin. Quæ violentæ sunt in precibus. Item: Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. Ierem. 31. *In fletu venient, & in misericordia reducam eos.* Christus cum lacrymis preces offerens exauditus est, Hebræ. 5. Item lacrymæ oculum cordis clarificant. Vnde aqua lacrymarum est natatoria Siloë. Ioan. 9. *Abij in natatorium Siloe, & laui, & vidi*: Greg. Mens lacrymis baptizata, in contemplatione videt limpidius. Idem: Sæpe quod torpentes latuit, flentibus subtilius innotescit. Aqua lacrymarum est collyrium visum iuuans. Apocalyp. 3. *Collyrio inunge oculos tuos, vt videas.* Item lacrymæ mentē eleuāt. Gen. 7. *Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime.* Greg. in Moralib. Quum per fletum mens ad summa rapitur, compunctionis suæ pœnám gaudens miratur; & libet affligit, quia afflictione sua se conspicit ad alta subleuari. Item lacrymæ vitam perditam reparant. Gregor. Tempus redimimus, quando anteactam vitam, quam lasciuiendo perdidimus, flendo reparamus. Item regnum cœlorum quasi quadam vi obtinent. Gregor. in Homil. Regnum cælorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur. Lacrymæ, vt virtus earum breuibus verbis exprimatur, operantur in cælo, in terra, & in inferno. In cælo: Vnde Ecclef. 35. *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas?* A maxilla enim ascendunt ad cælum. In terra operantur, quum multiplices habeant effectus in hominibus, vt prius ostensum est. In inferno quum ignem infernalem extinguant, quantum ad eum qui eas effundit. Item lacrymæ possunt in Deum, in angelos, in dæmones & homines. In Deum, dum eum quasi cogunt ad miserandum. Vnde super illud Tobiæ 3. *Tunc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis*, dicit Gl. Oratio Deum lenit, lacryma cogit. Lacrymæ Deum faciunt quasi obliuisci iniquitatum nostrarum. Lacrymæ etiam angelos lætificant. Luc. *Gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente*, secundum Bern. Deliciæ angelorum, sunt lacrymæ pœnitentium. In dæmones possunt lacrymæ, cum ab eis submergantur, vt prius dictum est.

Psal. 38

De impedimentis lacrymarum.

CIrca quartum notandum est quod sex videntur esse impedimenta lacrymarum. Primum est superbia, quæ est vt terra arans. Iosue 15. & Iudith 1. *Terram arentem dedisti mihi.* In Psal. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Humilitas est quasi aquæductus, per quem lacrymæ veniunt quam diabolus vult incidi. Iudith 7. *Incidi præcipit Holofernes aquæductum.* Ipsa est vallis ad quam descendunt aquæ lacrymarum. Secundum est, amor terrenorum. Vnde Cain interfecit Abel. Gen. 4. Cain interpretatur possessio; Abel, luctus. Gen. 26. *Omnes puteos quos foderant serui Abraham obstruxerunt Palæstini implentes humo.* Tertium est, durities siue impietas. Gen. 29. *Os putei, grandi lapide claudebatur.* Homines qui non habent pietatem ad proximum, non inueniunt Deum sibi misericordem: ideo corda eorum sunt vt petra durissima. Iob. 12.

Psa. 3[…] Lacry[…] maru[…] imped[…] metur[…]

Si continueris aquas, omnia siccabuntur. Ideo necesse esset vt virgâ Dei percuterentur, vt aqua lacrymarum inde exiret.
Psa. 77. Deut. 8. *Eduxit riuos viuos de petra durissima.* Item in Psalm. *Percussit petram & fluxerunt aquæ, &c.* Quartum est, nimia occupatio. Genes. 36. *Anna inuenit aquas calidas in solitudine.* Esa. 22. *Recedite à me, amarè flebo.* Quintum est, ignorantia. Quod impedimentum tangit Dominus. Luc. 19. dicens: *Si cognouisses*, & tu supple, fleres. Sextum est, peccati magnitudo. Bernard. in lib. de Consideratione: Si doles, condoleo: si non, doleo tantum, & maximè sciens à salute longius absistere membrum quod obstupuit, & ægrum sese sentientem periculosius laborare. Gregorius in homilia loquens de Pharisæo & Magdalena & Christo. Inter duos ægros medicus aderat, sed vnus æger in febre integrum sensum tenebat, alter verò in febre carnis & sensum perdiderat mentis. In ægritudine sensum perdiderat qui hoc ipsum quod à salute longe esset ignorabat.

Coadaptatio luctus in donum scientiæ.

Luctui adaptatur donum scientiæ.

CIrca quintum notandum quod luctui adaptatur donum scientiæ. Vnde interl. Hi scientiæ spiritu illustrantur, vt sciant quibus malis inuoluantur. Hanc adaptationem insinuat Salomon. Eccl. 1. Qui addit, inquit, scientiam, addit & laborem: & non potest homo scire quibus bonis vel malis sit in præsenti vita, & non esse in luctu. Mala enim per se luctum inducunt, bona verò temporalia causam luctus: id est, peccatum. August. Si benè est, tumes: si male, doles. Hanc adaptationem insinuat nobis ipsa natura. Ad idem enim membrorum pertinent visus & luctus. Idem insinuatur nobis: Luc. 19. *Videns Iesus ciuitatem, fleuit super eam.*

PARS VIII.

De Esurie iustitiæ.

REctè post prædicta de Esurie iustitiæ dicendum est, quia prædicta valent ad esuriem iustitiæ. Humilitas quæ ad paupertatem pertinet, valet ad hanc esuriem: quia humilis sentit propriam vacuitatem, ideo esurit repletionem. Econtrario superbus quę habet vanam plenitudinē, habet fastidium iustitiæ. Item paupertas voluntaria animam euacuat ab amore mundi. Vnde reddit eam capacem amoris veri boni. Amor enim mundi, & amor veri boni mutuo se expellunt ab anima, coangustatum est enim stratum, vt alter decidat, & pallium breue amoris vtrumque operire non potest, mundū scilicet & verum bonum. Esa. 28. Mansuetudo valet ad hanc esuriam, quia animam euacuat ab amore iniustitiæ. Homines immites esuriunt malitiam seu proximi iniuriam: Ideo non possunt perfectè esurire iustitiam. Luctus etiam facit ad hanc esuriem. Qui enim lugent, recogitant annos suos in amaritudine animæ suæ, & concipiunt facere dignos fructus pœnitentiæ, volentes seruire iustitiæ, sicut iniustitiæ prius seruierunt. ad Rom. 5. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ.* Bernard. Esuriem iustitiæ ad præcedentem ordinat beatitudinem, his verbis: Quid alind est, inquit, hæc consolatio quæ lugentibus promittitur, quàm procedens de spe veniæ gratia deuotionis, & suauissima delectatio boni, & gustus sapientiæ licet exiguus, quibus interim benignissimus Deus afflictam refrigerat animam. Sed gustus ille nihil aliud est quàm irritamentum desiderij, & incentiuum amoris, sicut scriptum est: *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.* Propterea illico subinfertur:

Esuriē iustitiæ adiuuantia.

Beati qui esuriunt, *&c.* Et notandum quod iustitia hic sumi potest generaliter pro probitate, seu bonitate, seu rectitudine vitæ. Ad quod pertinet quod dicit Gloss. Amatores, inquit, veri boni, sunt, quibus non satis est quod iusti sunt, sed semper sitiunt opus iustitiæ. Vel potest sumi iustitia, prout ad eam pertinet reddere vnicuique quod suum est. Vnde Gloss. Iustitia est sua cuique tribuere, sibi, & proximis, & Deo. Item potest sumi prout attenditur in inflictione pœnarum. Vnde Bernardus in Sermonibus: Alij, inquit, tam vehementer contra aliorum delicta zelant, vt videri possent esurire & sitire iustitiam, si esset apud eos de suis quoque peccatis idem iudicium. Sed nunc pondus & pondus, vtrumque abominatio est apud Deum. Nam contra alios tam imprudenter quam inaniter æstuant; seipsos tam insipienter, quam inutiliter palpant. Esuriem iustitiæ, intelligas non quemcunque amorem iustitiæ, sed amorem valde intensum. Et notandum quod opera bona cibus sunt animæ. Virtutes enim, quæ sunt quasi quædam membra animæ, vnde sustentantur, reficiuntur, augentur, roborantur. Ioann. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me.* Ad virtutes pertinet illud Esa. 4. *Panem nostrum comedemus.* Ipsæ de labore suo viuunt: propriis enim operibus pascuntur, & sine illis deficiunt. Ideo rectè dicitur esuries esse iustitiæ. Esuries enim est respectu nutrimenti & refectionis. Qui esuriunt & sitiunt iustitiam, id est, vitæ rectitudinem vel bonitatem, & in se & in aliis beati sunt: quia satiabuntur in futuro, adepto quod desiderant: vt dicit Gloss. interl. Tunc enim nullus erit cum eis qui bonus non sit, & qui bene non agat. Item qui iustitiam secundo modo esuriunt, nunc saturabuntur. Totaliter enim viuent Deo: vnde se totaliter reddent Deo, à quo totaliter habent: & sic verè erunt iusti. Item qui esuriunt iustitiam tertio modo: tunc saturabuntur: quia tunc nullum malum relinquetur impunitum. Tunc enim implebitur illud Psalm. *Lætabitur iustus quum viderit vindictam.* Item qui esuriunt & sitiunt iustitiam, habent beatitudinem viæ. Primò propter lætitiam quæ iustitiam comitatur. In Psalm. *Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda.* Econtrario iniustitiam comitatur miseria, à qua miseria ipsi immunes sunt. Prouerb. 14. Miseros facit populos peccatum. August. in lib. de lib. arbit. Tanta est beatitudo iustitiæ, vt nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere. Secundò, quia quanto habent maiorem esuriem iustitiæ, tanto habent maiorem lætitiam operando iustitiam. Prou. 13. *Desiderium si compleatur, delectat animam.* In eodem: *Lignum vitæ desiderium veniens.* Tertiò, quia spiritualem sanitatem habent. Esuries enim iustitiæ attestatur spirituali sanitati: sicut rectitudo appetitus corporali sanitati. Quartò, quia esuriem iustitiæ sequitur abundantia bonorum operum: vnde multiplicatur lætitia annexa bono operi. Anima bonis operibus abundans est sicut arbor benedicta habens fructuum abundantiam: anima verò sine bonis operibus, est vt arbor maledicta. Matth. 21. *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum:* ait Dominus, maledicens ficui. Item anima abundans bonis operibus, est vt mulier quæ lætatur de multitudine filiorum: quæ verò est sine operibus, est vt mulier sterilis quæ se miseram reputat. 1. Reg. 1. Ait Anna quæ fuit sterilis: *Mulier*, inquit, *infelix nimis ego sum.* Et notandum quod sicut mulieres steriles multùm desiderant fructum: sic anima multum desiderare debet fructum bonorum operum. Exemplum primi desiderij habes in Rachele. Genes. 30. *Da mihi*, inquit, *liberos, alioquin moriar.* Exemplum secundi desiderij in Bernard. dicente super Cantic. Quàm mitius me priuare, ô amara mors, vitæ vsu, quàm fructu: nã vita sine fructu grauior morte. Denique duo mala parantur arbori in-

Margin notes: Opera bona sunt cibus animæ. — Psa. 5[?] — Psa. 1[?]

fructuosæ; securis & ignis. Fame iustitiæ multi sancti mortui sunt mundo. Multi etiam mortui sunt morte corporali, quia pro illa morti se exposuerunt. Esurienda est iustitia vt thesaurus aliis thesauris præualens. Eccles. 29. *Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi, & proderit tibi magis quam aurum.* Alios thesauros relinquit homo cum moritur: sed hunc thesaurum secum defert. Non est cessandum à bonis operibus pro amico aliquo. Bona enim opera faciunt homini societatem in morte, cum amici nolunt hoc facere. Apocalyp. 14. *Opera enim illorum sequuntur illos.* Bona opera hominem ornant & honorant in illa magna curia quæ
Psl. 44. erit cum fiet vniuersale iudicium. In Psal. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, &c.* Item bona opera in futura vita hominem pascunt. Prou. vlt. *Date illi de fructu manuum suarum.* De iustitia require in tractatu de virtutibus Cardinalibus, vbi habes specialem tractatum de ipsa. Aptatur autem esuries iustitiæ dono fortitudinis. Vnde interl. Esuries iustitiæ spiritu fortitudinis fulcitur, ne in via lassescat. Item gloss. Hæc virtus sine spiritu fortitudinis non impletur: quia per eum esuriendo ad satietatem quandoque venimus. Aliqui verò ideò esuriem iustitiæ dono fortitudinis adaptant: quoniam de refectione & exercitio operum est robur virtutum. Posset tamen dici quoniam de fortitudine est ista esuries: sicut de fortitudine vis appetitiuæ corporalis est esuries corporalis, & de debilitatione fastidium. Et sicut de fortitudine bellica est esuries certaminum: sic de dono fortitudinis esuries iustitiæ in præsenti, quæ certamen habet. Iob 7. *Militia est vita hominis super terram.*

PARS IX.

De Misericordia.

SEquitur de Misericordia. De qua congruè post prædicta tangendum est: quia post prohibitionem cordis per paupertatem spiritus à bono quod infra nos est, & per mansuetudinem à malo, & post ablutionem cordis per lauacrum lacrymarum, necessaria est directio ad verum bonum, ad quam pertinet esuries iustitiæ, & deindè ad malum quod fit per misericordiam qua malis proximi compatimur. Misericordes verò ideò beati sunt, quia literas patentes habent euangelij quod ipsi misericordiam consequentur. Misericordes alienam miseriam in præsenti per compassionem sibi assumunt: & ideò in futuro iure vicissitudinis Christus eos à miseria liberabit. De Misericordia, require in tractatu Cardinalium virtutum, vbi habetur specialis tractatus de ipsa. Ea verò quæ ponuntur ibi ad ipsius commendationem, valere possunt ad ostendendam misericordium beatitudinem. Adaptatur autem misericordia dono consilij. Vnde Glossa: Misericordia eget spiritu consilij, sine quo nemo circumspectè miseretur. Initium est sui misereri, finis est pro alio mori. Ordo enim est miserendi, vt vnusquisque incipiat à se. Finem Christus insinuat, pro peccatoribus mortuus est ex misericordia. Misericordiam specialiter consuluit. Veritas iuueni requirenti quid boni faceret, vt vitam æternam haberet: *Si vis*, inquit, *perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Matth. 19. Et notandum quod verè misericors est, qui est misericors de suo. Bern. in Serm. Sunt alij misericordes de his quæ ad ipsos non pertinent, qui scandalizantur quod non datur hominibus abundanter, sic tamen vt nihil penitus eos grauet: qui si misericordes essent, de suo facere deberent misericordiam. Si non possent de substantia terrena, de voluntate bona darent. His qui contra eos peccare forte viderentur, indulgentiam darent. Dulce signum, verbum bonum, quod est super datum optimum, vt eorum mentes ad pœnitentiam prouocarent. Denique & his omnibus quos in peccato

Misericordiæ adaptatur donũ consilij.

Misericors verè quis sit.

esse cognoscerent, compassionem impenderent & orationem: alioquin misericordia eorum nulla est, & misericordiam consequuntur nullam.

PARS X.

De munditia cordis, & eius descriptione: de his quæ eam efficiunt vel custodiunt: quare etiam misericordes sint beati, vbi tangitur de his quæ faciunt, ad commendationem munditiæ de partibus eius, ac cui dono adaptatur.

SEquitur de munditia cordis, de qua hoc modo dicetur. Primò, ponentur eius descriptiones. Secundò, tangetur de his quæ munditiam efficiunt vel custodiunt. Tertiò, ostendetur quare mundi corde sint beati: vbi tangetur de his quæ pertinent ad commendationem mundi-

Mūlitiæ difinitio.

tiæ. Quartò, tangetur de partibus munditiæ. Quintò, ostendetur quod donum huic beatitudini adaptetur. Circa primum notandum quod munditia sic describitur. Munditia est vtriusque hominis integritas, diuini amoris intuitu obseruata. Potest etiam sic describi: Munditia est puritas animi, omnem abhorrens immunditiam. Bern. in epist. dicit, quod puritas cordis consistit, in quærenda gloria Dei & vtilitate proximi. Et loquitur de puritate cordis respectu operum. Super illa verba: Matth. 5. *Beati mundo corde*, dicit interl. quos non arguit conscientia peccatorum.

De his quæ efficiunt munditiam.

Mūditiā cordis 8. efficiunt.

CIrca secundum notandum, quod octo sunt quæ videntur valere ad munditiam efficiendam vel custodiendam. Primum est, aqua sapientiæ salutaris. Multum valet ad munditiam quod homo libenter audiat verbum Dei, vel quod libenter studeat in Scriptura sacra: Ioan. 14. *Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis*. Eiusdem 18. *Sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est*. Dupliciter valet sermo Dei ad munditiam. Primò, quia ostendit maculas cordis: & secundum hoc dicitur speculum. Secundò, quia dat aquam gratiæ: Prou. 13. *Doctrina bona dabit gratiam*. Et figuratum est per lauatorium, de quo legitur, Exod. 38. quod habebat specula exterius, in quibus ingredientes tabernaculum immunditiam suam videre poterant, & intus aquam vnde eam lauabant. Sapientiæ studium ad munditiam valet: quia tollit otium, quod est occasio munditiæ. Bernardus: Omnium tentationum & cogitationum malarum & inutilium sentina est otium. Propterea generat castas affectiones. Vnde dicitur: *Vinum germinans virgines*. Zachar. 9. id est, virginales affectiones. Bernard. super Cantic. Iurans sapientia dum sensum carnis infatuat, purificat intellectum cordis, palatum sanat, & reparat. Sano palato sapit, iam bonum sapit ipsa sapientia qua in bonis nullum melius. Secundum est contritio cordis ex qua est aqua lacrymarum. Multum valet ad munditiam, quod homo frequenter se abluat cum aqua ista. Cui aquæ admiscendus est cinis: memoria scilicet propriæ mortis, vel temporalis, vel æternæ, vel etiam memoria Dominicæ mortis. Per hunc modum fit lixiuia ad abluendum valde efficax, in qua bonum esset lauare quasi per singulas noctes linteamina illius lecti, in quo tantus hospes debet iacere, Deus scilicet. Hanc ablutionem non dedignabatur facere Dauid, licet rex esset: *Lauabo*, inquit, *per singulas noctes lectum meum*. Psal. Tertium est frequens confessio. Confessione mundandum est templum spirituale. Quod figuratum est 1. Machabæo. 4. vbi legitur quod Iudas mundauit templum Gentibus inquinatum. Iudas enim, confitens interpretatur. Attendenda sunt verò verba

quæ

quæ ibi dicit Iudas: *Ecce*, inquit, *contriti sunt inimici nostri: ascendamus nunc mundare sancta, & renouare.* Contritio inimicorum mundationem Iudæ præcessit: sic contritio de peccatis quam exauditu verbi diuini homo recipit, præcedit confessionem peccatorum. In Psal. *Facta est Iudæa sanctificatio eius.* 4. Reg. 5. *Vade, & lauare septies in Iordane.* Septies in Iordane lauatur, qui humiliter septem criminalia peccata confitetur. Bern. in epistolis ad quandam virginem: Audi cui places, ama vnde places. Ama confessionem ob quam amaris: ama confessionem, si affectas decorem: Confessioni iungitur decor, iungitur pulchritudo. In Psalm. *Confessionem & decorem induit. Confessio & pulchritudo in conspectu eius.* Re vera vbi confessio, ibi pulchritudo, ibi decor. Quartum est, vitæ austeritas tam in victu quàm in vestitu. Sicut defricatio & abstersio cum panno aspero valere solet ad munditiam scyphi, sic vitæ austeritas valet ad munditiam spiritualem. De hac asperitate habemus exemplum in Ioann. Bapt. Matth. 3. *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erat locusta & mel syluestre.* Quintum est eleemosynarum largitio. Luc. 11. *Veruntamen quod superest, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Sextum est, oratio: Luc. 9. *Facta est dum oraret species eius altera, & vestitus eius albus & refulgens.* Munditia orando acquiritur. Ideo orat Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum, &c.* Matt. 8. *Domine si vis, potes me mundare.* Orando etiam conseruatur: Machab. 13. *Sancte sanctorum Domine, conserua in æternum domum istam impollutam, quæ nuper mundata est.* Septimum est, lima correptionis. Qui munditiam desiderat, correptionem non fugiat, sed appetat. Bernard. in Serm. Sunt qui peccata sua sic confitentur, vt videri possint ex desiderio cordis mundandi id agere: omnia enim in confessione lauantur, nisi quod ea quæ sponte dicunt aliis, ab aliis patienter audire non possunt. Qui si verè mundari desiderarent, vt videtur, non irritarentur: sed haberent eis gratiam, qui suas illis maculas demonstrarent. Gregor. Ille solus amicus meus erit, qui antè aduentum districti iudicis maculas mentis meæ tergit. Sunt quidam infelices qui à lima correctionis ex qua debuerunt contrahere munditiam, potius contrahunt rubiginem, dum de correctione indignantur, & deteriores fiunt. De tali potest dici illud Psal. *Destruxisti eum ab emundatione vel emendatione*, id est, vnde debuit emundari vel emendari. Octauum est, ignis tribulationis, quo Deus purgat illos quos aurum & argentum reputat. Vnde gaudere debet homo, cum videt se in igne tribulationis positum: Iac. 1. *Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis.* Ille qui in igne tribulationis per impatientiam exuritur, paleam se esse ostendit, non aurum vel argentum. Vnde multùm potest timere illud Matth. 3. *Paleas autem comburet igni inextinguibili.* Ambrosius super Beati immaculati. Sicut aurum bonum: ita Ecclesia cum vritur, detrimenta non sentit, sed magis fulgor eius augetur.

Psa. 113. Psa. 103. Psal. 50. Psal. 88.

Legis veteris sanctificatio qualis.

Et notandum quod in veteri lege fiebat triplex sanctificatio. Primò, per aquam expiationis, de qua Numer. 30. Secundò, per sanguinem, ad Hebr. 9. *Omnia penè secundùm legem in sanguine mundantur.* Tertiò, vnctione, vt tabernaculum & vasa eius, & Aaron, cum filiis suis. Exod. 30. Possunt hæc referri ad triplicem baptismum, scilicet fluminis qui propriè dicitur baptismus. Et baptismum sanguinis, quo beatus Mauritius cum sociis suis baptizatus est. Et baptismum flaminis, scilicet Spiritus sancti, quo saluantur illi qui non possunt habere baptismum, sed credunt & conteruntur de peccatis suis: & libenter reciperent baptismum si possent habere. Vel in

ablutione per aquam facta, intelligi potest sanctificatio, quæ fit per solam gratiam Dei, vt in paruulis qui baptizantur. In ablutione facta cum sanguine intelligitur ablutio quæ fit per pœnitentiam, quæ est quædam carnis mortificatio & crucifixio, ad Gal. 5. *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis:* Per sanctificationem verò vnctione factã significatur sanctificatio quę fit per augmentum gratiæ, & sanctificatio specialiter quæ fit in ministris Ecclesiæ. Sicut enim mundius seruanda sunt calix & alia vasa Ecclesiæ, quàm vasa cõmunia: sic ministri Ecclesiæ maioris munditiæ debent esse, quàm laïci. Exod. 30. eadem vnctione iubentur sanctificari Aaron & filij eius, & vasa tabernaculi. In Ecclesia etiam ministri Ecclesiæ habent quoddam speciale sacramentum, scilicet sacramentum Ordinis quo excellentius cæteris sanctificentur.

Ecclesiæ ministri quo Laico superare debeant munditiæ splẽdore.

Et notandum quod ea quæ intrabant in vnctionem illam, insinuant quomodo ministri Ecclesiæ debent sanctificari. Primum erat myrrha prima & electa. Sic dicitur myrrha illa quæ sponte manat ab arbore, & est pretiosior quàm illa quæ eiicitur per incisionem corticis, & signat mortificationem carnis quæ fit in iuuentute, quæ Deo est gratior & homini vtilior. Prius myrrha pœnitentiæ condienda est, quàm vermibus vitiorum computruerit. Mira est fatuitas aliquorum qui myrrha ista nolunt se inungere, donec toti computruerint vermibus vitiorum. Secundum erat cinnamomum, quod est cinerei coloris, quod cum frangitur, in modum nebulæ spiramentum visibile emittit: vt dicit Gloss. super Exod. 30. Et signat humilitatem ministrorum Ecclesiæ, quæ talis debet esse, vt populum visibiliter ædificet; cùm debeat esse exemplaris. Tertium erat, casia quæ crescit in aquis: & significat fidem, quæ in aquis sacræ Scripturæ crescit: & sic tenenda est vt accipitur ex aquis sacræ Scripturæ. Non

Myrrhæ significatio. Cinnamomi significatio. Casia quid.

enim debet homo sequi rationem suam in iis quæ fidei sunt. Quartum erat calamus. Et dicit Gloss. Exod. 30. quod est arbor aromatica crescens iuxta Libanum. Et super illud Ezech. 26. *Calamus in negotiatione tua*, dicit Gloss. quod in calamo vocalis sonus significatur. Vnde per calamum intelligitur deuotio Ecclesiastici officij, eo quod calamo canitur. Quod multum consolatur & ædificat populum Dei: Iis quatuor speciebus admiscebatur oleum de oliuetis, per quod significatur pietas, cui quatuor prædicta debent deseruire. Minister Ecclesiæ pietati se totum debet dare, vt sit vir misericordiæ. Exemplum habemus de hoc in oculo, qui tenerior & compassibilior est cæteris membris & lacrymis propinquus. Idem debet esse in clero, qui est quasi oculus Ecclesiæ.

Item de hoc exemplum habetur in Christo qui totus fuit misericors. Misericordia eum traxit de cælo. Ipsa eum per vias speras huius vitæ duxit, pro redemptione miserorum eum vendidit, & morti crucis eum exposuit. Si ministri Ecclesiæ essent ipsius misericordiæ in præsenti, vix essent aliqui quin saluarentur. Misericordia enim iure vicissitudinis eorum esset in futuro. Mortificatio carnis tunc seruit pietati, quando quod ori subtrahitur, pauperibus datur. Humilitas, quando in propris vestibus parum expenditur, vt in pauperibus vestiendis multum expendatur. Fides, cum aliquis frequenter meditatur, pauperem esse mẽbrum Christi vel filium Dei, vel quod Christus sibi reputat fieri quod pauperi fit, & alia quæ sunt fidei quæ pietatem incitant. Doctrina fidei pietati seruit, cum doctor intendit iis quæ Ecclesiam ædificant. Gloss. super 1. ad Corinthios 8. Hic Deum diligit, qui charitatis causâ scientiam temperat, vt prosit fratri pro quo Christus mortuus est. Ecclesiasticum etiam officium pietati debet seruire, vt ministri Ecclesiæ studeant subue-

nire animabus quæ in præsenti pererunt, & illis qui in purgatorio cruciantur.

Macula ecclesiasticis indecens quinque ob causas Item notandum quod ministros Ecclesiæ maximè decet munditia, & maximè in eis indecens est immunditia seu macula, quinque de causis. Prima est, quia ipsi sunt oculi Ecclesiæ. In Psalm. *Oculi mei languerunt præ inopia.* Præ inopia, inquam, luminis. Exponit hoc glossa de Apostolis qui fuerunt maiores ministri Christi. Macula in oculo maximè est noxia. Macula in cæteris membris etsi ea deturpet, tamen non reddit ea inutilia: possunt enim exercere officia sua. Multi maculatis pedibus rectè incedunt Macula verò in oculo eum inutilem reddit.

Psal. 87.

Etiam modicum pulueris visum oculi impedit. Gregorius: Nequaquam in membro muculam purè considerat oculus quem puluis grauat.

Secunda, quia sunt vt speculum Ecclesiæ. Laïci enim multùm ad eos inspiciunt. Vnde satis possunt dicere illud 1. ad Corinth. 1. *Spectaculum facti sumus mundo.* Sicut de Christo dicitur, Sapient. 7. quod est speculum sine macula: ita pro possibilitate sua ipsi deberent esse speculum sine macula, in quo purè reluceret Christi imago. Si macula fuerit in speculo, illam videt qui in eo faciem videre quærebat: sic si macula fuerit in ministris Ecclesiæ, ad illam respiciet populus, & secundùm eam se maculabit. Minister Ecclesiæ debet dicere illud 1. ad Corinthios 3. *Estote imitatores mei, sicut & ego Christi.*

Tertia, quia sunt vasa electionis Regi regum, & Domino dominantium. Modica macula in scypho vinum infusum abominabile reddit & inutile quantum ad potum regis: sic sapientia in multis propter maculam vitæ abominabilis redditur Deo & hominibus. Gregor. Cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur. De vno vase electionis habes. Actor. 9. *Vas*, inquit, *electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & regibus, & filiis Israel.* Vasa verò electionis hodie in vasa communia sunt mutata. Oseæ 8. *Factus est Israel in nationibus quasi vas immundum.* Iudæi immundum commune dicebant. Huius immunditiæ in magna parte est negligentia circa custodiam oris. Numeror. 19. *Vas quod non habuerit oporculum nec ligaturam desuper, immundum erit.*

Quarta, quia habent mundare alios, ideo oportet eos esse mundos. Eccles. 34. *Ab immundo quid mundabitur?*

Sicut non est calidi frigefacere, nec frigidi calefacere: ita non videtur immundi, mundare. Gregorius: Superiectas sordes tergere non valet manus quæ lutum tenet. Neemiæ duodecimo: *Mundati sunt Sacerdotes & Leuitæ, & mundauerunt populum.* 1. Mach. 4. *Elegit Iudas sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Dei, & mundauerunt sancta.* Quinta, quia ministri sunt Altissimi, ideo sicut ipse immaculatus est, oportet eos esse immaculatos. In Psalm. *Ero immaculatus cum eo, &c.* Item: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* ad Ephes. 1. *Elegit nos vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* Psa. 17.

Quare mundi corde sint beati.

Circa tertium notandum, quod prima & maxima causa quare mundi corde sunt beati, est illa quam Dominus tangit: *Quoniam ipsi Deum videbunt.* In futuro videbunt eum facie ad faciem, in quo erit maxima delectatio. Ioann. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Et super illud Psal. *Ostendam illi salutare meum,* dicit glos. id est, Christum, in maiestate. Et subditur: Hæc visio est tota merces. In præsenti etiam videtur Deus à mundis corde, eo modo quo prius ostensum est quarta parte, in tractatu de Con- Psa. 90. Mundi corde dupliciter beati.

templatione. Bern. Pura veritas non nisi puro corde videtur, ad Hebr. 12. *Pacem sequemini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Mundi corde non solùm sunt beati beatitudine spei, sed etiam beatitudine viæ, quia liberi à miseria immunditiæ, quæ magna est. In Psalm. *Beati immaculati in via.* Apocalyp. 12. *Beati qui lauant stolas suas in sanguine agni.*

De iis quæ faciunt ad commendationem munditiæ.

Munditiæ cõmendatio.

ET notandum quod duodecim sunt quæ faciunt ad commendationem munditiæ cordis. Primum est multiplex exhortatio quam Scriptura sacra facit ad munditiam vel mundationem. Leuit. 11. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Item eiusd. 19. & 20. Item Deut. 18. *Perfectus eris absque macula cum Deo tuo.* Eccles. 9. *Omni tempore vestimenta tua sint candida.* 2. Petr. 3. *Satagite immaculati & inuiolati inueniri.* Esa. 1. *Lauamini, mundi estote.* Hierem. 14. *Laua à malitia cor tuum, Ierusalem.* Esa. 3. *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Secundum est, quod ipsa est naturalis animæ, Bern. in Serm. Sicut corporis natura est sanitas, ita cordis natura est puritas. Tertium est, quod gaudium habet sibi adeò annexum, quòd ipsa vocatur gaudium, vnde super illud ad Gal. 5. *Fructus spiritus est charitas, gaudium,* dicit glos. id est, puritas animi. Quartum est, purgatio quam naturaliter faciunt creaturæ irrationabiles, & etiam insensibiles, quasi exosam haberent immunditiam. Purgat se mare, mortuos ad littus expellens, purgat se vinum, purgat se etiam quod decoquitur. Corpora etiam animalium vim expulsiuam habent, quâ noxia à se expellunt. Quintum est, detestatio sui oppositi, scilicet immunditiæ peccati. Et notandum, quod quinque sunt ex quibus intelligi potest quàm timenda sit immunditia peccati. Primum est, dignitas rei quam peccatum inquinat. Panno pretiosiori magis timemus inquinationem, etiam anima quæ per peccatum inquinatur imago Dei est, & vnita diuinæ naturæ in persona Christi. Quid diceretur de illo qui imaginem Crucifixi, vel B. Virginis in lutum proiiceret, vel crucem quæ corpus Christi erigit paucis horis? Secundum est, difficultas recedendi, quæ patet in Lucifero, à quo immunditia peccati separari non potuit ex quo ei adhæsit. Item, ex quo homo peccauit, nullus purus homo à peccato perfectè purgatus est, vt dignus esset videre faciem Dei, donec Christi sanguis effusus est, quo illa purificatio perfecta est. Præterea immunditia vnius mortalis peccati non potest ablui totâ aquâ quæ sub cælo est, nisi aqua gratiæ de sursum descendat quæ cor abluat. Tertium est huius immunditiæ vilitas, quod patet per hoc quod Dominus immunditiam coporalem non reputat comparatione immunditiæ spiritualis. Matth. 15. *De corde exeunt cogitationes malæ, &c. Hæc sunt quæ coinquinant hominem: Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem.* Hæc immunditia pulcherrimam creaturam, scilicet Luciferum, ita deturpauit: & quum esset in tam sublimi statu, adeò eum vilificauit, vt serpentibus & bufonibus inferior videatur esse in hoc, quod bonum ei esset, si nunquam fuisset. Vilitatem huius immunditiæ ostendit Dauid, dicens: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis.* Psal. 13 Quartum est hoc, quod Deus non habet adeò bonum amicum quem non odiret ad mortem etiam æternam, propter maculam vnius mortalis peccati. Eccles. 12. *Altissimus odio habet peccatores.* Quintum est quod macula hæc adeò deturpat rem in quam cadit & deteriorat, quod nisi virtute diuina remoueatur, perdita est: & melius esse ei nihil esse, quàm sic esse. Sextum faciens ad commẽdationem munditiæ est, quod ipsa multùm placet DEO. 1. ad Thess. 4. *Hæc est*

Immunditia timenda.

voluntas Dei sanctificatio vestra. Signa huius placentiæ multa sunt. Primum est hoc, quod ipse filius Dei dignatus est humiliare se ad mundationem hanc faciendam. Ad Hebræos 1. *Qui quum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius, portansque omnia verbo virtutis suæ purgationem peccatorem faciens & cætera.* Secundum est, quod ipse discessurus à discipulis suis documentum dedit eis de hac mundatione. Ioan. 13. *Si ego laui pedes vestros Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes.* Ablutio illa figura erat spiritualis ablutionis, qua volebat eos abluere seinuicem. Tertium est, quòd cum tantis expensis voluit facere hanc mundationem. Voluit enim nos mundare sanguine suo. Ad Titum secundo: *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem.* Ad Hebræos decimotertio: *Vt sanctificaret populum suum, extra portã passus est.* Apocalyp. 1. *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Pro mundatione mũdi fecit Deus diluuiũ in mũdo isto, Genesis septimo. Et ante diem iudicij præcedet ignis qui comburet faciem mũdi, qui ascendet tantum quantũ aquæ diluuij ad purgandum mundum. Quartum est, quod voluit septem sacramenta esse in Ecclesia Dei: quæ omnia sunt vel ad sanctitatem faciendam, vel construẽdam, vel augendam. Quintum est, quod Deus mũdos corde in sui societate recipit, & in præsenti, & in futuro: In Psal. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? &c.* Et respondetur, *Qui ingreditur sine macula.* Ioan. 13. *Si non lauero te, non habebis partẽ mecum.* 1. Ioan. 3. *Omnis qui habet spem in eo, sanctificat se, sicut ipse sanctus est.* Apoc. 3. *Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua & ambulabunt mecum.* Eiusdem 21. dicitur de ciuitate cœlesti: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Sextum est, quod mundis corde abundanter dat Deus bona sua. Iob. 17. *Mundis manibus addet Deus fortitudinem.*

Mundi- tia Deo placere ex certis colligi- tur si- gnis.

Psal. 14.

Septimum faciens ad commendationem munditiæ est, quod ipsa cor hominis Dei habitaculum facit. Aug. Munda tantùm cubiculum cordis: intus est qui exaudiat. 1. Paral. 19. *Opus grande est: non homini paratur habitatio, sed Deo.* Octauũ est, quod pinguedinem deuotionis recipit Psal. *Pinguescent speciosa deserti.* Nonum est, quod gratiam labiorum tribuit. Quæ duo tanguntur: Prou. 22. *Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum, amicum habebit regem.* Vndecimum est, quod radix est totius munditiæ. Ad munditiam enim interiorem sequitur exterior munditia; Ad Rom. 11. *Si radix est sancta, & rami.* Duodecimum est, quod ad Dei manifestam visionem perducit. Matth. 5. *Beati mundo corde &c.*

Psal. 64.

De partibus munditiæ.

Circa quartum notandum quod est munditia ficta, & ést munditia vera. Ficta munditia est munditia superficialis: vt munditia Pharisæorũ, de qua Matt. 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis & paropsidis: intus autem pleni estis rapina & immunditia.* Et subditur: *Pharisæe cæce, mũda prius quod intus est calicis, & paropsidis, vt fiat id quod foris est mundum.* De ficta munditia tangitur: Prouerb. 30. *Generatio quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis.* Munditia vera est puritas cordis. Et diuiditur in mũditiam intellectus, & munditiam affectus. Bern. in Sermonib. Duo, inquit, sunt quæ in nobis purganda sunt intellectus & affectus. Intellectus vt nouerit affectus vt velit. Intellectus purgãdus est à tribus, scilic. à falsis, ab otiosis, & vitiosis. Falsitas intellectũ obtenebrat. Otiosa eum impediunt. Abusio enim intellectus est, cum occupatur circa inutilia. Omnis autẽ potentia sui abusione præpeditur: vitiosa verò eum coinquinãt. Itẽ purgãdus est intellect⁹, vt ocul⁹ animæ à macula, quę intelligi potest

A qui- bus in- telle- ctus ho- minis purgã- dus.

prudentia carnis, vel opinio propriæ munditiæ. Item à superaffluente humore, scilicet ab importunitate mundanæ solicitudinis. Affectus verò mundanus est à superaspersione, & infectione, & admixtione sordium. Superaspersio in primis motib⁹, infectio in desiderio moroso, admixtio in amore. Amor enim est quędã admixtio siue vnio amantis ad amatum. Item affectus purgandus est terreneitate, scilicet ab amore diuitiarum, & à crassitudine deliciarũ & rubigine iræ vel odij, vel alterius malitiæ. Itẽ purgãdus est affectus à macula quæ est ex inordinato appetitu boni, & à macula quæ est ex inordinato appetitu mali, & à macula quæ est ex inordinato appetitu amborum. Prima macula est, vt macula luxuriæ vel auaritiæ. Secunda est, macula malitiæ. Tertia est, macula superbiæ. Superbus appetit alienũ malum propter proprium bonum, vt proximi deiectioné propter sui exaltationem. Ipse vult facere de fratre suo scabellum pedum suorũ, vt sic altior appareat. Mũditia à macula malitiæ nihil aliud videtur esse quàm innocentia, quæ sic describitur: Innocentia est puritas animi omnem iniuriæ illationem abhorrens.

A quibus affectus.

Item notandum, quod cor mundandum est vt speculum, vt sic Deo inspectori faciem suam purã reddat. Abluẽdum est hoc speculũ lauacro lachrymarum. Mundandum est tersione, quæ est confessio & oratio pro venialibus; & defricatione, quæ fit vitæ asperitate. Item mundandum est cor, vt vas cui balsamum cœlestis sapientiæ debet infundi. Munditia cordis adaptatur dono intellectus.

Circa quartum notandum, quod munditia cordis dono intellectus adaptatur. Facit enim munditia cordis ad intelligentiam, sicut puritas & claritas pupillæ facit ad visionem oculi, & munditia speculi ad speculationem faciei, & munditia vasis ad hoc quod pretiosus liquor ei infundatur. Gl. super Matth. 5. facit adaptationem his verbis; Spiritus intelligentiæ huic gradui adaptatur: quia intellectus mentis oculus est, & expletio mandatorum Dei aperit intellectum.

PARS XI.

De pace & eius descriptione: de commendatione Pacis, de iis quæ ad pacem habendam valere possunt: de iis quæ paci aduersantur, & de diuisionibus ad pacem pertinentibus: qui sint pacifici, & quare sint beati, ac cui dono hæc beatitudo adaptetur.

SEquitur de gratia quæ commendatur nobis in illo verbo, *Beati pacifici, &c.* De qua hoc modo agetur. Primo descriptiones pacis ponentur. Secundo, eius commendationes. Tertio, tangetur de iis quæ ad pacem habendam valere possunt. Quarto, de iis quæ paci aduersantur. Quinto, ponentur diuisiones ad pacem pertinentes. Sexto, ostendetur qui sint pacifici. Septimum, quare pacifici sint beati. Octauo, quod donum huic beatitudini adaptetur. Pax sic describitur: Pax est concordantium in bono mentium ordinata trãquillitas. August. 9. lib. de Ciuit. Dei, multas ponit descriptiones particulares pacis his verbis: Pax, inquit, corporis, est ordinata temperatura partium. Pax animæ irrationalis ordinata requies appetitionum. Pax animæ irrationalis, ordinata cognitionis actionisque consensio. Pax corporis & animæ, ordinata vita, & salus animantis. Pax hominis mortalis & Dei, ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. Pax domus, ordinata imperãdi atque obediendi cõcordia cohabitantium. Pax ciuitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia ciuium. Pax cœlestis ciuitatis, ordinatissima & concordissima societas fruendi Deo & inuicem in Deo. Pax omnium rerum tranquillitas ordinis. Et subdit descriptionem ordinis Ordo, inquit, est parium disparium que re

Descriptio pacis.

Quid sit Ordo.

rum sua cuique loca tribuens dispositio. Ad pacem generaliter pertinere videtur carentia repugnantis. Vnde dicit gloss. super Matth. 5. *Vera pax est vbi nihil repugnat.* Augustinus 19. lib. de Ciuitate Dei: Quid est aliud victoria, nisi subiectio repugnātiū? quod cum factū fuerit, pax erit.

De *commendatione pacis.*

CIrca secundum notandum, quod 12. sunt, quæ ad pacis commendationem pertinere videntur.

Pacē cōmendat naturale desiderium. Primum est, naturale desiderium pacis, quod inest omnibus. De quo Auguin. 19. lib. de Ciuitate Dei: Sicut nemo est qui gaudere nolit, ita nemo est qui pacem habere nolit. Quandoquidem & ipsi qui bella volūt, nihil aliud quā vincere volūt. Ad gloriosam ergo pacē bellando cupiūt peruenire. Nam quid est aliud victoria, nisi subiectio repugnantium? quod cum factum fuerit, pax erit. Idem in eodem: superbus peruersè imitatur Deum: odit namque cum sociis æqualitatem sub illo, sed imponere vult sociis dominationem suam pro illo. Odit ergo iustam pacem Dei, & amat iniquam pacem suam. Non amare tamen qualemcunque pacem nullo modo potest. Nullius quippe vitium contra naturam est, vt naturæ deleat extrema vestigia.

Multiplex exhortatio. Secundum est, multiplex exhortatio ad pacem quæ nobis fit. Ad pacem monuit nos multitudo Angelorum nato Domino, dicens: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus.* Luc. 2. Ad hanc voluit Christus apostolos monere illos, in quorum domum intrarent. Matth. 10. *Intrantes domum salutate eam, dicentes: Pax huic domui.* Et Luc. 10. dictum est discipulis: *In quamcunque domum intraueritis, primum dicite, Pax huic domui.* Ad pacem etiam monuit Christus, Ioann. 20. in duobus locis. Tota doctrina eius ad pacem videtur fuisse. Vnde super illud Ioan. 16. *Hæc locutus sum vobis vt in me pacem habeatis.* dicit gloss. Non solum quæ in cœna, sed quæ ab initio & maximè quæ in cœna, hac de causa dicit dicta, vt in illo pacem haberent. Ad idem debet esse doctrina Ecclesiæ. Columba ramum oliuæ portat in ore suo. Genes. 8. Oliua signum est pacis: columba signum est Spiritus sancti. In hoc ergo signatum est, quod viri spirituales debent portare in ore pacem, vt ad ea quæ pacis sunt admoneant. Ad pacem monet Apostolus ad Roman. 14. *Quæ pacis sunt sectamini, &c.* Eiusdem 12. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* 2. ad Corinth. 4. *Pacem habete.* ad Ephes. 4. *Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* ad Heb. 12. *Pacem sequimini cum omnibus.* (Oliua signum pacis. Colūba S. Sancti.)

Frequēs oratio. Tertium est, frequens oratio quam sancti pro pace faciunt, & ab aliis fieri volūt. Num. 6. *Conuertat Deus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Ierem. 29. *Quærite pacem ciuitatis, &c.* In Psalm. *Rogate quæ ad pacem sunt Ierusalem*, 2. Machab. 1. *Adaperiat Dominus cor vestrum, &c. & faciat pacem.* Paulus ferè in singulis epistolis suis pacem optat iis quibus scribit. Similiter Petrus in suis epistolis. (Psal. 121)

Bonitas. Quartum est, quod pax est verum bonum amicorum Dei. Vnde super illud, *Pax super Israel.* dicit glossa, Vno verbo omnia bona dicit: qui pacem non habet, infelix est. In Psalmo: *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt:* Pacem specialiter reliquit Christus discipulis suis recessurus ab eis. Ioan. 14. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* ad Heb. 4. *Relinquitur sabbatismus populo Dei.* Solent homines morituri aliqua relinquere dilectis suis, & magis dilectis meliora. In hoc ergo quod pacē Christus reliquit apostolis sibi dilectissimis monstrauit pacem optimam esse. Multum dolere deberet qui se videt exheredatum ab eo quod Christus specialiter fidelib. legauit. 3. Reg. 21. dicit Naboth ad Achab: *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum*, nec voluit aliquo (Psal. 13.)

modo vineam quam habebatis hæreditariè commutare. Pacem comitatur gaudium. Prouerbior. 12. *Qui ineunt pacis consilia, sequitur eos gaudium.*

Quintum est, quod pax, finis videtur esse, omnium, etiam sui contrarij. Augustinus: Tantum bonum est pax, vt etiam suo contrario quæratur. Idem, Constat pacem belli esse optabilem finem. Omnis homo etiam belligerando pacem requirit.

Sextum est, quod pax enumeratur inter fructus spiritus: Galat. 5. *Fructus autem spiritus, sunt charitas, gaudium, pax:* charitate diliguntur quæ sunt diligenda, & odiuntur quæ sunt odio habenda. Si assint quæ diliguntur, est gaudium: si absint quæ odiuntur, est pax.

Fructus spiritus

Septimum est, quod pax est specialis locus Dei. Psalm. *In pace factus est locus eius.* Ad hoc signandum, templum Salomonis in pace factum est. 3. Reg. 5. *Nunc requiem dedit Dominus Deus mihi per circuitum: & non est sathan, neque occursus malus.* Quamobrem cogito ædificare templum nomini Dei mei. Ad idem ostendendum noluit filius Dei nasci in mundo isto, donec vniuersus orbis pacatus fuit: & durauit pax illa 12. annis 2. ad Corinth. vltim. *Pacem habete, & Dominus pacis erit vobiscum* 1. ad Corinth. 4. *Non est Deus dissensionis, sed pacis.* Deus est pacis quasi possessiuè: quia vbi pax, ibi Deus.

Quæ habitatio Dei. Psal. 75.

Octauum est, quod Deus ita carè pacem emere voluit. Chrysost. Pro pace loquimur pro qua Dei filius passus est, propter quam crucifixus est & sepultus, quam nobis pro omni censu hęreditatis reliquit. Voluit Dei filius mori, vt nos reconciliaret Deo patri. Voluit quasi matrimonium contrahere cum sorore nostra: scilicet cū humana natura, vt pax in mundo reformaretur. Adhuc etiam pacem peccatorum paratus est emere regno cœlorum. Væ illis qui tam honorabilem pacem recusant.

carè empta.

Nonum est, quod pax mundissima est: Mundat enim aquam mundantem cætera. Si aqua turbata in pace dimittatur, clara efficitur.

mūdās.

Decimum est, quod clare videre facit. Aqua turbata non reddit imagines, vt ait Gregor. sicut cor turbatū, non clarè videt. In Vitis Patrum tres studiose diligentes se facti sunt monachi. Quorum vnus elegit litigantes ad pacem reducere. Alius visitare infirmos. Tertius abiit quiescere in solitudine. Primus laborans circa lites hominum non valens eas sedare, tædio victus venit ad eum qui seruiebat infirmis, & inuenit eum animo deficientem. Qui de communi consensu abierunt tertium videre in eremo, dicentes ei tribulationes suas, & rogantes vt eis diceret statum suū; qui reticens paululùm, misit aquam in scyphum, dicens eis: Attendite in aquam, & erat turbulenta. Et post modicum dicit eis: Attendite quomodo limpida facta est. Et cum intenderent in eam, viderunt vultus suos tanquam in speculo. Et tunc dicit eis: Sic est qui in medio hominum consistit, non enim videt peccata sua. Cum autem quieuerit, & maxime in solitudine, tunc peccata sua conspicit.

Visum clarificans.

Vndecimum est, quod pax præsens arra est futuræ pacis. Esaiæ vlt. *Erit sabbatum ex sabbato.*

Duodecimum est quod pax grata est Deo & hominibus. Ecclesiast. 25. *In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus: Concordia fratrum, amor proximorum, & vir & mulier sibi benè consentientes.*

Deo & hominib grata.

De his quæ valent ad pacem habendam.

Circa tertium notandum, quod duodecim sunt, quæ ad pacem habendam valere possunt.

Primum est, amor pacis. Non enim dat Deus tantum bonum illud contemnenti, sed cum desiderio magno quærenti. In Psalm. *Inquire pacem, & persequere eam.* Hoc est contra quosdam qui pacem oblatam reciperent, sed eam primo non quærerent. Hi non videntur intelligere

Psal. 33.

pacem

pacem hæreditatem esse Christianorum. Si enim se agnoscerent exhæredatos ab eo, quod Christus eis legauit, non expectarent quod alius eos incitaret ad hæreditatem eorum recuperandam, ad Hebr. 12. *Pacem sequimini cum omnibus*. Rom. 14. *Quæ pacis sunt sectamini inuicem & in omnes.*

Secundum est, vt à peccato nos remoueamus, & ab eo pro posse caueamus. Non potest enim veram pacem habere qui malè viuit. Prou. 16. *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem.* Augustin. 10. lib. de Ciuitat. Dei: Pacem, inquit, iniquorum in comparatione pacis iustorum: ille videt nec pacem esse dicendam, qui nouit præponere recta prauis, & ordinata peruersis. Sap. 14. *Magna mala pacem appellant.* Esa. 48. *Non est pax impiis, dicit Dominus.* Quomodo pax vera est illi qui guerram habet cum Omnipotente, cui iustitia Dei gladium euaginatum tenet super caput, qui in domo propriæ conscientiæ litem habet, cui omnia nocent & bona & mala? Sicut enim bonis bona & mala cooperantur in bonum: ita malis & bona & mala cooperantur in malum. Quomodo veram pacem habet qui iacet in spinis vitiorum, quem vermis conscientiæ mordet, qui onus diaboli continuè portat, qui iacet in immunditia quam nobilitas animi naturaliter refugit?

Tertium est, quod voluntatem nostram diuinæ voluntati studeamus conformare. Luc. 2. *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Quomodo pacem potest habere qui ei resistit cui nequit præualere? Iob 9. *Quis restitit ei, & pacem habuit?* Voluntati illius cui placent ea quæ placent Deo, nihil repugnat, sicut neque voluntati diuinæ: ideò pacem habet August. Qui iugo Christi subiectus est, subiecta habet cetera, & non laborat: quia non resistit quod subiectum est.

Quartum est, frequentatio humilis confessionis. Esa. 57. *Creaui fructum labiorum pacem.* 2. Reg. 12. *Peccaui Domino*, ait Dauid: *Dixitque Nathan ad eum: Dominus quoque transtulit peccatum tuum.*

Quintum est, districtio iustitiæ. Esa. 32. *Erit opus iustitiæ pax.* In Psal. *Iustitia & pax osculatæ sunt.* Esa. 60. *Ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam.* Ps. 84.

Sextum est, terrenorum contemptus. Non enim potest habere veram pacem, qui continuè sequitur quod non potest consequi. Eccl. 54. *Quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum: sic qui attendit ad visa mendacia.* Gregorius: Quid quietius, quàm nihil in hoc mundo appetere? quid laboriosius, quàm terrenis desideriis æstuare? Hinc est quod Israël sabbatum accepit in munere. Ægyptus percutitur muscarum multitudine.

Septimum est, mansuetudo. In Psalm. *Mansueti hæreditabunt terram, & delectabunt in multitudine pacis.* Homo immansuetus & impatiens qui aduersa fugit: quæ si effugit, non potest habere veram pacem: sed qui aduersa amplectuntur tanquam pretiosa & salubria: exemplo Christi, qui quod carni molestius erat, elegit secundum, Bern. *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Ad Hebr. 12. Ps. 36.

Octauum est, moderata occupatio. Otiosus veram pacem non potest habere. Inertia enim est impatiens sui, vt ait Sen. Prou. 21. *Desideria occidunt pigrum: noluerunt quidquam manus eius operari: tota die concupiscit, & desiderat.* Item nimia occupatio aufert pacem. Martha enim turbatur erga plurima. Lucæ 10 Exod. 18. *Stulto labore consumeris:* ait Iethro ad Moysen. Et subditur: *Vltra vires tuas est negotium.* glossa August. Vbi mihi videtur significari nimis intentum humanis actibus animum Deo quodammodo vacuari, qui fit tanto plenior quanto in superna & æterna liberius extenditur.

Nonum est, quod homo non se intromittat de impertinentibus ad se. Dilatatio enim solet habere scissurã: vt dicit beatus

Bern. Prou. 18. *Qui se iactat & dilatat, iurgia concitat.* De dilatatione reprehenditur Petrus, Ioan. vltim. à Domino dicente sibi: *Quid ad te? tu me sequere.* Et discipuli. Act. 1. *Non est vestrum*, inquit, *nosse tempora vel momenta, &c.*

Decimum est, amor sacræ Scripturæ.
Ps. 118. In Psal. *Pax multa diligentibus legem tuam.* Iacob 3. *Quæ desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica.* Sicut sacra Scriptura hominem reddit pudicum, ita eum in pace custodit. Et sicut piscis in aqua quiescit, extra aquam verò palpitat. Tob. 5. *Si cor humanum in aqua sapientiæ salutaris quiescit: extra verò inquietatur.*

Vndecimum est, frequentatio orationis in qua Spiritus sancti gratia hauritur, in quo solo est pax vera. Vnde pax numeratur inter fructus Spiritus. Ad Gal. 5. ad Rom. 14. Sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Iob 8. *Si diluculo consurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus: si mundus & rectus incesseris, statim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ.*

Duodecimum est, si sensus tuos diligenter custodias, Eccles. 20. *Ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.* Esa. 26. *Claude ostia tua super te.* Discipuli ostia habebant clausa quando Dominus dixit eis: *Pax vobis.* Ioan. 20.

De his quæ aduersantur paci.

Circa quartum notandum quod paci videntur aduersari bellum, & lites, & tumultus interiores & exteriores, & inquietudo secundum locum. Inquietudo etiam volútatis fugientis malum vel præsens vel futurum, vel sequentis bonum, & non consequentis: timor mali futuri, & dolor de malo præsenti pacem perturbat.
Ps. 137. In Psal. *Non est pax ossibus meis à facie iræ tuæ: à facie peccatorum meorum.* Item molestia quam aliquis in vitiis sustinet, pacem turbat. Eccl. 33. *Præcordia fatui, quasi rota carri.* Fatuus qui in murmure est, de hoc quod sustinet, sicut rota carri murmurat: vnde non est in pace. Item non est in pace qui transitoria ista fugacia appetit. Appetitio enim illa quædam spiritualis motio est. Vnde August. Pacem animæ irrationalis dixit esse ordinatam requiem appetitionum, vt prius habitum est.

De diuisione loci.

Circa quintum notandum, quod triplex est pax, scilicet temporis, pectoris, & æternitatis. De prima legitur 4. Reg. 20. *Sit tantum pax & veritas in diebus meis.* In Psal. *Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns.* Esaiæ 47. *Vtinam attendisses ad mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua.* Baruch. 3. *Si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace super terram.* Aug. 19. lib. de Ciuitate Dei: Tantum est pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremò possit melius inueniri. De pace pectoris. Ioan. 14. *Pacem relinquo vobis.* De pace æternitatis. Esaiæ 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* In Psal. *Qui posuit fines tuos pacem,* ad Philipp. 4. *Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra.* Gloss. 1. Deus qui est summa pax, quæ nec cogitari potest: & ideò extra eum nullo opus est. Custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu, id est, voluntates & intellectus vestros, vt extra ipsum nihil intelligatis vel appetatis. Gregorius. Quid est pax transitoria, nisi quoddam vestigium pacis æternæ? Quid ergo dementius esse potest, quàm vestigia impressa pulueri diligere, sed ipsum à quo impressa sunt non amare?

[Pax triplex: temporis, Psal., Pectoris, Æternitatis]

Item notandum, quod est pax bona, & est pax mala. De bona iam dictum est. Pax verò mala est triplex, scilicet inordinata, simulata, inquinata. Inordinata est, quum superior obedit inferiori: vt ratio sensua-

[Pax bona & mala, hæc triplex]

litati, vel prælatus subdito. Prou. penult. *Per tria mouetur terra, & quartum sustinere non potest.* Per seruum quum regnare cœperit. Eiusd. 19. *Non decet seruum dominari principibus:* Pax ista deterior est, quàm guerra. Hanc pacem seruauit Adam potius obediens vxori, quàm Deo. Gen. 3. *Quia audisti vocem vxoris tuæ, &c. maledicta terra in opere tuo.* Pax simulata fuit pax Iudæ. Lucæ 22. *Iuda, osculo Filium hominis tradis?* Et 2. Reg. 20. dixit Ioab ad Amasam, *Salue mi frater*, & tenens manu dextera mentum Amasæ, percussit eum in latere, & effudit intestina eius. In Psal. Psal. 27. *Loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Ierem. 9. *In ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias.* Pax inquinata, est eorum qui sunt in malo concordes: vt Pilatus & Herodes in morte Christi pacificati sunt. Luc. 23. Matth. 10. *Nolite arbitrari quod venerim pacem mittere in terram: non veni pacem mittere in terram, sed gladium.* Gregor. in 6. part. Moral. Sicut esse noxium solet si vnitas desit bonis: ita perniciosum est si non desit malis. Idem: Peruersos quippe vnitas corroborat, dum concordat, & tanto magis robustos quanto vnanimes facit.

Bellum quadruplex. Item notandum, quod distinguitur quadruplex bellum, scilicet inter carnem & spiritum, inter hominem & Deum, inter hominem & angelum, inter hominem & hominem. Et è contrario quadruplex pax. Pacem inter carnem & spiritum facit subiectio carnis ad spiritum. Gen. 13. dictum est Agar ancillæ Saræ: *Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manibus eius.* Secundum pacem facit iustitia ex parte nostra, & misericordia ex parte Psa. 84. Dei. In Psal. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt.* Tertiam pacem fecit incarnatio filij Dei. Reconciliati enim sunt angeli homini, quum agnouerunt humanam naturam associatam diuinæ naturæ in vna persona. Esa. 52. *Creaui fructum labiorum pacem.* Pacem ei qui longe, id est, homini: & pacem ei qui prope est, id est, angelo. Pacem vocat fructum labiorum: quia prædicta erat per Prophetas. Item quia orationibus erat impetrata. Vltimam pacem facit patientia, vel mansuetudo, ad Rom. 12. *Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes, non vosmetipsos defendentes charissimi.* Gregor. in Pastoral. Lex Christi est charitas vnitatis: quam soli perficiunt, qui nec quum grauantur excedunt.

Qui sint pacifici.

Circa sextum notandum, quod gratia quæ in verbo isto, *Beati pacifici, &c.* commendatur, non est pax, sed gratia faciendi pacem in se vel in proximo, & hoc vel respectu Dei, vel respectu proximi. Vnde pacifici amatores pacis sunt, qui studiose intendunt paci faciendæ, vel in se, vel in proximo. Et primo in se. Vnde gloss. super Matth. 5. Pax à vobis incipit: quia dum lex carnis repugnat legi mentis, non modo alteri, sed nec nobis possumus esse pacifici. Sed postquam intus spiritus imperat vt totus homo spiritui seruiat: tunc pax ad alios deriuatur, vt pacem cum omnibus habeamus. Bern. in Serm. Sunt aliqui qui si viderint quempiam vel leuiter scandalizatum, valde soliciti sunt quomodo in pacem eum reducere possunt: & viderentur pacifici, nisi quod eorum commotio, si forte quidquam contra eos factum dictumve videbitur, tardius vniuersis difficiliúsque poterit sedari. Qui nimirum si verè pacem diligerent, haud dubium quin eam quærerent sibiipsis. Itē super Matth. 5. dicit gl. Pacifici sunt qui omnes motus animi componunt & rationi subiiciunt, quia his nihil repugnat. Bern. in Serm. Per munditiam cordis reconciliamur Deo: beati verò qui de sua reconciliatione non ingrati, & pro fratribus suis piè soliciti, eos quoque quantum præualent & sibi & Deo reconciliare la-

borant. Quibus enim laudibus dignum, quanto amplectendum putas affectu, fratrem illum qui sine querela conuersatur inter fratres, tota solicitudine cauet quid in eo sit quod ab aliis portari oporteat, & quidquid in aliis est onerosum patientissime portat, qui singulorum scandala sua reputat. Et cum Apostolo loquitur: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Qui vere pacificus est, etiam belligerando est pacificus. August. Pacem debet habere voluntas, bellum necessitas. Non pax quęritur vt bellum excitetur: sed bellum geritur, vt pax acquiratur. Esto ergo in bello pacificus, vt eos quos expugnas ad pacis vtilitatem vincendo perducas: *Beati enim pacifici.* Idem: Hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas. Sicut rebellanti & resistenti violentia redditur: ita victo vel capto misericordia iam debetur, maximè in quo pacis perturbatio non timetur.

Et notandum, quod pacem pectoris non abrumpit pugna cum vitiis, si quandoque accidat. Vnde Gloss. super Matth. 5. In præsenti homo pacatus, etsi bellum gerat cum vitiis, in nullo pacem abrumpit quam Dominus dedit: Vnde *pax multa diligentibus legem tuam Domine,* &c. Psa. 118.

Quare pacifici sint beati.

Circa septimum notandum, quod causa qua pacifici sint beati, est illa quam Dominus tangit, *Quia filij Dei vocabuntur.* In præsenti meritò vocantur Filij Dei, quia exercent officium illud quod habuit filius Dei in mundo isto: Ipse enim in mundo isto bella pacificauit. In Psal. *Ibi confregit potentias, arcum, scutum, & gladium, & bellum.* In aduentu suo fuit impletum illud Esa. 2. *Conflabunt gladios suos in vomeres, &c.* Ephes. 2. *Ipse est pax nostra, &c.* Ipse sedauit litem quæ erat inter nos & Deum Psal. *Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam.* Esa. 63. *Ego sum qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.* Primum pertinet ad litis sedationem. Secundum ad belli pacificationem. Item ipse tumultum sedauit, dum silentio suo silendi exemplum dedit. Esa. 53. *Quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Et Luc. 23. Coram Herode nihil omnino respondit. In quietudinem quantum ad locum pacificauit, quando Apostolis dixit: *Sedete in ciuitate: donec induamini virtute ex alto.* Luc. vltim. Inquietudinem animi pacificauit, cum dixit Ioan. 14. *Manete in me, & ego in vobis:* Eius. 15. *Manete in dilectione mea.* Ibid. 17. *Hæc locutus sum vobis vt in me pacem habeatis: in mundo autem pressuram habebitis.* Christus finis est, ideo in eo quiescitur. Non est quiescendum in via, sed in fine viæ: ad Rom. 16. *Finis legis Christus ad iustitiam credendi.* August. in libro Confess. Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Christus molestias mitigare venit, in cuius signum Ecclesiá cruces oleo facit in his qui baptizantur, vel ordinantur, vel confirmantur, vel ad honorem regni sublimantur, & etiam in dedicatione Ecclesiarum. Cruciatus præsentis exilij per Adam factus est: oleatio verò siue mitigatio per Christum.

Donum sapientiæ adaptatur paci.

Circa octauum notandum, quod donum sapientię huic beatitudini adaptatur: qui enim pacem faciunt, quasi lectum Deo præparant, locum scilicet quietis. In Psal. *In pace in idipsum,* &c. Vnde ipsi sunt quasi cubicularij Dei & secretarij, & consilia sapientiæ eis reuelantur. Præterea animus pacatus clarius videt: vt prius ostensum est per exemplum de aqua, Eccles. 18. *Sapientiam scribe in tempore vacuitatis,* id est, vacuationis & quietis: ideò dicitur in Psal. *Vacate primum.* Deinde subditur, *Videte quoniam suauis est Dominus.*

Pars XII.

De patientia persecutionem.

VLtimo tangendum est in tractatu de Beatitudinibus, de Patientia persecutionum. Et breuiter de ea dicetur, quia in tractatu de cardinalibus Virtutibus specialiter de Patientia tractatum est. Hanc beatitudinem post prædictas ordinat. Gloss. super Matth. 5. dicens: Qui vsque ad sapientiam per prædicta conscendunt, perfecti & roborati non cedunt persecutioni: quia neque vita eos potest separare à Christo. Item sicut tangit Gloss. in patientia persecutionum est ostensio perfectionis & probatio: sicut in præcedentibus perfectio. Eccles. 2. *In igne probatur aurum & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis.* Eiusdem 27. *Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.* ad Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem.* Qui patiuntur persecutionem propter iustitiam, sunt beati: non qui patiuntur propter scelera sua. 1. Pet. 4. *Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut. &c.* Eiusdem 3. *Si quid patimini propter iustitiam, beati.* Causa quare tales sint beati, est quam Dominus tangit: *Quia ipsorum est regnum cœlorum.* Bernardus in Serm. Pauperibus pariter & martyribus regnum cœlorum promittitur: quia paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo sine omni dilatione percipitur: *Eorum qui patiuntur persecutionem propter iustitiam, regnum cœlorum est.*

Primo, quia iustitia pro eis erit in futuro, sicut ipsi modo sunt pro iustitia. Vnde obtinebit eis regnum cœlorum. Non enim poterit aliquid fieri in iudicio extremo contra iustitiam. Ecclesiast. 4. *Vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.*

Secundo, quia regnum cœlorum expositum est vim inferentibus, Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quasi publicè de illo clamatum est, *Qui potest capere capiat.* Matth. 19. Patientes persecutionem quasi quadam vi illud capiunt. Tertio, quia pretium habent pro quo regnum cœlorum venale positum est Matth. 20. *Sedere ad dexteram vel ad sinistram, non est meum dare vobis.* Vendere potius hoc volebat, quàm intuitu consanguinitatis eis dare. Augustinus in persona Domini: Venale habeo. Quid Domine? Regnum cœlorum. Quo emitur? Paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita.

Quarto, qui tales Christo societatem faciunt in vigilia præsentis afflictionis, in pane doloris, & aqua tribulationis: ideò merito erunt socij eius in festo æterno iocunditatis. ad Roman. 8. *Cohæredes autem Christi: si tamen compatimur vt simul & glorificemur.* 2. ad Tim. 2. *Si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinemus, & conregnabimus.* 2. ad Cor. 1. *Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis:* Luc. 22. *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Ecclesiastic. 22. *Fidem possіde cum amico tuo in paupertate ipsius, vt in bonis ipsius læteris.*

Quinto, quia ipsi habent onus cœlestis hæreditatis in præsenti, & ideo meritò in futuro emolumentum eiusdem hæreditatis ad eos pertinebit. Præsentes pressuræ, sunt debita quibus obligauerunt parentes nostri cœlestem hæreditatem.

Summæ Virtutum Finis.

INDEX RERVM OMNIVM QVÆ *in hac Virtutum Summa continentur.*

A.

AB intellectu luminis quot radij fluant,& quæ singulorum officia. 36
Abel Innocentiæ speculum. 15
Abraham mundo Obedientiæ formam dedit. ibid.
Abrahæ spes. 20
Actus qui peccatum est, malus. 64
Adami peccatum quid exagiter. 61
Adorare opus manuum suarum, quale peccatum. 53
Adolescentes exerceri & senibus subiici decet. 216
Aduersa non fugienda, sed amplectenda. 496
Adultus rationis capax Deum qualiter cognoscere possit. 25
A Deo quæ petenda. 15
Æqualitas diuinarum personarum ostenditur. 96
Æquitas ad quid conducat. 365
Æquitas & æqualitas quid: & ad quid conferant, & quibus maximè necessaria. ibid.
Affectus animi quadruplex. 401
Affectus purgatio. 494
Affectuum obedientia. 333
Alas cordis extendere instar auium, ad quid necessarium. 434
Alexander magnus orat ad montes Caspios. 41.
Alexander magnus Iudæorum Sacerdotem adorat. ibid.
Idem Iudæos concludit. ibid
Alienatio mentis quibus gradibus ascendat 499
Alius alio cur magis diligatur. 182
Amandi Deum modus. 162
Amandi quomodo sint boni. 178
Amandi parentes duplici affectu. 183
Amandi proximum modus. 171
ad Amandum proximum quid nos hortetur. 168
Amare mundum quid. 184
Amatur Deus quadrupliciter. 165
Amauit nos Christus gratis. ibid.
Amicitiæ descriptio. 180
Amicitiam veram duodecim requirere. ibid.
eandem quæ dissoluant. 183
Amici eligendi ratio. ibid.
Amor Dei qualis esse debeat; 164
& quotuplex. 165
Amor inordinatus voluptatum. 220
dissuadetur. ibid.
Amorem erga vxores quæ inducant. 176
Amor proximi qualis esse debeat. 174
Amor parentum, multùm Deo acceptus. 175
Amorem erga Deum prouocantia. 157
Amorem erga proximum incitantia. 167
Amoris erga Deum vtilitas. 161
Amoris diuersæ species. 175
Amoris diuini signa decem. 166.167
Amoris sui incommoda. 184
Amor sui radix malorum omnium. ibid.
Amoris nosmetipsius cur non sit datum præceptum. 166.167
Amoris mundi incommoda. 185
Angelorum Dei & Diaboli diuersitas. 85
Angelorum meritis Spem iuuari. 133
Animalis homo dicitur quis duplici ratione. 21
Anima an sit propriè potentia. 100
Anima quomodo paradiso assimiletur. 10
Anima quadrupliciter peccat circa bonum. 188
Animam nulla destructione posse corrumpi ostenditur. 102
Animam mortalem vnde quidam colligant. 100
Animas creari quotidie, declaratur, contra quosdam. 80
Animas iuuari Ecclesiæ suffragiis. 116
Animas non esse Angelos Apostatas. 80
Animas esse & existere ostenditur. 81
Animas non esse dæmones euincitur. ibid.
Animas non esse simul creatas. 89
Animas non esse de substantia Dei. 88
Animas non esse duas in humanis corporibus. 86
Animas non perire simul cum corpore. 100
Animas non traduci ex semine. 89
Animarum immortalitas probatur. 100 & seq.
Animæ in mortali peccato decedentes æternaliter iustè puniuntur 110
Animæ creatio solius Dei opus. 82
Animæ incharitate decedentes aliquando pœna purgatorij expiantur. 117
Animæ sanitas quando eueniat. 451
Apostolorum reuocatio, & linguarum donum, confirmant fidem Catholicam. 26.27
Apostolorum successoribus obediendum. & seq. 352
Argumenta quibus Fides Christiana vnica ostenditur. 26

Articuli fidei quinam dicantur. 43
Articulorum fidei distinctio. 44
Articuli fidei quibus in locis collecti. ibid.
Articulis fidei errores contrarij. 46
Auditur à quibus temperandus. 254
Aureola quid, & quo pacto donetur & quib. 240. & 241
Aureola ad quam Animæ virtutem pertineat. 243
Authoritates destruentes errores Manichæorum. 65

B

Beata possessio quæ, & vbi. 6
Beatorum gloria quæ sit maxima. 237
Beatitudinis descriptio. ibid.
bellum quadruplex. 499
bene operare volenti tria necessaria. 18
beneficium conferens quæ cauere debeat. 368
beneficij accepti obliuio quantum sit malum. 367
Beneficia Dei generalia & particularia. 329
beneficia quo pacto amicitiam pariant. 172
circa beneficia Dei quæ obseruanda. 329
beneficiorum Dei magnitudo, consideratur ex quinque. 329. 330
Beneficiorum Dei quatuor species. 57
benignitas legislatoris Christi: 446
benignitas diuiditur in partes septem. 301
bona optima & perfectissima quæ sint. 7
bona fortunæ non esse nostra 9
bona temporalia non esse vera bona. 5
bona temporalia fallere sæpè homines. 36
bona opera hostis antiquus insequitur. 198
boni operis iucunda memoria. 14
Bonifaci misericordiæ illustre exemplum. 371
bonitas præualet propinquitati. 178
bonitatis Dei obseruatio iuuat spem. 126
boni cur sint amandi. 178
bonorum omnium radix fides. 37·38
bonorum dissipatio tripliciter fit. 398
bonorum operum lucra quæ. ibid.
bonum proprium hominis virtus est. 8
bonum opus tria requirit. 18
bonum opus sine gratia comparatur ligno putrido. 7
Bonum vt ordine fiat quæ requirit. 450
bruta animalia prudentiam docere. 200

C.

Captiuatio intellectus nostri quadruplex est. 164
Carcere detenti visitandi. 384
cardinales virtutes. 5
cardinale opus quando dignè, & quando indignè exerceatur. 250. 251
carnem se negantes non posse domare, irridendi. 357. 358
casia quid. 490
castitas cur Ecclesiæ ministros maximè deceat. 244
castitas vidualis commendatur singulariter in Iuuene. 242
causæ errorum. 11
in fide. 117
causæ admirationis Christi super veste nuptiali. 153
cautio quid. 207
certitudo duplex. 121
charitas mater omnium Virtutum. 145
charitas, aliena, bona sua facit. 149
charitas Deo placet. 150
charitas Diabolo displicet. ibid.
charitas sola, & vnica quomodo sit Virtus. 156. 157
charitas inter Virtutes omnes, fini propinquior. 145
charitas quomodo dicitur Vestis nuptialis. 154
charitas ignitos facit homines. 147
charitas Animam Deo reddet gratam. 148
charitas Fons est singularis bonorum. 149
charitas Vinculum est quo ligatur Deus. 152
charitas est locus securus. 148
charitas est chara vnitas. 155
charitas est locus quietis: gaudii: mors vitiorum, & vita operum. 148
charitas à quibus malis præseruet. 151
charitas Vnctio est, quâ filij Dei inunguntur. 153
charitas qualis sit virtus. 156
charitas omnibus modis laudabilis. 154
charitas quanti æstimanda. 146
charitatem quæ augmentent. 185
charitatis commendatio. 148
charitatis iugum sex reddunt suaue. 155
charitatis descriptio. 144
charitatis vtilitas. 151
charitas ordo quadruplex. 180
charitati contraria quæ. 183
charitati attribuatur cur nomen Virtutis. 156
ad charitatem quæ disponant. 144
charitatem habens, quare diues sit. 149
charitate stipatus cur non periculosè erret. 153 154
Christo quid proprium. 15
christus exemplum humilitatis & paupertatis. 14
christus in quibus pauper, & in quibus diues. ibid.
christus ad quid huc venerit. ibid.
christus quomodo nos adamauerit. 172

Christus vetus homo fuisse ostenditur. 91
christi benignitas vnde maximè appareat. 364
christi incarnationem negantium error reiicitur. 99
Christianæ fidei auctoritatem quæ ostendunt. 31
Cinifes de puluere Philosophorum argumentis comparantur. 34
Cinnamome significatio. 490
Clementia quid sit. 223. 224
Clementia Virtus seruans mediocritatem. ibid.
Clementiam in Principe quæ excitent. ibid.
in Collegiis communibus æquitas necessaria. 366
Compassio erga alios quomodo necessaria. 377. 378.
Compassio homini, non vitiis debetur. ibid.
compassionis multæ species. ibid.
Concionatori Verbi Dei duodecim necessaria. 107. 108.
Confidentia in homine fallax est. 134
confidentia in rebus inferioribus periculosa. ibidem
Confidentia in creaturas triplex. 135
Conscientia est homini, quod vxor viro 13
Consideratio & contemplatio quomodo distinguantur. 428
Considerationis diuersæ species. ibid.
Consideranda esse quatuor. ibid.
Consiliarius eligendus. 423
Consilium Christi quod à multis despicitur, quale sit. ibid.
Consilij nomen dupliciter sumitur. 422
Constantiæ descriptio, & quotuplex. 292. 293
Constantiæ & perseuerantiæ differentia. ibid.
Constantiam sex efficiunt. ibid.
Constellationes non esse causam bonorum & malorum. 58
Contemplatio & Consideratio quid differant. 428
Contemplationis quatuor species 417
Contemplationis formam in Cæli volatilibus videtur. 428
Contemplationis, Cogitationis, & Meditationis differentia. ibid.
Contemplationis qualitates. 437
in Contemplationibus quomodo quis proficit. ibid.
Contemplationum genera sex. 429
Contemplationum alæ sex. 430 431
ad Contemplationem diuinarum rerum quæ disponant. 440
Contemplatiui quibus ascendant gradibus 469 470
Continentia quid eius officium, 231
Continentia coniugalis. 245
continentia Vidualis. 242
continentia Sacerdotalis. 243
continentia suadetur. 230
continentiæ partes. 231
continentiam quæ commendent. ibid.
contrariorum non sunt vniuersaliter causæ contrariæ. 63
Contumeliæ Verborum patienter quare & quomodo ferendæ. 166
cor quomodo mundandum. 493
cor assimilatur paradiso duplici. 10
Per gratiam fit hortus Domini. 11
cetera vide, Munditia cordis.
corona sponsæ Christi quibus virtutibus exornetur. 188
corpora quædam cælestia, quædam terrestria. 433
corporalia cur à Deo facta. 4
corporalia omnia per hominem in Deum vergunt. 86
Corporis bonum regimen quale sit. 13
corporis disciplina quæ. 358
corporis motus quis esse debeat. 226
corpus quomodo homini sit concreditum. 384
Corporum resurrectionem negantium error reiicitur. 106
Correptio quomodo fieri debeat. 354
libenter excipienda. 356
correptionem facturus Deo confidere oportet. 355
Correptionem quæ inducant. 352
correptionem octo impediunt. 353
corripere peccantem monemur.
creare quid. 44
creata omnia sunt vtilia. 61
creatura spiritualis ad quid creetur, iustificetur, & glorificetur. 433
creaturæ quomodo vtiles. 61
Quare productæ. 61
Creaturæ inferiori se subdere quando indecens. 53
creaturarum melius, homo. 86
creaturarum diuersitas non inducit contrarietatem principiorum. 71
credenda de Deo. 42
credenda de aliis. 43. 44
Credendum Dei filio, iisque quibus enarrauit. 21
credendorum vniuersitas. 42
credere Deo, & in Deum quid differant. 43
cruces per S. Oleum in morbo cur Ecclesia vsurpet. 303
cultus Dei triplex. 303
cultus Dei tria requirit. 305
cultus oris in quo sit. 304
cum Culpa non semper dimitti pœnam. 114

Damnati

D.

DAmnati quid conquerantur in inferno 14
Dæmones non viuificare Corpora ab eis possessa. 83
Nec eadem vnire. ibid
Dæmones non detineri violenter in Corporibus. 84
Dæmonum Idololatria maximè detestabilis. 54 55
Dæmonibus resistendi modus quis optimus. 286
Defunctis suffragia Ecclesiæ prodesse. 115
Delectatio secundum carnem multiplex. 237
Desperatio peccatum est in spiritum sanctum, & reddit hominem maledictum. 134
Desperationis causæ quatuor. 236
Deus amatur quadrifariam. 165
Deus cur fecerit corporalia. 6
Deus quare amandus. 163. 164
Et quid sit eum toto corde diligere. ibid.
Deus qui nos amet 172
Deus quo vinculo ligari queat. 152
Deus libenter respicit dona humilium. 441
Deus totius esse causa est. 46
Deus laudandus non sermone solum, sed opere. 326
Deus quales habere velit ministros. 84
Dei amorem excitantia. 167
Dei amor qualis esse debeat. 164
Dei cognitio quid in nobis operetur. 18
Dei Cubicularij qui sint. 403
Dei largitatem prouocat gratiarum actio. 328
Dei incarnationem negantes reiiciuntur. 99
Dei laudibus cur insistendum. 326
de Dei Misericordia & Iustitia errantes, refelluntur. 99
Dei Verbo qualicunque credendum esse. 20
Dei tria opera maxime admiranda. 26 27
Deitas Filij, & Spiritus S. auctoritatibus comprobatur. 94. 95
Deum amandi modus. 162. 163
Et vt ab eo amemur quæ necessaria. ibid.
Deum esse quæ testentur. 50
Deum laudare quæ inducant. 325
Deum negantium error contunditur. 46. 47
Deum cognoscendi modus. 20
Deo credendum in his quæ sensibus & rationi repugnant. 21
Deo qui bene credant. ibid.
Deo soli obediendum fore iactantium error refellitur. 351
Deorum amicitia & odium 57
Deuotio quid. 324
Diabolus quomodo nos impugnet. 288
Diabolus quo pacto in omne peccatum voluat hominem. 36
Diabolus quinque modis decipit hominem. 283
Diabolus mille tentandi modos habet. 282
Diabolus quos maxime impugnet. 284
Diabolus suadet ea quæ sunt præsumptionis & temeritatis. 282
Diabolus quare super terram graditur. 283
Diabolo quomodo resistendum. 285. & seq.
Diabolo charitas inimica. 152
Diabolum facile homines impugnare. 282. & seq.
Diabolici incursus quomodo expugnandi. 286. 287
Dies mortis cur melior die natiuitatis. 260
Dilecta quomodo ex munere dilecti accipiat duo remedia. 439
Diligere inimicos octo inducunt. 179
Dionysius Areopagita quomodo Christianus effectus. Cœcum illuminat. 27. 28
Discere Scripturam sacram, ad septem vtile est. 210
Disciplina quot modis dicatur. 357
Disciplina erga subditos duplex. ibid.
Disciplina proprij corporis multiplex. ibid.
Disciplina mali quomodo dupliciter intelligatur. 218
Disciplina morum ex diuina & humana institutione prouenit. 431
Disciplinæ variæ acceptiones. 357
Diuersitas credendorum. 42
Diues quare sit charitatem habens. 147
Diuini amoris signa. 166 167
Species. 165
Diuinitatis vnitatem quæ respiciunt, humanæ intelligentiæ modum excedunt. 435. 436
Diuitias quomodo fides superet. 39
Docilitas quid. 207
Doctor tria attendere debet. 209
Doctor non debet esse timidus vel remissus. ibid.
Doctoris doctrinam quæ commendent. 206
Doctrina Christi quæ in monte data fuit, qualis sit. 449 450
Doctrinæ nouæ Legis sublimitas. ibid.
Dolor damnatorum ex diuersis causis prouenit. 417
Dona quare dicantur. 398
Dona duo quæ pertinent ad Contemplatiuam vitam. 402
Dona septem in remedium septem vitiorum data. 400
Dona spiritus S. commendantur. 399
Dona humana quatuor: tria diuina. 402

Dona tria in Intellectu. 402
Dona humilitatis Deo grata. 441
Donum timoris. 288
Donum Intellectus. 445
Donum Sapientiæ differt à dono Intellectus. 447
Donum Dei omni auro nobilius. 401
Dulia varie sumitur. 306
Duliæ variæ species. 307

E.

ECclesia qua de causa imaginum cultum suscipiat. 260
Ecclesia Cruces per S. Oleum cur administret. 403
Ecclesiæ ministris Castitas necessaria. 143
Ecclesiæ ministri cur Laicos superare debeant munditiæ splendore. 490
Ecclesiæ minister describitur. ibid.
Ecclesiæ suffragia viuis prodesse. 115
Ecclesiæ porta, fides. 34
Ecclesiæ superior pars, Virgines sunt. 237
Effectus Virtutis multiplex. 15
Electi cur glorientur in tribulationibus. 265
Electorum gaudium vnde oriatur. 141
Electorum status post Resurrectionem. 139
Electorum materia lætitiæ vnde sumatur. 141
Eleemosynam dare cupiens, obseruabit IV. 377
Eleemosyna tripliciter fit. 385
Eleemosyna cui danda, & quomodo. 386
Eleemosyna de quibus rebus præstanda sit. 385
Eligendi amicum ratio. 178
Enoch munditiæ typus fuit. 15
Esurientes pascendi. 381
Esuriem Iustitiæ adiuuantia. 485
Esurientes Iustitiam, habent Vitæ beatitudinem. 486
Esuries Iustitiæ aptatur dono Fortitudinis. 486
Excommunicationis vsus obseruandus. 360
Excommunicationis auctoritas Ecclesiæ data. ibid.

F.

FIdes intellectum captiuat. 35
Fides quid. 24
Fides est multiplex. 118. & seq.
Fides viua & mortua. ibid.
Fides explicita & implicita. 126
Fides an idem sit quod fidelitas. 394. 395
Fides ficta, magna, & modica. 120
Fides quomodo necessaria. 29
Fides porta per quam ad cor intratur. 34
Fides est mentis Virginitas. ibid.
Fides est primogenita virtutum. ibid.
Fides est oculus dexter animæ. 35
Fides est virtus valde vtilis homini. ibid.
Fides est virtus probata. 41
Fides est lucerna. 25
Fides est lumen. 36
Fides Deo placet, Diabolo displicet, homini prodest. 33
Fides est annulus argenteus in digitis Sponsæ. 34
Fides est porta Ecclesiæ. ibid.
Fides est columna nubis. 36
Fides est stella matutina. ibid.
Fides est lumen illuminans. ibid.
Fides est radix omnium bonorum. 38
Fides est scutum triangulare. 39
Fides est initium Vitæ spiritualis. 37
Fides est radix Sapientiæ. 40
Fides est fundamentum bonorum omnium. 38
Fides est Mater cæterarum Virtutum. ibid.
Fides hominem filium Dei efficit. ibid.
Fides vincit regnum Inferorum, mundi delitias & honores. ibid.
Fides ad Deum vsque tendit. 41
Fides à Deo fortitudinem accipit. 40
Fides Diabolo displicet. 35
Fidei testificatio qualis sit & à quo. 100
Fidei nostræ testes quot. 27
Fidei vnitatem quinque efficiunt. 24
Fidei diuersa nomina & significationes. 22
Fidei laus credere quod non videtur. 23
Fidei faciem triplex mors præcedit. 37
Fidem viuam duo requirere. 23
circa Fidem quomodo erratur. 46. & 117
Fidem vnam quæ testentur. 27. & seq.
Fidem commendantia. 33. 34
Fidem adiuuantia. 25
Fidem quo pacto aliis debeamus. 394
Fide cognoscimus & Deum & parentes. 21
Fidelibus omnia in bonum, Infidelibus contra succedunt. 31
Fidelitas in quibus attenditur. 394
Fidelitatis commendatio. ibid.
Fiducia quid. 18
Fiducia alia bona, alia mala. ibid.
Fiducia triumphum de Diabolo refert. 287
Filij Deitas probatur. 95
Filij Dei qui sint. 402
Finis est in intentione prior. 18
Forma multiplex est. 99
Forma quomodo materiæ inhæreat. 100
Fortitudo Virtus est inseparabilis. 156
Fortitudo donum S. Spiritus. 342
Fortitudinis diuersæ significationes. 156
Fortitudinis descriptio. 157
Fortitudinis commendatio. ibid.

Fortitudinis quatuor partes. 258
Fortitudinem prouocantia. 259

G.

GAudium Virtutis quadrupl. excellit mundi gaudium. 11. & seq.
Gaudium sæculi quale. 12
Gaudium mundià Deo maledictum. ibid.
Gaudium futurum & præsens quomodo differunt. 124
Gaudium animæ octo generant. 13
Gaudij & Solatij differentia. 124
Gens Iudæorum & Turcæ de Dei magnificentia pessimè sentiunt. 31. & seq
Gloria Sanctorum quam sit magna. 237
Gratiæ descriptio. 366
Gratiæ necessitas. ibid.
Gratiarum actionem prouocantia esse octo. 328
Gratiarum actioni insistendum. 329
Gratiarum actio quos fructus producat. 328
Gratiarum actio Deo grata. ibid
Gratiarum actiones de quibus beneficijs potiss. habendæ sint. 329
Gratus qui esse desiderat, quid cauere debeat. 368

H.

HOmo quomodo se reputare debet esse cinerem. 467
Homo absque gratia quasi arbor syluestris. 8
Homo creaturarum medius. 86
Homo multiplici ratione insufficiens ad bene viuendum. 135
Homo partim spiritualis partim corporalis. 86
Homini multa necessaria in Fidei cognitione 19
Homini quatenus fides adhibenda. 21
Homini voluptates nocent. 212. & seq.
Homini tria præstant occasionem Deum orandi. 313
Hominem occidere quando licitum. 421
Hominem ditat patientia. 267
Homines quomodo Diabolus decipiat, 282
impugnet ibid.
Homines quo pacto resistere eidem debeant. 286
Hominum tria genera detestanda. 211
Hominum duæ personæ laudabiles. 212
in Homine quadrup. Vitæ ordo requiritur. 204
Honestas an idem quod virtus. 4
Honor multipliciter sumitur 307
Honor quibus exhibendus. 308
Hospitalitas commendatur. 381
Hospites suscipiendi frequenter. ibid.
Hospites protegendi. ibid.
Hospitio excipientes boni viri. 383
idque reuerenter. ibid.
Humilitas valet ad esuriem iustitiæ. 471
Humilitas Deo gratus odor. 458
Humilitas intra, Superbia extra. 462
Humilitas supplet defectu saliorum bonorum. 463
Humilitatis descriptio. 452
Humilitatis diuisio. 471
Humilitatis gradus duodecim secundum Benedictum. ibid.
Humilitatis commendatio. 454
Humilitatis causæ. 465
Humilitatis dona Deo grata. 441
Humilitatis vtilitas. 463
Humilitati quæ conferant. 469
Humilibus triplici ratione debetur regnum cœlorum 452

I.

IAcobus Patriarcha laboris tolerantiss. 15
Iacobi Apostoli dictum exponitur, Ante omnia nolite iurare. 395
Idololatria quam magnum malum. 53
& quot eius species. ibid.
idololatria Dæmonum improbatur. ib. & seq.
idololatria quæ ad Dæmones transfertur, ante omnia detestabilis. 54
idololatria quæ est cultus luminum. 57
idololatria quando fit cultui militiæ Cæli. 59
idololatria honorem Deo debitum, Creaturæ defert. 53
idololatria quo pacto introducta sit. 51
idololatria vna alteram destruit. 53. & seq.
idololatriam quot causæ inducant. 51
idola quod non adorarit Socrat. occiditur. 53
idolorum impotentia. 54
idolorum cultura omnis mali causa. ibid.
idolum quid. 51
ieiunij descriptio. 359
eius species. ibidem. quæ commendent. 357.
iesum vniuersitas creaturarum Dominum agnouit. 28
ignorans quis peccatum, dolere non potest. 85
ignorantia vitiosa quæ. 213
ignorantes instruendi. 380
imagines factitiæ. 51
imaginum vsus probatur. 309
immisericordia non meretur veniam. 377
immortalitas animarum astruitur. 100
immunditia dedecet omnes. 491

Immunditia peccati quando abominanda. 495
Impedimenta orationis. 317
Imprudentes qui. 192
Impugnat Diabolus quomodo homines. 280
Incitantia ad Dei cognitionem. 48
Inclinare se solet quis tribus de causis. 466
Infirmitates contingere quinque modis. 280
Infirmi visitandi. 383
Infidelitas circa Dei beneficia. 394
Infidelitas triplex. 395
Infidelitas amicorum ex quatuor signis declaratur. 161
Infidelibus omnia in malum. 32
Infirmitas corporis homini vtilis. 279. 280
Inferni pœna multiplex. 416
Ingratitudinis quanta mala. 329
Ingratitudo quid. ibid.
Iniurianti parcendum. 380
Iniuriarum remissio. ibid.
In iudicio extremo multa fore quæ timorem incutiant. 411
Institutio recta in mente, quæ sit. 4
Institutio alia diuina, alia humana. 431
Intellectus donum Spiritus sancti. 445. 446
Intellectus quomodo purgandus. 494
Intelligentia S. Scripturæ cur minus aliquando percipiatur. 211
Ioannis Baptistæ commendatio. 92
error eorum qui eundem lacerant, reiicitur. ibidem.
Iob patientiæ exemplum mundo fuit. 15
Ioseph bona pro malis rependit. ibid.
Iosue in aduersis fidelis & constans. ibid.
Iram Dei & hominis mitigat patientia. 267. 268
Irenei & Platonis disceptatio. 83
Irridendi qui negant se carnem non posse edomare. 358. 359
Isaac vitæ coniugalis Castimoniæ cultor. 15
Iubilatio quæ dicatur. 326
Iudicium extremum quare signa certa præcedent 412
Iudicium temerarium. in duobus cauendum. 194
Iugum Charitatis propter sex causas suaue. 154
Iuramentum, septem dissuadent. 395
Iuramento Veritatem confirmare licet. 392
non iurandum cur dixerit Dominus. 394
Ius tribus de causis haberi in rebus. 44
Iustitia varie sumitur. 298
Iustitiæ descriptio varia. 299
Iustitiæ significatio. ibid.
Iustitiæ diuisio. 301
Iustitiæ commendatio. 300
Iuuenes & adolescentes senibus deberi subiici. 226

L.

Lacrymæ multa efficiunt. 485
Lacrymarum impedimenta sex. 484
Lacrymas lugentium commendant quatuor. 482
Latriæ descriptio. 302
Latriæ commendatio. ibidem.
Latriæ partes. 305
Latria quid. 51. & seq.
Laus aduersitatis Deo gratior. 327
Laudi Dei insistere volenti, munditia necessaria. 327
Laudi Dei insistendum hominibus. ibid.
Laudare Deum quæ nos commonefaciant. 315
Laudandus Deus non sermone solum, sed opere. 327
in Dei Laudibus sensus vsui accommodandus, & effectus sensui, ex Bernardo. ibid.
Lex vetus bona. 78
Lex antiqua sapienter tradita. 79
Lex vetus, Lex noua quæ promittat. ibid.
Lex subintrauit vt abundaret delictum, ex Paulo. 77
Legis Veteris sanctificatio qualis. 490
Legis Veteris præcepta ad quæ pertineant. 80
Legis Nouæ doctrina quinque obseruari iubet. 449
Loquela homini cur data. 326
Lucrum bonorum operum in tres partes diuiditur. 396
Luctus duæ species. 481
item aliæ species sex. 480
Luctus diuisio generalis. ibid.
Luctus indifferens. ibid.
Lugentes quare beati. 483
Luctui adaptatur donum scientiæ. 485

M.

Magnanimitatis variæ significationes. 296
Magnanimus cur difficilia aggrediatur. ibid.
Magnanimitatis effectus varij, & quid ad eam pertineant. ibid.
distribuitur in tres partes. ibid.
Magnificentia quid. 297
Magnificentiæ officia Pacis & belli tempore. ibid.
Malefici puniendi. 362
Malum multiplex ex ingratitudine. 329
Malum culpæ est velut fructus degener. 64

Malum aliud culpæ, aliud pœnæ. 62
Mali non habent pacem. 155
Mali & peccatores multipliciter cruciantur. 9
Mala tripliciter ordinata. 62
Mala cum inferuntur, quare lætandum. 292
Mala quæ ad donum scientiæ pertinent duplicia. 419
Mandatum de Proximi dilectione quomodo intelligatur 173
Manichæi error. 4
Manichæorum errores refelluntur. 59. & seq.
Manichæorum rationes exploduntur. 44
Manichæi error confutatur. 66
Mansuetudo quid. 476. 477
Mansuetudini adaptatur donum pietatis. 479
Mansuetudinem sexdecim commendant 477
Maria virgo est sol & acies castrorum. 132
Maria virgo est Turris. 131
Maria virgo est Virga, & Aurora. ibid.
S. Martinus non timuit latrones. 126
Matrimonium quare inseparabile. 252
Matrimonium contrahens quid obseruabit. ibid. & seq.
Matrimonium commendant duodecim. 247
Matrimonium contrahens quid obseruare debeat. 248
Matrimonio quæ secundum carnem licita, quæ prohibita, 249
Meditatio præparans ad tribulationem habet species quinque. 269
Meditationis, Cogitationis & Contemplationis differentia 428
Memoria mortis valde vtilis. 469
Memoriam habere monemur eorum, quæ ante nos fuerunt. 462. 463
Memoriæ, intelligentiæ, prouidentiæ & prudentiæ definitio. 200
Memoria quarum rerum sit laudabilis. 201
Memoriæ nimium confidere, aut de ea diffidere, vitium. 203
Memoriam bonam quinque efficiunt. ibid.
Mens quibus modis ad Deum ascendit. 156
Mentis alienatio vnde oriatur. ibid.
Meritum Christi spem nostram auget. 128
Ministri Christi maiora miracula fecere, quàm ipse Christus. 29
Ministri Dei quales esse debeant. 84
Ministros Ecclesiæ decere castitatem. 243
Minus malum est, credere Deum esse, quàm non esse: & maius bonum ex illo, quàm ex isto prouenit. 50. 51
Miracula apud Iudæos quando & quomodo fuerint. 25
Miracula cur facta. 28
Miracula confirmare fidem nostram. 26
Miracula maiora ab Apostolis quàm à Christo facta. 28
Miracula à solo Deo potuere. 29
Misericordia bona quæ dare videtur in cœlo collocat. 374
Misericordia traxit Dei filium è cœlo. 490
Misericordia non solum vtilis, sed etiam mirabilis. 374. 375
Misericordia vincit abstinentiam. 376
Misericordia hostem impugnat. 372
Misericordiæ descriptio. 369
Misericordiæ merces duplex. 375
Misericordiæ exemplum insigne à Bonifacio præstitum. 377
Misericordiæ commendatio. 369
Misericordiæ opera spiritualia. 378. & seq.
Misericordiæ opera corporalia. 380
Misericordiæ & Pietatis differentia. 376
Misericordiæ opera corporalia an plura sint septem. 383
Misericordiæ infinita opera, Virtutes, Effectus recitantur. 369. 370
Misericordiæ imperium in cœlo & in terra extenditur. 373
Misericordiæ opera alia commendanda, alia detestanda. 378
Misericordiæ adaptatur donum Consilij. 487
ad Misericordiam quæ inducant. 377
Misericors vere quis sit. 487
Modestiæ descriptio. 225
Modestia in quatuor consistit. ibid.
Modus seu Mensura ad sobrietatem pertinens duplex. 231
Monachi timor qualis esse debeat. 288
Moralis doctrinæ partes tres. 2
Morum disciplina vnde processerit. 431
Mors triplex. 37
Mortis memoria homini vtilis. 467
Mortis timorem quæ expellant. 258
Moyses mansuetudinis speculum. 15
Mundus quid. 186
Mundi honoris incommoda. ibid.
Mundi sapientia. 214
Mundi huius amor periculosissimus. 185
Mundus quasi duabus manibus nobiscum pugnat. 39
Mundum qui vincant. 38
Munditia commendatur ex duodecim. 492
Munditia cordis aptatur dono Intellectus. 493
Munditia decet Ecclesiæ ministros 491. & eos qui Deum laudare cupiunt. 326
Munditiæ partes. 493
Munditiæ definitio. 488. 494
Munditiam cordis octo efficiunt. 488
Munditiam Deo gratam, signa duo testantur. 493
Mundicorde quare beati. 498

Mundi corde duplici beatitudine felices sunt: ibid.
Myrrhæ significatio. 490

N.

Natura cognoscendorum requirit fidem. 21
Noe longanimitatis speculum. 15
Nudi vestiendi. 383

O.

Obedientia Christi à patre probata. 334
Obedientia non solum Deo, sed & homini exhibenda. 352
Obedientia in homine, Deo locum præparat. 335
Obedientia Abrahæ difficultates perpessa quatuordecim. 333
Obedientia circa quæ attenditur. 331
Obedientia quo in statu collocet hominem. 335
Obedientia sola Virtus, menti reliquas Virtutes inserens. 391
Obedientia perfecta se refert immediate ad Deum. 348
Obedientia alia commendabilis, alia reprehensibilis. 349
Obedientia reprehensibilis triplex. ibid.
Obedientia commendabilis duplex. ibid.
Obedientia cui debeatur. 331
Obedientiæ descriptio. ibid.
Obedientiæ commendatio. 332
Obedientiæ aduersantur Sensus proprius, & voluntas. 350
Obedientiæ varij effectus. 324
Obedientiæ gradus septem. 325
Obedientiam quomodo Christus docuerit. 334
Obediendum successoribus Apostolorum. 352
Obedientem quinque efficiunt. 340
Obligatio hominis in Deum infinita. 111
Obliuio quid. 461
Obseruantia quid. 307. 308
Occasio erroris quod quidam Patres Veteris Testamenti damnarunt. 70
Olfactus sub Visu quidem, supra reliquos inter Sensus. 253
Omnipotentia patris in quibus. 44
Operis boni, iucunda memoria. 13
Opera misericordiæ Spiritualia quæ. 378
Opera misericordiæ corporalia quæ. ibid.
Opus bonum tria requirere. 18
Opera bona sunt cibus animæ. 487
Vide bona Opera.
Operatio alia Naturæ, quædam industriæ. 431
Opus carnale quomodo meritorie exerceatur à coniugatis. 252
Vt sit sine culpa quæ necessaria. ibid.
quomodo congressum mutuum euitare debeat. 253
Oratio diuersis modis dicitur. 310
Oratio quid & qualia petere debeat. 322
Oratio quomodo duobus modis impediatur, ne exaudiatur. 318
Oratio alia fructuosa, alia infructuosa. 323
Orationis descriptio. 310
Orationis commendatio. 311
Orationis species. 313
Orationis commendatio à suo effectu. 311
Orationi quando præcipue insistendum. 319 320
Orationis impedimenta. 317
Orationem quæ debeant præcedere. ibid.
Orandum cur semper. 319
Orandum quo desiderio. 322
Orandum vbique. 321. 322
Orandi modus. ibid.
Orandi locus. 321
Orantes, temporalia quærere non debemus 322
Orbem non esse sorte diuisum. 56
Ordinatio in homine quolibet requiritur. 204
Ordo Virtutum triplex. 145. 146
Ordo diligendi quo pacto mutetur. 182
Ordo quid sit. 494
Ordo mentem quietam reddit. 204
Ordo Virtutum Cardinalium. 216
Oris Cultus Deo exibendus. 304

P.

Parentes quo affectu diligendi. 183
Parentum amor Deo gratus. 176
Passiones dupliciter oriri & nasci. 264
Patientia dupliciter sumitur. ibid.
Patientia perfecta. 291
Patientia infinita. ibid.
Patientia vincit seipsum. 265
Patientia hominem ditari. 266
Patiemtia iram Dei & proximi mitigat. 267
Patientia diuiditur tripliciter. 279
Patientiæ descriptio. 263
Patientiæ diuisio. 298
Patientiæ commendatio. 264
Patientiam tria adiuuant. 278
Patienti seruiunt peccatores. 266
Patiens in multis sapienter agit. ibid
Patienti persecutionem debetur regnum Cœlorum. 267
Pauli Eremitæ ieiunium. 357
Paupertas quid. 472
Paupertas varie dicitur. ibid.
Paupertas spiritus in quibus consistat. 450
Paupertas mater & custos religionis. 475

Paupertas diuitum gloriosa. 476
Paupertas spiritus, dono Timoris adaptatur. 452
Pauperes spiritu quare beati. 451
Pauperibus spiritu cur Regnum cœlorum debeatur. ibid.
Paupertas pluribus de causis amanda. 472
Pauperum res, illis non reddere, sacrilegij pars 380
Pax Corporis: Animæ quid sit. 494
Pax amicorum Dei vnica possessio. 496
Pax alia bona, alia mala. 498
Pax, & Bellum quadruplicitet diuiduntur. 499
Pax mala triplex. 498
Pax Hæreditas Christianorum est. 495
Pax Oculorum prospectum clarificat. 496
Pax commendatur ex duodecim. 495
Pax triplex. 498
Pacis descriptio. 494
Paci aduersantur multa. 498
Paci adaptatur donum Sapientiæ. 500
Pacem promouentia. 496
Pacem veram quæ habeant. 497
Pacem vitiorum pugna non eximit. 500
Pacifici qui sint. 499
Pacifici quare beati. 500
Pacifici quomodo in bello tranquilli. 499
Pacifici sunt Dei cubicularij. 500
Peccantem corripere oportet. 380
Paccare quid sit. 111
Peccati principia quæ sint. 188.189
Peccator iuste æternaliter punitur. 110
Peccator cogitare debet à quibus vinculis liberauerit eum Dominus. 330
Peccatores quomodo cruciandi. 11
Peccatum quatuor modis & perpetratur & consummatur. 283
Pecati immunditiæ quantum expauescenda. 492
Peccatum in Spiritum S. est desperare. 134
Peccata quomodo abundauerint lege data. 77
Peregrinantium baculus Spes est. 124
Perfectio quid requirat. 198. 201. & seq.
Perfectionem Virtutum operatur Tribulatio. 276
Perfectionis quot sint species. 186
Persecutores sunt serui patientis. 266
Sunt quasi virga Dei. 270
Persecutiones, felicitatem patientium augent. 501
Perseuerantia est filia regis. 348
Perseuerantia quid & quotuplex. 294
Perseuerantia communicat cum Constantia & differt. 294
Perseuerantiæ commendatio. ibid.
Perseuerantiæ Effectus. 295
Petenda quæ à Deo. 15
Pietatis definitio. 366
Platonis & Irenæi disceptatio. 83
Præcepta Legis Vet. ad quid pertineant. 78
Præceptum de amore nostri cur non sit datum. 166.167
Præmia electorum. 238
Præparatio ad orationem duplex. 315
Præparatio, alia propinqua, alia remota. ibid.
Pretiosum à vili separare quid sit. 1
Principis clementiam quænam excitent. 223
Propinqui quomodo agnoscendi. 176
Prouidentia tribus exemplis commendatur. 204
Prouidentia ad tria vtilis. ibid.
Proximi amorem excitantia. 169
Proximi amor qualis esse debeat. 174
Proximi societas & amicitia quinque præstant vtilia. 170.171
Proximum amandi modus. 172
Proximum amare an amari ab illo quid vtilius. 170.171
Proximum nescit diligere qui se non diligit. 174
Proximus amandus triplici præcepto. 171.172
Prudentia quomodo dicatur virtus. 191
Prudentia diuersimode sumitur. 190
Prudentia Sanctorum assimilatur astutiis serpentum. 200
Prudentia quomodo distinguitur secundum Tullium & Senecam. 201
Secundum alios. 205
Prudentia diuiditur in cognitionem diuinorum & humanorum. 201
Prudentia vitiosa quæ. 190
Prudentiæ descriptio. 191
Eius species. 205
Prudentiæ commendatio. 197
Prudentiæ officia. 193
Prudentiam docent nos bruta. 199
Prudens dicitur quis non intellectu solum, sed & affectu. 192

Q.

QVatuor causæ desperationis. 136
Querelam facere de Ingrato indecens est. 368

R.

RAdix bonorum omnium Fides. 38
Ratio eligendi amicum. 180
Rebus Deo dicatis debetur reuerentia. 307
Regnum Dei in cordibus Sanctorum esse. 14
Regnum cœlorum quare pauperibus addictum & martyribus. 501

& quare perſecutionibus vexatis promiſſum. ibid.
Regni quæ ſit recta inſtitutio. 4
Religionis cultos paupertas. 475
Religioni monaſticæ qui apti vel inepti. 340
Rerum corruptio quomodo fiat. 254
Res ſperandæ. 257
Reſurrectionem negantium error conuellitur 107
Reuelatio & Prophetia Chriſtianæ fidei veritatem oſtendunt. 31
Reuelatio & Prophetia de Synagoga ad Eccleſiam translatæ. ibid.
Reuerentia quid. 307
Reuerentia debetur rebus Deo dicatis. ib.
Reuereri, tripliciter accipitur. 306

S.

SAcra ſcriptura quibus de cauſis non intelligatur ab omnibus. 211
ſacræ ſcripturæ ſcientia vtilis. 210. & ſeq
ſacræ ſcripturæ doctor qualis eſſe debeat. 206 207
ex ſcripturis Gentium Veritas eruenda. 4
ſaluator vide Chriſtus.
ſaluari vnumquemque ſua fide falſiſſimum. 109
ſancti cur in mundum miſſi. 15
ſanctificatio in Veteri Lege triplex. 305
ſanctorum merita, iuuant ſpem. 128, 134
ſanctorum gloria quam ſit magna. 240, 241
ſanctorum prudentia cui aſſimilanda. 200
ſanitas lætificat Virtuti deditum. 10
ſapere quàm ſit Deo gratum, homini vtile 214
ſapientia dupliciter ſumitur. 447
ſapientia huius mundi quid. 214
ſcala Iacob. 348
ſcientiæ donum. 419
ſectas omnes male ſentire de Deo. 32
ſecuritas quid. 258
eius officium. 89
ſecuritas timorem inordinatum expellit. 262
ſecuritas commendabilis & reprehenſibilis. ibid.
ſecuritas pars fortitudinis. 258
ſenibus adoleſcentes deberi ſubiici. 226
ſenſus & Voluntas propria Obedientiæ contraria 350
ſeruitium intellectus erga Deum eſt credere Deo. 25
ſigna quibus cognoſcitur Deum amare ſunt decem 166
ſitientibus ſubueniendum. 380. & ſeq
ſobrietatis menſura duplex. 231
ſobrietatis officia. ibid.
ſobrietatis vtilitates. 230
ſobrietatis commendatio. 228, 229
ſobrietas Deum paſcit. 230
ſobrietas omnium rerum metas ponit. 231
ſocrates quare occiſus. 53
ſocrates noluit exire de carcere. 265
ſocietas inſipientium prudentiæ aduerſatur. 213. 214
ſolatij & Gaudij differentia. 124
ſolatia contra mortis timorem. 259
ſol & Luna quid in hominibus operentur. 58
ſpecies idololatriæ cultus militiæ cœli. 59
ſpes accipitur multipliciter. 121
ſpes omnipotenti innititur. 122
ſpes meretur intelligentiam & Dei auxilium. 123
ſpes liberat. ibid.
ſpes ſaluat. ibid.
ſpes Animam in poſſeſſionem Regni cœleſtis ante Chriſtum introducit. ibid.
ſpes quomodo aſſumat carnem Lamentationis. ibid.
ſpes eſt baculus Viantibus neceſſarius. 214
ſpes eſt mola ſuperior, Timor inferior. 125
ſpes eſt arbor ſita optimo loco. 123
ſpes eſt columna totum ſpirituale ædificium ſuſtinens. ibid.
ſpes eſt intra hortum voluptatis. ibid.
ſpes adiuuatur quatuor ſpeciebus. 126
ſpei commendatio à ſuo contrario. 125
ſpei commendatio ab effectu. 122
ſpei commendatio ex Scriptura. ibid.
ſpei definitio. 121
ſpei diuiſio. 145
ſpei promiſſio. 125
ſpem commendabilem tria efficiunt. 143
ſpem roborat Dei bonitas, miſericordia, liberalitas. 124, 125
ſpem adiuuantia. 126
ſpiritus an poſſint beneficia præſtare. 54
ſpiritus apoſtatici non colendi. 55
ſpiritus ſ. Deitas probatur. 95
ſpiritus ſ. quomodo procedat. 96
ſpiritus ſ. quo pacto in Chriſto maneat. 398
ſpiritus mali quid in homine poſſint. 56
ſpiritus mali non honorandi, nec timendi. 57
ſpiritus malus non infunditur corpori vt pœnitentiam agat. 82
ſpiritui ſ. quæ propria. 45
ſpiritui an cultus exhibendus. 54. Et qualis 55
ſpirituum poteſtas ligata. 56
ſpiritualis ædificij fulcrum, Fides. 22
ſpiritualis ædificij firmitas quæ. 23
ſpiritualis Creaturæ Formatio, Iuſtificatio, Glorificatio. 433, 434

Stabilitas

Stabilitas, vide Constantia.
Stultitia, imprudentia vel insipientia non solum ad intellectum, sed ad voluntatem refertur. 214. 215.
Stultitia imprudentium, qua in bello spirituali succumbunt. 197
Stultitiæ quibus peccatores inhærent. 215
Substantiæ quomodo operentur. 58
sublimitas doctrinæ Christi in monte. 449
subiectio alia Obedientiæ, alia Humilitatis. 331
superbia diuitum vermis. 475
Facit hæreticum. 117. & seq.
Sui amor quanta incommoda secum trahat. 283

T

Temperantia tripliciter sumitur. 218
Temperantiæ definitio. ibid.
Temperantiæ diuisio secundum tactum. 237
Temperantiæ commendatio. 218
Temperantiæ officia quinque. 231
Temperantiæ partes in regimine tum animæ, 228.
Tum corporis. ibid. & 222
Templum locus est orationis. 321
Temporalia bona quomodo hominem fallant. 36
Temporalia bona esse vilia
Temporalia an in oratione petenda. 1
Tempus orandi Deus determinat. 20
Temporis pretiositas. 195
Tentatio ad multa vtilis. 330
Tentandi modi dæmonis propè infiniti. 281
Tentationes Diaboli omnes homines perpeti. 282 357.
Tentationes Diaboli infinitæ. 280
Testificatio Fidei qualis & à quo sit. 27
Testimonium Fidei nostræ dant:
Deus, Angelus, & Homo. 29
Hominum auctoritates. 28
Domestici & exteri. 303
Creaturæ vniuersæ, etiam sectæ. 52
Theologicæ Virtutes tres. 18
Theologicæ Virtutes quare ante alias virtutes collocentur. ibid.
Timor afflictionis nocturnus, & cur. 282
Timor filialis fugit malum culpæ, & Naturalis malum pœnæ. 408
Timor mortis. Vide Mortis timor.
Timoris descriptio. 402. & seq.
Timoris species sex. 407, 408
Timoris species secundum Damascenum. 410
Timoris commendatio. 403
Timorem homini duodecim incutiunt. 409
Timendum est quibus secundum Bernard 406 407.

Tria ad bene operandum exiguntur. 18
Tribulatio est locus quem elegit Dominus. 278
Tribulatio à quo, & in quo sit. 270, 271
Tribulatio non proiicienda, sed quadruplici sale condienda ibid.
Tribulatio perfectionem Virtutis operatur. 270
Tribulatio est virga Moysi in qua miracula fiunt. 269
Tribulationis multiplex vtilitas. 272
Tribulationis effectus varij. 261, 279
Tribulationem patienter sustinere quæ efficiant. 271
Tribulatis Deus assistit. 277
Trinitatis probatur æqualitas. 96

V.

Veniale peccatum negantes quantum peccent. 113
Veritas creata triplex. 368
Veritas erga omnes præstanda. 389
Veritas iureiurando confirmanda. 390
Veritas fidei quibus testimoniis approbari possit. 19
Veritas quæ in scripturis Gentium est quomodo eruenda. 4
Veritatis diuisio. 368
Veritatis fidei Christianæ commendatio. 28 & seq.
Veritatis habitus hacce tempestate. 389
veritatem licere iuramento adserere. 391
veritatem christianam quæ testentur. 31
vermis conscientiæ cruciat peccatorem. 13
vidua debet peccantium occasiones declinare 243
vidualem continentiam quæ considerant. ibidem.
vidualis castitas in quibus maxime commendetur. ibid.
vidualis continentia nobilior coniugali. 242
vile à pretioso separandum. 1
vindicatio quantum, & cui necessaria. 369
virginitas quadrupliciter sumitur. 232
virginitas est flos non marcescens. 235
Facit hominem amicum Dei 236
virginitas est initium spiritualis pulchritudinis. ibid. sup.
virginitatem quot custodiant. 235
virginitatis commendatio. 231. & seq
virginitatis discriptio. ibid.
virgines sunt superior pars Ecclesiæ. 234
assimilantur Angelis. ibid.
virginibus sex timenda. 237
viri boni hospitio excipiendi. 302
Virtus eo quod ignoretur despicitur nec inquiritur.

Virtus & Honestas nomine diuersa, re eadem. 4
virtus commendatione eget. 2
virtus olim Fortitudo dicta. ibid.
virtus tripliciter in Anima nostra operatur. 3
virtus cognoscitiua triplex. 201
virtus quomodo dicitur bona, & quæ ea sit. 5
virtus non solum bonitas hominis est, sed etiam operum. 7
virtus Bonitas est rerum temporalium. 8
virtus mala pœnæ in bona conuertit. ibid.
virtus propriè est hominis bonum: Bona fortunæ aliena. ibid.
virtus possessio est habenti sufficiens. 9
virtus dignitatem & felicitatem progignit. 10
virtus quomodo gaudeat. 11
Et in bonis iucundetur. 9
virtus est vnctio non solum futuræ gloriæ, sed hic suppeditat vitam regiam. 14
virtus signum exhibet, quo distinguuntur hæredes à non hæredibus. ibid.
virtus est arrha æternæ hæreditatis. ibid.
virtus pretium est Regni cœlestis ibid.
virtutis Etymon. 4
virtutis dignitas. 9
virtutis effectus multiplex. 15.
virtutis significatio cum apud antiquos, tum Apud Theologos. 2
virtutis gaudium excedit omne mundi gaudium. 11
virtutis initium arduum. 14
virtutem quomodo Deus operetur in nobis. 6
virtutem quæ inducant. 4
virtutem habens assimilatur paradiso. 11
virtutem commendantia. 6
virtutem commendat saluator. 15.
virtutes quare non apperantur. 2
virtutes sunt pretiosæ & veræ diuitiæ. 9
virtutes cardinales diuersis designantur scripturæ locis. 189
virtutes cardinales quare sic appellatæ. 187
virtutes cardinales valent contra 4. defectus originales. 188
virtutes cardinales excludunt obliquitatem: Theologicæ vero curuitatem. 5
virtutes Theologicæ priores cæteris virtutibus. 18
Virtutes Theologicæ quot sunt. ibid.
virtutum cardinalium ordo. 216
virtutum cardinalium numerus 189
virtutum cardinalium excessus & defectus. 5.6
virtutum Cardinalium diuisio. 397
virtutum descriptiones variæ. 4
virtutum perfectionem operatur tribulatio 277.
virtutum omnium mater charitas. 147
virtutibus cardinalibus quasi quatuor lapidibus pretiosis, christi sponsæ corona contexta. 188
virtuosus vnde dicatur. 2
vis animæ duplex. 22
visus superat auditum. 253
visus habitus est sui ipsius. ibid.
visus periculosus & cur. ibid.
vita recta quæ. 47
vita triplex. 17
vita contemplatiua præeminet cur actiuæ. 424
vita quædam virtutum speciem præ se ferre. 206
vitiis non compassio sed rectitudo debetur. 378.
Vnctio qua Filij Dei vngantur, charitas est. 153
voluntas propria hominis multipliciter nocet. 350
voluntas propria dupliciter accipitur. ibid.
voluntas propria Deo displicet, homini obest. 350.
voluptates multipliciter nocent. 221.&seq.
voluptatis amorem dissuadentia. 222
voluptatis monumenta ibid.
vtilia discenda. 3
Vtilia docenda exemplo Domini. ibid.
Vxoris amorem inducentia. 176

Z.

Zelus quando idem quod disciplina. 351
Zelus & Ira per Zelum quid differant. 352
Zeli vsus. ibid.
ad Zelum quæ spectant. 352
Zenonis celebre dictum de conscientiæ & Vxoris perpetuis tormentis aut gaudiis. 13

FINIS INDICIS RERVM.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, A nos amez & feaux Conseillers les gens tenans nos Cours de Parlements, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel & du Palais à Paris, Baillifs, Senechaux, Preuosts, leurs Lieutenants & autres nos Iusticiers qu'il appartiendra, Salut. Nostre cher & bien amé LOVIS BOVLLENGER, Marchand Libraire en nostre Vniuersité de Paris, NOVS a fait remostrer qu'il desireroit faire reimprimer, *Summa virtutum & vitiorum, Auctore Guillelmi Peraldi, Episcopi Lugdunensis, Biblia Sacra vulgatæ editionis & explanatio in Psalmos, Auctore Roberto Belarmino ex Societate Iesus, Presbitero Cardinali*, s'il nous plaisoit luy accorder nos Lettres sur ce necessaires, tres-humblement requerant icelles. A CES CAVSES, desirant fauorablement traiter l'exposant, Nous luy auons permis & accordé, permettons & accordons par ces presentes, de reimprimer ou faire reimprimer lesdits Liures en tels volumes, marges, caracteres & autant de fois que bon luy semblera, iceluy vendre & distribuer par tout nostre Royaume, pendant le temps de sept années consecutiues, à cõmencer du iour qu'il seront acheué d'imprimer, pendant lequel temps Nous faisons deffences à tous Libraires, Imprimeurs & autres d'imprimer ou faire imprimer, vendre & distribuer lesdits Liures, sans le consentement dudit exposant ou ses ayans cause, sous quelque pretexte que se soit, sur peine de confiscation des exemplaires, amende arbitraire, despens, dommages interests: A la charge d'en mettre deux exẽplaires de chacũ en nostre Bibliotheque publique & vn en celle de nostre tres-cher & feal Cheualier Chancelier de France le sieur Seguier, à peine de nullité des presentes: du contenu desquelles à chacun de vous mandons & enioignons faire iouir l'exposant & ses ayans cause, plainement & paisiblement, cessant & faisant cesser tous troubles & empeschement au contraire. Voulons qu'en mettant au commencement ou à la fin desdits Liures l'extrait des presentes, elles soient tenus pour deuëment signifiées: Et qu'aux coppies collationnées par l'vn de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires foy soit adioustée comme à cesdites presentes. Mandons au premier nostre Huissier ou

Sergent, faire pour icelles tous exploits & autres actes requis & necessaires, sans demander autre permission, & nonobstant Clameur de Haro, Chartres Normande, prise à partie & Lettres à ce contraires. CAR tel est nostre plaisir. DONNE' à Fontainebleau le deuxiéme iour de Septembre, l'an de grace mil six cens quarante-sept. Et de nostre regne le cinquiesme. Par le Roy en son Conseil. LE BRVN.

Acheué d'imprimer le 16. Decembre 1647.

GVILIELMI PERALDI

ORD. PRÆDICAT. SS. THEOL. PROFESS. AC EPISCOPI LVGDVNENSIS,

SVMMÆ VIRTVTVM AC VITIORVM:

TOMVS SECVNDVS.

Hac postrema Editione, in gratiam Concionatorum, Confessariorum, & religiosæ vitæ cultorum, iuxta nouas Concordantias Romanæ correctionis, à mendis & erroribus purgatæ, & SS. Scripturæ locis correspondentibus [alias omißis] notisque marginalibus illustrata,

Studio & operâ RODOLPHI CLVTII, eiusdem Ordinis Alumni.

Cum Indicibus locupletissimis.

PARISIIS,
Apud LVDOVICVM BOVLLENGER, viâ Iacobæâ, sub signo S. Ludouici, è regione D. Yuonis.

M. DC. XLVIII.

SVMMÆ VITIORVM

GENERALIS DISTINCTIO MATERIARVM

TOMVS SECVNDVS,

QVI APPELLATVR SVMMA VITIORVM, diuiditur in nouem Tractatus.

1 *De iis quæ valent ad vitiorum detestationem.* fol. 1.
2 *De Gula.* 3.
3 *De Luxuria.* 14.
4 *De Auaritia.* 51.
5 De *Acedia.* 165
6 De *Superbia.* 213
7. De *Inuidia.* 344
8 De *Ira.* 350
9 De *Peccato linguæ* 371.

SEQVITVR PARTICVLARIS eorumdem Titulorum subdiuisio.

Tractatus I. qui est de vitiis in genere, vnam habet partem, in qua sunt:

1 *Rationes docentes Vitia summoperè vitanda fore.* 1
2 *Deum supra omnia odio habere peccatum* ibid.
3 *Peccatum homini nocere & quanta mala secundum inducat.* 2
4 *Viam vitiorum duram & asperam fore* 3

Tractatus II. Prima pars de vitio Gulæ, quatuor habet partes.

1 *De ordine dicendorum, de inducentibus ad detestationem Gulæ* 3
2 *De triplici iniuria, quæ fit proximo ex vitio Gulæ* 4
3 *De multiplici contumelia ex eodem vitio nata* ib. & seqq.
4 *De multiplici malo ex eodem vitio nato* 6
5 *De variis incommodis corpori & animæ inde prouenientibus* ibid.
6 *De innumeris vitiis inde exorientibus* 7
7 *Gulæ vitium vnum esse ex grauioribus infirmitatibus* 8
8 *De graui seruitute, quâ laborat Gulosus.* 9

Tractatus II. Secunda pars agit de speciebus Gulæ.

1 *Quæ mala veniant ex Ebrietate* 10
2 *De 5. speciebus Gulæ ex Greg. sumptis.* 11
3 *Hominem non debere quærere delicata & mollia.* ibid.
4 *De aliis 4. Gulæ speciebus* 12

Tractatus II. Tertia pars agit de quatuor Satellitibus Gulæ: 12. & seqq.

Tractatus II. Quarta pars agit de Gulæ remediis. ibid.

Tertius Tractatus de luxuria, & diuiditur in sex partes.

Tractatus III. Prima pars est de his quæ valent ad detestationem luxuriæ.

1 *De sex miseriis annexis peccato luxuriæ & de iis quæ faciant ad eius detestationem* 14

2 *De quinque ad eius detestationem facientibus. 1. Angelis fœtet. 2. Dæmonibus multum placet. 3. Deo valdè contumeliosum. 4. Proximo iniuriosum. 5. Sibiipsi nociuum,* 15

3 *De quatuor quæ etiam faciant ad eius detestationem. 1. quàm efficax sit hoc vitium ad hominem capiendum. 17. & seq. 1. quàm potens ad retinendum ibid. 3. de eiusdem vitii vilitate* ibid.

4 *De misera seruitute* 18

5 *Dæmones etiam erubescere ob hoc peccatum* 19

Tractatus III. Secunda pars habet 10. Capita.

1 *De luxuria cordis & operis* 19

2 *De duplici acceptione nominis luxuriæ ac eius quinque speciebus* ibid.

3 *De peccato contra naturam ac eius magnitudine* 20

4 *De incestu* 22

5 *De adulterio & eius speciebus* ibid.

6 *De stupro* 23

7 *De simplici fornicatione. ibid. De peccato meretricum & raptu* 24

8 *De luxuriæ altera diuisione, & 1. de luxuria clericorum. ibid. 2. quæ aggrauant peccatum carnis in clericis. ibidem 3. Peccatum luxuriæ indecens multùm in Sacerdotibus ibid.* 25

9 *De peccato carnis in personis Religiosis, vbi sex tanguntur, quæ valent ad ostendendum, quod peccatum carnis valde graue est in religiosis* 26

& de quinque aggrauantibus illud in monialibus 27

Tractatus III. Tertia pars subdiuiditur in septem Capita, agens de incitamentis luxuriæ. Et primùm.

1. *De Otio, & indiscreta sumptione cibi & potus* 28

2 *De peccato Vetularum turpitudinem consulentium* ibid.

3 *De malo exemplo per quod excitatur luxuria* 30

4 *De mulierum aspectu, qui valde timendus est. ibid. quòd oculi dant sæpè luxuriæ occasionem* 31

5 *Mulierum colloquium valde timendum* 33

6 *De auditu cantionum amatoriarum, turpiloquiorum, & instrumentorum musicorum* ibid.

7 *Mulierum tactus esse multum periculosus* ibid.

Tractatus III. Quarta pars habet quatuor Capita.

1 *De triplici remedio contra luxuriæ malum. 33. quod fugiendo contra carnis peccatum sit pugnandum. ibid. Mulieres esse fugiendas* 34

2 *De tribus quæ solent homines ex accessu mulierum decipere* 35

3 *De Choreis, & quàm malum sit ducere eas. 36. quid stultum sit in præsenti choreas ducere, vel alia signa lætitiæ habere* 41

4 *De aliis remediis contra luxuriam* 43

Tractatus III. Quinta pars de simplici fornicatione sub 4. Capitibus.

1 *Quod simplex fornicatio sit prohibita* 44

2 *Quare Dominus simplicem fornicatio-*

nem prohibuerit 44
3 Stultum esse quærere, quare Dominus eam prohibuerit 45
4 Quòd Dominus misericorditer egerit, eam prohibendo 46

Tract. III. Sexta pars de allegantibus impotentiam continendi habet. 2. Capita.

1 De Scripturarum testimonijs contra illos qui dicunt se non posse continere 47
2 Stultos ac fatuos esse declaratur eos, qui dicunt se non posse continere ibid. & seq.

Tractatus Quartus de Auaritia, qui diuiditur in quinque partes.

Tract. IV. Prima pars de his quæ faciunt ad eius detestationem.

1 Naturam dissuadere Auaritiam 51
2 De 12. Maledictionibus, quas facit S. Scriptura Auaris ibid.
3 De Scripturæ testimonijs magnitudinem huius vitij ostendentes 52. Auarum esse iniquum in Deum, in se, in proximum, & in creaturas ibid. Quòd Auaritia sit Idololatria, & auarus Idololatra 53
4 Quod Auaritia sit grauis Infirmitas, eaque ex duodecim signis apparet, 55. de XII. Infirmitatibus quæ in auaro sunt ibid. Quare Auarus diuitijs non satietur 58
5 Quod Auaritia sit misera seruitus 59 Quod auarus possideatur à diuitiis 60 Sex esse quæ augent miseriam huius seruitutis 61
6 Quod magnam vim habet auaritia ad animas capiendum, detinendum & submergendum, ibid. Auaritiæ laqueus sit occultissimus. 62. Quod nullum vitium hominem fortius stringat, quàm auaritia. 63
7 Auaritiam Deo fore exosam. ibid. de quadruplici stultitia auari ibid. Auaris Deum fore iratum 64
Deus quare audiat auaritiam ibid.
Diues auarus peruersus quomodo sit erga Deum ibid.
Auaritia proximo iniuriosa 65
Auaritia sibi ipsi nocens, & de auari diuitis insania 66 ibid.
de auari varia stultitia. ibid.
Hominis, in hac quæ sint: & quod temporalia nostrá non sint. 67. de diuitiarum quinque vtilitatibus. 68. Pecuniam secum velle habere, stultum esse. 71. de auarorum tribus stultitiis. 72. de auari incircũspectione 73. & incautela, ibid. 74. Auarus quãdo fiat stultus ibid. Et de aliis eiusdem stultitiis 75. de cæteris malis quæ veniunt ex auaritia 76. de duobus aliis malis quæ facit auaritia homini auaro 78
8 De iis quibus Scriptura comparat auarum ibid.
9 De exemplis quæ faciunt ad auaritiæ detestationem ibid.

Tractatus IV. Secunda pars de Auaritiæ Speciebus, & habet 3. Capita.

1 De vsura & eius detestatione 80
de sex vsurariorum stultitijs ibid.
de multiplici vsurarii iniquitate 81
de 12. quæ faciunt ad vsuræ detestationem, 83. de pœna multiplici qua à Domino puniuntur vsurarii 84
de duabus speciebus vsurarum 85
de restitutionibus vsurarum 86
de restitutionidus vsurarum præcipuè circa 8. in glossa repregensibiles sunt 87
2 De rapinæ peccato, & quæ hominem prohibeant ab ea, 88. de 12 quæ rapinæ magnitudinem ostendant. 89. Raptores diabolo peiores esse, ibid. quæ à rapinæ peccato hominem cohibere debeant, 91. Raptores Dominus valdè puniturus est 92. Etiam in hoc mundo 93
3 De iniustis Talliis, & peccati huius

magnitudine 95
Sex mala oriri quod quis Tallias faciat, 96. *de vilitate huius peccati* 97
4 *De fraudibus negotiatorum* ibid.
de octo malis abundantibus in Mercatoribus. ibid. *de triplici fraude quæ fit in mensuris, & eius duplici damno inde proueniente* 98
5 *De munerum acceptione* 99
de X. malis quæ ex munerum acceptione oriuntur ibid.
de quinque in quibus acceptores munerum possunt reprehendi 100
de Clericorum delicijs, quæ mortem septem adducunt 102
de munerum diuersitate ibid.
6 *De auaritia aduocatorum* 103
de octo retrahentibus hominem à tali officio ibid.
de XII. Aduocatorum periculis ibid.
de fraude mali Aduocati 106
de Conditionibus scientiæ Decretorum & similium 107
7 *De auaritia ministrorum ecclesiæ, & de simonia & eius detestatione* 108
de duodecim Simoniæ contumelijs 109
de damno multiplici quod ex Simonia prouenit 111
Simoniæ diuisio quadruplex 113
8 *De peccato ædificantium Sion in sanguinibus, & de 3. quæ faciunt ad eius detestationem* 114
de verbis S. Scripturæ carnalem amorem detestantibus 115
Ex Carnali amore quanta in Dei ecclesia mala exurgant, 116. *de infidelitate Carnalium,* 117 *quod in ecclesiæ ministris, plus obsit amor carnalis quàm simonia* 118
9 *De Choritarum peccato, quod maius sit simonia* 119
10 *De auaritia Mercenariorum quæ ecclesiæ Dei obest, & quare sit detestanda* 120
Quare Deus in primitiua ecclesia noluit temporalia coniuncta esse spiritualibus 122
11 *De septem auaritiæ signis in ecclesia Dei apparentibus* 124
de beneficiorum pluralitate, & quod plura beneficia ecclesiastica non possint haberi ibid.
Causæ plurium beneficiorum, sed inefficaces 126
Quæ faciant ad plurium beneficiorum detestationem 128
de multiplici periculo quod est in rebus ecclesiasticis dispensando 132
de Missarum pluralitate, in quibus casibus liceat dicere plures Missas ibid.
Malum multiplex ex Missarum pluralitate ibidem
de Pluralitate Officiorum in eadem Missa 133
de Altarium multiplicatione sine necessitate ibid.
de Fructuum conseruatione ibid.
de Puerorum promotione ad S. Ordines & Dignitates 134
de Libenter currentibus ad Nummos Horarios 136
12 *de peccato indignè conficiendi & consecrandi* 137
Sacerdos ad Celebrationem & Christi corporis sumptionem se præparabit 139
de Inducentibus ad detestationem indignè conficientium ibid. & 29
de Eorum peccato, qui communicare non curant 142
de Peccato eorum qui per mortale peccatum Deum à se pellunt 144
13 *de Vitio proprietatis in Religiosis* 145
de XII. stultitijs Religiosi proprietarij 147
de Eius peccati peruersitate 149
De multiplici malo quod est in proprietario 150
Quod Religio persequi maximè debeat hoc vitium 151
14 *de Auaritia scientiæ* 151
de Prædicatoribus sibi solum viuere

eligentibus 153
15 *De Peccatorum Lusorum , & de his quæ faciunt ad eius detestationem ibid.*
se 16. Quæ circa ludum accidere posdunt ibid.
Quod transgressio totius Decalogi in ludo accidere possit 154
de XII. stultitiis Lusorum ibid.
de His qui se Lusoribus immiscent, & qui eis necessaria suppeditant 157

Tract. 4. Pars tertia, de his quæ dant occasionem auaritiæ. ibid.
Tract. 4. Pars quarta, de Remediis contra auaritiam. 158
Tract. 4. Pars quinta, de Prodigalitate Auaritiæ contraria habens Capita quatuor.

1 *Distinctio Prodigalitatis à Liberalitate* 160
2 *de malis quæ sequuntur ex prodigalitate* 161
3 *de Stultiis Prodigi* 161
4 *de Clericorum prodigalitate* 162
Quod Rapina talium est periculosa 163

Tractatus Quintus de Acedia, in quatuor partes diuisus.
Prima pars habet quatuor Capita.

1 *de Inducentibus ad Acediæ detestationem* 165
2 *de S. Scripturæ verbis quæ ad laborem exhortantur, & ab ocio arcent* 167
3 *Quantum acediæ peccatum Deo displiceat* 168
Peccatum Acediæ multùm diabolo placere ibid.
Quantum Acedia noceat proprio subiecto, & quod ipsa repleat hominem malis pœnæ 169
Acedia quo pacto hominem malis culpæ repleat 170
Acedia quomodo homini auferat bona gloriæ, gratiæ, & naturæ 171
De octo quæ valere possunt ad temporis conseruationem 172
4 *De alijs ad detestationem acediæ inducentibus* 173

Pars secunda de diuersis peccatorum generibus habens 17. Capita.

1 *De tepiditate, & malis inde exsurgentibus* 174
2 *De mollitie* 175
3 *De somnolentia in eos qui in prætextu contemplationis palliant pigritiam* 176
De somno corporis, circa quem denique reprehensibilia ibid.
De tribus quæ hominem à somno cohibere deberent 177
Quæ homini ritè dormituro necessaria ibid.
4 *De otiositate, & quod stultus sit otiosus* ibid.
De tribus gradibus stultitiæ 181
De duodecim stultitiis otiosi hominis, ibidem
De octo fructibus Oris 179
Quàm reprehensibiles sunt otiosi tempore gratiæ 181
Circa occupationem tria attendenda 181
5 *De dilationis vitio, præcipuè conuersionis* 182
Quæ impediant, ne Deus cor peccatoris introeat 183
de octo inducentibus ad accelerationem conuersionis ibid.
de octo bonis quæ sequuntur accelerationem conuersionis 184
De periculis malæ consuetudinis 185
de conuersione dilata, & de 12. quæ efficiant conuersionem dilatam difficiliorem 187
Qui differt conuerti, iniquus in Deum est 189
Et iniquus in Angelum 190. in seipsum ibid.
Et in proximum 191

Et in creaturas ibid.
Quod peccator sit in statu periculoso 192
de magna stultitia differentium conuerti ibid.
de octo in quibus fatua est dilatio 193
de sex bonis quæ ex confessione proueniunt 195
de fatuitate differentium confiteri ad mortem vsque 196
de eorum stultitia qui confessionem differant quadragesimâ ferè peractâ. 197
6 *De tarditatis vitio* 198
7 *De vitio negligentiæ* 199
de six quæ faciunt ad detestationem negligentiæ ibid.
de remedijs contra negligentiam 200
de tribus studijs diligentiam impedientibus ibid.
8 *De vitio inconsummationis* ibid.
9 *De vitio remissionis* 201
10 *De vitio quod potest vocari dissolutio* ibid.
11 *De incuriæ vitio* 202
12 *De ignauiæ vitio* ibid.
13 *De vitio indeuotionis* 203
14 *De vitio tristitiæ in diuino seruitio* 204
15 *De vitæ tædio* ibid.
16 *De desperatione, & vnde prouenire consueuit* 205
De remedijs contra desperationem ibid.
17 *De acedia claustralium, & 12. malis quæ inde pullulant* 206

Pars tertia de octo remediis contra Acediam. 207

Pars IV. de Indiscreto feruore habens quinque Capita.

1 *De indiscreto feruore, & quid exigitur, vt quis Deo discretè seruiat* 209
2 *De multiplici malo quod ex indiscreto feruore prouenit* 210
3 *De 12. stultitijs indiscreti feruoris* 211
4 *De malis quæ faciunt delicata cibaria* 212
5 *De condescensione Patrum spiritualium circa fratres* ibid.

Tractatus VI. de Superbia, habens quatuor partes.

Prima pars: Quare Vitia sic ordinentur: & de radicibus Vitiorum. 213

Pars secunda habens 12. Capita, quæ agit de iis quæ valent ad detestationem superbiæ.

1 *Quomodo superbia se habeat ad bona* 214
2 *Quomodo superbia se habeat ad alia vitia.* ibid.
3 *Quomodo superbia se habeat ad diabolum,* 216
4 *Quomodo se habeat superbus ad proximum* 217
5 *Quomodo superbus se ad Deum habeat* ibid.
6 *Quomodo Deus se habeat ad superbum,* 219
de signis specialis odij, quod Deus ad superbum habere dicitur 220
Exemplis 12. S. Scriptura ostenditur Deum superbum odio habere 221
de diuturnitate huius odij 222
de causis quare superbia ita sit exosa Deo 223
de abominatione superbiæ 224
7 *Quod superbia hominem inflet, infelicem reddat, arefaciat, & bona eius consumat* ibid.
8 *Quod superbia hominem decipiat, excæcat, & infatuet.* 225. *de 5. modis quibus superbia hominem infatuat,* ibid. *de stultitiis quibus laborat superbia,* 226. *quod mons superbiæ sit locus infelicissimus, qui dupliciter ostenditur,* 227 *de sex speciebus exaltationis* 229

9 Quod

9 *Quod superbia sit valdè periculosa infirmitas* 231. *Triplex ratio cur facillime superbiam quis incurrat. ibid. Superbiam haud facile curari* *ibid.*
10 *Quod superbia sit deformitas magna* 232
Quod superbia arundini & vento comparetur 233
11 *De diuersis rebus, quibus superbus comparetur* *ibid.*
12 *Quod diligenter Dominus velit seruos suos immunes à superbia* 234.

Pars III. de superbiæ diuisione, quæ habet Capita 40.

1 *De illa superbiæ specie, quando quis credit bona sua se à seipso habere* 235.
de sex quæ facit superbus, qui credit à seipso non a Deo se habere *ibid.*
2 *De ijs qui credunt se habere à Deo bona sua, sed tantum pro meritis* 237.
3 *De superbia qua quis credit se habere quod non habet* 238.
de remedijs contra superbiam 239.
4 *De superbia intellectus, qua quis se non præponit aliis propria æstimatione* *ibid.*
Stultum esse alijs se præferre *ibidem*
Magnam esse iniquitatem apud Deum & proximũ præferre se alijs 240. 241.
5 *De diuisione superbiæ affectus, & de præsumptione ac eius triplici damno ib. de fatuitate illius, qui de se præsumit,* 242.
de Quatuor speciebus præsumptionis, *ibidem*
6 *de Appetitu propriæ excellentiæ, & de desiderio Dominij* 243.
de Iis quæ faciunt ad detestationem huius vitij 244. *Quam male imo pessime sit ambitiosis ad dignitatem aspirantibus* 245.
7 *de Appetitu Magisterij* 248. *de Doctrina bona & vita mala ibid. de Afflictione magisterij curiosorum* 250. *de Merito bonorum Doctorum, & triplici genere hominum* 252.
8 *de Appetitu simplicis excessus* 252.
9 *de Superbiæ speciebus exterioris, & primo de Superbia in corpore* *ibid.*
10 *de Superbia ornatus, & his quibus vti possumus contra eam* 254.
11 *de Exemplis quæ dissuadent ornatum superbum, & humilem commendant* 255.
12 *de XII. stultitiis se ornantium* 256.
13 *de Aliis quæ deberent homines coërcere ab amore superbi ornatus* 259.
14 *Quod superbus habitus potest esse culpabilis multis de causis* 261. *de Mulierum caudis ibid. de Cerrigiarum fastu.* 226. *de Mulierum peplis & Vittis croceatis* 263. *de* Faciem *stibio & fuco ornantibus* 264. *Sex debere Mulierem cöercere à crinibus aliarum deferendis ibid. de Habitu reprehensibili propter formam vel compositionem* 265. *de Superbia ornatus Vsuratiorum & raptorum* 266. *de quinque quæ debent cohibere* Mulieres *à pulcritudinis amore ibid.* Quantis *& quot personis noceat superbus habitus.* 268. *Quod habitus Mulierum se ornantium culpandus est ob intentionem* 269. *de Mulieribus se ostentantibus* 270
15 *de Bona erubescentia & eius commendatione* 271. *de* 16. *Erubescibilibus* 272.
16 Mala *erubescentia & eius detestatione* 274.
de Triplici fatuitate erubescentium bene agere 276.
Erubescentes de opere bono, se non rectè erga Deum gerere 277. *Bona opera tripliciter glorificare hominem* 148
de Quatuor *Remediis contra malam erubescentiam* *ibidem*
17 *de* Malitia *irisorum, quam nociua sit Ecclesiæ Dei* 279. pro quo 779.
18 *de Superbia ornatus Lectorum* 281.
de Sex quæ ab hoc ornatu hominem cohibere debeant *ibid.*
19 *de Superbia in equitaturis, & de re-*

uocantibus ab huiusmodi 282.
20 *de Superbia quæ est circa familiam* 282
21 *de Superbia conuiuiorum* ibid.
22 *de Ædificiorum Superbia, & quæ inducant ne talia fiant* 284.
de Fatuitate illius, qui superba ædificia construit 285. *Quæ sint quæ claustrales cohibere debeant ab eiusmodi* ibid.
23 *Superbia librorum, & de octo inducentibus ad eius detestationem* 287.
24 *de Superbia Cantus, & his quæ sunt reprehensibilia circa cantum* 288.
25 *Vnde & quomodo oritur Superbia, & ex quibus bonis* ibid.
26 *Quî fatuus & impius sit qui de bonis suis superbit* 289.
27 *de Bonis Corporis superbire stultum esse ibidem*
28 *de Nobilitate generis superbire fatuum esse* 290.
Nobilem non esse nobilibus procreatum 391.
29 *de Duplici animi nobilitate* 292.
Signa vera Nobilitatis sex esse ibid.
30 *de Consuetudine illarum Ecclesiarum quæ nolunt Canonicos nisi nobiles admittere* 294.
de 5. peruersitatibus huiusmodi Ecclesiarum ibid.
31 *Fatuum esse temporali re superbire* 296.
32 *de Superbiæ diuisione* 297.
Quod ministris Ecclesiæ multum sit timenda Superbia ibidem.
Persuasiones contra Superbiam ministrorum Ecclesiæ 298.
Superbia exterior non facile procedit ab simili. ibid.
Clericis non sufficere solam interiorem humilitatem ibid.
33 *de Prælatorum Superbia, & quod contra omnibus modis eundum sit* 303.
34 *de Claustralium quadruplici superbia* 304.
35 *de 12. Superbiæ gradibus ex Bernardo* 305
36 *de quibusdam Vitiis quæ procedunt ex Superbia, & aduersantur sanæ fidei* 308
Quod diabolus conatur seminare errores in Dei Ecclesia ibid.
de 4. Erroribus in quibus etiam fideles videntur esse 309.
de Errore diuinationis, & 14. Speciebus eius 312
de iis quæ faciunt ad detestationem huius peccati. ibid. *An liceat Sortibus vti* 311
de Somniis an sint obseruanda 312
Sex modis fieri imaginationes somniorum ibid.
Quare tam frequenter eueniant quæ Diuini dicunt 313
de Vaticiniis diaboli ibid.
de Phytonissa quæ Samuelem suscitauit. ibid. *Quod tempora non sint obseruanda* 314. *de Errore Maleficorum* ibid. *de Errore superstitionis.* ibid. *Vnde Maleficia efficaciam sortiantur* 315
de Errore illorum, qui vere credunt fieri, quæ tantum in somnis fiunt ibid.
37 *de Peccato irreuerentiæ* 316
Quibus reuerentia sit exhibenda ibid.
Reuerentia qualiter & quam ob causam patribus Spiritualibus & Carnalibus exhibenda 318
de Decimis reddendis, & iis quæ suadent ad eas reddendas 320. *Decimæ reddendæ de melioribus, Integræ absque mora* 321
38 *de Peccato inobedientiæ, & eius detestatione* 322
de Malis quæ sequuntur Inobedientiam 322. *Vniuersa hominem ad obediendum inducere* 324. *de Inobedientia non custodientium Solemnitates* 325
Festis diebus à quinque vacandum ibid
Quatuor diebus Festis meditanda 326
Orationi Festis diebus vacandum 327
de Ingratitudine non obseruantium diem Dominicum ibid. *Sabbatum in*

D. Virg. Mariæ honorem nur celebrandum ibid. de Inobedientia cõtemnentium Excommunicationem 329. *de Inobedientia contemnentium minorem Excommunicationem* 331
de Peccato indiscrete præcipientium 332
Sex esse quæ Prælatos prohibent à præceptorum multitudine ibidem
Contra nimietatem Præceptorum in Claustro 333
In eos, qui facillime excommunicãt ibid.
de Iusta vel iniusta Sententia 334
39 *de Peccato Vanæ gloriæ* ibid.
de iis quæ faciunt ad eius detestationem ibid.
de octo vanitatibus, quæ sunt in vane gloriosis 335
Quo pacto hoc peccatum Deo sit contumeliosum, sibi ipsi exitiale 336
de Diuersis quibus vana gloria comparatur 337
de Diuisione vanæ gloriæ 337
Quæ faciant ad detestationem Carnalis gloriæ ibid. de octo contra vanam gloriam remediis 339
40 *de Hypocrisi, & de octo quæ faciunt ad eius detestationem* 340
Hypocritas quibus assimiletur ibid.
Hypocritas quare in Euangelio persecutus sit 342 *de tribus speciebus hypocrisis* 343
Pars IV. de octo remedijs contra Superbiam ibid.

Tractatus VII. de Inuidia, quæ habet tres partes:
Pars I. de his quæ valent ad inuidiæ detestationem 344
Pars II. de speciebus inuidiæ 349
Pars III. de remedijs contra peccatum inuidiæ ibid.

Tractatus VIII. de Ira, habens partes quatuor.
Pars I de ijs quæ valent ad detestationem iræ 350
1 *Quæ dissuadent iram, eaque cur à corde auferenda* ibid.
2 *Quinq; de causis ira Deo displicet* 351
Quatuor ob causas ira diabolo placet 352
Quod ira multum nocet proximo 353
Iracundi hominis amicitia tres ob causas cauenda. ibid. Ira proprio subiecto multum nocere ibid.
3 *Quibus rebus iracundus cõparetur* 354
4 *de Stultitijs iracundi multiplicibus ib.*
Hominẽ iracundum stultum fore iram recipiendo, seruando & indicando 359
5 *de 6. Iniquitatibus iracundi, volentis se vindicare* 350
Exempla ad iræ detestationem ibid.
Pars II. de diuisionibus iræ. ibid.
De his quæ valere possunt ad odii detestationem 361
Item diuisio iræ ibid.
Pars III. de peccatis prouenientibus ex ira.
1 *De guerra, & quæ hominem ab eadem arcere debeant* 361
de signis Dominum amare pacem 362
2 *De peccato incendiariorum, & quæ cohibent hominem ab eo* 365
3 *De homicidii peccato, & quæ hominem ab eodem arceant* 366
De 4. peccatis clamantibus ad Deũ 367
de occisione iustorum hominum 368
Pars IV. de remedijs contra iram propriam & alienam 369 & 370

Tractatus IX. de peccato Linguæ habens partes tres:
Pars I. de his, quæ monent hominem ad diligentem linguæ custodiam 371
Quod in moderatione prædicationis habendus est respectus ad quinque 376
Pars II. de 24. linguæ peccatis sub 24. Capitulis.
1 *De blasphemia* 377
de iis quæ inducunt blasphemiæ detestationem, & eorum pœnis. ibid. Ex quibus circunstantiis pateat huius peccati magnitudo. 378. *Quàm sint culpabiles qui blasphemos tolerant, cum possint prohibere* 380

De duplici blasphemia, scilicet oris & cordis. 381

2 *De peccato murmuris, & eiusdem peccati detestatione* 382

de tribus diuisionibus murmuris 384

de claustralium murmure, 385. *de* 4. *remedys cõtra peccatũ murmuris* 386.

3 *De defensione propry peccati, & de his quæ cõducant ad eius detestationẽ* 387. *de stultitia illius, qui peccatum suum defendit.* 388. *de diuersis modis excusandi peccatum* 389

4 *De peccato periury, & duabus speciebus eius* ibid

de XII. quæ debent hominem retrahere à peccato periurii. ibid. Quatuor sunt quæ S. Scriptura circa iuramentum dissuadet, 391

5 *De peccato mendacii, & quid sit mendacium ac quæ detestari faciant ibid. de mendacii diuisionibus,* 393. *de iis quæ valent contra falsum testimonium* 394

6 *De peccato detractionis, quibusque Detractor comparetur* ibid

Quibus comparetur detractor 395

de diuersis speciebus detractionum, 399.

de peccato libenter audiendi detractiones ibid.

multis causis sunt reprehensibiles qui libenter audiunt detractores 400

de eorum peccato qui impatienter tolerant detractiones ibid.

7 *De peccato adulationis, ac eius detestatione* ibid.

Adulatores quibus rebus comparentur, 401

de quatuor remediis contra peccatum adulationis 403

8 *De Peccato Maledictionis, ac eius detestatione* ibid.

9 *De peccato conuicii, & his quæ hominem cohibent ab hoc peccato* 404

10 *De peccato contentionis, & eius prohibitione* 406. *Contentio maximè præcauenda, ne fiat cum quinque personis* 407

11 *De peccato derisionis* ibid.

12 *De peccato praui consilii, & iis quæ hominẽ ab illo peccato prohibent* ibid.

A quibus personis consilium sumendum sit 408

13 De *seminantibus discordias, & iis quæ ab illo cohibent* ibid.

14 *De bilinguium peccato, & quæ ab illo prohibent* 409

15 *De peccato amantium rumores* 410

16 *De peccato iactantiæ, & de his quæ valent contra illud* ibid.

17 *De Secretorum reuelatione* 411

18 *De peccato indiscretæ comminationis ibid.*

19 *De peccato indiscretæ promissionis ibid.*

20 *De verbo otioso, & de illo cohibentibus* 412

De quinque timendis circa venialia peccata 413

21 *De multiloquio, & iis quæ ab illo cohibent* 414

22 *De turpiloquio* ibid.

23 *De Scurrilitate & ei contrariis ibid.*

de risu huius temporis 415

Multiplex risus malus ibid.

24 *De Taciturnitate indiscreta* 416

Prælatos tacere, maxime à Verbo Doctrinæ, malum ibid.

Pars III. de octo remedijs contra peccatum Linguæ ibid.

De silentio Claustralium 417

Commendantia Claustrale Silentium, 418

Silentii Commendatio & vtilitas ibid.

Fouea ruina & occasio peccati diligenter obturanda 419

Finis Indicis particularium Titulorum.

REVERENDISSIMI,
AC EXIMII
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS
GVILLIELMI PERALDI EPISCOPI
Lugdunensis, ex Sacro Ordine Prædicatorum.

TOMVS SECVNDVS: QVI SVMMA vitiorum appellatur.

PARS I.
Tractatus primus de vitijs in Communi.

DICTVRI de singulis vitijs, quum opportunitas se offert, incipiemus à vitio Gulæ: & quia locutus se offert, & propter hoc quod dicit Glossa sup. Matt. 4. In pugna Christi prius contra Gulam agitur, quia nisi hæc prius refrenetur, frustra contra alia vitia laboratur. Et alia Gl. dicit ibi, quod diabolus victus de Gula; non tentat de libidine. Ante omnia tamen ostendemus, doctrinam vitiorum perutilé esse, per hoc quod vitia studio & summa diligentia sunt vitanda. Vitari autem non possunt: nisi prius cognoscantur.

Quod vitia summa diligentia sint vitanda, tribus rationibus ostenditur.

TRiplici autem ratione potest ostendi, vitia summa diligentia esse vitanda: scilicet quia dæmonibus valde placent, Deo summè displicent, homini verò summè nocent. Quod valdè placeant vitia dæmonibus, ostenditur ex assiduitate tentandi. De qua dicit Greg. Assidua tentatione diabolus tentat, vt saltem tædio vincat. Tentatio verò diaboli ad hoc est immediaté, vt in malum culpæ hominem impellat. Vnde Greg. de illo: Nihil se fecisse æstimat, quum animas non sauciat.

Quod Deus summè odiat peccatum triplici ratione ostenditur.

QVod autem Deus summè odiat peccatum, ostenditur triplici ratione. Primò ex hoc, quod illud, quod maximè videtur odire, scilicet diabolum, non odit, nisi ratione peccati: & eum amaret, si peccatum non esset, tanquam creaturam suam. Vnde Sap. 11. *Nihil odisti eorum quæ fecisti.* Quod intelligendum est, nisi propter peccatum adiunctum, quod ipse non fecit. Vnde quum illud propter quod aliquid est tale, sit magis tale, constat vitium esse magis exosum Deo, quàm

Peccatū Deo odibile tribus rationibus ostenditur.

2. diabolum. Secundò, potest idem ostendi per hoc quod Deus non habet ita bonum amicum in cælo, nec in terra, quem non haberet odio ad mortem, si inueniret peccatum mortale in eo. Vnde licet Petrus ardentiùs amasset Christum quàm cæteri Apostoli: tamen Christus eum damnasset, si decessisset in peccato trinæ negationis. Benè ostendit Deus quantum odiat peccatum, quando filios suos quos tantum dilexit, quòd pro illis mori voluit, in ignem inextinguibilem proiiciet, quan-
3. do inueniet in eis peccatum mortale. Tertiò, potest ostendi idem per hoc quod Deus filium suum crucifigi voluit, vt cum eo peccatum crucifigeretur. Vnde Aug. super illud ad Coloss. 2. vbi loquitur de chirographo: Innocens occiditur, & peccatum crucifigitur. Et Deus Pater dicit de Filio suo, Esaiæ 53. *Propter scelus populi mei percussi eum.* Si quis diceret se tantùm odire aliquem, quòd vellet eum cum proprio filio gladio vno transuerberasse, vel cum propria matre, satis videretur quod haberet cum odio. Sic Christus odiuit peccatum: voluit enim vno gladio secum transuerberari. Vnde Luc. 2. dicit Simeon ad beatam Virginem: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Pertransibit, inquam, per compassionem.

Quod peccatum noceat homini quatuor rationibus ostenditur. Et enumerantur sex, quæ peccatum aufert homini.

1. QVod autem peccatum summè noceat homini, potest ostendi multis rationibus. Primò per hoc, quod nihil potest homini nocere, nisi per peccatum. Vnde solùm caueat homo sibi ab isto hoste, & non sunt timendi ei alij hostes. Nec diabolus, nec homo malus, nec infirmitas, nec mors, nec alia aduersitas potest ei nocere, si à peccato cauerit sibi. Ad hoc pertinent hæc testimonia scripturæ quæ sequuntur: Gregorius. Nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Et illud Ecclesiast. 8. *Qui custodit mandatum, non experietur quicquam mali.* Nihil enim erit ei malum vel nociuum. Esaiæ 3. *Dicite iusto, quia benè, &c.* Et ad Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Ad plus non potest docere diabolus vel persecutor iusto, nisi quia fabricabit ei coronam æternam. Bernardus. Iucundum Dei iudicium: quia ille superbus humilium malleator nesciens ei coronas fabricat perpetuas, omnes impugnando & omnibus succumbendo. Et Dauid. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.* Fabricauerunt, inquam, coronam perpetuam. Secundò, potest ostendi quantùm noceat homini peccatum, per hoc quod nihil est homini adeò salubre, quod peccatum non reddat ei noxium. Ipsam vitam conuertit peccatum homini in mortem, & ipsam salutem in damnationem: sicut patet in Sacramento Altaris, *quod qui indignè accipit, iudicium sibi manducat & bibit:* id est damnationem. Peccatum illum qui non solùm est benignus & mansuetus, sed ipsa benignitas & mansuetudo, nobis quasi furibundum reddit. Dauid. *Domine ne in furore, &c.* Furor eius videbitur, quando filios suos in ignem proiiciet, nec inde extrahet eos. Tertiò potest ostendi puantum noceat peccatum homini, quia meliori parti hominis nocet, scilicet animæ. Vnde Eccles. 21. *Dentes illius dentes leonis, interficientes animas hominum*: Nec solùm animæ nocet, imò etiam corpori. Vnde sequitur: *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas.* Bis acuta dicitur, quia interficit animam & corpus. Sequitur, *Plagæ illius non est sanitas.* Intellige post vitam istam. In quo innuitur quod non parum noceat peccatum, tam corpori quàm animæ. Ad vltimum peccatum omnia bona aufert homini, & ferè omnia mala infert. Primò aufert Deum. Secundò, regnum æternum. Tertiò, fraternitatem Ecclesiæ. Vnde Eccle-

siast. 15. *Quæ communicatio hominis sancti ad canem?* Quartò, bona Ecclesiæ. Dauid. *Particeps ego sum omnium, &c.* Quintò bona propria. Ambr. Qui charitatem non habet, omnia amittit quod habet. Sextò, aufert homini seipsum. Et hoc duobus modis. Primò, quia in seruitutem diaboli transit. Secundò, quia melius esset ei quòd natus non fuisset, si sic perseuerauerit. Vnde quum ante peccatum quoddam pretiosum esset, per peccatum transit ad statum in quo minus eligendum est esse, quàm non esse. Patet quia plus nocet homini, quàm si omnino auferret ei esse. Ferè etiam omnia mala infert peccatum, sicut manifestum erit, cùm de singulis peccatis agetur.

4. Peccatũ homini aufert bona, infert mala omnia

Quod vita vitiorum sit aspera & molesta in præsenti, tribus rationibus ostenditur.

SEd hîc ad præsens sufficiat ostendere quod vita vitiorum est aspera & molesta etiam in præsenti. Ostendemus autem hoc tripliciter. Primó per iustitiam Dei, quæ non sinit dedecus culpæ esse in homine absque vindicta, sicut dicit Aug. Vnde idem August. Iussit Deus & verum est, vt sua pœna inordinatus sit animus. Multæ molestiæ sequuntur odium, vel iram, vel vnum de alijs vitijs. Vnde Hierem. 2. *Scito, & vide quam malum & amarum est dereliquisse te Dominum Deum tuum.* Ad minus sequitur hæc pœna de peccato, scilicet remorsio conscientiæ. Secundò potest ostendi idem, per hoc quod opus vitij est in extremis, sicut opus virtutis est in medietate. Natura verò in medietate delectatur: in extremis verò constritatur. Vnde Dauid: *Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda* Tertiò ostenditur idem per hoc quod vitium innaturale est: sed virtus est secundùm naturam. Vnde Bernardus, Nullum vitium naturale est, omnis verò virtus homini naturalis est. Deinde subiungit: Virtus, quoniam res naturæ est, cùm venit in animum, aliquando non venit sine labore: sed venit in locum suum, & fideliter sedet, & benè cum ea conuenit natura. Vita ergo vitiorum aspera est: vita vero virtutum est suauis. Sed sicut dicit Hieronymus insuauem & asperam fecit nobis viam virtutum longa consuetudo peccandi. Et habetur simile in lumine solis, quod est delectabile oculis. Vnde Ecclesiast. 11. *Dulce lumen est, & delectabile oculis videre solem.* Contristat tamen lux solis, oculos tenebris assuetos. Peccatum ergo dæmonibus placet, Deo summè displicet, & homini summè nocet, sicut ostensum est. Abominabilem etiam reddit hominem, & Deo, & Angelis, & hominibus. Vnde Dauid: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis.* Summa ergo diligentia est vitandum. Si vniuersi dæmones, & mali homines, bestiæ, & omnes aliæ creaturæ quæ possent homini nocere, essent simul congregatæ ex vna parte, magis timendum esset vnum peccatum mortale, quàm omnia illa. Ad hoc autem quod nos debeamus ita fugere peccatum, pertinet quod legitur Ecclesiast. 21. *Quasi à facie colubri fuge peccatum.* Et illud Sen. Cum hominibus pacem habe, cum vitiis bellum. Et iterum: vitia sine modo & sine ordine persequenda sunt, quia modum & ordinem non habent.

Psf. 118.

Virtus homini naturalis

Peccatum tribus reddit hominem abominabilé.

Psal 13.

TRACTATVS SECVNDVS DE VITIO GVLÆ. PARS I.

De ordine dicendorum in hoc tractatu. Et de quatuordecim, quæ valere possunt ad detestationem vitii Gulæ.

HOC ordine dicemus de vitio Gulæ. Primò, dicemus de his quæ faciunt ad detestationem huius vitij. Secundò, de speciebus eius. Tertiò, de satellitibus quibus

Multa detestātur vitium Gulæ.

vtitur vitium istud. Quartò, de remediis contra hoc vitium. Quatuordecim autem sunt, quæ faciunt ad detestationem huius vitij. Primum est, quod natura dissuadet hoc nobis illud. Vnde legit. in scientia naturali, quod inter animalia magnorum corporum nulli dedit natura tam strictum os secundum corporis qualitatem, sicut homini: quod sine dubio factum est ad commendationem temperantiæ, & detestationem Gulositatis. Secundum est hoc, quod vitium istud est requies dæmonum: vnde Matthæi 12. *Quum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & non inuenit.* Loca arida sunt homines separatè viuentes, in quibus diabolus non inuenit requiem. Vnde legio dæmonum dicit Domino, vt legitur Matt. 8. *Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum*: quod Dominus permisit eis. Post quam enim aliquis quasi potens vitio Gulæ est subditus, dæmonum habitaculum est. Vnde dicit Glos. Nisi quis more porci vixerit, diabolus potestatem in eo non accipit.

De triplici iniuria, quæ fit proximo ex vitio Gulæ.

TErtium est multiplex iniuria proximi, quæ sequitur ex vitio isto. Triplicem autem iniuriam proximi quæ sequitur ex vitio isto, ponemus ad præsens. Prima est proximi corruptio. Vnde in Psalm. *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Ad literam, homo qui se inebriat vespere, os fœtidum habet sequenti mane ad modum sepulchri. Sed ad corruptionem mali exempli possumus hoc referre. Malo enim exemplo corrumpunt Gulosi proximos suos. Ad quod pertinet quod legitur ad Roman. 14. *Si propter cibum tuum frater tuus contristatur, iam non secundùm charitatem ambulas.* Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est, & in epistola Iudæ de Gulosis dicitur: *Hi sunt in epulis suis maculæ conuiuātes.*

Psal. 5. & 130.

Non solum sunt maculati, imo sunt maculæ alios maculantes suo exemplo Secunda iniuria est, quod vnus Gulosus expendit in piscib⁹, vnde viginti pauperes satis haberent de pane. In quo fratres suos de portione eorum defraudat. Omnes fideles fratres sunt, vnde Berna. Noli putare gratuitum quod impendis proximo: velis nolis debitor es. Tertia iniuria est, conuitia & verbera, quæ ebrij & variis repleti ferculis solent inferre vicinis suis. *Tumultuosa enim res est ebrietas.* vt legitur Prouerbiorum vigesimo.

De multiplici contumelia, quæ sequitur ex vitio Gulæ.

QVartò facit ad detestationem huius vitij multiplex contumelia Dei quæ sequitur ex vitio isto. Ex quibus, septem ponemus ad præsens. Prima est, quia vitium istud vilissimum creaturam deificat, ventrem scilicet: iuxta illud Apostol. ad Phil. 3. *Quorum Deus venter est.* vbi dicit Aug. Hoc ab homine colitur, quod pro cæteris diligitur. Idololatria ista deterior est in hoc idololatria paganorum: quia illi auro & argento, & marmoreis lapidibus honores diuinos impendere solent: sed gulosus ventrem pro Deo honorat, qui est quasi latrina. In hoc videtur hoc vitium detestabilius esse cunctis aliis vitiis. Secunda contumelia est, quia de templo Spiritus sancti coquinam facit. Vnde 2. ad Corinth. 6. *Vos enim templum Dei viui estis.* De hoc templo facit coquinam, qui adeo se implet cibis & potibus, quod igniculus naturalis non sufficit illud decoquere: sed tanquam ex lignis viridibus vel humidis fumum producit, qui hominem pigrum & somnolentum reddit. Tertia contumelia est, quod animam, quæ imago est beatæ Trinitatis multùm deturpat obscurando eam: vnde in hominibus qui laborant vitio isto, impletur illud verbum Prophetæ: *Denigrata est facies eorum super* Psal.

Vent[…] coqui[…] nagul[…] sorum

carbones. vnde Hieronym. Nihil adeo obruit intelligentiam, vt comessatio & ebrietas. Quartum est, quod hoc vitium multùm elongat à Deo. Ad quod pertinet quod dicitur in Psalm. *In chamo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Non approximantes ad Deum, sunt homines cibo & potu se replentes, quibus optat Dauid magis ac magis constringi maxillas, id est parciùs victualia dari: vt sic saltem cogantur approximare, sicut accedit famelicus ad dominum. Quintum est, quod vitium hoc ad Dei obliuionem inducit. Vnde Oseæ 13. *Saturati sunt & eleuauerunt cor suum: & obliti sunt mei.* Sextum est, quod Deum blasphemat. Vnde super illud 1. ad Cor. 10. *Siue comeditis, siue bibitis, omnia ad gloriam Dei facite.* dicit August. Si quod manducas & bibis, ad refectionem corporis sumis, sustentationemq; membrorum, gratias agens ei, qui tibi mortali & fragili tribuit ista supplementorum solatia: cibus tuus & potus tuus laudant Deum. Si verò modum naturæ debitum immoderatione edacitatis excedas, & vinolentia te ingurgites, quantaslibet Dei laudes lingua tua resonet, vita tua blasphemat. Sicut formositas operis artificem laudat, sic eius deformitas eum quodammodo blasphemat. Hier. Valdè absurdum est, nimia saturitate velle honorare sanctum, quem scimus Deo placuisse per ieiunium, quidam sanctus dixit: Venter receptaculum ciborum, omnes hominum labores & momentanea Gulæ blandimenta stercoris fine condemnat, id est, vana fuisse probat. Vnde male viuens, creatorem suum blasphemat. Septimum est, quod hoc vitium contemnit Deum & quicquid Deus habet. Vnde Esau qui tenet figuram Gulosorum dicit Gen 25. *Quid mihi proderunt primogenita?* Et paucis interpositis subditur: *& abiit paruipendens quid primogenita vendidisset.* De Gulosis verum est istud, quod pro nihilo habent terram desiderabilem, & illud Thren. 1. *Dederunt pretiosa quæque pro cibo, ad resocillandas animas.* Quintum quod facit ad detestationem huius vitij est hoc, quod vitium istud inquinat membrum illud, in quo magis indecens est immunditia, quàm in alio membro, duplici ratione: Primò propter nobilitatem membri. Secundò, quia præ cæteris membris deputatum est diuino officio. Sextum est, quod prima prohibitio quam Deus dedit, data fuit contra vitium istud. Vnde Genes. 2. *De omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Septimum est hoc, quod vitium istud laqueus est in via, per quam necesse est nos ire: & ideo magis timendùm est nobis. Vnde diabolus hoc vitio hominem tentauit cùm esset in paradiso, & in statu innocentiæ. Isto etiam vitio primo aggressus est tentator filium Dei. Vnde Gregorius loquens de illo verbo. *De necessitatibus meis eruit me:* dicit, Necessitates corporales hoc habent periculosum, quod in eis sæpè minimè dignoscitur quid circa eas vitio vel vtilitatis studio agatur. Has necessitates Psalmista cupit euadere, sciens plerunque voluntatum culpas occasione necessitatis prorumpere. Ait Aug. Sumenda sunt alimenta tamquam medicamenta: sed dum ad quietem satietatis ab indiligentia transitur, in ipso transitu laqueus concupiscentiæ insidiatur. Frequenter enim dum hoc fit, adiungit se quasi pedissequa periculosa iucunditas, & plerumque præcurrit, vt eius causa fiat, quod causa salutis fieri debuit, & gaudet infœlix anima, vt obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. Octauum est hoc, quod totiens in Euangelio exprimitur, tormentum huic vitio reddendum. Vnde pluries dicit Dominus in Euangelio: *Ibi erit fletus & stridor dentium:* & dicit Gloss. qui de edacitate gauisi sunt. Et Luc. 16. *Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam,*

Gulosi obliuiscuntur Dei.

vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.

De multiplici malo; quod legitur in Scriptura ex vitio Gulæ subsecutum.

Enumeratio malorũ quæ euenerunt ex gula in sancta scriptura.

NOnò facit ad detestationem huius vitij multiplex malum prouenìens ex hoc vitio. Et primò numeremus mala, quæ in sacra Scriptura reperiuntur eueniſſe occaſione Gulæ. Secundò, mala quæ eueniunt quotidie his in quibus eſt vitium iſtud. Primò enim occurrit nobis, quod vitium Gulæ in matre noſtra Eua occaſio fuit omnium malorum. Secundò legitur Gen. 9. quod Noe qui perfectus fuit in generationibus ſuis, vitio iſto deuictus ſit. *Bibens* enim *vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo.* Tertiò legitur Geneſ. 19. quod Loth, quem Sodoma non vicit, vino inebriatus duplicem inceſtum commiſit. Quartò legitur Gen. 25. quod Eſau vitio iſto dignitatem primogenituræ amiſerit. Quintò legitur Gen. 40. quod Pharao faciens conuiuium grande, magiſtrum piſtorum ſuſpendit. Vitio etiam Gulæ populus Iſraël iram Dei meruit. Vnde in Pſalm. *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei, &c.* Et 2. Reg. 13. Abſalon fecit conuiuium & interfecit fratrem ſuum Amon, cùm temulentus eſſet vino. Et de Holoferne legitur Iudith. 11. quod bibit vinum multum nimis, quantum vna die nunquam biberat in tota vita ſua, & interfectus eſt à Iudith. Legitur etiam in principio Iob, quod filij Iob bibentes vinum in domo fratris ſui primogeniti ſunt oppreſſi: & dicit Greg. In maioris fratris conuiuio filios Iob Sathan obruit. Numquid illi ventri vacabant? Quaſi diceret. Non: ſed tamen inter conuiuia, mentis bona intentio minus feruet & minus prouidet. Et in Euangelio legitur, quod Herodes conuiuium faciens, Ioannem Baptiſtam occiderit.

De multiplici malo quotidie corpori & animæ ex vitio Gulæ proueniente.

Mala gulæ quotidiana.

MAla verò, quæ proueniunt quotidie ex hoc vitio illis qui habent hoc vitium, multa ſunt. Et primò enumeremus ea mala quæ eueniunt ſpiritui. Inter quæ primum eſt grauamen ſpiritus. Vnde Dominus Lucæ 21. *Attendite ne grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate.* Crapula eſt cruda epula, quando tantum de cibo ſumitur quod calor naturalis non ſufficit ad decoctionem eius. Adeo enim grauatur ſpiritus nimietate cibi & potus, vt ſit quaſi ſepultus Vnde Oſeæ 9. *Memphis ſepeliet eos.* Memphis interpretatur ex ore. Nimietas cibi & potus ex oris vitio occaſionem habens, homines ſepelit. Gregor. Quanto corpus impletur, tanto anima minoratur. Vnde Hieron. Qui luxuriatur, viuens mortuus eſt: & qui inebriatur, mortuus eſt & ſepultus. Rabanus: Vile ſepulchrum eſt ebrietas. Sepultura iſta quaſi quædam ſubmerſio ſpiritualis eſt. In aqua enim ſepeliri, eſt ſubmergi. Secundum malum eſt loquacitas. Vnde Greg. in hom. de diuite epulone: Prima in male conuiuantibus famulatur culpa loquacitatis, poſt loquacitatem ludi etiam leuitas ſequitur. Tertium eſt laſciuia. Exod. 32. *Sedet populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Quartum malum eſt luxuria. Vnde Hier. 5. *Saturaui eos, & mœchati ſunt.* Ad Epheſ. 5. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Prouerb. 20. *Luxurioſa res eſt vinum.* Hier. ad Euſtochium: Virgo Chriſti vinum fugiat vt venenum. Idem: Quicquid ſeminarium eſt voluptatis, venenum puta. Idem: Quamdiu Eua in paradiſo abſtinuit, virgo fuit: quam citò præceptum abſtinentiæ violauit, corruptionem ſenſit. Idem ad Furiam virginem: O filia! ſi Apoſtolus caſtigauit corpus ſuum, & in ſeruitutem redegit, ne cum aliis prædicaſſet reprobus effice-

retur: quomodo tu iuuencula, adhuc in furore iuuentutis posita, dapibus & vino plena, de castitate eris secura? Ipsa etiam auaritia quādoque prouenit ex vitio Gulæ. Vnde Hieron. Deliciæ & epularum varietas auaritiæ fomenta sunt. Idem: Tolle epularum & libidinis luxuriam, nemo quærit diuitias, quarum vsus vel in ventre, vel sub ventre sunt.

De innumeris vitiis prouenientibus ex hoc vitio, scilicet immisericordia, &c.

Ebriosus immisericors.

SEquitur ex hoc vitio similiter immisericordia. Vnde Amos 6. *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, nihil compatiebantur super contritione Ioseph.* Ad idem facit quod legitur Lucæ 16. de diuite Lazaro epulo, qui compassus non est. Et vniuersaliter homo vitio gulæ subiectus, nulli alii vitio resistere potest. Vnde Galenus. Ebriosus seruus est omnium peccatorum. Nullum peccatum potest vincere, qui captus est hoc vitio. Ex quo enim ori, quod est quasi porta hominis, vitium gulæ, quod est quasi de familia diaboli, dominatur: totam familiam diabolicam, scilicet vniuersitatem vitiorum permittit intrare. Vitium gulæ reddit hominem stultum, imo insanum, & ad vltimum reddit eum quasi porcum. Ad primum faciunt hæc testimonia scripturæ Prouerb. 20. vbi loquitur de vino & ebrietate: *Quicumque his delectatur, non erit sapiens.* Et in Iob 28. *Sapientia non inuenitur in terra suauiter viuentium.* Senec. Copia ciborum subtilitas impeditur. Hieron. Venter pinguis non gignit tenuem sensum. Tullius: Mente recta vti non possunt multo cibo & potu repleti. Ad secundum pertinet quod legitur Oseæ 4. *Vinum & ebrietas auferunt cor:* id est, mentem. Et eiusdem 7. *Cæperunt principes furere à vino.* Senec. Nihil aliud est ebrietas, quàm voluntaria insania. Ad tertium facit quod dicit Seneca. Quosdam ventri obedientes loco animalium numeramus, non hominum. Hier. Qui post carnem ambulant in ventrem & libidinem proni, quasi irrationabilia animalia reputantur. Et 2. Petr. 2. dicitur de talibus: *Hi velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & perniciem.* Et glossa interlin. supplet tendunt. In hoc tamen deteriores sunt irrationabilibus animalibus, quia illa non incidunt in laqueos quos vident, vel in laqueos in quos alia vice ceciderunt, quod isti faciunt. Vnde Hier. Bruta animalia & vagæ aues in easdem pedicas retiaque non incidunt. Præter ista mala quæ spiritualia videntur esse, sequuntur multa alia mala ex vitio gulæ. Primò fames. Vnde de gulosis in Psalm. dicitur: *Famem patientur vt canes.* Osee 4. *Comedent & non saturabuntur:* Hieron. Voluptas habita, famem, non saturitatem parit. Et Lucæ 15. dicit filius Prodigus, qui tenet figuram gulosorum: *Ego autem hîc fame pereo.* Et ad literam est hoc verum de illo, qui inebriat se vesperè, quod sitit in sequenti mane. Vnde Prouerb. 23. dicit Salomon in persona talis: *Quando euigilabo, & rursus vina reperiam?* Deinde sitit vsque ad prandium, nisi priùs biberit. Idem accidit de esurie: quia in prandio non cessat esuries, vel quia non habet ea quæ vellet, vel quantum vellet, vel præparata vt vellet. Sicut enim dicit Augustinus. Vbicumque quærit caro refectionem, inuenit defectionem: Si autem accidat quod habeat quæ, & qualia, & qualiter vult, non habet tantum ventrem quantum vellet habere, aut deest ei annona, aut saccus. Non potest esse sine fame, cui ex defectu famis fames nascitur: tunc oportet eum ire spatiari, vt sic esuriat, & sic famem venetur. Læditur etiam natura. Vnde Iob 20. *Cùm satiatus fuerit, arctabitur, & omnis dolor irruet super eum.* Homo satiatus arctatur: id est, arctus sibi videtur: sicut angusta videntur alicui horrea sua propter multitudinem fru-

2. Gula reddit hominem, stultum immisericordē & quasi porcū.

Gula naturā lædit.

menti. Dolor enim irruit super eum: non enim consequitur voluptatem quam quæsiuit. Vnde Tullius: Si videres istos epulones velut opimos boues stertere & sudare, intelligeres eos, qui maximè sequuntur voluptates, minimè assequi quod volunt. Qui vitio gulæ laborat, patitur pro delectatione vnius horæ molestiam diei vnius vel mensis, quia in acutam vel altam infirmitatem incidit. Sen. Ebrietas vnius horæ hilarem insaniam longi temporis tædio pensat. Ecclesiast. 30. *Amaritudo animæ, vinum multum potatum.* Ex vitio etiam gulæ sequitur vigilia. Vnde Ecclesiast. 3. *Dulcis est somnus operanti siue parùm, siue multum comedat: saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.* Sequitur etiam inde paupertas. Vnde Ecclesiast. 19. *Operarius ebriosus non locupletabitur.* Prou. 21. *Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* Causa verò quare talis non ditatur, tangitur in Aggæo, vbi sic legitur cap. 1. *Qui congregauit merces, misit eas in saccum pertusum.* Quandoque ebriosus quod per totam hebdomadam laborauit, in die Dominica ponit in saccum pertusum, scilicet in ventrem. Sequitur etiam ex vitio gulæ corporis infirmitas, nec vna tantum, sed plures, quandoque mors. Ad primum pertinet quod legitur Ecclesiast. 37. *In multis escis erit infirmitas.* Ad secundum pertinet quod dicit Seneca: Quis hostis in quenquam tam contumeliosus fuit, quàm in quosdam voluptates suæ sunt? Sufficit alicui si hostem suum excæcat: sed voluptates non solùm excæcant voluptuosos, sed etiam impotentes reddunt, & contractos, & leprosos, & diuersis aliis infirmitatibus affligunt. Ad tertium pertinet quod legitur Ecclesiast. 37. *Propter crapulam multi obierunt.* Et Senec. Potest nostra prouidentia huic corpusculo longiorem prorogare moram, si voluptates, quibus maior pars perit, poterimus regere & coercere. Ad quartum pertinet quod legitur Eccl. 7. *Inueni mulierem morte amariorem.* Hæc mulier est voluptas carnis, quæ morte est amarior: quia non vna sola morte interficit, sed triplici: scilicet morte temporali, morte culpæ & damnationis æternæ. Ad idem pertinet quod legitur Prouerb. 23. *Vacantes potibus, & dantes symbola, consumentur.* Et post in eodem: *Ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Et Naum 1. *Sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic conuiuium eorum pariter potantium consumetur quasi stipula ariditate plena.* Hoc vitium seruum nostrum naturalem dominari nobis facit, vnde Eccl. 12. *Benefac humili,* id est animæ: *& ne dederis impio,* id est corpori. *Prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit.* Et Prouer. 29. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum, postea sentiet eum contumacem.*

Volu-ptates in dolores mutat.

Vigilem & paupertem efficit.

Infirmitates ac mortes adducit.

Quod vitium gulæ est vna de grauioribus infirmitatibus.

Decimum faciens ad detestationem huius vitii est hoc, quod vitium istud est vna de grauioribus infirmitatibus spiritualibus. Perpenditur autem grauitas huius infirmitatis ex hoc, quod cito interficit vel suffocat, durè affligit, vix curatur, multas expensas requirit, quæ tamen potius nocent quàm prosint. Omnia etiam genera infirmitatum & spiritualium & corporalium inducit hæc infirmitas. Propter primum assimilatur hæc infirmitas squinantiæ, quæ est infirmitas gulæ citò suffocans hominem. Propter secundum assimilatur hæc infirmitas cuidam infirmitati, quæ dicitur appetitus caninus, vel bolismus. Affligit enim hæc infirmitas hominem fame insatiabili, sicut ostensum est prius. Vnde Prouerb. 13. *Iustus comedit, & implet animam suam: venter impiorum insatiabilis est.* Vix etiam curatur vitium istud, quia initium habet ab humana necessitate, sicut

Vit[ium] gul[æ] vix [cu]ratu[r].

ſicut oſtenſum eſt prius. Nec ſenectute videtur deficere ſicut luxuria: imò tunc augetur, & medicamentum eius vertitur in nocumentum. Vnde Gregorius in Moral. Quot ſolatia ad viuendi vſum quærimus, quaſi tot noſtræ ægritudinis medicamentis obuiamus: quia hoc ipſum medicamentum in vulnus vertitur: quia exquiſito remedio paulò diutius inhærentes ex eo grauius reficimur, quod prouidè ad refectionem paramus. Senes enim magis amant bonum vinum: expenſas etiam tantas requirit hæc infirmitas, vt multi hoc vitio depauperentur, & ſemper deteriùs ſe habent. Quomodo autem ex hac infirmitate cæteræ introducantur, ſatis manifeſtum eſt ex prædictis. Vndecimum faciens ad deteſtationem huius vitij eſt hoc, quod ille qui hoc vitio capitur, à diabolo valde periculosè capitur. Vndè cum diabolus quærat eum mortificare, ſecundum il-
ſa.36. lud Pſalm. *Conſiderat peccator iuſtum, & quærit mortificare eum:* iam eſt propè intentionem ſuam, cum ad gulam manum ei tenet. Ad hoc referri poteſt illud verbum Senec. Voluptates inter res viliſſimas præcipuè extirpa, quæ more latronum in hoc nos amplectuntur vt ſtrangulent. Duodecimum faciens ad deteſtationem huius vitij, eſt hoc, quod ille qui hoc vitio à diabolo tenetur, valde firmiter tenetur. Hoc enim vitium eſt quaſi quoddam frenum ori ipſius impoſitum. Vndè poteſt eum circumducere ad voluntatem ſuam iuxta illud Iac. 3. *Fræna in equorum ora ad conſentiendum nobis mittimus, & omne corpus eorum circunferimus.* Eſt etiam vitium iſtud inter difformitates ſpirituales quaſi latitudo oris: non talis qualem habent ora canum, qui dicuntur leporarij vel venatitij, ſed talis qualem habet os inferni. Inſatiabilis enim eſt, nec ſufficit ei quod gignit terra, niſi & aquatilia & volatilia habeat. Vnde Hieronymus. Tauri paucorum iugerum paſcuis aluntur, vnica ſylua pluribus elephantibus ſufficit: homo verò terra & mari paſcitur.

[Margin: ...ui vi- ...gu- ...tene- ...,val- ...for- ...r te- ...ur.]

De graui ſeruitute qua laborat guloſus, quæ in ſex attenditur.

PEnultimum faciens ad deteſtationem huius vitii eſt hoc, quod ille qui laborat hoc vitio, eſt in ſeruitute valde graui & valde ignominioſa. Sex autem ſunt, in quibus attenditur grauitas huius ſeruitutis. Primum eſt hoc, quod ipſe eſt ſeruus eius qui naturaliter debet ſeruire ei, ſcilicet corporis ſui. Ad hoc pertinet illud quod legitur, Prouerb. 19. *Non decet ſeruum dominari principibus.* Et illud Prouerb. 30. *Per tria mouetur terra, & quartum ſuſtinere non poteſt:* Per ſeruum cum regnare cœperit. Seruus iſte corpus eſt, ex cuius dominatione terra mouetur: quia homo vel Eccleſia turbatur. Secundum eſt, quod talis omnium illorum ſeruus eſt, quibus indiget corpus. Vnde Sen. Multis ſeruit, qui corpori ſeruit. Tertium eſt, quia talem oportet ſeruire cuidam dominæ, ſcilicet gulæ, cui nullus poteſt ſeruire ad ſuam voluntatem, qui vult ſingulis diebus parari bis ſibi varia fercula, de quibus nihil remanet: ſed poſtquam tetigerit, proiicit, & in locum turpitudinis & quaſi perditionis tranſmittit. Ad hoc pertinet, quod legitur Ioel 1. *Vlulate qui bibitis vinum in dulcedine: perit enim ab ore veſtro.* Et illud verbum Bern. Voluptas gutturis, quæ tanti hodie æſtimatur, vix duorum habet latitudinem digitorum. Non durat delectatio, niſi quantum durat tranſitus ille per gulam, & pro illo tranſitu vult domina gula tot & tanta ſibi parari. Quartum eſt, quod ipſe vili labori intendit, quia impletioni loci immundi, ſcilicet ventris. Qua enim ratione locorum immundorum euacuatio eſt vile opus, eadem ratione etiam impletio. Intendit enim ſacci vnius refectioni, & ſacci immunditia pleni, cum intendit refectioni corporis.

[Margin: Sex docēt grauitatem ſeruitutis guloſi.]

Ps.29. Corpus enim succus est. Vnde in Psal. *Concidisti saccum meum.* Ipsa etiam gloriosa & beata caro Christi saccus vocatur. Quid autem est hoc, intendere refectioni sacci vnius xl. annis, quem ad vltimum scio putrefiendum? Quintum est hoc, quod vanus & quasi inutilis est labor eius. Satis vanus videtur labor quo aliquis laborat, vt deliciosè pascat latronem vnũ morti damnatum. Latro iste morti damnatus, est corpus nostrum. Vnde Sen. Omnes capitali supplicio condemnati sumus. Satis etiam videtur vanus labor, quo homo laborat vt vermes splendidè pascat. Non est curandum qualem inueniant carnem vermes, vel pinguem, vel macilentam. Carnem impinguare, est vermibus escam pręparare. Sextum est, quod domina gula totum laborem hominis requirit. Vnde Eccl. *Omnis labor in ore eius.* Vltimum faciens ad detestationem huius vitii, est commendatio sui contrarii, scilicet commendatio Temperantiæ vel Ieiunii. Sed de hoc alibi dicetur.

De Speciebus Gulæ.

PARS II.

SEquitur de speciebus huius vitii, quæ sunt gastrimargia siue commessatio & ebrietas. Dicitur autem gastrimargia, eo quòd in castris ventris omnia mergantur. Ad cuius detestationem sufficiant ea, quæ ad detestationem gulositatis superiùs dicta sunt.

Quæ mala veniant ex Ebrietate.

SEd ad detestationem ebrietatis quæ semper vitiosior est, aliqua addemus.
1. Primum est, quod ebrietas prodigiose agit. Exercitus enim illius pacifice recipitur, & post nocet. Vnde Prouerb. 23. *Ne intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blande,* ecce pacificus ingressus, *sed in fine mordebit vt coluber:* ecce nocumentum. Secundò,
2. facit ad detestationem huius vitii multiplex maledictio, quam Deus ebriis facit. Vnde Esa. 5. *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandam vsque ad vesperam.* Et post eodem cap. *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum.* Et dicitur contra aliquos qui gloriantur ex hoc, quod possunt multum vinum sustinere. Et Isaiæ 28. *Væ coronæ superbiæ ebriis Ephraim.* Et Prouerb. 23. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? nonne his qui morantur in vino, & student calicibus epotandis?* Et dicit Glossa super illud. *Cui suffossio oculorum.* Immoderatus haustus vini, exterioris & interioris visus ingerit cæcitatem. Tertiò facit ad detestationem huius vitii hoc, quod omnia bona dissipat 3.
in homine Bona gratiæ dissipat vsque ad fundamentum eorum, scilicet vsque ad fidem. Vnde Eccles. 19. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes:* bona etiam naturæ exterminat vsque ad insensibilitatem. Vnde Prouerb. 23. dicit ebriosus: *Verberauerunt me, & non dolui: vulnerauerunt me, & non sensi:* vnde Augustinus. Ebrietas aufert memoriam, dissipat sensum, confundit intellectum, concitat libidinem, inuoluit linguam, corrumpit sanguinem, omnia membra debilitat, vitam diminuit, & omnem salutem exterminat. Quartò facit ad dete- 4.
stationem huius vitii hoc, quod dicit Augustinus super illud Genes. 43. *Biberunt, & inebriati sunt cum illo;* verbum inebriandi, vt ait Augustinus, pro saturitate ponitur. Et post subiungit: Inebriari vt inebriantur ebriosi, nec ipsi terræ est vtile, quoniam maiore humore quàm sufficit, corrumpitur: sic vita ebriosi qui non satietate se replet, sed emergitur & diluuio. Quintò facit ad detestationem huius vitii quòd Gregorius de illo dicit: Ebrietas, inquam, est blandus dæmon, dulce venenum, suaue peccatum, quam qui habet, non se habet: quam qui facit, non facit peccatum, sed totus est peccatum.

De aliis quinque speciebus Gulæ secundum Gregorium.

ALiter distinguuntur quinque species huius vitij à Gregorio super illud Genes. 25. vbi dicit Esau Iacob: *Da mihi de coctione hac rufa.* Prima species est, cum quis horam comedendi præuenit: vt legitur de Ionatha 1. Regum 14. Talis timere potest illam maledictionem quæ habetur Eccl. 10. *Væ tibi terra, cui Rex puer est, & cuius principes mane comedunt.* Terra intelligitur hic homo. Terra enim est, & in terram ibit. Rex est libe rum arbitrum qui animam habet regere. Principes intelliguntur quinque sensus: sicut illi qui verum Deum colunt, ab honore & obsequio diuino diem inchoare volunt: sic illi quorum Deus venter est, primò quærunt regnum Dei sui. Regnum Dei eorum, est esca & potus. Secunda species est, quando aliquis nimis delicata vult habere, vt legitur Num. 11. de filiis Israël qui in eremo carnes desiderabant. Et in Luca legitur de Diuite epulone, quod *epulabatur quotidie splendide.* Senec. Palatum tuum fames excitet, non sapores.

Triplici ratione ostenditur, quare homo non debeat quærere delicata.

TRiplici autem ratione non debet homo quærere delicata. Primò propter naturam vasis, cui cibos quos sumimus infundimus: corrumpit enim quicquid infunditur. Si quis haberet aliquod vas, quod corrumperet vinum quando est infusum, ipse non infunderet ibi de meliori quod haberet. Ad hoc pertinet quod legitur Ioel 1. *Vlulate qui bibitis vinum in dulcedine: perit enim ab ore vestro.* Secundò propter hoc: quia cum delectabilia tibi dantur in adiutorium carni aduersus spiritum concupiscenti, fiunt duo contra vnum, & vincitur spiritus. Vnde Bernardus de condimentis: Sufficit vt comestibilia fiant, non concupiscibilia. Sufficit enim concupiscentiæ malitia sua, quæ cum vix aut nullo modo pertransire possit ad finem explendæ necessitatis nisi per viam quantæcumque delectationis, si cœperit habere irritamenta, fiunt duo contra vnum, & periclitatur continentia. Tertiò, cum carni deliciæ dantur: vult eas post ex consuetudine habere, vnde Prouerb. 22. *Prouerbium est, Adolescens iuxta viam suam cum senuerit, non recedet ab ea.* Cum homines timeant tantum malum consuetudinem quod etiam à dilectissimis non sustineant eam super se adinueniri: mirum est quomodo seruo nequam, scilicet corpori hoc tolerari volunt. Tertia species est, quando quis nimis sumit: vt legitur de Sodomitis. Ezech. 16. Hieronymus. Pluuia illa optima est, quæ sensim descendit: subitus autem & nimius & præceps imber, arua subuertit. Similiter nimius cibus nocet. Quarta species est studiositas, quæ pertinet ad solicitudinem & curiositatem laute præparandi: vt legitur de filiis Heli. 1. Regum 2. De studioso dicit Isidorus. Tota die epulas ruminat, qui ad explendam gulam vespere delicias præparat. Talis est quasi animal ruminans. Sed in hoc differt à ruminantibus animalibus, quia bruta animalia ruminantia ruminant post sumptionem cibi, sed talis ruminat ante. Quinta species est quum quis nimis auidè vel ardenter sumit cibum: vt legitur de Esau Gen. 25. Vnde Eccl. 27. *Noli auidus esse in omni epulatione, neque te effundas super omnem escam.* Et Augustinus: Melius est piscibus vesci more Domini, quàm lenticula more iumentorum. Signum fœdæ auiditatis est in sumendo cibum, tremor manuum scyphum & bolum tenentium, & effusio vultus exterioris super cibaria, cum toruis oculis, quam comitatur effusio vultus exterioris super escam, quæ est

quando sic animus ad cibum ardore trahitur, vt aliquid cogitare non sinatur. Signum etiam huius fœdæ auiditatis est inordinatio scindendi panem, masticandi cibum & sumendi. Bernard. Etiam ad sanitatem corporis quanto cibus honestius & ordinatius ingeritur, tanto facilius & salubrius digeritur. Contra auiditatem istam consilium est interponere psalmum vel aliam orationem. Hæ species continentur in hoc versu: *Præpropere, laute, nimis ardenter, studiose.*

De aliis quatuor speciebus Gulæ.

POssunt etiam addi his quinque speciebus aliæ quatuor species. Prima est, quum quis nimis frequenter sumit cibum. Sufficit homini sano sumere bis in die ad plus cibum. Frequens autem sumptio cibi multum nociua est corpori: secundum enim artem medicinalem, vna de deterioribus rebus est apponere cibum super cibum indecoctum. Alia species est, quando quis variis ferculis vult vti. De qua varietate dicit Seneca: Fastidientis stomachi est multa degustare, quæ vt varia sunt & diuersa inquinant, non alunt. Sicut aliqua sunt, quæ diuisa placent, coniuncta vero nobis abominabilia sunt: sic coniunctio tot diuersorum ferculorum in stomacho interdum est abominabilis naturæ. Tertia species est, quum quis noua requirit & inconsueta. Quarta, cum pretiosa vel sumptuosa, non habens etiam respectum ad hoc quod sint magis saporosa.

PARS III.

De quatuor satellitibus, quibus vtitur vitium Gulæ.

DIcto de speciebus huius vitij, consequenter dicendum est de quibusdam satellitibus, quibus vtitur vitium istud: quæ quatuor sunt præcipua. Primum est ambitio, de qua dicit Sapiens: Non magno nobis constat fames, sed ambitio. Maiorem partem eorum, quæ expendunt superbi, faciunt ad pascendum oculos hominum. Sed si nullus hoc deberet scire, ipsi quandoque non expenderent decimam partem eorum quæ expendunt. Alia tria sunt: ciborum delectabilitas, siue sit ex generibus ciborum, siue ex modo præparãdi, & ciborum varietas & qualitas.

PARS IV.

De octo remediis contra vitium Gulæ.

SEquitur de remediis contra vitium istud, quæ octo sunt. Primum est sermo diuinus. Hoc remedium docet nos Dominus Matth. 4. vbi dicit diabolo tentanti ipsum de vitio gulæ: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei.* Et Gregor. Frequens sumptio cibi spiritualis interdum inducit contemptum & obliuionem cibi corporalis. Secundum remedium est moderata occupatio. Hoc remedium insinuat nobis Salomon Prouerb. 21. *Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam operari manus eius: tota die concupiscit, & desiderat.* Homo otiosus patitur famem vniuersalem. Aures enim eius esuriunt rumores, oculi vanitates, gula cibos, sed occupatio in magna parte sedat famem istam. Mallent autem specialiter hæc duo remedia ad hoc ne homo horam præueniat, vel ne nimiam solitudinem de cibo sibi præparando habeat. Tertium remedium est, elongatio ab his, quæ dant occasionem excedendi in cibo vel potu, sicut est delectabilitas, vel varietas, vel nimietas ciborum. Licet enim illud, quod legitur Ecclesiastici 21. *Quasi à facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad ea suscipient te*: videatur generaliter dictum de omni peccato: specialiter tamen hoc referri potest ad illa

Remedia contra gulam. 1. 2. 3.

peccata, in quibus tentat suauitas vel
voluptas. In illis enim, in quibus aduer-
sitas tentat, melius potest expectari con-
flictus : vnde non est securum accedere
ad mensam, vbi nimia, vel varia, vel de-
licata sunt apposita homini, qui vult
curari ab hoc vitio : Hoc insinuatur no-
bis Genes. 3. vbi sic legitur : *Vidit mulier
lignum, quod bonum esset ad vescendum, &
pulchrum oculi, & delectabile aspectu : &
tulit de fructu illius, & comedit.* Vnde di-
cit Gregorius : Non licet intueri quod
non licet concupisci. Et Esaiæ 28. lo-
quens de flore gloriæ exultationis, dicit :
*Quod cùm aspexerit, videns statim vt ma-
nu tenuerit, deuorabit illud.* Non est secu-
4. rum intueri, vel videre delectabilia.
Quartum remedium est, frequenter
considerare, qualis post mortem caro sit
futura : Hoc remedium docet nos Greg.
5. dicens : Nil adeo valet ad domanda carnis
desideria, sicut cogitare qualis sit futura
mortua. Quintum remedium est, æternæ
cœnæ meditatio, ad quam inuitati sumus.
Hoc remedium docuit nos Dominus, vbi
nos ad cœnam illam inuitatos esse docuit.
Aliter comedit ad cœnam delicatam in-
uitatus, & aliter non inuitatus. Qui enim
inuitatus est, parum comedit in prandio,
ne cœnam amittat. Sed sunt quidam qui
adeo similes sunt facti iumentis, quod de
siliquis porcorum hîc impleri desiderant,
& de illa delicata cœna & æterna non cu-
rant, cuius sola esuries hominem beatum
reddit. *Beati enim qui esuriunt, & sitiunt
iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Quid
6. faciet ipsa refectio ? si esuries ipsa beatum
reddit. Sextum remedium est, considera-
tio malorum, quæ excessum cibi & potus
sequuntur. Sequitur enim inde triplex
mors, scilicet mors culpæ ; interdum mors
corporis in præsenti, & in futuro æterna
mors, scilicet corporis & animæ. Ad hoc
pertinet quod legitur Iob. 6. *Aut gustare
quis poterit, quod gustatum affert mortem?*
Cum magna mensura sumuntur medica-
menta, sic & alimenta sumi debent, secun- 7.
dum Augustinum. Septimum remedium
est, consideratio penuriæ Christi, & in se,
& in membris suis. Ad primum monemur
Thren. 3. *Recordare paupertatis meæ &
transgressionis, & absynthii, & fellis.* Pau-
pertas etiam ipsius in membris suis, mul-
tùm deberet homines retrahere à super-
fluitate, quam faciunt in conuiuiis suis ;
quum cogitant quantam paupertatem su-
stinet Christus, in pauperibus & infirmis
ad mortem, qui vix possunt interdum pa-
nem habere. Mirum est, quomodo sæpè
non remordet conscientia diuitum huius
sæculi, quando cogitant, quod ipsi subtra-
hunt ori Dei, in pauperibus quod ponunt
in ore diaboli. Pascunt enim filios diaboli,
scilicet malos; & Dei filios fame perire 8.
permittunt. Vltimum remedium est sum-
mum, Dei gratia. Vnde qui laborat hoc
vitio, orationi debet instare, & Dei gra-
tiam postulare, quæ ardorem huius vitii
sedat. Vnde Ioan. 4. *Qui biberit ex aqua
quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Et
ad Hebr. 13. *Optimum est gratia stabilire
cor, non escis, quæ non profuerunt ambulanti-
bus in eis.* Ad idem pertinet illud verbum
Senecæ. Si vis, inquit, in perpetua volup-
tate esse, non voluptatibus adiiciendum
est, sed cupiditatibus detrahendum. Cu-
piditatibus verò non detrahitur, nisi quum
ros gratiæ infunditur.

TRACTATVS TERTIVS DE LVXVRIA.

Pars I. quæ habet tria Capitula.

De his quæ faciunt ad detestationem huius vitii.

CAPVT I.

De Ordine dicendorum in isto tractatu. Et de sex miseriis annexis peccato Luxuriæ.

HERODES *autem Tetrarcha, &c.* Quia peccatum Luxuriæ, occasio fuit incarcerationis & decollationis Ioannis: Ideò hîc dicemus de peccato isto, & satis congruo post vitium gulæ, quia nascitur ex illo. Dicemus autem hoc ordine. Primò, dicemus de his quæ faciunt ad detestationem huius vitii. Secundò, de speciebus eius. Tertiò, de his quæ præstant occasionem huic peccato. Quartò, de remediis contra vitium istud. Quintò, quare Deus prohibuit simplicem fornicationem. Minus enim misericorditer videtur Deus egisse cum genere humano in hac prohibitione, cùm propter hanc prohitionem ferè totus mundus pereat. Sextò, tangemus aliquid de impotentia continendi, quàm multi allegant. Primò autem faciunt ad detestationem huius vitii ista sex, quæ circa hoc peccatum inueniuntur, scilicet anxietas, pœnitentia, erubescentia, fœtor, fœditas, infamia. De anxietate & pœnitentia, dicit Hieron. Appetitus fornicationis anxietas est, satietas pœnitentia. Nec solùm præcedit illud peccatum anxietas appetitus, imò & multæ aliæ molestiæ, quas Dominus spinas vocat. Oseæ 2. dicens: *Sepiam vias tuas spinis.* Spinæ illæ sunt Vigiliæ, timores, expensæ, & sollicitudines hoc peccatum præcedentes. Bernard. O! quantæ præcedunt vigiliæ tam modicum festum! Sequitur: Interdum extenduntur vigiliæ per annum, & sequitur momentaneæ delectationis festum. Tanta est insania luxuriosorum, vt super spinas currant ad mortem suam, & expensis multis parent sibi viam in infernum. Ad pœnitentiam pertinet quod legitur Prouerb. 5. de muliere fallace, per quam voluptas intelligitur. *Nouissima autem illius amara, quasi absynthium.* Et quidam qui sibi abscidit linguam, vt vehementia doloris temperaret vehementiam tentationis, dixit: Absit vt tanti emam, vnde postea pœniteam. Insipiens mercator est, qui facit forum, vnde certum est quod pœnitebit. Exemplum: Quædam virgo æstimans, quod delectatio huius peccati quippiam magnum esset, desideria illius virginitatem suam auferri permisit. Deinde videns, quod pro tam vili re tantum thesaurum amiserat, adeò pœnituit, quod voluit se interficere. Erubescentiam verò quæ est in hoc peccato, ostendit absconsio. Vnde Iob. 24. *Oculus adulteri obseruat caliginem.* Erubescentia autem ostendit indecentiam huius peccati. Erubescentia enim fuga est rei indecentis. Magna ergo erubescentia, quæ est in peccato isto, ostendit magnam eius indecentiam. Fœtor etiam est in hoc peccato, qui à viris spiritualibus aliquando sentitur, Vnde quidam scholaris præsentiam scorti in domo sua, fœtore eius, cognoscebat. Et quidam Archidiaconus sentiebat quum seruus eius fornicatus fuerat. Et de fœditate dicit Seneca: In voluptate nihil est magnificum, nihil quod naturam Deo proximam deceat: membrorum vilium ac turpium ministerio veniens, exitu fœda. Ista fœditas est inquinatio corporis. Vnde super illud 1. ad Corinthios 6. *Omne peccatum quodcumque*

Ex quibus oriatur detestatio luxuriæ.

Fornicatio animam & corpus maculat.

fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. dicit Gloss. Cætera peccata tantùm animam maculant: fornicatio verò, non tantùm animam, sed etiam corpus contaminat. Ibi enim, non solùm est immunditia spiritualis, sed etiam corporalis. Est etiam infamia in peccato isto. Vnde macula gloriæ vocatur. Eccles. 47. *Inclinasti femora tua mulieribus.* Et post: *Maculam dedisti in gloria tua.* Hierooymus etiam dicit, hoc peccato pollui quæ in homine honesta sunt. Palma, inquit, vitiorum est, honesta polluere: tunc vitia benè de aliquo triumphauerunt, quum per peccatum luxuriæ honesta in eo polluerunt. Ad idem pertinet quod legitur Proue. 6. de adultero: *Turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.* Non enim habet opprobrium solum in præsenti, sed etiam in futuro. Vnde de ipso Ecclesiast. 22. *In plateis ciuitatis vindicabitur, quasi pullus equinus fugabitur: & vbi sperauit, apprehenditur, & erit dedecus omnibus, quia non intellexit timorem Domini.* Luxuriosus quodammodo iam habet gehennam suam. Habet enim ad modum gehennæ ignem, fœtorem, & vermem. Ignem concupiscentiæ. Vnde Oseæ 7. *Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente.* Et fœtorem, de quo iam diximus; & etiam fœtorem infamiæ, & vermem remordentis conscientiæ.

CAPVT II.

Quod quinque faciunt ad detestationem Luxuriæ. Et primò quod Luxuria *Angelis valdè fœtet.*

AD detestationem huius vitii faciunt etiam quinque, scilicet quod vitium istud Angelis valdè fœtet, vel displicet, dæmonibus valdè placet, Deo est valdè contumeliosum, proximo valdè iniuriosum, subiecto suo valdè nociuum. Primum potest ostendi tripliciter. Primò, per quod in vitis Patr. legitur de Angelo quodam, quod obturauit nares ad aspectum cuiusdam luxuriosi. Secundò, per hoc quod scriptum est: *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Si filia Regis Franciæ tradita esset alicui, vt custodiret eam, non parum displiceret ei, si in eius custodia fornicaretur. Quantum ergo Angelis displicere potest, si filiæ Regis cælestis, quibus ipsi ad custodiam deputati sunt, fornicantur? Ideo dicit Bernardus. In quouis diuersorio, in quouis angulo, reuerentiam habe Angelo tuo, nec audeas, illo præsente, quod, me vidente, non auderes. Ad idem potest referri quod dicit Apostolus 1. ad Corinth. 11. scilicet quod mulier debet habere caput velatum propter Angelos. Tertiò, potest ostendi per hoc quod in isto peccato quædam contumelia fit spirituali naturæ, quum anima magis elegit iumentinæ naturæ assimilari, quam in spiritualitate se seruare, & carnem sibi assimilare, à brutali delectatione eam cohibendo. Hoc autem non fit absque contumelia angelicæ naturæ, quæ est spiritualis naturæ, vt anima: sicut non fit absque dedecore aliorum clericorum, quando clericus apostatat, & fit laïcus, malens similis esse rusticis, quàm clericis. Ad istam tertiam rationem pertinet quod dicit gloss. 1. ad Corinth. 6. super illud: *Qui fornicatur, in corpus suum peccat.* In hoc peccato est anima sub corpore. Item dicit gloss. In fornicationis opere, sic totus homo absorbetur à carne, vt iam dici non possit ipse animus suus esse, sed simul totus homo possit dici caro.

Quod peccatum Luxuriæ multùm placeat dæmonibus.

QVod autem multùm placeat dæmonibus, primò ostendi potest per

hoc quod legitur Iob 40. *Behemoth in locis humentibus dormire.* Loca humentia sunt luxuriosi. Secundò, per hoc quod dicit gloss. super Lucam, quod quum dæmones de omni peccato gaudeant. præcipuè tamen gaudent de fornicatione & idololatria. Et tangitur ibi caussa, quare de fornicatioue ita gaudeant : quia ibi corpus & animam maculantur. Tertiò, per hoc quod diabolus poterit se iustificare comparatione fornicatorum coram Deo, quum in eo non inuenietur peccatum quod ipsi habebunt. Quartò, per hoc quod diabolus procurat, vt in dormiendo homo habeat delectationem huius peccati. Quintò, per hoc quod illis qui non habent materiam perpetrandi hoc peccatum, ipse quandoque ministrat materiam : vt patet in dæmonibus incubis. Sext. per hoc quod in hoc peccato, binos & binos lucratur diabolus homines, & vili foro etiam habet eos. Ad quod pertinet quod legitur Prouerb. 6. *Pretium scorti vix est vnius panis : mulier autem viri pretiosam animam rapit.* Pretium scorti dicitur esse vix vnius panis : quia vnus panis diutius sedat ardorem appetitus, quàm delectatio illius peccati. Fatua autem mulier illo pretio dat animam suam diabolo, & corpus locatori, pro quo non daret alicui sotulares suos, &c.

Quod peccatum Luxuriæ sit contumeliosum Deo.

EST etiam istud peccatum valdè contumeliosum Deo. Quod primò potest ostendi per hoc quod honorabiles personæ huius sæculi tantùm decus reputant sibi, quum filiæ eorum fornicantur : quantam ergo contumeliam faciunt filiæ cælestis Regis patri suo, quum fornicantur ? Secundò, per hoc quod tantum dedecus est sponsis nobilibus, quum sponsæ eorum adulterantur. Ad hoc pertinet quod legitur Prouerb. 6. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec*
acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima, & exponit hoc gloss. de cælesti sponso. Tertiò,
per hoc quod quum vilissima pars quæ in 3.
ipso fornicatore est, imperet ei quod Dominus prohibet, ipse potius illi vili parti, quàm Deo obedit, potius eligens sibi eandem dominari, quàm Deum.
Quartò, per hoc quod templum Dei 4
violat & polluit. Ad quod pertinet quod legitur 1. Corinth. 3. *Nescitis quia templum Dei estis vos, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum* Deus, & post : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*, & post: *Nescitis quoniam corpora vestra sunt templum Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à* Deo, *& non estis vestri* ? vnde & sequitur : *Empti estis pretio magno : glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Glorificandus est Deus in corpore, tamquam in templo. Contra luxuriosos po-
test dici Psalmus iste : *Deus venerunt* Psa.
gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum : posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam, & super illud : *Portate Deum in corpore vestro* : dicit gl. Si non parcis cibis propter te, vel parce tibi propter Deum, qui sibi fecit te domum pro se. Quintò, potest ostendi quàm
contumeliosum sit peccatum istud Deo, 5
ex hoc quod luxuriosus illud dulcius reputat, quod Deo est contumeliosius. Magis enim amat interdum coniugatam turpem, quam solutam pulchram, vnde non videtur quærere in peccato suo voluptatem suam, sed Dei contumeliam. Vnde Hieron. Luxuriosa mens, inhonesta ardentiùs prosequitur : & quod
non licet, dulciùs suspicatur. Sextò, pa- 6
tet per hoc quod peccatum contumeliam Dei publicam negociationem facit, & quod purè est peccatum, publicum officium efficit, quod speciale est huic peccato & peccato vsuræ : & ideò Ecclesia
persequitur ista peccata præ cæteris. Se- 7
ptimò, per hoc quod istud vitium præ-
ponit

Ponit delectationem vilium & turpium membrorum deliciis quæ in Deo sunt: quæ contumelia valdè magna est.

Quod peccatum Luxuriæ sit iniuriosum proximo.

HOc etiam peccatum est valdè iniuriosum proximo, quod tripliciter potest ostendi. Primò per hoc quod aufert ei non sua, sed seipsum. Vnde Prou. 6. *Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit. Furatur enim, vt esurientem impleat animam. Deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet*, & liberabit se: *qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam*: vnde mulier fatua non aufert tantùm sua stulto, sed seipsum. Nota, quod adulterium accidit propter cordis inopiam. Indignaretur enim cor, si haberet vilissimæ parti suæ se subiici, & pro tam vili lenocinio se dari. Vnde Eccl. *In multa sapientia multa est indignatio*. Vel propter cordis inopiam, id est, sapientiæ defectum. Secundò, potest ostendi per hoc, quod ille qui hoc vitio laborat nulli fidem seruat. Vnde 2. Reg. 11. Dauid suum fidelem militem fecit occidi pro vxore eius. Ad idem pertinet quod legitur 2. Reg. 13. de Amon, qui sororem suam Thamar corrupit. Tertiò, potest ostendi per hoc quod vitium istud multis aufert hæreditatem suam. Vnde leg. Eccl. 23. *Mulier omnis relinquens virum suum, peccabit, statuens hæreditatem ex alieno matrimonio.*

Quod peccatum Luxuriæ sit nociuum proprio subiecto.

Peccatũ Luxuriæ priuat hominẽ totaliter

ESt etiam hoc vitium valdè nociuum subiecto suo. Aufert enim pecuniam illi, aufert & bona temporalia & spiritualia, & etiam seipsum. Ad primum pertinet quod legitur Prou. 29. *Qui nutrit scortum, perdet substantiam*. & Luc. 15. de filio prodigo, qui *dissipauit substantiam suam, viuendo luxuriosè*; propter bona verò omnia quæ destruxit, comparatur igni. Vnde Iob. 31. *Ignis est vsque ad consumptionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* Hieronym. Flammigero igne percutit fœmina conscientiam. Ad hoc quod ipsum hominem auferat sibi, pertinet quod legitur Osee 4. *Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor.* Amans amore fatuo non habet cor suum. Ipsum etiam corpus quandoque amittit. Vnde 2. Reg. 13. Interfectus est Amon, quia corrupit Thamar. Hieron. Quotidie sanguis mœchorum funditur, adulteria damnantur. Honorem etiam aufert hoc vitium & incrementum bonorum. Vnde Gen. penult. *Ruben primogenitus meus, &* subiungitur: *Prior in donis, maior imperio*: supple, debueras esse. Sed sequitur: *Non crescas, quia maculasti cubile patris tui, &c.* Præ cæteris iure debebatur ei honor primogenituræ & duplicitas in possessionibus, quod amisit, quia cubile patris maculauit.

CAPVT III.

De alijs quatuor, quæ faciunt ad detestationem huius vitij. Et primò quod est multùm efficax ad hominem capiendum.

IN huius peccati detestationem faciunt etiam alia quatuor, scilicet hoc quod vitium istud multùm efficax est ad hominem capiendum, & multùm potens ad detinendum hominem, & etiam ponit in magna vilitate & in misera seruitute. Ad primum pertinet quod dicit Aug. Efficacissimum glutinum ad capiendas animas est mulier. Et Prou. 6. de muliere mala: *Multos vulneratos deiecit: & fortissimi quique interfecti sunt ab ea.* Ad idem facit quod legit. Num. 24. quod hoc peccatum præ cæteris elegit Balaam, quo deiiceret filios Israël, & faceret eos pec-

care. Hoc vitium capit nobiles & ignobiles. vnde Hier. In serico & in pannis, eadem libido dominatur, nec regum purpuras, nec mendicantium squallorem spernit. Hoc vitium vincit sapientes & insipientes. vnde Hier. Quid Salomone sapientius? & tamen infatuatus est amore mulierum. Eccl. 19. *Vinum & mulieres apostatare faciunt etiam sapientes.* Breuiter, istud peccatum ferè totum mundum ad infernum trahit. vnde Abac. 1. *Totum in hamo suo subleuauit, totum traxit in sagena sua, & congregauit in reti suo.* Hamus, & sagena, & rete biaboli, sunt pulchræ mulieres, quæ totum mundum in perditionem trahunt.

Quod Luxuria est potens ad retinendum.

POtens est etiam hoc peccatum ad retinendum. Vnde Prou. 22. *Fouea profunda os alienæ: cui iratus est Dominus, incidet in eam*: qui in profundam foueam cadit, non exit de facili: sic non de facili euadit de manibus diaboli, qui capitur pulchritudine alicuius mulieris. Ideò dicitur de ore mulieris, quod sit profunda fouea, potius quàm de alio membro: quia pulchritudo huius membri multos capit: qui hoc vitio laborat, vix potest cogitare de his, quæ pertinent ad salutem suam. Deum quasi non cognoscit, ad cælum non leuat oculos: adeò brutalis factus est, quod verba correctionis vel admonitionis suæ non potest audire. Ad duo prima pertinet quod legitur Oseæ 5. *Non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Dominum: quia spiritus fornicationis in medio eorum, & Dominum non cognouerunt.* Ad 3. facit quod legitur Dan. 13. de senibus qui exarserunt in Susannam, *& declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum, nec recordarentur iudiciorum iustorum.* Ad 4. pertinet quod legitur Eccl. 21. *Verbum sapiens quodcunque audierit, scius laudabit, & ad se adiiciet, audiet luxuriosus, & displicebit illi, & proiiciet illud post dorsum suum.* Vix ergo emendatur aliquis de peccato isto, quum ea fugiat quæ possunt esse occasio suæ liberationis.

Quod Luxuria ponit hominem in magna vilitate.

POnit etiam hoc vitium hominem in magna vilitate, ad quam vilitatem & turpitudinem exprimendam, quasi turpiter loquitur Scriptuaa de vitio isto. Vnde Ioel 1. *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Gregor. Iumenta in stercore suo computrescere, est homines in fœtore Luxuriæ vitam finire. In Psal. *Disperierunt in Endor, facti sunt sicut stercus terræ.* Psal Endor, interpretatur fons generationis. Vnde Endor pars illa intelligitur, quæ carnali generationi deseruit. Propter hanc vilitatem comparatur sui Prouerb. 11. *Circulus autem in naribus suis, mulier pulchra & fatua.* Sus si ex vna parte videret volutabrum & ex alia parte lectum roseum, prius curreret ad volutabrum. Sic tales immunditiam Luxuriæ delitiis paradisi præponunt. Licet diabolus intelligi posset sus ista, & mulier ipse circulus, quem diabolus immergit in lutum omnis immunditiæ. Ad eandem vilitatem pertinet quod legitur Eccles. 9. *Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via* ab omnibus prætereuntibus *conculcabitur.*

Quod Luxuria ponit hominem in misera seruitute.

IN misera etiam seruitute ponit hominem vitium istud, non solùm quia facit spiritum seruum eius, qui sibi naturaliter debet seruire, scilicet corporis sui, sed etiam vilissimæ parti illius. Sed etiam propter seruitutem mulierum quæ est valdè misera. Vnde Tull. Illum ego non liberum dicam, cui mulier imperat, leges imponit; vocat, veniendum est: eiicit, abeundum est: poscit, dan-

dum est:minatur, extimescendum est. Hunc ergo non tantummodo seruum, sed nequissimum seruum ego iudico. Hier. Nihil vilius quàm à carne vinci: nihil gloriosius quàm carnem vincere.

Luxuria videtur esse de numero peccatorum illorum, de quibus dæmones erubescunt.

PRæterea Luxuria videtur esse de numero peccatorum illorum, de quibus etiam erubescunt dæmones. Vnde gloss. super illud Ezech. 16. *Dabo te in animas odientium te filiarum Palæstinarum, quæ erubescunt in via tua scelerata.* dicit gloss. loquens de spirituali Ierusalem. Tantæ miseriæ Ierusalem erit correctio, vt erubescant etiam dæmones nostrorum magnitudinem peccatorum. Cuius ratio esse potest hæc: peccatum diaboli, est superbia: hominum verò, luxuria & alia carnalia peccata. Luxuria verò videtur esse turpior superbia, quæ quia minus turpis creditur, minus vitatur. Luxuriam eo magis erubescunt homines, quia omnes turpem nouerunt. Præterea dicunt Magistri, quod sunt aliqui dæmones, qui memores suæ antiquæ nobilitatis, non dignantur de Luxuria tentare. Signum ad hoc est, quod Lucifer tentans Dominum in deserto, non tentauit eum de luxuria.

Pars II. quæ habet decem Capitula

De speciebus Luxuriæ.

CAPVT I.

De Luxuria cordis & corporis.

SEquitur de speciebus luxuriæ. Diuiditur autem luxuria vno modo in duas species, scilicet in luxuriam cordis, & luxuriam corporis. Ad has duas species pertinet quod legitur in Psal. 25. *Vre renes meos & cor meum.* Contra primam speciem est necessarium, vt ad mammillas zona aurea simus præcincti, secundùm quod vidit Ioan. Apocal. 1. Contra secundam oportet nos præcinctos esse ad renes secundùm visionem. Ezech. 9. & Dan. 10. *Leuaui oculos meos & vidi, & ecce vir vnus vestitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo.* Incontinentia verò cordis valdè periculosa est, propter hoc, quod ille qui laborat hac specie incontinentiæ, peccat mortaliter toties, quoties videt pulchram mulierem. Ideò dicitur sagena eorum cor mulieris fatuæ. Eccl. 7. *Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius.* Sagena totam aquam occupat sic corde fornicatur cum omnibus fatua mulier.

(margin: Psal. 25.)

CAPVT II.

De acceptione huius nominis Luxuria, quod enumerantur quinque species, secundùm vtramque acceptionem.

ALio modo diuiditur Luxuria in quinque species. Noaandum tamen est, quod hoc nomen Luxuria quandoque sumitur largiùs, quandoque minus largè. Primo modo Luxuria dicitur inordinatus amor delectationis, quæ secundùm tactum est: sicut vitium gulæ est inordinatus amor delectationis, quæ est secundùm gustum: & cupiditas inordinatus amor pecuniæ: & secundùm hoc potest diuidi Luxuria in quinque species. Quarum prima pertinet ad suauitatem vestium & lectorum. Secunda ad suauitatem vnctionum, qua antiqui vtebantur. Tertia, ad suauitatè balneorum. Quarta, ad tactus immundos illorum membrorum, quæ generationi nō deseruiunt. Quinta pertinet & ad membra generationi deputata. Et istæ species luxuriæ vocantur luxuria, secūdū quod hoc nomen luxuria strictè sumitur. Et diuiditur in quinque species. Prima est simplex fornicatio. Secunda stuprum, quod est illicita defloratio virginum. Tertia, est adulterium, quod est ad alterius thorum

accessio. Quarta est incestus, qui est consanguinearum vel affinium abusus. Sub qua specie comprehendi possunt peccata sanctimonialium & etiam religiosorum. Quinta est peccatum contra naturam, quod fit duobus modis: quandoque enim est contra naturam quo ad modum, vt cum mulier supergreditur, vel cum fit bestiali modo illud opus, tamen in vase debito: quandoque vero est contra naturam quãtum ad substantiam, vt cum quis procurat vel consentit, vt semen alibi quam in loco ad hoc deputato effundatur. De quo vitio cum magna cautela loquendum est in prædicando, & interrogationes in confessionibus faciendo, vt nihil hominibus reueletur quod illis præstet occasionem peccandi. Et nota quod diabolus dicitur habere duas manus, quibus frequenter homines capit, scilicet Gulam & Luxuriam. De quibus exponitur illud Psalm. *Considerat peccator iustum:* scilicet diabolus, *& quærit mortificare eum*: *Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius.* Quinque digiti in prima manu, sunt quinque species Gulæ, quæ notantur in hoc versic. *Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiosè.* Quinque digiti in secunda manu, sunt quinque species dictæ.

Psa. 36.

CAPVT III.

De peccato contra naturam, cuius magnitudo octo modis ostenditur.

INter quas primo prosequemur de vitio contra naturam. Magnitudo huius peccati potest ostendi octo modis. Primo, illis testimoniis scripturæ quæ hoc vitium asserunt maximum vel nimium. Quale est illud, quod dicitur Genes. 18. *Homines autem Sodomitæ erant pessimi & peccatores coram Deo nimis.* Et 18. dicit Dominus: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est: peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam & videbo, &c.* Gregor. Nouitas tantæ & inauditæ turpitudinis quasi admirationem & dubitationem parit in audiente. Vndè Dominus quasi admirans & dubitans super tanto scelere, introducitur loquens: *Descendam & videbo, &c. Incredibile enim mihi videtur homines tantum flagitium perpetrasse.* Et nota quod de duobus peccatis, scilicet de homicidio & de vitio contra naturam, legitur clamor ascendisse ad Dominum: quia laborantes his duobus vitiis specialiter hostes Dei sunt & generis humani. Facto enim, etsi non verbo, dicunt ei: Masculum & fœminam creasti vt multiplicarentur: nos operam dabimus vt minuãtur. Vndè quasi parificatur homicidio vitium istud. Ad istum etiam primum modum pertinet quod legitur de Ioseph Gen. 37. *Accusauitque fratres suos apud patrem suum crimine pessimo,* id est, de vitio contra naturam, secundum vnam expositionem. Ad eundem modum pertinet illud verbum Aug. Adulterii malum fornicationem vincit, vincitur ab incestu: peius enim est cum matre, quàm cum aliena vxore dormire. Sed omnium horum pessimum est quod contra naturam fit: vt si vir membro mulieris non ad hoc concesso vtatur. Hoc execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in vxore. Vnde & Clemens Papa: Grauissime peccant fornicarii: id est, valde grauiter: grauius adulteri, cunctis his grauius incestuosi: quos omnes transcendunt contra naturam delinquentes. Secundò potest ostendi magnitudo huius peccati per vindictam iam sumptam à Domino de peccato isto. Prima autem vindicta huius peccati fuit diluuium. Inter alias causas enim diluuii ponit hoc Methodius, quod mulieres in vesaniam versæ supergressæ viris abutebantur, & quod exarserant homines in alterutrum coeuntes. Secunda fuit subuersio quinque ciuitatum. In qua vindicta attendendum est, quod Dominus non solum nocẽtes puniri voluit, sed innocentes, paruulos

Magnitudo peccat contra naturã valde detestabilis.

etiam vnius diei. In hoc prouisum est pueris, ne diutius viuentes sequerentur exempla patrum, & grauius damnarentur. Et etiam circumjacentes regiones puniri voluit: nec solum etiam homines, immò etiam animalia & terræ nascentia. Ipsam quoque terram destruxit, eam conuertendo in mare mortuum in quo nihil viuit, nec auis nec piscis. Etiam candela viua supernatans extincta mergitur, quasi igne infernali sumpta est ista vindicta. Nec potuit expectare ignis iste, donec cætera peccata punirentur. Vnde Greg. Gehennalis flamma moram non sustinens, Sodomorum præuenit tollere nationem, & ipsam terram tantæ confusionis conscientia consumpsit ignis sulphureus & spiritus procellarum, & in lacum horribilem solum omne redactum est. Et Genes. 19. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorum ignem & sulphur de cœlo, & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia. Respiciens etiam vxor Loth post se, versa est in statuam salis*, ad ostendendum quantum displiceat Deo memoria huius peccati. Tertia vindicta fuit de Onan, de quo legitur Genes. 38. quod semen fundebat in terram, & idcirco percussit eum Dominus, eo quod rem detestabilem faceret. Tertiò potest ostendi magnitudo huius vitij per pœnam huic peccato taxatam. Vnde Leuit. 20. *Qui dormierit cum masculo fœmineo coitu, vterque operatus est nefas: morte moriantur, sanguis eorum sit super eos.* Quartò per comminationem quam facit Deus huic peccato. Vnde Ioel 3. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo ibi cum eis.* Et subiungitur causa vna disceptationis: *quia posuerunt puerum in prostibulo.* Quintò potest ostendi per hoc quod Scriptura ita detestabiliter loquitur de peccato isto. Vnde ad Rom. 1. *Masculi in masculos turpitudinem operantes.* Non dicit aliquod turpe, sed ipsam turpitudinem vocat peccatum istud. Et ibidem: *Vt contumeliis afficerent corpora sua, &c. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Et Leuit. 18. *Cum masculo non commisceäris coitu fœmineo, quia abominatio est.* Et Symmachus dicit, quod ineffabile est & non debet homo loqui de peccato isto. Sextò, quòd multi antiqui inueniuntur non reputasse adulterium, vel stuprum respectu huius peccati. Genes. 19. dicit Loth Sodomitis: *Nolite, quæso, fratres mei, nolite hoc malum facere: habeo duas filias quæ nondum cognouerunt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis.* Et Iudic. 18. *Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam: educam eas ad vos, vt humilietis eas, & vestram libidinem impleatis: tantum hoc obsecro, vt scelus hoc contra naturam non operemini in virum.* Septimò, potest ostendi magnitudo huius vitij per hoc quod illud peccatum est adinuentio. Deus enim multum odit adinuentiones in peccatis. Vnde super illud Esa. *Visitabo super fructum adinuentionum vestrarum*: dicit Greg. Deus plus punit studia peccatorum, quàm peccata. Et in Psal. *Ibunt in adinuentionibus suis.* Item, *Corrupti sunt,* Ps. 80. *& abominabiles facti sunt in studiis suis.* Psa. 13. Octauò potest ostendi magnitudo huius vitij per multiplicem effectum ipsius. Hoc vitium fœdus inter nos & Deum rumpit. Genus humanum quantum in se, destruit hominem, iumento inferiorem reddit. Propter hoc vitium filius Dei desiit incarnari, vt dicit autoritas. Ad primum pertinet quod dicit Augustinus: Hoc vitio violatur societas, quæ nobis cum Deo esse dicitur, dum natura, cuius ipse auctor est, peruersitate libidinis polluitur. Sicut aliquis quum alius deteriorauit sibi rem suam; dicit: vestra sit. Sic Deus illum quem ipse fecit hominem masculum, quum videt quod ipse fecerit se fœminam, non reputat creaturam suam. Secundum vero planum est. Tertium verò potest osten-

di per hoc, quod ille qui peccat peccato isto, non obseruat legem: quam etiam bruta animalia obseruant. Aliæ species Luxuriæ iumento assimilant hominem, sed hæc inferiorem reddit. Ideóque Sodoma bene muta interpretatur: quia hoc peccatum reddet homines mutos in die iudicij. Non poterunt enim excusare se per ignorantiam, quum ipsa natura legem docuerit ipsa bruta animalia, quam isti transgrediuntur.

Caput IV.

De incestu, cuius peccati magnitudo quatuor modis ostenditur.

SEquitur de Incestu, cuius peccati magnitudo potest ostendi. Primò per pœnam taxatam huic peccato in lege. Postquam enim Dominus prohibuit incestum & peccatum contra naturam. Leui. 18. subiungitur: *Omnis anima, quæ fecerit de abominationibus his quippiam, peribit de medio populi sui.* Et eiusdem 30. taxatur pœna eadem huic peccato. Secundò potest ostendi per hoc, quod Apostolus tradidit Satanæ cruciandum illum fornicatorem, qui cum nouerca sua peccauerat: secundum quod legitur 1. ad Cor. 5. Tertiò potest idem ostendi per mala, quæ ex hoc peccato sequuntur: vnde legitur 2. Reg. 12. quod Amon qui sororem suam corruperat, interfectus est à fratre suo Absalon. Nisi homines ab hoc peccato cauerent sibi, sequerentur inde non solum odia & homicidia, sed etiam fratricidia. Quartò potest ostendi per hoc, quod peccatum istud hominem quasi canem reddit. Canis enim in opere illo non obseruat consanguinitatem.

Caput V.

De adulterio & speciebus eius, cuius magnitudo in septem ostenditur.

SEquitur de adulterio quod diuiditur in duas species; scilicet in simplex adulterium, quod est cum vxoratus peccat cum soluta, & econuerso. Et in adulterium duplex, quod est cum vxoratus peccat cum vxore alterius. Septem autem sunt, per quæ potest ostendi magnitudo huius peccati. Primò per hoc quod est contrarium Sacramento matrimonij, quod ipse Deus instituit & in paradiso, & in statu innocentiæ. Vnde non fit contumelia tanto Sacramento absque magna contumelia Dei. Secundò per hoc quod est contrarium iuri naturali. Vnum enim ex præceptis iuris naturalis est hoc. *Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris.* Hoc nullo modo vellet aliquis sibi fieri, vt quis cum vxore sua peccaret. Multi sunt qui potius permitterent se interfici, vel exhæredari, quàm hoc sustinerent. Ius ergo naturale dicit homini, quod hoc nullo modo debeat facere alij quod ab eo odit sibi fieri. Tertiò potest ostendi per hoc, quod prohibitio adulterij in Decalogo immediatè ponitur post prohibitionem homicidij & ante prohibitionem furti. Vnde Clemens Papa: Quid in omnibus peccatis adulterio grauius? Secundum enim in pœnis tenet locum: id est, in prohibitionibus. Homicidio quodammodo assimilatur adulterium. Cum enim vir & mulier sint vna caro: qui aufert vxorem suam alicui, idem est ac si seipsum ei auferret. Exuperat autem istud peccatum omne furtum: quia quod aufertur, cum sit creatura rationalis, melius est quacunque terrena substantia. Quartò potest idem ostendi per legem, quæ habetur Leu. 10. vbi sic dicitur: *Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum vxore proximi sui, morte moriatur: moriatur & mœchus & adultera.* Eadem pœna punitur hoc peccatum secundum leges mundanas, nec recipitur aliqua redemptio. Quintò ostenditur idem per hoc, quod legitur Dominus dixisse Dauid cum adulteratus esset, 2. Reg. 12. *Non recedet*, ait,

gladius de domo tua vsque in sempiternum, eo quod despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi. Sextò potest ostendi per mala quæ inde sequuntur. Sequuntur autem ex hoc peccato exhæredationes filiorum. Vnde Ecclesiast. 22. *Mulier relinquens virum suum, peccabit: statuens hæreditatem ex alieno matrimonio* Sequuntur etiam inde homicidia. Vnde Dauid cum in adulterium cecidesset, fecit interfici fidelem militem suum. Sequitur etiam inde multotiens, vt scilicet quis cognoscat filiam patris sui, vel eius vxorem, ignorans quis sit pater eius. Septimò potest ostendi magnitudo huius peccati per iudicium zelotypiæ. De quo Num. 5. *Si declinasti à viro tuo atque polluta es, & concubuisti cum altero viro, his maledictionibus subiacebis. Det te Dominus in maledictionem exemplumque cunctorum in populo. Putrefacere faciat femur tuum, & tumens vterus tuus dirumpatur, &c.* Et Ezech. 33. *Vnusquisque vxorem proximi sui polluit: & hæreditate terram possidebitis?*

Capvt VI.

De Stupro, cuius peccati magnitudo ostenditur.

SEquitur de stupro, quod est illicita defloratio virginum. Cuius peccati magnitudo ostendi potest. Primò ex hoc quod Sichen filius Emor, qui Dinam filiam Iacob deflorauit, interfectus est hac de causa cum patre suo & toto populo vrbis suæ: vt legitur Gen. 34. Secundò potest idem ostendi per hoc quod idem peccatum aufert virginitatem, cui debetur fructus centesimus: cum coniugatis debeatur solum tricesimus, viduis solum sexagesimus. Satis deteriorat terram, qui facit vt non possit reddere nisi sexagesimum fructum, vel tricesimum, cum prius redderet centesimum. Qui illicite deflorat aliquam, aliquando est occasio mille fornicationum quas ipsa faciet postea. Sicut ille qui primò rumpit clausulã vineæ; occasio est illius damni quod faciunt qui postea intrant, qui aliter non intrassent. Et aufert ei quandoque quod numquam de cætero maritum habebit. Ad detestationẽ etiam huius peccati facit quod bonum quod ipse aufert, scilicet virginitatis bonum, est irrecuperabile & irrecompensabile. Votum virginitatis non recipit dispensationem, quia nec recõpensationem. Virginitas amissa, bonum irrecuperabile, neç admittit dispensationẽ.

Capvt VII.

De simplici Fornicatione.

AD simplicis Fornicationis detestationem sufficere possunt quæ dicta sunt de luxuria generaliter. Addere tamen hoc possumus, quod hoc peccatum est detestabilius etiam homicidio, vel rapina, in hoc quod illa non sunt consubstantialiter mala, potest enim aliquis velle occidere aliquem meritorie, sicut iudex amore iustitiæ. Et aliquis potest accipere alienum iu summa necessitate: sed nullus potest fornicari scienter, quin mortaliter peccet. Ponamus quod aliquis malum non cogitauerit, nec dixerit, nec fecerit, & omnia egerit bona quæ excogitari possunt, & semel tantum fornicatur, & sic decedit absque pœnitentia, ex necessitate damnabitur. Si omnes Missæ, quæ vsque ad finem mundi celebrabuntur ab Ecclesia, pro eo celebrarentur, non liberarent eum à morte æterna. Ad detestationem etiam istius peccati facit quod legitur Num. 25. quod cum esset fornicatus populus Israël cum filiabus Moab, iussit Dominus cunctos principes populi suspendi in patibulis contra solem. Et occisi sunt de populo 24. millia hominum. Et Phinees qui interfecit Zambri coëuntem cum Madianitide sacerdotium sempiternum meruit, & iram Dei

Fornicatio homicidio & rapina peior.

à populo diuertit. Et licet fornicatio genus sit omnis illiciti coïtus, qui fit extra vxorem: tamen specialiter intelligitur in vsu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum.

De peccato meretricum

AD detestationem huius fornicationis, quæ fit cum meretricibus, facit hoc, quod quando aliquis se credit cum talibus peccare simplici fornicatione, ipse quandoque commisit adulterium vel incestum. Sæpe enim tales mulieres coniugatæ sunt, & forsitan à consanguineis eius qui peccant cum eis cognitæ. Vnde committit se qui cum talibus peccat magno discrimini. Et licet non sunt coniugatæ vel affines ei, ipsæ tamen æquè peccant ac si forent: ex quo æqualis est contemptus. Ad detestationem verò illius fornicationis, quæ fit cum viduis, facit hoc quod peccans cum talibus aufert eis honorem. Ad detestationem verò eius, quæ fit cum concubina, facit hoc, quod talis fornicatio fit cum scandalo proximi.

De raptu.

Est autem alia species luxuriæ præter prædictas, quæ Raptus dicitur. Est autem raptus, cum puella violenter à domo patris ducitur, vt corrupta in vxorem habeatur, siue puellæ, siue parentibus vis illata constiterit. Hoc peccatum tantum est, quod morte punitur.

CAPVT VIII.

De alia diuisione Luxuriæ. Et primò de Luxuria clericorum.

Ecclesiasticorum luxus.

TErtio modo potest diuidi peccatum Luxurię secundum diuersitatem subiectorum, in quibus est, vt diuidatur in luxuriam laïcorum, clericorum, & religiosarum personarum. De luxuria verò laïcorum nihil aliud demus quàm de luxuria in genere dictum sit. Sed de aliis duabus speciebus dicemus, quia grauius est peccatũ illud in clericis religiosis personis: & aliter ponderandũ est in eis, quàm in laïcis. Vnde pondus sanctuarij maius erat cæteris ponderibus mercatorum & ciuium, ad designandum quod aliter ponderanda sunt peccata laicorum & peccata eorum, qui sancti deberent esse, quibus dicitur in Esa. *Mundamini qui fertis vasa Domini.*

Quæ aggrauant peccatum carnis in clericis.

SEptem autem sunt quæ aggrauant peccatum carnis in clericis in sacris ordinibus constitutis. Primum est, voti fráctio, & est ista circunstantia valde aggrauans peccatum: quod satis apparebit, si aliquis attendat quàm pretiosum sit quod talis aufert Deo, & quod res sancta sit. Hæ duæ circunstantiæ aggrauare solent peccatum rapinæ, pretiositas rei quæ rapitur, quia magis damnificatur proximus: & sanctitas ipsius, quia tunc non est solum furtum, imò etiam sacrilegium. Castitas verò quam iste promisit Deo cum sacros ordines suscepit, quam Deo aufert cum fornicatur, res irrecompensabilis est. Vnde Ecclesiast. 26. *Omnis ponderatio non est digna animæ continentis* Res etiam sancta est, cum sit Deo oblata. Vnde contrectatio eius inuito Domino facta est sacrilegium. Secundum est scandalum & derisio populi. Vnde Hieronym. Clericus aut honestior est ceteris, aut aliis est fabula. Tertium est scientia, vnde Gregor. Vbi maius est scientiæ donum, transgressor maiori subiacet culpæ. Quartum est hoc, quod ad seruitium Dei assumpti sunt. Sicut enim qui fornicatur in Ecclesia, magis peccat quam qui fornicatur in domo cõmuni, eo quod Ecclesia sit Dei seruitio deputata; sic maius est peccatum luxuriæ in clericis qui sunt Dei seruitio deputati, quàm in laicis. Quartum est, quod ipsi sunt de

familia

familia Dei, & eius expensis viuunt & vestiuntur: proditores enim sunt quando illum impugnant, de cuius bonis viuunt & vestiuntur. Et Dei contumelia etiam maior est: quia à suis contemnitur, vndè in Psal. *Si inimicus meus maledixisset mihi, &c.* Sextum est hoc, quod ipsi decipiunt populum, qui dat eis eleemosynas, vt ipsius peccata deleant orando, & gratiam impetrant sanctitate vitæ suæ: quod ipsi non faciunt, quia secundum Greg. cum indignus ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Bernard. Qui ambulant in carne, Deo placere non possunt; & placere velle præsumunt. Septimum est, dignitas officii ad quod ordinati sunt, quod specialiter pertinet ad sacerdotes. Sicut enim grauiter peccaret qui calicem benedictum in lutum proiiceret, vel aliter macularet, eo quod ad continendum Dominicum sanguinem sit deputatus: sic sacerdos valde peccat grauiter, qui ad suscipiendum Dominicum corpus & sanguinem ordinatum est, quando peccato carnis se maculat. Et sicut etiam ille grauius peccaret, qui in calice inquinato manente immunditia in eo sanguinem Domini poneret: sic valde grauiter peccat ille, qui fœtore luxuriæ inquinatus antequam ab immunditia illa se abluerit, corpus & sanguinem Domini sumere præsumit. De quo Ambrosius. Qui indigne Christum sumit, idem est ac si interficiat, & Augustinus super illud ad Hebr. 10. Irritam qui faciens legẽ Moysi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit? Conculcat Christum qui liberè peccat, & absque timore, & qui eo indigne participat.

Quod peccatum Luxuriæ valde indecens sit in sacerdote.

Secunda Pars.

Nota quod peccatum Luxuriæ valde indecens est in sacerdote. Et hoc quinque de causis. Et quia homo, & quia Dei minister, & quia Angelus, & quia plusquam Angelus in aliquo, & quia videtur Deus, vicem enim Dei tenet. Ad primum enim facit illud Senecæ. Voluptas nihil habet magnificum, nihil quod naturam Deo proximum deceat ministerio membrorum vilium ac turpium veniens. Appetitus fornicantis est brutalis. Concupiscentia brutorum visio delectabili tam cito accenditur, & non habet in potestate sua vt eam temperet vel extingat. Sic fornicator vult appetitum suum implere quantumcunque malum inde sibi accidere debeat. Ad secundum nota quod si diuites huius seculi tantum amant munditiam in eis qui sibi seruiunt cibum præparando, quid ille in quo legitur in Cant. *Qui pascitur inter lilia*: id est puritate delectatur. August. Melius est spiritualia penitus omitti quàm impure tractari, vel tangi. In Ecclesiasticis officiis Dominus non frequentiam ministrorum, sed deuotionem probat animorum. Ad tertium pertinet quod legitur in Malach. 3. cap. *Labia sacerdoris custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est:* plus est etiam quam Angelus, quantum ad dignitatem sacerdotalem, quam non credimus angelis esse concessam. Non enim si proferret angelus verba illa: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*: fieret transsubstantiatio: quia non habet ordinem qui ad hoc exigitur. Nec angelis legimus dictum esse. *Quorum remiseritis peccata, remissa sunt*: vt legitur discipulis dictum Ioan. penul. Hoc tamen verbum sanè intelligendũ est. Est etiam vt Deus. Vnde super illud Matth. 16. *Vos autem quem me esse dicitis?* dicit Gloss. interlin. *vos ab alijs discreti non homines, sed dij.* Et in Leu. *Dijs non detrahes: & principi populi tui non maledices.* Et quale est hoc, quod ille amat vt porcus qui est vt Deus.

Caput IX.

De peccato carnis in personis religiosis, cuius magnitudo peccati sex modis probatur.

Consequenter ostendendum est quomodo aggrauetur peccatum carnis in religiosis personis. Et primò ostendemus hoc generaliter in quibuscunque religiosis personis, deinde specialiter in sanctimonialibus. Et nota, quod septem circunstantiæ aggrauantes peccatum clericorum, qui sunt in sacris ordinibus constituit, possunt similiter ad peccata religiosarum personarum referri. Sed causa breuitatis de hoc ad præsens dimittimus. Sex autem sunt per quæ ostendi potest, quantum aggrauetur hoc peccatum in religiosis. Primum est hoc,
1 quod Moyses narrat Genes. 6. tanquam causam diluuij, *Cum cœpissent*, inquit, *homines multiplicari super terram, & filios procreassent: videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt vxores sibi ex omnibus quas elegerant.* Si enim displicuit tantum Deo, quod filij Dei filias hominum in vxores acceperunt, quantum credendum est displicere Deo cum filij Dei cum filiabus hominum fornicantur? Secundum est, quod cœtus re-
2. ligiosorum nobilior pars est in corpore Christi, scilicet Ecclesia: vnde per faciem intelligitur, & ideò sponso Ecclesiæ maximè displicet macula in eis: vnde ipse dicit in Cantic. sponsæ: *Ostende mihi faciem tuam.* Qui magnam alicui vult facere contumeliam maculat ei faciem. Vndè Iudæi in faciem Christi expuerunt vt contumelia maior esset. Sic Christo contumeliam magnam faciunt, qui faciem sponsæ pro qua abluenda faciem propriam sputis Iudæorum exposuit, maculant vel in se vel in aliis. Tertium est hoc,
3. quod peccatum carnis in religiosis apostasia est. Si enim qui habitum religionis deserit, apostata iudicatur: cùm castitas magis substantialis sit religioni, quàm habitus: qui castitatem deserit, apostata est. Vndè de tali verum est, quod legitur Prouer. 6. *Homo apostata vir inutilis.* Nec quantum ad Deum vtilis est, quicquid enim facit in claustro, non valet ei ad meritum vitæ æternæ. Et quod homines inutilis est, cum eis sit scandalo & derisioni. Quartum est hoc, quod diabolus 4
studet & laborat vt religiosos faciat cadere, præcipuè in peccatum carnis. Vnde Eccl. 13. *Venatio leonis onager in eremo.* Leo est diabolus, cuius venatio est monachus in eremo claustri. Diabolus est quasi secator, cibos inusitatos quærens. Vndè Habac. 3. *Incrassata est pars eius, & cibus eius electus.* Quantum placeat diabolo peccatum carnis in religiosis, potest ostendi ex hoc, quod legitur in dialogo Gregorii, quod Andræas Fundanæ ciuitatis Episcopus, cum vitam virtutibus multis plenam duceret & continentem, quandam monialem, quam secum prius habuerat, noluit ab Episcopi sui cura repellere, certus de sui & eius continentia. Sed hostis eius cœpit speciem oculis eius imprimere, aditum tentationis exquirens. Quadam verò die Iudæus quidam de Campania Appiam tendens cum iam esset nox, nesciens quo declinaret, iuxta Apollinis templum se contulit. Nocte verò media dum præ timore vigilaret, vidit malignorum spirituum turbam in Ecclesiam aduenire, quorum princeps discutere cœpit quid egissent. Et post multum venit vnus, qui in Andreæ animum per speciem sanctimonialis quandam tentationem carnis commouisse aperuit. Cum verò malignus spiritus, qui præerat, inhianter audiret, adiunxit, quod ad hoc peruenit tentatio, vt die præterito in terga eiusdem sanctimonialis fœminæ alapam daret. Tunc blandè exhortatus est eum, vt perficeret, quod cœperat, vt singularem palmam teneret. Tunc Iudæus accedens ad Episcopum, diligen-

Pecc… carn… in r… gioi… diab… neq… ter… cet.

ter ab eo, licet hoc celare vellet, extorsit. Quem Episcopus ad fidem monuit, & baptizauit. Ad idem facit, quod legitur in Vitis Patrum, quod dicebat quidam Thebeus senex, quod filius fuisset sacerdotis idolorum. Et cum quadam die videret patrem suum in templo sacrificantem idolis, vidit & sathanam cum malitia sua astantem. Quem cum singuli dæmones adorassent, retulerunt facta nequitiæ suæ. Vnus ait: Per xxx. dies homines vnius prouinciæ plurimos occidi. Alius dixit, per xxx. dies plurimos se submersisse in mari. Alius per se decem dies interfuisse nuptiis, & sponsum & sponsam occidisse, & multam effusionem sanguinis incitasse. Hoc audito omnes sathan flagellari iussit. Tandem vnus ait, per xl. annos incitasse quendam monachum in eremo ad peccandum, & illa nocte compulisse eum fornicari. Tunc surgens & osculans eum imposuit ei coronam quam habebat, dicens, quid maximum fecisse. Quintum est hoc, quod Dominus legitur ita grauiter puniuisse peccata illa, quæ in claustris sunt commissa. Primum claustrū fuit in cœlo in quo ipse Deus abbas fuit: in quo quidem conspirationem fecerunt, & absque spe veniæ damnati sunt. Secundum claustrum fuit in terrestri paradiso, in quo qui inobedientes fuerunt, de paradiso expulsi & morte cum tota successione sua damnati sunt. Tertium claustrum fuit in principio Ecclesiæ, in quo Petrus fuit abbas, in qua qui proprietarii esse voluerunt, morte subitanea petierunt. Causa autem quare peccatum in claustro commissum adeò Deo displiceat, potest esse duplex. Vna tangitur Esa 26. vbi sic legitur: *In terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam* Dei. Multum displicet Deo, quod diaboli filius locum occupet, in quo deberet esse vir sanctus. Secunda causa est: quia claustrales debent esse serui Domini, propriè proprii. Vndè valde magnam contumeliam reputat sibi hoc Deus, quum a talibus se contemni

[Peccata in claustris cōmissa horrendè à Deo punita.]

[Causa duplex. 1. 2.]

videt. Sextum est hoc, quod vita claustralis est angelica vita. Imitari enim debet angelicam vitam in puritate per castitatem. In carne enim præter carnem viuere, non humanæ est naturæ, sed virtutis angelicæ. Et in charitatis feruore vsque ad omnium communionem. Et in persecutione obedientiæ: vt sicut in cœlo, sic ibi voluntas Dei perfectè fiat. Claustralis ergo angelus est: Ergo vel malus vel bonus. Si malus est, diabolus est vel dæmon. Nihil enim aliud est malus angelus, quam diabolus. Et sic claustrales luxuriosi sunt dæmones incubi. Hieron. Professis Christianæ religionis militiam, nihil est medium inter angelos & dæmones. Aut enim erunt angelis æquales, aut dæmonibus non impares. In claustralibus videtur hoc peccatum maximum esse & indecens: quia spiritualissimi deberent esse. Et hoc peccatum præ cæteris carnales eos reddit. Efficitur enim in hoc peccato homo totus caro. Macula enim intolerabilis est in oculo, quæ parum grauaret in alio membro. Viri enim contemplatiui sunt vt oculus.

De peccato carnis in Monialibus.

Sequitur de peccato carnis in sanctimonialibus. Quod adeò graue est, quod non est sola fornicatio, imò est ibi adulterium, & incestus, & stuprum, & quasi peccatum contra naturam. Adulterium est ibi, quum fit accessio ad sponsam Christi. Et valde est graue genus adulterii, si attendatur, quod desponsata sit Altissimo: quanto enim mobilior est cui desponsata est, tanto maior est contumelia. Ipsi enim est desponsata cui angeli deseruiunt. Attendere etiam debet qui eam solicitat, quod sponsa est Domini sui. Vnde cum peccato adulterii, erit ibi crimen proditionis. Hoc autem attendebat Ioseph, qui dominæ suæ dicenti sibi: Dormi mecum: dixit Gen. 39. *Quomodo possum facere hoc malum, & peccare in Dominum meum?* Attendere etiam de-

bet, quod sponsa ista est adeò dilecta à Domino suo, quod inclusit eam. *Oblita est populum suum & domum patris sui, vnde concupiuit Rex decorem eius.* Iuxta verbum Psal. Ad hoc adulterium specialiter potest referri, quod legitur Prouerb. 6. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ.* Stuprum etiam, id est, illicita defloratio virginis, frequenter est ibi. Incestus etiam & valde graue genus incestus: quia cum vxore patris. Vndè ad hoc potest referri, quod legitur 1. Corinth. 5. *Auditur inter vos fornicatio & talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat.* Ad idem potest referri, quod legitur Genes. penult. *Ruben effusus es sicut aqua, non crescas, quoniam ascendisti cubile patris tui; & maculasti stratum eius.* Est etiam quodammodo ibi vitium contra naturam, quũm fornicatur cum mortua, & iam sudario inuoluta. Religiosæ personæ, quæ perfectè ordinem suum seruant, continue sudarium suum ferunt, quia in habitu suo sepeliuntur.

PARS TERTIA, QVÆ habet septem capitula.

De his quæ dant occasionem peccato Luxuriæ.

CAPVT I.

De incitamentis Luxuriæ. Et primò de otio, & indiscreta sumptione cibi & potus.

DIcto de his, quæ faciunt ad detestationẽ Luxuriæ, & de speciebus eius dicendum est de his, quæ præstant occasionem huic peccato. Quæ sunt octo, scilicet, otium, indiscreta sumptio cibi & potus, exhortatio vetularum vel aliarum personarum, quæ consiliatrices sunt turpitudinis, & prauum exemplum, aspectus mulierum, colloquium, auditus cantilenarum amatoriarum, vel instrumentorum musicorum & turpiloquiorum, & tactus. Quod otium det occasionem huic peccato: patet ex scriptis ethnicorum, & etiam ex sacra Scriptura. Vndè Poëta: Quæritur, Ægysthus quare sit factus adulter? In promptu causa est, desidiosus erat. Et Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ: superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium.* De indiscreta sumptione cibi & potus, quomodo sit causa luxuriæ, satis dictum est, vbi de vitio gulæ supra in principio diximus. Dicit etiam Hieron. quod difficile inter epulas seruatur pudicitia. Et Bernard. Periclitatur castitas in deliciis. Item Hier. Pro membrorum ordine ordo vitiorum est. Hinc dicitur, quod membra generationi deputata seruiant peccato.

CAPVT II.

De peccato vetularum turpitudinem consulentium.

MVlta autem sunt, per quæ potest ostendi magnitudo huius peccati. Primùm est hoc, quod peccatum istud est diabolicum. Opus enim diaboli est operam dare, vt hominem deiiciat in peccatum. Sic studium vetularum talium est, vt mulieres inclinent ad peccatum. Nec habent de illo peccato quandóque nisi fœtorem & potum vnum vini. Vnde Ioel 3. *Puellam vendiderunt pro vino, & biberunt.* Secundùm est hoc, quod opus earum magis est noxium quam opus diaboli. Vbi enim nec homo nec diabolus possunt aliquid facere per se, ibi facit vetula. Vndè posset rectè dici diabola, eo quod in peccato diabolo assimiletur. A peccato enim habet diabolus, quod sit diabolus, qui est à creatione angelus. Posset etiam dici satan, quod interpretatur aduersator. Efficacius enim aduersatur saluti eius quam mouet ad malum, quàm ipse diabolus. Tertium per quod potest ostendi magnitudo huius peccati, est pœna serpenti à

Domino inflicta. Serpens enim quem diabolus sibi elegit, vt per eum mulierem deiiceret, eo quod mulieri assimilaretur (erectus enim tunc erat, & secundùm Bedam, vultum virgineum habens) significat rectè has vetulas, quas diabolus elegit, ad alias mulieres deiiciendas, eo quod sint eis similes. Licet autem serpens, tanquam creatura irrationalis, non intellexerit quid fecerit, tamen in tribus punitus est, cùm mulier in duobus punita sit tantùm, & vir tantùm in vno. Vir etiam qui in solo esu peccauit, in labore quærendo sibi edulium punitus est. Vnde dictum est ei: *Maledicta terra in opere tuo, &c.* Mulier superbiuit, & in fructu peccauit: ideò Deus eam humiliauit, dicens, *Sub viri potestate eris.* Et in fructu eius puniuit eam, dicens: *In dolore paries.* Serpens verò, quia hominem deiecit, prostratus est, quum prius erectus incederet. Vnde dictum est ei: *Super pectus tuum gradieris.* Quia habuit in ore mendacium, ideò in ore eius positum est venenum. Et in cibo punitus est. Vnde dictum est ei: *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Quia mulierem decepit, ideò dictum est ei: *Inimicitias ponam inter te & mulierem.* Et post: *Ipsa conteret caput tuum.* Et est argumentum quod mulieres sanctæ multùm debent odio habere tales vetulas, non naturam, sed vitium earum. Et nisi se correxerint, procurare eo modo quo secundum Deum poterunt, vt à vicinia sua expellant eas. Qualiter ergo punientur vetulæ, quæ intelligunt peccata quæ faciunt, si sic serpens punitus est, qui non intellexit? Sicut serpens in ore punitus est, sic punientur & ipsæ. Et quia vinum pro peccato quod faciunt bibunt, fel draconum erit vinum earum, & venenum aspidum insanabile. Ipsis etiam dicetur: Non terram comedes, sed carbones comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Et quia se plancam vel pontem diabolo fecerunt, vt per eas ad mulieres diabolus transiret, ipsæ prostratæ conculcabuntur, & vadent super eas horribiles, vt ait Iob. Quartum est, quod legitur Ecclesiast. 28. de lingua tertia, vbi sic habetur: *Mulieres fortes deiecit:* vel mulieres viratas, secundùm aliam litteram, vel etiam maritatas. Et quibusdam interpositis, subiungitur: *Et vtilis potius inferus quàm illa.* Ignis infernalis non exurit, nisi illos qui adducuntur, & qui hoc meruerunt: sed lingua tertia iniustissimè vrit igne peccati, etiam illos qui sibi nihil nocuerunt. Quintum est hoc, quod vetula talis se habet, sicut lingua in corpore diaboli, quod est congregatio malorum: Ex quo satis potest ostendi, quod multa malitia sit in huiusmodi mulieribus. *Si enim tantum est malitiæ in lingua vnius hominis*, vt habetur in Canone Iac. 3. *quantum credenda est habere malitiæ lingua diaboli?* De lingua hominis dicit Iacob. *Lingua nostra ignis est, vniuersitas iniquitatis.* Et post, *quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna.* Et iterùm: *Lingua ist inquietum malum, plena veneno mortifero*, quæ de lingua diaboli verissimè possunt dici, scilicet de vetula. Prætereà cùm diabolus vt faber sit, iuxta illud Esa. 55. *Ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas*. Et iuxta illud Iob. 41. *Halitus eius prunas ardere facit.* Vetulæ istæ sunt vt folles ipsius. Attestatur autem nigredo vetularum huic officio. Ipsæ etiam vetulæ sunt quasi laruæ, sub quibus diabolus, & in quibus operatur. Si enim se manifestaret in propria forma, horrorem mulieribus incuteret. Ipsæ etiam reæ sunt proditionis apud Deum: cuius castra explorant, & procurant, vt diabolo tradantur. Præterea, quum Christus in tempore Passionis laborauerit vsque ad sudorem sanguineum, & tantum dolorem sustinuerit, quod non fuit dolor sicut dolor eius, & tantum expenderit. Ibi enim fractum est alabastrum, & vnguentum misericordiæ effusum in tanta

Vetulæ incantatrices lingua & folles diaboli.

abundantia, quod eam senserunt cælum & terra, & infernus: vnicam tamen animam, scilicet latronis lucratus est ibi. Ex quo satis patet, quantum peccent hæ vetulæ, etiamsi non auferrent, nisi vnam animam Deo in tota vita sua, cùm tale damnum faciant ei, qualė lucrum fecit in cruce. Item, si prædicator vnus non lucraretur in tota vita sua, nisi vnicam animam, multùm faceret, quum vna anima plus valeat, quàm omnes diuitiæ huius mundi. Igitur si aliqua vetula toto tempore vitæ suæ nullum aliud malum faceret, nec corde, nec ore, nec opere, nisi quod vnam animam Deo auferret, nimis esset. Item si aliquis vendidisset vnum de vicinis suis comedendo & bibendo cum eo aliquibus, qui eum corporaliter iugularent, valdè malus iudicaretur: vel si quis ad tantam malitiam peruenisset, quòd pro duodecim denariis hominem vnum corporaliter interficeret. Quàm mala ergo iudicanda est, quæ tot mulieres vendit ad interficiendum eas spiritualiter: comedendo & bibendo cum eis? Et quæ non pro duodecim denariis, sed pro potu vno vini, interdum in mortem vnius animæ consentit? Præterea incendiarij qui furtim domos & aceruos manipulorum incendunt in guerris, peiores cæteris reputantur, & maximè sunt exosi. Vetulæ autem incendiariæ sunt. Luxuriam enim, quæ ignis est vsque ad consumptionem deuorans, vt legitur Iob. 31. in cordibus hominum ponunt. Nec parcunt etiam templis: fideles enim templa sunt Deo, in baptismo dedicata. Item si nullum tale sacrificium est Deo, vt zelus animarum, nullum tale sacrificium est diabolo, vt perditio earum, & nihil sic Deo displicet. Vetulæ tales videntur propriè esse de familia diaboli. Et sicut voluit Christus, vt super Apostolos apparerent linguæ igneæ, ad ostendendum, quod officium eorum erat verbis corda hominum igne cælesti inflammare: sic diabolus, si vellet officium istarum vetularum hominibus ostendere, linguas igneas, igne fœtido inferni faceret super eas apparere.

Capvt III.

De malo exemplo, per quod excitatur Luxuria.

Malum exemplum licet vniuersaliter multum timendum sit, præcipuè tamen exemplum huius peccati: quia in membris generationi deputatis, maximè sæuit concupiscentia. Vnde summo studio vitanda sunt vbi fornicarij conuersantur, quia non accideret de facili quod aliquis videret aliquos fornicari quin tentaretur. Vnde Eccles. 19. *Qui se coniungit fornicariis, erit nequam.* Et Apostolus 1. Cor. 5. loquens de Corinthio fornicatore. *Nescitis quia modicum fermenti totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum.* Et Senec. Vnum exemplum auaritiæ vel luxuriæ multùm mali facit. Etiam cum eis qui sunt in matrimonio non est tutum habitare illis, qui virginitatem vel castitatem volunt seruare. Forn[icariorum] cōgre[s]sus vi[tandus].

Capvt IV.

De aspectu mulierum, qui valdè timendus est.

Aspectus mulierum valdè timendus est, vt potest ostendi & authoritatibus & exemplis & rationibus. Authoritatibus. Vnde super illud Gen. 3. *vidit mulier, &c.* Greg. Non licet intueri quod non licet concupisci. Item Gregor. Pensandum est quantùm visum debemus restringere, qui mortaliter viuimus, si mater viuentium per oculos ad mortem venit. Et Eccl. 9. *Virginem ne conspicias, ne* Visus quātū, & cur restrin gendus.

fortè scandaliZeris in decore eius. Et post: *Auerte faciem tuam a muliere compta.* Exẽplis potest idem ostendi. Vnde Genes. 34. *Cùm vidisset Dinam Sichem filius Emor Euæhi, princeps terræ illius adamauit illam, & rapuit.* Et Genes. 39. Iniecit domina oculos suos in Ioseph, & ait, *Dormi mecum.* & 2. Reg. 11. *vidit Dauid Bersabee lauantem se ex aduerso super solarium suum. Erat tunc mulier pulchra valdè.* & subiungitur: *Missis itaque Dauid nuntijs tulit eam.* Et de Iudith. 16. legitur: *Colligauit cincinnos suos mitra ad decipiendum eum. Sandalia eius rapuerunt oculos eius. Pulchritudo eius captiuam fecit animam eius.* Cincinnos vocat capillos in serie vna congregatos. Multis etiam rationibus potest ostendi, quod valdè timendus sit nobis aspectus mulierum. Quarum quædam sumuntur ex parte mulierum, & aliæ ex parte oculorum. Ex parte mulierum sumere possumus tres rationes, ad hoc ostendendum. Prima est hæc, quod à planta pedis vsque ad verticem, non est locus in mulieribus, in quo non sit positus laqueus ad capiendum oculos. Quod satis innuitur Iudith. 16. Dicitur ibi, *Colligauit, &c.* vt suprà, ecce laqueus in vertice. *Sandalia eius rapuerunt oculos eius:* ecce laqueus in pedibus. Et Ecclesiast. 7. *Inueni mulierem amariorem morte, quæ laqueus est venatorum, & sagena cor eius.* Vincula sunt manus eius. Hoc dicitur, vt qui in manibus eius tenetur, sciat se esse in vinculis diaboli. Et Prouerb. 7. *Ecce occurit mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas.* Notandum quod diabolus excoriat mulieres, pellem honestæ conuersationis ab eis remouendo ad miluos, id est, ad luxuriosos capiendos, qui sint animalia ignobilia, quæ ad extra volant. Ad idem solent canes vel murilegi excoriari. Mirum est quomodo hoc toleratur inter fideles, quod mulieres sic præparent se ad interfectionem animarum. Si quis faceret foueam in via, & eam cooperiret non toleraretur: Fouea autem profunda est meretrix: vt legitur in Prouerb. 23. Item Ecclesiast. 9. *Non respicias mulierem multiuolam, ne fortè incidas in laqueos eius.* Secunda ratio, quare aspectus mulierum sit timendus, est hæc, quod mulieres in aspicientibus se solo visu ignem infernalem succendunt, etiam à remotis. Vnde Eccl. 9. *Ne circumspecias speciem alienam.* Propter speciem mulieris perierunt multi. Et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Tertia ratio est, quia non est aliqua pars in eis qua quasi gladio non vtantur, in necem se aspicientium. Hieronym. Gladius igneus est species mulieris, quasi ex omni parte sui sagitas mittens. Ad quam sagittationem pertinet quod legitur Prouerb. 7. *Donec transfigat sagitta iecur eius.* Et paulò post: *Multos vulneratos deiecit.* Non est hoc mirum si multos interficiat, cùm densescat multitudine telorum, sicut porcus, qui dicitur spinaticus multitudine spinarum.

Mulierũ species gladius igneus

Quod oculi dant occasionem sæpe peccato Luxuriæ.

EX parte verò oculorum possunt sumi septem rationes. Prima est quod oculi sunt valdè veloces ad nocendum animæ. Ideo prædonibus comparantur. Thr. 4. *Oculus deprædatus est animam meam.* Prædones timentur multùm propter sui velocitatem. Ad idem pertinet quod dicit Greg. super illud Genes. 3. Vidit mulier, &c. Deprimendi sunt oculi à lasciuia suæ voluptatis, quasi quidam raptores ad culpam. Non enim Heua lignum contigisset, nisi priùs incautè respexisset. Secundò, timendi sunt oculi, quia à remotiori nocent gustus & tactus sunt eorum quæ sunt immediata: sed visus non sic propter hanc causam multùm timentur balistarii &, sagittarii. Tertiò, quia oculi contra nos multis armis vtuntur. Plures enim differentias rerum nobis ostendit visus, quàm cæteri sensus. Sensus iste ministrat materiam tentandi nobis, &

quantum ad concupiſcentiam oculorum, & quantum ad ſuperbiam vitæ. Totius hominis libertas eſt, perdidiſſe oculos. Oculi ſunt per quos paupertatem ferre non poſſumus. Oculi tota noſtra luxuria ſunt: hi nos in omnia quotidie vitia præcipitant. Quartò, quia duces ſunt ſcelerũ. Inter latrones magis timentur, qui vias ſcientes, aliorum ſunt duces. Senec. Intelligendum eſt, partem eſſe innocentiæ, cæcitatem. Huic oculi adulterium monſtrant, huic inceſtum, huic domum quam concupiſcat, irritamenta ſunt malorum, duces ſcelerum. Quintò, propter corruptionem magnam quæ in oculis eſt. Ad quam corruptionem. Primò, facit facilitas lædendi, quam videntur habere à natura, etiam quantum ad peccatum. Cui atteſtatur facilitas lædendi corporaliter quæ eſt in eis. Diſpoſitio enim corporalis atteſtatur frequenter diſpoſitioni ſpirituali. Ad idem facit hoc, quod naturaliter cuſtodiuntur oculi tanta diligentia. Multis enim tunicis inuoluti ſunt à natura, & palpebra etiam exteriori defenduntur, & etiam obiectione manus, ſi opus fuerit. Eiuſdem etiam facilitatis lædendi ſignum videtur eſſe hoc, quod per oculos ad matrem noſtram mors intrauit. Secundò, facit ad corruptionem iſtam hoc, quod multi corrupti fuerunt in primo peccato. Vnde poſt comeſtionem pomi ſequitur in Geneſi: *Et aperti ſunt oculi eorum.* Quod intelligitur, quo ad motus concupiſcentiarum. Non enim intelligendum eſt, quod quaſi palpones & cæci, acceſſerunt ad lignum vetitum. Vnde ſuper illud Matthæi 7. *Quid autem vides feſtucam.* dicit gloſſa. Oculus qui in paradiſo poſt culpam eſt reſeratus, videt non vnde proficiat, ſed vnde in deterius cadat. Tertiò, corrupti ſunt ex diuturna conſuetudine peccandi. Tanta autem corruptio iſta eſt, quod quaſi inuitus concupiſcit homo quod videt oculus. Vnde ſuper illud Iob 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, &c.* dicit gloſ. Fœdus cum oculis pepigit, ne priùs incautè aſpiceret, quod poſtea inuitus amaret. Sextò, ideo ſunt multùm timendi oculi, quia vſus eorum eſt valdè neceſſarius. Quanto enim eſt vſus magis neceſſarius, tanto & abuſus eſt magis timendus. Licet lingua valdè corrupta ſit, tamen includi poteſt longo tempore, & ſic ceſſando ab eius vſu, cauet homo ab eius abuſu. Sed oculi non ceſſant videre, vnde non ceſſant peccare. Vnde 2. Petr. 2. *Oculos habentes plenos adultery, & inceſſabilis delicti.* Septimò, ſunt oculi timendi, quia ſunt quaſi duæ portæ in caſtro corporis noſtri, quibus ſi dominetur diabolus, ſimpliciter erit Dominus corporis noſtri. Dominus qui habet portas alicuius caſtri, habet & caſtrum. Vnde Iob 31. Poſt illud: *pepigi fœdus, &c.* Subiungitur: *Quam enim partem haberet in me Deus deſuper?* Vbi inſinuat, quod nihil habet Deus in homine, ſi oculos non habeat: ſicut non eſt Dominus caſtri, qui non habet ibi ingreſſum & egreſſum; & vt breuiter dicam, *quum breuis ſit omnis malitia, ſuper malitiam mulieris*: vt legitur Eccleſiaſt. 25. *Et nihil oculo nequius creatum ſit*, vt legitur eiuſdem 30. Quum in aſpectu mulierum hæc duo valdè timenda coniunguntur, conſtat aſpectum mulierum valdè timendum eſſe. Ideò Iob ſciens oculos eſſe hoſtes valdè nociuos, fœdus cum eis pepigerat, vt nec cogitaret de virgine. Ideò etiam leguntur quidam philoſophi ſibi oculos eruiſſe. Vnde Hieronym. Non doleas, ſi hoc non habeas, quod formicæ, & muſcæ, & ſerpentes habent, carnis oculos, ſed illum oculum te habere lætare, de quo in Can. *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, in vno oculorum tuorum.* Denique quoſdam mundi philoſophos legimus, vt totam cogitationem ad puritatem cogerent, ſibi oculos eruiſſe: in hoc tamen non debemus eos imitari.

CAP.

Oc por dua cor ris c ſtro

Capvt V.

Quod colloquium mulierum valdè sit timendum.

COlloquium mulierum valdè timendum est. Quod patet, primò, per hoc quod sermo mulieris insinuatur esse rete. Prou. 7. vbi sic legitur de fallace muliere: *Irretiuit eum sermonibus multis.* Secundò, ex hoc quod comparatur igni, Ecclesiast. 9. vbi sic legitur: *Colloquium illius quasi ignis exardescit.* Tertiò, ex hoc quod comparatur gladio acuto. Prouer. 5. *Fauus distillans, labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: nouissima autem eius amara, quasi gladius biceps.*

Capvt VI.

De auditu cantionum amatoriarum, turpiloquiorum, & instrumentorum musicorum.

AVditus cantionum valdè timendus est. Vnde Eccl. 9. *Cum saltatrice ne sis assiduus, nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius.* Ad auditum turpiloquiorum possumus referre quod dicit Apost. 1. ad Cor. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Musica etiam instrumenta multùm sunt timenda: Frangunt enim corda hominum & emolliunt. Et ideò secundùm verbum sapientis essent frangenda.

Capvt VII.

Quod tactus mulierum sit valdè periculosus.

TActus mulierum valdè periculosus est, sicut potest ostendi multis testimoniis Scripturæ. Et primò, ex hoc quod legitur Ecclesiast. 9. *Cum muliere aliena ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum, &c.* Secundò, ex hoc quod legitur Ecclesiast. 26. *Qui tenet eam, quasi qui apprehendit scorpionem.* Tertiò, ex hoc quod legitur Ecclesiastici 7. *Vincula sunt manus eius.* Quartò ex hoc quod legitur Prou. 9. *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta eius non ardeant; aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius?* sic qui ingreditur ad vxorem proximi sui, non erit mundus quum tetigerit eam. Ad idem facit exemplum Andreæ Episcopi supra positum, qui sanctimonialem percussit manu, de qua percussione princeps dæmonum adeò lætatus est. Ad idem facit exemplum quod habetur in dialogo de quodam sacerdote, qui habuerat concubinam, sed eam dimiserat, & ei non cohabitabat, imò sanctissimè viuebat. Tandem eo ægrotante ad mortem, & circunstantibus dubitantibus, vtrum iam spiritus recessisset, illa quæ tunc ibi erat, accessit propè tentatura vtrum adhuc spiraret: ille autem vidit eam, & cum magno conamine locutus ait: Recede mulier, recede; adhuc viuit igniculus, tolle paleam. Ad idem facit quod legitur in vitis patrum, de quodam fratre, qui volens cum matre transire flumen, manus suas inuoluit pallio eius, & portauit eam vltra: & interrogatus ab ea, cur hoc faceret: Respondit: Corpus mulieris ignis est, & eo ipso quod contingebam te, veniebat mihi memoria de aliis mulieribus.

PARS QVARTA, QVÆ habet quatuor Capitula.

De remedijs contra Luxuriam.

Capvt I.

De triplici remedio contra peccatum Luxuriæ.

DIctum est de his quæ dant occasionem luxuriæ, consequenter dicendum est de remediis contra hoc pecca-

tum. Quum autem luxuria sit ignis, sicut patet ex prædictis, necessarium erit triplex remedium contra eam, sicut contra ignem nimium triplex solet adhiberi remedium, scilicet aut per aquæ effusionē, aut lignorum subtractionem, aut elongationem. Verbi gratia: Si olla, quæ iuxta ignem est, adeò ebulliat, vt effundatur quod in ea continetur, aliquod horum trium fieri consueuit: vel aqua frigida ollæ infunditur, vel de lignis subtrahitur, vel olla ab igne elongatur. Sic etiam faciendum est, contra ignem luxuriæ. Si quis viderit se tentari à peccato illo, consilium vnum est, vt ad aquam recurrat, vel ad aquam frigidam, quam proiiciat super se, ad litteram, vel ad aquam lacrymarum, vel ad aquam, id est, tribulationem quamcumque, vel recipiat disciplinam bonam, vel pungat se fortiter, vel trahat sibi pilos barbæ, vel capitis, vel si non vult adhibere tribulationis præsentiam, saltem adhibeat eius memoriam, vt cogitet de pœnis quæ debentur peccato luxuriæ. Ad istud remedium pertinet quod legitur Prou. 20. *Dolor vulneris absterget maculam*. Eccl. 11. *Malitia vnius horæ obliuionem facit luxuriæ maximæ*. Ad idem pertinet quod legitur in vitis Patrum, de quodam sene, qui cùm tentaretur grauiter de quadam muliere, quam receperat in hospitio suo, ipse accendit lucernam, & combussit omnes digitos suos. Sicut autem ille meritò combureretur, super cuius vestem ignis caderet, qui præ pigritia illum à se non excuteret, nec esset compatiendum ei. Et sicut meritò domum suam amitteret, qui videns domum suam comburi aquam non quæreret, sic meritò ignis luxuriæ eos consumit, qui ad aquam tribulationis non currunt, cùm vident ignem consumere, non vestes suas, vel domum, sed seipsos. In qua pigritia satis ostendunt, quod magis vilipendunt seipsos, quàm aliqua suorum. Senec. Nihil est homini seipso vilius, si homo tunc intraret in aquam frigidam vsque ad pectus, ex quo non immineret ei ex hoc periculum, non esset malum. Secundum remedium est, vt homo subtrahat sibi de cibo & potu: secundū enim ligna syluæ exardescit ignis, vt legitur Ecclesiast. 18. Pamphylus: Detrahe ligna foco, protinus ignis abest, & præcipuè de illis generibus ciborum & potuum, quæ inflammant ad luxuriam: vt sunt fortia vna, & acuti saporis. Ista enim sunt, non qualiacunque ligna ad nutrimentum luxuriæ, sed sunt quasi faculæ ardentes, ad eam incendendam. Vnde sicut deridendus esset ille, qui faculis ardentibus domum suam accenderet, si diceret, quod combustio eius sibi displiceret: Sic deridendi sunt, qui dicunt se velle continere, cum talibus cibis & potibus domos suas incendant. Tertium remedium est, vt homo elonget se ab igne luxuriæ. Hoc remedium docet nos Apostolus, 1. ad Corinth. 6. dicens: *Fugite fornicationem*. Super quod verbum dicit Ambrosius: Cum aliis nempe vitiis potest expectari conflictus: hanc fugite, ne approximetis, quia non potest aliter melius vinci. Ad idem mouemur exemplo Ioseph, de quo legitur Gen. 39. quod cùm domina sua diceret ei: *Dormi mecum*: ipse relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras.

Quod fugiendo homo debeat pugnare contra peccatum carnis.

TRiplex autem ratio potest assignari quàre fugiendo pugnandum sit cum peccato carnis. Primum est, quod luxuria ignis est: homo verò est, vel fœnum, vel stupa. Primum potest haberi ex illo verbo Esa. 40. *Omnis caro fœnum*. Secundum ex illo verbo Ecclesiastici 1. *Stupa collecta synagoga peccantium*. Nulla autem securitas est, stupæ vel fœno esse iuxta ignem. Secunda ratio est, quia luxuria peccatum est valde immundum,

Vnde ſicut non eſſet bonum luctari cum homine lutoſo, quia licet deuinceret eum, tamen ſe inquinaret: ſic non eſt ſecurum luctari cum peccato iſto. Vix enim poteſt eſſe, quin homo non inquinetur ibi. Ad hoc poteſt referri quod legitur Eccleſiaſtici 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Tertia ratio eſt, quia non eſt bonum de prope pugnare cum hoſte illo, qui ex propinquitate ſumit vires. Talis eſt luxuria. Corpus enim noſtrum, quod prius erat pacificum, conuertitur in hoſtem. Vnde ſicut princeps aliquis timet pugnare cum hoſtibus ſuis, quando credit quod in exercitu ſuo multi ſunt proditores, qui debeant iuuare hoſtes ſuos, quando conflictus venerit: ſic debet timere homo pugnare contra luxuriam, quum corpus noſtrum ad modum proditoris contra nos in pugna illa fiat.

Quod mulieres ſint fugiendæ.

AD hoc enim quod mulieres nobis fugiendæ ſint, faciunt teſtimonia Scripturæ, quæ ſequuntur. Eccleſiaſtici 10. *Commorari leoni & draconi placebit, magis quàm habitare cum muliere nequam.* Hieronymus. Ianua diaboli, via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio, nociuum genus eſt fœminarum. Idem: Ego iudico, ſi cum viris mulieres habitent, viſcarium diabolo non deerit. Ex his occupatum eſt ab initio peccatum. Eccleſiaſtici 25. *A muliere initium factum eſt peccati, & per illam omnes morimur.* Hieronymus: Prima tentamenta clericorum ſunt frequentes acceſſus mulierum.

CAPVT II.

De tribus, quæ ſolent homines ex acceſſu mulierum ad ſe decipere.

SEd tria ſolent circa aliquos decipere, ſcilicet ſanctitas mulierum, fiducia de propria caſtitate, & conſanguinitas. Contra primum dicit Hieronymus. Si pudicitiam quæris, fœminam quam videbis benè conuerſantem, mente dilige, non corporali frequentes ornatu. Contra ſecundum ſimiliter dicit Hieronym. Oſtiolum tuum, aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terent. Vide ne ſub eodem tecto manſeris, nec in præterita caſtitate confidas. Nec Dauide ſanctior, nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper quod paradiſi colonum mulier de poſſeſſione ſua eiecerit. Si dixerit forſitan aliquis ſe non ſtipulam eſſe, ſed ferrum, & ideò non oportet eum timere mulierum familiaritatem; ſcimus quod ignis ferrum ipſum immutat, & quaſi ignem inducit: ſic & ignis luxuriæ etiam homines ferreos immutat in malum. Vnde Hieronymus. Ferreas mentes libido domat. Ex duobus etiam lapidibus, ſi inuicem collidantur, ignis exit: ſic ex familiaritate duarum perſonarum, quæ quaſi lapideæ videntur, exit quandoque ignis luxuriæ. Prætereà, etſi murus à candela iuxta ſe poſita non comburatur, tamen denigratur. Sic, licet homo non cadat ex familiaritate mulierum in peccatum carnis, tamen aliquantulum inquinatur. Vnde Hier. Crede mihi: non poteſt cum Domino toto corde habitare, qui fœminarum acceſſibus copulatur. Contra tertium dicit Hier. Si generis gratia iudicas mulieres nullo modo dimittere, memento quod Thamar à fratre ſuo corrupta ſit: præcipuè verò debet homo cauere, ne ſit ſolus cum ſola. Vnde Hieronymus. Solus cum ſola ſecretò abſque arbitris ne ſedeas. Ad hoc facit quod legitur Geneſis ſeptimo. Accidit quadam die, vt intraret Ioſeph domum, & operis quippiam abſque arbitris faceret, at illa apprehenſa lacinia veſtimenti diceret. *Dormi mecum:* & ipſe fugit. Sicut autem fugiendæ ſunt mulieres, ita & munuſcula earum.

Mulieri cohabitare damnoſum.

Vnde Hieron. Crebra munuscula, & vestes ori applicatas, ac degustatos cibos, blandasque dulces literas sanctus amor non habet. Fugienda etiam sunt loca in quibus homo possit vel spectare mulieres, vel spectari ab eis. Ad quod pertinet, quod legitur Ecclesiastici 8. *Noli circunspicere in vicis ciuitatis, nec obseruaueris in plateis illius. Auerte faciem tuam à muliere compta.* Ad hoc essent homines multum admonendi post Pascha. Hæc enim est occasio recidiuandi multis.

Capvt III.

De choris, & quam malum sit ducere eas, multis testimoniis scripturarum ostenditur.

Licet autem sint fugienda loca vniuersaliter, in quibus mulieres possunt vel videre, vel videri: specialiter tamen fugienda sunt loca, in quibus ducuntur choreæ. Vnde hîc de choreis agemus ostendentes, quàm malum sit choreas ducere. Primò, ex testimoniis scripturarum. Secundò, rationibus multis, quàm periculosum hoc sit. Tertiò, quàm fatuum sit hoc. De testimoniis autem scripturarum sufficiat ponere septem. Primum est illud verbum Augustini: Melius est in Dominicis diebus arare vel fodere, quàm choreas ducere. Secundum est illud, quod legitur Exod. 32. *Quum appropinquasset Moyses ad castra, vidit vitulum, & choros: iratusque valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis. Deinde assumptis secum filiis Leui interfecit tria millia.* Alia litera habet viginti tria millia. Ex hoc quod Moyses, qui erat mansuetissimus hominum, qui erant in terra, adeò iratus fuit, & tantam vindictam sumpsit de hoc, quod Dei honores vitulo impenderant & choreas duxerant, satis potest esse manifestum, quantùm irasci deberet, si quis zelum animarum haberet qui diuino seruitio contempto & neglecto, videret diuinos honores impendi, non vitulo, qui est creatura Dei, sed ipsi vanitati lasciuiæ, per vitulum designatæ: vitulus enim animal est lasciuum. Temporibus illis, quibus deberent homines audire cantus Ecclesiæ, audiunt cantus lasciuæ. Tertium testimonium est illud, quod legitur Matth. 14. quod saltatrix facit amputari caput Ioannis: in hoc enim præfiguratum est, quantam potestatem habituræ erant saltatrices ad separandum eas, in quibus est gratia Dei, quæ per Ioannem designantur, à capite suo Christo. Quartum testimonium est quod legitur Ezech. 25. *Pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gauisa es toto affectu super terram Israel: idcircò ego extendam manum meam super te, & tradam te in direptionem gentium, & interficiam te de populis.* Quintum est illud August. Omnis motus petulantiæ, saltus est in profundum cloacę. Sextum est illud quod refert Greg. in dialo. de quadam sorore, cui de nocte apparuit B. Virgo, atq; coæuas in albis vestibus ei ostendit puellas, quæ cum illis se admiscere appeteret, & se illis adiungere non auderet, B. Mariæ voce requisita est, an vellet cum eis esse, & in eius obsequiis viuere. Cui, cùm puella diceret, Volo: mandatum protinus accepit, vt nihil vltra leue & puellare ageret, & à risu & iocis abstineret, sciens quod inter virgines, quas viderat ad eius obsequium die trigesimo veniret. Quibus visis, in cunctis suis moribus puella mutata est, & omnem à se leuitatem puellaris vitæ remouit. Cumque parentes eius eam mutatam mirarentur, quid sibi beata Virgo iusserat, & quo die itura esset ad eius obsequium indicauit. Tunc post viginti quinque dies febre correpta est, & die trigesimo, cùm hora exitus sui appropinquasset, eandem Dei genitricem cum puellis quas in

Exe[mplum]
plu[...]

visione viderat, ad se venire conspexit. Cui se vocanti respondit, & aperta voce bis clamare cœpit. Ecce domina venio: in qua voce reddidit spiritum: & ex corpore virgineo habitatura cum suis virginibus, exiit. In hoc quod puella, quæ volebat processioni beatæ Virginis interesse, mandatum accepit vt à iocis abstineret, satis potest perpendi, quod ingressus processionis chorearum prohibebat ab ingressu processionis cœlestis. Vndè multum fugiendæ sunt huiusmodi processiones, quæ à tali processione hominem prohibent. Septimum testimonium est Apocal. 9. vbi legitur, *quod ascendit fumus putei abyssi sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol & aer de fumo putei abyssi, & de fumo putei exierunt locustæ in terram.* Fumus ascendens de puteo abyssi, est fœtor & ardor luxuriæ, qui obscurauit solem, id est cœtum sacerdotum, quorum est illuminare Ecclesiam & aerem: id est cœtum contemplatiuorum pro magna parte. De hoc fumo exierunt locustæ: id est, cantatrices & saltatrices se non regentes ratione, sed incedentes inordinate ac si bruta animalia essent. Hæ locustæ nihil omnino virens relinquunt in terra Ecclesiæ, sicut de locustis Ægypti legitur Exod. 10. Hæ locustæ dicuntur exiisse de fumo putei, non quia habeant ab eo, quod sunt, sed quia habent inde, quod locustæ sunt. Aliquæ enim quarum corda infecta sunt ex fumo putei abyssi, procurant choreas. Aliæ verò ex leuitate sola in principio ei consentiunt. Iuxta hunc modum loquendi dicitur diabolus esse pater malorum, non quia ipsi habeant ab eo, quod sunt, sed quia habeant ab eo, id est, ab eius imitatione, quod mali sunt. Sequitur in visione Ioannis quibusdam interpositis. *Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium.* Innuitur in hoc, quod ornatus mulierum est quædam præparatio ad hoc, quod diabolus eis insedeat, & Deum in eis impugnet.

Saltatrices per quæ significentur.

Vnde sicut dicit Propheta de Domino, quod ipse posuit Hierusalem *sicut equum gloriæ suæ in prælio:* sic diabolus facit de talibus mulieribus. Sequitur. *Et super capita eorum tanquam coronæ similes auro.* Hoc pertinet ad ornatum quem habent tales mulieres in capitibus. Et insinuatur, quod ornatus quos istæ mulieres deferunt in suis capitibus, quos acquisiuerunt à suis amasiis, sunt quasi coronæ pro multiplici triumpho, quem habuit diabolus per eas de filiis Dei. Sic solent strenui milites in torneamentis in capitibus equorum suorum coronas ponere de floribus. Sequitur: *Et facies sicut facies hominum* dicit, & non facies mulierum: propter mulieres, quæ se depingunt, quarum facies sunt sicut laruæ sub quibus latent facies naturales, quas Dominus eis dedit: quæ sunt pallidæ. Ad quas facies pertinet, quod dicit Hieronymus: Qua fiducia, inquit, erigit ad cœlos vultus, quos conditor non agnoscit? Sequitur: *Et habebant capillos sicut capillos mulierum.* Sicut dicitur, propter illas, quæ deferunt crines à mortuis mulieribus abscissos, qui non sunt capilli mulierum, quia nec mortuarum sunt, quia ab eis abscissi sunt: nec illarum sunt, quæ eos deferunt sicut vuæ non sunt spinarum, etsi eis alligentur: Et mirum est quomodo mulieres non timent deferre capillos mulierum mortuarum, & habere eos de nocte ad caput suum. Sed verisimile est, quod diabolus hanc audaciam procuret in eis. Cum signum est hoc, quod ipsæ deferre timerent camisiam vel aliam vestem mulieris mortuæ: de capillis verò non timent, de quibus videtur magis esse timendum. Sequitur: *Et dentes earum sicut dentes leonum.* Hoc pertinet ad rapacitatem talium mulierum. Ad hoc pertinet, quod legitur Ecclesiast. 9. *Ne respicias mulierem multiuolam:* tot enim volunt tales mulieres ab amatoribus suis, quod mirum est. Sequitur: *Et habebant loricas sicut loricas fer-*

Ornatus mulierum, qui in capitibus relucet reprehenditur.

reas. Hic insinuatur incorrigibilitas earum. Sicut enim in lorica non potest vna macula ab alia separari: sic non potest eis persuaderi, vt vnum de ornamentis suis dimittant. *Et vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.* Sicut exercitus magnus suo tumultu hostes fugat quandoque, & deuincit, & clamore aues volantes cadere facit: sic exercitus diabolicus chorearum solis derisionibus & clamoribus suis deuincit bonos, & illos qui habebant pennas virtutum à sublimitate vitæ inchoatæ cadere facit. Quod dicitur, alarum, pertinet ad velocitatem, quam habent in discurrendo. Quod dicitur vox curruum pertinet ad tumultum quem faciunt. Sequitur: *Et habebant caudas similes scorpionibus, & aculei erant in caudis earum.* Hoc referendum est ad hoc, quod mors æterna est finis carnalium voluptatum. Vel ad hoc, quod ad mortem culpæ homines pertrahunt. Sequitur: *Et potestas earum nocere hominibus mensibus quinque.* Hoc potest referri ad hoc, quod à Pascha vsque ad Autumnum præcipuè nocent choreæ Ecclesiæ Dei. Sicut enim reges tempore isto solent ad bella procedere vt hostibus suis auferant, quod in hyeme labore acquisierunt: sic diabolus, quam cito est Pascha congregat exercitus chorearum, & aufert Ecclesiæ, quod in Aduentu & Quadragesima acquisierat. Sequitur: *Et habebant super se regem angelum abyssi.* Diabolus enim eas regit, cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autem Apollyon, & Latinè habens nomen exterminans. Gloss. interlin. A patria vitæ exterminare, est exulem facere. Vnde meritò vocatur exterminans diabolus tentans homines per mulieres: quia per eas hoc in exilio sumus. Iuxta verbum Hieron. prius positum. Memento semper, quod paradisi colonum mulier de possessione sua eiecerit, & valde potens est dæmon ille ad faciendum homines exulare à cœlesti patria. Rationibus ostenditur, quam periculosum sit choreas ducere. Consequenter ostendendum est rationibus, quam periculosum sit choreas ducere. Sex autem sunt, per quæ potest ostendi hoc. Primum est hoc, quod diabolus in choreis non habet vnicum gladium, sed tot quot ibi sunt personæ pulchræ & ornatæ: iuxta verbum Hieronymi prius positum, Gladius igneus est species mulieris. Vnde non parum timendum est, vbi tot gladij hostis conspiciuntur: cum vnicus etiam gladius eius multum timeatur. Præterea, ibi percutit diabolus gladio euaginato: tunc enim pallia & supertunicalia remouentur. Cum enim alibi percutit, gladium inuoluit. Cum etiam gladius iste ex omni parte percutit. Ostendunt enim ibi se ex omni parte ante & retro; à dextris & à sinistris. Percutit etiam ibi gladio exacuto: ad choreas enim non veniunt nisi prius præparatæ: quæ præparatio, quædam exacuatio est gladii diaboli. Motu etiam circulari, quasi quadam mola diaboli exacuitur gladius iste, id est, pulchritudo augetur: quia quæ pallida, & quasi febricitans, ibi à fatuis pulchra creditur. Secundum est, quod diabolus non vtitur ibi facula vnica ad accendendum corda hominum, sed pyra immensa. Vnde cum vix possit esse aliquis diu iuxta vnam de faculis istis quin calefiat; quomodo non calefiat vbi tot sunt faculæ ardentes? Præterea matres, quæ filias suas ornant & ad choreas mittunt, quasi festucas vngunt, vt melius ardeant, & in ignem proiiciunt. Tertium est, quod in choreis vtitur diabolus potentioribus armis quæ habet, & ferè omnibus modis quibus vti potest. Potentiora arma, quæ diabolus habet sunt mulieres. Quod patet per hoc, quod diabolus elegit mulieres ad deiiciendum filios Israel: vt legitur in libro Num. 24. vbi habetur, quod Balaam dixit ad Balach: *Dabo consilium, quod populus tuus*

Ratio-bus ostec-tur si peric-losum esse, chor-duce-

huic populo faciet extremo tempore. Istud consilium fuit, quod ipse Balach mitteret mulieres de Moab ad filios Israël, quæ deciperent eos. Et sic factum est: vt patet parum infra, scilicet 25. vbi sic dicitur: *Morabatur autem eo tempore Israel in Sethim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, qui vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt & adorauerunt deos earum.* Et Apocalyp. 2. habetur, quod dicit Deus per Ioannem angelo Pergami, *Habeo aduersum te pauca; quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docuit Balach mittere scandalum coram filiis Israel, edere & fornicari.* Hanc dimisit diabolus Iob, sperans quod per eam deiiceret eum. Per hanc etiam voluit deiicere Tobiam. Per hanc Dauid, Samsonem, & Salomonem deiecit. Diabolus tribus modis per mulieres tentat homines insipientes, scilicet tactu, visu, & colloquio: his tribus modis simul in choreis per mulieres tentat homines insipientes, scilicet tactu manuum, cantus suauitate, & pulchritudinis ostensione. In quibus quantum sit periculum, ostensum est prius.

Diabolus 3. modis per mulieres homines tentat.

4. Quartum est, quod nulli sancto vel sanctæ deferunt honorem, qui choreas dicunt: imò omnibus contumeliam faciunt. Sicut enim contumeliam facit alicui sancto, qui peccat in loco ei dedicato: sic qui peccat in tempore ei dedicato. Vnde cum in nullo festo timeant choreas ducere, nulli sancto timent contumeliam facere. Præterea cum prohibitus sit eis labor in diebus festis, etiam ille qui esset ad honorem Dei & vtilitatem propriam vel proximi, nunquam concessus est eis labor, qui sic in contumeliam Dei & sanctorum, & damnum proximi. Irridendus videtur esse, qui petit requiem pro ducentibus choreas, quæ absque pœnitentia decesserunt, cum laborem in vita sua quieti præelegerint, & in diebus festis quiescere noluerunt. Nec habent aliquem sanctum, qui pro eis intercedat, quia omnibus contumeliam fecerunt.

Quintum est, quod ducentes choreas faciunt quodammodo contra omnia sacramenta Ecclesiæ. 5. Primò, contra baptismum: quia frangunt pactum, quod inierunt cum Deo in baptismo, cum patrinus earum dixit pro eis, *Abrenuntio diabolo, & omnibus pompis eius.* Pompam enim siue processionem diaboli intrant, cum choreas intrant: vnde patrini earum possunt timere, ne de promissione illa rei apud Deum inueniantur, si non admonuerunt eas diligenter ne choreas intrarent. Processio diaboli est chorea, in qua admodum conuersarum diaboli se habent, quæ non intrant, sed assistunt. Tanquam moniales diaboli sunt, quæ intrant & cantant. Quæ autem assistunt, participes sunt maleficiorum, quæ ibi fiunt, sicut conuersæ sunt participes beneficiorum, quæ fiunt à sororibus, quæ nouerunt cantare. Signum autem, quod chorea est processio diaboli, est hoc; quod tendit ad sinistram. Ad hoc potest referri illud, quod legitur Prouerb. 4. *Vias, quæ à dextris sunt, nouit Dominus: peruersæ verò sunt, quæ à sinistris sunt.* Contra Sacramentum etiam ordinis quodammodo faciunt, qui choreas ducunt. Sunt enim quasi simiæ clericorum, & tale seruitium diabolo offerunt, quale clerici Deo, & per cantus earum cantus Ecclesiasticus contemnitur & negligitur. Qui enim deberent interesse vesperis intersunt choreis. Contra Sacramentum matrimonii etiam fit ibi, & quia maritis multum ibi detrahitur, quibus dicitur, *Por mon mari fi, &c.* & multi incitantur ad faciendum contra matrimonii fidem: aperte etiam contra matrimonii legem ibi prædicatur: vt cum cantatur, quod pro paruo marito vxor dimittere non debeat, quid amicum habeat, cum secundum legem Dei etiam leprosum dimit-

tere non debeat, quin loco & tempore ei debitum reddat, si ipse voluerit. Faciunt etiam contra Sacramentum confirmationis, in quo fronte signum crucis susceperunt tanquam emptæ passione Christi. In choreis verò signo crucis abiecto, signum diaboli in capite proprio posuerunt, signum scilicet venalitatis, quasi Christus non emerit eas.

Posuerat Christus vexillum suum in fronte earum tanquam in eminentiori parte castri sui, & ipsæ vexillum diaboli pro eo posuerunt, non absque magna contumelia Christi. Faciunt etiam contra Sacramentum pœnitentiæ, per quam Deo reconciliatæ erant in Quadragesima, dum pacem illam frangunt, & in exercitum diaboli addunt. Faciunt etiam contra Sacramentum altaris: quia ad mensam Dei panem cœlestem susceperunt, & post nihilominus Dei terram igne incendunt, similes Iudæ, qui cum comedisset ad mensam Domini, accepit cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros, & venit contra Iesum: vt habetur Ioann. 18. Contra Sacramentum verò extremæ vnctionis paucæ possunt facere, quia paucæ illud susceperunt. Si quæ tamen illud susceperunt, faciunt contra illud quando sanitatem acceptam à Deo in sacramento illo expendunt in contumeliam largientis. Sextum, per quod potest ostendi quàm malum sit choreas ducere, est multitudo peccatorum, quæ committunt personæ, quæ choreas ducunt. Peccant enim gressu, ornatu, cantu, tactu, visu, auditu, &c. Gressu peccant, nullum enim passum faciunt, qui nõ benè numereatur. Vndè Iob 31. *Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* Ornatu verò peccant quinque modis. Primò, quia inde superbiunt. Secundò, quia corda intuentium ad luxuriam accendunt. Tertiò, quia aliis, qui non habent similes ornatus, erubescentiam faciunt, & dant eis occasionem concupiscendi similia. Quartò, quia reddunt eas querulas & molestas maritis suis. Quintò, quia similia à maritis suis habere non possunt, per peccatum ea aliunde habere volunt. Cantu etiam peccant multipliciter. Primò, quia attrahunt corda aliquarum personarum, quæ non sunt iuris sui: vt sunt iuuenes maritatæ vel filiæ familias, quibus mariti vel parentes prohibent ne eant ad choreas, & tamen adeò attrahunt corda eorum, quod vadunt, & in reditu mariti vel parentes verberant eas, iurant, litigant, & multa alia mala occasione ista faciunt. Propter hoc comparantur cantatrices Sirenis Esa. 13. vbi sic legitur: *Respondebunt ibi vlulæ in ædibus suis, & Sirenæ in delubris voluptatis.* Vlulæ aues sunt, quæ rostro in palude fixo strident. Vnde significant cantatrices, quæ rostro cordis fixo in palude luxuriæ cantant. Sirenæ sunt secundum quosdam pisces marini in specie muliebri, quæ cantu suo dulci homines decipiunt. Delubra vocat loca, in quibus voluptuosi vacant voluptati, vt eos insinuet esse idololatras. Secundò cantu earum tentat etiam corda sanctorum. Et est illa sagitta diaboli ineuitabilis, à qua non defendit murus, nec aliquid tale. Ab ornatu potest homo abscondere se, sed à cantu non sic. Tertiò, quandóque potest esse occasio mortis alicui infirmanti cantus earum, qui quiete indiget, & si quiesceret curaretur: moritur autem, quia cantatrices non permittunt eum quiescere. Quartò, assistentes ad libidinem inflammat. Sicut cantus Ecclesiasticus excitat ad spiritualem deuotionem, sic talis cantus ad libidinem. Quintò, corda audientium inebriat vino gaudii temporalis. Vnde quasi ebrii Deo obliuiscuntur omnino, & etiam se ratione non regunt. Propter hæc interdum est in cantilenis earum turpiloquium, & interdum mendacium contra legem Dei. Vnde mirum est quomodo apud Christianos hoc toleratur, quod inter eos contra le-

gem

gem Dei. Vndè mirum est, quomodo apud Christianos hoc toleratur, quod inter eos contra legem eorum prædicetur, cum apud gentiles statutum sit, vt quicunque contra legem eorum prædicauerit, interficiatur.

Quod fatuum sit in præsenti choreas ducere, vel alia signa lætitiæ habere.

OStensum est, quantum sit periculum chorearum, consequenter ostendendum, quàm fatuum sit in præsenti vita choreas ducere, vel alia signa lætitiæ habere. Fatuitas verò ista satis apparebit nobis, si diligenter attendamus vbi sumus, & quo tendimus. In prima consideratione inuenimus nos esse in exilio, in valle miseriæ & lacrymarum, & in regione vmbræ mortis. De primo dicit Augustinus: Nescimus quo fine claudimur in exilio isto. Et in Psal.
Psal 136 *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Si viris sanctis graue est cantare in terra aliena etiam canticum Domini, quid debet esse de cantico diaboli? De secundo etiam dicit Augustinus: In valle miseriæ sumus, in qua eo magis flendum, quo minus flemus: deberemus esse in cœlo vel saltem in terrestri paradiso, qui est locus amœnissimus vsque ad globum lunarem attingens, nunc heu sumus in valle miseriis plena, vbi interdum infixi sumus in limo profundi vsque ad genua, vbi ventis & grandine & pluuiis impugnamur, vbi aduersantur nobis, quæ ad seruiendum nobis creata sunt, quædam animalia: vt lupi, leones, & serpentes, quærunt nos interficere, & quædam non permittunt nos quiescere, nec de die, nec de nocte, vt pulices & similia. Quædam nobis volunt eruere oculos, vt culices & similia. Ad tertium pertinet, quod legitur in Psalm. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum.* Quis
Psal. 83

locus est cantui vel risui in valle lacrymarum? Ideò dicitur Eccles. 2. *Risum reputaui errorem.* Et August. dicit super Ioan. risum talium esse phreneticorum. Et Eccles. 22. dicitur *Musica in luctu importuna narratio.* Sicut importuna esset narratio eius, qui narrationem suam proponere vellet licet omnes imponerent ei silentium: sic importuna est narratio illorum, qui in risu & lætitia sunt in mundo isto, cùm omnia ad fletum moueant, quæ in hoc mundo videntur si vere agnoscantur. Vndè Eccles. 1. *Qui addit scientiam, addit & dolorem.* Mala præsentis vitæ per se & immediate luctum inducunt: bona verò præsentia inducunt causam luctus, id est peccatum. Quocunque homo se vertat, videt vnde flere possit & debeat. Si sursum respiciat, videt patriam cœlestem à qua exul est, incertus vtrum vnquam ad eam sit peruenturus. Si deorsum respiciat, videt sepulchrum suum, terram scilicet in quam necessariò reuertetur. Si ad dextram prosperitatis, & ad sinistram aduersitatis se vertat, videt quod *cadunt à sinistris mille, & à dextris decem millia.* Si autem respiciat ante, in promptu sunt multæ causæ flendi. In occulto verò, id est, à tergo sunt multo plures. Plura enim sunt pro quibus flere debemus, quæ non videmus, quàm ea, quæ videmus. Quæ potest locus esse risui inter tot Dei iniurias, inter tot proximorum miserias, inter tot fratres nostros, quos quasi in feretris peccatorum iacere videmus? Corpus peccatoris quasi feretrum est, in quo mortuus spiritus iacet. Talia meditabatur Ieremias cum diceret. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo interfectos filiæ populi mei?* Ierem. 9. Quis deflere non debeat, vbi ad fletum monet ipse Deus & verbo & exemplo? Verbo, vt Lucæ 6. *Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis.* Et post, *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Exemplo verò

Lucæ 19. vbi post gaudium & cantum cum quo susceperant eum in Ierusalem venientem, subiungitur: *Et vt appropinquauit, videns ciuitatem fleuit super illam, dicens: Quia si agnouisses & tu*, innuens cantum huius vitæ & gaudium ex cæcitate prouenire. Bernardus: Compatitur Dei filius, & plorat: homo patitur & ridebit. Etiam ad fletum monent paruuli: qui nondum sunt vnius diei. Augustinus: Puer à ploratu incipit, nec ridere potest propheta calamitates. Lacrymæ sunt testes miseriæ: nondum loquitur, & iam prophetat. Erubescant cantatrices ibi non flere, vbi infans, qui nondum est vnius diei, prædicat esse flendum. Quod autem simus in regione vmbræ mortis, patet ex illo verbo Lucæ 1. *Visitauit nos oriens ex alto: illuminare hos, qui in tenebris. & vmbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Ad idem potest referri, quod legitur. Esa. 19. *Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Potest autem vocari vita ista vmbra mortis: quia magis assimilatur morti quàm vitæ: Vel propter proximitatem, quam habent ad mortem culpæ illi, qui hîc viuunt vita gratiæ. Omnia enim quærunt mortem spiritualem eorum. Vndè Dauid: *Inimici mei circumdederunt animam meam.* Item
Psa. 16. Hieronymus: Gladium tenet hostis vt me perimat. Ex omni parte sunt pericula spiritualia & laquei. Vndè Guido Carlusiensis: Laqueos bibis, comedis, vestis, dormis. Omnia sunt laqueus. Vmbra etiam mortis potest dici, propter proximitatem quam habent ad mortem pœnæ æternæ, qui in peccato sunt. Quasi ad portam inferni sunt tales, ita vt inter eos & infernum non sit nisi transuersum corporis, vt si à corporibus recedant animæ, statim quasi in puncto sint
Psl. 106. in inferno. Dauid: *Appropinquauerunt vsque ad portas mortis.* Iob. 21. *Tympanum & citharam tenent, & gaudent ad sonitum organi: ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Illa etiam pars mundi in qua sumus, quasi stabulum est in domo Dei. Quæ domus tota est machina mundi. Palatium eius est cœlum. Et quale est in hoc stabulo sordido choreas ducere? Ad hoc valet, quod legitur Lucæ 10. *Imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum.* Vbi Gloss. non domum, sed stabulum dixit: quo nomine miserias & fœtores huius vitæ designat, ne homo in hoc exilio, quasi in patria gaudeat. Sed hunc fœtorem non sentiunt, qui fœtidi sunt. Vnde Bernard. Vbi omnes fœtidi sunt, fœtor vnius minimè sentitur. Si quis etiam attendit quò nos tendimus, satis videbit quod fatuum hîc est cantare vel choreas ducere, quasi enim ducimur ad mortem. Sen. Omnes supplicio capitali condemnati sumus. Et August. Nihil aliud est tempus huius vitæ, quàm cursus ad mortem. In quo nemo paululum stare vel tardus ire permittitur, sed vrgentur omnes pari motu. Singulis diebus facit homo dietam vnam ad mortem corporis. Et talis est proximus morti, qui se credit remotum. Ad hoc potest referri, quod narrat Gregorius in dialogo de Fortunato, qui audiuit quendam vnam simiam ferentem, qui ante portam suam cœpit cymbalis ludere, & clamauit: Heu, heu mortuus est infelix iste. Et post cibum sibi datum quum egrederetur ianuam saxum cecidit in verticem eius, altero die funditus vitam finiuit. Quale est hoc, hominem morti condemnatum, cum choreis & instrumentis musicis ad tormentum suum ire? Ad mortem suam cantando & lætando vadunt, qui choreas ducunt. In hoc cygno sunt similes, qui ante mortem cantare dicitur. Quale etiam est hoc, ad districtissimum iudicium ire, lætando, præcipuè cum sentiat se homo in tot & tantis culpabilem? Ad hoc pertinet, quod legitur in Vitis patrum de quodam Patre, qui videns quendam riden-

Mũdi quasi stabu. cœli.

Exē plū

tem ait: Reddituri sumus rationem de vita nostra coram cœlo & terra, & tu rides? Ad idem potest referri exemplum de rege illo, qui memor malorum suorum & diuini iudicii gaudere non poterat. Qui interrogatus super hoc à quodam fatre suo, voluit ei causam ostendere: vnde misit buccinatores suos ad portam fratris sui, quod secundum consuetudinem illius regni certum signum erat mortis. Deinde quum frater regis ad regem esset adductus, & non modicum timeret, & valde tristis esset, requisiuit rex, quare non gauderet? qui cum respondisset ei, Quomodo in statu tali possem gaudere? Indicauit ei rex causam tristitiæ. Si enim ille tantum timebat, qui sciebat regem esse fratrem suum, qui in nullo se sciebat esse culpabilem apud eum, quia aliqua signa offensæ regis audierat: meritò timere potest, qui tot & tantis scit esse culpabilem, non apud fratrem, sed apud Dominum maiestatis.

Aliud.

CAPVT IV.

De aliis remediis contra Luxuriam.

SEquitur de aliis remediis contra peccatum luxuriæ. Et cum luxuria non sit qualiscunque ignis, scilicet ignis infernalis, summum remedium contra ipsam est oratio: vnde sicut ille, qui patitur morbum illum, qui ignis infernalis dicitur, alicubi se facit referre ad Ecclesiam beatæ Mariæ virginis, vt Parisiis. Alicubi ad sanctum Antonium, nec inde recedit donec curatus sit: Sic qui ignem luxuriæ sentit, toto corde deberet se conuertere ad Deum & ad suffragium sanctorum, & non deberet cessare donec accepisset sanitatem: & post deberet sequi gratiarum actio, & singulis diebus reddere deberet homo Deo & sanctis aliquem censum, vel seruitium in signum liberationis: quia scriptum est, *Eruam te, & honorificabis me.* Ps. 49. Si quis tanto ardore, quæreret curationem ab isto igne infernali quanto quærit curationem ab illo, vix non esset quin impetraret. Hoc remedium docemur. Sap. 8. vbi sic legitur: *Vt sciui quoniam aliter non possum esse continens nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset hoc donum, adii Dominum, & deprecatus sum illum.* Specialiter autem valet contra peccatum illud beata virgo Maria, quæ sic amatrix est munditiæ in se sicut in aliis. Et specialiter aliquod seruitium faciendum esset vt ab hoc igne liberaret. Tamen in hac parte cauendum est à temerariis votis. Quintum remedium est, honesta occupatio: quia, *Otia si tollas, periêre Cupidinis arcus.* Sextum est, aqua sapientiæ salutaris. Vnde in Canonica Iacob. 3. *Quæ desursum est sapientia, primum quidem pudica est,* id est, pudicum reddens. Vnde Zachar. 9. vocatur vinum germinans virgines, id est virginales affectiones. Et Dominus Ioan. 15. *Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis, &c.* Hieron. Ama sacras literas, & carnis vitia non amabis. Et Sapient. 8. vocatur sponsa. Vbi sic legitur: *Quæsiui sponsam mihi eam assumere.* In quo verbo insinuatur, quod adhærere sapientiæ sit remedium contra illicitas delectationes carnis. Septimum remedium est eleemosyna. Vnde super illud 1. ad Timoth. 4. *Pietas ad omnia vtilis est,* dicit Ambrosius. Si quis misericordiam sequitur, si lubricum carnis patiatur, vapulabit quidem, sed non peribit. Octauum remedium habet hoc vitium commune cum vitio gulæ. Et hoc remedium est consideratio mortis, vel status, in quo caro post mortem futura est: quia iuxta verbum Gregorii. Nihil adeò valet ad domanda carnis desideria, sicut cogitare semper, qualis caro sit futura mortua, sicut in tractatu de Gula diximus.

PARS QVINTA, QVÆ habet quatuor capitula.

De prohibitione simplicis fornicationis.

CAPVT I.

De ordine dicendorum in ista parte. Et quod simplex fornicatio sit prohibita, ostenditur autoritatibus.

QVinto loco in tractatu de luxuria est dicendum de simplicis fornicationis prohibitione. De qua hoc ordine dicemus. Primò ostendemus simplicem fornicationem prohibitam esse. Secundò, ostendetur eam prohibendam fuisse. Tertiò, ostendemus quæstionem illam, qua quæritur quare Deus prohibuit simplicem fornicationem, diabolicam esse & irrationabilem,& irrisione dignam. Quartò ostendemus, quod egit Dominus misericorditer cum genere humano, quum simplicem fornicationem prohibuit: quũ possit tamen alicui contrarium videri, ex hoc quod fere totus mundus perire propter prohibitionem istam videatur: & quia hæc prohibitio videtur esse contra multiplicationem humani generis. Quod autem simplex fornicatio sit prohibita, probatur. Primò ex hoc, quod legitur Deuter. 23. *Non erit meretrix de filiabus Israel.* Secundò ex hoc, quod legitur 1. ad Corinth. 6. *Nolite errare, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque raptores regnum Dei possidebunt.* Tertiò ex hoc, quod legitur ad Galat. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, &c.* Et subiungitur: *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Quartò, ex hoc quod legitur ad Ephes. 5. *Hoc scitote, intelligentes, quoniam omnis fornicator, aut immundus, aut auarus*, quod est idolorum seruitus, *non habet hæreditatem in regnõ Christi & Dei.* Quintò ex hoc, quod legitur Actor. 15. quod dixerunt Apostoli & seniores fratres: *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum & sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Vbi dicit Gloss. interlin. Necessaria sunt sine quibus non est salus. Vndè quum fornicatio ibi numeretur, nisi quis ab ea abstineat, non saluatur.

CAPVT II.

Quare Dominus prohibuerit simplicem fornicationem.

OCto autem sunt, per quæ potest ostendi, quod simplex fornicatio prohibenda fuit. Primùm est sterilitas quæ frequenter est in illis, quæ indifferenter omnibus se exponunt. Si enim passim se omnibus exponere, reddit eas steriles, sicut procurare sterilitatem contra legem naturalem est: sic exponere se, contra legem naturalem erit. Secundum est, quod educatio prolis de naturali lege ad patrem pertinet, & educare eam non potest nisi eam agnoscat. Agnoscere verò prolem suam non potest pater, nisi matrem vt propriam habuerit. Vnde patet, quod concessio simplicis fornicationis, quæ impedit ne pater prolem suam educet, quodammodo est contra legem naturalem. Tertium est, crebra interfectio prolis, quæ sequitur ex fornicatione, & crebrior sequeretur si esset concessa. Matres enim non potentes proli prouidere, nec habentes auxilium à patre, suffocarent sæpe eam, sicut & hodie aliquæ faciunt. Quartum est hoc, quod vir reddit mulierem impotentem ad prouidendum sibi, & tempore, quo est grauida, & quo iacet de prole, & quo occupata est circa prolem educandam: quare videtur de lege naturali

obligatus esse ad prouidendum ei tempore tali, quod concessio fornicationis impediret. Quintum est hoc, quod ita displicet viro, quando vel vxor, vel concubina se concedit alii viro. Secundùm enim legem naturalem, non deberet se coniungere alii mulieri, ex quo simile nollet fieri vllo modo. Sextum est, naturalis æquitas, quæ requirit hoc, ne aliquis homo plus quàm vnam habeat, ne forcè sit aliquis qui nullam habeat. In æquali numero fuerunt formati à principio vir & mulier: nec est certum, vtrum numerus per generationem amplius creuerit. Vnde sicut aliquis paterfamilias, qui habet quatuor domos, & quatuor filios, ordinat quod vnus non habeat, nisi vnam: ne sit aliquis qui nullam habeat: sic Dominus ordinauit, vt vir vnus non habeat, nisi vnam mulierem. Septimum est, pax generis humani. Si enim liceret cuilibet, qualibet vti, sequerentur rixæ & odia, & multa homicidia. Octauum est, quod aliquæ aues sunt, quarum est talis castitas, quod vna vni adhæret, vt patet in turturibus. Vnde, quum non minor debeat esse castitas hominis castitate turturis, vnus vir vni debet adhærere mulieri. Indecens est, quod carnalior sit homo, qui præter carnem habet spiritum rationalem, quàm auis, quæ carnalitatem habet solùm. Possunt autem, præter prædicta, tres caussæ assignari, quare Dominus prohibuit aliquas voluptates, & secundùm gustum, & secundùm tactum. Primò, in signum dominii. Vnde Augustinus dicit super Genes. Non erat vnde homo & dominum habere cogitaret, nisi ab aliquo prohiberetur. Secundum vt haberet homo vnde mereretur. Vnde Augustinus similiter super Genes. dicit. Oportebat vt homo sub domino positus ab aliquo prohiberetur, vt virtus merendi esset obedientia, quæ sola verissimè est virtus. Si enim nihil fuisset prohibitum vel præceptum, non posset aliquis malè agere: & ideò non esset difficile, nec forsitan laudabile benè agere: quæ enim virtus est, si quis agat quod sibi placet; Sed in hoc est virtus magna, quod homo contra propriam voluntatem facit, & conformat se voluntati Dei. Vnde Sapient. Hoc solùm virtuti adiicies, quod propriæ voluntati detraxeris. Et Poëta: *Et virtus placidis abstinuisse bonis.* Tertiò, vt homo assuescat præponere amorem Dei amori carnali. Ad amandum enim Deum super omnia tenetur homo ex illo mandato primo & maximo, *Diliges Dominum Deum tuum.* Exod. 20. Et ex sola transgressione huius mandati posset aliquis damnari, etiam si nullum aliud speciale mandatum transgrederetur.

CAPVT III.

Quod fatuum sit quærere, quare Dominus simplicem fornicationem prohibuerit.

SEquitur videre, quomodo illa quæstio sit diabolica, & irrisione digna, quâ quæritur, quare Dominus prohibuerit simplicem fornicationem. Ideò verò diximus eam diabolicam, quia proposita est primò à diabolo talis quæstio Genes. 3. vbi dixit ad mulierem: *Cur præcepit vobis Dominus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi?* Ideò verò diximus eam irrisione dignam, quia nullus proponeret alicui homini similem quæstionem, qui eum pro stulto haberet. Si veniret aliquis ad aliquem ciuem, & diceret ei, Quare non permittis filias tuas prostitui? quare vis eas maritari? Estis vos fatui? diceret ipse. Quantò ergo potius ille fatuus potest reputari, qui de cælesti rege hoc audet quærere, quare ipse filias suas non permittit fornicari? quare vult eas vel castas remanere, vel nuptijs tradi? Præterea, quærere quare

Dominus de re sua aliquid prohibuerit, est quærere quare Dominus in re sua ius aliquod, vel aliquod signum dominii tenuerit, quam quæstionem patet stultam esse: vt si quis quærat à Rege Franciæ, quare non datis mihi totum regnum vestrum, vt nec aliquod signum dominii retineatis? Ibi permiserat Dominus bonum omne lignum, præter vnum, benè debuisset ei sufficere.

Capvt IV.

Quod Dominus misericorditer egerit cum hominibus, prohibendo eis simplicem fornicationem.

Ex iam dictis patet manifestum esse, quod Dominus misericorditer egit cum humano genere, quum simplicem fornicationem prohibuit viris, quia potius voluit eo habere fidele adiutorium, quàm tales qui furarentur eis quidquid possent furari. Concubinæ quæ nesciunt, quandiu debent esse cum hominibus, furantur eis quidquid possunt. Cum mulieribus etiam in hoc misericorditer egit. Videns enim Dominus, quod mulieres habituræ essent laborem, in portando prolem in vtero, dolorem in parturiendo, sollicitudinem & occupationem & laborem in nutriendo, voluit viros ante opus carnale eis obligari in iuuando eas. Cum prole etiam misericorditer egit. Frequenter enim periret proles, si simplex fornicatio esset concessa, vt prius ostendimus. Cum toto etiam genere humano Dominus in hoc misericorditer egit, cuius paci prouidit. Misericorditer etiam egit cum genere humano, quod ab illa voluptate hominem cohibere voluit in parte qua nullus vtitur, nisi valdè raró absque peccato. Ad id autem quod obiicitur, quod ferè totus mundus perit propter prohibitionem illam, Dicendum est, quod fortè plures perirent, si non esset prohibita fornicatio quàm modo pereant. Quia vel perirent propter nimium amorem, quem haberent ad mulieres. Vehemens enim amator propriæ vxoris, sicut dicit Ambr. adulter est. Homines enim tunc nimis essent carnales: quia quem non alliceret vna, alliceret altera. Vnde Deut. 17. dicitur de rege, *Non habebit vxores plurimas, ne illiciant animam eius.* vel perirent propter rapacitatem. Fornicariæ enim mulieres depauperant homines, & fures reddunt, vel propter odium, quando auferetur ab aliquo illa quam amaret. Vel propter aliud peccatum, quod fornicationem sequeretur. Ad id autem quod obiicitur, quod hæc prohibitio est contra multiplicationem generis humani, in parte paret solutio ex hoc, quod dictum est prius, quod illæ, quæ omnibus supponuntur, steriles efficiuntur. Præterea, Dominus non facit magnam vim in paucitate vel multitudine hominum. vnde Ecclesiast. 16. *Ne iocunderis in filijs impijs, si multiplicentur.* Et subiungitur: *Melior est enim vnus timens* Deum, *quàm mille filij impij.* Et vtilius est mori sine filiis. quàm relinquere filios impios. Et Ecclesiast. 5. *Non concupiscit Dominus multitudinem filiorum infidelium & inutilum.* Scit enim Dominus, quod melius fuisset malis mori sine filiis, quàm relinquere filios impios. Vnde Dominus benè præcepit vel consuluit illud. Ex quo hoc sequitur, quod pauciores sint homines: quoniam videlicet ad hoc quod plures saluentur, vel ad hoc meliores sint qui saluentur, vnde ipse consuluit castitatem & virginitatem, & similia. Prohibitio verò fornicationis saltem ad hoc valet, quod perfectiores sint qui saluantur. Nota peruersitatem quorumdam hominum, quibus ibi displicet proprietas, vbi Deo placet, in mulieribus scilicet, & ibi placet, vbi Deo displicet, scilicet in possessionibus.

PARS SEXTA, QVÆ habet duo Capitula.

De allegantibus impotentiam continendi.

CAPVT I.

De diuersis testimonijs Scripturarum contra illos, qui dicunt se non posse continere.

VLtimo in tractatu de Luxuria dicendum est aliquid de impotentia continendi, quàm multi allegant. Et primò, ponemus diuersa testimonia scripturarũ, quibus contra eos qui hoc dicunt possumus vti. Deinde ponemus multas rationes, quibus contra tales vtendum est. Et inter testimonia, Primò, occurrit illud Gen. 4. quod dicit Dominus ad Cain, loquens de peccato: *sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Vnde quasi mencium Deo imponunt, qui dicunt se non posse abstinere à peccato. Secundò, occurrit illud Iob 6. *Aut poterit aliquis gustare, quod gustatum affert mortem.* Ex quo verbo videtur, quod potius deberet homo dicere, Non possum fornicari, quàm non possum continere. Et in veritate qui perfectam fidem haberet, quod delectatio fornicationis esset venenata, sic faceret. Nonne si apponeretur alicui cibus amarissimus vel venenatus, ipse statim diceret, Non possum aliquo modo comedere? voluptas verò prohibita, est venenata, & morte amarior. Vnde Ecclesi. 7. *Inueni amariorem morte mulierem:* Quod intelligitur de voluptate, quæ est morte amarior, quia hîc morte culpæ interficit: in futuro verò interficit morte æterna, tam corporis, quàm animæ. Ad idem potest adduci quod legitur Ecclesi. 15. *Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum:* Et post: *Ante hominem vita & mors: bonum & malum: quod placuerit dabitur ei.* Ad idem facit illud Apost. *Fidelis est Deus, qui non permittit vos tentari supra id quod potestis*, & Matth. 11. *Iugum enim meum suaue est, &c.* Quomodo enim leue est, si est importabille. Et illud 1. Ioan. 5. *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt.* Ad idem potest referri illud Hier. Maledictus qui dicit Deum pręcipisse impossibile. Idem: Violentiam facit Deo, qui petit ab eo, quod soluere non potest. Ius enim iustitiæ humanæ est, non esse licitum petere ab homine quod soluere non potest. Quod si verum est, multò fortius non est licitum iustitiæ diuinę petere hoc. Idem: O prophana temeritas! ô vesanorum insania! Deum scientiæ duplici ignorantia condemnatis: scilicet quod nesciat quid fecerit, quòd nesciat quid iusserit, quasi imposuerit mandatum, quod impleri non possit. Proh nefas! imponitis iniqaitatem iusto, credulitatem pio; ac si vos, quod suspicari sacrilegium est, ad salutem non fecerit, sed ad pœnam. In qua auctoritate insinuat Hier. illos esse blasphemos, qui dicunt se non posse continere. Deo enim imponunt ignorantiam, iniustitiam, & impietatem. Contra tales potest etiam adduci illud Aug. Nemo peccat in eo, quod vitare non potest Et illud: Peccatum adeò est voluntarium, quod si non est voluntarium, non est peccatum. Et illud Senec. Omitte excusationes, nemo peccat inuitus.

CAPVT II.

Rationibus ostenditur, quod fatui sint qui dicunt se non posse continere.

COnsequenter sunt rationes ponendæ, quibus vti possumus contra eos qui dicunt se non posse continere. Primò, ergo dicimus illis, quod ipsi faciunt

verecundiam sibiipsis, & confitentur suum magnum opprobrium. Confitentur enim vilissimam partem, quæ in eis est, sibi dominari, & adeò perfecta dominatione, quod oportet fieri, quod illa pars imperauerit, & hoc cum [vi]giliis multis, cum laboribus multis & expensis multis, cum periculo animæ & etiam corporis quandoque. Benè videtur cor amisisse, qui talem seruitutem tolerat: melius esset tolerare seruitutem leprosi vnius, quàm istam. Vnde rectè numeratur fornicatio cum his quæ auferunt cor. Osee 4. *Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor.* Secundò dicimus, quod in talibus hominibus est impotentia, quæ non videtur esse in paralyticis hominibus. Non possunt sedere, nec iacere. Si enim hoc possent, diabolus non ferret eos ad locum in quo fornicarentur. Tertiò dicimus, quod cùm dignitas ista sit data homini præ cæteris animalibus, quod liberum habeat arbitrium, ipsi non solùm similes facti sunt brutis, imò etiam inferiores: Minùs enim habent libertatis, quàm bruta, & quodammodo magis habent brutalem concupiscentiam, & maiori seruituti subiectam. Piscis enim temperat se ab esca, si hamum videat, & auis à granis si laqueum videat: miser verò homo timore mortis æternæ non potest se temperare ab esca voluptatis momentaneæ. Quartò dicimus, quod talis vno solo gartione præsente non auderet fornicari, sed sola verecundia cohiberet eum: quantò magis præsentia Dei, & angeli, qui sibi deputatus est ad custodiam, deberet eum cohibere? Boët. in lib. Consolat. Magna nobis, si dissimulare non volumus, indicta est probitatis necessitas, cùm ante oculos iudicis agamus cuncta cernentis. Bernardus. In quouis diuersorio, in quouis angulo reuerentiam habe Angelo tuo, nec audeas illo præsente, quod me vidente non auderes. Versificator:

Cùm quid turpe facis, quod me cernente ruberes,
Cur spectante Deo, non magis ipse rubes?

Non est dicendum, quod equus non possit cohiberi, ex quo modico fræno cohibetur: sic non debet dicere, non possum cohibere à peccato carnis ille, quem frænum erubescentiæ cohiberet. Quintò dicimus, quod non est verisimile, quod domus alicuius hominis, eo inuito comburatur, ex quo ipse voluntariè ignem apponit. Ignem propriis manibus in domo corporis sui apponunt, qui cibos & potus ad libidinem excitantes sumunt. Sextò dicimus, quod non debet dicere infirmus, non possum curari, qui solùm propter hoc non curatur, quia consilio non acquiescit. Hæc est sola causa quare laborantes infirmitate spirituali non curantur, quia consilio cælestis medici non acquiescunt. Illa quæ ad consilium corporalis medici proprios crines deponeret, ad consilium spiritualis medici non vult restituere alienos. Septimò dicimus, quod nulla est eius excusatio, qui castrum fidei suæ commissum hostibus domini sui vili pretio reddit, muris adhuc integris, succursu non postulato, à domino suo, nec expectato: cùm sciat eum & posse & velle subuenire ei. Nec est credendum ei à domino suo, si dicat, non poteram me tenere. Omnia ista facilè est videre in eo qui pretio vilis voluptatis castrum corporis sui tradidit diabolo in primo conflictu tentationis, non misso nuntio orationis ad Dominum pro succursu, quum Dominus possit ei subuenire, & velit. Non vult enim exhæredari. Vnde Apostolus: *Fidelis Deus, qui non permittit vos tentari supra id quod potestis: sed facit etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Octauò dicimus, quod non videtur inuitus mori, qui voluntariè mortem suam carè emit: nec inuitus capi, qui hostes insequitur,

quitur, & inter manus eorum se ponit, quum sciat se eis non posse resistere, quum sola fuga securus possit esse. Sic non debet dicere. Non possum continere, qui consortia mulierum non vult fugere, quũ debilem se agnoscat. Nonò dicimus, quod si talis, qui dicit se non posse continere, haberet tantam voluntatem continendi, quantam habet vinum suum custodiendi, de facili contineret. Si tanta diligentia obstrueret sensus corporis sui, cùm sentit conscientiam per eos aliquantulùm damnificatam, quanta diligentia obstruit foramen dolii sui cùm perpendit per illud aliquantulùm vini exisse. Decimò, quærimus ab eo, qui se non posse continere dicit, à quo cogitur ad fornicandum; vtrum à diabolo, vel à carne, vel ab ipsa muliere? A diabolo, non; cùm dicat de eo Greg. Non est timendus hostis, qui non potest vincere, nisi volentem. Super illud Mat. 4. *Si filius Dei es, mitte te deorsum*, dicit Gl. In quo infirmus ostenditur, cùm nulli nocere possit, nisi ille prius se deorsum miserit. Si dicat se à muliere regi, ridiculum est hoc, cùm potiùs ipse eam cogat. Si à carne, ille hanc excusationem non recipit, qui ei dominium carnis reddit. Vnde Gen. 3. dicitur ad mulierem, quæ tenet figurã carnis. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*. Vndecimò, quærimus à tali, quomodo ipse intelligat hoc. Non possum continere: vtrum sic intelligat, non possum continere, etiamsi velim: vel sic, non possum, quia nolo. Si primo modo, patet hoc esse falsum: quia si impulerit eum timor, vel cupiditas, ad hoc quod velit, iam citò potest continere. Verbi grati. Si debeat lucrari ex continentia sua mille marcas, vel castrum, vel ciuitatem, vel domum, vel si sciat se tam citò post peccatum amissurum pedem suum, vel aliud membrum, vel si videat sibi paratum lectum igneum, in quo oporteat eum iacere, cùm à lecto mulieris surrexerit. Vnde Bernardus. Ignosce Domine, excusamus, tergiuersamur, vix est aliquis qui in eis, quæ ad te sunt, experiri velit quid possit, etiam quod promptissimè secundùm carnem potest, vel secundùm sæculum, siue timor impulerit, siue cupiditas traxerit. Si secundo modo intelligat, non possum continere, quia nolo: igitur non est non posse in causa, sed potiùs non velle in culpa, iuxta verbum Augustini. Duodecimò, potest quæri ab ipso, qui dicit se non posse continere, vtrum intelligat, quod non potest continere suis viribus, sine Dei auxilio: aut intelligat, quod etiam adiutus à Deo, non possit. Si secundo modo, hoc est manifestè falsum, & etiam sapit hæresim. Si primo intelligat, hoc plenè verum est. Sine adiutorio enim diuino nihil possumus. Vnde Ioan 15. *Sine me nihil potestis facere*. Et 2. Corinth. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est*. Et Augustin. Domine, sine te nihil sunt conatus mei. Et Sapient. 8. *Vt sciui quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det*. & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset hoc donum: adii Dominum, & deprecatus sum eum. Matt. 19. Cùm quærerẽt discipuli, *quis potest saluus esse?* Respondit Iesus: *Apud homines impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt*, vt dicit interlin. Impossibile est apud homines, vt per se à suis cupiditatibus conuertantur. Et Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*. Hoc autem valdè vtile est ostendere hominibus, quod viribus suis saluari non possunt, nec à peccato abstinere. Hoc enim persuaso eis, potest eos monere homo ad tria valdè eis vtilia, ad eorum iustificationem, scilicet ad excutiendam quandam stultam præsumptionem, & fiduciam, quâ credunt se conuerti, quando voluerint. De qua legitur Ecclesiastici 29. *Repromissio nequissima multos perdidit*. Mira insania! ille qui non potest, cùm liber est, diabolo resistere, sperat, cùm ab eo captus erit & ligatus, viribus suis de manibus eius liberari, quum scriptum sit Iob. 41. *factus est vt nullum timeret, & non est potestas in*

Sine Dei auxilio cõtinẽs nemo esse potest.

erra, quæ ei valeat comparari. Qui in mortali est, captus est & ligatus. Vnde Prou. 5. *Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum quisque constringitur.* Item, qui non potest se tenere, ne ad impulsum tentationis cadat in foueam peccati: quomodo sperat se confractum casu, consuetudine pressum aggere peccatorum obrutum, à tam profunda fouea per se exire, eo qui impulit ei resistente? Imò, quod amplius est, sperant homines, cùm morte spirituali mortui fuerint, seipsos posse ressuscitare. Et vt breuiter dicam, in præsenti se nihil posse asserunt: sed in futuro, quando ex se erunt impotentiores, & Dei adiutorio minus digni, quia eum diutiùs offenderunt, quando etiam diabolus magis laborabit ad impediendam salutem eorum. Ipse enim calcaneo insidiatur: id est, fini hominis. Quod haberi potest ex hoc quod dictum est serpenti Gen. 3. *Tu insidiaberis calcaneo illius.* Tunc, inquam, omnia se posse præsumunt. Secundò, potest homo monere eos ad hoc, quod gratiam eius studeant sibi comparare: sine eius auxilio conuerti non possunt, eleemosynas suas largiendo, orando Deum, & suffragia sanctorum, & virorum iustorum, implorando. Tertiò, non possunt moueri ad hoc, ne fingant se, quin faciant quod possunt, etiam aliqua quæ videntur sibi difficilia. Dominus enim non vult iuuare eos qui se non iuuant: imò quasi fingit se, quia ipsi fingunt se. Vnde Sap. 1. *Spiritus disciplinæ fugiet fictum.* Item potest sic quæri ab eo, qui dicit se continere non posse. Aut vis continere, & non potes: aut potes, & non vis. Si vis & non potes, infidelis est Deus, qui patitur te tentari supra posse tuum. Præterea, nonne credis, quod omnia possis cùm eo, qui omnia potest? Sicut vulgariter dicit, qui non habet, nisi quinque solidos: Ego & Rex habemus centum millia marcarum. Non potest paruum esse illud posse, cuius defectum posse diuinum paratum est supplere. Si autem potes & non vis, inexcusabilis es. Vltimò potest quæri à tali, an possit aliquo tempore continere. Quod si dixerit, sic per mensem: ostendendum est ei, quod potius sperare debet, quod sequenti mense contineat, quam isto. Primò, quia consuetudo iuuabit eum. De qua Tullius: Optima forma viuendi est eligenda, quam iucundam reddet assuetudo. Poëta: *Quod malè fers, assuesce feres.* Prætereà, sperare debet Deum esse paratiorem ad iuuādum, quum postquam per mensem pro amore eius continuerit, quàm ante, si tamen ex corde instanter hoc petierit. Item quum ipse non sit securus de vita, non dico per mensem, sed nec per vnam horam, qua ratione sperat se accepturum à Deo vitam, eâdem debet ipse sperare se accepturum virtutem seruiendi Deo in vita illa, nec debet disponere se seruiturum diabolo in vita quam nondum habet. Non debet similis esse operario ebrioso & lusori, qui priùs obolum perdit, quàm illum lucratus sit.

TRACTATVS QVARTVS

DE AVARITIA.

Pars I. quæ habet nouem Capitula.

CAPVT I.

De ordine dicendorum in isto tractatu. Et quod natura dissuadeat Auaritiam.

POST vitium Gulæ & Luxuriæ dicemus de vitio Auaritiæ: quia tractatus de vitio isto vtilior est prædicationi, quàm tractatus aliorum vitiorum. Hunc enim ordinem tradit Bernardus, vt id prius quod maturius ad salutem. De quo vitio hoc ordine dicemus. Primò, dicemus de his quæ faciunt ad detestationem huius vitii. Secundò, de speciebus eius. Tertiò, de his, quæ fouent aliquo modo auaritiam in cordibus hominum. Quartò, de remediis contra vitium illud. Quintò, tangemus de prodigalitate, quæ est vitium contrarium auaritiæ. Intelligimus autem auaritiam in hoc loco, indebitum amorem pecuniæ. Primò autem facit ad detestationem auaritiæ hoc, quod natura dissuadet nobis vitium istud, & quodammodo est contra naturam. Voluit enim natura terram infimam esse inter creaturas, & à pedibus omnium conculcari, docens nos in hoc, absque dubio, quod debemus conculcare pedibus mentis terrena ista, & contemnere. Quale verò est hoc, quod homo Deo & creaturis omnibus præponat creaturam illam, quam natura omnibus creaturis voluit postponi? Ad significandum diuitias conculcandas esse & contemnendas primitiui de Ecclesia cælitus edocti, pretia domorum & agrorum suorum ponebant ad pedes Apostolorum, vt legitur Actuum 4. Vnde in fine eiusdem capituli, vbi dicitur: *Ioses attulit pretium agri sui, quem vendiderat, & posuit ante pedes Apostolorum.* dicit Gloss. Docet calcandum esse aurum, quod subdit pedibus Apostolorum. Prætereà, cùm anima secundùm naturam sublimior & purior sit cœlo, tanquam Deo similis, exaltata debet esse à terrenis istis, sicut exaltantur cæli à terra. Vnde sicut valdè mirabile esset, & quasi contra naturam, si cælum adhæreret terræ: sic quasi contra naturam est cum auaritia animam terrenis adhærere facit. Item anima cœlum spirituale est, Dei enim habitaculum est. De quo cælo dicit Bernardus. Non mirum, si libenter inhabitat cælum hoc Dominus Iesus, quod vtique non quomodo cæteros dixit tantùm vt fieret, sed pugnauit, vt acquireret, occubuit vt redimeret. Comparatione huius cæli, vocat Dominus cælum materiale desertum. Lucæ 15. *Nonne dimittit nonaginta nouem in deserto?* quanta verò peruersitas est! cælum velle terra implere, vel ei terram supponere? Quis locus terræ, vel in cælo, vel super cælum? hanc tamen peruersitatem vult auaritia facere.

CAPVT II.

De duodecim maledictionibus, quas facit sacra scriptura auaris.

SEcundò faciunt ad detestationem huius vitii, maledictiones quas facit sacra scriptura auaris. De quibus ponemus has duodecim quæ sequuntur. Esa. 5. *Væ qui coniungitis domum, &c.* Et eiusdem 32. *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?* Habacuc. 2. *Væ qui congregat non sua.* Et in eodem: *Væ qui congregat auaritiam malam domus suæ.* Amos 6. *Væ qui opulenti estis in Sion.* Et in eodem

Ad detestationē Auaritiæ valent maledictiones S. Scripturæ.

Væ vobis qui dormitis in lectis eburneis. Et Luc. 5. *Væ vobis diuitibus.* Et Iac. 5. *Agite nunc diuites: plorate, vlutantes in miseriis quæ euenient vobis.* In Epist. Iudæ. *Væ his, qui in viam Cain abierunt.* Principium malitiæ Cain, fuit auaritia: vnde in viam Cain abeunt, qui sequuntur auaritiam. Et Apoc. 8. *Væ, væ, væ habitantibus in terra.* Ad modum talparum sunt auari. Et August. Væ illis, qui viuunt, vt augeant res perituras, vnde æternas amittunt. Idem: Maledictus dispensator auarus, cui largus est Dominus. Si scires aliquem sanctum maledixisse ei, qui aliquē cibum comederet, vix auderes eum comedere: quomodo ergo auarus audet contingere diuitias amore, quum amatoribus earum sacra scriptura, quæ ex ore Altissimi prodiit, vt legitur Ecclesiast. 23. tot maledictiones ponat.

Caput III.

De quatuor testimoniis sacræ scripturæ, quibus ostenditur magnitudo huius vitii.

Tertiò, faciunt ad detestationem auaritiæ testimonia sacræ scripturæ, quæ ostendunt magnitudinem huius vitii. De quibus ponemus quatuor tantummodo. Primum est Ecclesiastic. 10. vbi dicitur: *Auaro nihil est scelestius*, id est, nullum scelus maius est auaritia; etiam scelus Iudæ non videtur maius fuisse scelere auari, quantum ad hoc quod Iudas Deum dedit pro triginta denariis: sed auarus quandoque dat eum pro vno denario, & quandoque pro nihilo, quum non timet periurium incurrere, vt denarium vnum lucretur, & quandoque non lucratur vnum denarium, quandoque non vendit illud, pro quo periurium incurrit: & in veritate peccatum Iudæ fuit auaritia, vel ex auaritia. Secundum testimonium similiter est Ecclesiast. 10. vbi dicitur: *Nihil iniquius est quàm pecuniam amare.* Hic enim animam suam venalem habet, quoniam in vita sua proiecit intima sua. Quàm iniquus sit amans pecuniam, manifestari potest. Primò, per hoc, quod statera æstimationis suæ æquissima est. Plus enim in ea ponderat diabolus, quàm Deus, & quàm anima ipsius auari, & quàm regnum æternum. De hac statera legitur Osee 12. *Chanaan in manu eius statera dolosa.* Chanaan interpretatur, negotiator. Hæc est statera dolosa, quę abominatio est apud Deum, de qua Prou. 11. *Et benè dicitur abominatio esse,* quia non ponderant ibi, nisi temporalia, quæ Apostolus Philip. 3. stercora reputabat, quem non dimisisset Spiritus sanctus decipi in sua æstimatione. Secundò, potest ostendi iniquitas amantis pecuniam, per hoc, quod in eo non est æquitas illa, quæ est tam in Creatore, quàm in cæteris creaturis. Creator enim communicare vult & se, & sua. Similiter creaturæ suæ communicant, vt sol communicat lumen suum, & ignis calorem, & arbores fructus suos. Vnde Aug. Iudicium maximum diuinæ bonitatis est, quod quælibet cogitur dare seipsam. Auarus verò communicare sua non vult nisi cùm à morte cogitur. Nec etiam tunc frequenter, imò abscondita putrefiunt, creatura vna defectum alterius supplere cupit. Vnde natura nihil vacuum patitur: auarus verò non curat defectus proximi sui supplere.

Mag[...] aua[...] iniq[...] tas.

Quod auarus iniquus sit in Deum, in se, in proximum, & in inferiores creaturas.

Tertiò ostenditur iniquitas auari, per hoc quòd ipse est iniquus in Deum, & in seipsum, & in proximum, & in inferiores creaturas. In Deum iniquus est, quia bona sibi commendata à Deo ad dispensandum, proditiosè sua facit. Diuites enim dispensatores sunt diuitiarum Domini. Vnde Apost. 1. Corinth. 4.

Au[...] iniq[...] in D[...] pro[...] mu[...] seip[...]

Sic nos æstimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Iniquus est in Deum, quia vilissimam creaturam ei præponit. Iniquus est etiam in Deum quia inde hostis Dei efficitur, vnde emplius eum amare debuit: scilicet propter bona huius mundi, quæ Deus sibi contulit. Iniquus in seipsum est. Primò, quia seipsum inimicis suis vendit. Valde iniquus reputaretur aliquis, qui proximum suum inimicis suis capitalibus venderet. Sed iniquior valde reputaretur, qui cognatum vel fratrom venderet. Iniquissimus qui patrem quem plus amare deberet. Sed multo iniquior videtur esse reputandus ille, qui seipsum vendit cum amplius seipsum debeat amare quam patrem. Hæc causa innuitur cum sequitur in verbo proposito. Eccles. 10. *Hic enim animam suam venalem habet.* Secundò, iniquus est auarus in seipsum, quia se euiscerat. Vnde Dauid: *Tabescere fecisti sicut araneam animam eius.* Valde crudelis reputaretur, qui ventrem patris sui gladio transuerberaret & viscera proiiceret, quomodo ergo iniquis non est, qui seipsum quem debeat amplius amare, euiscerat? quod est desperare se. Desperatio enim maius peccatum est cæteris. Ad hoc pertinet, quod legitur in verbo Ecclesiast. proposito. *Proiecit in visa sua intima sua.* Tertio iniquus est in seipsum, quia amat ea quæ tot mala sibi faciunt: vt patebit inferius. Amat spinas diuitiarum, in quibus comburendus est. Vnde Prouerb. 1. legitur de auaris: *Ipsi contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas.* Iniquus etiam auarus est in proximum, quia sibi retinet; quod pauperibu serogare debuit. Sicut eleemosynarius alicuius principis vel executor alicuius testamenti iniquus esset, si ea quæ deberet distribuere pauperibus, sibi retineret. Iniquus est etiam in proximum, quia quasi occidit eum, cum fame eum permittit perire cùm potest subuenire. Vndè scriptum est: *Pasce fame morientem: quod si non paueris, occidisti.* Vnde Eccl. 34. *Panis egentium, vita pauperum: qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Præcipuè autem iniquus est auarus in eos, quos amplius debet amare: scilicet in filios, quibus materiam incendii congregat infernalis; quibus molam asinariam ad colla suspendit, qua demergentur in profundum inferni, quos amore diuitiarum quasi ad collum posito quodam fune, hostibus infernalibus tradit. Iniquus est auarus in vxorem & in totam familiam suam quam strangulat, dum eos facit consentire peccato vsurarum. In creaturas verò inferiores iniquus est auarus, quia recludit eas in carcere custodiæ suæ, vbi eas putrescere facit. Vnde Iac. 5. dicitur auaris: *Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum erit vobis in testimonium, & manducauit carnes vestras quasi ignis.*

Quod auaritia sit idololatria, & auarus idololatra.

TErtium testimonium est ad Ephesios 5. vbi dicitur: *Auaritia est idolorum seruitus.* Vbi dicit Glossa: Auari Deus est nummus. Auarus similis est latroni minus bona pro melioribus commutanti, donec inuentus est & comprehensus. Ægris dantur à medicis cuncta, quæ desiderant. Sen. Nunquam Auarus bene facit, nisi cum moritur. August. Nemo habet iustum lucrum sine iusto damno. Vbi lucrum, ibi & damnum: lucrum in arca, damnum in conscientia. Tulit vestem & perdit fidem. Acquirit pecuniam, & perdit iustitiam. Quod autem auaritia sit idololatria, vel Dei negatio, potest ostendi multipliciter. Primò per hoc, quod super illud Matth. 6. *Non potestis Deo seruire, & mammonæ,* dicit Gloss. Diuitiis seruire, Deum negare est. Duobus modis potest negare aliquis domi-

Auarus nũquã benefacit, nisi cũ moritur.

nium alicuius principis, vel dicendo: Ego non recognosco vos esse dominum meum, nec aliquid teneo à vobis. Si scirem vos esse dominum meum, vel aliquid me tenere à vobis, libenter soluerem vobis censum vel seruitium vestrum. Item dicendo, Bene recognosco, quod debetis esse Dominus meus, & censum debeo vobis, sed nihil soluam vobis: & hic modus negandi magis est contumeliosus Domino. Sic differt negatio, qua mali Christiani negant Dominum Deum, ab illa qua Gentiles negant eum. Multi enim Gentiles sunt, qui Christo libenter seruirent, si scirent esse Dominum suum: sed solum ob hoc censum seruitii sui ei non reddunt, quia eius dominium non agnoscunt: sed Christiani benè agnoscunt eum esse Dominum suum, & tamen seruitii censum nolunt ei reddere, maiorem contumeliam facientes ei, quàm Gentiles, quia scienter hoc faciunt. Secundò potest ostendi per hoc, quod Deus præcipit auaro, vt nomen eius non assumat in vanum. Exod. 20. Et ex alia parte nummus vnus, quem lucrari cupit, præcipit ei vt nomen Dei assumat in vanum, & ipse potius obedit nummo, quàm Deo, indubitanter ostendens se magis esse seruum nummi, quàm Dei. Obedientia enim ostendit, quem aliquis verè reputet Dominum. Vnde Dominus Luc. 6. *Quid vocatis me Domine, Domine, & non facitis, quæ dico?* Ecclesi.10. *Pecuniæ obediunt omnia.* Tertiò potest ostendi per hoc, quod auarus creaturam adorat interiori adoratione. Adorare enim aliquid est, summum honorem ei exhibere, vel diuinam maiestatem ei profiteri. Vtrunque verò facit auarus. Si enim occurrant ei duo, quorum alterum credat habere Deum, alterum diuitias, maiorem honorem exhiberet diuitiis in diuite quàm Deo in alio. Hanc idololatriam insinuat nobis Salomon in Prouerb. dicens: *Multi colunt personam potentis, &c.* Coli ad Deum pertinet. In potente coluntur diuitiæ per se: diues verò per accidens: vnde quidam, Dominus nummi nobis hos præstat honores. Maiestatem etiam diuinam profitetur auarus creaturæ. Maiestas enim est, quod signatur per hoc aduerbium summe, cum dicitur summe bonus, vel summe potens, vel aliquid simile. Facto autem profitetur auarus illud summe bonum, quod summe diligit, & præ cæteris charum habet: & sic diuinam maiestatem profitetur auarus illi creaturæ, quàm diligit amplius, quàm Deum. Præterea cum transit ante pulchram vineam, vel domum, caput cordis inclinat ei. Inclinatio animi est amor, sicut dicit Dionysius. Interius ergo talem reuerentiam exhibet auarus vineæ vel domui, qualem verus fidelis exhibet Deo in imagine Crucifixi vel beatæ Virginis. Quartò potest ostendi per hoc, quod auarus illa tria dat creaturæ, quæ propriè Deo danda sunt: scilicet fidem, spem, & amorem. De fide satis potest ostendi, quia ipse melius sentit vel credit de diuitiis quàm de Deo. Credit enim quod necessaria debet habere si diuitiis seruierit, & credit se fame perire, si Deo seruierit, quasi Deus possit minus vel minus velit seruientes suos remunerare, quàm diuitiæ. Duabus de causis accidit, quod aliquis non prohibet ei, quem sibi videt fideliter seruire: vel quia non potest, vel quia non vult: quarum neutra potest esse in Deo cum sit omnipotens, & summe bonus. Spem etiam ponit auarus in diuitiis suis, quod quodammodo de Deo desperare est. Vnde Augustin. De Deo desperare est spem in creaturis posuisse. Amorem etiam ponit ibi, quem in Deo deberet ponere faciens inde Deum suum. Vnde Augustinus super epistolam ad Philip. *Hoc ab homine colitur, quod præ cæteris diligitur.* Quintò hoc potest ostendi autoritate Hieron. dicentis ad Rusticum monachum. Æstimato male pondere peccatorum, leuius alicui

Auarus dat tria creaturæ, quæ Deo debentur.

videtur peccare auarus,quàm idololatria: sed non mediocriter errat. Non enim grauius peccat, qui duo grana thuris proiicit super altare Mercurii,quàm qui pecuniam auare cupit, & inutiliter congregat. Ridiculum videtur, quod aliquis iudicetur idololatra, quia duo grana thuris offert creaturæ, quæ Deo debuit offerre: ille non iudicetur idololatra, qui totum seruitium vitæ quod Deo debuit offerre, offert creaturæ. Ad idem facit illud verbum Osee 10. *Secundum multitudinem fructus sui Israel multiplicauit sibi altaria, iuxta vbertatem terræ suæ exuberauit simulachris.* Quartum testimonium est illud verbum, quod legitur 1. Timoth. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Alia litera habet, Radix omnium malorum est auaritia. Ad auaritiam ergo,quasi ad radicem omnium malorum præcipuè adhibenda esset securis prædicationis. Frustra laboratur in extirpatione malorum si rami amputantur,& radix ista relinquitur.

Capvt IV.

Quod grauis infirmitas sit Auaritia.

QVartò facit ad detestationem auaritiæ hoc, quod inter infirmitates spirituales ipsa est pessima, vel vna de peioribus. Vnde Eccl. 5. *Est infirmitas pessima, quam vidi sub sole diuitiæ conseruatæ in malum domini sui.* Pereunt enim in afflictione pessima. Inter infirmitates quędam sunt bonæ,quædam sunt malæ. Bonæ sunt infirmitates corporis:quod ostenditur per hoc, quod à summo bono, id est, à Deo, & quod dantur à patre amantissimo,& per hoc, quod sunt vt cocturæ factæ in minus nobili parte hominis ad sanandum partem meliorem, scilicet animam. *Meliora sunt,* vt ait Salomon, *vulnera diligentis*, scilicet Dei, *quàm fraudulenta oscula odientis*, scilicet mūdi. Vulnera diligentis cocturę sunt vt medicinalia: sed oscula odientis sunt vt morsus serpentini, vel venenati, vel oscula Iudæ proditoris. Dicit enim mundus iste dæmonibus. Matt. 26. *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum:* Infirmitates verò malæ, sunt infirmitates spirituales, scilicet peccata mortalia: quod potest ex hoc ostendi, quod sunt infirmitates ad mortem, & ad æternam mortē: & ex hoc, quod medicum, scilicet Dei filium oportuit venire de tam longinquis partibus ad curationem earum: & ex hoc, quod tantas expensas oportuit fieri pro curatione earum: Filius enim Dei se expendit ibi. Vndè Ber. Ex consideratione remedii periculi mei æstimate quantitatem. Filius Dei iubetur occidi, vt vulneribus meis pretioso sanguine istius balsamo medeatur: agnosce homo,quam grauia sunt vulnera illa,pro quibus necesse est Christum Domini vulnerari. Inter infirmitates spirituales pessima vel grauissima est infirmitas auaritiæ quantum ad multa.

Infirmitatis bonæ & malæ I. Bonæ.

2. Malę.

Quod in XII. grauitas huius infirmitatis potest ostendi.

DVodecim verò sunt ex quibus potest ostendi grauitas huius infirmitatis. Primum est, eius diuturnitas. Cuius diuturnitatis duæ sunt causæ: scilicet abundantia materiæ & durabilitatis. In materia huius infirmitatis est ferè totus mundus. Vnde cum difficultate valde magna euacuatur perfectè materia ista à corde hominis: vt scilicet homo omnia temporalia perfecte contemnat: materia etiam huius infirmitatis durabilior est, quam materia luxuriæ. Mulier enim quam aliquis amat, potest mori vel deformis fieri: & sic cessante materia cessat infirmitas luxuriæ in homine. Sed terra quam amat auarus, plus durabit quam ipse: & ideò infirmitas illa erit diuturna propter consimiles causas: est diuturna & aliqua infirmitas corporalis propter abundantiam materiæ & compactionem. Secundum est, conti-

1.

2.

nuitas huius bonitatis. Fornicator quandóque non fornicatur semel in mense: auarus verò quasi continue laborat. Vnde Eccles. 4. *Vnus solus est, & secundum non habet filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat.* Et eiusdem: *Cuncti dies*
3. *eius laboribus, & ærumnis pleni sunt.* Tertium est, afflictio acerba quam habet infirmitas ista. Affligit autem in hac infirmitate grauiter solicitudo, quæ est in conseruando. Ad quod pertinet, quod dictum est in verbo proposito: *Diuitiæ conseruatæ in malum domini sui.* Grauius verò affligit labor in acquirendo. Vnde 1. ad Timoth. 6. post illud verbum, *Radix omnium malorum est cupiditas*, subiungit Apostolus: *Quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Grauissime vero affligit dolor in amittendo. Et ad hoc pertinet, quod dictum est in verbo proposito. *Pereunt enim in afflictione pessima.* Tunc enim pessime affliguntur, cum diuitiæ eis pereunt. Vnde Poeta: *Ploratur enim lacrymis amis-*
4. *sa pecunia veris.* Quartum est vniuersitas huius infirmitatis. Auaritia enim non parcit seni, nec iuueni: imò secundum verbum Prophetæ, *A maiore vsque ad minorem omnes auaritiæ student.* Vix est puer septennis quin cupidus sit, & furetur denarios matri suæ. De peccato luxuriæ expectant pueri duodecimum annum, vel decimum quartum. Item peccatum luxuriæ senio senescit in aliquibus: sed de auaritia dicit auctoritas, quod cum cætera vitia in senibus senescant, sola auaritia non senescit. Sapient. Cum senes ad omnia alia rectius cæteris sapiant, ad solam auaritiam desipiunt. Senec. Monstro similis est senis auaritia. Quid enim stultius est, quàm via deficiente viaticum augere? Auaritia etiam non parcit infirmis, nec sanis. Peccatum luxuriæ ad modicam infirmitatem corporalem fugit. Infirmitas enim grauis sobriam reddit animam: vt legitur Ecclesiast. 31. Sed auaritia tunc interdùm augetur. Amat enim tunc auarus amplius tuas diuitias, quas iam habet, quia laborare non potest in acquisitione aliarum diuitiarum. Auaritia etiam non parcit nec literatis, nec idiotis: multi sunt viri liberati, qui fornicari dedignarentur, qui tamen valde auari sunt. Quintum, per 5.
quod potest ostendi grauitas huius infirmitatis est hoc, quod cœlestis medicus primò volens occurrere huic infirmitati quasi periculosiori, primum consilium dedit contra eam. Matth. 5. dicens: *Beati pauperes spiritu, &c.* Sextum est hoc, 6.
quod quasi ad mortem iudicauit eam tantus medicus. Matth. 19. dicens: *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cœlorum.* Et post: *Facilius est camelum intrare per foramen acus, &c.* Non dixit hoc de peccato carnis: imò dixit, *Meretrices & publicani præcedent vos in regnum Dei.* Septimum est hoc, quod ista 7.
infirmitas abstulit finaliter tanto medico vnum de illis, quos ipse acceperat in cura scilicet Iudam. Hoc non facit ambitio vel aliud peccatum, licet de ambitione pluries sint tentati Apostoli. Octauum est hoc, quod auaritia irrisit cœle- 8.
stem medicum, & ad vltimum ipsum interfecit. De primo habemus Lucæ 15. *Audiebant hæc verba Pharisæi, qui erant auari, & irridebant eum.* Aliud manifestum est, quia auaritia Iudæ & sacerdotum interfecit eum. Nonum est hoc, 9.
quod cœlestis medicus contra hanc infirmitatem tantam purgationem indixit, dicens Lucæ 14. *Omnis ex vobis, qui non renuntiauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Contra gulam non tantum dixit, sed solum admonuit, ne corda discipulorum grauarentur crapula & ebrietate. Decimum est hoc, 10.
quod Ecclesia in principio contra hanc infirmitatem ita strictam diætam obseruari voluit, vt nullus haberet aliquid proprium. Vndecimum est hoc, quod 11.
multi hac infirmitate laborant, qui nesciunt se illa laborare, & ideò non quærunt

runt sanitatem. Seneca: Initium salutis est cognitio peccati. Idem: Se nemo auarum intelligit, nemo cupidum. Ideò cum difficultate ad sanitatem peruenimus, quia nos ægrotare nescimus.

De septem infirmitatibus, quæ sunt in auaro.

DVodecimum est varietas infirmitatum, quæ infirmitatem auaritiæ sequuntur. De quibus septem ponemus. Quarum prima est cæcitas, quæ est figurata Ioan. 9. per cœcitatem illius cæci nati. Vnde Dominus volens illuminare eum, liniuit oculos eius luto: insinuans esse causam cœcitatis illius lutum temporalium illorum. De hac cæcitate legitur similiter Tob. 2. vbi habetur, quod Tob. fuit excæcatus stercoribus calidis hirundinum, quæ super oculos eius ceciderunt. Hirundo garrula & depicta, significat felicitatem huius mundi, quæ est quadam pulchritudine depicta & tumultuosa, quæ calida stercora proiicit super oculos cordis: id est temporalia ista, quæ exurunt corda hominum. Genes. 20. legitur, qvod Abimelech Rex Geraræ dedit Saræ mille argenteos in velamen oculorum suorum, & super illud Psalmi: *Mane astabo tibi, & videbo*: dicit Glossa: Deum non videt, qui temporalibus adhæret. Secunda infirmitas est febris, quæ figurata potest esse per febrem, à qua Dominus curauit filium reguli. De quo legitur Ioan. 4. *Auarus febrilem distemperantiam patitur, cuius tremorem habet cum trepidat vbi trepidandum non esset*. Seneca: De ipso videt regem, & æstimat prædonem: videt pauperem & æstimat furem. Ad tremorem huius febris pertinet, quod legitur Iob. 15. *Sonitus terroris semper in auribus eeus: & cum sit pax, insidias suspicatur*. Et in Psal. *Posuisti firmamentum eius formidinem*. Et Esa. 24. *Formido, & fouea, & laqueus super te, qui habitator es terræ*. Habitator terræ est auarus, qui est quasi talpa. Æstuat autem auarus ex febre ista, cum irascitur ex amissione diuitiarum suarum. Tertia infirmitas est manus ariditas. De qua legitur Matth. 12. *Extende manum tuam*, ait Dominus habenti manum aridam, & extendit, & restituta est sanitati sicut altera. Manum aridam habet auarus dum per largitionem eleemosynarum non valet pauperi extendere. Quarta infirmitas est illa, à qua quis dicitur lunaticus, de qua legitur Matth. 17. *Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & mala patitur, & sæpè cadit in ignem, & crebro in aquam*. Auarus sæpè cadit in ignem iræ, & crebro in aquam voluptatis. Potest autem vocari lunaticus, quia regitur secundum sapientiam huius mundi: quæ per lumen lunæ intelligitur: quæ lucet de nocte. Sapientia huius mundi solum lucet de nocte præsentis vitæ. Cum post præsentem vitam illuxerit sol iustitiæ, bene apparebit, quod sapientia huius mundi stultitia sit. Quinta infirmitas est inclinatio ad terram. De qua Lucæ 14. *Et ecce mulier, quæ habebat spiritũ infirmitatis annis xviij. & erat inclinata, nec poterat sursum respicere*. Secundum sacros expositores, ista infirmitas est amor diuitiarum, quæ hominem bestiam reddit interius, vt ad terram respiciat, qui ad cœlos respicere debuit. Vnde Dauid: *Oculos suos statuerunt declinare in terram*. Bernard. Quid indecentiùs, quàm curuum recto corpore gerere animum? Idem: Indigne corpus humanum inhabitat brutus & bestialis spiritus. Sexta infirmitas est, respirandi difficultas vsque ad suffocationem. Vnde Matth. 13. *Solicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum*, vbi dicit glos. Solicitudo huius seculi dum bonum ad cor intrare non sinit, quasi aditum vitalis flatus claudit. Septima infirmitas est hydropisis. De qua Lucæ 13. *Ecce quidam homo hydropicus erat ante illum, &c.* Assimilatur autem auarus hydropico in inflatione, & fœtido anhelitu & siti insa-

Secunda Pars. H

tiabili. Inflationem possumus referre ad superbiam, quæ comitatur diuitias. Vndè super illud 1. ad Timoth. 6. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere*, dicit Gloss. Augustini : Vermis diuitum superbia est, vel istam inflationem possumus referre ad ventris ingluuiem, quæ interdum diuitias comitatur. Illi enim, cui sufficiebat vnum ferculum cum pauper erat, nom sufficiunt tria cum diues factus est. Fœtorem verò anhelitus referre possumus ad consilia corrupta, quæ dant auari familiaribus suis De siti verò auari planum est, quod est insatiabilis. Vnde Prouer. 30. *Sanguisugæ duæ filiæ sunt, dicentes : Affer, affer.* Sanguisuga diabolus est, sanguinem peccati semper sugens & sitiens. Ipse dum in humilitate mansit fuit angelus : superbia verò fecit eum sanguisugam. Ipsius verò duæ sunt filiæ, auaritia & luxuria, dicentes semper, *Affer, affer.* Ad eandem insatiabilitatem pertinet, quod legitur Ecclesiast. 5. *Auarus non implebitur pecunia.*

Quare auarus diuitiis non satietur.

POssunt autem assignari septem causæ huius insatietati. Prima est, animæ capacitas : quia secundum sanctos animam Dei capacem nihil minus Deo implere potest: vnde quum orbis terrarum sit ante Deum, quasi gutta roris antelucani, vt legitur Sapient. 12. non sufficit implere cor hominis vnius. Exemplum de Alexandro, qui dixit: Mundus vni non sufficit homini. Secunda causa est: quia cupiditas est infinita, pecunia verò quantumcunque magna sit, est finita. Seneca. Naturalia desideria finita sunt ex sancta opinione nascentia : innaturalia verò vbi desinant non habent. Cupiditatem infinitam dicimus : quia nullo fine mensuratur, vel fine tali mensuratur, qui in præsenti non obtinetur. Nullo fine mensuratur in eo, qui solum vult habere diuitias, vt habeat. Fine, qui in præsenti non obtinetur, mensuratur in eo, qui ideò vult eas habere, vt per eas gratiam & gloriam huius mundi sibi acquirat : vel qui tantum de pecunia vult habere, vt necessitati, quæ possit sibi accidere, sufficiat. Nullus enim vnquam in mundo isto habuit gratiam & gloriam apud omnes, etiam ipse filius Dei, imò alii dicebant de ipso, Bonus est : alii dicebant, Non, sed seducit turbas. Necessitati autem, quæ potest accidere, non sufficere etiam quæ sunt, sed necessaria essent, quæ possunt esse. Sed qui mensuraret desiderium suum necessitate præsenti, pauca sufficerent. Sic mensurant animalia : & ideò pauca eis sufficiunt. Seneca: Quibus nihil deest, feris in alimentum solicitudo sua sufficit. Sic docet nos Apostolus, *vt nos desideria nostra mensuremus*. 1. ad Timoth. 6. *Habentes alimenta, &c.* Cum pecunia quantacunque sit finita, cupiditas infinita, non potest pecunia via alia adæquari ei, nisi cupiditas finiatur, & sic diminuatur. Vndè non est alia via cupido perueniendi ad satietatem, nisi rescindendo desiderium suum. Vnde Sen. Si vis te diuitem facere, non pecuniæ est adiiciendum, sed cupiditati detrahendum. Tertia causa, quare auari desiderium non satiatur, est hæc, quod quasi pars cibi appositi senper venter efficitur. Verbi gratia: Auarus, si habet nouum frumentum, statim condit nouum horreum. Si habet nouam vineam, condit nouum dolium, & tamen facit, vt cui prius deerat horreum & dolium : modo desit vinum vel frumentum. Quarta causa est hæc, quod bona quæ auarus acquirit, quid vacui secum afferunt. Sicut enim homo habet aliquem defectum, sic & aliæ creaturæ. Vnde cum auro & argento venit defectus clauis & seræ. Vinea habet defectum cellarii, doliorum, & aliorum multorum, quæ secum affert: venit enim necessitas plura expendendi cum diuitiis. Vnde Ecclesiast. 5. *Vbi multæ opes, & multi qui comedunt eas.* Et sic ve-

rum est, permultis illos indigere, qui permulta possident, vt dicit Boëtius. Et sicut dicit Senec. Altera cupiditatum ex fine alterius trahitur. Idem: Congregetur in te quidquid multi diuites possident, ex his maiora cupere diceris. Et super illud 1. Timoth. 6. *Quam quidam appetentes, errauerunt à fide*, dicit Gloss. Qui pecuniam appetit, capere cupit. Qui vult sitim cupiditatis suæ diuitiis sedare, similis est illi, qui vult sitim corporalem extinguere salsam aquam bibendo. Aqua salsa ex eo, quod aqua nata est sitim extinguere, & eo quod salsa nata est eam prouocare: Sic diuitiæ in quantum aliquem defectum supplent, sitim sedant, inquantum verò multos defectus secum afferunt, sitim prouoeant. Quinta causa est, quod hæc cupiditas est quasi ignis, vnde Eccles. 23. *Anima calida quasi ignis ardens*. Et Prouerb. 30. *ignis nunquam dicit, Sufficit*. ignis verò non extinguitur ex appositione lignorum siccorum, sed augetur. Secundum enim ligna syluæ exardescet ignis, vt dicitur Eccles. 28. Sic nec cupiditas extinguitur ex appositione diuitiarum, sed augetur. Crescit enim amor nummi quantum ipsa pecunia crescit: quia pecunia non ponitur vbi sitis auari est. Vnde sicut vinum in dolio non sedat sitim corporalem: sic nec pecunia in arca vel bursa sedat sitim auaritiæ. Insanis auare, qui pecuniam ponis in bursa vel arca: non enim est ibi sitis. Sexta est, quod pecunia res est corporalis: anima verò res est spiritualis. Res verò spiritualis corporali non potest impleri: nec econuerso. Verbi gratia: Sicut arca sapientia non potest impleri, ita nec anima pecunia. Septima causa est vanitas pecuniæ. Vnde Dauid: *Vt quid diligitis vanitatem?* (Psal. 8.) Et sicut plenum vano adhuc vacuum reputatur, vt arca plena aëre vacua reputatur; nec propter plenitudinem quam habet minus capax est alterius rei: sic anima auari quantumcunque habeat de diuitiis, adhuc vacua est. Vnde verum est, quod dicit beata Virgo: *Diuites dimisit inanes*. Ad hoc pertinet, quod dicit Bernardus: Non plus satiabitur cor hominis auro, quàm corpus aura. Et Ecclesiast. 34. *Quasi qui apprehendit vmbram, & sequitur ventum: sic qui attendit ad visa mendacia*. Et Ierem. 4. *Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihil*. Non solum autem inanis & vacuus est omnis auarus, imò & pauper. (Auarus est totus pauper.) Vnde Tullius: Si propter auiditatem pecuniæ quotidie decipis, poscis, eripis, suntne hæc signa abundantis an egentis? Animus humanus non arca diues appellari solet, quamuis illa plena sit. Quum inanem te videbo, diuitem non reputabo. Et subiungit: Contentum suis rebus esse, sunt maximæ & certissimæ diuitiæ, quasi diues potest auarus esse, sed vere diues nunquam erit. Vnde Prouer. 14. *Et quasi diues, quum nihil habeat: & est quasi pauper, cum in multis diuitiis sit*. Auarus in varietate nihil habet eorum, quæ habere videtur. Vnde Hieron. in magno prologo Bibliæ: Antiquum dictum est, Auaro deest tam quod habet, quam quod non habet. Credenti totus mundus diuitiarum est: infidelis autem, etiam obolo indiget. Quod exponit Bernardus dicens: Fideli totus mundus diuitiarum est: quia tam aduersa, quàm prospera ipsius æquè seruiunt ei, & cooperantur in bonum. Et subiungit: Auarus esurit terrena vt mendicus, fidelis contemnit vt Dominus. Poëta: *Semper auarus eget: nocet empta dolore voluptas*. Dauid: *Diuites eguerunt, & esurierunt*.

Capvt V.

Quod Auaritia sit misera seruitus.

Qvintò facit ad detestationem Auaritiæ misera seruitus, in qua auaritia ponit. Auarus enim seruus est diuitiarum. Vnde Dauid, *Nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis*. (Psal. 75.) Ordo congruus esset, vt diuitiæ virorum essent,

non viri diuitiarum. Sed auaritia hanc peruersitatem facit, vti viri sint diuitiarum. Dicitur autem auarus seruus diuitiarum: quia non est possessor earum, sed tantum custos. Et non tantum non possidet, imò etiam possidetur ab eis. Quod auarus sit custos diuitiarum. dicit Gloss. super illud Luc.16. *Non potestis Deo seruire & mammonæ*, his verbis. Seruit diuitiis, qui custodit vt seruus: sed qui seruitutis excussit iugum, distribuit vt Dominus. Quod autem auarus diuitias non possideat, dicit Seneca his verbis: Pecuniam magnam habet aliquis. Si auarus est, non habet. Si prodigus est, non habebit. Signum autem manifestum, quod auarus non sit possessor diuitiarum, est hoc, quod non potest inde facere quod vult, vel quod bonum iudicat: imò domina auaritia benè prohiberet ei. Vnd: Ecclesiast. 6. *Est aliud malum, quod vidi sub sole, quod est frequens apud homines. Vir cui Deus dedit diuitias & honorem & substantiam, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat, nec tribuit Deus potestatem vt comedat ex eo, sed homo extraneus deuorabit illud.* Hoc vanitas & magna miseria est, & Senec. Non sit tibi auaritia, quæ quicquid omnibus abstulerit sibi ipsi neget: & Bernardus super Canticum: Quæritur à quouis eorum, qui insatiabili corde lucris temporalibus inhiant, quid sentiat de illis, qui sua vendentes, & pauperibus erogantes, regnum cœlorum pro terrena substantia mercantur, sapienter-ne agant? Respondebit, proculdubio, Sapienter. Quære iterum sibi, Cur quod approbat non facit? Non possum, inquit. Quare? profectò quia domina auaritia non permittit. Non habet auarus ea, quæ habere videtur, nisi eo modo loquendi quo quis compedes habet, quibus compeditus est, qui potius dominantur ei quam seruiunt.

Auarus non est diuitiarũ possessor.

Quod Auarus possideatur à diuitiis.

QVod autem auarus possideatur à diuitiis, ostendit Sidonius, dicens, Res tuas si mediocriter colas, possides: si nimium, possideris. Hoc etiam potest probari, primò per hoc quod obedit eis auarus, sicut prius ostensum est ex illo verbo Eccles. 10. *Pecuniæ obediunt omnia.* Secundò ex hoc, quod conformat se auarus bursæ suæ, sicut ancilla dominæ. Bernardus super Cant. loquens ad auarum: Facis te pecuniæ tuæ non Dominum, sed seruum; custodem, non possessorem. Denique conformaris crumenæ tuæ tanquam seruus Domino suo: vt quomodo ille necessariò congaudet illi gaudenti, & condolet dolenti: tu quoque crescente marsupio tuo crescis pariter & animo; & decrescente pariter decrescis. Nam contraheris tristitia, quum illud exinanitur; & solueris lætitia, aut certe inflaris superbia, quum illud impletur. Tertiò ostenditur, quod diuitiæ possideant auarum, ex hoc quod ita impediunt eum, quod in nulla necessitate potest se habere per horam ad audiendum consilium medici, vt scilicet audiat sermonem. Si sententiam mortis cognouerit latam contra se, non poterit se habere, vt iudicem pro vita sua oret. Augustinus: Venditis rebus nostris, nullum maius earum recipimus pretium, quàm nosipsos. Implicati enim talibus, nostri non eramus. Senec. Gratuita nobis videntur, quæ carissimè constant. Ex hoc potest apparere stupor noster: quia ea sola putamus emi, pro quibus pecuniam damus vel soluimus. Ea gratuita vocamus, pro quibus nosipsos impendimus. Idem: Nihil est cuique se vilius. Idem: Nostri essemus, si nostra non essent. Nonne bene se amisit diues auarus, qui in summa necessitate non potest se habere? infirmus etiam ad mortem, nec potest se habere ad horam, vt consilium medi-

Nimi[...] aman[...] diuiti[...] iumn[...] possid[...] sed p[...] sidetu[...]

ei audiat; id est, vt prædicationem audiat: lata est sententia mortis super eum, nec per vnam horam potest se habere, vt pro vita sua iudicem oret. Si maledictus est, qui partem suam deteriorem facit, quid ille qui omnino se reddit expertem, id est sine parte, sicut dicit Bernardus.

Quod sex sunt, quæ faciunt ad miseriam huius seruitutis.

SEx sunt, quæ faciunt ad miseriam illius seruitutis, in qua ponit auaritia. Primum est hoc, quod ista seruitus est spiritualis. Multò enim indignius est mente seruire, quàm corpore, vt dicit Sap. & Bernard. An non seruus, cui dominatur peccatum? & maximè, nisi tu fortè indigniùs iudices hominem tibi, quàm vitium nominari. Secundum est vtilitas rei, cuius seruus est. Rei enim contemptibilis, & ab omnibus conculcabilis seruus est, scilicet terræ. Tertium est hoc, quod ipse seruus est cuiusdam dominæ, quæ vellet, quod ipse numquam comederet, vel biberet. Ista domina est auaritia. Quantum est hoc, quod domina ista eos, qui sibi seruierunt per totam vitam suam, nudos transmittit in camisia, nec aliam mercedem dat eis. Vnde Psal. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Item: *Simul insipiens & stultus peribunt, & relinquent alienis diuitias suas.* Item. *Ne timueris, cùm diues factus fuerit homo, &c.* Eccl. 14. *Qui congregat ex animo suo iniustè, aliis congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur.* Iob. 1. *Nudus egressus sum ex vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* & 7. *Diues quum dormierit, nihil secum auferet.* 1. ad Timoth. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus.* Quintum est hoc, quod domina ista honestissima præcepit furta, rapinas, periuria, proditiones, homicidia, imò etiam deicidia. Hæc præcepit principibus sacerdotum, vt Filium Dei occiderent. Sextum est hoc, quod grauia præcipit. Vnde Ierem. 16. *Seruietis dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte.* Esa. 20. *Tradam Aegyptum in manibus dominorum crudelium*: & vt breuiter dicam, Auaritia seruis suis exhibet torturam, & compedes, & occupationes graues & viles, quæ seruis maleuolis solent exhiberi. Eccl. 33. *Seruo maleuolo tortura & compedes, mitte illum in operationem, ne vacet.* Greg. Ad compedes onerat quicquid homo præter necessaria curat. Auaritia seruos suos excæcat: & ad molam, id est, ad volubilitatem terrenorum istorum molere facit. Quod significatum est Iudic. 16. in Samsone, quem excæcatum Philisthæi molere fecerunt. Auaritia etiam facit manus auarorum in cophinos seruire. Terra enim onerati vadunt per solitudinem. Ipsa etiam facit eos fodere, non solùm fossorio, imò etiam corde. Vnde & talpis assimilantur. Ad miseriam etiam seruitutis auaritiæ, facit hoc quod auarus est seruus omnium illorum, qui diuitias possunt ei conferre, vel auferre, vel conseruare. Seneca. Minus, quàm seruus est, qui seruos timet.

CAPVT VI.

Quod magnam vim habeat auaritia ad capiendum animas, & detinendum vel submergendum.

SExtò facit ad detestationem Auaritiæ hoc, quod diabolus non habet machinamentum efficacius ad capiendum, vel detinendum, vel submergendum, quàm sit auaritia. Contra eam quasi nullum castrum potest tenere. Quatuor sunt, quæ ad fortitudinem castri solent facere, scilicet fossati magnitudo, loci altitudo, murus & aquæ abundantia castrum cingens. Contra primum comportat auaritia aggerem & fossatum

paupertatis replet. Vnde benè ei conuenit quod legitur Hab. 1. *Super omnem munitionem ridebit: comportabit aggerem, & capiet eam.* Contra altitudinem verò loci congregat molem terræ castro altiorem. Procurat enim quandoque videt castrum aliquod in eminentia vitæ, vt tot temporalia habeat, quod altiora sint quodammodo ipsis spiritualibus. Tunc temporalia quodammodo altiora sunt, quando spiritualibus proponuntur: quando etiam in electione prælatorum maior habetur respectus ad illa, & magis occupantur Prælati circa eam, postquam electi sunt. Contra abundantiam verò aquæ lacrymarum & sapientiæ salutaris, auaritia obstruit terra, meatus aquæ, dum adeò impedit spirituales viros terrenorum sollicitudine, quod non possunt cogitare nec peccata sua, nec alias causas flendi, vt exitus aquarum deducant oculi eorum, & hoc est quod legitur Gen. 4. Cain interfecisse Abel. Cain interpretatur possessio, Abel luctus. Tunc Cain Abel interficit, quum solicitudo terrenarum possessionum luctum claustralium impedit. Item etiam impedit, ne aqua gratiæ vel sapientiæ salutaris ad claustrales fluat. Ad quod potest pertinere quod legitur Iudith. 7. *Quod quum Holofernes obsedisset Bethuliam, fecit incidi aquæ ductum.* Murum verò castri suffodit auaritia, quum de muneribus Prælatum Ecclesię corrumpit. Vnde Gen. penult. *Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia,* & quibusdam interpositis, subiungitur: *In furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum.* Simeon interpretatur exaudibilis, Leui assumptus. Vnde benè tenent hi duo figuram eorum, qui munera largiuntur. Illi enim exaudiuntur in petitionibus suis, & assumuntur ad dignitates. Isti occidunt Prælatum Ecclesiæ, qui vir deberet esse, & suffodiunt murum corrumpendo illum, qui resiistere debet malè ingredientibus in Ecclesiam Dei. Nullum etiam vitium est, cuius laquei sint potentiores ad capiendum, quàm auaritia. Quod ideò est: quia auaritia habet laqueos valdè absconsos & diuersos, & ferè vbique positos.

Quod laquei Auaritiæ tribus modis sint occulti.

DE absconsione legitur Iob 14. *Abscondita est in terra pedica eius.* Dauid, *Narrauerunt vt absconderent laqueos, dixerunt, Quis videbit eos? Scrutati sunt, &c.* Absconditi verò possunt dici tribus modis. Primò, quia adeò subtiles sunt, quod periti magistri non vident eos: vt patet in subtilibus laqueis vsuræ, & simoniæ, de quibus etiam summi magistri dubitant. Secundò, quia velati sunt necessitate naturali: necessarium est enim aliqua habere ad sustentationem vitæ. Vnde Greg. Primò, diabolus solicitat hominem, vt quærat necessaria: quando verò est in opere, vt quærat superflua, & ex hoc accidit, quod diabolus tentat eos de auaritia, quos non auderet tentare de luxuria: quia non audirent illum quia nihil boni est ibi. Tertiò verò, quia sunt velati spirituali vtilitate. Qui enim habet diuitias, potest peccata sua eleemosynis redimere, & multa alia bona facere. Ad quod referunt auari illud Eccl. 7. *Vtilior est sapientia cum diuitiis,* non attendentes quod *valdè magnam oporteret esse sapientiam,* quæ cum diuitiis durare diu, quum sapientia Salomonis cum eis durare non potuerit. Quod autem laquei auaritiæ multi sunt, & vbique positi, patet per hoc quod legitur Sapientiæ 14. quod creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animæ hominum, & in muscipulam pedibus insipientium: In quacunque creatura desiderabili quam videmus, habet auaritia laqueum suum: vnde difficile est laqueos auaritiæ euadere ei, qui cordè in terra habitat. Ideò benè dicitur Esaiæ vigesimo quarto: *Laqueus super te qui habitator es terra.*

Et 1. Tim. 6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli.* Et nota quod auaritia vtitur muſcipula ad capiendum incautos, in qua pro aſſere retinente, eſt tota domus vna, & quandoque Epiſcopatus vnus, & quãdoque Regnum, vt quando aliquis talia iniuſtè poſſidet. De hac muſcipula loquitur Aug. dicens auaro: Præda quam vis rapere, eſt in muſcipula. Tenes alienum, & teneris à diabolo. Et vix tales ſaluantur, cùm valdè difficile ſit ea relinquere, quæ iniuſtè poſſident.

Quod nullum vitium fortius teneat quam auaritia.

Ratio 1. NVllum enim vitium eſt, quod fortiùs hominem teneat. Cuius rei poteſt triplex cauſa aſſignari. Prima eſt ſoliditas rei, cui ligatus eſt. Poſſeſſio enim ſua plus durat, quàm ipſe: & ideò non ſoluitur
2. à vitio auaritiæ, dum viuit. Secunda cauſa eſt, quia pluribus ſtipitibus ligatus eſt. Quot poſſeſſiones amat, tot ſtipitibus ligatus eſt. Et multiplici funiculo: quia non ſolùm amore proprio, imò etiam amore filiorum. Vnde, cùm in morte deſinit amare ea ſibi, amat adhuc filijs ſuis. Potens etiam eſt auaritia, ad ſubmergendum hominem in profundum inferni. Vnde ſuper illud Deuteronom. 38. *Non habebit rex argenti & auri immenſa pondera*, dicit interlin. in infernum mergentia. Et 1. ad Timothæum 6. loquens Apoſtolus de diuitum deſiderijs, dicit, *Quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.* & Auguſtinus: Amas ſæculum? abſorbebit te. Amatores enim ſuos vorare nouit, non portare. Nec mirum, ſi auari demerguntur, cùm ligatam habeant ad collum per amorem, non molam aſinariam, imò domum, vel rem ponderoſiorem, & ſint in profundo maris.

Capvt VII.

Quod auaritia ſit Deo exoſa, iniurioſa proximo, & nociua proprio ſubiecto. Et primò, quod Deo exoſa ſit, teſtimonijs ſacræ ſcripturæ oſtenditur.

SEptimò, facit ad deteſtationem Auaritię hoc, quod ipſa eſt Deo valde exoſa, proximo valdè iniurioſa, & proprio ſubiecto valdè nociua. Primùm poteſt oſtendi ex teſtimoniis ſacræ ſcripturæ, quod dicit Deum odire auaros, vel iratum eſſe eis, quale eſt illud, *Odiſti obſeruantes vanitates ſuperuacuas.* Vanitates obſeruant, qui in diuitiis ſperant: & ſicut tangitur in gl. ſuperuacuè ſperat, qui ſperat in diuitiis: quia quum in eis ſperat, aut ipſe expirat, & ea hîc dimittit: aut quum viuit, omnia pereunt, & ipſe in ſpe ſua deficit. Ad idem facit illud Iac. 4. *Amicus huius mundi, inimicus Dei conſtituitur*, & illud 1. Ioan. 2. S*i quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo*, & illud, *Inimici eius terram lingent.* Auaritia Deo exoſa.

De quadruplici ſtultitia auari.

IN quo verbo quadruplex ſtultitia auarorum inſinuatur. Prima eſt, quia rem immundam corde lingunt, quam canis lingua erubeſceret lingere: ſcilicet terram. Secunda eſt, quia quum diuitiæ ſpinæ vocentur à Domino, Matt. 13. qui veriſſimè res ſcit appellare, quum diuitias terrenas lingunt, ſolatium in eis quærendo, quaſi mel ſuper ſpinas lingunt. Quod diuitiæ ſpinæ ſint, dicit Greg. ſuper illud Iob 30. Eſſe ſub ſentibus delicias reputabant his verbis: Profectò ſpinæ ſunt, quia cogitationum ſuarum aculeis mentem pungunt. Tertia ſtultitia eſt hæc: quia fonte dulcedinis & ſolatii neglecto, guttas ſolatii in terrennis diuitiis quærunt. Quarta ſtultitia eſt, quod lingendo, ad ſocietatem ſe poſſe peruenire credunt.

Quod auaris Deus sit iratus.

QVod verò Deus iratus sit auaris, patet. Primò, ex illo verbo Zac. 2. *Ira magna irascor ego super omnes gentes opulentas*. Secundò, ex illo verbo Esa. 57. *Propter iniquitatẽ auaritiæ eius iratus sum, & percussi eum.* Tertiò, ex illo verbo Osee 12. *Ad iracundiam prouocauit me Ephraim.* Ephraim, id est, fructificans, & diues. Quartò, ex illo verbo quod dicit Iac. 5. auaris diuitibus. *Thesaurisastis vobis iram in nouissimis diebus.* vbi dicit gl. Nescis miser cum thesauro pecuniæ, thesaurum iræ pariter cumulari? Signum etiam quod auarus sit Deo exosus, potest hîc esse, quod Deus non vult eum nominare. Vnde Luc. 16. non nominatur diues, Lazarus verò nominatur, & hæc potest esse causa: quia diuites vocauerunt nomina sua in terris suis. Vnde Dominus non vult memor esse nominum eorum per labia sua: quia nomina eorum fuerunt in ore iaculatorum, & aliorum carnalium, qui quasi porci sunt. Vnde sicut aliquis non poneret libenter in ore suo pomum, quod in ore porci fuisset: sic Deus nomina talium in ore suo non vult habere.

Auarus Deo ignotus.

Quatuor rationes sunt, quare Deus odit auaritiam.

POtest autem assignari quadruplex ratio inimicitiarum, quę sunt Dei ad auaritiam. Prima est hæc, quod auaritia misericordiam fugat. Vnde sicut misericordia Deo specialiter placet, iuxta illud Osee 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium:* sic auaritia displicet ei. Secunda hæc est, quod auaritia vilipendit multùm Deum. Illud enim quod libenter faceret pro obolo, non vult facere, cùm dicitur ei, quod hoc faciat pro Deo. Tertia hæc est, quod creaturam ab omnibus conculcabilem deificat, non sine magna contumelia Dei. Ad augmentum verò contumeliæ Dei, non solùm vnum Deum sibi facit, sed tot, quot possessiones habet. Vnde Oseæ 10. *Israel secundùm multitudinem fructus sui multiplicauit altaria sibi: iuxta vbertatem terræ suæ exuberauit simulachris.* Ad cumulum etiam contumeliæ facit, quòd de bonis sibi à Deo collatis, hanc contumeliam illi faciunt. Vnde Oseæ 2. *Ego dedi ei frumentum, vinum & oleum, & argentum multiplicaui eis, & aurum, quæ fecerunt Baal.* In hoc autem deterior est hæc idolatria, gentium idololatria: quia simulachra gentium os habent, & cætera membra, ad similitudinem hominum: sed auaritia deificat informem materiam, scilicet argentum & aurum.

Quod auarus diues quinque rusticitates faciat Deo.

QVarta causa est hæc, quando auarus diues quinque rusticitates facit Deo, seu peruersitates, quas nulli homini faceret. Prima est, quia cùm beneficium debeat acceptorem reddere memoriam benefactoris sui: auarus tamen inde Deum magis obliuiscitur. Vnde Oseæ 13. *Adimpleti sunt, & saturati sunt, & eleuauerunt cor suum, & obliti sunt mei.* Et Esa. 57. *Viam manus tuæ inuenisti, propterea Deum non rogasti.* Gregorius. Qui fœlicitatem quæsitam in terris inuenit, datorem, qui eam tribuit, non requirit. Genes. 40 *Succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.* Secunda rusticitas est, quod Deo de bonis sibi collatis gratias non agit: nec propterea eum magis diligit, imò minus quod nulli hominis faceret. Vnde Ierem. 5. *Ibo ad optimates.* Et sequitur, quibusdam interpositis: *Ecce, magis hi simul fregerunt iugum, ruperunt vincula.* Tertia rusticitas est, quia quum beneficium debeat esse quoddã frænum retinens susceptorem beneficii ab iniuria largitoris, iuxta illud Esa. 47. *Laude mea infrænabo*

nubo te, ne intereas, auarus tamen non timet Deum offendere, licet tot beneficia ab eo susceperit: nec timet beneficia suscipere, licet tantùm eum offenderit. In quo etiam cauent sibi ipsi latrones. Quarta rusticitas est hæc, quod quanto maiorem terram à Deo tenet, tanto ad minus seruitium teneri se credit. Diuites omnino nihil volunt facere de seruitio Dei. Quinta rusticitas est, quia, cùm teneat bona Domini in manibus suis, & Dominus inde petat in pauperibus: ipsi nolunt dare vel commodare etiam ad centuplam vsuram: quod facerent vni Iudæo vel Saraceno. Vnde Augustinus ad Auarum: Dicit tibi Christus: Da mihi ex eo quod dedi tibi. De meo quæro, & mihi non donas. Da mihi, & reddo. Habuisti me largitorem, facito me debitorem, habeam te fœneratorem. Pauca mihi das, plura reddam. Temporalia mihi das: æterna restituam. Idem: Præbe tectum, & accipe cælum. Bernardus. Quid insaniæ est! quòd cunctantur relinquere simpla pro centuplis? Vbi est cupidus? vbi ambitiosus? vbi conquisitor huius sæculi?

Quòd Auaritia sit iniuriosa proximo.

SEquitur de malis quæ facit Auaritia proximo. Quæ multa sunt. Ex hac enim sequuntur bella & lites. Vnde Iacobi quinto: *Vnde in vobis bella & lites, nisi ex concupiscentia vestra?* Seneca. Quietissimè viuerent homines, si hæc duo pronomina de medio tellerentur, meum & tuum. Ex hac etiam sequuntur homicidia. Vnde Cain, qui interpretatur possessio, legitur fratrem suum Abel occidisse. Et Prouerb. 1. *Fili mi, si te lactauerint peccatores, non acquiescas eis: Si dixerint: Veni nobiscum, insidiemur sanguini.* Et post subiungitur caussa motiua: *Omnem substantiam pretiosam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis, &c.* Ex hac etiam sequitur rapina. Vnde Ecclesiast. 13. *Venatio leonis onager in eremo.* Sic pascua diuitum sunt pauperes. Auarus nulli fidem custobit, nec Deo, nec homini. Deo, non; ipsius enim est vox illa, Lucæ decimo: *Ecce hæres, venite, occidamus eum, vt nostra fiat hæreditas.* Homini, non. Filius enim auarus, mortem patris exoptat, & mater filiam vendit iugulatoribus infernalibus. Ex hac etiam accidit, quòd filii volunt potius parentes comburi æternaliter, quàm hæreditatem sibi minui. Hæc facit, vt tribunalia velut tabernæ sint, in quibus sanguis innocentum venalis offertur. Amos 3. *Nescierunt facere rectum*, dicit Dominus: *thesaurizantes iniquitatem.* Hæc mendacia vel periuria non timet, pupillos & viduam exhæredat. Hæc pauperes contemnit & irridet. Vnde Iob duodecimo. *Deridetur iusti simplicitas, lampas contenta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum.* Et Ecclesiast. decimo-tertio: *Sicut abominatio est superbo, humilitas; sic execratio est diuiti, pauper.* Hæc est immisericors proximo. Vnde Iob 40. *Cor eius indurabitur quasi lapis.* Cor diaboli est auarus. Et Lucæ decimo-sexto, habetur de Lazaro petente eleemosynam, & nemo illi dabat. Et notatur ibi immisericordia diuitis epulonis, & etiam familia illius. Et Amos sexto: *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, nihil compatiebantur super contritione Ioseph.*

Auarus cor diaboli est.

Quomodo proprio subiecto noceat Auaritia.

SEquitur videre, quomodo auaritia noceat proprio subiecto. Notandum ergo, quòd auaritia reddit hominem stultum. Vnde Lucæ duodecimo: *Stulti, hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parasti, cuius erunt?* Si est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues, & supplet Gloss. super illud: Sic est stultus. Ad idem pertinet illud Apostoli, *Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum.*

& Prou. 1. *Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti, quæ sibi noxia sunt, cupient?* Nec est stultus auarus vnica stultitia, sed multiplici. Non solùm stultus, imò & insanus est.

De insania auari diuitis.

INsania verò diuitis auari potest multipliciter ostendi. Primò, per hoc, quod occultos laqueos exquirit, vt se strangulet. Vnde Prou. 26. *Cor iniqui exquirit mala.* Iniquus potest intelligi auarus, propter illud verbum Ecclesiastici 10. *Nihil iniquius, quàm amare pecuniam:* qui ad modum insani exquirit mala scilicet laqueos occultos vsuræ & simoniæ, in quibus se interficiat. Secundò, potest ostendi ista insania per hoc, quod voluntarius vadit submergere se. Singulis diebus facit dietam vnam in infernum. Quis adeò sapiens est, qui insanus reputari non possit? si requisitus quo erat, respondeat: Vado me submergere, vel suspendere. Hoc autem respondere potest quicunque est in mortali peccato. Vadit enim submergere se in abyssum inferni, quod est summa stultitia, sicut sapientia summa est, in paradisum ire. Vnde Ecclesiast. 6. *Quod habet amplius stulto sapiens? & quid pauper, nisi vt pergat illuc, vbi est vita?* Tertiò, per hoc, quòd cùm insipiens sit, insipientiam suam non agnoscit, imò sapientem se putat, quod plus est, quàm stultitia, & quàm insania. Vnde Prouer. 28. *Sapiens sibi videtur vir diues: pauper autem prudens scrutabitur eum*: Pauper iste Christus est, qui scrutabitur eum, qui sibi sapiens videtur, ostendens eum non fuisse sapientem. Et Prou. 22. *Vidisti hominem sibi sapientem videri, magis illo spem habebit stultus.* In quo verbo innuitur insipientiorem esse cæteris illum, qui se putat sapientem, quum non sit. Quartò, ostéditur insania, ista per hoc: quod auarus spiritualiter interficit omnes, qui iuxta se sunt. Si videres aliquem, qui clava accepta, primò interficeret vxorem suam, deinde filios suos & filias, totam familiam, & post sacerdotem, ne pro peccato suo eum excommunicaret, nunquid eum insanum reputares? Sic facit auarus, præcipuè vsurarius, dum omnes tales facit communicare peccato suo. Corporaliter etiam percutit diues vicinos suos. Quandoque enim diuitiæ suæ eum faciunt insanire. Vnde alapa vna quandoque constat ei centum libris. Vnde Ecclesiast. 21. *Obiurgatio & iniuria annihilabunt substantiam, & domus quæ nimis locuples est, annihilabitur superbia.* De hac persecutione loquitur Dominus Matth. 24. *Si autem dixerit malus ille seruus in corde suo: Moram facit Dominus meus, & cœperit percutere conseruos suos, &c.* Quintò, ostenditur insania ista per hoc, quia ad districtissimum iudicem, cum re furtiua ire non timet. Dum viuimus, non cessamus ad iudicem ire, & quotidie proximiores sumus. Sextò, ostenditur insania ista per hoc; quod cùm domus conscientiæ suæ igne cupiditatis succensa sit tempore, quo aquam gratiæ ad ignem illum infernalem extinguendum quærere debuit, quærit potius quasi facultas, ad incendendum domum suam, quia quærit aurum & argentum, cæteraque concupiscibilia, quæ ignem cupiditatis incendunt.

De multiplici stultitia Auari.

SEquitur de multiplici stultitia auari. Et est prima stultitia eius, quod se cæteris rebus minus diligit, quod potest ostendi. Primò, per hoc, quod se malum, & sua bona vult habere. Vnde Augustinus. Adeò cæcitas mentis conualuit, adeò absorbuit hominem interiùs, vt omnia velit, præter seipsum, bona habere. Et iterum Augustin. loquens ad auarum: quid est quod te velis malum habere? Nihil omnino. Non vxorem, non filium, non seruum, non tunicam, postremò, non caligam, & tamen vis habere malam

vitam. Rogo te, præpone vitam tuam caligæ tuæ. Secundò, potest idem ostendi per hoc, quod auarus de perditione sui non dolet, de perditione autem oboli doleret. Singulis diebus sotulares suos tergit, seipsum autem per annum in sordibus relinquit: nec etiam tunc benè mundat. Tertiò, potest idem ostendi per hoc, quod de corde suo, quasi clypeum rebus suis facit, vt cor suum incommoda rerum suarum primo excipiat: similis cuidam stulto, qui habens sotulares nouos, transiens per spinas, se discalciauit. Adeò enim amabat sotulares suos, quod potius elegit sotularibus suis, quàm propriis pedibus parcere. Secunda stultitia auari est, quod sua negligit, & de alienis solicitus est.

Quæ propriè sint hominis.

QVatuor autem sunt quæ possumus dicere nostra, scilicet bona interna. Vnde Seneca. Sapiens intra se omne bonum terminabit. Et dicit, quòd quidam, patria capta, vxore & liberis amissis, quũ ex incendio publico solus, & tamen beatus exiret: interroganti victori, si quid perdidisset. Nihil, inquit, perdidi, bona mea mecum sunt. Ista bona interna negligit auarus. Proiecit enim in vita intima sua: vt legitur Ecclesiastici 8. Nostrum est etiam tempus. Vnde Seneca. Cætera à nobis aliena sunt: tempus tantùm nostrum est. Quod autem tempus quodam speciali modo nostrum sit, videtur, per hoc quod qui tempus amittit, seipsum amittit: qui medium vitæ suæ amittit, se dimidium amittit: & qui totum tempus amittit, se totum amittit. Nostra etiam sunt ea, qua pauperibus largimur. Vnde quidam, cum dominus eius vellet de bonis eius habere, & præcepisset ei, vt de bonis suis virtutem diceret ei, facta computatione sexcentorum aureorum, quos pauperibus erogauerat, respondit, quod nihil plus in mundo habeat præter centum aureos. Cum autem à circumstantibus obiiceretur ei, quod falsum esset, & dicerent: Illa grangia tantum valet, & domus tantum, & multa alia. Ille respondit, Illa non sunt mea, sed domini mei: quia quando voluerit, accipiet tamquam suum: sed illud quod dedi pro Deo per manus pauperum, in salua custodia posui, ita quod nullus potest mihi illud auferre. Ad hoc pertinet illud, quod legitur Ecclesiast. 17. & 29. *Eleemosyna viri quasi saculus cum ipso.* Nostra etiam sunt bona æterna. Vnde Lucæ 16. *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?* Alienum vocat bonum transitorium, nostrum æternum. Sua igitur negligit auarus, qui quatuor prædicta, quæ propriè sua sunt, non timet amittere: de alienis verò solicitus est: id est, de temporalibus istis, quæ nostra non sunt. Sicut potest ostendi.

Quod temporalia ista non sunt hominis.

PRimò, ex hoc quod Dominus dicit in Luca. *Si in alieno, &c.* Secundò, ex illo verbo Abac. 2. *Væ qui congregat non sua.* Tertiò, ex illo verbo Ambrosij super Luc. Non bona sunt hominis, quæ secum ferre non potest. Sola misericordia comes est defunctorum, quod intelligendum est de illis defunctis, qui cum misericordita in præsenti societatem habuerunt. Quartò, potest idem rationabiliter ostendi. Primò, per hoc, quod bona temporalia assimilantur fluuio transeunti. Fatua esset ciuitas aliqua, quæ æstimaret aquam Rhodani ante se transeuntem sibi remansuram, cùm per tot ciuitates transierit, nec eis remanserit. Sic fatui sunt, qui bona temporalia sibi remansura putant. Vnde quidam: Erras, si mansuras putas tibi diuitias, quæ per tot manus hominum transierunt. Hanc rationem insinuat Dauid, vbi dicit: *Diuitiæ, si affluant, nolite cor apponere.* Diuitiæ ad modũ Ps. 61.

fluuii sicut affluunt, sic defluunt. Non est aqua Rhodani illius ciuitatis, ante quam transit, sed ad necessitatem suam potest inde sumere: sic licet bonis temporalibus vti possimus ad necessitatem nostram, nostra tamen non sunt, sed sicut vulgariter dicitur, *Tout fut à autruy, tout est à autruy*. Secundò, potest ostendi quod nostra non est. Vnde Dauid: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Et iterùm: *Aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei.* Tertiò, per hoc, quòd ianitor huius mundi, mors scilicet, non permittit nos ferre aliquid de hoc mundo. Quando aliquis sedet ad mensam alicuius potentis, multa apponuntur sibi, scilicet scyphi argentei, scutellæ, & similia in quibus solum vsum habet. Si verò aliquis ex simplicitate crederet ea esse sua, & vellet ea secum ferre, ianitor benè ostenderet ad portam, quod nihil iuris in eis haberet. Ita diuites credunt bona temporalia sua esse, sed mors benè ostendit eis contrarium, cùm dicit: Nihil intulistis in hunc mundum, nec quicquam auferre potestis. Quartò, potest idem ostendi per hoc, quia dum canis sequitur duos homines, nescitur quis eius dominus sit, sed si separentur illi ab inuicem, canis sequitur dominum suum, & tunc apparet cuius sit; sic diuitiæ in morte remanent cum mundo, & deserunt auarum. Et est notabile exemplum Principis magni Saracenorum, qui cùm mortem sibi imminere inspiceret, pannum lienum, de quo sibi sudarium consuendum erat, erexit in signum, & fecit circumferri per ciuitatem à præcone dicente: Hæc dicit Princeps vester. Cùm essem dominus vndecim regionum, hoc solùm de gloria mea & diuitiis meis mecum auferam. Diuitiæ sunt velut infideles amici, qui amatores suos in extrema necessitate deserunt. Vnde quidam, cùm à diuitiis suis auxilium implorasset, nec etiam posset habere responsum ab eis, ait: O fallaces diuitiæ! toto vos corde amaui, & honoraui, & nunc in tanta necessitate positus, nihil consilii & auxilii à vobis habere possum. Paratæ estis me deserere, nec vultis me sequi; ego præmittam vos. Et his dictis, statim distribuit omnia pauperibus. Vltimò, potest ostendi, quòd temporalia nostra non sunt, per hoc quod solam dispensationem in eis habemus. Ambrosius. Nemo dicat proprium quod commune est. Plusquam sufficeret ad sumptum, violenter obtentum est. Ille qui sua negligit, & alia excolit, iuxta sapientiam huius mundi, infœlix reputatur; quia cùm aliena compellitur relinquere, ex suis, quæ neglexit, non potest sustentari. Sic auarus, cùm temporalia bona amiserit, bonis æternis carebit. Tertia stultitia auari est: quia ea amat, quæ amatoribus suis non prosunt, imò sunt eis valdè nociua, contemptoribus suis valdè sunt vtilia: vnde melioris conditionis sunt; qui ea non amant, quàm qui ea amant. Quòd diuitiæ non prosint amatoribus suis, patet ex illo verbo Ecclesiastici 5. *Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.*

Ps. 136. Psal. 38.

Mors ianitor huius mundi est.

Exemplum.

De quinque fructibus diuitiarum.

Qvinque fructus videntur esse diuitiarum. Primus est satietas. Vnde Tullius: Fructus diuitiarum est copia, hunc fructum non capit, qui diuitias amat. Amor enim est fames spiritualis, fames autem non est satietas. Secundus autem fructus est, redemptio animarum. Vnde Prouerbiorum decimo-tertio: *Redemptio animæ viri, propriæ diuitiæ.* Et Danielis quarto: *Peccata tua eleemosynis redime.* Prouerbiorum decimo-quarto: *Corona sapientium diuitiæ eorum.* Tertius est, emptio regni cælestis. Vnde Lucæ decimo-sexto: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c.* & Augustinus, Præbe tectum, & accipe cælum. Quartus fructus est, patrocinium pauperum.

Vnde Greg. Pauperes non sunt despiciendi vt egeni, sed rogandi vt patroni. Pauperes sunt sicut stipendiarii nostri, vnde Eccles. 9. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis.* Er paulò pòst: *Super scutum potentis & lanceas pugnabit aduersus inimicos tuos.* Quintus fructus est, ipsarum diuitiarum multiplicatio, vnde 1. ad Timoth. 4. *Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Quatuor vltimos fructus non colligit ex diuitiis qui eas amat, quia eas non seminat, sed retinet apud se: & ideò non potest fructum inde colligere. Non solum autem non prosunt diuitiæ amatoribus suis, imò etiam multum nocent.

Diuitiæ occidunt. Inquinant enim eos, cruciant & occidunt. Ad primum facit illud verbum Bernard. Beatus qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant. Ad secundum facit illud, quod dicit Seneca. Proiice quæ cor tuum laniant: quæ si aliter abstrahi nequirent, cor ipsum cum eis auellendum esset. Ad tertium facit, quod cum Constantinus dedit imperium Ecclesiæ, audita est hæc vox. Hodie infusum est venenum Ecclesiæ Dei. Diuitiæ ergo vt venenum se habent ad amatores suos, interficiunt enim eos. Ideò miratur

Psal. 4. Dauid quare diligantur, dicens: *Vt quid diligitis vanitatem, &c.* Et Prouerb. 1. *Vsquequo paruuli diligitis infantiam, &c.* Ipsæ etiam diuitiæ quodammodo ne amentur clamant, dum tot afflictiones faciunt amatoribus suis. Vnde Gregor. Mundus iste tot afflictionibus pulsat, tot calamitates ingeminat, quid aliud nisi vt non diligatur clamat? Quod autem diuitiæ sint vtiles contemptoribus suis, patet ex hoc quod earum contemptores licet pauperes sint, ex contemptu earum regnum æternum emunt. Quarta stultitia auari est, quod ea custodit, quæ custodita perduntur, perdita verò custodiuntur. Quod ostendi potest per simile de frumento, quod si custodiatur perditur, si seminando perdatur, renouatur & multiplicatur. Vndè super illud Matth. 16. *Qui voluerit animam suam saluam facere perdet eam*, dicit Gloss. Quasi dicitur agricolæ: Si frumentum seruas perdis: si seminas, remouas. Ad idem facit illud Ecclesiast. 29. *Perde pecuniam propter fratrem & amicum, & non abscondas sub lapide in perditionem.* Lapis vocatur cordis duritia. Sub qua dum absconditur, in perditionem absconditur: quia dum seruari creditur, perditur. Et non solum perditur, imò iam etiam perdit dominum suum, quod deterius est. Vnde Bernard. Loquens de bonis temporalibus dicit: Vtinam tantum congregata perirent, & non congregator eorum. Tolerabilius esset insudare labori perituro, quam peremptoro. Quinta stultitia auari est in expendendo prodige: quod facit dum pretiosum lumen rationis consumit, in quærendo temporalia, quæ vilia sunt, de Ibidem. hoc lumine dicitur in Psalm. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Lumen vultus Dei, ratio est, quia secundum eam Dei imago sumus. Lumen ergo rationis est signatum super nos: quia impressum est nobis sicut imago sigilli ceræ imprimitur. Hoc lumen valde pretiosum est, sicut potest ostendi tripliciter. Primò per hoc, quod secundum illud Deo similes sumus. Secundò per hoc, quod præualet toti mundo absque creaturis rationalibus, quod patet per hoc, quod si alicui lumen rationis tenebrescat, per insaniam vel alio modo, melius est illi lumen restitui, quam totum mundum ei acquiri. Tertiò potest idem ostendi per hoc, quod sol & luna & omnia alia luminaria cœli, imò etiam omnes creaturæ visibiles deseruiunt huic lumini, & sunt quasi ad accendendum illud. Vnde manifestum est quale sit lumen istud, cui tam pretiosa luminaria deseruiunt. Valde enim paruis candelis solent accendi valde magni cerei. Hoc lumen expendunt auari in quærendo temporalia, quæ apostolus arbitratus est vt stercora, quem

non credimus fuisse deceptum in sua arbitratione. Si quis candelam quinque denariorum expenderet, quærendo vnum obolum, valde fatuus reputaretur: quanto insipientior reputandus est auarus, qui lumen pretiosum, imò impreciabile, in congregando lutum expendit? Vere insanus est auarus, qui vicinos suos reprehendet de hoc, quod ceram consumunt, cum sepum eis sufficere possit, dicens: *Vt quid perditio hæc?* seipsum verò non reprehendit de perditione talis & tanti luminis. Lumen istud regnum est datum homini, vt eo circa se & Deum vtatur. Auarus verò eo vtitur circa iumenta sua, ipse vero remanet in tenebris. Iumenta sua ad lumen comedunt, ipse verò comedit in vmbris, vnde Eccles. 5. dicitur de auaro. *Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna atque tristitia.* Et quia in tenebris comedit, ideò noxia & venenata comedit. O quam fatuus reputaretur quis, qui ad præsepe iumentorum suorum cereum magnum poneret, ad mensam verò suam esset sine lumine. Sed insipientior eo est auarus, qui nec solum lumen rationis prodigè expendit, imò seipsum dum se totum rebus suis largitur ordinandis & excolendis & de se nihil retinet sibi ipsi, cum ipse amplius regimine & cultura indigeat. Sexta stultitia est in acquirendo. Fatuus operarius est, qui sciens aliquam bonam artem ex qua potest lucrari decem marcas in die; & facit vile opus, vnde tantum quatuor denarios acquirit. Insipientior est auarus, qui labore diurno tantum lucratur aliquid terrenum, cum labore eodem, vel minori, & quandoque maiori propter Deum faceret, posset lucrari regnum cœlorum. Ad quod pertinet illud Gregorii: Fatuum est inde temporalia quærere, vnde possumus æterna habere. Minuit Dominus hominem paulominus ab Angelis, sed homo auaritia sua minuit se multo amplius à iumentis,

Tēporalia pro æternis quærere stultum est.

cum reducit se ad illud opus; in quo multo minus valet homo, quam equus. Locatur enim equus duodecim denariis, quando homo locat se nisi quatuor. Vnde nisi homo laborem suum ad Deum referat, à quo aliam mercedem recipiet, inferior iumentis quantum ad hoc est. Fatuus etiam negotiator est auarus, qui simpla pro centuplis non vult commutare. Vnde Bernardus loquens de verbo isto. Centuplum accipietis, &c. dicit, Quid insaniæ est, quod cunctamur relinquere simpla pro centuplis? Vbi cupidus? vbi ambitiosus? vbi conquisitor huius seculi? Fatuus est, qui ad hoc laborat vt spinæ diuitiarum sibi multiplicentur, quæ eum pungant in præsenti variis curis, & occasionaliter succendent eum in inferno. Nunquid colliget auarus de spinis istis vuas, aut de tribulis ficus? Imò etiam in præsenti inuenit in illis molestiam & asperitatem, in quibus quæsiuit suauitatem. Auarus etiam talpæ similis est, quæ quicquid fodit, super humeros proprios ponit: Sic auarus ea, quæ male acquirit, quodammodo super se ponit. Impediunt enim eum ne ad vitium gratiæ suscitari possit. Vnde diuitiis quas acquirit cumulat se. Auarus etiam similis est, secundum Bernard. homini, qui suffocatur in aqua, qui non dimittit quicquid tenere potest. Et cum deberet amplecti tabulam pœnitentiæ, quæ eum à naufragio liberaret, potius amplectitur aurum & argentum & cætera ponderosa, quæ mergunt eum in profundum inferni. Et vt breuiter dicam, Auarus antequam lucretur, seipsum perdit, & antequam aliquid capiat, capitur. Iusto enim iudicio Dei fit, sicut dicit August. vt à diuitiis quas iniuste capere voluit, capiatur iustissime, imò quod deterius est, ipsis diuitiis, quasi quadam esca à diabolo capiatur. Septima stultitia est, quod nec solum expendendo vel acquirendo insipienter agit auarus, sed etiam custodiendo. Quoda-

uarus stulte agat, custodiendo diuitias. Et hæc quatuor de causis. Primò, quia thesaurizat, vbi omnes antecessores sui thesauros amiserunt, scilicet in mundo isto. Vnde Osee 7. *Ephraim factus est sicut columba seducta, non habens cor*: id est, sapientiam. Hæc est insipientia columbæ, quod puellos suos ibi ponit vbi omnes amittere consueuit. Secundò, quia custodire vult, quæ durabilia non sunt. Temporalia ista quatuor de causis consumuntur. Primò, propter corruptibilitatem propriam. Vnde Iac. 5. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ euenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, &c.* Secunda causa est aliena rapacitas. Vnde Matth. 6. de ista causa & præcedente dicitur: *Nolite thesaurizare vobis thesaurum in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur.* Tertia causa est superbia, quam diuitiæ patiuntur, quæ postea diuitias consumit. Vnde Augustinus. Vermis diuitum superbia. Quarta causa est, ampla familia, quam diuitiæ requirunt. Vnde Eccles. 5. *Vbi multæ sunt opes, ibi multi sunt qui comedunt eas.* Et quid prodest possessori nisi, quod cernit eas oculis suis. Tertiò insipienter agit auarus custodiendo, quia vult sua secum habere, cùm securius possint sibi ab alio custodiri.

onsu- untur mpo- lia fe- iter.

Fatuus est, qui vult pecuniam suam secum habere.

QVinque casus sunt, in quibus fatuus est, qui pecuniam suam secum vult habere. Primus casus est, quando aliquis est viator, & est transiturus per locum vbi scit se spoliandum esse: tunc fatuus est si amplius velit de pecunia sua secum habere, quam sit necessarium ei ad expensas vsque ad locum illum. Onus enim esset ei si amitteret eam. Locus per quem necessario sumus transituri, est mors, vbi spoliabimur. Spoliatur homo in morte, quia mors angustum est foramen. Vnde Bern. Quid tu camele gibbum? quid tu pecuniose proditoris loculos tollis? non sic impie: non sic ingredieris. Formen acus huiusmodi sarcinas non admittit. Secundò spoliatur homo quasi rediturus in ventrem matris suæ, scilicet terræ, vnde Eccl. 40. *Iugum graue super filios Adæ à die exitus illorum de ventre matris vsque in diem sepulturæ.* Et in Iob 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*: id est, in vterum matris scilicet in terram. Tertio spoliatur homo in morte ad instar damnatorum, qui tradendi patibulo spoliantur. Fatuus est ergo auarus, qui diuitias secum vult habere, cùm sciat se in morte spoliandum esse: & non vult eas mittere in locum securum per manus pauperum. Greg. Securius feruntur diuitiæ de patria ad patriam per manus plurium, quam vnius. Secundus casus in quo fatuus est, qui pecuniam suam secum vult habere, est, cum naufragium alicui imminet. Vnde Greg. super illud Iob 31. *Quasi fluctus tumentes super me timui semper Deum.* Cum fluctus desuper imminent, tunc naturæ de naui proiiciunt pro quibus longa naufragia sumpserunt. Fatuus est ergo auarus, qui in tanto naufragio positus potius vult pecuniam suam secum habere, quam eam in saluo esse, præcipuè cum Seneca dicat, Nemo cum sarcinis enatat. Tertius casus, in quo non vult aliquis pecuniam suam secum habere, est, cum pecunia illa furtiua est, & scit pecuniam illam testimonium fore suæ damnationis, si apud se inuenta fuerit. Fatuus est ergo auarus, qui rem male acquisitam, quæ testimonium erit condemnationis ipsius, ita diligenter conseruat, videtur coniurasse sibi mortem propriam, cum in iudicio tam periculoso testes producere velit contra se. Ad hoc pertinere videtur, quod auaris dicitur Iac. 5. *Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum erit vobis in testimonium,*

& manducabit carnes vestras sicut ignis.
4. Quartus casus est, in quo vult aliquis pecuniam suam secum habere cum hostes sui eum insequuntur, & pecunia illa est impedimentum fugæ illius. Ex quo satis manifestum est, quam insipiens sit auarus, quem hostes inuisibiles insequuntur, & pecuniam suam nulli commendare vult, sed potius vult eam custodire, cum in veritate ipsa potius eum custodiat & detineat, nec de manibus eius possit euadere Vnde auarus est sicut simia vel vrsus, qui quandoque ligantur ad stipitem vel truncum mobilem. Et posset alicui videri, quod simia vel vrsus stipitem custodit: cum potius à stipite custodiatur. Sic auari ligati sunt ad temporalia bona, quorum quædam sunt mobilia, quædam immobilia, & potius per ea custodiuntur à diabolo, quam ipsi custodiant ea. Nec possunt procedere nisi quantum vinculum amoris quo ad diuitias suas ligati sunt, permittit. Vnde Exodi 8. *Veruntamen longius ne abeatis.*
5. Quintus casus quomodo vult aliquis pecuniam suam secum habere est, cum timet super eam se inquietari, vel vt largiatur eam, vel vt mutuo concedat. Et ista causa deberet multum mouere auarum, quod pecuniam suam in loco saluo reponeret. Sicut enim caro circa ossa canes prouocat, vt illa rodant & mordeant: & sicut reclamatoria prouocant aues rapaces: sic diuitiæ contra auaros fures & raptores prouocant. Vnde Seneca. Auarus diues cupiditatem irritat. Imò sicuti caro, quæ ossi adhæret, cæteris carnibus amplius appetitur: sic diuitiæ auarorum. Dicunt enim: Auferamus ei, quia nunquam inde daret nobis: Vnde à multis inquietatur auarus. Accidit etiam auaro sicut quibusdam arboribus, quæ nolunt hominibus fructus suos dimittere, nisi cum difficultate: vel quia non cito maturescunt, vel alia de causa, nihilominus arboribus illis auferuntur fructus sui: & insuper optime verberantur, etiam vsque ad fractionem multorum ramorum suorum. Aliæ verò arbores, quæ de facili fructus suos dimittunt hominibus, remanent absque damno ramorum suorum. Similiter auarus diuitiis suis spoliatur velit nolit, & præter hæc flagellatur & affligitur sæpe. Quartò insipienter agit auarus sua custodiendo, quia non vult ea præmittere in cœlum. Non enim vult eleemosynas facere in vita sua, sed expectat, quod ad aliis sibi fiât eleemosynæ post mortem. In quo similis illi est qui de nocte transiturus per loca foueis plena, lucernam vellet ferri post tergum. Eleemosynæ enim quas facit homo in vita sua, sunt quasi lucerna quæ præfertur homini, & custodit hominem ne cadat in foueam inferni. Eleemosynæ verò post mortem factæ sunt quasi lucerna post tergum, quæ non custodit hominem quin cadere possit in foueam inferni. Et si iam cecidit, non extrahunt eum inde eleemosynæ, quia in inferno nulla est redemptio.

Aua imp uidu trip

De tribus aliis stultiis auari.

SEquitur de aliis tribus stultitiis auarorum. Quartum prima est improuidentia. Secunda, incircumspectio. Tertia vero incautela. Hæc enim tria sunt species stultitiæ, sicut eorum contrariæ sunt species prudentiæ, scilicet prouidentia, circumspectio, & cautela. Quod autem auarus valde insipienter se habebat in sua prouisione, potest ostendi multipliciter. Primò per hoc, quod vbi in æternum mansuetus est, de domo sibi non prouidet: vbi vero quasi per noctem hospitaturus est, palatia magna construit. Hæc est vita præsens, se ad æternitatem futuræ vitæ comparatur. Vnde Sapient. 5. dicitur, quod *spes impii est quasi lanugo, vel tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis*: Et Tul. loquens de eo qui bene vixit in mundo isto, dicit quod ipse ex hac vita discedet tanquam ex hospitio,

tio, non tanquam ex domo. Imò quod plus est, vita præsens est quasi quoddam diuersorium, ad quod homo declinat ad commorandum aliquantulum : vel est quasi via, per quam cursim transituri sumus. Ad primam facit, quod dicit Tullius, Commorandi diuersorium, non habitandi nobis natura dedit. Ad hoc signandum Dominus in diuersorio nasci voluit. Breuitas huius vitæ in futuro verius cognoscetur. Vnde Sapient. 5. dicunt damnati in inferno, *Nos nati continuo desinimus esse : adhuc vero quod nos per viam præsentis vitæ cursim transituri sumus.* Facit huc quod dicit August. quod nihil aliud est tempus huius vitæ, quàm cursus ad mortem, vnde velocitatem huius transitus satis exprimunt damnati in inferno, qui dicunt Sapient. 5. se præteriisse vitam istam tanquam nuntium præcurrentem, & tanquam nauem quæ pertransiit fluctuantem aquam, & tanquam auem quæ transuolat in aëre, & tanquam sagittam ad locum destinatum emissam. Quale verò est hoc, quod in loco ad quem ad horam diuertimus, vel in via per quam cursim transituri sumus, palatia magna construere volumus : vbi verò æternaliter mansuri sumus, in nullo nobis prouidere curamus? Secundò potest ostendi, quod auarus insipienter agit in sua prouisione per hoc, quod horrea sua & cellaria sua replet ad sustentationem vitæ diurnæ, nihil verò præparat vitæ æternæ. Vita præsens est, quasi vita vnius diei. Dauid: *Mille anni*
Psal. 89. *ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit.* Tertiò potest idem ostendi, scilicet quod auarus insipienter agit in sua prouisione, per hoc quod iumento suo, scilicet corpori, vineas plantat, & agros seminat, & prouidere non cessat : animam verò suam propter defectum cibi spiritualis fame perire permittit. Ad
106. quod possumus referre illud Psal. *Esurientes & sitientes animæ eorum in ipsis defecit.* Et Ecclesiast. 6. *Omnis labor hominis*

in ore eius : sed anima illius non implebitur bonis, quasi diceret, Totus labor hominis est, circa os corporis, animam verò vacuam relinquit. Quartò potest ostendi, quod auarus insipienter agit in prouisione sua, per hoc quod diligenter cauet, ne rami arborum suarum nimio pondere frangantur, & iumenta sua non vult nimio pondere grauari : seipsum verò onere importabili onerare non timet. Vnde August. Quid miserius est misero non miserante seipsum? Quantumcunque oneratus sit auarus onere temporalium istorum, nunquam dicit, quod satis sit. Seneca : Segetem nimia sternit vbertas. Rami nimio onere franguntur. Omnibus quoque nocet, quos immoderata felicitas rumpit. Nec posset auarus sustinere, quod iumentum suum vltra vires suas oneraretur, in onerando vero se vires suas nunquam considerat.

De incircumspectione auari.

Sequitur de incircunspectione auari, quæ multiplex est. Prima est, quod terram continuè inspicit : iuxta illud Psalm. *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Cælestem verò patriam non considerat, quam amittit. Secunda est, quod pedes scuto defensionis diligenter protegit : caput vero, id est Christum, hostibus exponit. Caput viri Christus est, sicut dicit Apostolus. De hoc capite non curat auarus, licet ad custodiam illius admoneat, vbi dicitur : *Estote prudentes sicut serpentes.* Serpens præcipuè caput tuum custodit. Capiti asini sui, id est, corporis, multum timet auarus : huic vero glorioso capiti non timet. Tertia incircunspectio est, quod à sinistris aduersitatis diligenter sibi, à dextris vero prosperitatis non cauet, ex qua parte sibi magis timendum esset, iuxta illud Gregorii. Quum omnis fortuna timenda sit, magis timenda est prospera quàm aduersa. Et Psalm. *Cadent à latere tuo mil-* Psal. 90.

le, &c. Quarta est, quod paupertatem præsentis vitæ, quam ante se aspicit, solam attendit, & nimis eam cupiens fugere, quasi retro cadit in foueam paupertatis æternæ: iuxta illud Iob 6. *Qui timet pruinam, irruet super eum nix.* Et in Prou. *Quod timet impius, veniet super eum.* Quinta est, quod dum auarus cauet diligenter ne quis furetur argentum suum vel aurum, diabolus ex alia parte furatur ei seipsum, quum tempus suum ei furatur, & quum detinet eum in aliquo mortali peccato.

De incautela auari.

DEcima stultitia auari est, stultitia incautelæ. Et est incautela superficialis rerum inspectio, quæ multum abundat in auaro. Videns enim auarus quandam pulchritudinem exteriorum in vita diuitum, turpitudinem & fœtorem quæ, in illa est, non aduertit. De qua turpitudine dicit Augustin. Ecce cum iniquis omnia sunt pulchra & ipsi sunt turpes. Et Oseæ 8. *Factus est, quasi vas immundum in nationibus.* Videns etiam auarus in vita diuitum exteriora signa lætitiæ, grauem tristitiam, quæ corrodit corda eorum, non aduertit. De qua dicit Seneca: Horum qui felices vocantur, hilaritas est ficta, & est grauis tristitia, eo quidem grauior, quia interdum non licet palam esse miseros, sed inter ærumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere felicem. Videns etiam auarus vitam diuitum, exteriorem abundantiam, cordis pauperiem non aduertit. De qua Apocal. 3. *Dicis quia diues sum, & locuples, & nullius egeo: & nescis quia miser es, & miserabilis & pauper.* Et August. de diuite: Extra plenus, intus vacuus, carne crepat, & corde mendicat. Vndecima stultitia auari est, quod quum nouerit terram esse cibum dæmonum, iuxta illud Genes. dictum serpenti, *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ*: ipse totum ea se inuoluit, ac si cibus diaboli desideraret esse: quia vbi est thesaurus suus, ibi est cor suum. Terram etiam in ore ponit, iuxta illud Ioan. 3. *Qui de terra est, de terra loquitur.* Et Esa. 29. *De humo eloquium tuum inusitabit.* Auarus etiam in auribus terram ponit: quia ad modum aspidis aurem terra obstruit, vel quia de terrenis libenter audit. *Loquimini,* dicunt auari, *nobis placentia.* In oculis etiã terram ponit: quia iuxta verbum supra positum, *oculos suos statuerunt declinare in terram.* Et Salomon, *Oculi stultorum in finibus terræ.* Terram etiam in manibus habent: iuxta illud, *Manus eius in cophino seruierunt.* Terra etiam est in pedibus eorũ, imò sordes: secundum illud Thren. 1 *Sordes eius in pedibus eius.*

Quod auarus sit stultus tripliciter.

DVodecimo, stultus est auarus circa sua, stultior circa suos, stultissimus circa seipsum. Circa sua stultus est, quia nescit inde facere commodum suum, imò est similis cani super aceruum fæni sedenti, qui inde non comedit, & tamen latraret si quis inde sumere vellet. Auarus quidem est bursa siue arca furum, raptorum, & tyrannorum huius mundi. Arca non habet aliud commodum de pecunia quam seruat, nisi quod occasione illius interdum frangitur. Bursa verò hoc commodum reportat de pecunia quam seruat, quod maculata inde remanet, & custodiendo pecuniam consumitur & rumpitur, & interdum à latronibus scinditur. Sic auarus de pecunia quam seruat, maculam culpæ contrahit, vitam suam in custodia illius consumit, occasione illius affligitur, interdum & iugulatur. Valde etiam stultus est auarus circa suos. Facit enim auarus de filiis suis sicut solet fieri de muribus: quia sicut mures inuiscantur, & inuiscati per paleam incedendo materiam suæ exustionis colligunt, quia paleæ eis adhærent. Sic auarus quodammodo inuiscat filios suos, dum docet eos temporalia amare. Amor enim

temporalium viscus est spiritualium pœnarum sicut dicit Gloss. super Lætatus sum. Et filii sic inuiscati ob amorem temporalium, male congregant materiam sui æterni incendii. Circa se verò stultissimus est auarus, quia luctaturus cum luctatore expeditissimo, impedit se diuitiis quibus ab eo teneri possit, & deiici. Contra quod dicit Gregor. Quando ad agonem fidei venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Malignus autẽ spiritus nihil in hoc mundo proprium possidet. Nudi ergo cum nudo luctari debemus: quia si quis vestitus cum nudo luctam aggreditur citius ad terram deiicitur, quia habet vnde teneatur. Ideò adolescens, relicto syndone nudus aufugit. Et Ioseph relicto pallio ab Ægyptia. Stultus est etiam auarus circa se, quia plantatus vult esse in aquis diuitiarum, quasi nesciret salices & cæteras arbores, quæ in aquis crescunt steriles esse.

De sex aliis stultitiis auari.

PRæter prædictas stultitias, sunt sex stultitiæ auari. Prima est, quod ipse credit ea quæ somnia sunt, esse veritatem. Vnde Eccl. 34. *Somnia extollunt imprudentes.* Præsens felicitas, quæ imprudentes extollit, somnium vocatur, quia assimilatur ei in quatuor. Primò in hoc, quod sicuti somniantes credunt se contrectare poma aurea, vel lapides pretiosos, vel sumere cibos delicatos propter sola phantasmata: Sic illi qui reputantur felices, credunt se habere veras diuitias, vel delicias, quum sola phantasmata earum habeant. Longè enim amplius distant hæ diuitiæ vel deliciæ à veris, quam phantasmata pomorum aureorum à pomis aureis. Ad huiusmodi somnium potest referri, quod legitur Esaiæ 29. *Quemadmodum somniat esuriens, & comedit: quum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius: & sicut somniat sitiens & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: Sic erit multitudo gentium, quæ dimicauerunt contra montem Sion.* Rectè sicut somnians secundum visionem suam esurit & comedit, & tamen adhuc in veritate vacuus remanet: sic auarus esurit diuitias & congregat eas, & tamen æquè vacuus est vt prius vel amplius. Secundò assimilatur præsens felicitas somnio in breuitate. Vnde Iob 20. *Quasi somnium auolans non inuenietur, transiet, quasi visio nocturna.* Tertiò assimilatur in hoc, quod diuites finito somnio præsentis vitæ, nihil habent in manibus suis. Vnde Psal. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Gloss. quia nihil hîc posuerunt in manibus Christi. Manus pauperum sunt manus Christi, in quibus bonum est vt nostra ponamus, quia non est, qui de manu sua possit eruere. Vnde quidam, *Quas dederis solas, semper habebis opes.* Quartò, assimilatur præsens felicitas somno: quia illis per reputant se felices, nullus persuasionibus potest ostendi, quod somnient: sicut nec alicui quum dormit. Senec. Somnia narrare vigilantis est. Sic quando ignis infernalis excitabit eos à somno, tunc cognoscent se somniasse: sicut illi qui dicunt Sap. 5. *in inferno: Transierunt omnia sicut vmbra.* Quũ erunt diuites in inferno, tunc cognoscent bona & mala huius vitæ non fuisse bona vera & mala vera: sed tantum vmbras verorum & bonorum & malorum. Vera enim bona & vera mala futuræ vitæ sunt. Secunda stultitia est ebrietas. De qua Esaiæ 17. *Væ eorum superbiæ, ebriis Ephraim.* Ephraïm, id est fructificans, est diues qui amore mundi ebrius est. Vnde Ierem. 5. *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram*, id est, amatores terrenorum. Cuius ebrietatis triplex est signum. Primum signum est nuditas. Vnde legitur de Noe, Genes. 9. quod *bibens vinum inebriatus est, & mundatus in tabernaculo suo:* sic auarus veste nuptiali charitatis nudatus est, cum egenis viscera claudat pietatis, secundum illud 1. Ioan.

3. *Qui habuerit substantiam mundi huius, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas* Dei *manet in eo?* Hanc tamen nuditatem erubescit auarus ad modum ebrii, quia eam non cognoscit. Secundum signum est hoc quod damna & læsiones spirituales non sentit. Gregor. Qui peregrinationem istam pro patria appetit, dolere inter dolores nescit. Prouerb. 23. dicit ebrius. *Verberauerunt me, & non dolui: traxerunt me, & non sensi.* Tertium signum est hoc, quod auarus dormit tanquam porcus, adeò quod non potest excitari à somno culpæ, nec ad buccinam diuinæ prædicationis, nec ad tonitrua diuinarum comminationum. Tertia stultitia auari est, quod committit se diuitiis, quas scit esse fallaces ex verbo veritatis. Matth. 13. vbi dicitur quod fallacia diuitiarum suffocat verbum. Prætcrea scit eas, quasi infinitos homines perdidisse, & hostibus inuisibilibus captos tradidisse. Abundantia diuitiarum vtitur illo verbo Iudæ. *Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum*, vnde à diuitiis quasi à proditoribus cauendum est. Quarta stultitia auari est, quod innititur labenti atque præcipitanti, scilicet mundo: vnde Gregor. Qui labenti innititur, necesse est vt cum labente labatur. Prouerb. 11. *Qui confidit in diuitiis, corruet.* Quinta stultitia auari est, quod seruitium suum ponit in eis, quæ in summa necessitate non poterunt eum iuuare, vnde Prouer. 11. *Non proderunt diuitiæ in die vltionis: iustitia autem liberabit à morte.* Et Sophon. 1. *Argentum & aurum non poterit eos liberare in die furoris Domini.* Sexta stultitia auari est, quod credit diuitiis: quæ non solum sunt mendaces, imò ipsa mendacia vocantur. Vnde Psalmist. *Et quæritis mendacium.* Et Prouerb. 10. *Qui innititur mendaciis, hic pascit ventos.* Et August. Domine, volui tecum possidere mendacium, sed te amisi, quia non dignaris cum mendacio possideri. Et mirum est quomodo iam creditur diuitiis, quum tam longum tempus transierit, quod mentiri incœperunt, & tot homines suis mendaciis ad infernum pertraxerunt, & adhuc etiam quotidie mentiuntur, nec vnico mendacio, imò multiplici. Primò, honorem dominii promittunt, & in miseram seruitutem hominem ponunt, de qua seruitute dictum est prius. Secundò promittunt securitatem, & hominem timidum reddunt. Vnde Cain qui interpretatur possessio, legitur habuisse caput tremulum. Iob 15. *Sonitus terroris in auribus eius: & quum pax sit, semper insidias suspicatur.* Tertiò promittunt satietatem, & faciunt esurire. Vnde Philosophus. Diuitiæ cogunt esurire. Quartò, promittunt suauitatem, & tamen pungunt. Vnde Esa. 14. *Ponam Babylonem in possessionem ericij.* Vt scilicet pungatur ab his quę possidebit sicut tenens ericium pungitur ab eo.

Auarus dormit instar porci.

Marc. 14

Psal. 4

Diui[tiæ] indic[ibus] man[da]ciis cœ[…]

De cæteris malis quæ veniunt ex auaritia.

Dicto de stultitia auarorum, ostendenda sunt cætera mala, quæ facit auaritia subiecto suo, quæ in magna parte patebunt si ostendantur mala quæ faciunt diuitiæ amatoribus suis. Vnde de illis malis modo dicemus. Primum malum est, quod inquinant amatores suos: & ideo luto comparantur Habac. 2. vbi dicitur, *Vsquequo aggrauat contra se densum lutum?* Et Ecclesiast. 13. vbi dicitur. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Et Ezech. 7. sterquilinio comparantur, vbi dicitur: *Aurum eorum in sterquilinium erit.* Sterquilinium dispersum vtile est. Agros enim fructificare facit. Congregatum vero non est vtile, nisi ad inquinandum, & ad fœtorem inferendum. Sic diuitiæ dispersæ hominem iuuant, congregatæ verò amatores suos inquinant: quod Dominus voluit in rerum natura significari, quando voluit vel ordinauit, quod argentum & cætera

metalla pretiosa contingentes se etiam corporaliter inquinarent. Ad eandem inquinationem pertinet quod legitur Prouerb. 27. *Qui festinat ditari, non erit innocens.* Ditari festinat, qui in mundo hoc, qui locus est paupertatis & exilii, vult ditari. Vnde Ecclesiastici vndecimo: *Si fueris diues, non eris immunis à delicto.* & Oseæ 9. de amatoribus diuitiarum. *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* & Seneca. Multum est, diuitiarum contubernio non corrumpi. Diuitiæ obliuionem Dei inducunt. Vnde Genes. 48. Ephraim & Manasses dicuntur fuisse fratres germani. Ephraim interpretatur fructificans, per quam intelligimus diuitias: Manasses obliuio. Abundantia enim diuitiarum, & Dei obliuio societatem habent ad inuicem. Quæ societas innuitur Deuteronomii 8. vbi sic legitur: *Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum:* & subiungitur: *Absque penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris.* Deinde sequitur: *Obserua & caue, ne quando obliuiscaris* Domini *Dei tui, valdè enim turpis est inquinatio, quam diuitiæ faciunt.* Vnde Tull. Deterius auaritia nullum vitium est. Nec solùm vna macula inquinant diuitiæ, imò secum vniuersitatem iuducunt vitiorum, Et primò, superbiam. Vnde Ecclesiastici vigesimo-primo: *Domus, quæ nimis est locuples, annihilabitur superbia* Secundò, iram. Vnde Genesis decimo-tertio: *Facta est rixa inter pastores Abraham, & pastores* Loth. *Erat enim substantia eorum multa, & nequibant habitare simul.* Tertiò, inuidiam. Vnde Prouerb. 28. *Qui festinat ditari, & inuidet aliis, ignorat quod egestas superueniet.* Et Gregorius dicit de viro iusto: Per hoc quod in terris nihil appetit, alienis profectibus inuidere nescit. Quartò, acediam. Vnde Ieremiæ 48. *Sterilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requieuit in fœtibus suis.* Quintò, vitium gulæ. Vnde Lucæ decimo sexto: *Homo quidam erat diues, & epulabatur, &c.* Et eiusdem duodecimo: *Anima mea, multa habes bona reposita in annos plurimos, comede & bibe, &c.* Sextò, luxuriam. Vnde Ecclesiastici 57. dicitur ad Salomonem: *Collegisti quasi aurichalcum aurum, & computasti, quasi plumbum, argentum.* Et post sequitur, *Inclinasti femora tua mulieribus.* Secundum malum quod faciunt diuitiæ, est detentio in peccato. Et ideò comparantur luto, vt suprà. Et bitumini. Genes. 14. vbi legitur, quod vallis syluestris habebat multos puteos bituminis. Vallis syluestris est vallis huius miseriæ, quæ diuersa genera diuitiarum habet, quæ corda hominum ad modum bituminis detinent. Ad hoc pertinet, quod dicit Augustinus: Domine ea tenebant me longè à te, quæ non poteram possidere sine te: Et illud Ecclesiast. 5. *Qui diligit aurum, non iustificabitur.* Et illud Ieremiæ 22. *Locutus sum ad te in abundantia tua, & dixisti, Non audiam.* Tertium malum quod faciunt diuitiæ, est, quod possessores suos spoliant. Bona enim temporalia secundùm Augustinum bona viscata sunt. Ideò dicit Seneca: Quisquis, inquit, volet vitam agere tutam, ista viscata beneficia deuitet. Sicut ergo, virgæ viscatæ aues spoliant plumis suis: sic bona temporalia spoliant homines pennis virtutum, & plumis sanctarum meditationum, & sanctorum desideriorum. Sicut etiam spinæ oues lana spoliant, & interdum excoriant, ita vt à muscis molestentur. Sic diuitiæ corda hominum excoriant, & faciunt ea molestari à muscis diuersarum solicitudinum. De quibus muscis legitur Ecclesiastici decimo; *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Et Exod. 8. *Venit musca grauissima in domo Pharaonis & seruorum eius.* Et Gregorius. *Nihil laboriosius, quàm terrenis desiderijs æstuare. Nihil quietius, quàm in hoc mundo nihil appetere.* Hinc est, quod Israël custodiam Sabbati accepit in munere, & Ægyptus per-

cutitur muscarum multitudine. Adeò autem spoliant diuitiæ amatores suos, quod interdum branchæ continentiæ non remanent eis. Vnde Ierem. 13. *Computruit lumbare Ieremiæ ad Euphratem.* Adeò etiam spoliant eos, quòd etiam cor eis non relinquunt, imò vbi thesaurus est eorum, ibi cor eorum est. Mirum est, quomodo sapientes mundi vocantur illi, quum mundus ita spoliet eos. Mirum etiam, quomodo non cessant ludere cum mundo, quum incessanter perdant cum eo. Sed de ludo calefacti nesciunt se subtrahere ludo: sic vt non perdat, non cessat ludere lusor. Quarto loco debilitant diuitiæ. Debilis est enim homo diues ad sustinendum, & ad pugnandum, & ad benè operandum. Ad sustinendum adeò debilis est, vt ad sibilum vnius verbi de altitudine virtutum deiiciatur, & si aliquam infirmitatem in aliquo viderit, ferè insanit. Vnde Senec. Regum vobis animos induimus, nam illi obliti suæ imbecillitatis aliena deseruiunt, quasi iniuriam acceperint. Ad pugnandum etiam debiles sunt. Vnde Ierem. 46. *Ad Aquilonem, iuxta fluuium Euphratem victi sunt, & corruerunt.* Vnde legitur 1. Machab. quod exercitus Alexandri deuicto Dario, spoliis vltra modum ditatus, paulò post cum hostibus iterum congressus deuictus est. Quod videns Alexander, omnia spolia quæ sui acquisierant, iussit comburi, dicens: *Quamdiu sine pecunia fuerunt, non erat qui eis resisteret: sed auro & argento onusti, desides & pigri effecti sunt:* quibus amissis, fortiter, sicut prius, pugnauerunt. Debiles sunt etiam diuites ad benè operandum. De illis enim verum est, quod in Psalm. legitur: *Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.* Ille qui multùm poterat labore, antequam fieret Episcopus, quum factus est Episcopus, non potest ire, nec cantare, nec aliquod bonum facere. Quinto loco, affligunt

Diuites debiles ad operãdum.

diuitiæ amatores suos. Vnde Ecclesiastici decimo: *Labor stultorum affligit eos, qui nesciunt in vrbem pergere:* id est, in paradisum. Affligunt autem eos quasi continuè. Vnde Ecclesiastici secundo, dicitur de auaro. *Cuncti dies eius pleni sunt laboribus & ærumnis, nec per noctem mente requiescit.* Et eiusdem 5. *Saturitas diuitis non sinit eum dormire.* & Ecc. 14. dicitur de auaro, quod in tristitia erit super mẽsam suam: & Philosophus dicit de ipso, nihil infelicius fortunato insipiente. Item Philosophus. Nihil grauius potest imprecari cuiuis inimico, quàm auaritia. Qua in præsenti vexante, corpus eius dura tormenta patitur, & in futuro æterna supplicia promeretur. Hoc signatum est in eo quod frater Abel legitur fuisse Cain. Abel, luctus; Cain, possessio interpretatur. Abel verò & Cain fratres sunt: quia luctus & possessiones iuncti sunt. Idem figuratum est in hoc, quod Tyrus legitur fuisse filia Sidonis. Tyrus interpretatur angustia & afflictio: Sidon venatio. Venatio autem cupidorum, angustiam & afflictionem in eis parturit. Sexto loco, faciunt diuitiæ quamdam stultam fiduciam & præsumptionem. Vnde Psalm. *Ego dixi in abundantia mea. Non mouebor in æternum.* Et Ecclesiast. 11. *Inueni requiem, & nunc manducabo de bonis meis solus: & nescit quod tempus prætereat, & mors appropinquat, & relinquet omnia aliis, & morietur.* Vltimò, interficiunt animæ contemplationem. Vnde Genes. 48. Iacob ingrediente Euphraten, mortua est Rachel. Euphrates interpretatur sterilis, & significat diuitiarum abundantiam. Ista eadem mala quæ diuitiæ faciunt, facit per consequens ipsa auaritia, quæ eas congregat.

P sal

De duobus aliis malis, quæ facit auaritia proprio subiecto.

PRæter ista mala sunt, & alia duo quæ facit auaritia. Primum est, quod conturbat auarum, & totam domum

eius. Vnde Pro. 15. *Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam.* Domus ibi potest accipi pro domo conscientiæ, vel pro domesticis. Secundum malum, est ingratitudo. Vnde Seneca. Nullum malum maius habet cupiditas, quàm quod ingrata est. Idem: Quisquis de accipiendo cogitat, oblitus est accepti: Cùm deberet auarus regratiari Deo de bonis, quæ iam accepit, ipse oblitus est acceptorum, & ad acquirendis cogitat.

Capvt VIII.

De his quibus scriptura comparat auarum.

Octauò, faciunt ad detestationem auaritiæ, ea, quibus scriptura auarum comparat: scilicet inferno & morti. Vnde Heb. 2. *Dilatauit quasi infernus animam suam, & quasi mors non adimplebitur.* Vnde in persona auarorum dicitur Prou. 1. *Deglutiamus eum, sicut infernus viuentem.* & Hier Auarus est sicut infernus. Insatiabilis est enim, & quo amplius rapit & deuorat, eo amplius rapere sitit quod deuoret. Comparatur etiam auarus mari. Omnia enim flumina intrant mare, & mare non redundat: vt legitur Eccl. 1. Sic de diuitiis auarus non redundat. Comparatur etiam cani. Vnde Sen. Vidi aliquando canem missum à domino, frusta panis aut carnis aperto ore captantem: quidquid excipit: protinus integrum deuorat, & semper ad spem venturi inhiat. Idem accidit nobis: quidquid expectantibus nobis fortuna proiicit, illud, sine vlla voluptate dimittimus, statim ad rapinam alterius recti & attoniti aspiramus. Comparatur etiã auarus talpæ, eo quod niger sit per nequitiam, cæcus per auaritiam, & habens diuersos tumulos. Tot tumulos habet auarus, quod possessiones amat. Comparatur etiam araneæ. Aranea telam facit, vt muscas capiat. Muscæ quæ pungunt, signant diuitias, ad capiendas, totum studium est auarorum. Vnde Esaiæ 59. *Telas araneæ texuerunt.*

Auarus est sicut infernus.

Capvt IX.

De exemplis, quæ faciunt ad detestationem Auaritiæ.

Nonò, faciunt ad detestationem auaritiæ exempla sanctorum & philosophorum, de quibus pauca ponemus. Primum exemplum est Gen. 4. vbi rex Sodomorum dicit ad Abraham: *Da mihi animas, cætera tolle tibi:* Respondit Abraham: *Leuo manum meam ad Deum excelsum, possessorem cæli & terræ, quod à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, &c.* Secundum exemplum est eiusdem. 33. vbi Iacob volenti dare munera Esau, respondit Esau: *Habeo plurima, frater mei, sint tua tibi.* Tertium est Exod. 26. vbi artifices tabernaculi dixerunt Moysi: *Plus offert populus, quàm necessariũ est.* Dixit ergo Moyses præconis voce: *Nec vir, nec mulier, quidquam offerat vltrà in opere sanctuarij.* Quartum est, Num. 22. vbi dicit Balaam: *Si dederit mihi Balach domum suam plenam argenti & auri, non potero mutare verbum Domini.* Quintum est, 1. Reg. 12. vbi dicit Samuel: *Loquimini de me coram Domino, si de manu cuiusquam munus accepi.* Sextum 2. Reg. in fine, vbi dicit Dauid ad Ornan. *Nequaquam fiet vt vis, sed emam pretio à te aream tuam.* Septimũ est in Ioan. vbi dicit Dom. *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.* vbi dic. glos. Noluit habere quod perderet: venit pauper, ne haberet diabol. quod auferret. Octauum est Corin. 11. *Gratis euangelizaui vobis, & quum essem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui.* Item Paulus Act. 20. *Argentum & aurum, & vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ opus erant mihi: & his qui mecum erant, ministrauerunt manus istæ.* & idem: *Oportet meminisse verbi Domini Iesu, quoniam ipse*

dixit, Beatius est dare, quàm accipere. Aliud exemplum est, quod ponit Hier. de quodam Philosopho, qui proficiscens ad philosophandum Athenas, magnum pondus auri secum detulit. In via autem secum deliberans, & considerans, se non posse simul diuitias & virtutes possidere, proiecit à se autum, inquiens: O diuitiæ! abite, sitis procul à nobis. Aliud exemplum est Diogenis in dolio degentis, qui locupletem ducebat paupertatem. Ad quem Aristippus quidam Anglicus, quum mundaret olera sua, accedens, ait: Tu quum sapiens & Philosophus sis, si mihi credidisses, & regibus seruire voluisses, non olera lauares, sed in aula summi principis maneres mecum. Cui respondens, ait: Si mihi credidisses, & paupertate mediocri scires vti, non oporteret te regibus adulando mentiri. Hic, quum vidisset quendam bibere cum manu ad fontem, ait: Nesciebam naturam mihi dedisse scyphum, & paruulum vas, cum quo bibere solebat, ad lapidem confregit. Aliud exemplum est beati Thomæ Cantuariensis, qui instituens cancellarium suum, iuramento eum astrinxit, ne vnquam aliquid, vsque ad capillum, in administratione cancellarij acciperet.

PARS SECVNDA, QVÆ habet quindecim Capitula.

De Speciebus Auaritiæ,

CAPVT I.

De peccato vsuræ, & eius detestatione, ex sacra Scriptura.

DIcto de his, quæ faciunt ad detestationem auaritiæ in communi, dicendum est de speciebus eius. Inter quas primò dicemus de vsura, & hoc ordine. Primò, dicemus de his, quæ faciunt ad detestationem vsuræ. Secundò, de speciebus eius. Tertiò, tangemus aliquid de restitutione vsurarum. Ad detestationem verò huius peccati, faciunt testimonia sanctarum scripturarum. Quorum primum est Exodi vigesimo secundo, vbi sic legitur: *Si pecuniam mutuam dederis pauperi meo, qui tecum est, non vrgebis eum, quasi exactor, nec vsuris opprimes.* Secundum est Leuitici vigesimo-quinto: *Pecuniam tuam non dabis fratri tuo ad vsuram, & frugum superabundantiam non exiges.* Tertium est Deut. 23. vbi sic legitur: *Fratri tuo absque vsura id quo indiget commodabis, vt benedicat tibi Dominus in omni opere tuo, & in terra, quam ingredieris possidendam.* Vbi insinuatur, quanta sit vtilitas mutuanti fratri suo. Benedicit enim Dominus ei, in omni opere suo. Quartum est 2. Esdræ 5. vbi sic legitur: *Vsuras à fratribus nostris non exigetis.* Aliud testimonium est in Psalmum, vbi quærit Dauid ad Dominum: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Et Dominus subiungit: *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.* Tabernaculum eius est habitatio militantium: vnde significat militantem Ecclesiam, in qua non vult Deus quiescere vsurarios. Vnde ipse legitur mensas euertisse nummulariorum, & æs effudisse, & eos eiecisse de templo. Ioan. 2. non tamen recipiebant manifestas vsuras, sed munuscula fructuum accipiebant vltra sortem. Aliud testimonium est Ezechielis 18. vbi sic legitur de viro iusto: *Si ad vsuram non commodauerit, & amplius non acceperit, &c.*

De sex stultitijs Vsurariorum.

SEcundò, faciunt ad detestationem vsuræ sex stultitiæ, quibus laborat vsurarius. Prima est, cùm vehementer desideret fœnerari, non vult tamen cum Deo fœnerari; quod posset facere sine peccato, & cum magno lucro: sed ibi fœneratur vbi paruum lucrum est, & magnum peccatum. Vnde Augustinus: Miser

Miser homo, cur fœneraris homini? Fœnerare Deo, & centuplum accipies, & vitam æternam possidebis. Secunda
2. stultitia est, quod ipse accipit pecuniam ad vsuram, quum non egeat, & super melius pignus quod habet. Melius pignus quod habet, est anima, supra quam accipit: & quidquid vltra sortem accipit, est ad magnam vsuram pœnæ. De qua vsura dicitur in Psalm. *Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum*, id est, pœna & culpa. Dicitur autem pœna, vsura: quia pœna excedit culpam, cùm peccatum momentaneum æternaliter puniatur. Tertia stultitia est, quod largè ex-
3. pendit super seipsum. Largiùs etiam, quàm expenderet super deterius pignus, quod habeat. Vnde similis est animalibus emptis à carnificibus, quæ ad occisionem impinguantur, pro quibus quidquid carnifex expendit, super ipsa expendit. Ad hoc pertinet quod legitur Ieremiæ duodecimo: *Congregat eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis*: id est, separa eos tanquam ea quæ solent immolari, & Ecclesiastici vigesimo-sexto dicitur de tali, *Deus parauit eum ad romphæam.* Quarta stultitia
4. est, quod scienter mortifera exurit, & quodammodo sugit. Vnde comparatur sanguisugæ, quæ membro tumido apposita prauum sanguinem sugit. Et dum membrum à tumore sanat, sibi ipsi est mortis occasio. Et à quibus sibi potius deberet minuere, si iam ea haberet. Ad magnitudinem verò huius stultitiæ facit, quod non habet inde quandoque, nisi maculatas manus, & mortem animæ suæ. Sicut enim dicitur Iob vigesimo: *Diuitias quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* Quinta stulti-
5. tia est, quod omnem viam paradisi obstruit sibi vsurarius. Vias misericordiæ obstruit, cùm à paupere petente à se mutuum, petit donũ quod plus est; & vult sibi ad homine dari, cui potius debuit dare. Viã veritatis obstruit, quum dicit, se amore pauperis facere, cui accommodat pecuniam, quæ incessanter pauperem comedit. Sexta stultitia est, qua vsurarius laborat in fine vitæ suæ. De qua Iere. 16. legitur: *Et in nouissimo suo erit insipiens:* 6.
Hæc est summa stultitia, quæ est in nouissimo vitæ, quum non possit homo prostea de ipsa pœnitere. Attenditur autem ista stultitia in hoc, quod quum deberet vsurarius de diuitiis suis facere medicamenta, inde sibi facit vulnera, potius vult inde vti in mortem filiorum suorum, quam sibi inde mederi. Aliter est etiam insipiens vsurarius in nouissimo suo, quia circa vitam futuram, quæ nouissima est, insipiens est, de ipsa sibi non prouidens.

De multiplici iniquitate vsurarij.

Tertio loco facit ad detestationem vsuræ multiplex iniquitas, siue iniustitia quæ est in vsurario. Prima autẽ iniquitas est: quòd ipse tempus vendit, quod inter omnia trãsitoria, maximè voluit Dominus esse cõmune omnibus absque personarũ acceptione. Quum enim diues plus de aliis rebus habeat, vel meliores eas habeat, quàm pauper de solo tempore non potest habere, nisi idem quod pauper. Non potest enim esse, nisi vnicum tempus simul & semel. Magna igitur iniquitas est, quum vsurarius pauper vendit quod commune est. Ideò, iusto Dei iudicio, in temporis indigentia frequenter punitur vsurarius, cùm id vẽdiderit, vel quia viri impii non dimidiabunt dies suos, vel quia differt conuersionẽ suam quantũ potest. Et licet diu viuat, tamen semper habet temporis indigẽtiã. Vnde de ipso verũ est quod legitur Eccl. 29. *In tẽpore redditionis postulabit tempus.* Aliter etiam punitur vsurarius pro temporis venditione. Cùm enim vendiderit requiẽ noctis & lucem diei, meritò istis carebit. Vnde fatuus est sacerdos qui cantat pro eo, *Requiẽ æternam dona eis Domine, &c.* Quum petit vsurario restitui quod vendidit, præcipuè quum vsurarius

Pro vsurariis bonum solatium.

pretium soluere noluerit. Scriptum est enim Ezech. 7. *Qui vēdit, ad id quod vendidit non reuertetur.* Secunda iniquitas est, quod vendit pauperi id quod ei debet, lege triplici: id est, lege naturæ, lege Mosaïca, lege Euangelica. Lege naturæ, diues debet pauperi mutuum, quod continetur in illo mandato, *Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, eadem facite illis.* Hanc legem videntur etiam implere creaturæ inanimatæ. Fluuius enim inueniens vacuitatem foueæ, non pertransit, donec eam impleuerit. Lege etiam Mosaica debet diues pauperi mutuum: vt patet ex diuersis testimoniis veteris legis prius positis. Lege etiam Euangelica debet hoc idem illi, iuxta illud Lucæ 6. *Date mutuum, nihil inde sperantes.* Tertia iniquitas est, quod vsurarius, qui non est nisi cellarius, vendit pauperi illud, quod Dominus præcepit ei dari. Quarta iniquitas est, quod vult illud, quod est contra naturam & rationem. Vult enim quod pecunia quam pauperibus accommodat, ad commodum suum apud pauperem operetur, & sic cùm accommodare sit alicui pecuniam ad eius commodum dare, ipse simul vult commodum pecuniæ pauperi dare, & sibi retinere, quod contra rationem esse videtur. Prætereà cùm parere in rebus quæ non viuunt, esse non habeat, iste tamen vult nummos suos, qui non viuunt, singulis diebus vel mensibus alios nummos parere, quod contra naturam est, & frumentũ in arca iam consumptum vult parere sibi aliud frumentum. Vult etiam pecunia sibi operari, dum quiescit. Quinta iniquitas est, quod vult pauperi locare pecuniam, quæ iam pauperis est. Quum enim mutuum dicatur, quasi de meo tuum, pecunia illa iam est pauperis: & si amittatur pauperi amittitur, nec ad eandem soluendam tenetur. Sexta iniquitas est, quod continuè Deum offendit, & continuò diabolo seruit. Alii peccatores interpolatè Deum offendunt. Fornicator enim quandoque per mensem non committit peccatum suum, plus quàm semel: sed vsurarius absque treuga vel pace Deum continuè impugnat, & de die, & de nocte diabolo seruit: quum Deus vix inueniat, qui per dimidium temporis ei seruire velit. Septima iniquitas est, quod toti curiæ cælesti contumeliam facit. Nonne videtur contumeliam facere alicui sancto, qui in loca sibi dedicato peccatum mortale committit? Sic ei contumeliam facit, qui in die sibi dedicato peccat. Vnde quum vsurarius peccatum vsuræ omni die committat, manifestum est ipsum contumeliam facere, & Deo, & vniuersis Angelis, & Sanctis eius: & ideò destitutus est auxilio omnium sanctorum. Vnde cùm dicitur, Domine Iesu, miserere huius vsurarij; potest respondere: miserebor eius, qui nec in ipsa die, qua per assumptionem humanæ naturæ, me fratrem eius feci, honori meo pepercit: nec etiam in ipsa die, qua pro latrocinio suo suspensus sum? Similiter si dicatur sancto Petro, Ora pro vsurario isto; potest respondere: Omnes festiuitates meas violauit, nec in vlla earum honori meo pepercit. Sic potest dicere beata Virgo de quatuor suis festiuitatibus. Sic cùm dicitur, Omnes sancti orate pro vsurario; possunt respondere: Vna festiuitas in anno nobis consecrata est, & hanc vsurarius explorauit, in qua omnibus nobis contumeliam irrogauit, nec honori omnium nostrûm pepercit. Idem possunt respondere omnes Angeli. Si præcepto Domini interfectus est, Num. 15. ille qui ligna in Sabbato colligebat: quomodo toleratur vsurarius qui omni die, etiam in Natali & Pascha facit quod peius est, quàm colligere? Octaua iniquitas est, quòd à fratre suo, scilicet Christiano, vsuras accipit, quod Iudæus non faceret. Iudæus enim, absque vsura, Iudæo accommodat. Nona iniquitas est, quòd quidquid habet vsura-

tius, quodammodo dentes & fauces habet, quibus homines comedit. Frumentum eius, quod à Deo creatum est, vt comedatur, homines comedit. Nummi etiam eius homines comedunt. Vnde vulgariter dicitur: Ego debeo viginti libras vsurario, quæ me comedunt. Decima iniquitas est, quòd cum gaudio & risu comedunt, & bibunt lacrymas pauperum. Vndecima est, quòd ipsi beneficio pauperis, ad eius destructionem vtuntur, dum de hoc, quod dedit eis pauper, vltrà sortem suam comedunt, & inde vsuras exigunt. Duodecima iniquitas est, quòd contra legem Domini datam Genesis tertio: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, ipse plus cæteris comedere & bibere vult, & tamen sine labore. Alij laborauerunt, & ipse intrat in labores eorum. Ad vsurarios pertinet quod dicitur in Psalmo 12. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Decima-tertia est, quod peccato suo finem non ponit. Fornicator in momento peccatum suum explet, sed vsurarius cùm accommodat quatuor pro quinque, non imponit aliquem terminum peccato suo, nec etiam vellet pecuniam suam sibi reddi.

De duodecim aliis, quæ faciunt ad detestationem vsuræ.

PRæter prædicta, sunt xij. quæ faciunt ad detestationem vsuræ. Primum est, quòd vsurarius latro est. Vnde Dominus in Euangelio, cùm eiiceret nummularios de templo, qui pro munusculis fructuum pecuniam offerentibus accommodabant, vocauit eos latrones, dicens: *Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.* In hoc etiam deterior est aliis latronibus, quia domesticus est. Nulla enim pestis est efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus, sicut Sapiens dicit. Et nullæ sunt occultiores insidiæ, quàm quæ latent sub similitudine officij. Multò plures exhæredant vsurarii & depauperant, quàm fures. Fur solùm occultè spoliat homines, & de nocte, sed vsurarius spoliat homines, & occultè, & manifestè, & de die & nocte, tam potentes, quàm pauperes. Secundum est, quod ipse est proditor. Confert enim pauperi beneficium mutui, hac intentione, vt exhæredet eum à vinea bona, vel alia possessione si habet. Et hoc facit tam amico, quàm inimico, & etiam fratri. Si habet vsurarius fratrem minus discretum, primò tradit ei pecuniam mutuo, super possessiones suas post exhæredat eum. Tertium est, quod est quasi homicida, quia pauperibus aufert vitam suam. Vnde Ecclesiast. *Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Nec solùm homicida est vsurarius, quantùm ad pauperes, quibus aufert vitam suam, imò quantum ad filios suos, quos interficit spiritualiter. Vnde Oseæ 9. Ephraim ducit ad interfectionem filios. Quartum est, quod in aliquo Iuda est deterior. De Iuda enim legitur Mat. 27. quod pœnitentia ductus retulit triginta argenteos. Sed vsurarius dum viuit, non vult restituere. Quintum est, quod ipse est deterior inferno. Infernus enim in passione Domini, quæ sua nouerant, restituit: vsurarius verò audita Domini passione, non vult aliena restituete. Sextum est, quod valdè similis est diabolo. Sicut enim officium diaboli est peccare: sic officium vsurarii est illud, quod est purè peccatum. Ipse facit peccatum negotiationem sicut meretrices. Aliam negotiationem vel artem non vult vsurarius, nisi vsuras accipere. In hoc etiam diabolo similis est, quod quantum ad mutuum non dormit. Denarii enim quos mutuò dedit, incessanter operantur: sic diabolus non dormit. Iob decimo-tertio: *Qui me comedunt, non dormiunt.* Septimum est, quod vsurarius similis est bufoni, qui terra pascitur, & de vinea exit cùm

Marginalia: Vsurarius est latro. — Proditor. — Homicida. — Iuda deterior. — Similis diaboli.

florere incipit, non valens eius odorem sustinere: sic vsurarius terrenis pascitur, & delectatur, & ab Ecclesia exit ad odorem Verbi diuini. Si enim præsentit quod sermo debeat ibi fieri, fugit in aliam Ecclesiam audire Missam. Cùm potius intrare deberet, si extra Ecclesiam esset: Cùm scriptum sit Eccl. 24. de sacra scriptura, *Quasi balsamum non mistum, odor meus.* Octauum est, quod vsurarius die & nocte in infernum tendit, vnde mirum est, si citiùs cæteris non perueniat, cùm continuitas ambulandi multùm faciat ad hoc, vt aliquis ad locum ad quem tendit citò perueniat. Vnde vetula vna aliquando ita citò venit ad sanctum Iacobum, sicut vnus fortis ambulator, eo quod continuè incedebat. Nonum est hoc, quod vsurarius videtur simul xl. peccata vsuræ in diuersis locis exercere: quod fornicator non facit. Fornicator enim non committit simul, nisi vnam fornicationem, & in vno loco solo. Decimum est, quod vsurarius non audet nomen suum coram hominibus confiteri, cùm alii homines, qui alicuius sunt officii, absq; omni erubescentia illud confiteantur. Vndecimum est hoc, quod vsura quasi cancer est, & quasi morbus contagiosus. Vnde in Psalm. *Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius.* Contagiosum est, quia valdè periculosum est, ab vsurario aliquid accipere, nisi in quibusdam casibus. Vnde Hieronymus: Cauendum est nobis maximè, ne ab his accipiamus munera, quos nouimus viuere de lacrymis pauperum: ne dicatur nobis, *Videbas furem, currebas cum eo.* Vnde legitur in vita beati Fulsei, quòd cùm mortuus esset, obiecit ei diabolus, quod vestem à quodam vsurario accepisset, & restituit eum Dominus vitæ, vt vitam suam corrigeret: diabolus tamen sic eum percussit, vt per totam vitam eius vestigium aliquod percussionis in eo appareret. Contagiosum etiam apparet esse morbum istum, in hoc quod tantùm creuerit. Antiquitus enim in tota ciuitate vix inueniebatur vnus fœnerator, & ille non fœnerabatur, nisi data fide, quòd non publicaretur. De quo, si fortè praua oriebatur suspicio, dicebatur, Domus eius, domus diaboli, & vinea eius, vinea diaboli, & sic de cæteris rebus eius. Osculum pacis ei non dabatur in Missa. Ignis à vicinis in domo eius non sumebatur. Pueri ad eius occursum expauescebant & ad alterutrum cum digito demonstrabant. Nunc ferè nostrorum temporum fiunt homines tam detestabiles, cubicularii Principum & Prælatorum Ecclesiæ, & ab omnibus eis assurgitur.

De multiplici pœna, qua punit Dominus vsurarios.

Duodecimum est, multiplex pœna; qua Dominus vsurarios punit. Prima pœna est, quòd spoliantur à tyrannis, sicut ipsi spoliant pauperes. Vnde Esa. 33. *Væ qui prædaris: nonne & ipse prædaberis?* Vnde accidit eis sicut puero paruo tenenti panem in manu, cui canis capit manum, vt panem habere possit. Sic tyrannus vsurarium capit interdum, vt eius denarios possit habere. Vnde Ieremiæ 18. *Perdix fouit quæ non peperit: fecit diuitias, & non in iudicio: in medio dierum suorum derelinquet eas.* Dicunt illi qui nouerunt rerum naturas, quòd perdix surripit aliena oua, & fouet: sed cùm pulli adulti fuerint, relinquunt eam. Sic vsurarius congregat ea, quæ sua non sunt: nec in acquisitione diuitiarum suarum habet respectum ad Dei iudicium, sed etiam sæpè in vita sua diuitias suas amittit. Secunda pœna est, quòd non habet potestatem restituendi vsuras suas. Vult enim Dominus, vt cum re furtiua comprehendatur, & suspendatur. Et nota, quod raro accidit quod vsurarius vsuras suas restituat: quia vel prodigus est, & tantum expendit quod resti-

tuere non potest: vel auarus est: & ideò restituere non vult; vel licet non sit prodigus vel auarus, tamen sibi potius placet in eleemosynas centum libras expendere, quàm restituere centum solidos. Vnde comparatur vsurarius cuidam vasi in quo denarii reponuntur habenti vnicum foramen, per quod denarii immittuntur, nec per idem possunt retrahi. Oportet enim vas illud confringi antequam retrahantur. Sic est ex vsurario. Illi enim de quo habuit non restitueret, sed forsitan pauperibus daret, nec etiam hoc faceret nisi in morte sua. Vnde Seneca: Auarus nunquam bene facit nisi cum moritur. Tertia pœna vsurarii est, quod hæreditas ipsius non transit vsque in tertium hæredem. Vnde Eccles. 21. *Qui ædificauit domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides in hyeme.* Ædificium enim, quod fit in hyeme, cito ruit. Sic diuitiæ male acquisitæ cito dilabuntur. Et eiusdem 41. *Filiorum peccatorum peribit hæreditas, & cum semine illorum assiduitas opprobrij.* Et hoc est vnum de iustis iudiciis Dei, quod filii vsurariorum pauperes sunt & miseri, pro quibus ditandis Deum non timuerunt offendere. Quarta pœna est, quod vsurarii & eorum filii in inferno sibi inuicem maledicent. Dicet enim pater filio: Maledictus sis fili, quia propter te sum in istis tormentis: fui enim vsurarius, ne tu esses pauper. Cui econtrario dicet filius, imò tu pater maledictus sis: nisi enim male congregasses mihi diuitias, non male congregatas conseruassem eas. Ad hoc potest referri, quod legitur Eccles. 41. De patre impio queruntur filii: quoniam propter illum sunt in opprobrium. Quinta pœna vsurariorum erat pœna damnationis æternæ. Cuius magnitudo insinuatur Ezech. 22. vbi sic legitur: *Vsuram & superabundantiam accepisti, & auare proximos tuos calumniabaris meique oblita es, dicit Dominus Deus: Ecce complosi manus meas super auaritiam quam fecisti.* Complosa manu, & non palma aperta percutiet Dominus vsurarium. Et meritò: quia ipse manus complosas habuit, & non apertas ad pauperes. Super illum verbum dicit Gloss. interl. Habitum irascentis assumpsi.

De duabus speciebus vsurarum.

DIcto de iis, quæ faciunt ad detestationem vsuræ, dicendum est de speciebus eius. Notandum est ergo, quod duæ sunt species vsuræ. Vna est manifesta, alia palliata. Manifesta vsura est, cum aliquis tradit pecuniam numeratam, vel ponderatam, vel mensuratam, tali pacto vt detur sibi aliquid vltra sortem. Vsura verò palliata sex habet species. Prima species accidit circa pignora vel obsides, & hæc quinque modis. Primus modus est, cum aliquis habet grangiam, & fructus colligit vltra sortem. Secundus modus est, cum pignoribus vtitur. Vnde Amos 2. *Super vestimentis pignoratis accubuerunt.* Tertius modus fit, cum aliqis equos habet in pignore & facit eos comedere plusquam possibile sit. Quartus modus fit, cum vsurarius habet obsides & eorum expensis viuit. Quintus modus fit, cum non vult obsidibus dare dilationem, nisi prius aliquid sibi detur. Magna autem crudelitas vsurarij est, cui non sufficit, quod per se & per sua pauperem hominem comedat, nisi alienos equos & alienos homines in auxilium suum assumat. Vnde bene potest Dominus dicere de vsurarijs verbum illud: *Deuorant plebem meam sicut escam panis.* Secunda species vsuræ palliatæ est circa venditiones & emptiones. Fit autem species ista tribus modis. Primus est, quando vsurarius emit aliquam possessionem longe minori pretio quàm valeat, tali conditione quod venditor eam rehabere possit quando pretium soluere voluerit. Secundus modus est, cum aliquid vendit ad terminum amplius quam valeat, vel vsque ad

terminum illum valere debeat. Tertius modus est, quando ante terminum emit aliquid minori pretio quàm valeat, sicut bladum in terra. Tertia species vsuræ est, cum vsurarius aliquid vltra sortem accipit sine pacto expresso, ipsa consuetudine sic tacite faciente pactum: sicut inter fatuas mulieres & peccantes cum eis ipsa consuetudo pactum facit, ipsis tacentibus. Et in isto casu palliant vsurarij malitiam vsuræ, bonitatis nomine. Tales enim vsuras bonitates vocant. Vnde satis possunt timere, ne incurrant illam maledictionem: Esaiæ 5. *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Quarta species est, cum quis palliat vsuram societate: sicut cum aliquis tradit pecuniam suam alicui negotiatori, tali conditione, quod sit socius eius in lucro, & non in damno: quod est valde magna iniquitas, cum pauper cui traditur pecunia, laborem habeat & periculum tam animæ quàm corporis, & super eum adhuc ponatur pecuniæ periculum: vult enim vsurarius, quod pecunia sua sit quoad lucrum, & pauperis quoad periculum. Similiter hæc species vsuræ est, cum aliquis animalia sua tradit pauperi, tali conditione, quod sibi sint immortalia, quæ animalia vulgariter vocantur ferrea. Incantator est vsurarius, qui vult quod animalia, quæ pauperi sunt mortua, sibi sint viua. Quinta species est, cum quis nomine pœnæ palliat vsuram, sicut faciunt Romani: quod licet aliquando iustè possit fieri, quia iustum est negligentiam alicuius punire: tamen quantum ad multos, vsura est: quia non intendunt in pœnis talibus vt sibi soluatur citius, sed vt amplius. Sexta species est, vbi palliatur vsura translatione facta de re ad rem, à persona in personam. A re ad rem fit translatio, cum diues non vult vltra sortem pecuniam accipere à paupere: sed bene accipit vt operetur in vinea sua duobus diebus vel aliquid simile. A persona verò ad personam, vt cùm vsurarius non vult commodare, sed habet aliquem amicum, quem facit accommodare.

De restitutionibus vsurarum, & maximè de VIII. in quibus reprehensibiles sunt vsurarij circa restitutiones faciendas.

Dicto de speciebus vsuræ, tangendum est aliquid ad restitutionem vsurarum. Et primò dicemus de his, in quibus reprehensibiles sunt vsurarii circa restitutionem. Secundò, dicemus de his, per quæ sunt ad restitutionem inducendi. Octo vero sunt in quibus reprehensibiles sunt vsurarii circa restitutionem. Primò, in hoc quod nolunt restituere, sed de alieno volunt eleemosynarii esse. Secundò in hoc, quod si aliquando habent voluntatem restituendi, tamen differunt quantum possunt & autoritate sua sibi dilationem dant, & accipiunt, absque mora volunt sibi restitui gratiam à qua spoliati sunt, & tamen in præsenti restituere nolunt pauperi illud vnde eum spoliauerunt. Prius volunt restitui quàm restituere, cum tamen prius spoliauerunt. Tertiò reprehensibiles sunt in hoc, quod non plene restituunt. Quod tribus modis accidit. Primus est, cum nolunt restituere nisi vsuras quas in propria persona acceperunt, cum teneantur etiam ad vsuras patris restituendas, secundum portionem hæreditatis quam habent. Secundus modus est, cum clamores exteriores pacificant. De clamore autem conscientiæ propriæ, qui proximior est & qui sequitur eos vsque ad æternum iudicem, non curant. Si enim aliquis est, de cuius iniuria remordeat eos conscientia, ex quo ipse non conqueritur, non curant satisfacere ei. Tertius modus est, cum his qui conqueruntur quandoque non sol-

Vsi rij i pre sibi in c mo

tuit etiam quartam partem. Satis dissimilis est restitutio nostri temporis restitutioni illius Zachæi, de qua Luc. 19. *Si aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Ideò meruit Zachæus tam cito audire, *Hodie salus huic domui facta est.*
4. Quartò, reprehensibiles sunt vsurarii, quod non humiliter restituunt, imò dicunt illis qui aliquid petunt sibi restitui, Si ego non fuissem, vos & familia vestra fame perissetis. Si Deo placuerit, ego conualescam. Et proponunt, quod si Deo placuerit vt conualescant, ipsi facient pauperi, quæ
5. Deo non placeant. Quintò reprehensibiles sunt in hoc, quod cum difficultate restitunt ea, quæ libenter deberent restituere: quia plus sibi à Deo restituitur, quàm ipsi restituant. Grati etiam deberent esse conquerentibus, tanquam illis qui sunt adiutores propriæ salutis, considerantes quod si isti modo taceant, dæmones po-
6. stea non tacebunt. Sextò reprehensibiles sunt in hoc, quod quando infirmantur proponunt se restituere, si contingat eos mori. Si autem contingat eos euadere, non habent propositum restituendi. Talem pacem volunt cum Deo facere, quod si moriantur, non infestabunt eum. Sed sciant indubitanter, quod Deus non facit pacem cum eis, siue moriantur, siue viuant. Septimò reprehensibiles sunt in
7. hoc, quod aliquam certam summam præfigunt, vnde vsuræ eorum restituantur: quod non non sufficit, nisi præcipiant quod de aliis bonis eorum restitutio perficiatur, si summa illa non suffecerit. Octa-
8. uò reprehensibiles sunt in hoc, quod filios suos constituunt restitutores: quia verisimile est, cum vsurarius in vita sua plus amauerit diuitias, quam propriam animam, quod filius suus debeat eas plus amare, quam alienam animam, & quod nolit maledictionem illam mundanam habere. Maledictus qui partem suam deteriorem facit.

De octo, quæ valent ad inducendum vsurarium, vt restituat.

Sequitur de his, quæ ad hoc valere possunt, vt vsurarius libentius restituat si frequenter ea meditetur. Octo sunt quæ ad hoc valent. Primò valet ad hoc, si sæpè cogitet ad ea quæ sibi restituentur, si ipse restituat. Sex enim sunt quæ sibi restituentur, quorum quodlibet plus incomparabiliter valet quàm ea quæ ipse restituet. Primò restituetur ei Deus. Vnde patet, quod non debet credere diabolo, si ei dixerit; Tu pauper eris si restitues: quomodo enim est pauper qui Deum habet? Vnde Augustinus. Aurum habens in arca diues est, Deum habens in conscientia diues non est? Coniúge aurum & Deũ, arcam & conscientiam. Coniungere ibi sumitur pro comparare. Item August. Satis diues est Christiana religio, quæ in omnium possessore omnia possidet. Quis diceret aliquem pauperem, qui totum mundum haberet? Quomodo ergo pauper est, qui Deum habet? cuius Deus, seundum iudicium vsurarii, plus valeat quàm mundus? Secundum quod vsurario restituitur, est regnum æternum. Quomodo depauperatur cuius in tali regno acquiritur? Tertiò restituuntur vsurario omnes spirituales fratres, quos amiserat per peccatum. Vnde Ecclesiast. 13. *Quæ communicatio sancti ad canem?* Velut canis est vsurarius, dum est in peccato, non habens aliquam fraternitatem cum aliquo amico Dei. Sed cum vsuras restituit, omnes amici Dei eius fratres fiunt. Quis fratrem suum amissum, duodecim denarios non redimat? Si autem vsurarius pro quolibet fratre, quem recuperat, restituat duodecim denarios, sufficienter erit restitutum. Quartò restituitur ei societas Ecclesiæ, ex qua partem habet in omnibus bonis Ecclesiæ. Vnde Psalm. *Particeps ego sum omnibus timentium te, &c.* Quintò restituuntur ei bona, quæ per peccatum amisit,

Vsurarius restituens recipit sex ablata sibi.

Si peregrinationem fecit, vel aliud bonum, ipse amisit illud per peccatum vsuræ consequenter commissum, quod sibi restituitur cum vsuras restituit. Sextò restituitur ipsemet sibi. Saltem tantum deberet restituere quantum redimeret se, si captus est ab his, qui haberent capitales inimicitias cum eo, cum in peioribus sit manibus, quia in manibus dæmonum. Secundò potest valere ad hoc vt vsurarius facilius restituat, si cogitet patibulum infernale sibi erectum à quo alio mouere non potest nisi per restitutionem. *Non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Quis latro videns sibi patibulum erectum non libenter restituat quidquid potest, si per hoc euadere credat? Vnde Augustin. Quis non vt viueret continuo perdere voluit vnde viueret, eligens potius vitam mendicantem, quam celerem mortem? Tertiò valet ad idem si cogitet, quod iustitia Dei gladium tenet euaginatum super caput eius vt secet eum medium: licet ad tempus misericordia Dei gladium teneat. Quis autem potius non eligat, quidquid tenet deponere, quam gladio perire? Quartò valet ad hoc si cogitet se similem esse illi super quem cecidit domus, vel magna massa terræ. Quis in tali statu si non possit molem per se remouere desuper se, non roget amicos suos vt se iuuent? Pecunia per vsuram acquisita, quasi moles terræ est, vsurarium impediens ne ad vitam gloriæ possit resurgere. Vnde deberet rogare omnes amicos suos, vt se inuito vel nesciente pecuniam illam restituerent. Quintò valet ad idem, si cogitet se similem esse illi, qui molam asinariam habet ligatam ad collum trahentem eum in profundum. Pecunia male acquisita est quasi mola asinaria fune amoris, quasi collo eius ligata trahens eum in profundum inferni. Vnde cum lacrymis rogare deberet si amicum haberet, quod auferret sibi pecuniam illam, & restitueret. Sextò valet ad idem, si cogitet, quod ipse relicturus est similiter pecuniam etiam si non restituat, & secum eat. Vnde Ecclesiast. 10. *Cum enim morietur homo, hæreditabit bestias, serpentes & vermes.* Ista tria diuidunt sibi bona vsurarii in morte eius. Serpentes, id est, dæmones habent animam Bestiæ, id est dominus, vel amici vsurarii, qui bestiæ possunt dici à vastando, habent pecuniam; vermes verò habent corpus, & quilibet horum non daret partem suam pro duabus aliis partibus. Septimò valet ad idem, si cogitet vsurarius, quod pecunia sua filiis suis relicta sit eis occasio mortis æternæ. Quis enim potius non eligat pecunia aliqua comparare sibi vitam æternam, quam hæredibus suis mortem æternam? Octauò valet ad idem si vsurarius cogitet incompassionem & duritiam, quæ post mortem suam futura est in eius filiis erga eum. Vix enim semel in anno memores erunt ipsius vt eius anniuersarium faciant. In semetipso autem potest respicere, quam parum boni pro suis fecerit. Et sic sibi fieri non dubitet: vel multo minus, quia abundante iniquitate refrigescet charitas multorum, vt ait Dominus.

Capvt II.

De peccato rapinæ, vbi primo ponuntur sex, quæ deberent homines cohibere à rapina.

POst peccatum vsuræ dicendum est de peccato rapinæ. Sex verò sunt, quæ deberent homines cohibere à peccato isto. Primum est, magnitudo ipsius. Secundum est, macula huius peccati. Tertium est, rusticitas vel vilitas, quæ in peccato isto est. Quartum est, magnum damnum spirituale, quod raptor incurrit. Quintum est, parua vtilitas, quæ inde sequitur. Sextum est, pœna raptorum, quæ in sacra Scriptura inuenitur.

De XII.

De XII. quæ ostendunt magnitudinem huius peccati, scilicet rapinæ.

DVodecim verò sunt, quæ valere possunt ad ostendendam magnitudinem huius peccati. Primum est, quod peccatum istud ipsum fundamentum iustitiæ vel bonitatis destruit in homine. Quod sit istud fundamentum, ostendit Sapiens, dicens. Primum fundamentum iustitiæ est, ne cui noceatur, deinde vt communi vtilitati seruiatur. Secundum est hoc, quod Exod. 20. videtur lex amplius prohibere istud peccatum, quàm alia peccata. Postquam enim prohibuit actum rapinæ cum actu homicidii & cæteris malis actibus, iterum prohbuit voluntatem rapiendi, dicens, *Non concupisces domum, &c.* Tertium est hoc, quod adeò est odiosa rapina Deo. Vnde Esaiæ 41. *Ego Dominus amans iudicium, & odio habens rapinam.* Etiam in holocaustum, quod erat dignior species sacrificii, habebat Dominus odio rapinam. Quartò etiam est exosa rapina sanctis hominibus, adeò vt ipsum mundum eis exosum reddat. Vnde Ecclesiast. 4. *Verti me ad alia, quæ sub sole geruntur; & vidi calumnias pauperum & lacrymas innocentum, & consolatorem neminem: nec posse resistere eorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos. Et laudaui magis mortuos, quam viuentes, & feliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt.* Ad idem pertinet, quod legitur Habacuc 1. *Vsquequo Domine clamabo, & non exaudies: vociferabor ad te, vim patiens, & non saluabis?* Et subiungit: *Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorem se?* Quintus est, quod rapina inter Christianos non solum rapina est, imò proditio, & quia omnes Christiani fratres sunt. Deprædari enim fratrem suum innocentem non potest aliquis sine crimine proditionis. Et etiam propter hoc, quia qui deprædatur subditum alicuius, deprædatur ipsum Dominum. Vnde qui fidelem deprædatur, Deum deprædatur Dominum suum. Vnde proditor est, cum dominum suum deprædatur absque eius culpa. Sextum est hoc, quod raptor homicida est. Vnde Ecclesiast. 34. *Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.* Quum raptor vitam suam pauperi auferat, quasi quodammodo mortem ei infert. Auferre enim vitam & inferre mortem conuertibilia sunt. Septimum est hoc, quod raptores pejores sunt furibus. Vniuersaliter enim pejus est peccare apertè, quam peccare occultè. Sicut adulterari apertè peius est quam occultè. Peius igitur est iniuriari alicui aperte, vt faciunt raptores, quam occulte, vt faciunt fures. Octauum est hoc, quod peiores sunt raptores, quam vsurarii. Cuius signum est hoc, quod pauperes homines vt euadant raptorum manus, ponant se in manus vsurariorum, qui tamen valde mali sunt: vt ostensum est supra. Nonum est hoc, quod peccatum rapinæ multum assimilat hominem diabolo. Diabolus enim fuit raptor primus: Voluit enim altitudinem Dei rapere. Vnde Propheta in persona eius: *Ero similis altissimo.* Et adhuc incessanter laborat, vt bona nostra rapiat. Nec solum assimilatur diabolo in rapiẽdo bona hominum, imò etiam torquendo homines vt bona eorum extorqueat ab eis.

Raptores peiores vsurariis.

Quod raptores peiores sunt Diabolo.

DEcimum est, quod raptores in tribus peiores sunt diabolo. Primo in hoc, quod diabolus eos deprædatur, & torquet qui mala agunt: sed raptores deprædantur & torquent, qui à malo recedunt. Vnde Esaiæ 59. *Qui recessit à malo prædæ patuit.* Et Prouerb. 29. *Viri sanguinum oderunt simplicem.* Diabolus poterit se iustificare comparatione raptorum in die iudicii. Poterit enim dicere, Ego solus illos in inferno afflixi, qui

tè offenderunt: sed raptores isti illos deprædati sunt, & afflixerunt, qui non meruerunt. Secundò sunt peiores in hoc, quod diabolus defert angelo Dei homini ad custodiam deputato, vt corporalem violentiam ei non inferat, quod raptores non faciunt. Tertiò sunt peiores in hoc, quod diabolus torquet homines in inferno; qui locus tormentorum vocatur. Lucæ 15. raptores homines torquent in mundo, vbi homines deberent habere libertatem faciendi de se, & de suis secundum voluntatem suam. Vnde rectè possumus intelligere raptores vocatos angelos diaboli. Matth. 25. vbi sic legitur: *Ite maledicti, &c. qui paratus est diabolo & angelis eius.* Missi videntur à diabolo & raptores ad faciendum talia opera in mundo, qualia facit diabolus in inferno. Vndecimum est, quod Spiritus sanctus in sacra Scriptura dicit raptores talia facere de pauperibus, qualia nulli persecutores Ecclesiæ leguntur fecisse de fidelibus. Dicit enim eos excoriare homines pauperes, & atterere & commolere, & pascere, & comedere, & deuorare. De primo legitur Mich. 3. *Odio habetis bonum, & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eos, & carnes eorum desuper ossibus eorum.* De secundo & tertio legitur Esaiæ 3. *Rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis?* De quarto, Ecclesi. 13. *Venatio leonis onager in eremo: sic pascua diuitum sunt pauperes.* De quinto legitur Prouerb. 30. *Generatio, quæ prudentibus gladium habet, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra & pauperes ex hominibus.* De sexto legitur Ezech. 19. *Factus est leo, & didicit capere prædam, & homines deuorare.* Et eiusdem 22. *Sicut leo rugiens capiensque prædam, animam deuorauit inopis.* Quod autem prædicta testimonia scripturæ de raptoribus vera sint, constat, quum à sancto Spiritu dicta sunt. Sed qualiter intelligenda sint, non est adeò manifestum. Possumus tamen intelligere raptores talia facere pauperibus, cum ea faciunt rebus eorum, quæ ad sustentationem vitæ eis sunt necessariæ; vnde qui excoriat vnum bouem, quem haber pauper homo, reputatione ipsius pauperis excoriat eum. Penè enim idem est pauperi ac si excoriaret eum. Vnde Dauid 2. Reg. 12. quum Nathan proposuit ei parabolam de diuite, qui abstulerat pauperi homini ouem vnam, dixit eum dignum morte. Secundum hunc modum etiam molit pauperem, qui frumentum eius ei necessarium molit. Aliter etiam possumus dicere quod raptor pauperem excoriat: quia aufert ei temporalia, quæ defectum intolerabilem pellunt ab eo, sicut & pellis propriæ carnis. Nec sine illis potest viuere, sicut nec sine propria pelle: vnde & pelles vocantur, temporalia. Iob 2. *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua.* Pellem inquam temporalium, pro pelle propriæ carnis. Pellem etiam dicitur raptor auferre pauperi, quia aufert ea quæ adhærent per amorem cordi, sicut pellis adhæret corpori: imò amplius videntur adhærere cordi, quam ipsa anima corpori. Quum enim pauperes ad mortem infirmantur, potius permittunt animam à corpore recedere, quam à se separarent, dando medicis vel aliter expendendo illud modicum, quod habent. Ex hac vero adhæsione patere potest, qualis sit dolor in eorum separatione. Carnem etiam & sanguinem auferunt raptores pauperibus, cum auferunt ea quæ acquisierunt labore & sudore, & proprii corporis consumptione, & quæ etiam proprio corpori subtraxerunt, vbi in carnem & sanguinem conuersa essent. Imò etiam plus videtur raptor facere pauperi, quàm si eum excoriaret. Ille enim qui eum excoriaret, non auferret ei, nisi quod haberet pellem suam: sed raptor auferret ei etiam illud, quod non habet, quia aufert illud, quod vsurariorum est, qui accom-

modauerunt. Aufert etiam illi raptor, quod iam comedit & bibit. Expēdit enim pauper & annonam & vinum antequam colligat illa. Possumus etiam intelligere raptores commolere pauperes: quia inter spem euasionis, & metum deprædationis, quasi inter duas molas eos affligunt. Notabiliter autem dicitur, *facies pauperum commolitis.* Præ paupertate enim faciunt facies eorum ad tantam maciem deuenire, quod videntur genæ eorum compressæ fuisse inter duas molas.

Quæ debeant hominem cohibere à peccato rapinæ.

DVodecimum faciens ad magnitudinem huius peccati est hoc, quod ipsi pejores sunt bestia quacumque. Vnus enim raptor totam vnam patriam deuorat: lupus vero interdum per annum vnum non deuorat hominem vnum. Vnde sacra Scriptura raptores comparat diuersis generibus diuersarum. Quandóque lupo. Vnde Soph. 3. *Iudices eius lupi, vespere non relinquebant in mane*, quandoque vero comparat eos leoni, vel vrso. Vnde, Prouerb. 8. *Leo rugiens & vrsus esuriens, princeps impius super populum pauperum.* Secundò, deberet cohibere homines à peccato rapinæ hoc, quod macula huius peccati ita adhæret. Vix enim aliquis restituit perfectè ea quæ rapuit. Videmus eos qui habent nouas vestes, quod diligentissimè cauent eis ab oleo, & ab aliis quorum maculæ remoueri non possunt, dicentes: Perdita esset vestis, si caderet super eam aliquid tale: quanto iuuenis magis, qui nondum rapuit, deberet sibi cauere à rapina, & dicere intra se: Perditus sum, si incepero rapere. Nunquam enim de cætero restituam. Tertiò, debet raptores cohibere hoc, quod magna ignobilitas & rusticitas est in rapiendo. Dare enim nobile est. Vnde in Tobia versificator, Est dare lætitiæ vox verbum mobile, verbum mellifluum, dantis gloria, dantis honor. Et valde assimilat hominem Deo. Deus ex liberalitate sua fecit, quidquid fecit. Et ad dandum, alia fecit vt haberet, quæ daret; alia vero vt haberet, quibus daret. Si autem dare hominem nobilem reddit, auferre reddit eum rusticum & vilem. Quartò, deberet raptores cohibere magnum damnum spirituale, quod incurrunt, quando aliquid terrenum rapiunt. Vnde Augustinus: Lucrum in arca, damnum in conscientia, tollit vestem & perdit fidem, acquirit pecuniam & perdit iustitiam. Raptor lucrum habet in arca, quam cum lucro relicturus est: sed damnum habet in conscientia, quam cum damno delaturus est. Fidem perdit, quam debeat Deo, & fratri suo Christiano: vnde proditor est. Iustitiam etiam perdit: vnde non habebit eam in auxilium in die iudicii, sed potius erit contra eum. Quintò, deberet cohibere raptores hoc, quod paruam vtilitatem habent de rapina sua. Quo ad corpus enim eis parum valet, quia cito transit. Vnde Ecclesiast. 40. *Substantiæ impiorum quasi fluuius siccabuntur.* Et sumitur ibi fluuius pro torrente, qui à pluuiis congregatur. Quo ad animam vero, nullam habent vtilitatem, quia non possunt inde facere eleemosynam vel oblationem. Vnde Ecclesiast. 34. *Qui offert sacrificia ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris.* Cum substantia pauperum vita sit eorum, qui eam offert Domino, quasi vitam vel sanguinem pauperum, qui sunt filii Dei, ei offert. Vnde substantia pauperis vocatur sanguis. Ierem. 2. *In alis tuis est sāguis animarum pauperum.* Alæ vocantur extremitates pretiosorum palliorum: in quibus alis sanguis inuenitur, quum de rapinis pauperum fiunt. Cum his alis non de facili volat, qui in cœlum.

Quod Dominus multum puniturus est raptores.

SExtò deberet cohibere homines à rapina magna punitio, quam sumpturus est Deus de raptoribus. Quatuor verò sunt per quæ potest ostendi, quod Dominus multum puniturus est raptores.
1. Primum est hoc, quod ipse ita districtè iudicat eos, qui própria non largiuntur pauperibus. Si enim damnat eos, qui pauperibus sua non tradunt, quid faciet de his, qui sua eis auferunt? Vnde dicit Gloss. super Luc. 16. *Non reprehenditur diues, quod aliena rapuerit, sed quod sua non erogauerit*, quid ergo erit ei qui aliena rapuit? Ad idem valet, quod legitur Matthæi 25. Tunc dicet rex his qui à sinistris erunt: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius. Esuriui enim & non dedistis mihi manducare, &c.* Raptoribus verò dicere poterit: Esuriui, & abstulistis mihi quod debeam manducare. Ori meo subtraxistis, quod canibus & auibus vestris dedistis. Raptores enim ori Dei subtrahunt à pauperibus, quod in ore porcorum, id est voluptuosorum hominum, vel in ore canum, scilicet detractorum ponant. Ad literam, etiam aues & canes pascuntur de rapinis pauperum. Et etiam auferunt de ore Dei, quæ ponunt in ore diaboli. Os Dei est os pauperis. Os verò diaboli est os impii, cum enim impius seruus sit diaboli, os & cætera quæ habet, diaboli sunt. Qui ergo subtrahit pauperi, quod dat peccatori, ori Dei subtrahit, quod ponit in ore diaboli. Raptoribus etiam poterit Dominus dicere. Sitiui, & abstulistis mihi, quod debui bibere: imò quod plus est, sanguinem meum in pauperibus bibistis; quod enim vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Poterit etiam Dominus eis dicere: Hospes eram, & non collegistis me; imò quod plus est domum in quam colligi debebam, combussistis. Et iterum: Nudus fui, & non me cooperuistis. Imò quod plus est, in pauperibus me excòriastis: & vnde cooperiri debui, mihi subtraxistis. Vxores militum vestibus caudatis terram operiunt, quibus viri earum Deum in pauperibus nudauerunt: & quandóque trahunt in cauda sua totam substantiam vnius pauperis hominis. Et iterum: Infirmus fui, & non me visitastis: sed super dolorem vulnerum meorum addidistis, & quasi vulnere super vulnus me concidistis. In carcere fui, ibi me cruciastis, & quasi iterum me crucifixistis. Secundò potest perpendi, quod Dominus grauiter puniturus sit raptores per imprecationes & maledictiones, quas faciunt eis viduæ & pupilli, quos ipsi spoliant. Dicit enim scriptura, quod tales imprecationes à Domino exaudiuntur. Vnde Eccles. 35. *Non despiciet Dominus preces pupilli, nec viduam si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas?* id est super eum qui facit eam lacrymari. Et subiungitur: *A maxilla eius ascendunt vsque ad cœlum & Dominus exauditor non delectabitur in illis.* Minus dicit, & plus significat, dum dicit. Non delectabitur, quasi diceret, grauissime irascetur in eis. Videntur lacrymæ viduæ tantum ad maxillam descenderet: sed in veritate ascendunt ad cœlum vsque ad cõspectum Dei, quantum ad virtutem. Ad idem valet parabola, quam Dominus ponit Luc. 18. de iudice iniquo, qui Deum non timebat, nec hominem reuerebatur, qui nolebat per multum tempus vendicare viduam, quandam ab aduersario eius, sed potius dixit intra se: Etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor: tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam. Et subiungit Dominus: *Videte quid iudex iniquitatis dicat. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis?* Multum timendum est rap-

coribus de propria salute: preces enim eorum propter rapinas eorum non exaudiuntur. Vnde Esaiæ 1. *Quum multiplicaueritis orationem, non exaudiam vos. Manus enim vestra sanguine plena sunt.* Orationes etiam bonorum pro eis factæ, sæpe non exaudiuntur: quia aduersantur eis lacrymæ pupillorum & viduarum, quę lacrymæ violentiæ sunt in precibus. Sicut dicit Augustinus super illud, Auribus percipe lacrymas meas. Feruentiores & lacrymosiores sunt, & frequentiores preces pauperum contra raptores, quam sint preces bonorum pro eis factæ. Vnde multùm timendum est raptoribus, ne exaudiantur. Non de facili obtinet quis in aliqua curia iusta, quum habet ibi multos aduersarios, & fortes qui iustam causam habent. Ad contrarietatem istarum precum, videtur pertinere quod legitur Eccl. 34. *Vnus orans, & alius maledicens, cuius vocem audiet Dominus?* Imò vnus orans, & multi maledicentes, vndè timendum est, ne vocem maledicentium Dominus exaudiat. Vnde remedium est raptoribus, vt à rapinis cessent, & oppressis subueniant, prout iustè poterunt, & tunc Dominum propitium habebunt. Vnde Esaiæ primo, *Subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus: Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.*
3. Tertiò, potest ostendi, quod grauiter puniturus sit Deus raptores per amorem, quem habet cælestis iudex ad pauperes qui spoliantur. Amor verò cælestis iudicis ad pauperes tantus est, quòd sibi fieri reputat, quod eis fit. Vnde Matth. 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Propter hoc etiam venit in carnem. Vnde Psalm. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam,* dicit Dominus. Et Esaiæ 61. *Euangelizare pauperibus misit me.* In primo etiam verbo nouæ legis regnum suum eis communicauit, dicens: *Beati pauperes spiritu, &c.* Vnde verisimile est, quod districtè iudicet oppressores eorum. Ideò dicitur in Psalm. *Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.* Et Prouerb. 23. *Ne attingas paruulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas. Propinquus enim illorum fortis est, ipse iudicabit contra te causam illorum.* Et Prouerb. 22. *Non facies violentiam pauperi, quia pauper est, nec conteres egenum in porta, quia Dominus iudicabit causam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius.* Quartò, potest ostendi magna pœna raptorum, per hoc quod pauperes, quos ipsi spoliauerunt, iudices eorum erunt. 4. Vnde Iob 36. *Pauperibus iudicium tribuit. Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum.* vt legitur Sapientiæ quinto.

Quod raptores etiam in mundo isto multipliciter punientur à Deo.

Prima verò pœna raptorum in mundo isto, paupertas est. Vnde Prou. 11. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.* (Causa paupertatis raptorū.) Possunt etiam assignari quinque causæ huius paupertatis. Prima est hæc, quod raptores, relicto Deo & contempto, qui est fons & abundantia omnium bonorum, de indigentiis pauperum repleri volunt. Vnde Dominus per Prophetam: *Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ.* A Deo milites deberent sperare ea, quæ sibi necessaria sunt, & ei seruire, non laboribus pauperum inhiare. De paupertate enim non colligitur abundantia. Secunda causa paupertatis est hæc, quia sicut raptores auferunt aliis, ita alii auferent eis. Vnde Esaiæ 33. *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?* Et Habacuc 2. *Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes, qui relicti fuerunt de populis.* Tertia causa est hæc, quòd oportet eos multas expensas facere. *Abyssus enim* rapinarum *abyssum inuocat* expensa-

rum. Quarta causa est hæc, quòd Dominus non dat libenter eis, qui sibi auferunt in pauperibus. Vnde plus amittunt quòd Dei liberalitas eis datura erat, quàm sit illud, quod pauperibus auferunt. Et faciliùs ad diuitias peruenirent, Dei liberalitati seruiendo, quàm contra Dei voluntatem, Dei bona rapiendo. Mira insania! volunt raptores bona eius, qui liberalissimus est per violentiam habere. Cum auaris hominibus hoc soleat fieri, & non illis, qui sua libenter largiuntur. Quinta causa est hæc, quòd creaturæ, in locis sibi à Deo deputatis, conseruantur & quiescunt. In locis verò, vbi violenter ponuntur, non quiescunt, vt ponderosa, quæ in infimis locis quiescunt, leuia in supremis. Si autem in aliis locis violenter ponuntur, ad sua loca reuertuntur. Sic est de diuitiis. Vnde quidam. Non habet euentus, sordida præda bonos. Secunda raptorum pœna, est sterilitas: quum enim raptores contra Deum acquirere velint quæ possideant Dominus negat eis, vel successoribus eorum qui possideant. Non enim dat eis heredes. Vnde Eccl. 40. *Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos*. & Sapient. 4. *Adulterinæ plãtationes non dabunt radices altas, nec stabile fundamentum collocabunt.* Tertia pœna raptorum, est acceleratio mortis eorum. Vnde Dauid: *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos, &c.* Et Prouerb. 3. *Impij de terra perdentur, & qui iniquè agunt auferentur ex ea.* Quarta pœna est, quòd frequenter gladio moriuntur, & anima à dæmonibus rapitur, & corpus sepultura caret. Vnde Ierem. 22. *Væ, qui ædificat domum suam in iniustitia.* Et quibusdam interpositis subiungitur. *Propterea hæc dicit Dominus: Non plangent eum, Væ frater, & væ soror: & non concrepabunt ei, Væ Domine, & væ inclite. Sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem.* De hoc verò, quòd spiritus eius rapiatur à dæmonibus, dicit Gregorius: Qui mihi visibiliter rapit, subitò, vrgente exitu, inuisibiliter rapietur. Et Eccl. 16. *Non effugiet rapinam peccator.* Quinta & sexta pœna est, quod filii eorum mendici sunt, & gladio moriuntur. Vnde Naum. 2. *Leo cepit sufficienter catulis suis, & necauit leonis suis, & impleuit præda speluncas suas.* Et subditur: *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & succendam vsque ad summum quadrigas tuas, & leunculos comedet gladius, & exterminabo de terra prædam tuam.* Et Iob 27. *Hæc est pars impii apud Deum, & hæreditas violentorum, quam ab omnipotente suscipient. Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt: & nepotes eius non saturabuntur pane.* In futuro verò, pœna raptorum erit, quod rapinæ eorum, collis eorum imponentur: & sic coram toto mundo ducentur, deinde verò suspendentur. Raptores, simili pœna vel maiori, debent puniri, quàm latrones, sed non est, qui audeat hoc facere: sed cœlestis rex, qui non timet eos, hoc faciet. Vnde Thren. 1. *Iniquitates meæ circumuolutæ sunt, & impositæ collo meo.* Iniquitates possunt intelligi, res iniquè acquisitæ. Amos 4. *Iurauit Dominus in sancto suo: quia ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis*, id est, in perticis, ad modum eorum, qui suspenduntur. Rapinæ etiam se habebunt ad raptores, vt molæ asinariæ collo eorum suspensæ ad inferiora loca inferni eos trahentes. Vnde Prouerb. 21. *Rapinæ impiorum detrahent eos.* Hæ sunt pœnæ raptorum, quas debent expectare, certi omnino quod venient super eos, nisi pœnituerint. Iurauit enim Dominus, se non traditurum obliuioni rapinas eorum. Vnde Amos octauo: *Audite hoc, qui conteritis pauperem.* Et subiungitur: *Iurauit Dominus in superbiam Iacob: si oblitus fuero vsque ad finem opera eorum.*

CAPVT III.

De iniustis talliis, & peccati huius magnitudine.

TErtio loco inter species auaritiæ dicendum est de peccato iniustarum talliarum. A quo peccato tria deberent cohibere homines, scilicet peccati magnitudo, & vilitas est, quæ est in faciendo tallias, & damnum quod prouenit inde eis, qui eas faciunt. Magnitudo verò huius peccati ex hoc potest ostēdi, quòd, præter peccatum rapinæ, est ibi peccatum proditionis. Est etiam ibi ingratitudo, & contemptus Dei, & Angelorum. Quòd proditio sit ibi, potest ostendi multipliciter. Primò, sic: Si aliquis pater-familias filium suum transiturum per aliquam viam periculosam, bonæ fidei alicuius commendaret, & certam summam pecuniæ, pro hoc, ei assignaret: si ille vltra summam illam filio eius aliquid auferret, proditor esset. Et diceret pater-familias: Ego commendaueram filium meum bonæ fidei illius, & ipse spoliauit eum. Sed constat, quod Deus filios suos commendauit potentibus huius mundi, & definiuit eis de quibus deberent esse contenti. Vnde Luc. 3. quum quærerent milites à Ioanne Baptista quid facerent. Respondit Ioannes: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris*. Prohibentur eis primò, duo peccata, per quæ solent potentes pecuniam à pauperibus extorquere, scilicet comminatio & calumnia. Comminatio, vbi dicitur: *Neminem concutiatis*, calumnia verò in sequenti verbo. Deinde verò, ostenditur eis quod stipendiis suis debent esse contenti. Vnde, si vltrà stipendia sua accipiunt, sunt proditores. Spoliant enim filios Dei bonæ fidei eorum commendatos: nisi faciant hoc in illis casibus quibus eis licet. Secundò, ostenditur idem sic. Constat quòd tantam fidem debet dominus subdito, quantam subditus domino. Sed si subditus caperet dominum, vel alio modo, malè faceret, & proditor esset. Igitur, si dominus subditum capiat, vel aliud malum ei faciat, proditor est: nisi ille culpam commiserit, quæ hoc requirat: nec minus indecens est, si dominus absque culpa subditum capiat, quàm si subditus dominum caperet. Dicunt aliqui milites: Si alicui, qui non esset meus subditus, malefacerem, benè scio quod peccarem: sed si subdito meo malefacio, tunc non credo me peccare, vel tantum peccare. Quibus dici potest, quòd secundùm hoc, dominatio eorum diabolica est. Diabolus enim talis dominus est, quòd sibi subditis, loco retributionis, afflictionem & pœnam tribuit, & illis, qui melius sibi seruiunt, plura mala facit: prætereà quis sani capitis dubitet minus licitum esse, hostem esse in ciues, quàm in extraneos? quis nesciat crimen proditionis esse, cum amicis inimicitias exercere? Subditi verò, secundùm Sapientem, sunt humiles amici. Præterea, cùm certum sit, quòd miles iste fidem debebat pauperi homini, antequam faceret sibi homagium, tamquam fratri suo Christiano, nec pauper illum à fide illa absoluit, quum ei homagium fecit: imò vinculum quod inter eos erat osculo pacis confirmatum est: quomodo ergo miles immunis est à crimine proditionis, quum malum facit ei, nisi ei priùs significet quòd non vult ei fidem illam seruare, & quod non vult illum de cætero, tanquam subditum, sed tanquam hostem habere? Peccatum etiam ingratitudinis est ibi. Deus enim eum honorauit, aliis hominibus præficiendo. Ipse verò, ex hoc inhonorat Deum in pauperibus, eum opprimendo: in hoc similis militibus, qui Deum crucifixerunt, qui de arundine, de manu Domini suscepta, caput eius

percutiebant. In arundine significatur terrena potestas quam milites à Deo acceperunt, & deinde ex ea Deum in pauperibus percutiunt. Contemptus etiam Dei & Angelorum est ibi. Licet enim Deus tradiderit pauperes custodiendos potentibus huius sæculi: tamen ipse noluit eos esse absque custodibus cælestibus; imò vnusquisque homo habet Angelum sibi ad custodiam deputatum, quem contemnit, qui pauperem hominem opprimit, & in ipso etiam Angelo Deum contemnit, cuius nutritium non reueretur.

De sex malis, quæ proueniunt alicui, eo quod tallias faciat.

Varia damna iniustarum talliarum.

SEcundò, deberet cohibere milites à talliis multiplex damnum, quod inde prouenit eis. Primum autem damnum quod ipsi incurrunt, est, quòd Dominus videns eos iniquos in paucis bonis temporalibus eis commissis, non vult eis ea augere. Scit enim, quòd qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est, secundùm quod legitur Lucæ 16. Vnde frequenter videmus milites, qui tallias faciunt, pauperes: illos autem, qui non faciunt, diuites. Secundum damnum est, quòd subditi eorum fugiunt eos, & fit, iusto Dei iudicio, vt qui plus voluerant habere quàm deberent, non habeant etiam quod deberent habere. Vnde legitur 3. Regum 12. quòd Roboam filius Salomonis, volens aggrauare iugum filiorum Israël, dominium decem tribuum amisit. Tertium damnum est, cælestis regni amissio. Sicut enim Dominus dicturus est illi, qui fidelis est in temporalibus istis: *Euge serue bone, &c.* ita dicturus est ei, qui infideliter se habuit: Væ tibi, serue nequam & infidelis: quia super pauca fuisti infidelis, super nulla te constituam, intra in carcerem Domini tui, qui scilicet præparatus est diabolo & angelis eius. Mira insania est potentum huius mundi, qui cùm receperunt aliquid terrenum, non curant de Deo, quasi nihil vltrà essent recepturi: & quia plus habent de terra, quàm alii, ideò omninò non curant de cælo. Quartum damnum est, quod durum iudicium & absque misericordia merētur sibi apud Deum. Ea enim mensura, qua mensi fuerint illis quibus præsunt, remetiuntur eis ab eo qui præest illis. Vnde non credant Deum misericorditer acturum cum eis, cùm ipsi non habeant se misericorditer, nec etiam iustè cum suis subditis. Ad quod pertinet quod legitur Sapientiæ sexto: *Citò apparebit vobis regibus, quoniam iudicium durissimum in his, qui præsunt, fiet.* Exiguo enim conceditur misericordia: *potentes* autem *potenter tormenta patientur.* Non enim subtrahet personam cuiusquam Dominus, qui est omnium dominator: nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat curatio. Quintum damnum est, quod interdum aliquis tyrannus potentior eos opprimit, sicut ipsi minus potentes opprimunt. Vnde in Psal. *Deus conteret dentes eorum, in ore ipsorum &c.* Per dentes eorum & molas leonum, intelligitur potestas deuorandi pauperes, & conterendi, quam Dominus interdum aufert. Sextum damnum est, quod odio habentur ad modum luporum. Ideo lupus odio habetur, & ab hominibns, & à cæteris animalibus: quia non viuit, nisi ex eis quæ aufert. Eadem ratione exosi sunt homines rapaces. In hoc tamen differentia est, quod lupi rapinas non exercent contra lupos, sed contra animalia alterius speciei: sed tales homines contra eos, qui sunt eiusdem speciei, rapinas exercent.

De

De vilitate huius peccati.

TErtiò deberet cohibere milites à talliis, vilitas quæ est in faciendo eas. Sicut enim gloriosum est dare, sic vile est quærere. Et tantò vilius videtur esse genus quærendi, quantò vilior & inferior est persona à qua quæritur, & nobilior persona quæ quærit. Vnde vilitas ista quærendi, repressiuum quoddam deberet esse militibus, ne vltra vires expenderent. Plus enim ignominiæ est in quærendo, si ipsi scirent intelligere, quam sit honoris in expendendo indiscretè. Sed dicit aliquis miles: Oportet nos viuere, & viuere non possumus, nisi iniustas tallias faciamus. Cui respondeo, quòd in valdè periculoso statu sunt. Similes enim sunt illi qui in carcere esset, cui non apponerentur, nisi toxicata, & sic cogitaret in mente sua; Non possum viuere, nisi comedam; & si comedo, mortem meam comedo. In magno animi dolore deberet esse, qui in tali statu se videt, & totam vitam istam deberent contenere.

Capvt IV.

De fraudibus Negotiatorum.

QVarto loco inter species auaritiæ, dicendum est de fraudibus Negotiatorum. Et notandum est, quòd negotiatio bona est in se, & hominibus necessaria. Ordinauit enim Deus, vt nulla terra in omnibus sufficiat, vt cùm alia terra ei subuenerit, eam chariorem habeat. Subuentio autem ista mediante negotiatione fit. Sed malitia hominum adeò impleuit fraudibus negotiationem, quòd multi negotiatores non sunt minus mali hodie raptoribus vel vsurariis. Vnde hodie impletum est quod legitur Apocalypsis 13. de bestia quam vidit Ioannes: *Et faciet*, inquit, *ne quis possit vendere aut emere, nisi qui habuerit caracterem aut nomen bestiæ, & numerum nominis eius*. Bestia quæ dicitur à vastando, est diabolus, cuius character, siue imago est falsitas vel fraus, ipse enim fuit primus mendax. Vnde Ioan. 8. *Ipse est mendax & pater eius*. Absque ista imagine confitentur multi mercatores quòd non possunt emere vel vendere. Et tamen legitur Apocal. 13. *quod qui acceperit characterem in fronte sua vel manu sua, hic bibet de vino iræ Dei*.

De octo malis abundantibus in mercatoribus.

OCto verò sunt mala, quæ abundant in mercatoribus. Primum malum est, vendere quantò carius possunt, & emere quantò vilius possunt. Istud malum excludit Deum à negotiatoribus, & facit negotiatores idololatras esse. Ex quo enim aliquis nullum habet respectum ad Deum ac fraternam charitatem in sua negotiatione, ipse seruitium quod deberet Deo impendere, impendit diuitiis, quod indubitanter idololatria est, sicut ostensum est prius. Secundò, abundant mendacia in mercatoribus, in quibus non est parua culpa. Vnde legitur Ecclesiastici vigesima: *quod potior est fur, quàm assiduitas viri mendacis*. Tertiò abundant ibi periuria, in quibus similiter non parua culpa est, quum sint contra illud Decalogi. *Non assumes nomen Dei tui in vanum*. Præterea, cùm tanta culpa sit hominem in falsum testimonium adducere: quanto culpa credenda est, quum aliquis vult ad testificandum falsum adducere? quod fit in periurio. Per Deum enim iurare, est eum in testem adducere. Quartò verò abundant in mercatoribus furta, quæ furta fiunt præcipuè per fraudes,, quas faciunt circa stateras, & pondera, & mensuras.

De triplici fraude mercatorum, quæ fit in mensuris. Et de duplici damno prouenient ex isto peccato.

IN talibus verò tripliciter est fraus. Vno modo, cùm quis habet diuersa pondera vel diuersas mensuras, & vendit ad minorem, & emit ad maiorem. Secundo modo, cùm quis habet iustam mensuram & iustum pondus. sed tamen malè mensurat vel ponderat, sicut faciunt caupones, qui mensuram implent spuma. Tertio modo, cùm quis procurat, quòd res, quam ad pondus vendere debet ponderosior sit, vt faciunt illi qui lanam madefaciunt. Duo verò sunt, quæ deberent homines cohibere à fraude, quæ fit in ponderibus & mensuris, scilicet magnitudo ipsius peccati, & damnum quod prouenit. Magnitudo verò huius peccati tripliciter potest ostendi. Primò, ex hoc, quòd peccatum istud Dei abominatio vocatur. Prouer. 11. vbi sic legitur: *Statera dolosa abominatio est apud Deum, & pondus æquum voluntas eius.* Non vocamus abominationem illud quod displicet alicui, sed quod valdè displicet. Secundò, potest ostendi magnitudo huius peccati per hoc, quòd per mensuras, & pondera, & stateras deberent ea, quæ iniqua sunt & iniusta, ad iustitiam & æquitatem reduci. Vnde sunt quasi instrumenta iustitiæ & æquitatis: ideò magis displicet Deo iniquitas in talibus. Tertiò, potest ostendi magnitudo huius peccati per hoc, quod mensuræ & pondera pertinere solent ad Dominum terræ, vnde falsitas talium in contumeliam Domini quodammodo redundat. Ideò dicitur Leu. 19. *Ego Dominus Deus vester, nolite facere aliquid iniquũ in iudicio, & in regula, & in pondere, & in mensura.* Statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquusque sextarius. *Ego Dominus Deus vester.* Ideò cùm loqueretur de mensuris & ponderibus: bis se Dominum dixit: vt timeat in eis fraudem facere, cùm scirent se habere Dominum quum nulla fraus posset latere. Damnum verò prouenIens ex peccato isto, duplex est, scilicet temporale & spirituale. De temporali habetur Deut. 25. *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor. Pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi, vt multo viuas tempore super terram, quam Dominus Deus meus dederit tibi.* Abominabitur enim Dominus eum qui fecerit hæc. Et Mich. 6. *Nunquid iustificabo stateram impiam, & sacceli pondera dolosa?* Et subditur pœna eius qui talia facit: *Tu seminabis & non metes: & calcabis oliuam, & non vngeris oleo, &c.* Spirituale verò damnum est, quod tangitur Micheæ 6. *Adhuc ignis in domo impii thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena.* Quantum mensuræ subtrahitur, tantum iræ & offensæ diuinæ requiritur, cùm scriptum est in lib. Sap. 11. *Per quæ peccat homo, per hæc & torquetur.* Vnde cùm in statera peccent tales, in statera beati Michaëlis punientur, vt mala eorum in ea magni sint ponderis, bona verò nullius. Quintum malum quod abundat in mercatoribus, est vendere ad terminum, quod est species vsuræ palliatæ, vt dictum est prius. Sextum malum est, aliud ostendere, & aliud vendere, sicut accidit in scriptoribus, qui bonam litteram ostendunt, & prauam deinde scribunt. Septimum malum est, verum celare. Octauum malum est, tenebrosa loca eligere: vel aliter procurare, vt res venalis appareat alterius modi, quàm sit: sicut accidit in mercatoribus, qui tenebras faciunt in locis, in quibus debent pannos vendere, in quo ostendunt se esse filios tenebrarum. Vnde meritò dicet de eis Dominus: *Proycite eos in tenebras exteriores.* Tenebras quæ fierunt, tenebras habeant. Ostendunt etiam se velle malè agere: quia *qui malè agit, odit lucem.* Ioan. 3.

Magnitudo peccati in fraude.

Capvt V.

De acceptione munerum.

QVinto loco inter ſpecies auaritiæ, dicendum eſt de acceptione munerum. Et primò oſtendemus; quàm periculoſa ſit munerum acceptio. Deinde agemus de his, quæ reprehenſibilia ſunt circa acceptores munerum. Quàm periculoſa verò ſit munerum acceptio, ſatis apparebit, ſi oſtendantur mala quæ faciunt munera acceptoribus ſuis.

De decem malis quæ proueniunt ex acceptione munerum.

1. PRimum malum eſt, quòd excæcant
2. eum. Secundum malum eſt, quòd eum mutum reddunt. De his duobus legitur Eccleſiaſt. 20. *Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quaſi mutus in ore auertit correptionem.* De excæcatione etiam legitur in Exod. 23. *Non accipies munera, quæ excæcant etiam prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum.* Deuter. 16. *Non accipies perſonam, nec munera: quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum.* Quis, niſi inſanus, in hoſpitio ſuo libenter recipiat eum à quo debet excæcari? Ad hoc verò, quod munera hominem mutum reddunt, pertinet quod dicit Gregorius: Non poteſt conſtanter argui à quo accipiunt. Apoſtolus noluit accipere, ne dum acciperet, authòritatem magiſterii inclinaret. Ad idem pertinet quod legitur Eſaiæ 5. *Canes muti, non valentes latrare.* Interdum Prælatus aliquis venit ad aliquem ſacerdotem cum tanto latratu, quod videtur quod velit eum deuorare. Sed ille proiicit aliquid in ore eius, & aufert ei latratum. Percutit enim de vna marca argenti, ita quod aufert ei loquelam.
3. Tertium malum quod faciunt munera acceptoribus ſuis, eſt corruptio. Vnde Eſaiæ 1. *Principes tui infideles, ſocij furum.* Et ſubiungitur cauſa: *Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones.* Et licet aliqui per munera non corrumpantur, tamen præſumptio habetur contra eos de corruptione. Quia ſecundum Hieron. ſicut matrona non eſt caſta, quæ cùm rogatur munera accipit: ita nec iudex munuſcula accipiens, à corruptione immunis iudicatur. Quartum malum eſt, 4.
quod munera accipientem in ſeruitutem redigunt. Vnde 1. ad Corinth. 11. *Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate.* Et loquitur Apoſtolus de ſumptibus recipiendis: & innuit, quod ſi ab eis ſumptus reciperet, iam ſub eorum poteſtate eſſet. Vnde quidam ſapiens cùm pro libertate reipublicæ ſtetiſſet in cauſa contra quendam diuitem, cuius expenſis diu edoctus fuerat, & ſuper ingratitudine à diuite illo in cauſam vocatus fuiſſet. Reges enim Romanorum ingratos puniebant: dixit illi diuiti: Domine mi, tu ſcis, quia nihil cauſa odii feci: ſed pro libertate reipublicæ, & honeſtate meæ perſonæ, imò etiam & tuæ ſteti. Nunc verò hoc video, quod nihil perículoſius eſt, acceptis muneribus, ſi ad omnem nos obligant ſeruitutem. Quintum malum eſt, 5.
quod manum ſuſcipientis inquinant. Ad hoc referre poſſumus quod legitur Oſee 5. *Ephraim cœpit abire poſt ſordes.* Homo cupidus cuius cor aurum affectat, videtur poſt aurum abire, iuxta illud Eccleſiaſtici 31. *Beatus vir, qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit.* Sed ſecundùm iudicium viri ſpiritualis vadit poſt ſordes, & affectat in manibus recipere illud à quo deberet eas excutere, ſi iam illud teneret. Ab eis enim quæ inquinant, ſolent homines manus excutere. Sextum 6.
malum eſt, quod munera maledictionem inducunt ſuper acceptores ſuos. Vnde Deuter. 27. *Maledictus qui munera accipit, vt percutiat animam innocentis.* Eſa. 5. *Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus.* Cu-

pidus quando munus recipit, credit se benedictionem recipere. Vnde munus vocatur benedictio 4. Regum 5. Vbi dicit Naaman Eliseo, *Obsecro vt accipias benedictionem à seruo tuo.* Sed latet ibi maledictio quam Gieizi sensit, cùm lepra Naaman ei adhæsit.
7. Septimum malum est, quod munera impediunt acceptores suos à melioribus donis. Væ illis, qui ideò cælestia accipere non possunt, quia manus eorum terram impediunt. Ad hoc pertinet id quod legitur Esaiæ 33. *Qui excutit manus suas ab omni munere, &c.* Iste in excelsis habitabit.
8. Octauum est, quod munera acceptores suos obligant, non tantùm ad seruitutem, sed etiam ad mortem. Vnde Prouerb. 15. *Qui odit munera viuet.* Vbi per oppositum innuitur, quod qui diligit munera, morietur. Ad idem pertinet illud Ecclesiast. 10. *Hic venalem suam animam habet.* Et loquitur de amatore pecuniæ.
9. Nonò, inclinant munera acceptores suos ad omnem iniquitatem. Vnde in Psalm. *In quorum manibus iniquitates sunt.* Et subditur caussa: *Dextera eorum repleta est muneribus.*
10. Decimò, igne infernali eos comburent. Vnde Iob 15. *Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui libenter munera accipiunt.* Quis nisi insanus, ea amet, quæ amatoribus suis tot & tanta mala faciunt?

De quinque in quibus possunt reprehendi acceptores munerum.

SEquitur de his, quæ possunt esse reprehensibilia circa acceptores munerum. Quæ sunt quinque. Primum est, quando aliquis, qui non indiget, recipit quod pauperibus dari deberet. Vnde Hieron. ad Damas. Pap. Clerici qui de bonis & opibus parentum sustentari possunt, si quod pauperum est, sibi accipiunt, sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium, iudicium sibi manducant & bibunt. Idem in quadam epistola: O Monache, si eges & accipis, potius das, quam accipis. Hoc dicit: quia obligatur ad dandum spiritualia, quæ acceptis meliora sunt. Deinde subdit: Si non indiges, & accipis, rapis: quia distribuenda pauperibus vbi vsurpas. Item Prosper in libro de vita contemplatiua: Habentes vnde sustentantur, non sine grandi peccato suo, vnde pauper victurus erat accipiunt. Secundò, reprehensibile est in acceptoribus munerum, quando illi qui dant, tenentur restituere eis à quibus habuerunt. De quibus dicit Hieronymus. Qui à raptoribus, simoniacis, & fœneratoribus munera accipiunt, similes sunt illis, qui minores pisces deuoratos à magnis comedunt & deuorant. Sicut enim sic deuorati nulli vsui sunt apti, ita nec obligatio talium vlli vsui, vllive religioni apta est. Hoc vitio laborant quidam religiosi nostri temporis exteriùs prætendentes sanctitatem, interiùs verò pleni auaritia & cupiditate. Qui quasi mercatores sunt pellium anguillarum, qui indifferenter omnia accipiunt, & in pios vsus conuertere volunt. Qui signati sunt per Gedeonem, qui inaures aureas de præda Madianitarum accepit, vt faceret inde sacerdotales vestes. *Et factum est Gedeoni, & omni domui eius in ruinam.* Vt legitur Iudic. 8. Isti etiam similes sunt Saul, qui regem Amalech, & meliora de ouibus & armentis reseruauit, volens immolare Domino, propter quod abiecit eum Dominus, ne esset rex, vt legitur 1. Regum 15. Isti etiam similes sunt Achor, qui furatus est de anathemate Iericho: vt legitur Iosue 7. Vnde Hieronym. Diligenter discutiendum est & cauendum, ne quis abstulerit de aliquo anathemate, ne propter illud multi cum eo perdantur. Isti etiam contra prohibitionem legis morticinium comedunt, & à bestia captum. Tertiò, reprehensibile est in acceptoribus munerum, cùm habent impios ministros, qui procurant, quocunque modo possunt

vt ipsi à subditis aliquid extorqueant, quod est valde magnum peccatum, quos suggillamus hoc exemplo: Quidam clericus cum ad aleam omnia, quæ habere potuisset, præter quinque solidos perdidisset: incœpit Deum blasphemare, & promittere eosdem quinque solidos homini, qui eum doceret quomodo Deum magis offenderet. Cui quidam qui aderat dicit: Si Deum supra omnem peccatorem volueris offendere, fias quæstor palatii Episcopi. Tales figurati sunt pet fuscinulam de qua legitur 1. Regum 2. *Veniebat puer sacerdotis cum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem, & omne quod leuabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi.* Quidam prælati Ecclesiæ ad modum dæmonum habent fuscinulas suas, quibus subditos spoliant. Isti etiam significati sunt per ostiola, per quæ sacerdotes Belis furabantur quæ ponebantur ante idolum eius: vt legitur Danielis 14. Isti etiam similes sunt mergulis illis, quos vidit beatus Martinus in quodam flumine, qui assiduè capturæ piscium intendebant. Et ait, Forma ista dæmonum est. Et præcepit eos auolare. Isti sunt velut aucupes. Vnde Amos 3. *Nunquid cadet auis in laqueum terræ absque aucupe?* Laqueus terræ est prælatus malus, vnde Oseæ 5. dicitur ad prælatos: *Vobiscum iudicium est: quoniam loqueus facti estis speculationi, & rete expansum super montem Thabor.* Isti etiam canes sunt, de quibus dicitur in Psalm. *Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerunt saturati, & murmurabunt. Dispergentur ministri Episcoporum per eorum diœceses.* Si non dant eis sacerdotes, accusant illos: iuxta illud Michææ 3. *Si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. Asserunt enim rectum esse & iustum, quod ab officio & beneficio suspendantur.* De iis legitur Ieremiæ 5. *Inuenti sunt in populo meo impij insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros.* Quartò reprehensibiles sunt acceptores munerum, quando ipsi accipiunt munera pro causa, pro qua non deberent accipere: sicut iudices qui munera accipiunt vel vt iustitiam deserant, vel vt iustitiam faciant, quam gratis deberent facere. Vtrumque enim peccatum est. Sicut enim iniquus esset, qui cappam meam mihi venderet: ita iniquus est, qui iustitiam quam debet facere ex officio, non vult facere nisi sibi aliquid detur. Ad quod referri potest illud Psalm. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Iustitiam venditam Dominus iudicabit, & pro ea venditorem damnabit; munera vero accipere, vt deseratur iustitia, quasi peccatum Iudæ est. Vnde super illud Matthæi 26. *Exinde quærebat opportunitatem vt eum traderet*, dicit Gloss. Multi hodie sunt, qui factum Iudæ execrantur, & idem faciunt. Nam cum pro munere falsum testimonium dicunt, Deum qui veritas est, vendunt. A simili, qui pro munere falsum iudicium faciunt, Deum qui iustitia est, vendunt. Quinto reprehensibiles sunt acceptores munerum, quando non faciunt illud ad quod obligantur acceptione munerum sicut accidit in illis, qui eleemosynas recipiunt, & tamen negligunt orare pro largitoribus earum. Mercedem bene volunt suscipere, sed laborem recusant ferre. Quibus dicitur in Psalm. *Surgite postquam sederitis, &c.* Panis doloris vocatur panis clericorum: quia requiritur pro eo luctus & dolor. Dolere enim debent peccata eorum à quibus eis datus est panis ille. Ideò postquam sederunt ad mensam, surgere debent ad orandum pro eis. Sed ipsum panem doloris, faciunt panem risus & gaudii, iuxta illud Eccles. 10. *Inrisu faciunt panem epulantes, & vinum bibentes.* Conuiuia quæ deberent esse in luctu, faciunt esse in risu, ita quod epulantur bibentes, id est potum obliuioni non tradentes. Variis enim vinis & exquisitis vtuntur. Et est alicubi verbum vsita-

tum, cum videtur aliquis pinguis & rubicundus, vt de eo dicatur: Iste vt comedit bibit: id est, potum in comestione obliuioni non tradidit. Tali qui de eleemosynis delicatè comedit, & cum saturitate, dicit beatus Bernardus. Væ tibi clerice: mors in olla carnium, quia peccata populi constat esse, quæ comedis, ac si tua tibi sufficere non viderentur. Mirum est quomodo ita audacter comedunt, quod mortem continet, cum Iob 6. scriptum sit. *Aut gustare quis poterit, quod gustatum affert mortem?*

De deliciis clericorum, quæ mortes septem continent.

NOtandum est, quod deliciæ clericorum mortem continent: nec vnicam mortem, imò septem mortes ibi possunt esse. Prima mors est peccatorum, pro quibus dantur eleemosynæ: quas clerici comedunt: iuxta illud Oseæ 4. *Peccata populi mei comederunt.* De ista morte loquitur beatus Bernard. in prædicta autoritate. Secunda mors est illorum peccatorum, quæ habent sequi ex deliciis: vt est luxuria, & alia vitia, quæ ex vitio gulæ nascuntur: vt ostensum est in tractatu de gula. Tertia mors est, mors sanctorum qua comparata sunt bona Ecclesiæ. Acquisiuit enim Christus Ecclesiam sanguine suo & suorum. Vnde in recompensationem debent illi, qui bona Ecclesiast. comedunt, glorificare Deum & sanctos. Quarta mors est, mors corporalis, quæ comeditur in deliciis: quia deliciæ mortis sunt occasio, vt prius ostensum est. Quarta mors est, mors pauperum: quia portione quam deberent habere in bonis Ecclesiasticis defraudantur. Defraudatio vero talis iudicatur esse homicidium. Ecclesiast. 34. vbi sic legitur: *Panis egentium, vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est.* Sexta mors, quæ ibi comedi potest, est mors propriæ damnationis. Peccatum enim res venenata est. Vnde dum comeditur, nisi sanctitas comedentis vel sequens oratio illud expellat, interdum mors æterna inde incurritur. Vnde Lucæ 20. *Deuorant domos viduarum, simulantes longam orationem.* Hi percipient maiorem damnationem. Et Bernard. Venient, venient ante tribunal Christi, ibi audietur pupillorum accusatio grauis, allegatio dura, quorum vixere stipendiis, nec diluere peccata, quibus facti sunt cæci duces: & mediatores fraudulenti. Idem. Quid tibi insipiens deliciæ sapiunt? quid diuitiæ illæ cæcos oblectant oculos, quibus tam graue mercaris iudicium, tam duræ te obligas rationi? vniuersum siquidem vsque ad nouissimum quadrantem exigeris. Septimò comedunt mortem clerici, qui comedunt eleemosynas sibi datas pro mortuis, & ab igne purgatorii, qui grauior morte est, debent eos liberare. Ad hoc enim obligantur ex susceptione eleemosynarum: & verisimile est quod Dominus multum offendatur, cum animæ quæ igne cruciantur, in tanta amaritudine ei dicant: Domine, clerici iam bona nostra susceperunt, & debuerunt liberare de angustia ista, & ipsi sunt in risu & deliciis, & de nobis non curat.

De munerum diuersitate.

TErtiò circa acceptionem munerum dicendum est de munerum diuersitate. Distinguuntur autem tres species munerum super illud Esaiæ 33. *Qui excutit manus suas ab omni munere.* Dicit enim Glossa interl. super illud: Munere oris, munere manus, munere officii. Munus oris est laus vel preces carnales. Munus manus, est pecunia. Munus officii, est seruitium incredibile impensum. Super illud vero Ierem. 48. *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter.* Distinguuntur similiter tres species munerum, non omnino eædem cum

prædictis. Dicit enim Glossa interl. super illud fraudulenter: vel pro corporalis rei præmio, vel pro laudis verbo, vel humani iudicii gratia. Glo. etiam dicit ibidem. Tribus modis fraus ista committitur, quia vel cordis humani gratia, aut fauoris aura, aut cum res quælibet exterior desideratur.

CAPVT VI.

De Auaritia Aduocatorum.

SExto loco inter species auaritiæ, dicendum est de auaritia Aduocatorum. Et notandum, quod officium Aduocationis secundum se non est malum. Vnde Aug. Non licet iudici vendere iustum iudicium: sed licet Aduocato vendere iustum patrocinium, & iurisconsulto iustum consilium. Non peccat aduocatus vendendo iustum patrocinium, si non sit persona cui non sit prohibitum hoc officium: si debito modo procedat, & causa iniusta non sit vel desperata, & salarium recipiat iustum & moderatum. In moderamine vero debet respectus haberi ad quantitatem causæ & laborem aduocationis, & qualitatem personæ aduocantis: scilicet ad facundiam, scientiam, & etiam ad consuetudinem regionis.

De octo quæ debent retrahere homines ab officio Aduocationis.

OCto tamen sunt, quæ deberent homines retrahere ab officio Aduocationis. Primum est, venalitas quam nobilis animus naturaliter exhorret. Triplici autem ratione indecens est venalitas in aduocatis. Primò, cum care empti sint à Christo, non deberent se aliis vendere. Vnde Augustin. Postquam intellexi me pretioso sanguine Christi redemptum, nolui me venalem exhibere. Secundò, quia venalitas habet vilitatem quandam: vnde pugiles & aliæ personæ, quæ ad certamen venales se offerunt, viles reputantur. Aliud iudicium est de illis, qui pro iustitia certant. Meretricum etiam est venales esse. Et cum indecentia, quæ in nobiliori parte est, peior sit, venalitas quæ penes linguam attenditur, quæ est vnum de nobilioribus membris, & in quo magis displicet indecentia, peior videtur esse quantum ad hoc, venalitate meretricum. Huic vilitati videtur attestari Apostolus 1. Cor. 6. vbi dicit. *Secularia iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Et Poëta: *Si fortuna volet, fies de rhetore consul. Si volet hæc eadem, fies de consule rhetor.* Rhetor ponitur ibi pro persona vili, consul pro nobili. Tertiò indecens est venalitas ista, quia decorum esset, quod talentum scientiæ, quod gratis acceperunt, gratis darent, præcipuè quum prohibitum sit illud vendere. Prouer. 23. Vbi dicitur: *Noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam.* Assimilantur enim aduocati vsurariis in hoc, quod sicut vsurarius talentum fortunæ, quod gratis accepit, non vult tradere proximo, aduocatus talentum gratiæ, quod gratis accepit, non vult gratis proximo dare.

De XII. periculis aduocatorum.

SEcundò deberet homines cohibere ab officio aduocationis, multiplex periculum, quod est circa officium illud. Possumus vero ad præsens numerare duodecim pericula, quæ ibi possunt esse. Primum periculum est, cum miserabilibus personis non subuenit, quibus tenetur ex lege Dei subuenire: vnde Esa. 1. *Subuenit oppresso, &c.* Et sicut medicus pauperi infirmo potest subuenire, & non subuenit homicida illius iudicatur: ita aduocatus quasi aufert rem suam pauperi homini quum non conseruat eam, quum possit. Vnde Symmachus Papa

Non grandis differentia, vtrum mortem inferas, vel admittas: mortem enim languentibus probatur infligere, qui hanc quum possit non excludit. Secundum periculum est, quum scienter causam iniustam vel disperatam suscepit. Tertium periculum est, quum in processu negotii causam esse iniustam cognoscit, & tamen adhuc eam defendit. Quartum periculum est, quando aduocatus monens ad compositionem illum ex cuius parte est, quem scit causam iniustam habere, consulit enim ei alienum accipere. Quintum periculum est, quum per infidelitatem vel negligentiam, vel ignorantiam illius cadit à causa sua ille quem ipse tuetur. Tenetur enim ei ad restitutionem. Sextum periculum est, quando ille cõtra quem patrocinium præstat, propter pertinaciam illius rem suam amittit. Tenetur enim illi similiter ad restitutionem: vnde aliquando pro centum solidis, quos habet de aduocatione, tenetur ad restitutionem centum marcarum vel mille. Septimum periculum est, cum accipitur immoderatum salarium, vel vnde non deberet accipi. Octauum periculum est, quum incurritur odium illorum contra quos præstatur patrocinium. Nonum periculum est, circa modum procedendi in causa, quum scilicet per leges falsas, vel falsa instrumenta, vel falsos testes, vel per mendacia proceditur: vel quum dicit conuitia, vel proponit, quæ non valent nisi ad dilationem causæ. Decimum periculum est, simoniæ, quum aduocatus scientiam suam vendere intendit. Vndecimum periculum est, vanæ gloriæ, ex cuius amore multi timent cadere etiam à causa iniusta, nolentes inscii videri. Vnde per mendacia vel quocunque alio modo volunt obtinere. Duodecimum est, periculum infidelitatis. Infidelis enim est malus aduocatus erga Dominum, qui talentum naturæ ei commisit, quando de talento illo lucratur contemptibilia, cum possit lucrari pretiosa. Sicut nuntius alicuius negotiatoris si veniat ad nundinas aliquas, in quibus eodem pretio posset habere brunetam quo burellum, infidelis esset domino suo, si relicta bruneta burellum emeret. Eadem infidelitate laborare videntur, qui in sacra Scriptura proficere possunt, & ad lucrum temporalium leges vel decreta discunt. Propter pericula, quæ sunt in causis, dicit Apostol. 1. ad Corinth. 6. *Omnino delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos.* Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Tertiò deberet cohibere homines ab aduocatione multiplex pœna, qua Dominus malos aduocatos solet punire. Multos enim ante mortem mutos efficit. Cuidam etiam aduocato morienti visa est lingua celerius aura moueri, quasi diceret: Lingua mea velox & facilis fuit ad peccandum, sicut arundo de facili vento agitatur. Alii visum est inferius labium moueri citius labiis crocodili. Aliis etiam exilit lingua extra os. Insipienter etiam solent agere mali aduocati circa mortem, quando præcipuè sapientia opus esset. Vnde quidam quum adferretur ei Eucharistia, in extremis ait: Iudicetur prius vtrum rectum est quod accipiam. Cui circunstantes dixerunt: Nos quidem rectum & iustum hoc iudicamus. Quibus ille: Non est hoc rectum iudicium. Non enim quum sitis mihi pares, habetis me iustè iudicare. Et alius cum in extremis admoneretur ad susceptionem Eucharistiæ, petiit dilationem: quam quum nollent amici eius dare propter mortem, quam ei videbant imminere, appellauit à manifesto grauamine. Post mortem verò balneantur aduocati in auro feruenti: vnde legitur in quadam tragœdia Senecæ, quod visum est cuidam, quod videret Neronem apud inferos balneantem, ministrosque circa eum aurum feruens infundentes. Et quum videret chorum aduocatorum ad se venientem;

nientem: Huc inquit venale genus hominum aduocati amici mei accedite, vt in hoc vase mecum balneemini: adhuc superest locus in eo quem vobis reseruaui. Quartò deberet homines cohibere ab hoc officio, quia præ cæteris videtur esse corruptum. Inuenitur enim quandoque aliquis morbus incurabilis, ad quem curandum non inuenitur medicus, quia de salute ægri desperatur. Sed nulla causa adeo inuenitur iniusta, ad quam tuendam non inueniatur aduocatus. Quintò deberet homines cohibere ab hoc officio molestia, quæ est in audiendo lites. Propter quam dicit Augustinus: Christum testem inuoco, quod mallem per singulos dies manibus aliquid operari, quam tumultuosas causarum prolixitates pati. Et Ambros. in lib. de officiis: Dispendio litis carere non mediocre lucrum. Et Bernard. ad Eugenium Papam: Lex domini silet in sacro palatio, leges perstrepunt seculares. Miror si plerumq; dicere non cogaris. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* Sextò deberet homines cohibere ab hoc officio, quia valde simile est actibus dæmonum. Vnde Augustinus: Nihil est similius actibus dæmonum, quam litigare. Septimò deberet homines cohibere ab officio magnum damnum, quod faciunt mali aduocati Deo & Ecclesiæ ipsius. Plus enim nocet alicui quandoque vnus malus aduocatus, quam possent ei nocere decem fures, vel etiam omnes raptores vnius patriæ. Aufert enim alicui abbatiam suam vel archiepiscopatum suum, quod non possent facere omnes raptores vnius patriæ. Omnes etiam dæmones non possent tantum nocere ecclesiæ quandoque, quantum nocet vnus malus aduocatus, quum episcopatum vel archiepiscopatum subdit dominio alicuius, qui seruus est diaboli: per consequens enim ponitur episcopatus vel archiepiscopatus eius sub dominio diaboli. Mali aduocati hæreticis similes sunt, & quia sunt falsarii legum & decretorum, quæ sacra sunt secundum iudiciorum eorum, vnde falsarii sunt sacræ Scripturæ, sicut & hæretici: & quia suadent contraria iustitiæ, sicut hæretici contraria fidei. Duo necessaria sunt ad salutem, fides, & bona opera, & neutrum sine altero sufficit. Hæreticus homines errare facit in fide, aduocatus vero in opere. Alii peccatores, etsi mala agunt, non tamen dicunt sic agendum esse: sed malus aduocatus iudici suadet, vt alicui adiudicet, quod eius non est. In hoc etiã est deterior hæretico: quia hæreticus ignoranter peccat putans credendum esse, quod hominibus suadet: sed malus aduocatus suadet iudici vt agat, quod scit non esse agendum. Mali etiam aduocati hostes sunt iustitiæ, veritatis & æquitatis, quorum tamen se amatores & defensores profitentur. Vnde hodie impletum est, per eos quod legitur Esaiæ 59. *Conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia longe stetit: corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi.* Conuertitur retrorsum iudicium, quum appellatur quando sententia debet fieri. Et iustitia tunc à longe stat, quæ ante appellationem proxima erat. Oportet enim vt pro iustitia eatur Romam, vbi forte iustitia etiam non inuenitur, sed solum iudices dabuntur. Corruit veritas in platea, quum aliquod crimen quod populo notum est, alicui prælato obiicitur: & tamen impedientibus hoc malis aduocatis, de illo non ponitur. Æquitas vero ingredi non potest, quum correptio in aliquo claustro inchoatur, & opponentibus se aduocatis non perficitur. Mali aduocati, quasi iugulatores sunt iustitiæ: iuxta illud Psalm. *Tota die cogitauit iniustitiam lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum.* Nouacula acuta dolum facit, quando hominem scindit, cui decorando eum seruire debuit.

De *fraude mali Aduocati.*

AD modum ergo nouaculæ malus Aduocatus dolum facit, quando iustitiam strangulat cui militare debuit. Qualiter expectare audent illud districtissimum iudicium, quod tenebit iustitia, qui se iugulatores iustitiæ intelligunt? Mali etiam aduocati, quasi hostes Dei sunt, & quasi antichristi. Christus enim in mundum venit vt pacem faceret. Vnde Apostolus ad Ephesios 2. *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, ipsi vero discordiam & litem amant & quærunt.* Vnde sicut de Christo dicunt, In pace factus est locus eius: ita de malo aduocato potest dici, In lite factus est locus eius. Aduocati ad litem conueniunt, sicut corui ad cadauera. Deus præ omnibus discordiã detestatur, quod potest haberi ex illo verbo Prouerb. 6. *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius.* Et est illud septimum, Seminare inter fratres discordiam. Aduocatus vero eam optimam arbitratur. Mali aduocati Deum fugant ab ecclesia, diabolum vero introducunt & custodiunt ibi. Si enim aliquis homo sanctus eligatur in abbatem vel episcopum, tum cito aduocati se opponunt, nec Deum in sancto viro in Ecclesiam intrare permittunt. Si vero electus sit aliquis malus, qui simoniam non timet committere, adiuuant eum. Mali etiam aduocati quasi prçcipitatiua diaboli sũt, iuxta illud Psalm. *Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa.* O aduocate, qui es lingua dolosa: id est, linguosus & dolosus: verba præcipitationis sunt verba aduocatorum. Ad modum enim illius machinæ, quæ dicitur præcipitium, destruunt ecclesiam Dei. Quorum pœna innuitur quum subditur: *Propterea Deus destruet te in finem, &c.* Ista præcipitatiua orat Dauid à Domino destrui: vbi dicit, *Præcipita Domine, diuide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate.* Solet præcipitium contra præcipitium fieri, sed secundum hunc modum loquitur hic Dauid. Tunc præcipitium contra præcipitium efficitur, quando aduocati adinuicem corrixantur. Non videtur Ecclesiam Dei amare, qui permittit diabolum ibi ponere præcipitia sua ad voluntatem suam. Aduocati etiam sunt sagittarii diaboli. Vnde Ierem. 9. *Extenderunt linguam suam, quasi arcum mendacii, & non veritatis.* Nec solum aliis, sed etiam sibipsis damnum faciunt aduocati, dum in officio aduocationis seipsos consumunt. Vnde Oseæ 7. *Comederunt alieni robur eius, & ipse nesciuit.* Alieni, id est, dæmones. In legibus & decretis, robur multorum consumat. Sen. Cauillatio verborum multum tempus nobis eripuit. Mortem etiam æternam acquirunt aduocati in officio suo. Quod videtur signatum, Genes. 34. vbi Sichem adamauit Dinam, quæ interpretatur causa: cuius occasione deinde occisus est. Notabiliter vero Sichem dicitur fuisse filius Hemor, qui interpretatur asinus. Homines enim duri & asini, qui in aliis scientiis nequeunt proficere, consueuerunt decreta & decretales audire. Octauò deberet homines cohibere ab officio amor legis diuinæ & conditiones, scientiæ decretorum. De amore legis diuinæ dicit Gregorius: Qui diligit regem diligit legem. Et Psalmista: *Palpebræ eius interrogant filios hominum.* Palpebræ quæ quandoque sunt clausæ, quandoque apertæ, significant sacram Scripturam, quæ alicubi est obscura, alicubi est aperta, quæ interrogat filios hominum, vtrum amant Deum. Signum enim diuinæ dilectionis est, quum quis laborat libenter in studio sacræ Scripturæ. Sacra vero Scriptura multum contemnitur propter scientiam decretorum. Vnde potest dicere, quod dicit Sara ad Abraham Genes. 14. *Inique agis contra me: ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns*

quod conceperit, despectui me habet. Ancilla sacræ Scripturæ est scientia decretorum, quæ sacram Scripturam despectus habet propter fructum lucri, quod de ea consequitur. Et Genes. 21. *Signata est oppressio, quam facit scientia lucratiua sacræ Scripturæ*, per ludum quo opprimebat Ismael Isaac. Vnde sicut præcepit Dominus. *Eiice ancillam & filium eius.* Forte sic necesse esset scientiam illam in magna parte ab Ecclesia excludi. Nec solum contemnitur sacra Scriptura per scientiam illam, imò etiam blasphematur, & in ea ipse Deus, qui legis autor est. Quod dicitur figuratum esse, Leuit. 24. vbi legitur, *Filius mulieris Israelitidis, quem pepererat de viro Ægyptio, iurgatus est cum viro Israelitico, & blasphemauit Deum Israël.* Sic Decretistæ qui Israelitæ sunt in parte quoad illam partem scientiæ, quam à lege diuina accipiunt, & Ægyptii quo ad illam partem quam habent à sapientia mundana, blasphemant Deum Israel, dum legem quam, ipse dedit paleam vocant, quasi inutilem: quum tamen legatur Esaiæ 40. *Ego Deus tuus docens te vtilia.* Ipsi potius paleæ sunt, de quibus Matthæi 3. *Paleas autem igni comburet inextinguibili.* Et August. Si paleam sequeris, palea efficieris.

De conditionibus scientiæ decretorum & similium.

CONditiones etiam scientiæ illius deberent homines cohibere ab ipsa. Mobilis enim est terrena, tumultuosa, inflatiua, & absque refectione. Mobilis ideò est: quia per similitudines remotas procedit. Agellius. Leges nostræ sunt telæ aranearum, quæ fortia animalia transmittunt: minus fortia & debilia retinent. Etiam ea de quibus est, temporalia sunt. Vnde eam oportet secundum varietatem temporum variari. Et quia decreta quodammodo in corde Domini Papæ sunt, sicut quidam ait, vt ea interpretetur sicut sibi videbitur. Canonici autem derogatur canone contrario vel tacito consensu Romanæ Ecclesiæ, & vsu facientium in contrarium. Ad hanc mobilitatem referri potest, quod legitur Ierem. 2. *Duo mala fecit populus meus. Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ aquas continere non valent.* Cisterna non valens continere aquam, est decretum, quod hodie aquam sapientiæ continet & cras non continebit, quia abrogatum erit. Aliter est de lege diuina, vnde Dauid dicit Domino: *Iustitia tua iustitia in æternum, & ex tua veritas.* Non verisimilitudo, & in Euangelio: *Cœlum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt.* Terrena est etiam scientia illa, vnde sicut terra aquis commixta impedit ne ibi videatur: ita terreneitas multos decretistas impedit, ne recte iudicent. Sed lex Dei, quæ contemptum terrenorum prædicat, quasi aqua clara est. Ideò dicitur illi, qui lucratiuas scientias sectatur, Ierem. 2. *Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?* Tumultuosa etiam est, & inflatiua, vnde per siliquas porcorum intelligitur, de quibus filius prodigus cupiebat implere ventrem suum Lucæ 15. *Siliquæ enim porcorum resonant & inflant.* Propter tumultum, quem habet scientia illa signantur aduocati per ranas, de quibus legitur Exod. 5. Et in Psalm. *Ædidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum.* Sed sacra Scriptura est pacifica, vnde Dauid: *Pax multa diligentibus legem tuam Domine, &c.* Et iterum: *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt.* Et Esa. 48. *Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua.* Scientia etiam decretorum animam non reficit, sed potius famem temporalium immittit, & quodammodo homines

inanit, dum exteriorem apparentiam, quærere facit. Ad quod potest referre, quod legitur Esaiæ 55. *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?* Et vt breuiter dicamus, aliæ scientiæ comparatione sacræ Scripturæ scientiæ non sunt: vnde Hieronymus: Literas non nouit, qui sacras ignorat.

CAPVT VII.

De auaritia ministrorum Ecclesiæ, & ordine dicendorum de illa. Et primò, de Simonia, & de octo, quæ faciunt ad eius detestationem.

SEquitur de auaritia ministrorum Ecclesiæ. Circa quam hoc modo procedemus. Primò, dicemus de Simonia. Secundò, de peccato ædificantium Sion in sanguinibus. Tertiò, de peccato choritarum. Quartò, de peccato mercenariorum. Quintò, tangemus de signis auaritiæ, quæ apparet in Ecclesia Dei. Sextò, de peccato indigne conficientium. Septimò, de vitio proprietatum in claustralibus. Octauo, de auaritia scientiæ. De Simonia primo hîc duo dicemus. Primo ponemus ea, quæ pertinent ad detestationem simoniæ. Secundo, diuisiones, quæ pertinent ad simoniam. Octo vero sunt, quæ faciunt ad detestationem ipsius. Primum est illud verbum Damasi Papæ: Omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputantur. In quo verbo dupliciter detestabilis ostenditur, & quia ostenditur excedere cætera crimina, & quia hæresi comparatur. In multis etiam aliis locis vocatur hæresis peccatum illud. Vnde Nicolaus Papa: Statuimus decretum de simoniaca tripartita hæresi, & super illud Matthæi 21. *Et cathedras vendentium columbas euertit*, dicit Gloss. Hinc est, quod hæresis simoniaca damnatur. Et super illud Ioan. 2. *Et his qui columbas vendebant, &c.* dicit Gloss. interlin. Specialiter damnatur simoniaca hæresis. Et Actorum 8. vbi dicit Petrus Simoni mago: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua*, dicit Gloss. interlin. idem est, à duplici malo cupiditatis & prauo fidei. Et in veritate simoniaci quantum ad hæc hæretici sunt, quod æstimant mente vel facto, quod inpretiabile est, sub vili pretio cadere, & separant corpus Ecclesiæ à suo capite, sicut hæretici, vt inferius ostendetur. Secundo vero facit ad detestationem simoniæ, hoc, quod ipsa est spiritualis sodomia. Sicut in sodomia corporali facit contra naturam ille, qui est opus naturæ: sic in simonia facit contra gratiam ille, qui est opus gratiæ, quia à gratia est redemptus. Et sicut in die iudicii obmutescet sodomita secundum interpretationem sui nominis, quia hostis fuit naturæ, quæ eum fecerat: quantum enim in se est, sodomita genus humanum destruit: sic obmutescet simoniacus, qui hostis gratiæ fuit à qua redemptus fuerat. Et sicut secundum legem naturalem sodomia vel maximum peccatum, vel vnum de maximis iudicatur, quia est contra naturam. In tempore gratiæ secundum legem euangelicam maximum peccatum iudicatur simonia, quæ proprie est contraria gratiæ. Proprie enim facit contra illud Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Vnde recte significati sunt simoniaci per Sodomitas, volentes infringere fores Loth. de quibus Gen. 19. *Iamque prope erat vt infringerent fores Loth, &c.* Tertium, quod facit ad detestationem simoniæ est magnus zelus quem legunt sancti habuisse contra peccatum istud. Vnde 4. Reg. 5. dixit Eliseus ad Giezi: *Lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo in sempiternum.* Et Dominus in suo primo aduentu non legitur contra aliquod peccatum ita exarsisse sicut contra istud. Vnde bis legitur eiecisse ementes & vendentes de templo. De prima eiectione

habetur Ioan. 1. De secunda, Matth. 21. *Veneiat Dominus iudicari, non iudicare, & vt in mansuetudine peccata toleraret, non vt ea puniret.* & tamen contra istud peccatum, imò figuram istius peccati, mansuetudinem seruare noluit: sed quasi iratus cum flagello de funiculis facto, mensas nummulariorum, cathedras vendentium columbas euertit: & licet primus aduentus esset misericordiæ, tamen de hoc peccato iustitia se intromisit. Vnde Bernardus ad Eugenium Papam loquens de peste simoniæ: Intuere, inquit, magistrum: non parat aures, vt audiat; sed flagellum quo feriat: verba nec facit, nec recipit: nec enim sedet iudicans, sed insequitur puniens. Causam tamen non tacet, quod scilicet, domum orationis, domum negotiationis fecissent. Ergo & tu fac similiter. Erubescant vultum tuum istiusmodi negotiatores, si fieri potest: si non, timeant. Timeant nummularii, non confidant in nummis, sed diffidant. Abscondentes suum à te, scientes effundere quàm accipere paratiorem. Propter zelum quem habuit Dominus contra hoc peccatum, scriptum est in Psalmis, in persona eius: Zelus domus tuæ comedit me. Etiam peccatum Iudæ voluit Dominus patienter tolerare, sed istud peccatum noluit. Petrus etiam magnum zelum habuit contra istud peccatum, quando dixit Simoni Mago: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*; vt legitur Act. 8. Quantum etiam zelum habeat Ecclesia contra hoc peccatum, satis patet illis, qui Canonici Iuris peritiam habent.

De duodecim contumeliis Simoniæ.

QVartò, facit ad detestationem simoniæ multiplex contumelia quā facit istud peccatum Deo, & ponemus ad præsens duodecim de contumeliis istis. Prima est, quod Deum vendit. Et hoc dupliciter. Primò, quia vendit gratiam sancti Spiritus: vnde super illud Ioan. 2. *His qui columbas vendebant, &c.* dicit Gloss. Spiritus in columba apparuit. Vnde per columbam, spiritus accipitur, quem simoniaci vendunt: sed Spiritus sanctus, Deus est: vendunt ergo simoniaci Deum. Aliter etiam vendunt Deum, dum Christum in Sacramento Altaris vendunt pro pecunia celebrando. Nec est parua contumelia ista. Non est aliquis ita pauper in mundo, qui non multùm indignaretur, si quis vollet ducere eum ad forum, & ibi eum venalem exhibere, tanquam iumentum suum: quantā ergo contumelia est Deo, cum ipse venalis exponitur ab his à quibus præcipuè honorandus esset? Sufficere deberet talibus, quod Christus semel pro peccatis eorum venditus est. Venditores isti deteriores videntur esse Iuda in his quinque. Vendunt immortalem & iam glorificatum, quem Iudas vendidit mortalem, & in statu humilitatis: vnde contumelia illata militi, maior est, quàm si inferatur domicello. Nec semel tantùm eum vendunt, vt Iudas, sed plus quàm centies, minori etiam pretio eum vendunt quàm Iudas. Credunt etiam eum Deum esse, quod non credebat Iudas, cùm vendidit trigenta denariis: Iudas etiam cùm de hoc peccato pœnituit, pœnitentia ductus reddidit triginta argenteos, quibus Christum vendiderat: sed simoniaci ad pœnitentiam induci non possunt, vt ea restituant, quæ per simoniam acquisierunt. Secunda contumelia est, quod Deum venditorem æstimant: quod non est parua contumelia. Si enim aliquis rex vel comes valdè liberalis requiratur super venditione vestium suarum vel armorum, pro magno malo habet: quid mirum ergo! si pro malo habeat ille, qui est liberalissimus largitor omnium, qui omnia quæ fecit, ad largiendum fecit, quædam vt eis largirentur, alia vt ea largiretur, qui munera sua dat bonis & malis,

gratis & ingratis, amicis & inimicis, qui rogat vt ab eo petatur? Hanc contumeliam innuit Petrus, vbi dicit Simoni: *Quia existimasti donum Dei pecunia possideri,* quasi diceret, donatorem æstimasti venditorem. Et Ioannis secundo dicit Dominus: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Domum Dei domum negotiationis facit, qui Deum negotiatorem æstimat. Tertia contumelia est, quod donum Dei contemnit, quum illud quod adeò pretiosum est, quod pretium est regni cælorum; luto temporalium parificat, in quo etiam ipsum donatorem contemnit. Non solet parum displicere hominibus, quum aliquis bona eorum contemnit: vt patet in mercatoribus & artificibus: præcipuè vero quum dona eorum contemnuntur. Et hoc multùm solet retrahere etiam ipsos liberales homines à largiendo. Vnde Dominus Matt. 7. prohibuit, ne dona eius largirentur talibus: *Nolite*, inquit, *margaritas spargere ante porcos*, id est, pretiosa de terra dare contemptoribus. Quarta contumelia est, quod simonia aufert Deo ostium Ecclesiæ: quod Dominus maximè voluit seruare: propter quod ostium se dixit Ioan. 10. *sicut aliquis solet se ponere in medio ostij, quum vult seruare, ne quis ingrediatur, nisi de voluntate eius.* In quo verbo significat Dominus, quod quasi violentiam ei faciet, qui nisi per eum intrabit. Ad ostendendum etiam hoc, quod ingressum Ecclesiæ maximè seruari voluit, intrauit ipse ad discipulos suos, ianuis clausis: qui enim ingressum benè vult seruare, solet aperire volenti ingredi quantum minus potest de ostio. Et multùm placeret ei, si ille qui debet ingredi, ostio omninò clauso ingredi posset. Ad idem ostendendum, iussit Dominus Exod. 12. *Postes ostij in sanguine Agni intingi.* quasi diceret: saltem ostium Ecclesiæ, quod proprio sanguine emi, habere volo. Hac de causa tradidit ipse claues Ecclesiæ Petro: qui amabat eum ardentiùs cæteris. Per simile etiam potest idem manifestari in munitionibus, dum guerræ sunt, portæ solent præcipuè custodiri. Vnde turres consueuerunt fieri super eas. Quinta contumelia est, quia simonia procurat, vt Ecclesia, quæ sponsa Dei est, aliunde grauida sit, quàm à sponso suo. Ecclesia de solo Spiritu sancto concipere deberet: quod figuratum est in beata Virgine, quæ inuenta est habens in vtero de Spiritu sancto. Matthæi primo. Sed simonia facit, quod ipsa concipiat de spiritu maligno. Vnde mirum est, quod sponsus eius non deserit eam. Ioseph enim voluit dimittere beatam Virginem, dum dubitaret vnde ipsa concepisset. Sexta contumelia est, quod Deum facit nutrire filios adulterinos. Septima contumelia est, quod filios Dei exhæredant à patrimonio Christi, & filios diaboli ibi hæredes constituit, iuxta illud Ecclesiastici vigesimo-tertio: *Omnis mulier relinquens virum peccabit, statuens hæreditatem ex alieno matrimonio.* Octaua contumelia est, quod Deum idololatricum facit, idolo auaritiæ eum offerens, & in hoc detestabilior est simonia alijs speciebus auaritiæ. Simoniæ enim non sufficit, quod alium Deum constituat: sed proprium Deum idolo suo immolat, quum pro pecunia celebrat: Magna contumelia esset domino alicuius castri, si subditi eius alium dominum constituerent: sed longè maior esset, si domino constituto, verum dominum captum offerrent. Nona contumelia est, quod illud peccatum nulli loco, nullæ personæ defert. Alia peccata sanctitati locum deferunt. Nullus enim fornicaretur in Ecclesia, vel iuxta altare: sed simonia ipsa etiam altaria inuadit. Vnde Ieremiæ decimo-septimo dicitur, peccatum Iuda exaratum esse in cornibus ararum eorum. Per peccatum Iuda, peccatum clericorum intelligitur, qui debent va-

care confessioni diuinæ laudis. Ista est, quæ iuxta filium Virginis ponit idolum cupiditatis, vt videatur impletum illud Danielis nono: *Et in templo erit abominatio desolationis.* Simonia non defert Deo, nec Angelis eius. Interest enim cùm diuina celebrantur; licet Christus præsens sit, inquantum Deus, & inquantum homo, cum Angelis suis. In hoc simoniaci dæmonibus deteriores sunt: quia dæmones timent Christum & angelos eius, ipsi verò, non. Decima contumelia est, quod eisdem vtitur simonia ad hominum inquinationem, quæ Christus instituit ad eorum sanctificationem. Vnde benè videtur triumphasse diabolus de Ecclesia: quando Ecclesiam impugnat propriis armis, & quasi proprio baculo percutit eam. Vndecima contumelia est, quòd latrones & sacrilegos facit obtinere locum & vicem Dei. Simoniacus enim latro est. Vnde Ioannis decimo: *Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit abundè; ille fur est, & latro.* Vnde super illud Matthæi vigesimo primo: *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* dicit Glossa. Latro est, qui lucra sectatur: qui non dantes corporaliter persequitur: & dantes spiritualiter necat. Et dum læsionem proximè cogitat, quasi latro sedet in spelunca. Sacrilegus est etiam simoniacus quia sacra sunt ea, circa quæ latrocinium suum exercet. Absurdum enim est dicere eum sacrilegum, qui furatur vel rapit calicem alicuius Ecclesiæ, & non dicere eum sacrilegum qui furatur vel rapit totam Ecclesiam cum calice, & aliis quæ ad eam pertinent. Dupliciter autem potest dici simoniacus fur, & respectu illius, cuius bona contrectat eo nolente, & respectu pauperum, quos bonis Ecclesiæ defraudat. Vnde quum Prælatus vicem Dei obtineat: quando simoniacus Prælatus efficitur, latro & sacrilegus vice Dei in Ecclesia fungitur. Duodecima contumelia est, quod Ecclesiam Dei iumentis & reptilibus replet; suffodit enim murum Ecclesiæ, scilicet Prælatum, præcipuè si terrenus sit: iuxta illud Gen. 49. *Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis.* Et subiungitur: *Voluntate sua suffoderunt murum.* Et interponit Iacob quandam orationem, quæ frequenter facienda esset Prælatis Ecclesiæ. *In consilio eorum veniat anima mea.* Minus enim periculosum esset Prælatis Ecclesiæ, habere in consilio suo homines dæmoniacos, quàm simoniacos. Suffosso verò muro Ecclesiæ, intrat multitudo reptilium & iumentorum, iuxta illud Ezechielis decimo: *Ingredere, & vide abominationes pessimas.* Et subditur: *Et ingressus vidi, & omnis similitudo reptilium & animalium abominatio.* Quum aliquis luxuriosus in aliqua Ecclesia beneficiatur, porcus tunc in Ecclesiam ingreditur. Quum aliquis amans lites & rixas præficitur: tunc canis in Ecclesiam ingreditur.

De multiplici damno quod prouenit de Simonia.

QVintò, facit ad detestationem simoniæ multiplex damnum, quod inde prouenit Deo & Ecclesiæ eius. Primum autem damnum est, quod Deus per eam, quasi Ecclesiam amittit, dum amittit ingressum & egressum eius. Non enim est Dominus alicuius castri, qui non habet ingressum & egressum in eo. Ideò dicebat Psalm. *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum, &c.* Aliud damnum est, quod Ecclesia, quæ deberet esse habitaculum filiorum Dei, conuertit in speluncam latronum, iuxta illud Matth. 21. Scriptum est: *Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.* In hoc deteriores videntur esse Prælati Ecclesiarum principibus sæcularibus: quia illi in potestate sua speluncas latronum non tolerantur: sed illi sustinent claustra, in quæ simoniecè intratur. Iudicio Domini sunt speluncæ

latronum. Satis latrones sunt, qui patibulo inferni iam sunt adiudicati. Aliud damnum est, quod vbi Deus debuit honorari, ibi exercetur idololatria. Illi enim quos aurum & argentum introduxerunt, argento & auro, quasi Deo seruiunt. Vnde Osee 8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui. Argentum suum & aurum suum fecerunt sibi idola.* Qui dignitatem emit, vult postea vendere quæ ad dignitatem pertinent. Vnde super illud Act. 8. de Simone Mago, dicit Glossa: Spiritum emere volebat, vt aliis vendens, plus accipere posset. Et sicut beatus Bernardus dicit. Qui fideliter intrat, & non per Christum, quid nisi infideliter agit, & contra Christum? Ex quo Christus non introducit aliquem in Ecclesiam, post non cognoscit eum. Vnde Petrus introductus ab ancilla ostiaria in atrium principis Sacerdotum, dixit se Christum non cognoscere. Ancilla ostiaria caro est, quæ habet quinque sensus, quasi ostia animæ. Ancilla ergo ostiaria illum introducit, quem carnalitas introducit. Aufert etiam simonia Ecclesiæ Spiritum sanctum: quod videtur esse signatum in hoc, quod ignis sacer qui per lxx. amos Babylonicæ captiuitatis vixerat, sub aquis extinctus est, Antiocho vendente sacerdotium Iasoni: sicut Augustinus, per quem ignem figurabatur Spiritus sanctus. Et hoc est maximum damnum, quod possit fieri Ecclesiæ Dei: sicut maximum damnum, quod posset fieri corpori nostro, est, si auferatur ei spiritus, à quo habet totum suum valorem. Simonia etiam facit, vt Ecclesia, quæ sponsa Dei est, & deberet Deo filios generare, generet monstruosè talpas, serpentes, & etiam asinos cornutos. Quum in aliqua Ecclesia canonicatur vel profitetur aliquis auarus, possunt dicere canonici illius Ecclesiæ: Mater nostra quum fratrem nobis generare debuit, pro fratre nobis talpam generauit. Quum verò canonicatur aliquis detractor, tunc serpentem generat illa Ecclesia: iuxta illud Ecclesiast. 19. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Quum verò indiscretus aliquis episcopatur in Ecclesia, tunc asinus cornutus in ea nascitur. Nihil aliud est stolidus mitratus, quàm asinus cornutus. Asinus enim est per stoliditatem, cornutus per mitram. Sextò, facit ad detestationem simoniæ hoc, quod peccatum hoc reddit hominem exosum Deo, & hominibus. Vnde Ecclesiast. 20. *Qui potestatem sibi assumit iniustè, odietur.* glossa dicit: A Deo & hominibus. Frequenter enim, licet simonia sit occulta, tamen hominem reddit exosum hominibus. Punit enim Deus eum in hoc, quod apud homines gratiam non habet. Septimò, facit ad detestationem simoniæ hoc, quòd ipsa vitiat radicem. Vnde ea quæ sequuntur, venenata, vel saltem inutilia reddit. Ad quod referri potest illud Osee 9. *Radix eorum exiccata est, fructum nequaquam faciens.* Octauò & vltimò, facit ad detestationem simoniæ hoc, quòd simoniaci difficilè saluantur, & hoc duabus de causis. Primò, propter magnitudinem peccati. Secundò, quia oportet resignare beneficium, quod simoniacè acquisierunt. Vnde sunt quasi nassa diaboli. Piscis, qui nassam ingressus est, non de facili per locum quem intrauit, egreditur, & per alium locum non exit, nisi captus. Sic non de facili renuntiat homo beneficiis, quæ simoniacè habet: & non aliter saluatur; vnde quasi vnum pedem iam habet in inferno. Vnde diligenter debet homo cauere quomodo intret in Ecclesiam, nisi enim caueat sibi, in inferno quasi ponit pedem suum. Ideò dicitur Ecclesiast. 4. *Custodi pedem tuum, ingrediens domum Domini.* Qui emit beneficium Ecclesiasticum, similis est illi, qui emeret vt magna moles terræ super eum caderet, quæ eum opprimeret, & non permitteret eum surgere. Ad difficultatem

cultatem

cultatem saluandi, quæ est in simoniacis, potest referri illud Ieremiæ 17. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantimo, exaratum super altitudinem cordis eorum.* Per Iudam Clerici intelliguntur, quorum est intendere confessioni diuinæ laudis. Ad quos pertinet peccatum simoniæ, quod innuitur scriptum esse, quasi indelebiliter per hoc quod dicitur stylo ferreo, qui idoneum instrumentum est ad scribendum, & per hoc, quod scriptum est in adamantino simili vngui, id est, nitido & plano. Scriptura enim in tali materia facta, diutius durat. Sed quia scriptura quæ indelebilis est, potest amitti, ideò subditur: *Exaratum super altitudinem cordis eorum.* Et ostenditur, quòd hæc scriptura sit in tabula cordis, quæ non potest ab eis, vel amitti, vel relinqui. Ad eandem difficultatem pertinet quod dicit Petrus Simoni Mago, Actorum 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.*

De diuisionibus Simoniæ.

POst ista ponendæ sunt diuisiones, quæ faciunt ad detestationem simoniæ, & quæ pertinent ad simoniam. De quibus tres tantùm ponemus. Et est prima diuisio, quòd inter eos, qui simoniam committunt, alij committunt, eam emendo, vt Simon Magus, qui propriè simoniaci dicuntur. Alii verò committunt, eam vendendo, vt Giezi, qui Giezitæ vocantur. Aliquando tamen largè vocantur simoniaci & isti & illi. Secunda diuisio est, secundum diuersitatem munerum, per quæ simonia committitur.

De quadruplici Simonia.

COmmittitur autem simonia quadruplici munere: videlicet cùm quis obtinet aliquod spirituale per pecuniam, vel per adulationem, vel per preces carnales, vel per obsequium sordidum. De primo legitur 3. Reg. 13. quòd quicunque volebat, implebat manum Ieroboam, & fiebat sacerdos excelsorum: & sequitur quòd propter hanc causam domus Ieroboam euersa est & deleta de superficie terræ. Si venditio sacerdotii idolorum sic vindicata est à domino: quomodo vindicabitur venditio veri sacerdotii? Adulatio verò valdè timenda est. Penetrat enim cor hominis, & quasi insensibiliter, propter quod oleum vocatur in Psalm. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Et alibi: *Intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius.* Et fit sermo in maledictione: adulatio enim oleum est, & maledictio. Oleum inquantum delectat, maledictio inquantum tormenta parat. Vnde gloss. super illum locum: Quæ malè delectant, dicuntur maledictio, quia tormenta parant: à precibus autem carnalibus diligenter cauendum est. Vnde Bern. Vbi non licet facere quis locus roganti: alius pro alio, alius fortè pro se rogat. Pro alio rogans fit suspectus: qui rogat pro se, iam iudicatus est. Exemplum non acquiescendi precibus carnalibus dedit nobis Dominus Ioan. 2. vbi dicit matri suæ, volenti vt faceret miraculum: *Quid mihi & tibi est mulier?* Innuens se non habere ex ea potestatem faciendi miracula: & Matt. 20. Non exaudiuit matertera m suam petentem, vt daret hanc dignitatem Iacobo & Ioanni, vt vnus sederet à dextris in regno eius, & alius à sinistris. Exemplum etiam non rogandi pro beneficio nepotibus obtinẽdo, habemus Gen. 18. vbi Abraham rogauit Dominũ, ne Sodomã destrueret: nõ enim voluit eum rogare specialiter de nepote suo Loth, vt eum ab incẽdio liberaret. Et dicebat Cãtor Parisiẽsis bonæ memoriæ, quòd vix rogasset pro beneficio nepoti suo impetrando, qui noluit rogare Dominum, vt nepotem suum ab incendio liberaret. De illo

verò, qui per obsequium vult obtinere beneficium, dicit beatus Bernardus: circuit sedulus explorator, sequitur, & obsequitur, simulat, & dissimulat, manibus ac pedibus repens, si quomodo possit introducere in patrimonio Crucifixi. Tertia diuisio est secundùu diuersitatem eorum, quæ vendere simoniaci volunt; quia inter dona spiritualia, quæ ipsi vendere volunt, quædam sunt spiritualia: quia illis acquiritur Spiritus sanctus, vt orationes Ecclesiæ. Quædam verò spiritualia, quia illis confertur, vel augetur gratia Spiritus sancti, vt sunt Sacramenta Ecclesiæ, præterquam matrimonium & societas Ecclesiastica, & officia, vel dignitates Ecclesiæ. Quædam verò dicuntur spiritualia, quia ipsis habetur Spiritus sanctus vt scientia & virtus. Scientia enim habetur inquantum illuminans, & ideò prohibetur vendi scientia. Prouerbiorum vigesimo-tertio, vbi dicitur? *Noli vendere sapientiam, doctrinam, & intelligentiam.* Virrute verò, habetur Spiritus sanctus, inquantum afficiens animam. Quædam verò dicuntur spiritualia, quia per ea ostenditur haberi Spiritus sanctus, vt miracula: quædam verò dicuntur spiritualia largè sumpto nomine, quia spiritualibus exercitiis deseruiunt, vt sunt vasa & vestes Ecclesiæ. Quædam verò dicuntur spiritualia à quibus illi sustentantur, qui spiritualibus exercitiis sunt intenti, vt sunt decimæ. Sed ista duo vltima genera, potius dicenda sunt annexa spiritualibus, quàm spiritualia.

CAPVT VIII.

De peccato ædificantium Sion in sanguinibus, & de his quæ faciunt ad detestationem.

POst peccatum Simoniæ dicendum est de peccato ædificantium Sion in sanguinibus. Tria verò sunt, quæ facere possunt ad detestationem huius peccati. Primum est maledictio, quam facit talibus Spiritus sanctus. Habac. 2. *Væ*, inquit, *qui ædificant ciuitatem in sanguinibus, & præparant vrbem in iniquitatem*: id est, per iniquitatem. Collatio beneficiorum facta consanguineis, quædã præparatio est, vt habeant vrbem Ecclesiæ concordem ad omnem iniquitatem, quam facere volunt. Secundò, valent ad detestationem huius vitii, diuersa exempla & verba Scripturæ. Et de exemplis sufficiat ponere octo. Octo exempla contra carnalem amorem. Primum est, quod legitur de Catone, quòd nullum dilexit priuato amore, & nullũ odiuit priuato odio. Secundum est exemplum Abrahæ, cui præcepit Dominus Gen. 22. quòd offerret ei vnigenitũ suum in holocaustum. Idem volens ostendere in facto illo, quod posteà docuit verbo, vbi dixit: *Qui non oderit patrem & matrem propter me, non potest esse meus discipulus*. Abraham figuram tenet Prælatorum, quos non vult Deus carnalem amorem habere ad parentes suos, imò vult paratos esse ad interficiendum eos, si ipse præciperet. Vnde Exodi trigesimo-secundo, dicit Moyses filiis Leui, cùm commisissent peccatum idololatriæ. *Occidat vnusquisque fratrem suum, & amicum, & proximum suum.* Tertium exemplum est Melchisedech, de quo Apostolus ad Hebræos septimo: *Melchisedech rex Salẽ Sacerdos* Dei *summi*. Et subiungitur: *Sine patre, sine matre; & sine genealogia*. Non facit mentionem

de patre vel de matre Melchisedech, qui propriè figurat sacerdotes nouæ legis: vt ostendat carnalem amorem longè debere esse à sacerdotibus. Quartum exemplum est Moysi, de quo habetur Exod. 4. quod cùm iret ad liberationem populi, & duceret vxorem suam, & filios suos. cùm esset in itinere in diuersorio, voluit eum Dominus occidere. Sciebat enim Deus vxorem & filios sibi fore impedimento. Quintum exemplum est Exod. 18. Vbi dicit Iethro Moysi: *Prouide de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos.* De omni plebe, & non de consanguineis consuluit tribunos constitui & viros potentes, non puerulos, sicut fit hodie in Ecclesia. Pueris enim traduntur Ecclesiæ, qui eas non possunt fœcundare, sed vicarios ponunt; cùm valdè ridiculosum sit aliquem matrimonium contrahere, qui non potest fœcundare propter solam fiduciam ponendi vicarium. Sextum exemplum est in Num. 27. vbi dicit Dominus Moysi: *Contemplare terram quam daturus sum filiis Israel: Cumque videris eam, ibis tu ad populum tuum.* Cui respondit Moyses: *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc.* Et Deus ad eum: *Tolle Iosue filium Nun, in quo est spiritus Domini.* Non petiit Moyses, aliquem de filiis suis constitui ducem. Vnde Hiero. Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem locutus est Deus, potuit vtique successores principatus filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem: sed extraneus de alia tribu eligitur Iosue, vt sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse, sed vitæ merito. Dominus etiam innuit ibi, quales sint eligendi, vbi dicit: *Tolle Iosue, in quo est spiritus Domini.* Septimũ exemplum est in Petro, cui dedit Dominus principatum Ecclesiæ, Matth. 16. quia ardentioris amoris erat. Habeat Dominus cognatum germanum magis literatum, scilicet Ioannem, non minorem honestate, quia virgo erat, & inter cæteros magis dilectus, noluit tamen dare ei principatum Ecclesia, matrem suam commendauit ipsi Ioanni, quasi carnem carni, sed Ecclesiam commendauit Petro, quia eum ardentiùs amabat. Octauum exemplum in Actibus Apostolorum primo: vbi legitur, quod Apostoli statuerunt duos, scilicet Ioseph & Matthiam, vt alter eorum Apostolatum Iudæ susciperet. Et cùm Ioseph iustus esset, & haberet fratres Apostolos, scilicet Iacobum minorem, & Simeonem & Iudam, & duos cognatos, scilicet Iacobum maiorem & Ioannem, & ipse Dominus Apostolorum eius cognatus esset, tamen Matthias ei Prælatus est.

De verbis Sacræ Scripturæ, quæ valent ad detestationem carnalis amoris.

PRimò, ponamus illud quod legitur Deuter. 33. vbi Moyses benedixit filiis Leui: Qui dixit patri suo & matri suæ, *Nescio vos*, & fratribus suis, *Ignoro illos*: & nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum: Illi qui habent carnalem amorem, vix possunt mandata Dei seruare. Malum enim quod pro se non facerent, faciunt pro parentibus suis. Tales non contendunt intrare per angustam portam, cùm per amorem lingent se simul, vt vnus intrare non possit, nisi omnes intrent. Iuuant enim se inuicem etiam in malis. Quomodo intrabunt quadraginta simul congregati per angustam portam, per quam vix vnicus intrat? Secundò, ponemus illud verbum Psalmi. *Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus:* id est, non erunt carnales conuentus Ecclesiæ, sicut fuerunt synagogæ. Tertiò, illud Ioan. 10.

qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate, &c. & loquitur de illis qui credunt in nomine Christi. Quartò, illud Matthæi 16. *Beatus es Simon Bar-iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi*: Cuius contrarium potest dici Prælato, qui ex carnali amore confert beneficia sua. Væ tibi Simoni, non Bar-jona, sed satana: quia caro & sanguis reuelauit tibi, non Pater meus, qui in cælis est. Quintò, illud verbum Domini Matthæi decimo: *Qui amat patrem & matrem plus quàm me, non est me dignus.* Sextò, illud Matt. 8. quod dixit Dominus vni de discipulis suis, roganti, vt permitteret eum sepelire patrem suum: *Sequere me*, inquit, *& dimitte mortuos suos.* Noluit discipulum exhibere patri suo officium sepulturæ, cùm tamen illud officium sit vnum de officiis maximè debitis inter amicos. Hier. Ob amorem Christi obtinenda est sepultura patris, pro cuius etiam amore nullus relinquendus est inhumatus. Septimum est illud Matt. 18. *Si manus tua vel pes tuus scandalizant te, abscinde eum, &c.* Et iterùm: *Si oculus tuus scandalizauerit te, erue eum, &c.* Manus est adiutor valdè necessarius, vel pes: oculus consiliarius valdè necessarius, à quibus tolerabilius est separari, quàm à Deo separemur. Nec mirum, cùm Deus caput animæ sit. Abscissio verò capitis indubitanter magis timenda est, quàm abscissio manus vel pedis, sed multi semimortui vel semiuiui, iuxta illud Luc. 10. semiuiuo relicto, de abscissione veri capitis spiritualis non curant, sicut corpus mortuum de abscissione capitis corporalis non curat. Octauum est illud Matth. quod dixit Dominus turbæ dicenti: *Ecce mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te*: Quæ est, inquit, mater mea, & fratres mei? Et respiciens eos qui in circuitu sedebant, ait, *Ecce mater mea & fratres mei. Qui enim fecerit voluntatem* Patres *mei, qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Nonum est illud Genesis, secundo: Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Amor filiorum spiritualium, quos generat Prælatus de Ecclesia, adeò deberet amorem eius attrahere, vt parentum carnalium obliuiscatur à quo instruitur. Arbor enim humorem naturaliter mittit ad ramos, & non ad radicem.

De multiplici malo, quod prouenit ex carnali amore in Ecclesia Dei.

Tertiò, valet ad detestationem carnalis amoris in ministris Ecclesiæ, multiplex malum, quod facit hoc peccatum in Ecclesia Dei. Et est primum malum, quod oculum Ecclesiæ in multis locis sanguis operit, ita quòd in multis locis non plus videt Ecclesia de oculo, quàm de calcaneo. Oculus Ecclesiæ clerus est, quem carnalis amor alicubi sic excæcat, vt mulierculæ melius videant in spiritualibus, quàm ipsi: vt videatur illud Prophetæ impletum: *Erit sicut populus, sic sacerdos.* Secundum malum est, quòd inutilem reddit constitutionem illam Ecclesiæ, quæ est de continentia seruanda ab his, qui sacros habent ordines. Hoc enim statutum est ad carnalem amorem excludendum ab Ecclesia, sed sicut dicit Alexander Papa: Deus abstulit nobis filios, sed diabolus dedit nobis nepotes. Tertium malum est, quod carnalis amor est quasi quoddam bitumen, quo arca Ecclesiæ bituminata est hodie, ne Spiritus sanctus intret iuxta illud Iob penult. vbi loquitur de Behemoth: *Corpus eius quasi scuta fusilia, compactum squamis sese prementibus: Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas.* Hoc benè apparet cùm aliquis correptio vel electio debet fieri in aliqua Ecclesia. Quartum malum est, quod carnalis amor est quasi quædam catena, qua ligatos simul custodit diabolus ministros Ecclesiæ, nec ei euadent, sicut duæ equæ solent simul ligari, vt vna aliam cu-

ſtodiat: ſi enim eorum vnus qui amore carnali ligati ſunt ad religionem velit tranſuolare, amor parentum retinet eum.

De triplici infidelitate carnalium.

QVintum malum eſt infidelitas magna, quam facit hoc peccatum in miniſtris Eccleſiæ, quæ infidelitas tripliciter poteſt oſtendi. Primò ſic, ſi princeps aliquis peregre proficiſcens tradidiſſet alicui de ſubditis ſuis terram ſuam tenpore opportuno filiis ſuis diuidendam: & ſubditus terram illam propriis filiis diuideret, & filios Domini exhæredaret, nunquid non infidelis valde eſſet? Sic prælati Eccleſiæ valde infideles ſunt, qui patrimonium Chriſti, quod filiis Chriſti deberent diuidere, conſanguineis ſuis tribuunt. Secundò poteſt oſtendi infidelitas iſta per illud verbum Beati Bernardi: Mira res, inquit, eſt. Epiſcopi habent ad manum cui credant animas: cui autem credant facultates ſuas non inueniuntur. Et ſubdit: Vnde liquido datur intelligi, quod patientius ferimus iacturam Chriſti, quam noſtram. Quandoque aliquis Epiſcopus alicui nepotulo ſuo quinque millia animarum committit, cui decem pira non committeret. Tertiò poteſt oſtendi infidelitas iſta prælatorum per hoc, quod ipſi infideles ſunt erga conſanguineos ſuos, quibus beneficia eccleſiaſtica conferunt. Quod ſic poteſt oſtendi. Nunquid Dauid iniquus fuit, & infidelis erga Vriam? quem fecit poni ex aduerſo belli vbi fortiſſimum erat prælium, vt legitur 2. Reg. 11. Sic infidelis eſt Epiſcopus, qui nepotulo ſuo prælationem confert, cum ſciat eum imbellem, & ſciat totum pondus prælii ſpiritualis verſum ſuper prælatos. Vnde 1. Reg. 11. legitur quod totum pondus prælii verſum eſt in Saul. Nunquid Pharao iniquus fuit in paruulos Iudæorum, cum præcepit populo ſuo, vt quod naſceretur de Iudæis maſculini ſexus in flumen proiiceretur? Sic iniqui ſunt prælati in nepotulos ſuos, quos in flumen deliciarum & diuitiarum proiiciunt, vbi ſpiritualiter ſubmerguntur. Vnde nepotuli huiuſmodi conſueuerunt eſſe lecatores. Præterea quæ maior impietas, quàm ſuper puerulum vnum ponere pondus ipſis angelicis humeris formidandum, gigantibus vix portabile? Ad primum pertinet illud Bernard. Parati ſunt filii hominum ad honores, ad celſitudines graduum eccleſiaſticorum ipſis angelicis humeris formidandos. Vnde cuilibet animæ legitur vnus angelus deputatus eſſe. Ad ſecundum pertinet illud Iob 26. *Ecce gigantes gemunt ſub aquis*, id eſt, perfectiſſimi viri ſub populis. Quæ maior impietas quàm illi, qui adeo imbecillis eſt, quod ſtare non poteſt quin ad ventum tentationis cadat, ſuperponere vnum magnum caſtrum vel vnam magnam molam? De onere iſto videtur conqueri Moyſes Num. 11. dicens: *Cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi huius ſuper me?* Fortem oportet eſſe columnam ſuper quam ponitur domus vna. Quanta ergo fatuitas eſt ſuper virgulam vnam etiam arundineam villam vnam ponere? Sextò peccatum iſtud facit prælatos eccleſiæ amittere amicum fideliſſimum & propinquiſſimum pro amicis carnalibus, qui verius inimici dici poſſunt: iuxta illud Apoſtoli: *Inimici hominis domeſtici eius.* Amicus fideliſſimus Chriſtus eſt, quo nullus maiorem charitatem habuit. De hoc amico legitur Eccl. 6. *Amico fideli nulla eſt comparatio, & non digna ponderatio auri & argenti.* Vnde vſualiter dicitur: Amplius valet amicus in platea, quam aurum in arca. Valor huius amici in morte apparet, quando cæteri hominem relinquunt. Neſcit homo quid amittat amittendo iſtum amicum, donec poſt mortem arguet eum conſcientia ſua dicens: Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Dei creatoris tui. Vnde Ierem. 2. *Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit*

Infidelitas prælatorum erga conſanguineos.

Apoſtol. Matth. 10.

te. Scito & vide, quia malum est, & amarum reliquisse te Dominum Deum tuum. Ideò dicitur Ecclesiast. 6. *Noli fieri pro amico inimicus proximo*, Christo scilicet, qui propinquior est inter amicos tuos: vnde proximus vocatur Lucæ 10. vbi dicitur: *Quis horum proximus tibi videtur fuisse illi, qui indicit in latrones?* Et subditur: *Qui fecit misericordiam in illum.* Huic præ cæteris amicis adhærere debemus. *Mihi autem adhærere Deo bonum est*, ait Dauid. Septimò, peccatum istud est radix & occasio multorum magnorum peccatorum, Vnde in Iuda fuit hoc peccatum initium malitiæ eius. Ex amore enim carnali, quem habebat ad vxorem & liberos suos murmurauit ipse de effusione vnguenti. Vnde Ioan. 12. *Quare hoc vnguentum non venditur pro trecentis denariis, & datum est egenis?* Et subditur: *Dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad ipsum: sed quia fur erat & latro, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat.* Vnde venditione Domini voluit illud damnum recompensare, sicut dicit Gloss. super illud Matth. 26. Tunc abiit vnus de duodecim, &c. Damnum de effusione vnguenti vult magistri pretio compensare, dicit interlin. Non timuit Iudas Dominum suum tradere vt acquireret, quod daret eis quos carnaliter amabat. Sic prælati quibus dominatur amor carnis non timent committere simoniam vel alia enormia peccata, vt consanguineos suos promoueant. Et si Iudas meruit peruenire ad suspendium, quia loculos Domini habens dabat vxori & filiis, quod dandum esset pauperibus, licet pauca eis daret: quid meretur illi, qui non vxori, sed concubinæ dat, quod pauperibus dandum esset, & consanguineis quibus minus tenetur, quam filiis dat officium dispensandi res pauperum, quos scit expensuros eas in vanitates & voluptates? Non faciebat Dominus de quo dicit Gloss. super Matth. 17. Eum qui primo ascenderit, tolle. Et aperto ore inuenies staterem. Iudas communia habebat in loculis: sed res pauperum conuertere in suos vsus nefas duxit, idipsum dans exemplum nobis. Si Ananias, qui retinuit ea, quæ pauperibus danda erant, sic punitus est, licet habuisset ea de venditione proprii agri, vt legitur Actor. 5. qualiter punientur illi, qui sibi & suis retinent, quæ pauperibus danda essent, quæ non de suo patrimonio habent, sed ex patrimonio Christi? Item si septem viri qui electi ab Apostolis vt præessent mensis, furati fuissent ea, quæ danda erant pauperibus, nunquid verissime est, quod Petrus in eos vindicasset sicut in Ananiam vindicauit? Et vt breuiter concludamus, plus nocet amor carnalis ministris Ecclesiæ, quàm simonia, triplici ratione.

Quod in ministris Ecclesiæ plus nocet carnalis amor, quam simonia.

PRimò, quia peccatum simoniæ magis exosum est hominibus, quam carnalis amor. Vnde multi sunt, qui dedignarentur simoniam committere, qui tamen non dedignarentur nepotulis intuitu consanguinitatis beneficia Ecclesiastica conferre: imò inuenitur hoc peccatum in viris, qui sancti videntur esse. Secundò, quia prælatus qui carnalem amorem habet, pluribus vult acquirere beneficia quam simoniacus, inquantum talis: & ideò oportet eum plura capere. Vnde septem Episcopatus non sufficerent ei, cum plures consanguineos habeat. Simoniacus vero non curat nisi tantum de vno. Tertiò, quia citius liberatur quis à peccato simoniæ, quam à pœnis infernalis amoris. In morte enim saltem simoniacus resignat beneficio simoniace acquisito: sed prælatus carnalis etiam in morte sua vult nepotulos suos retinere beneficia, quibus indigni sunt. Nota arcam Dei reductam

fuisse à terra Philisthinorum, vaccis non reflexis ad fœtus suos, licet eos haberent: vt legitur 1. Reg. 6. Sic ecclesia de malo statu in quo est pro magna sui parte non exibit, nisi illi quorum est trahere eam, carnalem amorem deposuerint.

Capvt IX.

De peccato choritarum, quod maius est simonia.

POst peccatum ædificantium Sion in sanguinibus, dicendum est de peccato choritarum, quod committitur, quum aliquis intrat in Ecclesiam Dei per violentiam, vel per preces armatas principum, vel maiorum prælatorum Ecclesiæ. Archiepiscopus enim vel Episcopus non potest præcipere minori prælato, vt det Ecclesiasticum beneficium, nec etiam potest dare illud, quum minoris prælati sit primo illud dare, nisi in casu in pœnam male dantis: sicut maior dominus terrenus feuda minoris domini non potest dare, nec præcipere ei vt det. Primò ergo ostendemus, quàm detestabile sit peccatum istud, per pœnam qua legitur Dominus punisse hoc peccatum. Secundò, per diuersas similitudines. Tertiò, per malum quod prouenit in Ecclesia. Inuenitur autem Dominus punisse peccatum istud tripliciter, scilicet exustione, terræ absorbitione, & lepra. De exustione Num. 16. quod Chore cum ducentis quinquaginta de maioribus Leuitis igne diuino succensi sunt, quia sacerdotium rapere voluerunt. Et legitur ibidem de Dathan & Abiron, qui ducatui Moysi inuiderũt quum essent de tribu Ruben, cui iure primogenituræ videbatur deberi, quod dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit eos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderuntque viui in infernum. Legitur vero de lepra 2. Par. 26. de Ozia, qui in festiuitate propitiationis indutus stola Pontificali intrauit in templum, vt incensum poneret, & factus est terræmotus, & percussus est lepra in facie, & fuit leprosus toto tempore vitæ suæ. Peccatum istud maius est quam peccatum simoniæ, sicut asserit August. dicens: Quis dubitet deterius esse commissum, quod grauius est iudicatum? quod etiam per simile potest ostendi. Grauius enim peccat raptor, qui facit violentiam, quam fur: & grauius peccat, qui alicui mulieri violentiam facit, quam qui pecunia facit eam consentire sibi: sic grauius peccat, qui per violentiam intrat in Ecclesiam Dei, quam qui per simoniam. Quanta autem contumelia Deo fiat in peccato isto, potest manifestari per hoc quod principes pro tanta contumelia habent, quum aliquis vxores eorum exhonorat, contumeliam & violentiam eis inferendo: vix enim pacificari possunt. Quanta ergo contumelia est regi cœlesti, cum ostium ecclesiæ, quę sponsa eius est, frangitur, & violentia ei fit? Valde possunt timere tales, ne in eo in quo peccant, puniantur, ne ab ingressu triumphantis ecclesiæ omnino prohibeãtur. Non est parua contumelia, quod Domino omnium à suis in terra inferatur violentia. Accidit autem propter peccatum istud, quod in ecclesia omnino indigni promouentur. Vnde legitur 2. Machab. 4. de Menelao, quod acceptis à rege mandatis venit nihil habens dignum sacerdotio. Ex hoc etiam peccato accidit destructio ecclesiarum. Vnde legitur 2. Mach. 8. de Alcimo, quem rex Demetrius constituit sacerdotem, quod multo plus malefecerit filiis Israel, quàm gẽtes. Hoc peccatum dissuadet Apostolus ad Hebr. dicens: *Nemo sibi assumat honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Aaron ostensus est dignus sacerdotio per virgam, quæ floruit & fronduit, & fructum fecit. Et hic est primus modus, quo quis vocatur à Deo ad honorẽ, quum aliquo mira-

culo ostenditur dignus honore. Secundus modus est, cum aliquis ostenditur dignus dignitate aliqua voce lapsa de cœlo, vt Iosue, de quo Num. 26. Et beatus Nicolaus. Et Christus, de quo Matthæi 27. *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* Tertius modus fit per sortem: qua Matthias ostensus fuit dignus apostolatu. Quartus modus fit per canonicam electionem. Sed hodie electio canonica facta est diabolica: quando enim in ecclesiis plures erant boni quàm mali, tunc electio, quæ est secundum pluralitatem punctorum bona, bona erat. Plures enim erant illi, qui eligebant Deo, illis qui eligebant diabolo: sed nunc econtrario est. Quum enim plures sint mali, quàm boni in ecclesiis: plures eligunt secundum voluntatem diaboli, quam secundum voluntatem Dei. Et sic frequenter est potius electio diabolica, quàm canonica. Contra illos, qui per principes seculares volunt intrare in ecclesiam, est illud Eccles. 7. *Noli ab homine quærere ducatum, neque à principe, neque à rege cathedram honoris.* Isti non sunt gratia Dei id quod sunt, sed potius gratia hominum. Vnde in literis, quæ scribuntur eis, non debet apponi Dei gratia, sed gratia hominum, & Dei furore. Vnde Oseæ 13. *Dabo tibi regem in furore meo, &c.* Isti sunt simulachra gentium, argentem & aurum, opera manuum hominum. Hi sunt qui colunt personam potentis vt Deum suum: vnde ad eum verbis vtuntur, quibus ad solum Deum vtendum est. Vos fecistis me, inquiunt, ex nihilo; in quo eum creatorem confitentur. Creare enim est ex nihilo aliquid facere. Non solum institutio prælatorum ecclesiæ, sed etiam institutio principum secularium pure à Deo debet esse. Deuteron. 17. *Quum dixeris, Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum regiones: eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit.*

CAPVT X.

De auaritia mercenariorum, quæ multum nociua est Ecclesiæ Dei: & quod sex faciunt ad eius detestationem.

AVaritia mercenariorum multum nociua est Ecclesiæ Dei. Sapiens: Nullum vitium deterius est auaritia in principibus & rempublicam regentibus. Ad detestationem huius vitii. Primò facit maledictio, quam scriptura prædicit his, qui sunt in peccato isto. Eccles. 2. vbi dicitur. *Væ peccatori ingredienti terram duabus viis.* Terram duabus viis ingreditur, qui in Ecclesia vult seruire Deo & mammonæ, quum tamen Dominus dicat Matth. 7. *Non potestis Deo seruire, & mammonæ.* De hac maledictione legitur Ezech. 33. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos.* Secundò facit ad detestationem huius peccati pœna qua Dominus puniuit figuram huius peccati. Leu. 10. Vbi quum Dominus ignem cœlestem misisset in quo solo sacerdotes ei offerrent, Nadab & Abiu filii Aaron acceptis thuribulis imposuerunt ignem & incensũ desuper, offerentes coram Domino ignẽ alienum: egressusque ignis à Domino, deuorauit eos coram Domino. Ignis de cœlo missus Dei amorem designat ex quo pure debent offerre sacerdotes. Ignis vero alienus, ignis ambitionis est vel cupiditatis. Vnde Bernard. Habet aduersarius noster, vtpote peruersus diuinorum operum æmulator, ignem ambitionis quem Saluator in nobis non accendere, sed extinguere venit. Si quis autem alienum ignem in diuino præsumpserit offerre sacrificio, morietur in iniquitate sua, etiam si patrem habeat Aaron. Tertiò facit ad detestationem huius peccati, multiplex malum quod facit prælatus ecclesiæ. Primum est, quod oculum intentionis

lædit

lædit in eis, & sic consequenter fert omnia, quæ faciunt in ecclesia, quæ mala sunt. Vnde Matth. 5. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*, id est, tota congeries oqerum lucida erit. *Si autem nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit* Tunc oculus intentionis est simplex, quum aliquis sola æterna petit in ecclesia, iuxta illud Psal. *Vnam*
Psal 26. *petii à Domino, hanc requiram, &c.* Matth. 6. *Primum quærite regnum Dei, &c.* Et Apostolus, *Quæ sursum sunt sapite, non quæ*
Colos. 3 *super terram. Et tunc totum corpus*, id est, tota congeries operum lucida erit. Si autem oculus intentionis læsus est, tunc tota congeries operum tenebrosa stst, Secundò facit eum amittere Christum, quod figuratum est, Genes. 31. vbi quum Laban misisset ad tondendas oues, fugit Iacob: sic dum mercenarii tonsioni gregis intendunt, Christus recedet ab eis. Iudas cum ascendetet ad tonsores ouium suarum, incestum commisit cum Thamar: vt legitur Genes. 38. sic prælati qui non quærunt nisi tondere & mulgere oues in ecclesia Dei, sæpe à Deo deseruntur, adeò vt incestum committant, proprias filias corrumpendo. Absalon etiam cum tonderentur oues eius, interfecit fratrem suum Amnon, quum esset temulentus. Et nota quod Iudæi in tonsione ouium solemnizabant: in quo figuratum est gaudium mercenarii de commodo temporali, quod facit Ecclesia Dei. Vnde Zach. 11. *Pasce pecora occisionis, quæ qui possederant, occidebant, & non dolebant: & vendebant ea dicentes, Benedictus Deus, diuites sancti sumus.* Tertiò facit illud peccatum ecclesiam cum diabolo inire illud ignominiosũ fœdus, de quod legtur 1. Reg. 11. quos Naas Ammonites dixerit viris Iabes Galaad, *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros.* Eruebat oculos dextros his quos in bello capiebat, vt sinistros scutis celantes ad bellum forent inutiles. Oculus dexter in multis locis erutus est Ecclesiæ: quia ibi non est iam aliquis spiritualis; sed solum terreni homines ideò occupati circa defensionem temporalium, quod ad bellum spirituale sunt inutiles. Quartum malum est ariditas brachii dextri. Vnde Zach. 11. *O pastor & idolum, derelinquens gregem: gladius super brachium eius & super oculum dextrum eius: brachiũ eius ariditate siccabitur, & oculus eius dexter obtenebrescens obscurabitur.* Quartò facit ad detestationem huius peccati multiplex malum, quod prouenit ex peccato isto gregi. Vnde Ioan. 10. *Mercenarius, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues.* Lupus dicitur diabolus, vel persecutor violentus. Et Aug. loquens de mercenario, dicit: Si ouis deuiat, non reuocat: si infirmatur, non medetur: si deuoratur, non lacrymatur. Si fugiunt temporalia, quæ ipse amauit, fugit ipse animas, quas ipse amare simulauit. Hoc bene apparebit in tempore antichristi, quando temporalia auferentur Ecclesiæ: tunc implebitur illud Esa. 1. *Et derelinquetur filia Sion sicut vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario.* In vmbraculo vineæ nullus habitat, nisi quandiu sunt ibi racemi: nec in domicilio horti, nisi quandiu sunt ibi fructus. Sic mercenarii non habitant in Ecclesia, nisi dum ibi lucrantur. Quomodo mercenarii se habeant ad gregem, ostenditur Ezech. 34. vbi sic dicitur eis: *Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum fuit, non consolidastis: & quod ægrotum, non sanastis: quod fractum, non alligastis: & quod abiectum, non reduxistis: & quod perierat, non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia.* Quantò facit ad detestationem huius peccati, peruersitas quam facit hoc peccatum in Ecclesia. Altaria enim Ecclesiæ in mensas nummulariorum

conuertit. Vnde super illud Matth. 21. *Mensas nummulariorum, &c.* dicit Gloss. Altaria enim Dei sic vocat, propter auaritiam sacerdotum. Altare in mensam nummularii conuertit, qui in eo celebrat potius nummo quàm Deo. Et tali potest dici illud Ouidii: *O nummi, nummus nobis hunc præstat honorem.* Thuribula etiam Ecclesię, quæ deberent esse inferius clausa, superius vero aperta peruertit hoc peccatum, cum ea quæ deberẽt fieri pro æternis, fiunt pro temporalibus. Et vt breuiter dicam, hoc peccatum facit vt seruitium Ecclesiæ in multis locis Deo non placeat. Vnde Malach. 2. *Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito?* Et subdit: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus: & munus non suscipiam de manu vestra.* Sextò facit ad detestationem huius peccati hoc, quod Christus ita diligenter cauit sibi ab auaritia mercenariorum: quod potest ostendi primo ex hoc, quod legitur Matth. 8. quod vnus scriba dixit Christo: *Magister, sequar te quocunque ieris.* Et noluit hoc Dominus: quia propter lucrum terrenum volebat eum sequi. Vnde dixit ei: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, &c.* Vulpes, id est, homines astuti, habent foueas, id est, loca infima in Ecclesia Dei: sed volucres cœli, id est nobiles, habent nidos, id est loca alta, scilicet dignitates. Secundò potest ostendi per hoc quod Dominus dixit Ioan. 6. turbæ, quæ propter lucrum secuta est eum, *Quæritis me*, inquit, *non quia vidisti signa quæ feci, sed quia panem meum manducastis & saturati estis.* Tertiò potest ostendi idem per hoc quod dicit August. Noluit Dominus per baptismum amoueri pœnam & martalitatem nostram sicut & culpam, ne delicate crederetur in Deum. Præterea Ioan. vltim. præcepit in nauigii dextram mitti rete. Ibidem etiam postquam dixit Petro, *pasce oues meas*, non subiunxit mercedem, quam habiturus esset, qua Petrus alliceretur: sed subiunxit de morte quam pro grege erat passurus, dicens: *Amen amen dico tibi, cum esses iunior, &c.* quasi ad terrendum ignauos. Simile habetur in missione Apostolorum: dixit enim eis, quod paupertatem & persecutionem passuri essent. Vnde Matth. 10. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Et Lucæ 9. *Nihil tuleritis in via &c.* Idem habetur in missione Apostolorum, Lucæ 10. *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos, nolite portare sacculum, &c.*

Quare Deus in primitiua Ecclesia noluit temporalia coniuncta esse spiritualibus.

SEd potest quærere aliquis, quum spiritus carni connexus sit in homine: quare noluit Dominus in primitiua ecclesia temporalia spiritualibus esse connexa? Præterea, nunquid temporalia prouocatiua sunt ad spiritualia? Ad quod respondens, quod temporalia prouocatiua sunt illorum, quæ Christus noluit habere Ecclesiam sanctam. Contemptores enim temporalia voluit esse rectores Ecclesiæ suæ, & non amatores. Qui vult sibi cauere à muscis, caueat sibi à lacte & melle, quæ amant muscæ. Præuidebat Christus, quod amatores temporalium auferrent ei Ecclesias, si spiritualibus officiis temporalia lucra connecterentur. Qui vult à canibus dilacerari aliquid, inuoluat illud carne. Vnde beatus Antonius præcepit cuidam monacho, qui pecuniam habebat, vt emeret inde carnes, & super se nudus eas sibi afferret: quod faciens manachus, à canibus dilaceratus est. Pisces ferrum transglutiunt, quia esca inuolutum est licet mors sua lateat ibi. Similiter & milui intestina. Sic amatores temporalium officia Ecclesiæ, quibus terrena annexa sunt, assumunt ad damnationem suam, & videntur sequi Christum

quum sola temporalia sequantur. Sen. Multi aliquem comitantur, vel muscæ sequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ: prædam sequitur turba ista, non hominem. Præterea sciebat Christus, quod temporalia spiritualibus officiis annexa terrori essent viris perfectis. Quis enim sanæ mentis non timeat dispensator terrenorum esse in Ecclesia, quando legitur primum dispensatorem temporalium in Ecclesia furem fuisse & proditorem, & homicidam suiipsius? Quis non timeat per locum illum ire in quo clauos positos esse scit? quomodo non timeat terrena ista qui legitur Iob 18. quod abscondita est in terra pedica diaboli. Tertiò præuidebat Dominus temporalia putrefactura, imò submersura multos in Ecclesia Dei: Propter quod vocantur aqua Apocal. 12. vbi sic legitur. *Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine.* Mulier ista Ecclesia est, quam serpens antiquus temporalium abundantia quærit submergere. Quartò præuidebat Dominus superbiam, quæ nascitura erat in Ecclesia ex abundantia temporalium. De qua videtur loqui Dominus Esaiæ 60. *Ponam*, inquit, *te in superbia seculorum gaudium in generatione & generationem, & suges lacgentium, & mamilla regum lactaberis.* Superbia seculorum, id est, talis qualis est hodie in secularibus est hodie in Ecclesia Dei. Vnde Bernard. ad Eugenium Papam: Vides totum Ecclesiæ zelum pro dignitate feruere tuenda. Dignitati datur totum, sanctitati nihil, vel paruum gaudium, cui maledixit Dominus Luc. 6. dicens: *Væ vobis qui ridetis*, præfert Ecclesia luctum benedictioni. De quo ibidem, *Beati qui nunc fletis.* Quod autem sequitur: *Et mamilla regum lactaberis*, potest intelligi dictum in derisionem Ecclesiæ, quæ in senectute sua lac transitoriæ consolationis non cessat sugere. Ecclesia enim quasi in infantia sua fuit sub Veteri lege. Vnde Dominus promittebat sibi terram fluentem lacte & melle. Lac enim & mel cibus sunt paruulorum. In aduentu vero Christi, à lacte separata est. Sed modo quantum ad maiorem partem sui ad lac rediit, quod signum est puerilitatis. Superbia & diuitiæ quasi connexa sunt. Vnde opes vocantur superbæ. Prouer. 8. Quintò nolebat Dominus, quod Ecclesia haberet fiduciam suam in alio quàm in ipso: volebat potius fundare eam supra petram, quàm supra terram. Vnde Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Si fiduciam suam habuisset Ecclesia in Deum, & non in diuitiis, non ita elongasset se ab eo. Legitur in Vitis patrum, quod quidam venerunt in ciuitatem quandam vt distribuerent ibi eleemosynas: & venientes ad domum cuiusdam pauperis viduæ, quæ quum esset candidatrix, exierat ad opus suum, quandam inuenerunt filiam, quæ apparuit eis quasi tota nuda, & voluerunt ei dare vestes, quæ noluit accipere eas. Mater etiam quum venisset noluit eas accipere, sed dixit: Ego habeo procuratorem meum Deum, & vos eum à me vultis tollere hodie? Et illi audientes glorificauerunt Deum. Sextò sciebat Dominus oculum Ecclesiæ impediendum esse temporalibus istis ab officio suo. Modicum enim pulueris vel paleæ, oculum omnino cessare facit ab officio suo. Et ideò voluit duces Ecclesiæ pauperes esse, eo quod paupertas expedita est, sicut dicit Sen. Et subdit. Si vis animo vacare, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Etsi cætera membra corporis ad plura officia conueniant, vt lingua ad gustum & locutionem, & manus similiter ad multa: oculus tamen vnicum habet, & contractum terræ maximè timet: sic oculus Ecclesiæ contemplationi legis diuinæ debuit intendere, & à terrenis istis separari. Licet pes hominis à cæteris membris eius separatus non sit: tamen habet separatim artem, quæ

ei deseruit, & artifices qui totaliter circa calceamenta eius intenti sunt: quanto magis deberent esse aliqui, qui totaliter spiritualibus sint intenti? Sed magis occupata est hodie Ecclesia in temporalibus, quoad magnam partem sui, quàm fuerit Synagoga. Vnde quando datum fuit à Constantino Occidentale Imperium Ecclesiæ, facta est vox de cœlo, dicens: *Hodie infusum est venenum Ecclesiæ Dei.* Mercenarii mali latrones sunt, aliunde enim intrant in Ecclesiam, quam per Christum. Vnde super illud Ioan.10. *Qui non intrat post ostium, &c.* dicit Gloss. Aliunde quis intrat, vel non bene de Christo sentiendo, vel non Dei gloriam, sed suam quærendo. Ipsi enim non abhorrent spoliare crucifixum, similes militibus qui spoliauerunt Christum crucifigendum. Isti Iudaizant in Ecclesia Dei, potius eligentes esse discipuli Moysi, quàm Christi. Iuxta illud Ioan. 9. quod dixerunt Iudæi cæco: *Tu discipulus illius sis, nos discipuli Moysi sumus.* Discipuli Moysi sunt, qui temporalia volunt, quæ promisit Moyses. Discipuli vero Christi sunt, qui contemptis terrenis cœlestia volunt habere, quæ Christus promisit. Mercenarii enim quodammodo patiuntur pœnam illam, qua Dominus solet punire lusores blasphemantes. Habent enim faciem cordis, quodammodo præposteratam. Quum enim deberent posteriorum obliuisci, & ad anteriora se extendere, iuxta verbum Apostoli, ipsi potius iuxta verbum Prophetæ fiunt in retro non in ante. Faciem enim versam habent ad temporalia, quæ retro debent esse, & dorsum ad spiritualia bona, quæ debent esse ante. Vnde figurati sunt per xxvj. viros habentes dorsa ad templum, quos vidit Ezechiel. Ipsi deberent attendere, quid acciderit Sichem & populo eius, qui pro temporalibus spirituale opus fecerunt, circuncidentes se pro filia Iacob & vtilitate quam sperabant à Iacob & filiis eius. Vnde Genes. 34. dicit Sichem: Substantia eorum, & primogenita eorum, & omnia quæ possiderunt erunt nostra. Occasione enim illius circuncisionis interfecti sunt. Sic qui pro terrenis spiritualia faciunt, timere possunt, ne æternaliter occidantur.

Capvt XI.

De septem signis Auaritiæ in Ecclesia Dei apparentibus.

Sequitur de signis Auaritiæ, quæ apparent in Ecclesia Dei. Primũ signum est cum vnus habet plura beneficia Ecclesiastica, quorum sufficeret sibi vnum secundum statum suæ personæ. Secundum est, cum aliquis in die multas missas celebrat, nisi in casibus à iure exceptis. Tertium est, cum aliquis in eadem missa multiplicat officia. Quartum est, quum quis multiplicat altaria non necessaria. Quintum est, promotio ad sacros ordines vel dignitates eorum, qui sunt infra legitimam ætatem. Sextum est, reseruatio fructuum, & congregatio ab eis, qui habent annuos reditus. Septimum est, concursus ad funera & processiones, & nummos horarios, & breuiter ad omnia ad quæ esca alicuius lucri terreni allicit eos, & neglectus eorum in quibus nullum lucrum speratur. Et licet aliqua ex his interdum ex deuotione fiant, cupiditas tamen ea adinuenit.

De pluralitate beneficiorum, & primo quod non liceat habere plura beneficia Ecclesiastica.

Mvlta sunt alia signa: sed causa breuitatis tantum de his tangemus, incipientes à pluralitate beneficiorum. De qua quidam de consilio Auaritiæ dicunt, quod meritorie potest quis habere plura beneficia Ecclesiastica licet vnum eorum sit sufficiens secundum statum suæ personæ. De quorum numero quidam

cùm longo tempore affirmasset hoc esse mortale peccatum, dum vnicum beneficium habebat, dato sibi secundo beneficio, asseruit quod licitè posset quis plura beneficia habere. Et addidit, quod nullus posset intelligere, nisi quis haberet ea. Cuius rei talis potest assignari causa, sicut legitur Zac. 5. *Impietas est oculus eorum in vniuersa terra.* Luxuria est oculus luxuriosi. Auaritia est oculus auari, & sic de cæteris impietatibus: Vnde accidit, quod alicui luxurioso videtur aliqua fatua mulier, quam nimio diligit amore, pulchra, quum in veritate turpis sit: & hoc est, quia oculo luxuriæ eam intuetur: nimius enim amor luxuriosus qui in eo est, facit eum sic iudicare de pulchritudine illius. Alius autem qui non habet huiusmodi oculum, non videt illam pulchritudinem in illa muliere. Sic ille in quo est oculus auaritiæ, videt quod alicuis posset habere plura beneficia Ecclesiastica, sufficientia visione falsa vel fantastica. Illi autem qui non habent oculum auaritiæ, non vident hoc. Vnde dicunt malum esse habere plura beneficia talia Ecclesiastica, quod multipliciter potest ostendi. Primò, sic: Tria distinguuntur principia operationum nostrarum, scilicet natura, gratia, & vitium. Igitur cùm aliquis vult habere talia plura beneficia, vel natura est principium huius operationis, vel gratia, vel vitium. Et videtur quod non natura. Natura enim paucis contentia est. Vnde Senec. Exiguum natura desiderat. & 1. ad Tim. 6. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* Gratia etiam non videtur esse principium huius operationis. Quod multipliciter potest ostendi: Primò, per hoc, quod gratia paucioribus contenta est, quàm natura: quod patet per hoc, quod ipsa est aqua sitim terrenorum extinguens. Vnde Ioan. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Super quod verbum dicit Augustinus: Qui biberit ex flumine paradisi, de quo gutta vna maior est, quàm Oceanus, restat vt in eo extincta sit sitis mundi. Secundò, potest idem ostendi per hoc, quod Dominus consulit contrarium. Consilium enim Dei est summa paupertas. Vnde non est verisimile, quod gratia ipsius contrarium consulat. Si enim gratia ipsius multiplicationem temporalium consuleret, ipse Deus hoc consuleret. Dicitur enim hoc Deus facere, quod gratia ipsius facit: & sic Deus consuleret contraria: & sic esset in eo Est, vel Non; cuius contrarium dicit beatus Bernardus super illud: Ductus est Iesus in desertum, &c. Absit, inquit, vt spiritus veritatis, qui te adduxit huc, te reducere velit, quia non est in ore eius Est & Non. Tertiò, potest idem ostendi per hoc, quod in fine vitæ, quum Dominus venturus est ad eos, non auderent retinere multitudinem beneficiorum talium. Si enim gratia Dei & amore ea possederunt, desiderare debent, vt in statu talia Domino inueniantur, vt ab eo dignam mercedem accipiant. Et si vnctio gratiæ in statu sanitatis docebat eos beneficia multiplicanda esse, ipsa in statu infirmitatis cùm maior est deuotio, non permitteret eos de hoc dubitare. Non videtur esse consilium diuinæ gratiæ, quod aliquis in statu illo viuere audeat, in quo non audet mori. Quartò, potest ostendi hoc autoritatibus quæ sequuntur. August. Qui veram fidem habet, non cupit in his miseriis fieri diues. Non videtur ergo habere veram fidem, quæ est prima gratia, ille qui desiderat habere plura talia beneficia. Quomodo ergo consulit ei gratia, quam non habet? Item veritas non volat ad muscas. Charitas etiam, cùm ignis est, non tendit deorsum. Prætereà, cùm charitas Deum super omnia amet, ipsa non desiderat multiplicationem terrenorum, quibus eum amittat, vel impediatur ne ei intendat. Vnde Augustinus, Otium sanctum quærit charitas verita-

tis. Idem: Videtur quidem mihi animum pluribus actionibus intentum Deo, quodammodo vacuari. Non est verisimile, quòd charitas quærat quæ eam Deo euacuent, sed potius quærit pacem, in qua factus est locus eius. Ipse etiam est pallium breue, quod vtrunque operire non potest. De quo legitur Esaiæ 28. Vnde Aug. Domine, ego per auaritiam meam te amittere nolui, sed volui tecum possidere mendacium. Itaque te amisi, quia non dignaris cum mendacio possideri. Præterea, charitas plus diligit legem Dei, quàm millia auri & argenti: non est ergo verisimile, quòd ipsa consulat multiplicitatem temporalium, quæ requirit multiplicationem actionum, quæ impedit hominem à studio sapientiæ diuinæ. Vnde Ecclesiastici 38. *Sapientiam scribe in tempore vacuitatis: & qui minoratur actu, sapientiam percipiet.* Patet ergo, quòd operationis prædictæ non est principium natura vel gratia. Vnde relinquitur, quòd principium eius sit vitium. Et sic patet, quòd vni homini non sit licitum habere plura talia beneficia. Et hoc satis potest manifestari, si considerentur causæ, propter quas aliqui credunt hoc sibi licere.

Causæ plurium beneficiorum, sed inefficaces.

Fulmina contra possidentes plura beneficia.

ALij enim credunt hoc sibi licitum esse, quia beneficia illa benè expendunt. Alii, quia nobiles sunt. Alii, quia vicarios ponunt. Alii, quia ad ministrationem temporalium vtiles sunt, vel propter sapientiam huius mundi, vel propter potentiam. Contra illos qui credunt quod possunt illa habere, qui benè expendunt illa: dicimus, quòd non sufficit medico benè expendere ea quæ sibi dantur ab infirmo, & nullam curam habere de infirmitate illius. Similiter, non sufficit aduocato benè expendere salarium, & se non intromittere de caussa. Nec stipendiario sufficit, stipendia sua benè expendere, & de genere se non intromittere. Sic clerico habenti beneficia Ecclesiastica non sufficit benè ea expendere, nisi faciat officia quibus illa annexa sunt. Contra illos qui credunt se posse habere plura talia beneficia, quia vicarios ponunt, Primò dicimus, quòd eadem ratione laicus vnus, imò etiam mulier posset habere decem beneficia Ecclesiastica: posset enim ponere vicarios. Præterea, ridiculum est matrimonium contrahere, spe ponendi vicarium, & qui hoc facit, videtur incidisse illam maledictionem Deuteronomii 18. *Vxorem habebit, & alius dormiet cum ea.* Tertiò, quærimus de vicario illo, vtrum sit pastor vel mercenarius. Si mercenarius est, latro est, sicut prius ostensum fuit. Quum ergo dicit aliquis: Benè possum habere hoc beneficium, quia ponam ibi vicarium, penè idem est, ac si dicat: Benè possum illud habere, quia ponam ibi latronem, qui furetur, & mactet, & perdat. Ioannis decimo: si verò pastor es, quæ ratio est, vt tu habeas duas Ecclesias, ipse verò nullam? Nunquid dicet tibi Ioannes, id est, gratia Dei, vel in quo est gratia Dei: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Quartò, quærimus à tali: vtrum vicarius ille sit minus bonus, vel æquè bonus, vel melior quàm ipse. Si minus bonus, tunc naturalis ratio dictat, quòd non est recipiendus pro eo. Operarius enim in vineam alicuius conductus, non potest vicarium minus bonum ponere. Si verò æquè bonus est, vel melior, quæ causa est, quòd iste habeat duo beneficia, & ille nullum? Quintò, quòd ipse deberet attendere quid acciderit de primo vicario synagogæ. Sic enim legitur Exodi 32. M*oyses relinquens populum, satis paruam moram facturus cum Domino, dimisit vicarium satis bonum Aron, & tamen in reditu populum, quem reliquerat fidelem, infidelem & idololatram inuenit.*

Prætereà dixit Apostolus: *quod si quis non laborat, non manducet.* Quo iure ergo pascitur de beneficio illo, vbi ipse non laborat? Ordinauit Deus, vt qui seminat spiritualia, metat carnalia; Qua ratione ergo pauper vicarius spiritualia seminabit, & alius carnalia metet; Et quum Dominus dicat: *Quos Deus coniunxit, homo non separet:* quo iure denarius ille, quem subditus offert vicario pauperi, sibi spiritualia seminanti, accipietur à latrone malè viuente? Et si quoad forum contentiosum ius ibi videatur habere, tamen quoad iudicium sacræ Scripturæ ipse raptor est, vsurpans sibi alterum eorum, quæ à Deo coniuncta sunt sine reliquo: id est, mercedem sine labore: imò etiam homicida reputatur, & respectu mercenarii, quem defraudat, & respectu pauperum subditorum, quorum sudorem comedit. De primo legitur Eccl.33. *Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.* De secundo legitur ibid. *Qui aufert sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.* Vltimò dicemus, quod illi qui vicarium ponunt, qui sola lucri cupiditate seruiunt, & non amore Dei, talem amorem faciunt matri suæ Ecclesiæ, qualem amorem aliquis faceret suæ matri carnali, si pedem verum ei auferret, & loco eius pedem ligneum substitueret. Pes ligneus non viuit, nec corpori adhæret. Sic vicarius qui charitatem non habet, non est membrum viuum vita spirituali, nec adhæret corpori Ecclesiæ. Sola enim charitate viuit quis, & adhæret cæteris membris Ecclesiæ. Contra illos qui dicunt, quod possunt habere plura beneficia Ecclesiastica, quia sunt nobiles, dicimus quod si filii Dei sunt, & Ecclesiæ Dei vtiles, non volentes excedere mensuram nobilitatis suæ forsitan iustum est, vt de beneficiis Ecclesiasticis præ cæteris accipiant, si fieri potest absque iactura animarum. Si filii diaboli sunt, qua ratione de bonis Domini accipient? Nunquid Dominus debet nobilitatem filiorum diaboli honorare? Similiter si inutiles sunt Ecclesiæ Dei, vel nociui prauo suo exemplo, non videtur iustum, quod præ cæteris commodum habeant ab Ecclesia, ex quo Ecclesia commodum non habet ex eis. Dicit Lombardus, quod ipse non vult habere accipitrem qui capiat alaudam, & comedat gallinam. Sic Dominus non vult habere in Ecclesia sua, qui multùm constent ei, & nihil ei prosint. Similiter, si aliquis non est contentus illis, quibus contentus esset, si clericus non esset, & cum paterna hæreditate exhæredatus sit, superior tamen vult esse quàm frater suus qui est hæres, non videtur iustum esse, quod Dominus eius superbiam pascat, vel sustentet. Cùm enim superbia filia diaboli sit, non pertinet ad Dominum pascere eam. Contra eos qui credunt se posse habere multa talia beneficia, quia sapientes vel potentes sunt, quoad sæculum, dicimus quod auaritia & cupiditas docet eos in hac parte. In dolosa enim statera cupiditatis sibi nihil ponderant spiritualia, sed sola temporalia. Vnde Bernardus loquens de auaris Prælatis: Optimi dispensatores rerum, qui de maximis minimam, & de minimis maximam curam gerunt. Tertio loco potest ostendi non solùm quod malum sit plura talia beneficia habere, sed etiam quod nulli, nisi cæco debeat hoc in dubitationem venire. Certum enim est, quod nullus est princeps sæcularis, in cuius curia licitum sit illi, qui non habet, nisi vnum equum, auenam quærere ad opus duorum, vel ad plures equos: nec inuenitur aliquis armiger ita simplex, qui hoc adducat in dubitationem. Quæ causa ergo est, vt in curia Dei, id est, in Ecclesia, in qua tot sunt qui de auena Ecclesiæ non possunt habere ad necessitatem, licitum sit alicui qui non habet, nisi vnum equum, auenam quærere ad plures equos? quomodo dubium est

inter literatos, quod certum est inter armigeros? Numquid potest Dominus benedicere illud Propheticum, *Quis cæcus, nisi seruus meus?* Præterea, etsi licitum esset aliquem habere plura talia beneficia, tamen non expedit. Vnde 1. Cor. 6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Licebat Apostolo sumptus à subditis sumere, sed non expediebat: quia Pseudoapostoli haberent inde occasionem quærendi & lucrandi. Si licet licitum esset alicui viro honesto & discreto habere plura talia beneficia: tamen quia amatores temporalium accipiunt inde exemplum cupiditatis & auaritiæ, non expedit. Sicut manducare idolothytum, in se licitum est homini discreto, qui non comedit illud cum veneratione idoli: tamen coram infirmis & simplicibus peccatum est comedere idolothytum: ipsi enim credentes illud comedi cum veneratione idoli, scandalizabantur inde. Vnde beatus Bernardus: Spiritualis homo, quia omnia diiudicat, vt ipse à nemine iudicetur, omne opus suum trina quadam consideratione præuenit. Primò quidem, an liceat: deinde, an deceat: postremò, an expediat. Licitum dicitur aliquid in respectu ad Dei prohibitionem. Decens dicitur in respectu ad conditionem personæ. Expediens verò in respectu ad offensionem proximi. Considerare ergo debet sapiens, an illud quod facturus est, licitum sit, id est, à Deo non prohibitum: deinde, an deceat personam eius: aliquid enim decens esset in aliqua persona, quod tamen indecens est in alia. Præcipuè verò in viris literatis, qui deberent spiritualiter esse oculus Ecclesiæ, indecens est terreneitas & macula cupiditatis & auaritiæ: à talibus enim præcipuè sumitur exemplum, & ad eos specialiter pertinet illud Apostoli 1. Thess. 5. *Ab omni specie mala abstinete vos.* Et illud Rom. 12. *Prouidentes bona, non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.*

Quæ faciunt ad detestationem plurium beneficiorum.

AD detestationem vero huius peccati, Primò, facit maledictio, quam facit Dominus illis, qui sunt in peccato isto Esaiæ 5. dicens: *Væ qui coniungitis domum ad domum.* Quomodo quis absque peccato habet, quod cum maledictione Domini habet? Secundò, multiplicatio Ecclesiæ, quæ inde prouenit. Non videtur innocens esse, qui matrem suam vno membro mutilat. Sic innocens non est, qui matrem suam Ecclesiam mutilat, procurando quod minus habeat vnum membrum, quàm debeat habere: quod si dicatur, quod Ecclesia, licet non habeat omnia membra, quoad substantiam, tamen habet quoad officia: vnus enim habet officium plurium. Respondemus, quod licet in monoculo vnus oculus suppleat vicem duorum, non tamen tantum valet habere vnum oculum, sicut habere duos. Nec benè seruiret matri suæ carnali, qui procuraret, vt loco duorum oculorum vnicum haberet. Tertiò, facit ad detestationem huius peccati, monstruositas & confusio, quæ inde prouenit in Ecclesia Dei. Prouenit enim ex hoc peccato, quod diuersæ Ecclesiæ habent eundem oculum. Inauditum est, diuersa corpora idem habere membrum. Ex hoc etiam peccato accidit, quod eadem persona simul & semel diuersa replet loca, quod videtur esse contra naturam. Item accidit inde, quod oculus vnus Ecclesiæ, os est in alia Ecclesia: quia Archidiaconus vnius Ecclesiæ, cantor est alterius. Accidit enim quod oculus vnius Ecclesiæ distabat ab ea, plusquam per dietam vnam. Si aliquis cæcus reputatur, etsi oculos suos habeat in bursa sua: numquid talis Ecclesia reputanda est cæca, à qua oculi eius tantum distant? Oculi enim sapientis in capite eius. *Stultus*

autem

autem in tenebris ambulat, vt dicit Salomon Eccles. 2. *Oculi stultorum in finibus terræ.* Prouerbiorum dicimo - septimo. Peccatum istud etiam introducit quodammodo in Ecclesiam Dei hæresim Sabellii, qui dicebat Patrem esse Filium. Contra quod dicit Aug. quòd hoc non inuenitur, nec in natura, nec super naturam, quod persona sit Pater & Filius: intellige respectu eiusdem. Sed sic vult facere peccatum illud. Accidit enim, quòd duo sunt decani in duabus Ecclesiis, & vterque canonicus est in vtraque, & sic vterque est Pater & Filius, respectu vtriusque. Prætereà, istud peccatum facit, quòd eadem arbor simul & semel in diuersis hortis plantata sit. Sed non vult Dominus in aliquo de hortis suis arborem esse, quæ fructũ non faciat. Vnde Lucæ 13. dicit de ficulnea non faciente fructum. *Succinde illam, vt quid terram occupat?* Vnde quæritur, quòd in vtroq; horto fructum facere debeat arbor talis, & sic, quòd duplex officiũ facere debeat, qui duplex beneficium sufficiens habet. Qua ratione enim primo beneficio ad vnum officium obligatur, eadem ratione secundo ad secundam. Quartò, facit ad detestationem huius peccati vilitas quæ ibi est. Vilium enim personarum & abiectarum est, causa lucri periculose exponere; vnde viles se videntur ostendere, quando præ nimio desiderio lucri incedunt per illam viam, quam tot boni viri asserunt latronibus plenam: præcipuè cùm videant literatos viros, qui per eam cœperũt ire, ad vltimum relinquere eam, & non audere vltra transire. Resignant enim, nec audent moricum multitudine talium beneficiorum. Prætereà, si aliquis cibus assereretur venenatus à multis bonis viris, licet alii essent, qui contrarium assererent: tamen qui aliter haberent cibos sufficiẽter, non cõmitterent se discrimini, vt cibũ illum comederent. Mirum est ergò! quomodo ille qui habet vnum beneficium sufficiens, audet suscipere aliud, quum tot boni viri asserant ibi periculum esse. Prætereà, satis possent erubescere illi, ad quos pertinet quærere qualiter Deo seruire possent gratius ad placitum suum, quomodo hoc solo contenti sunt, vt seruiant sic ei, nec ipse interficiat eos. Non curans enim quid sit illud quod faciunt, dummodo mortale non sit, non attendentes quod dicit Bern. loquens ad viros perfectos: Non est vestrûm, inquit, languere circa communia præcepta, nec attendere quid Deus præcipiat: sed quid velit probantes, quæ sit voluntas Dei bona, benè placens, & perfecta. Quintò, facit ad detestationem huius peccati hoc, quòd talis multiplicatio beneficiorum circa vnam personam frequenter generat apostema superbiæ in illa persona: sicut in corpore humano nimia collectio humorum circa aliquod membrum solet apostema generare. Superbia enim similis est illi apostemati, quod vocatur, Noli me tangere. Non enim potest sustinere superbus, quòd vitia eius reprehendantur. Sextò, faciunt ad detestationem huius peccati diuersa exempla, & de multis pauca ponemus testimonia. Seneca in libro de beneficiis, ait: quòd quidam, cùm illi ob virtutem, & rempublicam benè gestam, tantum agri decerneretur, quantum vna die arando circumire posset: Non est opus, inquit, mihi cui plusquam vni ciui opus sit. Et subdit Seneca: Quanto maioris virtutis putas respuisse munus quàm meruisse? Et Dauid in Psalm. *A fructu frumenti, vini & olei sui multiplicati sunt.* Et subiungit de se: *In pace in idipsum, dormiam & requiescam.* Quasi diceret, Alii multitudinem temporalium quærunt: sed mihi adhærere, Deo bonum est. Consuluit Iethro Moysi, onus suum partiri in plures, vt secum esset Deus. Isti verò congregare volunt multa onera in vnum, vt ab eis recedat Deus. Isti non possunt dicere illud Psal. *Vnicus*

& pauper sum ego: cùm trini in personis volēt esse, non vnici. Ille qui trinus vult esse in personatibus, cùm vnus sit in substantia, videtur dicere illud verbū diaboli, *Ero similis Altissimo*. Sex reprehensibilia in habentibus plura Ecclesiastica beneficia. Et quòd præsentia pastoris sit gregi necessaria, tripliciter ostēditur. Sex autē videntur reprehēsibilia esse, specialiter in talibus personis. Primò, est reprehensibilis absentia, cùm officium eorum requirat præsentiā, tribus de causis. Primò, propter gregis pestilentiā. Vnde ad eum potest dici illud verbum Senecæ: Tantum habes negotij, quantū medicus in pestilēntia. Secundò, propter luporum infernalium importunam sæuitiam. Alij enim lupi solo clamore exterrentur, sed de lupo infernali legitur Iob. 41. *Non fugabit eum vir sagittarius: in stipulā versi sunt ei lapites fundæ*. Pauci sunt quos lupus infernalis singulis diebus non teneat vel per aurem, vel per linguam, vel per aliud membrum. Illo membro tenetur, quia à lupo infernali qui committit peccatum. Necessaria est ergo pastoris præsentia, quæ oues de ore lupi eruat. Vnde legitur Amos tertio: *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, sic eruemini filij Israel*. Tertiò, necessaria est præsentia pastoris, propter simplicitatem & indefensionem ouium. Certum enim est, quòd inter omnia alia animalia vnum de simplicioribus, & minoris defensionis est ouis. Cætera animalia, vel velocitate, vel astutia, vel fortitudine & dentibus & vnguibus quasi quibusdam armis secura sunt ab hostibus suis: sed ouis nihil horum habet, ideò necessaria est ei præsentia pastoris qui eam defendat. Similiter est in ouibus spiritualibus. Multi enim maioris simplicitatis sunt, quàm ouis vel capra: ouis enim vel capra naturaliter fugit lupum: oues verò spirituales voluntariè in ore lupi infernalis se ponunt. Secundò reprehēsibile est in talibus personis, quòd supra suam virtutem spondent. Contra illud Eccles. 8. *Non spondeas supra virtutem tuam: quòd si spoponderis quasi restituens cogita*. Supra virtutem suam spondet qui animam suam in susceptione primæ Ecclesiæ impignorauit, & adhuc aliam Ecclesiam suscipit, cùm aliam animam non habeat, quam in pignus pro secunda Ecclesia ponat. Dominus animam suam posuit pro ouibus suis: & sic ex culpa pastoris eas amiserit super animam pastoris periculum erit. Tertiò, reprehensibile est circa habentes plura beneficia hoc, quòd ipsi se offerunt ad fideiussionem periculosissimam, & instanter rogant, vt ad eam recipiantur: & si recepti fuerint de ea gaudent, quasi inuenerint thesaurum. Solent prudentes huius sæculi vitare, quòd non fideiubeant pro aliquo, propter pericula quæ ex fideiussione solent euenire. Ad fideiussionem verò longè periculosiorem multi se offerunt. Vnde Prouerbiorum 22. *Noli esse cum his qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis. Si enim non habes vnde restituas, quid causæ est vt tollat operimentum de cubili suo?* Qui curam animarum suscipit, manus suas defigit: id est, obligat. Sex sunt ad quæ se obligat, qui curam pastoris suscipit. Primò, ad excolendam terram Ecclesiæ Ierem. 1. *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*. Secundò, ad liberationem. Vnde Prou. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem*. Tertiò, ad spiritualium infirmitatum curationem. Vnde Dominus in Euangelio Matt. 9. *Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus*. Et videntur medici spirituales deteriores esse temporalibus medicis, tribus de causis. Primò, quia nullorum ægrorum curam recusant, quantumcunque incurabiles videantur. Secundò, quia licet de arte spiritualis medicinæ nihil nouerint, tamen curam recipiunt. Ter-

Possidentes plura beneficia reprehensibiles in sex

Pastoris præsentia necessaria.

tiò, qui mercedem ab infirmis recipiunt, & de infirmis non intromittunt. Hæc enim tria in medicis corporum quantumcunque mali sint, non solent inueniri. Quartò obligat ad prouisionem eorum, quæ spirituali vitæ sunt necessaria. Vnde Mat. 24. *Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det ille in tempore tritici mensuram?* Benè enim deberet præmeditari, qui tantam familiam suscipit, vtrum habent vnde ei possit prouidere. Quintò, obligat se ad præbendum ducatum. Vnde Ioannis decimo dicitur de pastore: Cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues eum sequuntur. Sextò, obligat se ad placandum Deum, propter quod oportet ipse placeat. Quomodo eum placabit, qui non placet? Vnde Gregorius. Quomodo is qui displicet ad intercedendum, &c. Sequitur de prædicto verbo: *Si enim non habes vnde restituas, &c.* Operimentum, quod cubile conscientiæ debet esse ornatum, vt Deus ibi quiescat, est gratia Dei. Hoc operimentum amittit, qui supra vires suas curam animarum suscipit. Vnde Prouerb. 20. *Tolle vestimentum eius qui fideiussor extitit alieni, & pro extraneo aufer pignus ab eo.* Idem vocatur hìc vestimentum, prius operimentum. Et est sensus: Tolle vestimentum: id est, tollendum prædica. Et subditur ibi. *Suauis est homini panis mendacij: sed os eius implebitur calculo.* Panis mendacii vocatur, qui acquiritur ex mendaci promissione cupidi, qui curam animarum suscipit: sed os eius calculo ardenti implebitur. Vnde Prouerb. 11. *Affligetur malo, qui fidem facit pro alio.* De illis qui post fideiussionem gaudent, dicitur Prouerbiorum 17. *Stultus plaudet manibus suis, cùm spoponderit cum amico.* Cuius causa hæc: quia non intelligit quid fecerit: pro infirmis enim de quorum salute desperant, se responsorē constituit, cùm curam animarum suscipit. Quartò, reprehensibile est in talibus, quòd post fideiussionem non curant de hoc quod fideiusserunt, non attendentes quod legitur Prouerb. 6. *Fili mei, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam. Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipsum libera: quia incidisti in manū proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum. Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.* Fideiussionē istam attendebat Abbas quidem de grandi sylua, in cuius domo dominus Guillelm. de Montepessulano factus Monachus, Abbatem pro salute sua fideiussorem recepit: qui diu conuersatus ibi honestè, inigrauit ad Dominum. Ad quem Abbas, peractis exequiis direxit sermonem in hunc modum: Frater Guillelme, vellem scire, si Deo placeret, vtrum de fideiussione, quam feci tibi, absolutus sim: qui licet per dimidiam diem mortuus fuisset, respondit diuino miraculo: Domine Abbas, es absolutus. Quintò, reprehensibile est in talibus personis, quod ipsi defraudant plurimos. Primò, Deum honore & seruitio. Deberet enim habere duplex seruitium de duobus beneficiis, & non habet, nisi vnicum. Secundò, corpus Ecclesiæ debilitat, membri vnius ablatione, sicut corpus vnius hominis debilius est, ex defectu pedis. Tertiò, defraudat aliquem pauperem clericum, qui deberet alterum illorum beneficiorum habere. Quartò, vicarium, cùm vicarius habeat laborem, & ipse mercedem. Quintò, subditos à quibus metit carnalia, cùm eis non seminet spiritualia. Sextò, reprehensibile est in talibus personis, quod ipsi reputant beneficium, quod est onus valdè periculosum. Vnde Lucæ 22. *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent benefici vocantur: vos autem non sic,* supple vocandi estis benefici. Solam enim dispensationem alienorum bonorum habetis.

Plures defraudant.

Constat ergo, quod quando quis committit dispensationem alicui, quæ laboriosa est, licet victum & vestitum in ea concedat, potius eum onerat, quàm beneficium ei impendat.

De multiplici periculo, quod est in dispensandis rebus Ecclesiasticis.

MVltiplici verò ratione periculosa est dispensatio bonorum Ecclesiasticorum. Primò, quia difficile est, quod dispensator placeat Domino & familiæ suæ. Etiam difficile est gratiam familiæ non quærere, cùm ipsa præsens sit, & dominus sit quasi absens. Vnde relinquitur, quod difficile sit dispensatores bonorum Ecclesiæ gratiam Dei habere. Secundò, periculosa est, quia computatio multùm differtur. Computatio autem dilata multa facit obliuisci: sicut beatus Bernardus dicit. Dilatio ista securos reddit dispensatores & absque timore furantes. Vnde Ecclesiastici octauo: *Quia non profertur citò contra malos sententia, filij hominum absque vllo timore perpetrant mala.* Et Matthæi 24. *Si dixerit malus seruus, Moram facit dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis. Veniet autem dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit vel ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis: illic erit fletus & stridor dentium.* Tertiò, periculosa est: quia dominus omnia videt quæ fiunt à dispensatore. Si dicat aliquis per dispensationem Prælatorum hoc fieri, quod vnus habeat plura beneficia. Respondeo, quod si Prælati omnia benè facerent, non dixisset Dominus de ipsis, Matthæi 23. *Secundùm opera eorum nolite facere.* Vnde Bernardus: Non sum tam rudis, vt ignorem vos positos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem: vbi necessitas vrget excusabilis dispensatio est, vbi vtilitas prouocat dispensatio laudabilis. Vtilitas dico communis, non propria: nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.

De pluralitate Missarum, & in quibus casibus liceat dicere plures Missas.

DIctum est de primo signo auaritiæ, quæ apparet in Ecclesia Dei, scilicet de pluralitate beneficiorum. Nunc dicendum est de secundo signo, scilicet de pluralitate Missarum. Et verum est, quod in die Natalis Domini licet celebrare tres Missas, in aliis diebus in tribus casibus licet celebrare duas. Primus casus est, quando necessitas requirit, vt vna de die celebretur, alia pro defunctis. Secundus est, cùm necessitas peregrinorum, vel hospitum, vel infirmorum hoc requirit. Tertius casus est, cùm tempus nuptiarum labitur: tunc, necesse sit, poterit quis plures Missas, propter nuptias celebrare, ita tamen, quòd nunquam propter aliquam necessitatē debet celebrare, nisi duas, nec duas etiam, causa adulationis, vel cupiditatis, quia tunc est peccatum mortale. Quòd autem cupiditas pluralitatem Missarum adinuenerit, videri potest ex hoc, quòd ille qui habet duas tenues Ecclesias, in vtraque vult Missam celebrare, cùm Horas Canonicas vix in altera earum velit dicere: cuius rei alia causa non videtur esse, nisi quòd ad Missam offertur, ad Horas Canonicas, non.

Multiplex malum ex pluralitate Missarum.

POtest autem ostendi multipliciter, quòd hoc sit malū, scilicet aliquem in die plures Missas celebrare. Primò, per illud verbum Augustini. Quotidie Eucharistiam sumere, nec laudo, nec vitupero: qui non audeat laudare quotidie

ſemel ſumi Euchariſtiam: nunquid laudaſſet eam bis in die ſumi? imo forſitan grauiter pluries ſumentem puniuiſſet. Secundò poteſt idem oſtendi per hoc, quod maius eſt conficere quam ſimpliciter communicare. Vnde cum non liceat alicui clerico pluries communicare, non eſt licitum alicui pluries celebrare Et forſitan ſi nihil offerretur celebranti, ſicut offertur laico communicanti, nunquam fuiſſet pluralitas miſſarum introducta in Eccleſia Dei. Tertiò poteſt idem oſtendi per hoc, quod dicit Gloſſa ſuper illud ad Hebr. 6. *Terra ſuper ſe venientem imbrem bibens, &c.* Prædicatio ſi rara eſt, non ſufficit: ſi aſſidua, vileſcit. Idem verum eſt de celebratione miſſarum: ſi enim aliquis pluries celebret, vileſcit ei opus illud ſuper Angelicum, non enim conceſſum eſt Angelo, vt ad prolationem talium verborum, ſub ſpecie panis glorioſum Chriſti corpus incipiat eſſe: nec exhibet reuerentiam præſentiæ creatoris ſui quam deberet. Quartò poteſt idem oſtendi per hoc, quod filii Iſrael non colligebant de manna niſi gomor vnum per ſingula capita. Manna enim propria figura fuit Dominici corporis. De hoc habetur Exod. 16. Quintò poteſt oſtendi idem per hoc, quod Agnus paſchalis ſemel in anno immolabatur. De quo legitur Exod. 12. Sextò poteſt oſtendi idem per hoc, quod verus Agnus, ſcilicet Chriſtus, ſemel tantum immolatus eſt, & ſacerdos in veteri lege tantum ſemel in anno cum ſanguine intrabat ſancta ſanctorum.

De pluralitate officiorum in eadem miſſa.

SEquitur de tertio ſigno Auaritiæ, ſcilicet de pluralitate officiorum in eadem miſſa: quod licet interdum ex deuotione fiat, verius tamen videtur, quod cupiditas hoc adinuenerit. In eiſdem enim matutinis nullus laudes triplicat: in miſſis vero cupiditas hoc adinuenit, vt ſi non offeratur ad vnum officium, ad aliud ſaltem offeratur.

De multiplicatione altarium ſine neceſſitate.

QVartum autem ſignum eſt multiplicatio altarium abſque neceſſitate facta, non ex deuotione, ſed ex cupiditate. Vnde Oſeæ 8. *Multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum: factæ ſunt ei aræ in delictum. Hoſtias offerent, immolabunt carnes & comedent, & Dominus non ſuſcipiet eas.* Mira inſania eſt, quod altaria multiplicentur ad peccandum, quæ pure deberent fieri ad Deum placandum. Corpus Dominicum ſuper huiuſmodi altaribus ex cupiditate immolatum à Deo non ſuſcipitur, quantum ad operationem immolantis. Simile legitur Ierem. 9. vbi ſic legitur: *Nunquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas?*

De conſeruatione fructuum.

QVintum ſignum auaritiæ eſt, conſeruatio fructuum, in his qui habent annuos reditus ſufficientes: quorum fatuitas multipliciter poteſt oſtendi. Primò per hoc, quod ipſi videntur eſſe ſimiles cuidam ſtulto, qui videns quendam magnum fluuium impetuosè currentem, cogitauit quod cito pertranſiſſet, & mutuatus eſt vaſa à vicinis ſuis, & retinuit in iis de aqua illa, ne cum pertranſiſſet aqua fluuii, indigentiam haberet. Annui reditus quos habent clerici ſunt, velut fluuius iugiter manans: ſed diuitiæ laicorum, qui non habent ita annuos reditus, ſunt velut torrens, qui quandoque ſiccatur. Vnde non eſt mirum ſi ipſi reſeruant de fructibus ſuis. Secundò poteſt oſtendi fatuitas talium per hoc, quod ipſi de portione pauperum volunt theſaurum facere, vel poſ-

Fructuũ conſeruatio in eccleſiaſticis beneficiis fatuitas multiplex.

sessionis acquirere, cum ipsi pauperes fame & frigore moriantur. Contra quos dicit. Hieron. Accepisse pauperibus erogandum & esurientibus plurimis: vel cautum esse, vel timendum, apertissimi sceleris est: aliquid exinde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. Idem: Optimus dispensator est, qui nihil sibi reseruat. Suspecta est mihi charitas, quæ aliter diligit proximum, aliter seipsum. Portionem suam de bonis Ecclesiasticis integre accipit, scilicet & victum & vestitum suum: Pauperes vero esurientes & nudos dimittens: diuites thesaurizare facit de portione, non attendens quanta iniquitas sit, quod pauperum est, successori suo diuiti reseruare, cum vniuersaliter dissuadeat Dominus in terra thesaurizare. Matth. 7. non videtur esse concessum prælatis Ecclesiæ, qui exemplo suo debent alios ad cōtemptum terrenorum prouocare, quod ipsi in terra thesaurizent. Tertiò potest fatuitas eorum ostendi per hoc, quod ea quæ ipsi subtrahunt pauperibus aufert eis tyrannus vel maior prælatus. Iuxta illud August. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus. Quartò potest fatuitas eorum ostendi per hoc, quod ipsi ignorant qualem successorem habituri sint. Vnde Ecclef. 2. *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboraui habiturus hæredem post me, quem ignoro vtrum sapiens aut stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, &c.* Cōgruum esset vt prælatus, qui bona ecclesiastica pure à Christo recepit, membris Christi ea impenderet iuxta illud Ecclesiast. 1. *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur.* Fatuum autem videtur esse hoc, quod homo qui bene potest dispensare reseruet eius eispensationi, qui forsitan in voluptates & vanitates expendet. Illud etiam erit materia peccati: quod potuit esse materia virtutis. Contra illum qui sic facit videtur esse illud Hieron. Da, inquit, pauperibus, non locupletibus, non superbis. De quo necessitas sustentetur, non quo augeantur opes. Pars sacrilegii est non dare pauperibus res pauperum. Quintò potest ostendi fatuitas eorum per hoc, quod melius esset quod ipsi de eis quæ sibi abundant eleemosynas facerent ante mortem, quam fieret eleemosyna illa postquam mortui essent. Eleemosyna enim ante mortem facta, est velut lucerna quæ præfertur homini custodiens eum ne cadat in foueam inferni. Eleemosyna post mortem facta, est quasi lucerna, quæ fertur homini post tergum, quæ non custodit eum à casu foueæ. Si enim in peccato mortali decesserit, nulla eleemosyna, quæ pro eo fiet liberabit eum ab inferno. Vnde eleemosyna facta pro aliquo in vita ipsius, melior est quam illa, quæ fit post mortem. Illa quæ fit post mortem, non valet ei ad plus, nisi ad liberationem à pœna purgatorii: illa autem quæ fit in vita, potest Domini mereri gratiam & gloriam, & liberationem à debito pœnæ æternæ, & à pœna purgatorii, & abundantiam bonorum temporalium, & multa alia. *Pietas enim ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ:* vt legitur 1. ad Timoth. 4.

De promotione puerorum ad sacros ordines & dignitates.

SEquitur de sexto signo auaritiæ, quod est promotio puerorum ad sacros ordines & ad Ecclesiasticas dignitates. A quo peccato valde est cauendum ecclesiæ Dei. Valde enim est nociuum, quod innuit Salomon Ecclef. 10. dicens: *Væ tibi terra cuius rex puer est.* Et Dominus Esa. 3. comminatur hoc synagogæ tanquam pœnam magnam, dicens: *Dabo pueros principes eorum.* Multiplici autem ratione cauendum esset Ecclesiæ ab hoc peccato. Primò propter defectum sapientiæ, qui est in pueris. Vnde Aristoteles; Non iuuenes eligit duces, eo

quod non constituet eos esse prudentes. Et Iob 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Et etiam si scientia esset in talibus personis, non tamen habent experientiam, quæ valde necessaria est rectoribus. Vnde Eccles. 14. *Qui non est tentatus, quod scis? Vir in multis expertus, cogitabit multa.* Et deinde subditur: *Qui non est expertus, pauca recognoscit.* Secundò propter defectum virtutis, Vnde Ecclesiast. 6. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates,* vbi dicit Glossa, Debet quisque virtutes proprias perpendere, & pro quantitate virium curam aliorum suscipere, ne dum delectatur, loco gloriæ fiat subditis author ruinæ. Oportet prælatum Ecclesiæ inflexibilem esse. Ætas iuuenilis vel puerilis tenera est in iudicium: sicut virga antequam adulta sit flexibilis est. Vnde Gloss. super illud Ecclesiast. 10. *Væ tibi terra, cuius rex puer est.* cuius ætas leuitati & inconstantiæ proxima est. Tertiò cauendum est Ecclesiæ à promotione iuuenum: quia incertum est quales futuri sint. Prouerb. 30. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ volantis in cœlo, viam colubri super petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia sua.* Et si valde incertus sit volatus aquilæ in cœlo, eo quod diuertat se ad cadauer, & incessus serpentis, quia tortuose incedit: & via nauis in medio mari, quia variatur secundum quod ventus variatur, nullum tamen horum se dicit Salomon penitus ignorare, nisi solum viam viri in adolescentia sua. Vnde sapientiores Salomone se videntur facere illi, qui propter signa aliqua bona, quæ videntur in iuuenibus asserunt eos futuros bonos & faciunt eos promoueri, non attendentes, quod oportet columnam prius robur suum accepisse, quam ponatur in ædificio. Ibi enim non acciperet robur. Illi etiam qui iam boni sunt, in prælatione bonitatem suam amittunt, vel per superbiam, vel aliquod aliorum vitiorum. Vnde de superbia habetur 1. ad Timoth. 3. *Non neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli.* Vnde dicit Glossa, In arrogatiam, quæ est ruina diaboli, incidunt, qui puncto horæ nondum discipuli fiunt magistri. Tales voluptatibus vacant. Vnde post illud Ecclesiast. 10. *Væ tibi terra cuius rex puer est,* Subditur, *Et cuius principes mane comedunt.* Et super illud Ecclesiast. 12. *Adolescentia & voluptas vana sunt,* dicit interlinear. quod voluptas carnis comes est adolescentiæ. Ignis concupiscentiarum quasi naturaliter in iuuenibus est, cui igni materia ministratur, quando prælati efficiuntur. Habent enim diuitias, quæ sunt materia gulositatis: habent etiam mulieres quarum custodes fiunt. Vnde consequens est vt gulæ & luxuriæ intendant. Et quo gallo non succincto lumbos gallinæ traduntur: bene potest quilibet cogitare, quid ex hoc possit sequi. Prius tentandum esset qualiter ipsi regerent se, priusquam alii regendi committerentur eis. Vnde August. Prius vide si nosti diligere teipsum, & committo tibi proximum. Si autem non nosti diligere te, timeo ne decipias proximum sicut te. Attendendum etiam esset antequam committeretur alicui familia ad pascendum, an habeat vnde eam pascat. Ridiculum est, quod famelici & nudi vestiméta & alimoniam aliis promittant & vlcerosi medicos se iactent. Potius deceret tales verbũ illud Esaiæ 3. *Non sum mendicus, & in domo mea non est panis, &c.* Quartò cauendum est à promotione iuuenũ propter derisionem hostium. Derideri enim potest Ecclesia ab inimicis suis cum ipsa sanuerit si nubat puero, & pro spõso habeat quem deberet portare in gremio, & lactare lacte simplicis doctrinæ. Et potest ei dici illud; *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.* Quãdo enim debuit nubere illi, qui pater posset esse, ipsa nubit illi cui opus est matre.

Quintò cauendum est ecclesiæ à promotione talium: quia scandalizabitur populus de talium promotione subita. Vnde super illud 1. ad Timoth. 3. *Non neophytum, &c.* dicit Gloss. Heri in theatro, hodie in Ecclesia, vespere in circo: hodie in altare, dudum fautor histrionum, nunc constuprator est virginum. Et quod legitur ibi: Cui opus est patrono, mihi parant defensorem: & cui opus est pædagogo, mihi instituunt doctorem. Sextò cauendum esset ecclesiæ à tali promotione: quia sicut senectus exornat quodammodo Ecclesiasticas dignitates, sic pueritia quasi deturpat eas. Ad primum pertinet, quod legitur Ecclesiast. 5. *Quam speciosum canitiei iudicium, & presbyteris cognoscere consilium. Quam speciosa veternis sapientia, & gloriosus intellectus, & consilium. Corona senum multa peritia, & gloria illorum timor Dei.* Ad secundum pertinet illud verbum, quod dicit quidam de Nerone. Nero quum quosdam ornare vellet, non ipsos ornauit, sed ornamento deturpauit. Et in veritate quum presbyter idem sit quod senior, ordo sacerdotalis ad senes videtur pertinere: & quasi contraria de aliquo videntur dici, quum dicitur esse iuuenis presbyter. Idem enim est ac si diceretur iuuenis senior. Vnde Dauid in
Ps. 106. Psalm. cathedram senio attribuit, dicens: *In cathedra seniorum laudent eum.* Septimò cauendum esset Ecclesiæ ab huiusmodi promotione, quia multis exemplis mouetur ad hoc. Primo exemplo Domini, qui xxx. anno incepit facere opera, quæ ad prælatos pertinent. Et Ezechiel describitur in xxx. anno fuisse quando vidit visiones. Petro etiam & non Ioanni commendauit Christus Ecclesiam. Vna potuit causa esse, quia Ioannes erat adolescens. Apud Hebræos etiam prohibita est lectio principii Geneseos, & finis Ezechielis, & Cantica Canticorum ante trigesimum annum. Et alia exempla ad idem possunt adduci. Sed forte aliquis obiiciet, quod Ieremias puer ad prædicandum missus sit. Et Timotheus adolescens Episcopus ordinatus sit. Et Salomon ante trigesimum annum in regem promotus. Cui responderi potest, quod Ieremias antequam prædicaret, audiuit: *Ego dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream:* vt legitur Ierem. 1. Si Dominus virgam vnam in vnam magnam columnam commutaret, iam posset poni pro columna in ædificio. Non tamen ex hoc sequitur, quod virga simpliciter sit vtilis ad hoc vt ex ea columna fiat. Sic licet Ieremias quasi miraculose sapiens & robustus factus ante ætatem solitam ad prædicandum sit missus, non tamen hoc ad consequentiam est trahendum. De Timotheo vero respondet beatus Bernardus: Da mihi talem Timotheum, & ego cibo si vis eum auro, & poto balsamo. Pauci inueniuntur hodie similes Timotheo. De Salomone vero dici potest, quod forsitan ideò male accidit Salomoni, quia adeò iuuenis factus est rex. Diuitiæ enim & deliciæ quasi infatuauerunt eum. Præterea spiritualis gratia est ei facta. Dedit enim ei Dominus subito cor ita sapiens, quod nullus similis ei fuerit.

De libenter currentibus ad nummos horarios, &c.

SEquitur de vltimo signo Auaritiæ, quod est concursus ad nummos horarios & ad processiones, & ad cætera loca in quibus solet offerri. Hoc signum auaritiæ in multis locis apparet in Ecclesia Dei. Vidimus enim clericos concurrere ad horas illas ad quas decantandas constituta est certa pecunia, sicut piscis concurrit ad panem in aqua proiectum, de aliis vero horis non curant. Vnde in quibusdam Ecclesiis vocantur à laicis horæ illæ in quibus nummi dantur, horæ nummi. Quod satis indecens est. Similiter si aliquod funus est in aliqua

qua villa, concurrunt illuc sacerdotes & clerici de circumiacentibus villis, vt possit dici de illis, quod dicit Dominus Matthæi 14. *Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Et Iob 39. dicitur de aquila, *Contemplatur escam, & oculi eius de longe prospiciunt.* Et subditur: *Vbicunque fuerit cadauer, statim adest.* Pisces escam non sentiunt, nisi eis proxima fuerit: sed tales funus sentiunt etiamsi distat ab eis per vnam leucam, vel per duas, & statim concurrunt. Vnde similes sunt vulturibus: de quibus dicitur, quod existentes in regione vna sentiutn cadauera in alia.

Cap. XII.

De peccato indigne conficiendi.

QVia Simonia & alia peccata, de quibus proximo loco dictum est, frequenter solent comitari peccatum indigne conficiendi: Ideò subiungemus hic tractatum de peccato isto, & primo agemus de his, quæ pertinent ad dignitatem conficiendi: deinde agemus de his, quæ faciunt ad detestationem huius peccati. Ad hoc vero quod aliquis digne conficiat. Primò necessarium est, vt probet seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat. Sicut ille qui vult infundere aliquem pretiosum liquorem alicui vasi, prius probat vel tentat vtrum vas sit mundum vel immundum, sanum vel corruptum: sic debet videre de se sacramentum altaris suscepturus. Ista probatio vocatur diiudicatio in eodem capitulo, vbi dicit Apostolus: S*i nosmetipsos diiudicaremus, nonvtique iudicaremur.* Secundò immunditia inuenta in se, necesse est vt homo eam abluat. Manibus enim illotis accedere ad mensam Domini valde indecens est: & in hoc peccant multum aliqui sacerdotes, qui cum singulis diebus bis manus corporis lauent vt ad mensam corporalem accedant: tamen ad mensan Domini in qua Dominus præsens est, & cui angeli assistunt per vnum mensem vel duos accedunt manibus illotis: id est, operibus, non attendentes, quod dicitur in Ps.17. *Secundum puritatem manuũ mearum retribuet mihi.* Non secundum pluralitatem missarum, sed secundum puritatem manuum retribuet Dominus sacerdotibus. Ad istam ablutionem manuum pertinet, quod dicitur in Psalm. 25. *Lauabo inter innocentes manus meas, &c.* Tertiò necessarium est lumen fidei: ad quod lumen sacerdos consideret virtutem sacramenti: vt scilicet habeat fidem de effectu sacramenti illius, qui est collatio vel augmentum gratiæ. Ad lumen etiã istud debet inspicere, quæ latent sub specie panis & vini. Indecens est mensam talem esse sine lumine, & timere possunt, qui habent ibi oculos obcæcatos ne videant, ne illa mensa fiat illis in laqueum. Ideò dicitur in Psalm. 42. *Emitte lucem tuam & veritatem tuam.* Et post subditur: *Et introibo ad altare Dei.* Quartò necessaria est fames de percipiendo effectum illius sacramenti, quam famem sacerdos non habebit nisi per humilitatem, cogitando defectus suos, & se vacuum & pauperem inueniri. Fastidiosos & plenos non vult Dominus saturare, sed esurientes & sitientes. Vnde Matth. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniã ipsi saturabuntur.* Et ista quatuor sunt ex parte ipsius, qui debet conficere. Ex parte vero cibi qui sumendus est, necessaria est præparatio. Modus autem præparandi tangitur Exod. 12. vbi sic legitur de agno Paschali: *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni.* Crudum comedit ille in quo ignis charitatis non est. Coctum aqua comedit, qui passionem Dominicam, cuius figura est sacramentum illud, diligenter recolit, ita vt meditatione eius exardescat ignis. Sed sunt nonnulli, qui in præparatione cibi corporalis, quam sumpturi

sunt, volunt quod laboretur à mane vsque ad tertiam: sed præparatione huius cibi spiritualis nollent laborare per dimidiam horam. Secundò necessaria sunt azyma cum lactucis agrestibus, cum quibus agnus comedatur. Inconsuetum enim est carnes crudas comedere. In lactucis agrestibus, quæ amaræ sunt, dolor & amaritudo pro peccatis intelligitur, quæ debent esse in conficiente. Vnde Augustinus: Panis iste salus est ægris, quam lacrymæ faciunt dulciorem In azymis intelliguntur opera, vt sunt eleemosynæ, orationes, & simul aquæ debent præcedere sumptionẽ Dominici corporis. Tertio necessaria est diiudicatio Dominici corporis, vt cum magna reuerentia recipiatur. De quo tangit Apostolus 1. ad Corinth. 11. dicens: *Qui manducat & bibit indigne, iudicium*, id est, damnationem, *sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini*. Quartò necessaria est diligens custodia post sumptionem, & præcipuè custodiendum est in quo Dominicum corpus susceptum est. Si quis in pyxide vbi Dominicum corpus positum est, fœtidum lutum poneret, infidelis iudicaretur. Qualis ergo iudicandus est ille, qui os suun in quo corpus Domini recepit, detractione, vel ebrietate vel alia spurcitia polluit, cum spurcitia spiritualis longe maior sit immunditia corporali? Ad hoc pertinere potest, quod legitur Prouerbiorum 17. *Qui seruat ficum, comedet fructus eius: & qui custos est Domini sui, gloriabitur*. De diiudicatione & custodia similiter habetur Prouerbiorum 23. vbi sic legitur: *Quando sederis vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ sunt posita ante faciam tuam*, ecce diiudicatio, & subditur, *Et statue cultrum in gutture tuo*. Hoc pertinet ad custodiam oris. In ore cultrum discretionis ponendum est, vt non admittat homo in ore suo vnde ipsum possit inquinari. Vltimo necessarium est, vt in confectione forma tradita obseruetur. De hoc habetur in Glossa super illud 1. ad Corinth. 11. *Quicunque manducauerit hunc panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini*. Vbi sic dicitur. Indignus est, qui aliter celebrat, quam à Christo traditum sit: & qui non deuota mente accedit, vel in voluntate peccanti manens. In summa ergo colligi potest, quod ea quæ pertinent ad hoc quod aliquis digne conficiat, vel pertinent ad ipsum conficientem, vel ad ipsum cibum qui sumendus est, vel ad formam conficiendi diuinitus traditam. Ille vero qui debet conficere vel etiam communicare, deberet esse præparatus quasi transiturus esset de mundo isto ad patrem. Ad mensam enim Domini debet accedere, sicut & ille qui moriturus est. Vnde Exodi 12. præcipitur quod comedentes Agnum paschalem sint præparati ad eundum. Vbi sic legitur: *Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus vestris, tenentes baculos in manibus*: Hæc est forma hominis parati ad eundum. Præter ista leguntur, quædam alia in sancta Scriptura, quę ad dignitatem eius qui debet conficere vel communicare pertinere videntur. Sicut illud quod legitur Genes. 14. de Melchisedech, quod protulerit panem & vinum Abraham regibus deuictis. Post victoriam enim peccatorum, ad sacramentum altaris accedendum est. Ad idem pertinet hoc, quod Exod. 12. præcipitur Agnus paschalis tolli decima die. In quo figuratur, quod verus agnus post impletionem decalogi sumendus sit. Ea etiam quæ de sepultura Domini in Euangeliis legitur, indicant nobis qualiter corpus Dominicum sit sumendum. Sepultus enim est in monumento in quo nondum quisquam positus fuerat. Non ponat ergo aliquis Dominum vbi iam est diabolus: quia nulla conuentio Christi ad Belial. 2. Corinth. 6. Recipitur etiam in sindone munda, id est, cordis

puritate: ficut Iofeph legitur fuiffe. Mathæi penultimo. Adfint etiam myrrha & aloë, quafi Nicodemus attulit: vt legitur Ioan. 19. Amaritudo contritionis & mortificatio carnis adfint: vnguenta quæ mulieres præparauerunt: id eft, opera quæ pertinent ad deuotionem Dei & compaffionem proximi.

Qualiter fit præparandus facerdos ad fumendum corpus Christi.

Miffę præparatio.

VEftes etiam facerdotales inftruunt nos circa idem. Præparatio enim quam facit qui celebraturus eft, facras veftes induendo, fignificat qualiter præparaturus effe debeat interius. Ad idem pertinet quod legitur Leuitici 16. vbi fic dicitur: *Locutus eft Dominus ad Moyfen, & præcepit ei, dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne ingrediatur omni tempore fanctuarium, quod eft intra velum coram propitiatorio, quo tegitur arca, vt non moriatur (quia in nube apparebo fuper oraculum) nifi hæc ante fecerit.* Et fubditur: *Tunica linea veftietur, feminalibus lineis verenda celabit: accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti.* Non loquitur de quolibet ingreffu facerdotis in fancta fanctorum, fed de ingreffu quo intrabat cum fanguine: & ideo recte fignificatur per hoc ingreffus facerdotis Euangelici, ad confeffionem Dominici corporis & fanguinis. Quod etiam videtur per hoc quod ibi dicitur. *In nube apparebo fuper oraculum.* Quafi enim in quadam nube facramenti, apparet Dominus fuper altare. Non intret ergo facerdos ad altare, nifi tunicam habeat lineam innocentiæ, vt fit abfque peccato odii. Et feminalia linea continentiæ: vt fint abfque peccato carnis. Et zonam lineam per fobrietatem, vt fit abfque peccato ingluuiei ventris. Et cidarim lineam per puritatem intentionis, vt fit abfque peccato cupiditatis. Alioquin timere poteft, ne morte moriatur. Ad dignitatem etiam conficiendi vel communicandi pertinet quod legitur Exod. 12. vbi dicitur: *Hæc eft religio phafe. Omnis alienigena non comedet ex eo. Omnis autem feruus emptitius circuncidetur, & fic comedet. Aduena & mercenarius non comedet ex eo.* Alienigena eft, qui filius diaboli eft per imitationem, qui fcilicet eft in certo peccato mortali. Vnde Ioan. 8. *Vos ex patre diabolo eftis.* Peccator fuccedit diabolo, quafi patri, à nomine & hereditate. In nomine. Vnde Dominus dicit de Iuda, *Vnus ex vobis diabolus eft.* In hæreditate. Vnde Matth. 25. *Difcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eft diabolo & angelis eius.* Seruus emptitius eft qui à certis mortalibus cauet, qui fanguine Chrifti efficaciter redemptus effe videtur; qui circuncidendus eft fi agnum verum vult fumere, vt linguam fuam refrenet à verbis illicitis, & fobrie cibo & potu vtatur. Superbiæ etiam ornatus deponat. Non videtur fecurum effe illi, qui æquè fuperbus vult effe ficut prius, detractor & gulofus ficut prius, accedere ad facramentum altaris. Aduena eft ille qui de nouo conuerfus eft, cui non eft fecurum ad facramentum altaris accedere. In quo non parum videntur errare multis in Ecclefia, qui illos pui manferunt in peccato carnis per totum annum vfque ad Dominicam in Ramis palmarum, de quibus certum eft eis, quod decem annis vel amplius poft tertiam diem Pafchæ ad peccatum carnis redierunt, communicant indifferenter: non attendentes quod hic dicitur: Aduena non comedet ex eo. Interl. illum aduenam vocat, qui nuper venit ad fidem, nec adhuc firmus eft. Mercenarius vero eft, qui pro lucris temporalibus Chrifto feruit, qui agnum verum comedere non deberet: quod valde male obferuatur in ecclefia Dei.

Quæ faciunt ad deteftationem indigne conficientium.

POftquam oftenfum eft in quibus dignitas conficiendi attendatur, fub-

Indigne conficere sacramentum quæ & quanta dissuadeant

jungendæ sunt authoritates & rationes, & exempla,quæ valent ad detestationem huius peccati. Et primò valet ad hoc illud Gregorij. De quolibet indigne conficiente vel sumente corpus Christi, sicut de Iuda dicit Dominus. *Veruntamen ecce manus tradentis mecum est in mensa.* Sicut Iudas tradidit Christum persecutoribus : sic conficiens vel sumens corpus Christi indigne, tradit eum quantum in se est dæmonibus, dum ponit eum in loco, qui est in potestate dæmonum. Secundò facit ad hoc illud Augustini. Magis peccant, qui tradunt Christum peccatoribus membris diaboli, quàm qui tradiderunt eum crucifixoribus Iudæis. Tertiò facit ad hoc quod dicit Glossa super versum illum, Dederunt in escam meam fel, vbi sic habetur, Hoc adhuc facit contemptor sedentis in cœlo, & grauius peccat, quam qui crucifixerunt ambulantem in terra. Quod verum est ad minus quoad circunstantias multas. Prima est : quia indigne sumentes corpus Christi, scienter contumeliam Christo inferunt, quem verum Deum esse credunt : deteriores in hoc Iudæis, *qui si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* 1. ad Corinth. 2. Vnde non potest Dominus rogare pro indigne sumentibus, sicut pro Iudæis rogauit, dicens : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Secunda: quia contemnunt Christum regnantem, quem Iudæi contempserunt mortalem. Maior autem contumelia est, quæ infertur alicui in statu honoris, quam quæ infertur ei in statu humilitatis. Sicut contumelia quæ infertur alicui cum miles est, maior est quàm quæ infertur ei quum domicellus est. Tertia circunstantia est, quia contumelia crucifixionis tantum semel à Iudæis illata est : ab indigne vero conficientibus vel sumentibus quotidie infertur. Quarto, quia vilitas & macula culpæ magis Dei displicet, quam vilitas pœnæ quæcunque sit: sed indigne sumentes corpus Christi, faciunt quantum in se est ad hoc quod Christus polluatur, sicut infra patebit. Ergo quãtum in se est faciunt illi, vt videtur, quod magis sibi displicet, quam quod fecerunt ei Iudæi. Præterea quam maiorem contumeliam potest quis inferre Domino suo, quam si eum capiat & in carcerem immundissimum proiiciat? Non esset maior contumelia si eum occideret, licet maior dolor ibi esset. Contumelia vero ista satis insinuatur ad Hebr. 10. vbi conculcatio vocatur. Sic enim ibi legitur: *Irritam quis faciens legem Moysi vlla miseratione duobus aut tribus testibus moritur: quànto magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcaueri?* Vbi dicit Gloss. Christum conculcat, qui libere peccat absque timore & pœnitentia, & indigne eo participat. Idem insinuatur nobis Ioan. 13. vbi dicitur: *Qui manducat panem meum, leuabit super me calceanũ suum.* Calcaneo conculcatio fit. Et vbi nos habemus in Psal. *Magnificauit super me supplantationem.* Alia litera habet : Ampliauit super me calcaneum suum : id est, erexit pedem vt me conculcaret. Ad detestationem huius peccati facit, quod legitur 1. ad Corinth. 11. *Quicunque manducauerit hunc panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini,* vbi dicit Gloss. id est, reus erit ac si Christum occideret. Si quis qui fidem haberet sciret semel se Christum crucifixisse, ipse vellet nudis pedibus per totum mundum toto tempore vitæ suæ pœnitentiam agere: quid ergo debent etiam facere illi qui toties commiserunt peccatum simile illi peccato? Item dicit Ambrosius. Qui indigne Christum sumit, idem est ac si interficiat. Talis iterum Christum crucifigit, iuxta illud ad Hebræos 6. *Rursum crucifigentes filium Dei, & ostentui habentes.* Ipsi quantum in se est Christum iterum crucifigunt eum ostentui habentes: id est, derisioni. Il-

ludunt enim ei, dum simulant se eum adorare, quem in veritate inhonorant. Vnde potest Christus dicere de eis quod super dolorem vulnerum suorum ei addiderunt. Tales quantum in se est corpus Christi polluunt. Vnde Malach. 1. *Dicit Dominus exercituum, ad vos: O sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis, In quo despeximus nomen tuum?* Et subditur, *Offertis super altare meum panem pollutum.* Vbi dicit Gloss. Panem, id est, corpus Christi polluit, qui indignus accedit ad altare & ad mensam Domini. Talis sordidus & excommunicatus corpus Christi osculatur. De excommunicatione eius 1. ad Cor. vlt. *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema.* Ad aliud verò pertinet, quod dicit quidam sanctus indignè conficienti: Quomodo labiis illis oscularis filium Virginis, quibus osculatus es labia meretricis? Attendere deberet talis etiam formam verborum, quâ Christus admonet eum, vt aduertat hoc esse corpus suum, quod sic contrectat. *Hoc,* inquit, *est corpus meum, super quod os tuum fœtidum aperis, quod quum sis fera pessima, deuorare præsumis. Et idolothytam facis, qui cani vel porco apponis. In cuius faciem expuis, quando in lutum platearum proycis.* Ad primum potest referri quod legitur
Ps. 108. in Psalm. *Os peccatoris & os dolosi super me apertum est.* Hoc verè potest dicere Christus, quando indignè conficiens os aperit ad suscipiendum eum. Ad secundum potest referri quod dicit Iacob Genesis 30. *Fera pessima comedit eum.* Tertiò, de corpore Christi idolothytum facit, qui ex cupiditate celebrare præsumit. Cani vel porco apponit illud, qui illud assumit, quum porcus sit per luxuriam, imò porco immundior; vel canis per detractionem. Vnde videtur dicere illud quod dicit Goliath ad Dauid 1. Reg. 12. *Veni,* inquit, *ad me & dabo carnes tuas volatilibus cæli, & bestiis terræ.* cùm ipse sit volatile cæli per superbiam, & bestia terræ per cupiditatem & auaritiam. Ad duo verò vltima pertinet quod dicit quidam sanctus: Sacerdos luxuria inquinatus, iuxta filium Virginis ponit idolum Veneris. Et dum sanctam faciem benedicit, qua in faciem eius spuit, dum sumit Filium Dei, quasi in lutum platearum proiicit. Cùm de Saracenis dicatur, *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, &c.* De indignè conficientibus potest amplius dici, scilicet quod polluerunt filium sanctum suum. Ad magnitudinem etiam contumeliæ facit hoc, quod indignè conficientes Deo contumeliam inferunt, quasi coram curia sua congregata. Adest enim ibi Deus, adsunt homines & Angeli. Vnde Gregorius: Quis fidelium dubium possit habere in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem cælos aperiri, atque in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi; Ad magnitudinem etiam contumeliæ facit hoc, quod tales inferunt Deo contumeliam in propria domo eius. Vnde Ierem. 11. *Quid est, quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa?* Præter prædicta, sunt quatuor, quæ faciunt ad detestationem huius peccati. Primum est, magna ingratitudo, quæ est ibi. Venit enim diuina Maiestas visitare hominem in Sacramento Altaris, & hoc cum plenitudine charismatum: vnde Eucharistia vocatur Sacramentum istud, & miser homo non timet contumeliam ei inferre, quem pro posse suo debuit honorare. Satis admirari non possumus in hac parte bonitatem diuinam, & peruersitatem humanam. *Quid est homo?* ait Psa. 8.
Dauid, *quia magnificas eum: aut filius hominis, quia visitas eum?* Etiam latrones illis, ad quorum mensam comederunt, seruant fidem: per annum indignè vero conficiens, vel communicans, in ipsa mensa, ad quam cum Domino comedit, ei contumeliam facit. Vnde benè potest dici de Domino, illud Ecclesiastici 19.

Pascet & potabit ingratos, & adhuc amara audiet. Ad magnitudinem ingratitudinis facit hoc, quòd in Sacramento illo mors Domini figuratur. Vnde primo ad Corinth. 11. *Quotiescunque manducabitis pacem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Magna verò ingratitudo est, aliquam ei contumeliam inferre, quem recordatur mortuum pro suo amore. Secundò, facit ad detestationem huius peccati hoc, quòd indignè conficientes vel communicantes, infeliciores videntur esse cæteris peccatoribus. Ipsum enim summum bonum eis est noxium, & ex ipsa vita moriuntnr, & ex ipso antidoto incurrunt infirmitatem ad mortem. Quis locus curationi, quando quod debuit curare hominem ipsum interfecit? Vnde in libro Prosperi: Sacramentum summæ pietatis sibi in iudicium sumit indignus. Benè esse non potest malè accipienti quod bonum est. Tertiò, facit ad detestationem huius peccati, pœna quam Dominus accipit etiam in præsenti de indignè sumentibus corpus Christi. Vnde 1. Corinh. 11. postquam dixit Apostolus: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* subdidit: *Ideò inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Et exponit Gloss. Infirmi febribus, imbecilles longis valetudinibus, & infirmitatibus, & dormiũt morte corporis. Legitur etiam in libro Paschasij, quòd quicunque indignè communicat, nisi bonitas Christi, cuius iudicio omnia pendent, gladium suspenderet, & temporalem iudicem, vt pœniteat, remoueret; ab Angelis ad hoc positis perimeretur. Nec mirum: Si enim pro Christi morte gens Iudæorum destrui debuit, & peccatum indignè conficientium simile est peccato eorum qui crucifixerunt Christum, sicut prius ostensum est: iustissimè possunt tales à Domino interfici. Vltimò, faciunt ad detestationem huius peccati diuersa exempla. Et de multis pauca ponamus. Ioannes Baptista vtero matris sanctificatus, à pueritia in eremo conuersatus, & inuitatus à Domino, timuit tangere verticem Domini, ipsis Angelis reuerendum & tremendum. Vnde cantat Ecclesia de eo: *Baptista contremuit, & non audet tangere sanctum Dei verticem: sed clamat cum tremore, Sanctifica me Saluator.* Quomodo ergo, aliquis immundus non timet sumere totum corpus Christi, iam glorificatum; Item beata Magdalena, quæ tanto feruore Dominum diligebat, & tam deuotè ei viuo & mortuo seruiebat, non est permissa tangere pedes Domini, eo quòd non crederet Filium esse æqualem Patri; Idem beatus Marcus sibi abscidit pollicem, vt reprobus esset sacerdotio; tantum reuerebatur Dominicum corpus conficere. Et quidam senior inter Eremitas, cùm ab illis eligeretur in sacerdotem, & ab Episcopo Ægypti ordinatus esset, ait: Ego licet sim sacerdos, in vita tamẽ mea non conficiam. Legitur etiam 2. Reg. 6. de Oza, *quòd cùm bobus recalcitrantibus, arca declinaretur, ipse extendit manum suam, & tenuit eam. Et iratus indignatione Dominus contra Ozam, percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi.* Tradunt Hebræi, quod ea nocte dormierat cum vxore sua. Si Oza interfectus est à Domino, quia præsumpsit tangere arcam, quæ erat figura Dominici corporis, cùm ea nocte iacuisset cum propria vxore: quid meretur ille, qui iacuit cum sua concubina, & tamen ipsum verum corpus Domini tenere vel sumere præsumit? Item legitur primo Regum 6. quod Bethsamitæ percussi sunt à Domino, eo quod vidissent arcam Domini & percussi sunt lxx. viri, & quinque millia plebis. Si tot homines percussi sunt, quia attentauerunt circa arcam Domini, quod eis erat prohibitum, scilicet, videre arcam Domini nudam: quid merentur illi, qui attre-

ctant aliquid circa corpus Domini, quod eis prohibitum est? Præterea, sancta Maria Ægyptiaca, pœnitentiam agens in deserto, semel tantùm hoc Sacramentum accepit à Zosyma Eremita loci illius. Et licet singulis diebus fuisset lacrymata, tamen tunc amplius, quasi vsque ad effusionem oculorum. Legitur etiam Matth. 8. quod Centurio dixit Domino dicenti sibi: *Ego veniam & curabo puerum tuum. Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Et Luc. 5. legitur quod Petrus ait Domino: *Exi a me, quia homo peccator sum.* Legitur etiam Exodi 3. quum Dominus apparuisset in rubo Moysi, quod dicit ei Dominus: *Solue calciamentum de pede tuo: locus enim in quo stas terra sancta est.* Sic, cùm Dominus adest in Sacramento, omne morticinium remouendum est.

De peccato eorum, qui non curant communicare.

POst peccatum eorum, qui indignè conficiunt vel communicant, dicendum est de duobus peccatis, quæ videntur esse annexa huic peccato, scilicet de peccato eorum qui nunquam curant communicare, & de peccato eorum, qui postquam Dominum in Sacramento Altaris sumpserunt, per peccatum mortale eum à se expellunt. Ad detestationem vero primi peccati triplex testimonium scripturæ potest adduci. Primum est in veteri lege, Num. 9. vbi sic legitur: *Homo, qui fuerit immundus super anima, sine in via procul, faciat phase Domino mense secundo. Si autem mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit phase, exterminabitur anima illa de populis suis.* Immundus super anima dicebatur ille, qui immundus erat ex contractu mortui. Secundum testimonium est in noua lege Ioannis sexto, vbi dicit Dominus: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam æternam in vobis.* Tertium testimonium est, constitutio Ecclesiæ, quæ dicit, quod quilibet, postquam ad annos discretionis peruenerit, saltem semel in anno confiteatur omnia peccata sua, & suscipiat reuerenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus eius ab eius perceptione duxerit abstinendum. Alioquin viuens ab ingressu Eccles. arceatur: & moriens Christiana careat sepultura. Multùm autem dolere debet ille, qui non communicaret saltem semel in anno. Primò, debet esse causa doloris hoc, quod Dominum multùm offendit. Nō enim parū offenditur Deus, quādo à suis negatur ei hospitium semel in anno, in quibus debet habere continue hospitiū. Quod autem Deus multùm ex hoc offēdatur, potest ostēdi ex hoc quod legitur Lucæ 10. de his qui non essent recepturi discipulos eius. *Dico vobis, quod Sodomis in die illa remissius erit, quàm illi ciuitati, quæ non receperit vos.* Si tantum offenditur Deus: quando discipuli eius non suscipiuntur; quantum credendus est offendi, quando sibi hospitium negatur, & præcipuè, quia à suis? Vnde Ioann. 1. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Qui Domino hospitium negant: timere possunt, ne dicatur eis illud verbum, quod legitur Matt. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius* Et subditur causa: *Hospes eram, & non collegistis me.* Timere etiam possunt, ne accidat eis sicut Sodomitis, qui inhospitales erant quos ignis & sulphur succendit. Vnde Origenes: Domos hospitales ingressi sunt Angeli: scilicet domum Abraham & Loth. Domos verò hospitibus clausos ignis & sulphur succendit. Talem vindictam volebant Iacobus & Ioannes sumere de Samaritanis, qui nuntios Christi non susceperant: vt legitur Lucæ 6. Vnde dixerunt Domino: *Vis dicamus, vt ignis de cælo*

descendat & consumat illos? Secundò, debent dolere de indignitate sua. Sunt quidam qui sibi applaudunt, dicentes: quod melius est corpus Christi non sumere, quam indignè sumere. Quibus dicimus, quod in hoc benè faciunt, quod non indignè sumunt: quia non est bonum sumere indignè panem filiorum, imò panem Angelorum, & dare canibus: tamen dolere debent, quia se canes inueniunt, qui filii esse deberent. Dolere etiam deberent de hoc, quod vident se esse vasa mortis & iræ, & receptacula immunditiæ, qui deberent esse receptacula gratiæ & vitæ. De homine, qui indifferenter sordes peccatorum in se recipit, Deo vero locum præparare negligit, potest dici illud verbum quod legitur Osee 8. *Israël factus est quasi immundum in nationibus.* Israël est Christianus, qui per fidem Deum videt. Verus Christianus debet dicere illud verbum Dauid: *Si dederis somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum Domino:* supple, malè mihi accidat. Tertiò, potest dolere, qui saltem semel in anno non communicat, quia non facit quod Dominus præcepit discipulis suis, quum recessurus erat ab eis: volens illud infingi maximè memoriæ eorum. *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem.* Hoc quasi signum sui amoris reliquit Dominus Ecclesiæ suæ. Et væ illi, qui non habet memoriale, à tanto amico sibi relictum. Quartò, dolere posset talis de diaboli præsentia. Vbi enim est Dei absentia, adest diaboli præsentia. Quintò, dolere posset: quia fraudatur vtilitate quæ consequitur ex aduentu Domini in aliquod hospitium. Non enim est aduentus eius absque magna vtilitate. Vnde cùm Zachæus Dominum in hospitio suo recepisset, audiuit à Domino: *Hodie salus huic domui facta est*, vt legitur Lucæ 19. Raab etiam saluata est, quia suscepit nuntium Domini, vt legitur Iosue 6. Et viduæ quæ Eliam suscepit, non defecit farina, & oleum non est diminutum: vt legitur 3. Regum 17. Si adeò vtile fuit seruos Dei in hospitio recepisse, quàm vtile est credendum, esse ipsum Dominum in hospitio suo recepisse. Non modica securitas est talem socium habere. Vnde Dauid: *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo: quoniam tu mecum es:* & iterum; *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Et subditur: *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum.* De illo qui Dominum non suscipit, potest intelligi illud quod legitur Eccles. 4. *Væ soli: quia si ceciderit, non habet subleuantem se.* Talis cùm mensa Altaris indignus sit, etiam est indignus mensa cælesti. Et cùm Domino hospitium negauerit, meritò ianua cælestis regni ei clausa erit.

De peccato illorum, qui per mortale peccatum Deum à se expellunt.

HVius peccati magnitudo potest ostendi multipliciter. Primò, per quod turpiùs eiicitur, quàm non admittitur hospes. Si enim peccatum tantum est Domino, negare hospitium; manifestum est magnum valdè esse peccatum, iam susceptum expellere ab hospitio suo. Secundò, potest ostendi magnitudo huius peccati per hoc, quod talis similis est Iudæ, qui postquam ad mensam Domini comederat, eum tradidit hostibus suis. Etiam latrones timent contumeliam inferre eis, ad quorum mensam comederunt. De tali potest intelligi illud quod legitur Eccles. 6. *Est amicus socius mensæ, non permanet in die necessitatis.* Tales etiam similes sunt Iudæis, qui in die qui dicitur Dominica in Ramis Palmarum, Christum honorificè susceperunt, & post eum eiecerunt cum contumelia magna. Sunt aliqui, qui septem septimanis Christo hospitium parant: postquam vero susceperunt eum, nullam reuerentiam sibi exhibent, imò tot contumelias

contumelias ei inferunt, quòd eum oportet inde exire. Venturo magnam reuerentiam exhibent, præsenti verò, nullam. Vnde Bernardus admirans dicit: Quid minus præsenti, quàm venturo debetur? Quid minus reuerentiæ tempus Resurrectionis exigit, quàm Passionis? Tales etiam, ad modum Iudæorum, Barrabam latronem Filio Dei præponunt, dum Filium Dei à se expellunt, & infernalem latronem introducunt. Expellunt eum, qui eos protegebat, & introducunt eum, qui eos iugulet. Vnde Ioannis decimo: *Fur non veniet, nisi vt furetur, & mactet, & perdat.* Quantum autem displiceat Deo tale peccatum, in-
Psal. 54. nuit. Dominus in Psalm. vbi dicit: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Tu verò homo vnanimis dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. &c.* Et subditur: *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* Et alibi: *Homo pacis meæ in quo speraui, qui edebat panes meos, &c.* Et subditur: *Domine, ressuscita me, & retribuam eis.*

Cap. XIII.

De vitio proprietatis in Religiosis.

Proprietas Religiosorum detestanda.

AD huius peccati detestationem possumus ponere duodecim exempla. Primum est Genes. 19. vbi legitur, quòd vxor Loth post se respiciens, versa est in statuam salis. Vir religiosus tunc post se respicit, quando diuitias huius mundi, quas reliquit, concupiscit. Statua corpus est sine spiritu. Vnde claustralis tunc statua efficitur, quando solo corpore in claustro conuersatur, corde verò in mundo. Statua similitudinem habet hominis, & non est homo: sic talis similitudinem Monachi habet, & Monachus non est. Notabile enim est quòd vxor Loth versa est in statuam salis, quia talis Monachus exemplo suo condit alios, sed sibi vtilis non est. Hoc exemplum reuocat Dominus ad memoriam Lucæ 16. dicens: *Memores estote vxoris Loth.* Ad idem pertinet illud Lucæ 9. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, &c.* Secundum exemplum est Genes. 32. vbi legitur Rachel furatam fuisse idola Laban. Laban, candidatio interpretatur, siue candidus: & significat mundum, qui habet quendam candorem exterius. Rachel verò idola furatur Laban, quando claustralis diuitias huius mundi amplectitur amore. Notabile verò est in hoc exemplo, quòd Iacob tanta pœna iudicauit esse puniendum qui hoc fecisset. Ait enim, *apud quemcunque inueneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris.* Notabiliter etiam diuitiæ, quas claustrales illicitè possident, idola vocantur, & quia inuetiles sunt eis, sicut aurum & argentum idolorum inutilia idololatris: & quia fidem, & spem, & amorem, quæ in solo Deo ponere deberent, in pecunia ponunt. Vnde nec veram fidem, nec veram spem, nec veram charitatem habent. Primùm, patet ex eo quòd ait August. Qui veram fidem habet de Deo, non cepit in his miseriis fieri diues. Non enim plus est mundus, quàm Deus. De spe verò eiusdem potest ostendi: quia dicit Augustinus, quòd de Deo desperare, est spem in creaturis posuisse. Proprietarius fiduciam, quam deberet habere in Deo, ponit in nummo, & dum in diuitiis suis confidit, fallunt eum diuitiæ, & ipse corruit in infernum, iuxta illud Prouer. 11. *Qui confidit in diuitiis, corruet.* Amorem etiam, qui in solo Deo ponendus est, ponunt proprietarii in pecunia. Amant enim pecuniam, plus quàm Deum. Quod patet ex hoc, quòd cùm ipsi non possint simul habere Deum & pecuniam, potius eligunt amittere Deum, quàm pecuniã non habere. Sed illud Deus est vniuscuiusque, quod præ cæteris diligit, sicut prius ostẽsum est. Pecunia igitur propriæ.

tarij deus eius est. Vnde ipse idololatra est. Tertiũ exempl. est Exo. 16. vbi Deus, qui prouisor erat filiorum Iraël, noluit quòd aliquis eorum de manna in manè relinqueret. Qui non audierunt eum, sed reseruauerunt inde: & quod reseruauerunt, computruit. Quorum exemplum est Iosue 7. vbi legitur, quòd cùm prohibuisset Dominus, ne quis acciperet sibi de anathemate Iericho, Achor tamen tulit inde chlamydem coccineam, regulam auream, & ducentos siclos argenti. Iericho, quod interpretatur luna, significat mundum istum, qui mutabilis est ad modum lunæ, qui anathema debet esse viris claustralibus. Sed aliqui sunt, qui anathema istud cum Achor furantur, dum pecuniam sibi prohibitam habere volunt. In illis verò tribus quæ furatus est Achor, tres species proprietatis figurantur. In regula aurea intelligitur proprietas interior: scilicet proprietas sensus & voluntatis. In auro autem propter splendorem, sapientia solet intelligi. Regula verò, quæ à regendo dicitur, benè pertinet ad voluntatem, quæ habet regimen & imperium in homine. In pallio verò coccineo intelligitur conuersatio exterior, habens peccatum. In coccino peccatum intelligitur, sicut & in principio Esaiæ, vbi dicitur: *Si fuerint peccata vestra vt coccinũ, quasi nix dealbatur.* Pallium coccineum furatur claustralis, quando aliquid retinet de exteriori conuersatione seculari, vel in habitu, vel in tonsura, vel in aliquo tali. Notabiliter autem dicitur ibi valdè bonum: multis enim claustralibus videtur valdè bona conuersatio secularis. Hoc est pallium illud, de quo legitur Canticorum 5. *Tulerunt pallium meum custodes mortuorum.* Quinque autem notabilia sunt in isto exemplo. Primum est hoc, quod Dominus dixit filiis Iseraël: *Non ero*, inquit, *vltra vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est.* In quo innuitur, quòd Dominus contra totã vnam Abbatiam iratus est, quandoque propter vnũ proprietariũ, quem tulerant. Vnde omnes qui sunt in tali aliqua religione, deberent persequi illum, quem sciunt proprietarium esse. Secundum verò, vbi legitur: *Anathema in medio tui Israël est: non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te, qui contaminatus est hoc scelere.* In quo verè annuitur, quòd propter illud peccatũ, potestatẽ habet diabolus præcipitandi claustrales in multa alia peccata. Tertium notabile est quòd ea, quæ Achor furatus est, non proficiunt illi: nullum lucrũ inde habuit, nisi peccatum & pœnam peccati. In terra ea abscondit, & cùm moriturus erat, ea manifestauit. Sic proprietarij sæpè aliud lucrum non habent de pecunia sua, nisi quòd custodes sunt, dum viuunt, & in morte manifestãt eam. Quartum notabile etiam est, quod legitur Iosue dixisse ibi: *Quia turbasti eos, exturbet te Dominus in die hac.* In qua innuitur, quòd propter turbationem proprietarij, non debet diminui, quin ei proprium auferatur. Quintum notabile est, quod subditur: *Lapidauitq; eum omnis Iseraël, & cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt.* In igne intelligitur magnus zelus, quem debent habere claustrales contra illud vitium. In lapidibus verò intelliguntur increpationes, quibus lapidandus est proprietarius. Quintum exemplum est de Iuda, qui in congregatione Domini loculos habuit, qui figuram tenet proprietariorum. Notabile verò est in isto exemplo, quòd amor lucri occasio fuit Iudæ tot & tantorum malorum, & tamen paruam, vel nullam vtilitatem inde habuit. Pœnitentia enim ductus retulit 30. argenteos, Matth. 27. nunquam comedit vel bibit inde. Sic proprietarij multa mala committunt, vt pecuniam habeant, quandoque nullam vtilitatẽ inde cõsequũtur. Sext. exempl. est 1. Reg. 15. vbi legitur quòd Dominus prohibuit Saul, ne ex rebus Ama-

Proprietas religiosorũ triplex in Achor figuratur.

lech aliquid concupiſceret, & non obediuit Saul, imò reſeruata ſunt meliora de ouibus & armentis: & adeò offenſus eſt Dominus, vt hac de cauſa regnum abſtulerit Sauli. Septimum exemplum eſt 2. Mach. 12. vbi legitur, quòd Iudas Machabæus venit quadam die, vt tolleret corpora quorundam de ſuis, qui proſtrati fuerant in bello, volens ponere ea in ſepulchris paternis, & inuenerunt ſub tunicis interfectorum denarios idolorum, à quibus lex prohibet Iudæos, & omnibus manifeſtum factum eſt ob hanc cauſam corruiſſe eos. Si enim in talibus, qui profeſſionem non promiſerant Deus morte puniuit hoc, quòd acceperāt denarios ſibi à lege prohibitos: quanta pœna dignum eſt punire peccatum tale in viris perfectis? Octauum exemplum eſt in Anania & Saphira vxore eius, qui fuerunt primi proprietarij in nouo Teſtamento, qui propter peccatum iſtud morte ſubita interfecti ſunt, vt legitur Act. 5. Nouum exemplum eſt in Vitis patrum, de quodam hortulano, qui omnia dabat eleemoſynas, quæ de ſuo labore acquirebat, præter tenuem victum. Tandem ſuggeſtum eſt ei, inſpiratione ſpiritus maligni, vt colligeret aliquam pecuniam, quam, cùm ſenex eſſet, vel ægrotaret, poſſet expendere, & fecit ſic. Cōtigit autem eum infirmari in pede, & expentit quidquid habebat in medicos, & curari non potuit, & tamdem vnus de expertis medicis, dixit, eum non poſſe curari niſi per pedis abſciſſionem. Et cùm die ſequenti medicus allaturus eſſet inſtrumenta, ad pedem abſcindendum, nocte præcedente, hortulanus ille pœnituit de nummis collectis, quòd non dederat pauperibus. Et aſtitit ei ſtatim Angelus Domini, dicens: *Vbi ſunt nummi, quos collegiſti, & vbi eſt pes quem tractaſti?* Qui cùm pœniteret, & miſericordiam peteret, Angelus Domini tetigit pedem eius, & ſanatus eſt. In manè verò medicus veniens, inuenit hortulanum in agro ſanatum, atque operantem, & glorificauit Deum. Decimum exemplum eſt de quodam fratre qui renuncians ſæculo, & ſua dans pauperibus, venit ad Abbatem Antonium, quædam tamen ſibi retinuit, Quòd cùm comperiſſet Antonius, dixit: Si vis Monachus eſſe, vade, Compara tibi carnes, & impone corpori tuo nudo, & veni ſic ad me. Qui cùm hoc feciſſet, tam canes, quàm aues corpus ſuum, propter carnem rapiendam, dentibus & vnguibus dilacerauerunt, & ſic dilaceratus venit ad Antonium. Cui Antonius: Quicunque renuntiauerit ſæculo, & vult adhuc habere pecuniam, ſic à dæmonibus laceratur. Vndecimum exemplum eſt, de quodam fratre, qui reſeruauit ſibi duos aureos. Et cùm in infirmitate, pœnitentia ductus, manifeſtaſſet hoc Gregorio, tamen Gregorius noluit parcere ei, quin & infirmum & mortuum puniret. Subtraxit enim in infirmitate viſitationem fratrum, & poſt mortem, voluit eum multis diebus carere Chriſtiana ſepultura: exemplo ſuo docens Prælatos Eccleſiæ, quantum zelum debeāt habere contra peccatum iſtud. Duodecimum exemplum eſt in vitis Patrum de quodam, qui erat Eremita in Ægypto, cui diabolus oſtendit magnum theſaurum ſub terra, qui fuerat Pharaonis. Cui ipſe reſpondit: Pecunia tua tecum ſit in perditionem. In hoc, quòd diabolus theſaurum illum oſtendebat Eremitæ, ſatis apparet, quantum diabolo placeat viros perfectos habere diuitias, & per conſequens quantum Deo diſpliceat.

De 12. ſtultiys religioſi proprietariy.

SEcundò, poſſunt valere ad deteſtationem huius peccati, duodecim ſtultitiæ, quibus oſtēditur laborare proprietarius. Prima eſt, quod ipſe eſt valdè fatuus mercator. Simile enim eſt homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inuēta autem vna pretioſa mar- Proprietarius religioſus 12. laborat ſtultitijs.

garita, vendit omnia quæ habet, & emit eam. Deinde margarita illam conculcat, & pro nihil dat. Margarita ista, Deus est, pro quo claustralis quidem mundum dedit totum, & etiam seipsum. Quam quasi pro nihilo dat, cum pro aliqua re temporali Deum amittit. Ad cumulum etiam huius stultitiæ accedit, quòd eandem margaritam quotidie non cessat emere: scilicet, ieiuniis, vigiliis, & orationibus; cùm tamen in tali statu nullo pretio possit eam emere. Secunda stultitia est, quòd cùm Dominus eripuerit eum de naufragio huius sæculi, & quasi collocauerit eum in loco tuto, scilicet in naui religionis, ipse furtiuè aliquantulum de mari in naui ponit, in quo ipse submergitur. Vnde accidit ei sicut barbari dixerunt accidisse Paulo, Actorum 28. cùm euasisset de naufragio, & adhæsisset vipera manu eius. *Vtique homicida est homo hic*, dixerunt ipsi, *qui cùm euaserit de mari, vltro non sinit eum viuere.* Tertia stultitia est, quòd cùm ipse iam mortuus sit, tamen timet fame mori. Et cùm solam vitam æternam deberet quærere, à mortuis enim sola vita æterna quæritur, ipse tamen adeò cupidus est, vt cupiditate acquirendi fur efficiatur. Si similis monstro est auaritia, sicut Seneca dicit, quid dicendum est de auaritia mortui? religiosi dicuntur mundo mortui. De morte ista legitur ad Collossenses 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cùm Christo in Deo.* De morte etiam legitur in vitis Patrum, quòd cum quidam senator reliquisset Abbati Arsenio magnam hæreditatem, & delatum fuisset ad eum testamentum, ipse ait, Ego prius mortuus sum, quàm ille; Ipse autem modo mortuus est, quomodo me fecit hæredem? Et remisit testamentum nihil accipiens. Quarta stultitiá est, quòd ipse in loco saluationis sibi facit locum perditionis. Vnde quodam speciali modo potest dici filius perditionis, sicut Iudas, Vnde Dominus: *Nemo ex vobis periyt nisi filius perditionis.* Benè fuit Iudas filius perditionis, qui cum Saluatore & societate in qua soli saluandi erant, solus se perdidit. Quinta stultitia est, quòd videtur habere magnam voluntatem quod furetur, & per consequens quòd suspendatur, qui vendidit sua, & dedit pauperibus, vt in Monasterio furaretur aliena. Sexta stultitia est, quòd ipse locum illum, quem declinant homines scelerati, ne scelera sua ibi committant, ipse intrat, vt ibi malam vitam ducat. Et qui cauebat sibi à furto in sæculo, non timet furari in loco sancto. De quo videtur admirari Dominus Ieremiæ 9. dicens: *Quid est, quod facit dilectus meus in domo mea scelera multa?* Septima stultitia est, quòd cùm Dominus ab eo remouerit iram suam, ipse tamen conatur ad hoc, quòd habeat aliquid de ipsa. Ira Domini effusa est super abundantiam diuitiarum. Vnde legitur Apocalypsis 17. quòd Angelus effudit phialam suam in illud flumen magnum, in Euphratem. A qua ira liberatur, qui mundo renunciat. Sed proprietarius de ira ista vult habere, dum diuitias vult possidere. Vnde Iacobi vltimo dicitur de diuitibus: *Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.* Ibi dicit Gloss. Nescit miser thesaurum iræ cum thesauro pecuniæ pariter cumulari. Octaua stultitia est, quòd ipse aliena colligit, & propria negligit. De his quæ propria esse non possunt, vult facere sibi propria, & iusto Dei iudicio amittit omne proprium. Aliena sunt nobis temporalia ista, sicut ostensum est prius. Quia secundùm Ambrosium non sunt hominis bona, quæ ferre secum non valet. Nec possunt esse propria, cùm sint separabilia quæ dum proprietarius colligit, & sibi appropriare quærit, ipse omne proprium amittit. Primò, amittit proprium Dei, cuius propriũ est misereri & parcere: quia iuxta verbum beati Bernardi Monacho habenti proprium, negabit Dominus proprium

suum. Nec est parua amissio ista, homini peccatori. Secundò amittit seipsum: quia sicut communiter dicitur, & verum est, Monachus habens de proprio obolum, non valet obolum. Tertio amittit bona interiora, quæ proprie possunt dici nostra: sicut ostensum est prius. Quartò amittit bona æterna, quæ propriè possunt dici nostra, quia non possunt homini auferri. Nona stultitia est, quod ipse sua facit preciosiora seipso. Cum enim se Deo dederit, sua tamen dare non vult, cum tamen se dando de iure sua dederit. Vnde non debet se excusare per ignorantiam. Ius enim naturale videtur dictare ei, quod cum ipsum à se alienauerit, nihil proprium habere possit. Proprietarius quod plus est pro eo, quod minus est amittit. Cum enim seipsum Deo dederit, non est ista oblatio Deo accepta, pro illa modica pecunia quam retinet. Ex quo se Deo dedit, ipse deberet prouidentiam sui ei relinquere. Decima stultitia est, quod ipse de scala cœli facit scalam inferni. Imò cum iam multos gradus in scala cœli ascenderit, ipse vult præcipitare se, & quasi saltare in infernum. Scala cæli est crux religionis, de qua scala legitur Genes. 28. quod Iacob, *vidit in sumnis scalam stantem super terram, & cacumen eius tangens cœlum.* Vndecima stultitia est, quod ipse de porta cœli facit sibi portam inferni. Porta cœli religio est. Vnde Genes. 28. *Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli.* Duodecima stultitia est, quod ipse laqueum cupiditatis, in quo tot homines ad infernale patibulum trahuntur, qui iam contritus erat, reparat, & molam asinariam à collo suo amotam iterum sibi alligat. Huius laquei figura fuit laqueus quo Iudas se suspendit. Idem enim quo ad literam in Iuda accidit, qui dum sitiuit lucrum, peruenit ad laqueum, & suspensus crepuit medius, & effusa sunt viscera eius, spiritualiter accidit in proprietario. Amor enim pecuniæ laqueus est, quo occasionaliter suspendetur in inferno. Euisceratur quodammodo, dum proiicit interiora bona, & dum per terrenorum solicitudinem cor eius quasi exit ab eo. Iuxta illud Ecclesiast. 10. *Proiecit enim in vita intima sua.*

De multiplici peruersitate huius peccati proprietatis religiosorum.

TErtiò potest valere ad detestationem huius peccati multiplex peruersitas, quam facit peccatum hoc in Ecclesia Dei. Prima peruersitas est, quia illam partem Ecclesiæ, quæ deberet esse proximior cœlo, facit hoc peccatum adhærere terræ. Illum etiam qui deberet esse stella fixa in firmamento cœli, & lucere hominibus bono exemplo, facit hoc peccatum fixum in limo profundi. Astra cœli viri claustrales sunt. Vnde Iob. 38. *Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Hæ stellæ cadunt de cœlo in terram per peccatum proprietatis, vt videatur esse impletum illud Apocal. 6. *Stellæ cœli ceciderunt super terram.* Hoc peccatum etiam facit, vt in cœlo ecclesiæ quod est religio, in quo deberent esse Angeli Dei, sint talpæ, imò etiam diaboli. Diabolus est, qui malus est, inter bonos. Ioan. 6. *Ego vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est.* Hoc etiam peccatum facit illos, qui aues deberent esse, circa terrena ista repere. Vnde etiam immundi sunt, iuxta illud Deuter. 14. *Omne quod reptat & pinnulas habet, immundum erit.* Proprietarii in claustris sunt velut vespertiliones inter aues. Et sicut vespertiliones in ecclesiis habitant, sic & clerici. Non tamen ad idem. Clerici enim sunt ad Deum glorificandum, sed vespertiliones sunt ibi ad oleum bibendum. Sic proprietarii licet sint cum eis, qui Deum glorificant, ipsi tamen Deum sua mala blasphemant vita. In illis impletur, quod legitur Iob 1. *Quod cum assisterent filij Dei coram Do-*

mino, affuit inter eos etiam satan. Proprietarius inter bonos claustrales est velut satan inter filios Dei.

De multiplici malo, quod est in proprietario.

Proprietarius religiosus multa mala incurrit

QVartò potest valere ad detestationem huius peccati, si mala colligantur simul, quæ sunt in proprietario. Notandum ergo est, quod proprietarius fur est. Vnde domus proprietarij plena iudicio scripturæ est velut spelunca latronum. Et de mera iustitia posset eos Dominus omnes interficere subitanea morte, sicut Ananiam & Saphiram interfecit. Vel posset ignem de cœlo mittere, qui omnes combureret. Nec solum fur est, sed etiam sæpè sacrilegus: quia furtum suum sæpè in loco sacro committit, quia res pauperibus consecratas furatur. Secundum Hieron. pars sacrilegij est, res pauperum non dare pauperibus. Eadem ratione res pauperum furari, sibi sacrilegium erit. Est etiam proprietarius proditor, & in Deum, & proximum. In Deum, quia eum peccando impugnat, quum expensis eius viuat. In proximum qui fratres suos defraudat bonis illis, quæ sibi appropriat. Quartò proprietarius voti transgressor est. Voluntariam enim paupertatem vouit, quam modo à se repellit. Est etiam apostata. Si enim apostata iudicatur, qui habitum deponit, quum paupertas voluntaria magis sit de substantia relegionis, quam habitus, proprietarius potius iudicandus erit apostata, qui voluntariam paupertatem à se expellit. Iudicio etiam scripturæ homicida est: quia ea inutiliter custodit, quæ pauperum deberent esse, & quæ pauperes deberent comedere. Vnde Ecclesi. 24. *Panis egentium vita pauperum, qui defraudat illum homo sanguinis est.* Est etiam proprietarius idololatra: vt ostensum est prius. Et est hypocrita. Sub habitu enim claustrali animum gerit secularē. Extra videtur aureus, intus autem luteus est. Est etiam mendax Spiritui S. Vnde Actor. 5. dixit Petrus Ananiæ: *Cur tentauit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui* S. Et subditur: *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Alia litera habet: Cur impleuit satanas cor tuum? Plenus enim fuit primus proprietarius satana. De iure etiam naturali videtur esse excommunicatus. Quum enim ipse bona sua alijs non communicet, ipse indignus est communicare bonis aliorū. Est etiam maledictus iudicio scripturæ: iuxta illud Iosue 6. *Maledictus vir coram Deo, qui re ædificauerit Iericho.* Frequenter enim indigne conficit vel communicat proprietarius: quod quātum sit peccatum, satis ostensum est prius. Præterea proprietarius peccat in Patrem, peccat in Filium, peccat in Spiritum S. In Patrem peccat dum de sua potentia dubitare videtur. Dum enim timet mori fame, si ea quæ vouit Deo seruauerit, videtur facto dicere illud Psal. *Nunquid & panem poterit nobis dare, aut parare mēsam in deserto?* In Filium peccat, dum sapientiam eius deridet. Iuxta illud Prou. *Stultus deridet disciplinā Fratris sui.* Sapientia Christi fuit paupertatem diuitijs præponere, & molestias delicijs. Vnde ad Hebr. 12. legitur de ipso, quòd *proposito sibi gaudio sustinuit crucē.* Super locum dicit August. Omnia terrena bona contempsit homo Christus, vt contemnenda monstraret. Omnia mala terrena sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat, vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur infelicitas. Et istam sapientiam deridet proprietarius. In Spiritum sanctum peccat, quia qui de bonitate Dei male sentit, dum creditquod si seruierit Deo ad eius voluntatem, ipse debeat permittere eum mori fame. Aliter etiam peccat contra Spiritum sanctum: quia facit contra charitatem, quæ Spiritus sanctus est, & quia mentitur Siritui sancto, sicut ostensum est prius,

Quod religio maxime prosequi debeat hoc vitium.

AD vltimun notandum est, quòd religio maxime deberet persequi vitium istud. Primò, quia detrahit fundamentum religionis, quod est paupertas. Hoc fundamentum posuit filius Dei, quando doctrinam à paupertate inchoauit dicens Matth. 5. *Beati pauperes, &c.* Matrem etiam religionis iugulat & suffocat, quæ similiter est paupertas. Etiam pacem aufert, quæ totum bonum est religiosorum. Vnde super illud, *Pax super Israel*, dicit Glossa: Vno verbo omne bonum dixit. Seneca: Quietissime viuerent homines, si hæc duo pronomina tollerentur, meum & tuum.

Cap. XIV.

De auaritia scientiæ.

VLtimo loco inter species auaritiæ, quæ pertinent ad ministros Ecclesiæ Dei, dicendum est de auaritia scientiæ, quæ videtur deterior esse, quam auaritia pecuniæ. Duodecim vero sunt per quæ potest ostendi, quod valde detestabilis sit auaritia ista. Primum est hoc, quod scriptura in multis locis monet, vt communicemus scientiam nostram aliis. Prouerb. 5. sic legitur: *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Eccles. 11. *Mane semina semen tuum, & in vespere non cesset manus tua.* Et Ecclesiast. 29. *Quod habes in manu, ciba cæteros.* In manu habet homo, quæ opere implet, vel quæ habet ad manum, vel in promptu. Talis enim multo amplius proficeret in docendo, qui bene sciret ea, quæ doceret, & qui ea opere impleret. Secundum est, quod etiam natura & consuetudo idem suadet nobis: quia sol & alia corpora luminosa lumen suum omnibus communicant, quantum virtus eorum se extendit, nisi aliqua re interposita prohibeantur. Consuetudo etiam habet vt homines adinuicem lumen gratis communicent. Inauditum est lumen exhiberi venale. Et miser valde reputaretur, qui lumen candelæ suæ candelis aliorum nollet communicare. Cui similis est ille, qui lumen sapientiæ non vult aliis communicare. Tertium est, quod ille qui scientiam habet, potest esse largus de ea absque suo detrimento: qui diuitias terrenas habet, non est mirum si non largus est de eis, quia eas largiri non potest, nisi eas desinat possidere. Vnde Boetius in lib. de consol. O angustas inopesque diuitias, quas nec habere totas pluribus licet, & ad quemlibet sine cæterorum paupertate non veniunt. In hoc habent præeminentiam spirituales diuitiæ, quòd in largitate non minuuntur, quum corporales vel imminuantur, vel omnino desinant haberi. Hoc etiam vnum est, in quo attenditur similitudo spiritus nostri ad Deum: quia sicut ille bona sua largitur absque perditione vel detrimento: ita spiritus noster bona sua communicat absque detrimento. Est etiam quoddam bonum spirituale, scilicet summum bonum, quod potest simul totum à multis haberi. Et quanto plus habent, tanto ab eis melius habetur. Quartum est hoc, quod dum scientia datur, non solum non amittitur, imò etiam augetur, radicatur, & melioratur. Vnde Sapiens: Scientia distributa recipit incrementum, & auarum dedignatur possessorem, nisi publicetur elabitur. Et August. in lib. de Doctr. Christ. Omnis res, quæ dando non deficit, dum habetur & non datur, nondum habetur quomodo habenda est. Quintum est hoc, quod eleemosyna de ipsa facta valde pretiosa est, valde necessaria Deo & proximo. Vnde sicut valde miser reputandus esset ille, qui in tempore in quo est magna caritas & fames, haberet thesaurum, qui diminui non posset, sed ex largitione semper cresceret, si pauperes permitteret mori fa-

me & eis non subueniret: sic valde miser est qui de scientia sua auarus est. Quam pretiosum donum sit scientia vel verbum diuinum, innuitur Zach. 9. vbi dicitur. *Quid est bonum eius, & quid est pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* Frumentum electorum dicitur frumentum verbi diuini, quo electi ad regnum æternum vescuntur. Vnde quasi cibus regius est. Frumento materiali amplius vescuntur reprobi, quàm electi. Frumentum autem vocatur illa pars scripturæ, quæ propter sui difficultatem fractione indiget: vinum autem germinans virgines, dicitur verbum diuinum, quod virginales & castas generat affectiones. Et dicitur hoc ad differentiã vini materialis, quod luxuriosas reddit mentes. Vnde Prouer. 20. *Luxuriosa res est vinum.* Quam vtilis sit eleemosyna ista proximo, insinuat Seneca, dicens: Non minus pium est docere animæ scientiam, quã corpori dare escam. Et August. Non est magnum pascere ventres morituros, sed magnum est pascere animas in æternũ victuras. Et Gregor. Maius miraculum est verbo consolationis peccatorem conuertere, quàm carnem mortuam suscitare. Deo etiam honorificum est. Vnde Tob. 13. *Opera Dei reuelare honorificum est.* Sextum est, quod ille qui largus est de scientia, benedicitur ab hominibus. Vnde Ecclesiast. 31. *Splendidum in panibus benedicent labia iustorum.* Et in futuro benedicetur à Deo, quum dicetur ei: *Euge serue bone & fidelis, &c.* Matth. 25. Septimum est hoc, quod scientia quæ est in homine auaro, est quasi perdita. Vnde Eccles. 41. *Sapientia ascondita & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque?* Et Hieron. Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulchro. Item Ecclesiast. 20. *Melior est qui abscondit stultitiam suam, quàm qui abscondit sapientiam suam.* Vnde bene dicitur sapientiam melius esse perditam in auaro, quam pecuniam: quia pecuniam potest auarus in morte pauperibus erogare, quod de scientia tunc fieri non potest. Octauum est hoc, quod non solum inutilis est scientia in homine auaro, imò etiam noxia est ei. Scaturit enim vermibus sicut legitur Exod. 16. *Vnus vermis procedens ex scientia.* Vnde Apostolus 1. ad Corint. 8. *Scientia inflat.* Aliis est inuidia, aliis indignatio. Vnde Ecclesiast. 1. *In multa sapientia multa indignatio, & qui addit scientiam, addit dolorem.* Nonum est, quod ad literam interdum auarus amittit in præsenti scientiam suam. Vnde Matthæi 25. *Omni habenti dabitur, & abundabit: & ei qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* Super quem locum dicit Gloss. Habenti studium verbi erogandi, dabitur gratia super gratiam. Et alia Gloss. Multi naturaliter sapiẽtes, & acuti, si sunt desides perdunt bonum. Et in eodem cap. iubet Dominus talentum tolli, & dari ei qui habet decem talenta. Decimum est quod talis odibilis est hominibus. Vnde Prouerb. 21. *Qui abscondit frumenta in tempore necessitatis, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium.* Vndecimum est, quod iniuriosus est proximo. Vnde Bernard. Rem profecto proximi retines, si donis scientiæ & eloquentiæ adornatus, verbum bonum quod posset prodesse multis, inutili, imò damnabili silentio ligas. Certè maledictus qui frumenta abscondit in populis. Duodecimum est, quod ipse est valde damnosus Deo. Quia sicut beatus Bernard. modica sementis detractio, non modicum est messis detrimentum. Vnde sicut agricolis facit maius damnum ille, qui furatur semen eorum, quàm si aliam rem furaretur, quia non solum aufert eis semen, sed etiam & fructum, qui debuit exire à semine: sic multum damnificat Deum, qui semen diuini Verbi, quod seminare debuit, inutiliter ascondit.

De

De predicatoribus sibi solum viuere eligentibus.

ET nota, quod illi qui officio prædicationis idonei esse possunt, & tamen sibi solum viuere eligunt, licet ex bona intentione faciant & timore Dei, scilicet, vt cum puriori conscientia Deo viuant, multum timendum videtur esse, eo quod ille seruus qui pecuniam sibi commissam abscondit in sudario, vocatus est à Domino seruus nequam. In sudario puritas conscientiæ intelligitur. In sudario ergo talentum abscondit, qui amore puritatis conscientiæ, officium prædicationis deserit. Et dicit Gloss. super illum locum: in sudario pecuniam reponit, qui ad prædicandum idoneus, officium prædicationis suscipere renuit, vel susceptum non bene gerit. Ad idem pertinet, quod dicit Gregor. Qui scientia & virtute præditi secessum speculationis appetunt, tot animarum rei sunt quot animabus in publicum prodeundo prodesse potuerunt. Tales vt quidam dixit, ligant sibi pedes & manus, ne Deus possit ex eis se iuuare. Vnde timere possunt illud Matth. 23. *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Et Matth. 25. *Inutilem seruum eiicite in tenebras, &c. Iracundiam enim inutilis sustinebit*, vt legitur Prouerb. 14. Ista tamen ex illo intelligenda non sunt, qui tantæ infirmitatis est, quod non videt salutem suã in mundo. Ad quod videtur pertinere illud quod dicit Dominus: *Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, & detrimentum sui faciat?* Marc. 8.

Cap. XV.

De peccato lusorum, & de his quæ faciunt ad eius detestationem.

VLtimo loco inter species auaritiæ dicemus de peccato lusorum, quia frequenter in lusoribus est peccatum cupiditatis vel auaritiæ. Et primò ponemus ea, quæ possunt facere ad detestationem huius peccati, deinde aliquid tangemus de his, qui miscent se lusoribus, & de his qui locant eis necessaria ad ludum, & de his qui permittunt eos ludere in domibus suis. Quinque vero sunt, quæ possunt facere ad detestationem huius peccati.

De XVI. peccatis, quæ circa ludum accidere possunt.

PRimò potest facere ad hoc multitudo & magnitudo peccatorum, quæ in ludo accidunt. Possunt vero ibi accidere xvj peccata. Primum est cupiditas, quæ est radix omnium malorum. Nec est ibi quæcunque cupiditas, sed rapina. Vult enim spoliare proximum suum rebus ipsius. Secundum peccatum est proditio: vult enim spoliare illum cum quo comedit & bibit. Tertium est immisericordia. Vellet enim spoliare ipsum si posset camisia & brachiis: quod non faceret vnus de latronibus illis, qui spoliant peregrinos in nemoribus. Quartum peccatum est, vsura valde magna: scilicet xj. pro xij. non in anno vel in mense, sed in eadem die. Quintum peccatum est, affeictio Dei patris: scilicet quem ibi crucifigit ille qui amittit, blasphemando & laniando eum. Sextum peccatum est, contemptus Ecclesiæ, eius præceptum contemnit. Ad ista duo peccata vltima potest referri illud, quod legitur Prouerb. 19. *Qui affligit patrem, & fugit matrem, ignominiosus erit & infelix.* Ignominia ista vel infelicitas satis manifestè videtur in lusoribus. Contra lusores in can. Apo. sic habetur: *Episcopus aut Presbyter & Diaconus aleæ aut ebrietati deseruiẽs aut desinat, aut certè damnetur. Subdiaconus aut lector, aut cantor similia faciens, aut desinat aut communione priuetur. Similiter & laicus.* Septimum peccatum est, scandalũ proximi. Corrumpunt autem multi, qui

ad ludum incipiendum conueniunt. Octauum est, omissio bonorum, quæ deberet facere lusor tempore illo. Nouum est, peccatum periurij. Sæpe enim iurat lusor, dicens se lucratum fuisse, quum in veritate perdiderit, Decimum peccatum est, fraudis. Sæpe enim vnus defraudat alium ibi. Vndecimum est, peccatum iræ. Duodecimum peccatum est, conuitiationis. Tertium decimum peccatum est, verberis. Decimum quartum peccatum est, fractio solemnitatum. In præcipuis enim solemnitatibus præcipue cōmittunt lusores peccatum suum, non attendentes, quod legitur Num. 15. de illo qui collegerat ligna in Sabbato: *Moriatur homo ille,* ait Dominus, *lapidibus obruat eum omnis turba.* Constat quod peius est cum blasphemijs & periurijs ludere, quàm in sabbato ligna colligere. Decimum quintum est, homicidium. Inderdū enim vnus lusor pro obolo interficit alium. Decimum sextum est, idololatria. Lusor enim ludum Deum suum facit, cum ludum Deo in amore suo præponit. Hoc enim ab homine colitur, quod præ cæteris diligit: vt dicit Glossa super illud Apost. Philip. 3. *Quorū Deus venter est.* Præterea ipse subijcit se iurisdictioni taxillorum, vt quod illi dicunt ipse faciat. Et sicuti Deus dedit xxj. literas cultoribus suis, quibus tota scriptura est scripta, per quam voluntas Dei fidelibus indicatur: sic taxillus habet xxj. puncta, quibus lusor cognoscit voluntatem Dei sui: Diabolus enim quasi simia est Domini,

Quod transgreßio totius Decalogi in ludo accedere poßit.

PRæterea, potest accidere in ludo trāgressio omnium mandatorum Decalogi. Primum mandatum lusor transgreditur, quando Deum negat & idololatrat. Primum enim mandatum est. *Non habebis deos alienos coram me.* Secundum mandatum transgreditur, quando inutiliter vel falso iurat. Secundū enim mandatum est, *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Nomen Dei sui in vanum assumit, qui per nomen Dei iurat pro falso vel pro nihilo. Tertium mandatum est, *Memēto vt diem sabbati sanctifices.* Quod mandatum lusor transgreditur, dum diebus solemnibus in ludo Deum blasphemat. Quomodo autem transgressio aliorum mandatorum ibi accidat: de facili potest vederi, excepto hoc, *Non mæchaberis.* Sed in veritate illud mandatum spiritualiter transgreditur, Deum dum negat. Infelicitas enim spiritualis est fornicatio, secundum iudicium scripturæ. Secundò potest facere ad detestationem huius peccati, multiplex malum, quod ex ludo sequitur. Sequitur enim inde ira parentum ipsius lusoris, si ipse est filiusfamilias. Si vero est paterfamilias, sequitur inde ira vxoris & totius familiæ, & interdum etiā verbera. Remanent etiam quandoque odia inter lusores. Sequitur etiam & quandoque exhæredatio & filiarum prostitutio. Sequitur etiam interdum furtum: qui enim calefactus est de ludo, furatur etiam super altare si posset. Furtum vero sequtiur suspendium quandoque.

De duodecim stultitijs lusorum.

TErtiò faciunt ad detestationem huius peccati duodecim stultiæ, quę possūt assignare in lusoribus. Prima stultitia est, quod lusor vilissimæ seruituti se subiicit, dum taxillum Dominum suum constituit, ad hoc adstringens se, vt faciat quod ipse iusserit. Si videas, ait Seneca, murem velle dominari alij muri, nunquid risum teneas? Quanto magis ridiculum est, quando os caninum quod minoris valoris est, cominus homini dominetur? Secūda stultitia est, quod ipse ad præceptū taxillorum largitur, quod non largiretur ad præceptum Dei. ipse largior est ad præceptum taxillorū, quā

fuerit beatus Martinus ad præceptum Domini. Ipſe enim dat non ſolum medietatem pallij, ſed etiam totum pallium, & interdum tunicam & camiſiam, & nudus ſequitur Dominum ſuum nudum, ſcilicet diabolum. Etiam ea quæ non habet, dat ipſe. Multa enim accipit ad vſuras vel furatur. Tertia ſtultitia eſt, quod poſtquam cogitauit malitiam Domini ſui, quum ipſe deberet abnegare ipſum & quæ illius ſunt, ipſe potius verum Deum negat, qui nihil ei nocuit, ſed omnia bona ei fecit, & ſe vendicat de eo, qui abſque culpa eſt. Quarta ſtultitia eſt, quod ipſe voluntariè iuriſdictioni illius ſe ſubijcit, qui nunquam iuſte iudicare nouit. Taxillus enim tribuit alteri illorum luſorum, quod eius non eſt. Quinta ſtultitia eſt, quod delectationem quæ eſt in contactione trium oſſium canonicorum, diuinæ gloriæ præponit: quod non ſolum ſtultitia eſt, ſed etiam inſania vedetur eſſe. Sexta ſtultitia eſt, quod ipſe otioſus ſit otioſa agit. Vnde Bernar. Pro vitando otio otia ſectari, ridiculum eſt Septima ſtultitia luſoris eſt, quod ipſe conſentit vt hoſtis ipſius furetur ei pretioſiorem rem quam habet vel vnam de pretioſioribus, ſcilicet tempus. Furemur, aiunt luſores, tempus non attendentes temporis pretioſitatem. Nihl eſt enim pretioſius tempore, ſicut dicit beatus Bernard. Donec hora prætereat, inquit, verbum irreuocabile tranſit tempus non reuocabile, quod tibi conceſſum eſt ad impetrandum veniam & gratiam, & agendam pœnitentiam & promerendam gloriam. Dominus enim dicit, *quod ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret &c.* Sed luſor affectat vt fur veniat, qui furetur ei vitam ſuam. Octaua ſtultitia eſt, quod ipſe proprijs manibus ſe conſumit & perdit, quem Filius Dei manibus cruci affixis redemit. Vnde beatus Bernard. loquens in perſona Domini ad talem, dixit: Ego acquiſiui te in manibus cruci affixis, & tu conſumis te manibus delicijs dedicatis. Et eſt magna ingratitudo, quod homo impugnet eum in ea parte corporis ſui, in qua Dominus pro amore ipſius tantum dolorem ſuſtinuit. Nona ſtultitia eſt, quod ipſe ludit, in curia cœleſtis iudicis, lata eſt contra ipſum ſententia mortis. Vnde Bernard. Ludebam ego fortis in platea, & in ſecreto regalis cubiculi ſuper me ferebatur iudicium mortis. Similis ſtultitia fuit in Ieroſolymitis qui in lætitia erant, non præuidentes mortem ſuam, cui adiudicati iam erant propter peccata ſua. Quam mortem Deus fleuit: vt legitur Lucæ 19. *Luſor ludendo currit ad mortem ſuam.* Vnde Iob 12. *Infantes eorum exultant luſibus.* Et deinde ſubditur: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Secundum Auguſtinum nihil aliud eſt tempus præſentis vitæ, quàm curſus ad mortem, in quo nemo vel paululum ſtare, vel tardius ire permittitur: ſed omnes pari motu vrgentur. Vnde quicunque ludit, ludendo ad mortem ſuam vadit, & diabolus de eo quaſi de fatuo ſeruo ludum facit: & quicunque ibi perdat, diabolus ibi non perdit. Decima ſtultitia eſt, quod luſor quando poſſet facere aliquid ad propriam vtilitatem, & proximi ædificationem & Dei honorem, ipſe facit quod eſt ſibi damnoſum, & proximo ſcandaloſum, & Deo contumelioſum. Vere ſeruus nequam & maledictus, ſi cum venerit Dominus eius, inuenerit eum ſic facientem. De tali ſeruo legitur Matt. 24. *Si dixerit malus ille ſeruus in corde ſuo, Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conſeruos ſuos; manducet autem & bibat cum ebrioſis, veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & in hora qua ignorat.* Morte enim ſubitanea ſæpè moriutur tale. Vndecima ſtultitia eſt, quod cum puer non ſit, puerilibus tamen gaudet. Sen. Plerumque eſt cum pueritia: ſed quod grauius eſt puerilitas remanet ibi: ſed & hoc quidem peius eſt, quod

authoritatem habemus senum & vitia puerorum: nec puerorum tantum, sed etiam infantium. Dubium non est puerilitatem magnam esse, exercitium militibus & peditibus ligneis fingere. Quæ puerilitas hodie in multis senibus reperitur, quod est quasi quædam infantia: vt ludere par & impar, equitare in arundine longa: sed quem delectat barbatum insania vexat. Duodecima stultitia est, quod nullum opus credunt habere aliquid iocunditatis, nisi tale sit, quod nihil habeat vtilitatis, quod magnæ corruptionis indicium est. Salomon Prouerb. 15. *Stultitia gaudium est stulto.* Seneca: Fundamentum bonæ mẽtis est non gaudere vanis. Ad summum peruenit, qui scit quo gaudeat. Nec solum vanis gaudent multi homines, imò etiam in his, quæ diabolica sunt, vt patet in his, qui in auibus cœli ludunt, qui gaudent quando vident vnam auiculam ab alia capi vel interfici. Qui satis dissimiles sunt beato Martino, qui quum vidisset mergulos in quodam flumine captioni piscium intendentes, dixit: Forma ista dæmonum est. Et cum non posset hoc tolerare, iussit mergulos inde auolare. De beato Benedicto etiam dicitur, quod si ipse videbat accipitrem insequi aliam auem, ipse faciebat signum crucis post auem, & capi non poterat. Idem faciebat quando videbat canem insequi aliam feram, ipse habebat cor humanum, non ferreum sicut multi habent. Quarto potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quod quocunque vertat lusor oculos cordis, ipse potest inuenire, quod sibi peccatum suum dissuadeat. Si ipse vertat oculos suos ad id, quod supra se est, occurrit seueritas Domini seruum inutilem æternaliter condemnans. Vnde Matth. 25. *Inutilem seruum eiicere in tenebras exteriores.* Quomodo ludere audet seruus, qui tam seuerum Dominum habet; Occurrit etiam liberalitas domini seruos fideliter laborantes abundantissime remunerans, quasi vtraque manu plena. Vnde Prouerb. 3. *Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra eius diuitiæ & gloria.* Similiter lusor vertat oculos suos ad ea quæ sunt contra se, scilicet ad vitia & dæmones, occurrit ei quod sibi ludum dissuadet. Non enim locus ludendi est, quũ gladium tenet hostis, vt eum perimat. Vnde Seneca: Quum hostis à tergo instat & mouere se iussus est miser, necessitas excutit quidquid pax otiosa collegit. Idem: Demens quasi merito videretur, qui cum saxa in munimentum senes fœminæque congererent, cum iuuentus intra portas armata expectaret, sederet otiosus. Similiter si lusor vertat oculos ad id quod est iuxta se, scilicet ad proximum, occurrunt ei multiplices miseriæ ludum sibi dissuadent. Vnde Sen. Quid lusoria cõponis? Non est iocandi locus, ad miseros aduocatus es, opem te laturum naufragis, ægris, egentibus pollicitus es: quò diuertis? quid agis? succurre. Omnes vndique ad te manus tendunt, perditæ vitæ perituræque auxilium implorant loquitur Seneca ad sapientes, qui de lege nuturali astricti sunt ad subueniendũ illis, qui in periculo sunt. Specialiter tamen potest hoc verbum dici illis, qui curam animarum susceperunt. Illis enim naufragis auxilium promiserunt. Vnde mirum est quomodo non remordet eos conscientia, quum eis differunt subuenire. Si enim aliquis promisisset se subuenturum alicui, qui cecidisset in Rhodanum, & hac de causa conductus esset, multũ remorderet eum conscientia sua, si ei differret subuenire quem in tanto periculo sciret esse. Quomodo ergo non remordet eum conscientia, qui non subuenit ei, quem scit esse in periculo longè maiore? Similiter si lusor vertat oculos ad id quod est infra se, id est, ad inferiores creaturas, potest ei occurrere, quod sibi dissuadet peccatum suum. Nullus elegit seminare

agrum suum potius inutilibus, quàm vtilibus: quanta ergo fatuitas est seipsum serere inutilibus occupationibus, vel noxijs, quum tot occupationes inueniri possint vtiles corpori & animæ? Quintò, potest facere ad detestationem huius peccati hoc, quòd Dominus etiam in presenti vindictam interdum accipit de lusoribus. Quandoque enim, dum ipsi blasphemant, præposterantur eis facies. Cuidam etiam militi, dum occasione ludi per oculos Dei iuraret, proprius oculus à capite exilijt, & in alearium cecidit. Quidam etiam sagittarius, quum valdè iratus esset, ex hoc, quòd in ludo perdidisset, sagittam direxit versus cælum, quasi vellet se vindicare de Deo. Sequenti verò die, quum idem sagittarius eadem hora sederet ad ludum, redijt sagitta, & super alearium cecidit sanguinolenta.

De his, qua lusoribus immiscent, & qui eis necessaria locant, & in quorum domibus luditur.

NEc solùm cauere debet aliquis, ne ipse ludat, sed etiam, ne ludentibus se immisceat. Sicut enim sedentes ad ignem calefiunt: sic qui stant ad ludum, causa spectandi, de ludo calefiunt. Vnde legitur Tobiæ 3. *Nunquam cum ludentibus miscui me, nec cum his, qui in ciuitate ambulãt, participem me præbui.* Caue re etiam debet homo, ne locet taxillos, vel alia ad ludum necessaria. Sicut enim valdè malus reputaretur, qui alicui scelerato gladium locaret. Vnde aliquem sanctum virum interficere deberet,: sic valdè malus reputatur, qui locat taxillos, si credat eorum occasione, Deum esse blasphemandum, & quasi crucifigendum. Illi etiam non videntur omninò esse innocentes, qui in domibus proprijs permittunt inferri Domino suo contumelias infinitas, & non prohibent cùm tamen possint prohibere.

PARS III.

De his quæ dant occasionem auaritiæ.

DIcto de speciebus auaritiæ, dicendum est de his, quæ dant occasionem auaritiæ, quæ sunt sex. Primum est familiaritas cupidorum & auarorum. Sicut enim carbones viui carbonem mortuum accendunt, si eis immisceatur, sic diuites verbis & exemplis, igne cupiditatis, igniti familiares suos inflammant ad eam. Vnde Ecclesiastici 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo, induit superbiam.* Et subditur: *Ditiori te ne socius fueris.* Ad idem facit quod dicit Seneca, Vnum exemplum auaritiæ vel luxuriæ multùm mali facit. Vicinus diues cupiditatem irritat. Secundum est, consideratio diuitiarum. Ideò dicitur Prouerbiorum 23. *Ne erigas oculos ad opes, quas habere non potes.* Tertium, quód homo attendit in diuitiis illa solùm, per quæ possunt videri pretiosa: ea verò, per quæ in veritate contemptibiles sunt, non attendit, sicut fugacitatem earum, & similia. Vnde Gregorius. Ideo temporalia diligunt, quia quam fugitiua sint, non attendunt. Quartum, est amor mundanæ gloriæ. Vnde talibus, qui diuitias amant; quia vident gloriam mundanam eis ànexam, primò prædicandum esset de contemptu mundanæ gloriæ, quàm de contemptu diuitiarum. Securis enim prædicationis ad radicem malitiæ ponenda est. Quintum, est amor filiorum. Talibus, qui diuitias amant, propter amorem filiorum, ostendendum esset in prædicatione, quòd hoc non sit amare filium, sed potius odire, diuitias ei malè congregare. Ostedendum etiam esset in prædicatione, quàm duri sint filij parentibus defunctis. Ad ostendendum verò, quòd non sit amor, sed potius

odium filijs male congregata relinquere, potest induci tale exemplum. Erat quidam vsurarius habens duos filios, quorum alter nolens succedere patri in male acquisitis, factus est Eremita. Alius verò, volens succedere patri suo, remansit cum patre suo. Et mortuo patre, ei successit. Et post non multũ tempus ipse etiã decessit. Cùm autem nunciatum esset Eremitæ de morte patris & fratris, doluit valdè, credens eos damnatos esse. Et cùm rogasset Dominum, vt reuelaret ei statum eorum, raptus est, & in infernum ductus, & non inueniebat ibi eos. Sed ad vltimum exierunt de quodam puteo in flamma, primò, pater, deinde filius, mordentes se, & litigantes ad inuicem, patre dicente filio: Maledictus sis tu, quia pro te vsarius fui: filius autem è contratio dicebat: imò maledictus sis tu, quia nisi iniustè acquisiuisses, ego non retinuissem iniustè, nec damnatus fuissem. Sextum est hoc, quod homo sibi longam vitam promitit. De qua promissione dicitur Ecclef. 29. *Repromissio nequißima, multos perdidit.* Talis erat ille, cui dixit Dominus: *Stulte, hac nocte animam tuam repetam à te.*

Pars IIII.

De remedijs contra auaritiam.

Octo remedia contra auaritiam

Dicto de his, quæ dant occationem auaritiæ, dicendum est de remedijs contra auaritiam. De quibus sufficiat ponere octo. Primum est, mortis consideratio. Hoc remedium insinuat Hier. in magno prologo Bibliæ, in fine dicens: Facilè contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum. Sicut iumenta se defendunt ab importunitate muscarum, cauda sua, & aues, & pisces, cauda sua regunt se: Sic homo consideratione finis, scilicet mortis, defendit se ab auaritia, & etiam à cæteris vitijs, & tegit se in mundo isto. Vnde Iob. 12. *Interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cæli & indicabunt tibi.* Mors, quasi ad oculum, demonstrat contemptibilia esse quæcunque quæruntur in hoc mundo: scilicet delitias, diuitias, & gloriam, & vanum esse laborem eorum, qui talibus intendunt. Labor quærentium diuitias vnus ostenditur, quum homo nudus in terram reuertitur. Labor quærentium delicias vanus ostenditur, quando corpus nutritum in delicijs, vermibus esca datur. Tunc enim apparet eos, quasi coquos vermium fuisse, qui delicatè vixerunt: escam enim vermibus præparauerunt. Mira insania! Erubesceret aliquis & indignaretur coquus esse vnius comitis, & non dedignatur esse coquus vermium. Labor etiam eorum, qui quærunt esse super alios, vanus ostenditur, quando ille qui volebat esse super alios, sub terra ponitur, & à iumentis conculcatur. Ad hoc potest referri illud quod legitur, Ecclesiast, 11. *Homo meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum: qui cum venerint vanitatis arguuntur præterita.* Secundum remedium est consideratio Dominicæ paupertatis. Vnde Bern. Magna siquidem est abusio & nimis magna, quòd diues velit fieri vermiculus vilis pro quo Deus maiestatis & Dominus Sabaoth pauper fieri voluit, & Thren. 3. *Recordare paupertatis meæ, & transgreßionis absynthij & fellis.* Tertium remedium est consideratio periculi in quo sumus. Et insinuatur nobis illud remedium Iob. 26. vbi sic legitur: *Quasi tumentes super me fluctus timui Deũ & pondus eius ferre non potui*: vbi dicit Gregor. Cùm fluctus tumentes desuper eminent, tunc de naui proiciunt, pro quibus longa naufragia sumpserunt. Ad idem potest referri illud quod legitur 1. Mach. 4. *Non concupiscetis spolia quia bellum contra nos est.* Ad literam, quando periculosum bellum imminet, interdicitur exercitui, ne spolijs inten-

dat: & si spolijs iam oneratus est, iubetur ea deponere, sic periculum in quo sumus debet cohibere nos, ne diuitijs nos oneremus, Si verò iam habemus eas, monere debet nos ad hoc, vt eas relinquamus. Quartum remedium, est consideratio miseriæ, quæ annexa est deliciis, sicut diffusè ostensum est prius. De qua miseria dicit B. Bernard. Si habes cor, si est tibi lumen oculorum tuorum, desine ea sequi, quæ assequi miserum est. Quintum remedium est, quod homo elonget se à cupidis & auaris, & familiaris sit illis, qui terrena contemnunt. Vnde in Psalm. *Cum sancto sanctus eris, &c.* Sanctus in Græco dicitur agios, quasi sine terra: vnde sensus est, id est, cum eo, qui absque terreneitate est, absque terreneitate eris. Sic accidit ei, qui conseruatur cum auaro, sicut dicitur accidisse cuidam paruulo, qui à lupa nutritus est, qui alium modum gradiendi addiscere ab ea non potuit, quam ipsa habebat: vnde duabus manibus, pro pedibus, vtebatur. Sic ille, qui cũ auaro conuersatur, exemplo eius circa terrena ista repet. Ille verò, qui conuersatur cum illis, qui terrena contemnunt, erectùs incedet, cõtemptisq; terrenis, cælestia appetet. Sextum remediũ est, consideratio æternarum diuitiarũ. Vnde Greg. Vilescunt temporalia, cùm desiderãtur æterna. Et Prou. 1. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* vbi dicit interlin. Laqueum in terra facilè euadit, qui oculos habet in cælis. Ad idem pertinet quod ait Senec. Non potest contemnere laquearia ebore fulgentia, deriuata in domos flumina, donec terrarum orbem supernè despiciens, sibi ipsi dixit. Hoc est punctum illud, quod inter gentes ferro & igne diuiditur. Cùm in corporibus sphæricis, illud quod est in medio, se habeat velut punctum, respectu circũferientiæ: terra se habet velut punctum, respectu cæli. Ex quo patet fatuitas amatorum huius mundi, qui quærunt in puncto latitudinem, quæ in circumferentia quærenda est. Vnde Augustinus. Noli pati angustias, euola in suplime, in amplitudine cælorum. Cùm terra centrum mundi sit, ex necessitate angusta est, respectu circunferentiæ. Vnde didit Seneca amatoribus huius mundi: Punctum est illud in quo nauigatis, bellatis, regnatis. Idem, Ab vltimis littoribus Hispaniæ vsque ad Indos, paucissimorum dierum spatium iacet, si nauem ferat ventus. At cælestis illa regio, per triginta annos velocissimo syderi viam præstat. Ex angustia terræ accidit pressura illa, de qua dicit Dominus Ioan. 15. *In mundo pressuram habebitis.* Septimum remedium est, quòd homo fiduciam suam in Deo ponat, quòd Deus ei necessaria præbebit, si ipse ei seruierit, secundùm quòd Dominus sciet ei expedire. Vnde Matt. 7. post illud verbum: *Non potestis Deo seruire, & mammonæ*, subiungit Dominus: *Ideò dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ, quid mãducetis, neque corpori vestro, quid induamini.* Deinde monet ad hoc, vt in eo fiducia ponatur. Mommona Syra lingua interpretatur diuitiæ. Dicitur etiam hoc nomẽ esse dæmoni, qui præest diuitiis. Octauum, & vltimum, & summũ remedium est quòd homo eleemosynis, & orationibus, & omnibus aliis modis, quibus poterit gratiam Dei sibi impetret, quæ sola sufficit hominem liberare à laqueis cupiditatis & auaritiæ. Vnde Matth. 19. cùm dixisset Dominus: *difficile diues intrabit in regnum cælorum*, & discipuli admirarentur dicentes: *Quis poterit saluus esse?* Respondit Dominus, *Apud homines impossibile est.* Et supplet interlin. vt per se à cupititatibus suis conuertantur. Ideò valdè timendũ est cupiditatis peccatum, vel auaritia, quæ cum tanta difficultate hominem dimitit. Sicut terra quandam stabilita etiam videtur habere quam non habet aqua & aër, iuxta illud Eccl. 1. *Terra in æternum stat:* sic peccatum auaritiæ, quod est peccatum terrenum, diuturnius

uidetur esse peccato vanitatis & voluptatis. Et fortè propter hanc diuturnitatem dicit Isidorus de hoc peccato: Omni genere peccatorum peior est auaritia.

PARS QVINTA, QVÆ habet quatuor Capitula.

De Prodigalitate, quæ est vitium contrarium Auaritiæ.

CAPVT I.

De Ordine dicendorum in ista parte: & de distinctione prodigalitatis à liberalitate.

Largitatis & prodegalitatis differentia

POst remedia auaritiæ, dicendum est de prodigalitate, quæ est vitiũ contrarium auaritiæ; de quo hoc ordine dicemus. Primò, distinguemus prodigalitatem à largitate. Secundò, ostendemus quæ mala ex prodigalitate proueniunt. Tertiò, assignabimus quasdam stultitias prodigi. Vltimò, tangemus aliquid, specialiter de prodigalitate clericorum. Quadrupliciter verò possumus distinguere prodigalitatem à largitate.

Primò, in hoc, quòd prodigus sua non confert, sed ventus vanitatis ei aufert. Sicut aliquis non diciturlargus, si ventus pallium suum ei auferat. Nec arbores liberales dicuntur, si ventus ab eis fructum excutiat: Sic nec prodigus, largus dicendus est, vel liberalis, cui inuito, vel nolenti frequenter ventus aufert sua, eo quòd stultas manus habeat, sicut accidit in illis, qui ex frigore dicuntur stultas manus habere. Secundò, possumus in hoc prodigum à largo distinguere: quia prodigus sua non tribuit, sed perdit. In tribus casibus videtur aliquis rem suam velle perdere. Primò, cùm liquorem vasi pleno superinfundit. Secundò, cum in vase corrupto vel immundo ponit. Tertiò, cum dat pro nihilo. De his tribus modis possumus dicere, quòd perdit prodigus sua. Quasi enim ea pleno vasi infundit, quando dat ea diuitibus. Vnde Prosper in libro de vita contemplatiua: Habentibus dare, nihil illud est, quàm perdere. Ideò monet Dominus Luc. 14. ad dandum pauperibus, dicẽs: *Cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, & claudos, &c.* Idem in eodem: *Pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc.* Et Luc. 1. dicit B. Virgo, Dominum esurientes impleuisse bonis, & Dauid etiam dicit in Psalm. *Pauperes eius saturabo panibus.* & 4. Reg. 4. legitur, quòd stetit oleum, cùm vasa plena essent. Sed quorumdam oleum tunc solùm fluit, quando vasa plena sunt: vasis autem vacuis, stat: diuitibus autem parati sunt dare, pauperibus verò, non. Prodigus etiam, quasi vasi corrupto, sua infundit, quando dat ea histrionibus, vel alijs inhonestis personis, contra illud Ecclesiastici 12. *Benefac humili, & ne dederis impio.* Et iterùm: *Si beneficeris, scito cui benefeceris.* In duobus casibus præcipuè non est dandum impio: scilicet, cùm creditur, quòd propter hoc iustitiam debeat negligere, vel cùm propter aliquod officium inhonestum hoc quærit, sicut faciunt histriones. Hieron. Paria sunt, dare histrionibus, & sacrificare dæmonibus. Prodigus etiam pro nihilo rem suam dat, quando dat eam pro vana gloria, quæ nihil est in valore. Vnde Ioan. 8. *Si ego glorificabo meipsum, gloria mea nihil est.* Tertiò, potest distingui prodigus à largo in hoc, quòd largitio ipsius quædam est occupatio: vnde sicut aucupes non dicuntur largi, nec liberales in aues, quantumcunque frumenti circa laqueos apponant: nec aliquis dicitur liberalis in pisces vel mures, quos capere vult, etsi escam delectabilem apponat in hamo, vel muscipula: Sic liberales dicendi non sunt

sunt qui ideò sua largiuntur hominibus, vt eos capiant, vt pro eis sint, si venerit aliqua electio. Vnde Ieremiæ quinto: *Inuenti sunt in populo meo impij, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros.* Quartò, potest distingui prodigus à largo: quia verè largus, de suo largus est: prodigus verò de alieno frequenter. Seneca, Magni animi non est, qui de alieno liberalis est.

Cap. XII.

De malis quæ sequuntur ex prodigalitate.

Mala verò, quæ sequuntur ex prodigalitate hæc sunt, scilicet paupertas vsque ad mendicitatem, Lucæ decimo quinto, de illo filio prodigo, qui cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Sequitur etiam inde, quòd prodigus incidit in manus vsurariorum, qui totum eum comedunt, vt videatur incidisse in illam imprecationem Psalm. *Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius*: Quanta sit seruitus vsurariorum illi soli nouerunt, qui quandoque in manibus eorum fuerunt. Sequitur etiam inde peccatum rapinæ. Frequenter enim aliena aufert qui prodigè confert. Vnde prodigus similis est araneæ, quæ muscas deuorat, & tenendo telas inutiles, euiscerat se. Sequitur etiam inde contemptus bonorum spiritualium. Ille enim qui prodigus est, interdum dat omnia bona sua spiritualia pro quadraginta solidis ex quibus conuiuium aliquod fecit, similis Esau qui primogenita sua dedit pro lenticula, *& abijt paruipendens, quòd primogenita sua vendidisset.* vt legitur Genesis vigesimo-quinto: vnde Thren. 1. Dederunt quæque pretiosa pro cibo ad refocillandam animam. Prodigus adeò spiritualia contemnit, vt magnum reputet ventres pascere, & opprobrium credat esse animas pascere, cùm tamen dicat Augustinus: Non est magnum pascere ventres morientes, sed magnum est pascere animas in æternum victuras. Prodigus honorem reputat pascere porcos: id est, homines gulosos & luxuriosos, qui iudicio Scripturæ porci sunt, vnde legitur de filio prodigo. Adhæsit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos suos. Magnum verò dedecus reputat, filios pascere, in hoc absque dubio filio Dei magnam faciens contumeliam, dum officium illud contemnit, quod filius Dei specialiter sibi assumere voluit. Vnde in Psalmo: *Ego autem constitutus sum rex ab eo, super Sion montem sanctum eius.* Quod est contra illos Prælatos, qui dedignantur prædicare, quia comites sunt: licet enim essent reges, non tamen indignum esset eis officium prædicationis, cùm filius Dei specialiter ad prædicandum venerit: vt haberi potest ex eo quod dicitur Marci primo: *In vicos proximos eamus, & ciuitates, & ibi prædicemus*, & Lucæ primo: *Visitauit nos oriens ex alto, illuminare, &c.* & Ioannis decimo octauo: *Ego ad hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhiberem veritati.*

Cap. III.

De stultitijs Prodigi.

Prima stultitia prodigi est, quòd ipse sciens & volens partem suam facit deteriorem, quandoque etiam nullam. Ideò maledictus est. Vnde Bernardus. Si maledictus est, qui partem suam deteriorem facit: quid ille, qui penitus se reddit expertem? Expertem se reddit, qui de bonis suis, nullam partem sibi reseruat. Secunda stultitia prodigi est, quòd ipse rem illam, quam super omnia amat facere, ita vult face-

re, quod diu facere non possit. Hanc stultitiam ostendit nobis Philosophus, dicens: De re familiari impartiendum est, sed moderate. Quid enim stultius, quàm quod libenter facias, curare, vt diu facere non possis? Tertia stultitia prodigi est, quòd ipse contra rationem de modico multùm vult largiri, non attendens quod legitur Tobiæ quarto: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, libenter impartiri stude.* Illud ordinatum est; vt qui modicum habet, modicum tribuat: Sed bona voluntas suppleat modicitatem muneris. Gregorius. Non est vacua manus à munere, si arca cordis plena sit bona voluntate. Seneca. Non quid detur, refert, sed qua mente. Regum æquauit opes animo, qui exiguum tribuit, sed libenter. Quarta stultitia prodigi est, quòd ipse non videtur de diuitiis quærere, nisi peccata: peccat enim, & in acquisitione earum, & largitione, & alius habet inde vtilitatem. Ipse similis est canali, ex aqua retinenti fæces & limositatem. Bernardus. Si rectè sapis, concham exhibebis, non canalem. Quinta stultitia prodigi est, quòd ipse quodammodo vult largior esse Deo. Vnde Bernardus. Non Deo largior esse velis. Concha imitetur fontem. Non ire in riuum, fons permittit, donec suis satientur aquis. Non pudeat concham, non esse fonte suo profusiorem Prodigus videtur plus diligere proximum, quàm seipsum: cùm tamen in veritate, nec proximum, nec se diligat: licet stultitia sua effundat. Ipse quasi dolium est sine fundo: & ideò, non est mirum, si effundat quidquid acceperit. Et vt breuiter dicam, insipientior videtur esse prodigus, quàm auarus; quantum ad hoc, quòd auarus insipiens est, quantum ad Deum, solum: prodigus verò, quantum ad Deum, & quantum ad mundum. Prodigo deest sapientiæ fundamentum, quod est sibi ipsi sapientem esse. Vnde Bern. Non sapiens est, qui sibi ipsi sapiés nõ est. Et Prou. 9. *Si sapiens fueris, tibimetipsi eris.* Iniquior etiam videtur esse prodigus, quã auarus, quãtũ ad hoc, quod prodigus iniqu⁹ est in seipsũ, sed auarus iniquus est in proximũ. Vnde Eccl. 14. *Qui nequã est, cui bonus est?* Et iterùm: *Qui sibi inuidet, nihil est eo nequius.*

Cap. IV.

De prodigalitate Clericorum.

NOtandum, quòd sex consideranda sunt, quæ deberent cohibere clericos, ne de bonis Ecclesiasticis prodigi essent. Primum est, quod bona Ecclesiastica bona pauperum sunt, vnde pauperibus eroganda sunt: sicut manifestum esse potest ex verbis sanctorum, quæ sequentur. Hieronymus. Quidquid habent clerici, pauperum est: quod de bonis Ecclesiasticis intelligimus. Bernardus. Facultates Ecclesiarum patrocinia sunt pauperum, & sacrilega crudelitate eis subripitur, quidquid sibi ministri & dispensatores, non vtique domini & possessores, vltra victum & vestitum accipiunt. Idem: Res pauperum non pauperibus dare, crimen esse sacrilegii dignoscitur. Hieronymus. Pars sacrilegii est, res pauperum non pauperibus dare. Idem: Accepisse pauperibus erogandum, & esurientibus plurimis cautum este vel timidum, vel apertissimi sceleris est aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. Idem. Maximum periculum est de patrimonio Christi non pauperibus dare. Item Bernardus. Clamant nudi, clamant famelici, & conqueruntur. Et ponit verba pauperum conquerentium de clericis, sic dicens: Nobis fame & frigore laborantibus miserabiliter, quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis. Nostrum est, quod effunditis, nobis crudeliter sustrahitur, quod inaniter expen-

ditis, & nos Dei plasmatio, & Christi nos sanguine redempti sumus. Vos ergo, fratres mei, videte quale sit peccatum, de fraterna portione pascere oculos vestros, vita vestra cedit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accidit vanitatibus vestris. Idem: O vanitas vanitatum! sed non vanior, quàm insanior. Fulget Ecclesia in parietibus, & in pauperibus eget. Lapides suos induit auro, & filios suos nudos deserit. De sumptibus egenorum, seruit oculis diuitum. Inueniunt curiosi quo delectentur, & non inueniunt miseri quo sustententur. Et si deuotio in talibus possit Deo accepta esse, curiositas tamen vel superbia, ex qua multa talia faciunt, Deo detestabilis est. Item Bernardus loquens de illo verbo Esaiæ. 26. *In terra sanctorum iniqua gessit, & videbit gloriam Domini*. Timeant, inquit, clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris, quas possident, tam iniqua gerunt, vt stipendiis, quæ sufficere deberent, minimè contenti, superflua, quibus egeni sustentandi essent impiè, sacrilegéque retinent, & in vsus superbiæ atque luxuriæ victum pauperum consumere non verentur. Duplici profectò iniquitate peccantes quod & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur.

Quod rapina talium est periculosa.

VAldè enim periculosa est rapina, quã tales faciunt tribus de causis. Primò, quia non agnoscitur. Vnde accidit, quòd multi eam non confiteantur, tamen non proponunt abstinere à tali rapina. Et etiam aliqui simplices confessores non dicunt eis, vt restituant pauperibus ea quæ defraudauerunt eos, licet patrimonium habeant, vnde restituere possint. Mira cæcitas! Si quis damnificasset diuitem vnum in quinque solidis, si ipse confiteretur, & haberet propositum cauendi de cætero, restitueret sibi proposse suo: aliter sciret non valere pœnitentiam sibi. Ille verò, qui pauperes damnificauit in centum libris, vel amplius, nihil tale facit, & tamen credit se agere veram pœnitentiam. Secundò, periculosa est propter magnitudinem culpæ, quæ est in rapina tali. Quam ostendit Glossa super Matth. 17. vbi dicit Dominus Petro: *Vade ad mare, & mitte hamũ, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies stateram*. Glossa. Iudas quidem communia in loculis habebat: sed Dominus res pauperum in suos vsus conuertere nefas duxit, idipsum dans exemplum nobis. Tertiò, periculosa est, quia multùm impedit hominem à salute. Et si ille qui habet bona Ecclesiæ, pauperibus fideliter portionem suam redderet, contentus victu & vestitu sibi necessarijs, vix accideret, quin ipse ad salutem perueniret. Quomodo enim misericordia Dei larga illi non esset, gratiam suam largiendo, qui sibi largus esset, pauperibus subueniendo? Vnde August. Fluit riuus, & fons siccabitur. Misericordia enim Dei velut fons est, misericordia autem nostra velut riuulus. Non est verisimile, quòd fons non fluat, ex quo riuulus fluit. Vnde Ambr. super 1. ad Tim. 4. vbi sic legitur: *Pietas ad omnia vtilis est*. Qui pietatem sequitur, si lubricum carnis patiatur, vapulabit quidem, sed non peribit. Quod intelligendũ, non de illo, qui confidens de eleemosynis suis, ideò diutius & securius peccat. Talis enim vtitur eleemosynis ad Dei impugnationem: ideò, non est dignus peccatorum suorum remissione: sed potius æterna damnatione. Sed de illo intelligendum est hoc, qui videns incontinentiam suam, eleemosynas facit, vt misericordia Dei gratiam sibi conferat, perquam continere possit. Talis enim frequentius ad bonũ finem venit. Vnde Hier. Nõ memini me mala morte vidisse mortuum, qui liberalem ante duxerit

vitam. De illis verò qui bonis Ecclesiæ pauperes defraudant, non est mirum, si peccant, & damnentur. Quomodo enim misericordia Dei dabit illis gratiam, qua continere possint, qui bona Dei potius volunt prodigè expendere quàm Deo in pauperibus dare; Et cum hominibus non solùm largi, sed etiam prodigi sint, tamen soli Deo sunt auari de bonis ipsius, qui subtrahunt ori Dei ea quæ ponunt in ore porci, imò in ore diaboli: cùm enim malus sit seruus diaboli, & os, & cætera membra ipsius diaboli sunt. Præterea, misericordiam Dei quomodo consequentur illi, de quibus tot iniuriæ pauperum à Deo postulant, vt ipsi damnentur? Tales homines sunt oues diaboli, cùm diabolus eos tondeat singulis annis, vestes, quas ipsi deponunt, accipiendo in membris suis. Non solùm periculosa est rapina ista, sed etiam ignominiosa. Ignominia enim magna est, pauperibus rapere. Verbi gratia: Si facta esset vniuersalis donatio pauperibus alicuius ciuitatis, valdè miser & vilis reputaretur ille, qui pauperibus eleemosynas eis datas auferret, licet etiam post expenderet eas, faciendo magna conuiuia. Sic valdè viles sunt, qui de bonis Ecclesiasticis, quæ bona pauperum sunt, conuiuia superflua faciunt. Tot enim pauperibus ea auferunt, quot inde habere potuerunt: etiam ignominia magna erit in die iudicij, quando pauperes conquerentur, vno dicente: Iste mihi abstulit vnum prandium, alio dicente: iste mihi abstulit vnum denarium, vel aliud. Secundum est hoc, quòd bona clericorum frequenter à pauperibus sunt oblata, & sanguine Christi comparata. Vnde incongruum est de eleemosynis pauperum, superflua conuiuia diuitibus facere. Accidit enim interdum, quòd in quadraginta solidis, quos clericus prodigus expendit in conuiuio vno, multi pauperes posuerunt, quod proprio ori subtraxerunt, & talis posuit ibi vnum obolum, cui alius obolus non remansit. Similiter valdè incongruum est, ea quæ sanguine Christi empta sunt, superfluè expendere. Vnde super illud Ieremiæ vigesimo-secundo: *Væ, qui facit laquearia cedrina, & pingit ea synopide*, id est, Christi sanguine, dicit Glossa. Tertium est hoc, quòd clerici debent esse forma gregis, & bonum exemplum aliis dare: & valdè incongruum est, quando suis superfluis conuiuiis illos corrumpunt, quos sanare debuerunt, & alios maculant, quos debuerunt emundare & sanctificare. Vnde dicitur de illis in epistola Iudæ: Hi sunt in epulis suis maculæ conuitantes. Non solùm sunt maculati, sed etiam maculæ sunt alios maculantes suo malo exemplo, & materiam ministrando suis superfluis conuiuiis, gulositati & ebrietati, & multis aliis peccatis. Quarto deberet cohibere clericos à vitio prodigalitatis multitudo & magnitudo peccatorum, quæ sequuntur in eis ex vitio isto. Ex prodigalitate accidit in multis, quòd ipsi fiunt raptores, simoniaci, oppressores pauperum, excoriatores subditorum. Quintum est quòd hoc vitium multum inpedit eos ab officio suo. Non possunt enim illi officio suo intendere debitis aggrauati. Et visitatio eorum potius est subditorum corruptio, propter nimias expensas, quàm eorum correctio. Sextò, deberet cohibere dispensatores bonorum Ecclesiasticorum à prodigalitate, consideratio districti iudicii. Si enim ex isto verbo: *Esuriui, & non dedistis mihi manducare*, illaturus est Dominus in iudicio: *Ite ergo maledicti in ignem æternum*: quid dicturus est prodigis dispensatoribus, qui non solùm ipsi esurienti non dederunt manducare, sed etiam ipsi esurienti abstulerunt, quod debuit manducare?

TRACTATVS QVINTVS DE ACEDIA.

Pars I. quæ habet quatuor Capitula.

De his, quæ valere possunt ad detestationem Acediæ.

Capvt I.

De ordine dicendorum in isto tractatu. Et diuersis exemplis, quæ valere possunt ad detestationem Acediæ.

Post peccatum Auaritiæ, dicendum est de peccato Acediæ: quia pigritia interdum ex auaritia sequitur. Vnde Lucæ 12. dicit ille diues cuius ager fructus vberes attulit *Anima mea multa habes bona reposita in annos plurimos, resquiesce, & comede, & bibe.* Dicemus autem hoc ordine & de vitio isto. Primò, ponemus ea quæ possunt valere ad detestationem huius vitii. Secundò, tangemus de diuersis generibus peccatorum, quæ pertinent ad hoc vitium. Tertiò, tangemus aliquid de remedijs contra vitium istud. Quartò, de indiscreto feruore, qui acediæ videtur esse contrarius. Ad detestationem vero huius peccati possunt valere diuersa exempla. Et possumus primò sumere exemplum à rebus, quæ non habent sensum, nec vitam, nec rationem, sicut à sole. Secundò ab his, quæ vitam habent, & non sensum: vt ab herbis, & arboribus, & huiusmodi. Tertiò, ab his quæ habent vitam, & sensum & non rationem, vt à brutis animalibus. Quartò, ab his quæ habent sensum, & rationem, & gratiam, vt à sanctis viris. Et primò, prosequimur de primo. Posuit Dominus præceptum soli, vt de singulis diebus ab Oriente veniat ad Occidentem, & singulis noctibus reuertatur in Orientem: & nunquam præterijt sol illud præceptum. Non pigritatur nec die, nec de nocte, nec æstate, nec hyeme, implere illud præceptum. Quantumcunque laboret in vno die, nihilominus tamen summo mane surgit in sequenti die, & tamen non expectat talem remuneratione laboris sui, nec talem pœnam negligentiæ suæ qualem homo. Ad hoc videtur habuisse respectum August. cum dicit: Indecens est Christiano, si radius solis eum inueniat in lecto: posset enim dicere sol si potestatem loquendi haberet: Amplius laboraui heri, quam tu: & tamen cum iam surrexerim, tu adhuc dormis. Possumus etiam accipere exemplum ad detestationem acediæ ab eis, quæ ex terra nascuntur. Videmus enim herbas & arbores, quæ tam minimum habent initium, crescendo ad magnam quantitatem deuenire, habent tamen tot aduersantia sibi, vt hyemem, & aliam aëis intemperiem. Singulis etiam annis aufertur eis labor florum, & fructuum, & frondium, & tamen nihilominus opportunitate inuenta operandi operantur: qui videret nuditatem earum in hyeme vix crederet quod tanta pulcritudine indui possent, nisi idem alias vidisset, Qui videret quam parua arbor sit nucis in initio sui, vix crederet quod ad tantam magnitudinem peruenire deberet, nisi simile alias vidisset. Non debet igitur pigritari homo, nec deficere, etsi defectum bonorum in se videt, vel si aliqua sibi resistant. Plus enim potest homo, quam credat. Tali exemplo vtitur Dominus Matth. 6. dicens: *Considerate lilia agri quomodo crescunt.* Et subditur: *Dico autē vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis.* Tertiò vero exemplo vtitur Salomon Prouerb. 6. dicens: *Vade ad formicam, ô piger. & considera vias eius, & disce sapientiam*: quæ quum non habeat du-

cem, nec præceptorem, nec principem, parat æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. Et sunt quinque attendenda in isto exemplo. Primò paruitas formicæ, quam Salomon proponit quasi magistram homini. Multum enim potest confundi homo, quando videt se tam paruæ scientiæ, quod à tã paruo animali potest doceri. Vnde multum conari deberet ad addiscendum Sicut accidit in scholis quando aliquis magnus à puero paruo docetur, ex quadam erubescentia deberet ardentius addiscere. Ad hoc potest referri, quod dicit Seneca: Pudeat ab exiguis animalibus nos trahere mores. Erubescere potest homo, quod tam paruum animal melius morigeratum est, quàm ipse. Secundò attendendum est, quod dicit Solomon: *Considera vias eius & non viam.* Viam vocans discursus, quos faciunt pro quærendo cibo. Pluries enim in die vadunt ad quærendum frumentum: vnde satis possunt erubescere illi homines, qui semel in septimana grauantur venire ad sermonem ad quærendum animæ suæ cibum. Tertiò attendendum est, quod formica in hoc opere non habet hominem ducem cuius exemplum sequatur, nec præceptorem, cuius verbo ad hoc doceatur, nec principem à quo puniatur eius negligentia, homo tamen omnia ista habet. Quartò attendendum est, quod ipsa purum granũ eligit vt de ipso pascatur. Vnde multum possent in hoc confundi illi, qui spurcitias & immũditias alienorum peccatorum eligunt, vt illis os suũ pascant: iuxta illud Prouerb. 16. *Os stultorũ pascitur imperitia.* Quintò attendendum est in hoc exemplo, quod formica adeò se onerat frumento, vt interdum videatur minor esse suo onere. In quo possent satis confundi illi, qui à sermone redeunt vacui, nec vnum verbum reportantes secum. Potest etiam valere ad detestationem acediæ, exemplum eorum qui amãt mundum. Si enim respiciamus quot & quantis laboribus, quotidianis cruciatibus ipsi merentur cruciatum æternum, satis poterimus confundi quod adeò sumus pigri laborare pro regno æterno. Vnde August. O si possemus excitare homines, & cum ipsis pariter excitari, vt tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis, qui non vt viueret, continuo perdere volet vnde viueret, & potius eligeret vitam mẽdicandam, quam celerem mortem? Cui dictum est: Nauiga, ne moriaris & distulit; Cui dictum est Labora, ne moriaris, & piger fuit. Leuia iubet Deus, vt in æternum viuamus, & obedire negligimus. Ad idẽ potest adduci, quod legitur in vitis Patrum de quodam sancto Patre, qui quum vidisset ornatum cuiusdam mulieris, flens inquit: Ignosce mihi omnipotens Deus, quia vnius diei meretricis huius ornatus superauit totius vitæ meæ indrustriæ ornamenta. Et Abbas Pambo videns mulierem in Alexandria ad quam descenderat de Eremo, fleuit. Et interrogantibus causam sui fletus, ait: Duæ res me mouerunt. Vna de illius perditione: alia quia nõ habeo tale studium placendi Deo, quale studiũ habet ista vt hominibus placeat. Ad detestationem etiam acediæ possunt valere exempla bonorum virorũ. Et de multis pauca ponemus. Ait Dauid: *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Et de sapiente muliere legitur in fine Prouerb. quod *panẽ otiosa non comedit.* Et Apostolus dicit de se. *Plus omnibus laboraui.* De Christo legitur Ioan. 4. quod ipse *fatigatus ex itinere, sedit super fontem.* Et in multis alijs locis in Euangelijs legitur de labore ipsius. Vnde Bernard. Quandiu vixero, memor ero laborum quos Christus sustinuit prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum, conuitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum,

exprobrationum, clauorum, horumque similium. Alioquin requiretur à me sanguis iustus, qui effusus est super terram. Legitur etiam, quod Beatus Arsenius primo Palatinus, postea Eremita maximus, quærentibus à se in quo confideret. Respondit: In hoc quod homines fugi, aliquandiu tacui, fleui. Potissime in hoc gaudeo, quod manibus laboraui. Et quædam vidua moriens recusabat sepeliri in camisia sibi data, dicens: Sepeliar in camisia elaborata propriis manibus & non alienis. Et de beata Virgine legitur Luc. 1. *Quod abiit in montana cum festinatione.* Legitur etiam Genes. 18 *Festinauit Abraham in tabernaculũ ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes. Ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero, qui festinauit, &c.* De quo verbo loquens Origen. ait: Senex currit, Sara accelerat, puer festinat, nullus piger inuenitur in domo sapientis.

Cap. II.

De verbis sacræ Scripturæ, quæ laborem suadent, & otium, vel pigritiam dissuadent.

Ad detestationem etiam acediæ possunt valere illa verba sanctæ Scripturæ, quæ suadent laborem vel dissuadent otium vel pigritiam. Vnde Ecclesi. vltim. *Verba sapientum quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi.* Stimulus valet contra tarditatem iumentorum: sic verba sapientum contra pigritiam hominum. Et notandum, quod homo laborat quasi contrariis vitiis. Est enim lentus ad bonum, & præceps ad malum. Sed verba sapientum sunt velut stimuli, quando excitant hominem ad bonum. Et sunt velut claui in altum defixi, dum retinent hominem ne se præcipitet in malis. De multis vero verbis, quibus suadetur nobis labor & dissuadetur nobis pigritia, pauca ponemus. Ait Hieron. super illud Ezech. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarũ eius.* Semper, inquit, est aliquid agendum, ne ager nostri pectoris manu cessante malarum cogitationum sentibus occupetur. Ecclesi. 7. *Non odoris laboriosa opera, & rusticationem à Deo creatam.* Rusticationem Deus creauit, quando Adę dixit Genes. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, vel quum posuit hominem in paradiso voluptatis, vt operaretur. Vt legitur Genes. 2. & Eccl. 14. *Non defrauderis à die bona, & pericula diei boni non te prætereant.* Et ibidem. *Ante obitum tuum operare iustitiam: quia non est apud inferos inuenire cibum.* Hoc manifestum est in diuite epulone, qui apud inferos guttam aquæ non potuit inuenire, quam digito Lazari, qui leprosus fuerat, petiit. Tunc non erat ipse ita indignantis naturæ sicut in seculo isto fuerat. Adhuc non impetrauit ille guttam illam aquæ, & tamen plusquã mille anni transierunt ante quos petiit. Item Ecclesi. 9. *Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia apud inferos est quo tu properas.* Apud inferos non est opus, sed merces operis. Nec ratio, quia nihil prosunt ibi artis arguta. Nec sapientia, nec scientia sunt ibi ad excusationem vel defensionem, sed potius ad accusationẽ. *Seruus enim sciens voluntatem Domini sui & non faciens, vapulabit plagis multis.* Item Ecclesi. 11. *Mane semina semen tuum & vespere non cesset manus tua.* Et Apost. 2. ad Timoth. 4. *In omnibus labora, opus fac Euangelistæ.* Item 1. Thess. 3. *Si quis non vult operari non manducet.* Ideò dedit Dominus diuersa membra homini, vt ex omnibus ei seruiret. Vnde quandoq; debet homo seruire Deo ore cantando: quandoque manu, scribendo, & sic de cæteris membris. Item ad Gal. 6. *Bonum facientes, non deficiamus, tẽpore enim suo metemus non deficientes.*

Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Et Eccles. 6. *Ne acce-dieris in vinculis eius*, & loquitur de sapientia. Vincula sapiĕtię sunt diuina præcepta, quibus ligatus est homo, qui ex morsu pomi prohibiti quasi venenati incidit in spiritualem insaniam. Cuius insaniæ sunt hæc signa, quod mente quasi aliena loquitur, fatua cogitando, quod gaudet inde vnde flendũ esset. Vnde Prouer. 20. *Stultitia est gaudiũ stulto.* Et Aug. dicit super Ioan. Risum talium, risum esse phreneticorum. Signum etiam huius insaniæ est hoc, quod homines exquirunt pericula quibus se perimant. Vnde Prouer. 27. *Cor iniqui exquirit mala.* Sicut occultos laqueos vsuræ vel simoniæ quibus se perimat. Item in Psal. *Labores manuum tuarum, quia manducabis, &c.*

Cap. III.

Quantum peccatum acediæ Deo displiceat.

Tertiò potest valere ad detestationem acediæ si ostendatur, quantum hoc peccatum Deo displicet, diabolo placet, & hominibus nocet. Quantum Deo displiceat, potest ostendi primò ex illo verbo Apocal. 4. *Vtinam frigidus esses aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Calidus est, qui feruens est ad bonum. Frigidus est, qui simpliciter desistit à bono. Tepidus vero est, qui medio modo se habet. Et dixit Gloss. interl. quod maior spes est de frigidis, quam de tepidis. Cuius rei hæc est causa, quod tipidi quandam fiduciam & securitatem accipiunt de hoc, quod aliquid boni agunt, & ideò se non corrigunt. Tepidus vero de ore Dei euomitur, qui per prædicatores, in quibus Deus loquitur, de consortio sanctorum remouetur per excommucationem: vel tunc tepidus euomitur quando in deteriora præcipitur, vel quando impœnitens moritur. De hac tepiditate dicit Hieronymus. Tepiditas sola est, quæ solet Deo vomitum prouocare. Quod autem acedia multum Deo displiceat, potest iterum ostendi per hoc quod legitur Lucæ 15. vbi sic habetur: *Dico vobis quod maius gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Quod exponit Gregorius de iustis illis, qui desidiose se habent, & de peccatore feruente ad pœnitentiam. Vnde Dominus feruentem peccatorem nonagintanouem iustis acediosis præponit. Sicut dux in prælio plus eũ militem diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter premit, quàm eum qui nunquam fugit, nec vnquam fortiter egit. Plus amatur ager qui post spinas & tribulos fructus vberes reddit, quam ille qui spinas & tribulos nunquam tulit, & semper sterilis extitit. Ad idem ostĕdendum induci potest, quod legitur Lucæ 13. de ficulnea fructum non faciente. *Succide illam. Vt quid etiam terram occupat?* Et quod dicitur Matth. 25. *Tollite ab eo talentum.* Et loquitur de seruo pigro. Et subditur: *Et inutilem seruum illum eiicite in tenebras exteriores.* Et Matth. 3. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Quod peccatum acediæ multum placet diabolo.

Qvòd autem hoc peccatum multum placeat diabolo, potest ostendi ex hoc quod legitur Iob 40. *Circundant eum salices torrentis.* Per torrentem cuius aquæ cito deficiunt, intelligitur voluptas præsens, quæ cito finietur. In qua diuites huius seculi plantati sunt velut salices, quæ sunt arbores infructuosæ, & huiusmodi salices circundant diabolum, quasi faciendo ei vmbram. In hoc vero quod homines, qui nihil faciunt salices vocantur, insinuatur quanta sit fatuitas eorum, qui se meliores aliis iudicant, & honorabiliores, quia nihil faciunt.

ciunt. Similis enim fatuitas est, ac si aliquis diceret. Salices amygdalinis arboribus præualere, eo quod steriles sunt. Ad ostendendum etiam quantum hoc peccatum placeat diabolo, potest adduci, quod legitur Iudic. 1. de Adonibezech, qui amputauerat lxx. regibus manuum ac pedum summitates. Adonibezech interpretatur, dominus fulgurans, qui amputat illis, qui habent regere alios, summitates manuum ac pedum, dum procurat vt tales ad opera vtilia sint quasi impotentes: qui habet summitates manuum ac pedum amputatas, inutilis est quoad vsum membrorum istorum, etsi membra ista habeat. Sic multi ad vtilia opera sunt impotentes, sed ad inutilia vel noxia potentiam habent. Ad idem ostendendum valet quod legitur Matth. 12. de immundo spiritu, quod inueniens domum à qua exierat vacantem, *vadit & assumit septem alios spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi.* Et eiusdem 8. legitur de dæmonibus, quod dixerunt Domino. *Si eiicis nos hinc, in gregem porcorum mitte nos.* Porci sunt, qui nihil faciunt, nisi quod voluptati corporis deseruiunt, qui sunt quasi proprium hospitium dæmonum. In acediosis habet diabolus, quasi hospitium quietis. Vnde Iob 40. dicitur dormire in secreto calami. Calamus qui vacuus est, figurat hominem vacantem & otiosum, in quo diabolus quiescit & dormit.

Quantum acedia noceat proprio subiecto, & quod ipsa repleat hominem malis pœnæ.

SEquitur videre qualiter noceat peccatum acediæ homini. Nocet autem ei mala inferendo tam pœnæ quàm culpæ, & plurima bona auferendo, & primò ostendemus quomodo hominem repleat malis pœnæ: mala vero pœnæ tria sunt, paupertas, vilitas, & afflictio siue dolor. Quod paupertas peccatum acediæ sequatur, manifestum potest esse ex his verbis scripturæ, quæ sequuntur. Prouerb. 20. *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei.* Item Prouerb. 10. *Egestatem sibi operata est manus remissa: manus autem fortium diuitias parat.* Et 28. *Qui operatur terram suam, saturabitur panibus: qui vero sectabitur otium, replebitur egestate.* Et 23. *Vestietur pannis dormitatio.* Et. 24. *Vsquequo piger dormies? vsquequo de somno consurges? Parum inquam dormies, modicum dormitabis, paululum conseres manus, vt quiescas: & veniet tibi quasi cursor egestas tua, & mendicitas quasi vir armatus.* Paupertas modo quasi inermis est, & quasi lente incedit: ideò multi fugiunt eam, vel resistunt ei, sed in futuro erit quasi armata, vt homo non possit ei resistere, & veniet quasi cursor vt homo non possit eam effugere. Et Prouer. 21. *Cogitationes robusti semper in abundantia: omnis autẽ piger semper in egestate est.* Et Eccles. 10. *In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus.* Tigna vocantur ligna illa, quæ vulgariter dicuntur capiones, eo quod se mutuo capiunt. Vnde domorum contignatio, est coniunctio quę fit in superiori parte tecti, quam pigri ex pigritia permittunt humiliari. Hoc enim proprium est pigri non subuenire periculis tempore opportuno. Quod vero vilitas sequatur peccatum acediæ, manifestum potest esse ex his verbis scripturæ, quæ sequuntur Eccles. 22. *In lapide luteo lapidabitur piger, & omnes loquentur super aspernationem ipsius.* Item in eodem: *De stercore boum lapidandus est piger, & omnis qui tetigerit eum, excutiet manus.* Tunc piger lapide luteo lapidatur, quando increpatione dura & conuitiis plena increpatur. Omnis qui eum tetigerit, manus excutiet, quia onerosus est hominibus, & libenter homines se expediunt ab eo. Item Prouerb. 10. *Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius confusionis est.* Messis in qua colligendus est cibus spi-

ritualis, est doctrina. Vnde Prouerb. 24. *In doctrina replebuntur cellaria vniuersa substantia pretiosa atque pulcherrima.* Vel messis potest intelligi præsens vita, in qua merita colligenda sunt. Quod autem afflictio sequatur peccatum acediæ, potest ostendi primo ex hoc quod acediosus est, quasi totus famelicus. Eo enim quod vacat & vacuus est, quasi totus esuriens est. Omnes sensus eius esuriunt, vt aures eius esuriunt rumores, visus vanitates, tactus & gustus voluptates carnales. Vnde Prouerb. 21. *Desideria occidunt pigrum.* Noluerunt enim quicquam manus eius operari, tota die concupiscit & desiderat. Acediosus laborat paralysi spirituali. Vnde non est mirum si affligatur: & est figuratus per paralyticum illum de quo dicit Centurio Matt. 8. *Puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur.* Qui torquetur laborando bene torquetur, quia vtiliter torquetur. Sed qui torquetur quiescendo, male torquetur, quia inutiliter. Acediosus est in tædio vitæ. Vnde habet quandam tristitiam, quæ ad modum vermis corrodit cor eius. Vnde Prouer. 25. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno: sic tristitia nocet cordi.* Seneca: Traditione bonarum artium occupandi sumus, quoties male habet inertia impatiens sui.

Quomodo acedia repleat hominem malis culpæ.

SEquitur videre quomodo acedia repleat hominem malis culpæ. Hoc autem primò potest ostendi ex illo verbo: Prouerb. 24. *Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrticæ, operuerant superficiem eius spinæ & maceria lapidum destructa erat: quod cum vidissem, posui in corde meo, & exẽplo didici disciplinam.* Sicut ager spinas profert & tribulos, & cætera inutilia nisi vtilibus seminatus fuerit, sic homo spinas & tribulos germinabit vitiorum, nisi vtilibus occupationibus se repleuerit. Vnde Bernard. Hæc maledictio Adæ, & in terra laboris nostri, & in agro cordis & corporis nostri, vt noxia vel inutilia gratuito passim proueniant: vtilia vero vel necessaria cum labore. Potest etiam idem ostendi multis aliis exemplis. Corrumpitur enim aqua quiete. Vnde Poëta: *Et capiunt vitium ne moueantur aquæ.* Vinũ ex se etiam fæces generat: & nisi à fæcibus illis mundetur, totum corrumpitur. Idem accidit in homine. Vnde Ieremiæ 48. dicitur de Moab. *Moab requieuit in fæcibus suis, nec transfusus est de vase in vas & in transmigratione non abiit.* Idcirco permansit gustus eius in eo, & odor eius non est immutatus. Sapor corruptus & odor prauus non recedit à vino si supra fæces remanserit, imò interdum totaliter corrumpitur. Idem accidit de acedioso, qui totus quasi acidus & acetosus efficitur. Adeò enim corrumpitur, vt bona ei displiceant, quæ debebant sibi placere. Homo in præsenti vita est similis illi, qui est in flumine impetuoso, qui in vno loco stare non potest, & nisi ad summa conetur ad ima labitur. Eo enim quod omnis homo ex nihilo est, ad nihilum culpæ & etiam ad mortem. Vnde nisi conetur progredi & proficere, regreditur & deficit. Vnde Bernard. In via vitæ non progredi, regredi est, quum nihil adhuc in eodem statu permaneat. Homo similis est castro plurium dominorum, inter quos ille qui remissior est totum amittit, alius enim paulatim aufert ei ius suum. Si spiritus remissus fuerit, caro quæ aduersus eum concupiscit quotidie aliquid acquirit super spiritum. Vnde Prouerb. 21. *Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est, tributis seruiet.* Pannus candidissimus quasi imperceptibiliter niger efficitur, vnde frequenter ablutione indiget. Manus etiam corporis quasi insensibiliter post ablutionem sordidæ efficiuntur. Vnde frequenter in die lauari oportet. Sic nisi

homo frequenter se lauet à sordibus spiritualibus, illis repletur. Negligentia igitur & acedia hominem replent malis culpæ. Homo ad modum vineæ putatione indiget, & non semel tantum, sed frequenter: sicut ostendit Bernard. super illud Cant. 2. *Tempus putationis aduenit*, dicens: Quis ita ad vnguem omnia, à se superflua resecauit, vt nihil se habere putet putatione dignum; Credite mihi & putata repullulant, & effugata redeũt, & reaccendunt extincta, & sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse. Sæpè putandum est, imò si fieri possit semper, quia semper quod putari oporteat, si non dissimulas inuenis, quantumcunque in hoc corpore manens profeceris. Erras, si vitia putas emortua, & non magis compressa, velis nolis intra fines tuos habitat Iebusæũs, Subiugari potest, sed non exterminari. Vnde in tanto discrimine consilium est obseruare diligenter, & mox renascentium vitiorum capita apparebunt, promota seueritate succidere.

Quomodo acedia auferat homini bona gloriæ, gratiæ, & naturæ.

AD hoc ostendendum adduci potest, quod legitur Matth. 25. de seruo pigro. *Tollite ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: & qui non habet, etiam quod videtur habere, auferetur ab eo.* Et qui non habet studium vel voluntatem operandi, sæpè aufertur facultas. Iusto enim Dei iudico fit, vt ille qui non vult bene operari quum possit, postea non possit quum velit. Et Lucæ 19. dicitur similiter de seruo pigro. *Auferte ab illo manum*. Et subditur: *Dico vobis quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet* (supple voluntatem operandi) *& quod habet, auferetur ab eo,* scilicet facultas: Aufert autem acedia homini & bona gloriæ, & bona gratiæ: & bona naturæ. Bona gloriæ aufert, quia illa promittũtur solis strenuis & vigilantibus. Vnde Lucæ 12. *Beati serui illi, quos quum venerit dominus inuenerit vigilantes. Amen dico vobis: quod præcinget se, & faciet illos discumbere & transiens ministrabit illis*. Et Matth. 11. *Regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* E contrario acediosi & pigri amittunt illud. Super quod verbum dicit Gloss. Grandis violentia est in terra nasci, & cœlum capere, & habere per virtutem quod per naturam non possumus. Non est verisimile, quod acediosus talem violentiam cœlo faciat. Acediosus adeò lente incedit, quod in cœlo locum suum amittit. Aufert etiam acedia bona gratiæ. Vnde Gregor. Nemo in huius vitæ itinere torpeat, ne in patria locum perdat. Idem: Iustus vt cœlestia capiat, caueat ne inanis dies eat: Quòd autem acedia bona gratiæ auferat, potest ostendi ex hoc, quod gratia Spiritus sancti est sicut ignis, qui non potest esse otiosus. Desinit enim esse si desinit agere. Sic gratia Dei quandoque amittitur, quia homo ex ea non operatur. Vnde super illud Ioan. 13. *Qui non diligit me, sermonẽ meum non seruat*, dicit Gregor. Nunquam est Dei amor otiosus. Operatur enim magna, si est: si autem operari renuit, amor non est. Vnde Apostol. 1. Corinth. 15. *Gratia Dei in me vacua non fuit.* Nec solum gratiam aufert homini acedia, sed etiam fructum qui à gratia deberet procedere: & sic aufert totam vtilitatem huius vitæ, quod non est paruum damnum. Vnde Bernard. Quam mitius me priuares, ô amara mors, vitæ vsu, quàm fructu: nam vita sine fructu, grauior mors. Denique duplex damnum paratur ligno infructuoso, securis, & ignis. Aufert etiam acedia bona naturæ. Naturale enim ingenium, & cætera bona naturalia deteriorat. Et si nullum aliud damnum faceret acedia homini nisi de amissione temporis, non parum damnificaret hominem.

De octo, quæ valere possunt ad temporis conseruationem.

SEd nimis multi sunt, qui damnum istud non reputant. Ideò agemus hîc de his, quæ deberent mouere homines ad temporis conseruationem. Et sunt octo, quæ valere possunt ad hoc. Primò possunt valere ad hoc verba Scripturæ, quibus monemur ad temporis conseruationem. Sicut est illud Ecclesi. 4. *Fili conserua tempus, & declina à malo.* Et illud Prouerb. 5. *Fili ne des alienis honorem tuũ & annos tuos creduli.* Fatuus est, qui rem ita pretiosam sicut est tempus dat hosti suo crudeli, expendendo illud in seruitium dæmonum. Secundò possunt valere ad hoc exempla creaturarũ, quæ quodammodo videntur tempus considerare quantum possunt. Accepta enim opportunitate operandi operantur, nec permittunt tempus vacuum transire. Vnde Ecclesiast. *Omnia tempus habent.* Tertiò debet mouere hominem ad temporis conseruationem ipsa natura temporis. Tempus enim breue est, & velociter transit: & postquam transierit, recuperari non potest. Ad primum pertinet quod legitur Iob. 14. *Breues dies hominis sunt.* Et debemus intelligere breuitatem istam respectu vitæ æternæ, cui debemus prouidere tempore isto. De breuitate etiam ista tangitur in Psalm. 89. vbi dicitur: *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit.* De hac etiam breuitate dicit Senec. Si multum ætatis esset, parce dispensandum erat vt sufficeret necessariis. Nunc quæ dementia est superuacua discere in temporis egestate? De velocitate vero legitur Iob. 7. *Dies mei velocius transierunt.* Et Seneca: Infinita est velocitas temporis. Punctum est, quod viuimus, & puncto minus. Item Iob 9. *Dies mei velociores cursore fuerunt.* De irreuocatione temporis dicit beatus Bernard. Non parum æstimes tempus, quod in factis vel in dictis expenditur otiosis. Volat enim irreuocabile verbum, volat tempus irreuocabile, nec aduertit insipiens quid amittat. Quartò potest valere ad hoc pretiositas temporis. De qua Bernard. Nihil pretiosius tempore: sed heu nihil hodie vilius reputatur. Ostenditur autem pretiositas temporis tripliciter. Primò, per hoc quod possessio temporis vel rara est, quantum ad hoc quod vnicum tempus est semper sicut de phœnice dicitur, quod est phœnix vnica semper auis. Vnde quum omne rarum pretiosum sit, valde pretiosum debet esse tempus. Secundò ostenditur ex hoc, quod aliquis locus est in quo plus amaretur vna hora temporis ad agendum pœnitentiam, quam tanta massa auri quantus est totus mundus. Locus ille infernus est. Tertiò ostenditur ex hoc quod in vna hora temporis potest homo promereri dimissionem pœnæ æternæ, & peccatorum suorum remissionem, Dei gratiam & æternam gloriam. Quintò potest velere ad hoc, si consideramus nos debitores esse totius temporis nostri. Nec debemus etiam illud soli creditori, sed pluribus. Fatuus enim est, qui multis debitis obligatus est, si prodige expendit. Debita nostra ostendit nobis beatus Bernard. dicens: O si cognouisses quàm multa & quàm multis debeas, videres quod nihil est, quod facis. Primò, Christo debes omnem vitam tuam, quia ipse pro tua posuit suam. Secundò exigunt præterita peccata mea futuram vitam meam, vt faciam fractus dignos pœnitentiæ, & recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Quid si tertium debitorem ostendam, qui eam vendicet sibi? Puto quod desideres gloriam, quam oculus non vidit. Nonne ad hanc emendam totum te & quodcunque poteris dare oportebit? Et cum omnia compleueris, *non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* ad Rom. 8. Quartò debitori debes totum quod es à quo to-

tum habes, qui te fecit & benefecit: & cuncta ministrat cur horũ proponis reddere, quod debes. Sextò deberet hominem mouere ad conseruationem temporis hoc, quod oportebit districtam rationem de eo reddere coram Deo. Omne enim tempus tibi impensum requiretur à te qualiter sit expensum, sicut dicit beatus Bernard. Et sicut capillus non peribit de capite, ita nec momentum de tempore peribit. Vnde Psal. 74. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Et Thren. 1. *Vocauit aduersum me tempus, vt contereret electos meos.* Beneficium temporis multum erit aduersus eos, qui boni videntur esse. Valde enim ingrati apparebunt illi, quibus Dominus tantum beneficium dabat singulis momentis quantum est beneficium temporis, qui tanto beneficio non cessauerunt ab impugnatione ipsius. Septimò deberet homines mouere ad idem hoc, quod tempus quodam spirituali modo est nostra possessio. Vnde Seneca: Reliqua à nobis aliena sunt, tempus tantum nostrum est. Tali modo tempus nostrum est: quod si tempus amittimus, quodammo nosmetipsos amittimus; qui medietatem sui temporis amisit, quodammodo dimidium se amisit. Octauò debet mouere nos ad tẽporis conseruationem hoc, quod temporis amissio quædam mors est. Est enim amissio vitæ. Vnde Senec. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat, qui intelligat se quotidie mori; Idem: Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ. Et tunc quoque cum crescimus vita decrescit: quemadmodum clepsydra non extremum stillicidium exhaurit, sed quicquid ante defluxit, sic vltima hora qua esse desinimus non solum mortem facit, sed sola consummat. Et conseruatio temporis in hoc attenditur, vt in Dei seruitio expendatur: & sic ex tempore quodammodo summato æternitas in futuro colligatur. Ille vero qui prodige tempus expendit, frequenter accidit quod citius tempus amittat. Viri enim impii non dimidiabunt dies suos. Et implebitur in eo illud Ecclesiast. 19. *In tempore redditionis postulabit tempus.*

Cap. IIII.

De alijs sex, quæ valere possunt ad detestationem acediæ.

PRæter prædicta sunt sex aliæ, quæ possunt valere ad detestationem acediæ. Primum est hoc, quod ipsa inquinat pulchriorem partem Ecclesiæ, scilicet viros cõtemplatiuos. Et est mirum, quod illi sunt magis acediosi, qui minus esse debuerunt. Viri enim contemplatiui, quorum esset non solum currere, sed volare (aues enim spirituales sunt) ad modum testudinum lentissime incedunt. Vnde iam non potest dici de illis illud verbũ Esai. 40. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, sed velut mortui immobiles stant?* Vnde necesse habent frequenter orare, exemplo Dauid, vt in via Domini viuificentur, & vt pennæ columbæ eis dentur, vt volare possint & requiescant. Secundo potest valere ad detestationem acediæ hoc quod ille qui hoc vitio à diabolo capitur, ignominiosius capitur cæteris peccatoribus, sola enim ignauia capit eum, & quandoque solus timor. Vnde Prouerb. 18. *Pigrum deijcit timor, & animæ effœminatorum esurient.* Multum posset erubescere ille, quem solus timor deiicit de equo virtutum, cum timor non sit nisi quædam pictura terribilium. Præterea cum timor sit de malo futuro, ille quem timor vincit, quodammodo vincitur ab hoste qui nondum est, sed futurus, & quandoque etiam futurus non est. Vnde Sen. Illud tibi præcipio, ne sis miser ante tempus. Illa quæ velut imminentia expauisti fortassis nunquam ventura sunt. Tertiò potest valere ad detestationem accediæ, hoc quod homo accediosus valde ignominiose deti-

netur captus. Non enim ligatus est vinculis ferreis, imò nec stupeis, sed potius nullis: Solo enim desiderio detinetur: nec debet aliquem carcerem quo claudatur, vel custodes quibus custodiatur, nisi pro vi su nnit. Vnde Prouerb. 15. *Iter pigrorum quasi sepes spinarum.* Homini pigro videtur, quod viæ sibi spinis clausæ sint, & quod nullo modo fugere possit de manibus diaboli. Videtur sibi quod si conuertatur ad Dominum, statim debeat mori. Vnde Genes. 4. dicit Cain: *Omnis qui inuenerit me, occidet me.* Idem legitur Prouerb. 22. Dicit piger: *Leo est foris, in medio platearum occidendus sum.* Et 26. dicit piger, *Leo est in via, in itineribus leæna.* Mirum est quare ita timent pigri conuerti ad Dominum, cum videant eos, qui ad Dominum, conuertuntur, diutius viuere, & pulchriores esse. Quartò potest facere ad detestationem acediæ hoc, quod vitium istud solum vel maxime homines infestat & impugnat quando sunt in seruitio Dei. Vnde partem Dei nititur ei auferre, nec parum deteriorat eam: quandoque enim efficit vt psalterium totum cum fastidio & acedia dictum minus sit gratum Deo, quam psalmus vnus cum deuotione & hilaritate dictus. Vnde Hieron. Malo psalmum vnum cum hilaritate mentis decantare, quàm totum psalterium cum fastidio, torpore & acedia. Quintò potest valere ad detestationẽ acediæ, hoc quod acedia est valde grauis infirmitas. Tria autem faciunt ad grauitatem istam. Primum est hoc, quod illi qui laborant hac infirmitate nesciunt se infirmos esse: vnde se sapientes esse reputant, & alios iudicant. Ideò dicitur Prouerb. 26. *Sapientior sibi videtur piger septem viris loquentibus sententias.* Periculosa vero solet esse infirmitas, quæ non agnoscitur, quia eius remedium non quæritur. Vnde Bernard. Scio longius à salute absistere membrũ, quod obstupuit, & ægrum sese non sentientem periculosius laborare. Secundò facit ad grauitatem huius infirmitatis eius prolixitas. Est enim acedia velut febris lassa. Vnde de illa potest intelligi, quod dicitur Eccles. 10. *Languor prolixior granat medicũ.* Tertiò facit ad grauitatem huius infirmitatis hoc, quod reddit hominem impotentem ad operandũ. Vnde significatur per paralysim, Matth. 8. & Matth. 9, per ariditatem manus. Matth. 12. vbi legitur sic. *Et ecce homo habens manum aridam, &c.* Acediosus manum dexteram aridam habet, sed non sinistram: quia impotens est ad hoc bene operandum, sed non ad male operandum. Vnde Zach. 11. dicitur de malo pastore: *Brachiũ eius ariditate siccabitur, & oculus eius dexter tenebrescens obscurabitur.* Tũc oculus dexter obscuratur, quando pastor ad spiritualia cæcus efficitur. Acedia est velut febris illa, quæ dicitur hectica, quæ prouenit ex consumptione naturalis humiditatis. Sic acedia ex defectu humoris gratiæ. Sextò potest valere ad detestationem acediæ hoc, quod acediosus iniquus est in Deum: quia defraudat eum in lucro talenti, quod ei commisit. Iniquus est in proximũ, & quia eum scandalizat, & quia defraudat eum in hoc, quod vult comedere & bibere, sicut & ipse, & tamen non vult laborare sicut ipse. In se ipsum etiam iniquus est, quia hostes suos nutrit à quibus perimatur, scilicet vitia.

PARS SECVNDA, QVÆ habet xvij Capitula.

De diuersis generibus peccatorum, quæ ad hoc vitium pertinent.

CAP I.

De tepiditate & malis, quæ in homine tepiditas facit.

DIcto de his, quæ faciunt ad detestationem acediæ, consequenter dicendum est de diuersis speciebus vitiorum, quæ ad acediam pertinent. Videntur autem ista xvij. vitia ad acediã pertinere, Tepiditas, mollities, somnolentia, otiosi-

tas, dilatio, tarditas, negligentia, imperfectio siue imperseuerantia, remissio, dissolutio, incuria, ignauia, indeuotio, tristitia, tædiũ vitę, desperatio. Tepiditas est paruus amor boni. Et videtur esse tepiditas prima radix in peccato acediæ, & ex hac videntur nasci cætera vitia enumerata. Facit autẽ tepiditas multa mala in homine. Primò Deo vomitum prouocat, vt prius ostensum est. Tunc tepidus à Deo euomitur, quum in deteriora labi permittitur, vel impœnitens moritur. Secundò fiduciam tentandi & accendendi diabolo præstat. De multis enim vitijs tentat diabolus hominem tepidum, de quibus non auderet tentare hominem feruentem. Vnde dicit authoritas. Ollæ feruenti muscę non insident. Tertiò reddit hominem, quasi impotentem & contractum: vt patet in illis qui cum valde fortes sint, non possunt sextam partẽ pœnitentiæ facere, quam fecit vetula vna, quod accidit propter tepiditatem, scilicet paruũ habent desideriũ agendi pœnitentiam. Vnde Bernard. forsitan adeò non possumus, quia non multum volumus. Tepiditas etiam facit, vt homo petat & non accipiat. Accidit enim, quod aliquis xx. annos nõ accipit, quod in oratione petit, quia petit tepide; quod alius qui feruenter peteret, vna die impetraret. Vnde Aug. Seruat tibi Deus, quod non vult cito dare, vt & tu discas magna magne desiderare. Tepiditas etiam facit vt homo semper pugnet, nec vnquã vincat, nec illam sublimem promissionem vincentium vnquam accipiat, quæ habetur Apocal. 2. *Vincenti*, inquit, *dabo manna absconditum.* Tepidus autem adeo remisse agit, quod nunquã peruenit ad retributionem, quæ est incustodia mandatorum. Quæ tanta est, quod non potest dici, sicut dicit Gloss. super illud. In custodiẽdis illis retributio multa. Tepidus similis est homini auaro, de quo dicitur vulgariter, quod tantum expendit quantum largus, & tamen non habet inde gratiam, nec mercedem, quia pro modico multum perdit. Tepidus semper seminat in presenti vita, & nunquàm metit, quia ad pacem animi non peruenit. Ideò dicit beatus Bernar. contra tepiditatem istam: Si incipis, incipe perfectè: si imperfectus es, hoc iam perfecte age: si perfectionis aliquid attigisti, teipsum in temetipso metire.

Capvt I.

De Mollitie.

Sequitur de Mollitie, quæ est impatientia rei duræ. De qua legitur Prouerb. 18. *Qui mollis est & dissolutus in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* Mollis est ille, qui cedit duris: id est tribulationibus succumbit. Vnde quando in opere inchoato aliquod durum occurrit, ipse ab opere desistit, & talis frater est sua opera dissipantis. Idem enim est, ac si ea dissiparet. Mollities ista est velut quædã culcitra, in qua diabolus in homine quiescit. Homo etiam mollis est velut homo viuens, qui ad ignem tribulationis quasi liquefit, & ad nihilũ redigitur. Ad quantam miseriam deuenturi sint qui molles sunt, insinuatur Deut. 28. vbi sic legitur. *Homo delicatæ vitæ & luxuriosus valde inuidebit fratri suo, & vxori quæ cubat in sinu suo, ne de eis det carnibus filiorũ suorũ quos comedet, eo quod nihil habeat aliud.* Et paulò pòst: *Tenera autẽ mulier & delicata, quæ super terram ingradi non volebat, nec pedis vestigiũ figere, propter mollitiẽ & teneritudinẽ nimiã, inuidebit viro suo, qui cubat in sinu suo super filij & filiæ carnibus.* Sũmum remediũ contra mollitiẽ istã est ignis SpiritusS. qui lutea cõsolidat, valet etiã cõtra istam mollitiẽ assuetudo durorũ. Vnde Bernard. Rusticus duros habet neruos, fortes lacertos. Exercitatio hoc fecit, sed cũ corpore mollescit. Dissolutus potest vocari in verbo proposito, qui molli est, & qui nullo amore ligatus est ad opus bonum vel qui paralyticus est, Paralysis enim dissolutionem sonat.

Mollæ molleties quid.

Cap. III.

De somnolentia : vbi ponuntur duo exempla, quæ valent contra eos qui nomine contemplationis palliant pigritiam suam.

SEquitur de peccato somnolentiæ, quod ad acediam pertinet. Quia sicut legitur Prouerb. 19. *Pigredo immitit soporem*, quod potest inteligi de sepore contemplationis, & de sopore corporis. Somnum contemplationis pigredo immittit in illos, qui nomine contemplationis palliant pigritiam suam, nolentes operari aliquid. Contra quos possunt valere duo exempla, quæ subiungimus. Legitur in vitis patrum, quod quidam peregrinus venit ad abbatem Syluanum in montem Sina. Et cum videret fratres operantes, dixit: Quare operamini cibũ qui perit? *Maria enim optimam partẽ elegit, &c.* Tunc senex fecit ei dari codicem vt legeret includẽs eum in cellula. Cum igitur transisset hora nona circunspiciebat ille vtrum quis vocaret illum ad cibum: & veniens ad senem interrogauit vtrum fratres comedissent. Cui respondit senex: Tu homo spiritualis es: & non necesse habes hanc escam. Nos autem tanquam carnales comedimus, & ideò operamur. Quod cum audisset, cœpit pœnitere. Cui abbas: Ergo necessaria est Martha Mariæ. Item abbas Ioan. dicebat fratri suo maiori: Vellem semper esse securus sicut Angeli securi sunt, nihil operantes, sed sine intermissione Deum collaudantes. Et proiecto pallio suo intrauit in eremum. Et post septimanam reuersus est, & pulsauit ad ostium fratris sui, qui quæsiuit, Qui es tu? Et ille respondit, Ego sum Ioann. Et frater dixit: Ioannes angelus factus est, & vltra inter homines non est. Ille autẽ pulsabat, dicens: quia ego sum, & non aparuit, sed dimittit eum affligi. Tandem aperuit ei, dicens: Si homo es, iterum habes necesse operari, vt viuas. Si autem Angelus, quid quæris intrare in cellam? Et ille statim pœnitentiam egit.

De somno corporis.

DE somno vero corporis satis planũ est, quia pigredo immittit eum. Multi enim ex pigredine conantur ad dormiendum, cum tamẽn dormire non possint. De somno vero corporis ad præsens tria ostendemus. Primò ostendemus ea, quæ sunt reprehensibilia circa somnum. Secundo ea quæ deberent homines cohibere à nimietate somni. Tertiò, quæ sint necessaria ad hoc, quod aliquis dormiat pro vt debet.

Quinque reprehensibilia sunt circa somnum corporis.

QVinque vero reprehensibilia sunt circa somnũ. Primò nimietas somni: ad quod pertinet illud Prouer. 33. *Vsquequo piger dormis?* Secundò reprehensibilis est circa somnum brutalitas: videlicet quando aliquis dormit vt porcus. Vnde Bernard. Carnalis somnus & brutalis: & sicut dicitur Ietheus abominandus est seruo Dei. Idem: Caue inquantum potes serue Dei, ne sit somnus tuus vt requies lassi, sed sepultura corporis suffocati. Tertiò, reprehensibilis est tristitia in surgendo à somno, Vnde Eccles. 32. *hora surgendi non te tristet*: Quartò, reprehensibilis est pigritia surgẽdo à somno, Vnde legitur Eccles. 29. *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lecto suo.* Quintò, reprehensibilis est circa somnum inoportunitas somni; vt quando aliquis dormit quando non esset dormiendum, vt in tempore orationis. Contra illud 1. Petr. 4 *Estote prudentes, & vigilate in orationibus*: vel cum aliquis dormit in sermone, vel lectione. iuxta illud Ecclesiast. 22. *Cum dormiente loquitur qui narrat stulto sapientiam.* Si stultus non habuisset voluntatem dormiendi per duos dies: tamen tempore lectionis vel sermonis dormiret. Tempus etiam in quo dormiendum

midiendum non est, tempus matutinum est. Illud enim tempus non est somno occupandum: quia valdè vtile est & studio, & orationi, & diuinæ laudi, & Dei consolatio frequentius tempore illo recipitur. Ad primum pertinet quod dicitur in Psalm. 5. *Manè astabo tibi, &c.* Et ad secundum pertinet, quod legitur Iob 8. *Si diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus, statim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum tuum.* Et Sap. 16. *Oportet præuenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum solis te adorare.* Primo pauperi, qui eis occurerit consueuerunt diuites dare: Sic Dominus libentiùs eos exaudit, qui manè valdè orant eum. Ad hoc autem, quòd matutina hora sit idonea ad laudandum Deum, pertinet illud quod legitur Iob 38. *Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Astra matutina sunt viri contemplatiui, qui horis matutinis præcipuè laudant Deum. Ad hoc verò, quòd consolatio Dei matutinis horis præcipuè recipiatur, pertinet illud Iob. 7. *Visitas eum diluculo.* & illud Esaiæ 26. *De manè vigilabo ad te.* Et Exod. 16. *Filij Israël colligebant manna hora matutina.* Ad significandum quòd tunc dulcedo Spiritus sancti colligenda est. Sicut corporum amatores stabiliunt corpus, aliquid in manè gustando: sic dulcedine Spiritus sancti in manè stabiliendus est spiritus. Vnde ad Hebr. 13. *Optimum est gratia stabilire cor.*

De tribus quæ deberent homines cohibere à nimietate somni.

TRia autem sunt, quæ deberent homines cohibere à nimietate somni. Primò, exempla, ad quod pertinet illud verbum Augustini prius positum: indecens est Christiano, si radius solis inueniat eum in lecto. Secundò, hoc, quòd somnus absque necessitate, est temporis amissio. Vnde Bernard. Quantum ad debitum continui profectus, nil ita deperit de vita nostra, quàm quòd somno deputatur. In veritate somnus est, quasi quędam species, vel imago mortis. Tertiò, deberet cohibere homines à nimietate somni multiplex malum, quod in scripturis legitur ex somno accidisse. Et de hoc sufficiat ponere quinque exemplæ. Primum exemplum est Iudic 4. de Sisara, qui cùm bibisset lac, obdormiuit, & interfectus est à Iahel, clauo in cerebro eius defixo. Secundum exemplum est Iudicum 16. de Samsone, quem Dalila fecit obdormire super genua sua, & rasis septem crinibus, captus est, & exoculatus. Tertium exemplum est in Iudith 13. de Holoferne, qui dormiens, à muliere Hebręa interfectus est. Quartum exemplum est Matth. 26. vbi Apostoli somnolenti leguntur Christum amisisse. Quintum exemplum est Act. 20. de quodam adolescente nomine Eutycho, qui cùm disputante Paulo, graui mergeretur somno, cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus.

De tribus necessariis homini, vt debito modo dormiat.

TRia autem necessaria sunt homini, ad hoc, quòd debito modo dormiat. Primò, necessarium est ei, vt vigilando laboret. Vnde Eccl. 5. *dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multùm comedat.* Homo otiosus affligitur, non solùm dormiendo, sed etiam vigilando. Secundò, necessarium est ei, vt sobriè potu & cibo vtatur. Tertiò, vt sensus suos sobrios custodiat. Vnde Bernardus. Sobrium cibum, sobrium sensum, sobrius sequitur somnus.

CAP. IV.

De otiositate, & quòd stultus sit otiosus.

CIrca hoc peccatum primò ostendemus, quàm stultus sit, qui otium diligit. Secundò, ostendemus, quòd otio-

si, licet semper reprehensibiles sint, præcipuè tamen tempore gratiæ reprehensibiles sunt. Tertiò, tangemus ea, quæ attendenda sunt alicui in occupatione quod vult eligere. Quàm stultus verò ille sit qui otium diligit, ostenditur Prou. 12. vbi sic legitur: *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est*. Non solùm stultus est talis vel stultior, sed etiã stultissimus.

De tribus gradibus stultitiæ.

PRimus gradus stultitiæ est, vitã suam negligere, ei necessaria quærendo. Secundus gradus est, vitam suam hostibus indefensam exponere. Tertius gradus est, hostes qui eum interimant, pascere. Hos tres gradus stultitiæ habet, qui sectatur otium. Vitæ enim æternæ, quæ futura est, non prouidet: hostibus etiam suis, scilicet vitiis, & dæmonibus se exponit, vt iam ostendetur. Hostes etiam suos nutrit, quia otio vitia nutriuntur, & impinguantur: sicut & anseres, & etiam equi solent otio impinguari.

De XII. stultitijs hominis otiosi.

ET possumus assignare duodecim stultitias, quæ sunt in homine otioso. Prima stultitia est, quòd ipse diabolo locum facit. Contra illud Apostoli ad Eph. 4. *Nolite diabolo locum dare*: vnde videtur diaboli societatem amare. Apud hominem occupatum non habet diabolus vbi possit esse, quia res perfectè occupata, non est capax alterius rei. Ideò, dicit Hier. semper aliquid boni operis facito, vt te diabolus inueniat occupatum. Ex hoc verò, quòd aliquis in se diabolo locum facit, iam est indignus omni loco, præterquam inferno: vnde primus locus otiosi est infernus, sicut & diaboli. Quod sic potest ostendi: Constat, quòd otiosus cælo non recipiatur. Cælum enim merces erit tantùm eorum, qui operati fuerint. Vnde Matth. 10. *Voca operarios, & redde illis mercedem*. In paradiso etiam terrestri non recipietur. Vnde Genes. 2. *Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur*. In Purgatorio etiam non recipietur. Vnde Psal. 72. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur*. Otiosi non laborant cum hominibus, & ideò non flagellabuntur cum hominibus in purgatorio, sed cum dæmonibus in inferno. Otiosus etiam indignus est esse in mundo isto. Vnde Lucæ 13. de ficulnea sterili. *Succide illam, vt quid terram etiam occupat?* Relinquitur ergo, quòd solùm in inferno dignè sunt otiosi. Secunda stultitia est, quòd otiosus in tali statu se ponit, quando brutis animalibus inferior est, quod ad hoc, quòd brutis animalibus licitum est comedere: homini verò otioso prohibet hoc Apost. 2. ad Thess. 3. dicens: *Si quis non vult operari, nec manducet*: homo otiosus est velut homo mortuus. Vnde Sen. Otium sine literis, mors est, & viui hominis sepultura. Et Eccl. 9. *Melior est canis viuus leone mortuo*. Leo mortuus est aliquis magnus otiosus, cui præualet canis viuus: id est, aliquis vilis strenuè operans: imò etiam otiosus est plusquam mortuus. Vnde in epist. Iudæ dicitur de quibusdam, quòd sint arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ. Arbor in autumno plantata, quando facit fructum, serò facit illum. Sic aliqui, dum sani sunt, otiosi volunt esse: sed in articulo mortis, tunc primò volunt fructum pœnitentiæ facere. Ideò, frequenter accidit, quòd absque fructu decedunt. Et tales homines infructuosi, quasi bis mortui sunt: quia non solùm mortis temporalis, sed etiam æternæ sunt debitores. In quo deterioris conditionis sunt, quàm bruta animalia. Illa enim solùm mortem temporalem habent. Tertia stultitia est, quòd ex negligentia excolendi se, fructũ sui ipsius amittit. Si quis vineam haberet, in qua mille asinatas vini posset colligere, valdè reputaretur fatuus, & infelix ab

omnibus, si ex negligentia excolendi eam, fructum illum amitteret. Fructus quem quis in se colligeret, si se diligenter excoleret, præualeret vino regni illius. Quàm fatuus est ergo, qui ex negligentia tantum fructum amittit, quem in se colligere posset? Multùm deberet confundi talis. Ideò dicit Seneca: Turpissima iactura est, quæ per negligentiam fit. Turpissimam ideò vocat eam, quia est erubescentia plena. Nemo est ita pauper, qui de fructu oris sui ita ditari non posset, si benè excoleret illud. Vnde Prouerb. 12. *De fructu ventris sui, vnusquisque replebitur bonis.*

De octo fructibus oris.

EX ore suo posset homo colligere octo genera fructuum valdè pretiosorum, non solùm per annum, vel per mensem, sed etiam singulis diebus, si quis benè excoleret os suum. Primus fructus est Dei laudatio. Secundus est gratiarum actio: pretiositas verò horum fructuum ex hoc manifesta est, quòd cælestes arbores tales fructus ferunt. Ibi enim sonat gratiarum actio, & vox laudis. Iuxta verbum Prophetæ. Tertius fructus est oratio. Cuius fructus pretiositas manifesta est ex hoc, quòd ab Angelis in cælos defertur. Tobiæ duodecimo: dicit Angelus: *Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Non est vile xenium vel donum, quod à tantis nuntiis Deo præsentatur. Ex virtute etiam orationis manifesta est pretiositas huius fructus. De qua dicit Gregorius. Magna virtus orationis, quæ effusa in terris, cælis operatur. Quartus fructus est confessio. Cuius fructus pretiositas patet ex hoc, quòd Deus vult fructum istum semper ante se habere. Vnde in Psalm. 95. *Confessio & pulchritudo in conspectu eius.* Consueuerunt diuites, quando diuersi fructus portantur ante eos, illum retinere, ante se quem præcæteris amant. Ideò autem Dominus amat confessionem: quia confessio efficit, & custodit pulchritudinem. Pretiositas etiam huius fructus ex hoc patet, quòd nullus Deo adeò displicet, qui non placeat ei, si fructum humilis confessionis ei offerat, vel etiam offerre proponat. Vnde Psalm. 31. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino.* Latro dum in cruce humilem confessionem Deo obtulit, à patibulo inferni se absoluit, & regnum æternum meruit. Quintus fructus est modestia, quæ in hoc attenditur, vt homo modum ponat in verbis suis, quoad quantitatem, & vt loquatur qualia debet loqui, scilicet vera, & quæ ad Dei sunt gloriam, & proximi vtilitatem, & vt loquatur qualiter debet loqui, scilicet non clamosè. Pretiositas huius fructus patet ex hoc, quod legitur Prouerbiorum 17. *Qui moderatur sermones suos, prudentissimus est.* Sextus fructus est abstinentia, cuius fructus patet ex hoc, quod tantæ virtutis est abstinentia, quòd vitam hominis prolongat. Vnde Eccles. 37. *Qui abstinens est adiiciet vitam.* Talis virtutis dicuntur fuisse fructus arboris solis & lunæ. De quibus legitur in hist. Alexandr. Sacerdotes enim solis & lunæ fructibus illis vescentes, referuntur vixisse annis xl. absque læsione. Septimus fructus est, fraterna eruditio. Fructum istum specialiter ferre voluit ipsum lignũ vitæ: scilicet ipse Filius Dei. Marci 1. *Eamus in ciuitates & vicos proximos, vt ibi prædicem: ad hoc enim veni.* Octauus fructus est, fidelis reclamatio, quando homo videt iniurias inferri Deo, vel proximo. Pretiositas verò huius fructus manifesta est ex eius raritate. Pauci enim inueniuntur, qui istum fructum habeant. Vnde Prou. 20. *Multi misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inueniet?* Videmus quotidie fratres nostros à canibus dilacerari, & non est qui reclamet: id est, à detractoribus. Imò quod plus est, videmus ipsũ Deum à lusoribus

crucifigi, & non est qui inde loquatur. Illi, qui solo verbo possent Dei has contumelias impedire, non curant hoc loqui. Quarta stultitia otiosi est, quòd ipse exponit se absque defensione hostibus suis. Otiosus est sicut signum ad sagittam. Potest enim à dæmonibus vndique sagittari. Vnde potest dicere Threno. 3. *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.* Occupatio velut quidam clypeus est contra sagittas diaboli. Vnde Poëta: *Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.* Est etiam otiosus velut castrum absque muro. Vnde Ezech. 38. *Ascendam ad terram sine muro*, verbum est diaboli. Veniam ad quiescentes, habitantesque securè. Homo verò occupatus est velut castrum benè clausum. Vnde Augustinus. Non facilè capitur à tentatore, qui bono vacat exercitio. Homo otiosus non tantùm vni hosti expositus est, sed etiam pluribus. Vnde habetur in vitis Patrum, quòd dixerunt seniores operantem Monachum dæmone vno pulsari, otiosum verò, innumeris spiritibus deuastari. Quinta stultitia est, quòd cùm ipse valdè pauper sit, & nihil lucretur, tam largè expendit res valdè pretiosas, scilicet tempus suum, & bona sua naturalia: vnde in hoc negotio nihil est deterius otio, quòd non solùm noua non acquirit, sed etiam parta consumit. Sexta stultitia otiosi est, quòd ipse facit quasi receptaculum omnium sordium. Vnde Barnardus. Omnium tentationum & cogitationum malarum & inutilium sentina est otium. In sentina sordes recipiuntur in nauibus marinis: Sic cor otiosi quasi omnes sordes recipit vitiorum. Licet ergo otium origo possit esse omnium peccatorum, spiritualiter tamen occasio est istorum peccatorum, scilicet luxuriæ, verbositatis, nugarum, & curiositatis, & superbiæ. De peccato luxuriæ habemus exemplum Dauid, qui dum occupatus fuit bellis, continens fuit: posteà verò tempore otii, adulterium commisit, vt legitur 2. Reg. 11. Salomon etiam, dum occupatus fuit circa templum & alia ædificia, non ita infatuatus fuit in amore mulierũ, vt posteà quando factus est otiosus. Poëta etiam dicit: *Quæritur Ægistus, quare sit factus adulter. In prõptu causa est, desidiosus erat*, & Ezec. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, abundantia & otium.* De verbositate & curiositate legitur 1. ad Tim. 5. *Adolescentiores viduas deuita.* Et subditur. *Discunt enim circuire domos, non solùm otiosæ, sed etiam verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet.* De nugis verò dicit beatus Bernardus. Otiositas est mater nugarum, nouerca virtutum. De superbia verò dicitur in Psalm. 72. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideò tenuit eos superbia.* Septima stultitia otiosi est, quod ipse secum vult habere, qui eum de malitia instruat: vnde si sapiens sit, non faciet mala. Otiositas quasi quædam magistra malitiæ est. Vnde Eccles. 33. *Seruo maleuolo tortura & compedes: mitte eum in operationem, ne vacet. Multam enim malitiam docuit nos otiositas.* Octaua stultitia otiosi est, quòd quum ipse sit submersus in profundo stultitiæ, sine malitia, non vult tamen porrigere manum ad laborem, licet aliter euadere non possit. Vnde Seneca. A stultitia nemo emergit, nisi manum porrigat ad laborem. Homo otiosus, qui non vult se occupare, vt à peccato possit exire, tali stultitia laborat, qua laboraret ille, qui cecidisset in aquam profundã, & pigritaretur manum porrigere ad arborem sibi proximã: quum tamen aliter nõ posset à naufragio liberari, occupatio bona lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam. Et frustra laborat otiosus, ad exeundum à peccatis, nisi se occupet. Nona stultitia otiosi est, quòd ipse quiescit, quando laborandum esset, scilicet in præsenti, & ideò laborabit, quando esset quiescendum, scilicet in futuro. In quo

similis est illi, qui dicit Esaiæ 14. *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Cui dicit beatus Bernard. O impudens & imprudens, millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistebant ei, & tu sedere præsumis. Mundus iste locus laboris est. Vnde Iob 5. *Homo nascitur ad laborem, & auis ad volandum.* Vnde dictum est ad Adam quando erat eiiciendus à paradiso, & ponendus in terra ista: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Decima stultitia otiosi est, quò ipse vult Deum quodammodo præire, dum solus vult quiescere, & non laborare, cum Dominus sex diebus operatus sit, & in septimo requieuerit. Vnde Genes. 2. *Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit ab omni opere, quod patrarat.* Vndecima stultitia otiosi est, quod ipse refugit illud, quod est iocunditas & sanitas tam animæ, quam corporis, scilicet moderatum laborem. Duodecima stultitia otiosi est, quod ipse diligit illud vnde Dei maledictionem incurrit, & inde in vniuersitatem vitiorum incidit. Ad primum pertinet, quod legitur Matth. 21. de ficulnea, quam Dominus maledixit, ideò quod esset sine fructu. Ad secundum pertinet illud verbum Bernardi, Summa mentis mollitia est otium iners.

Quam irreprehensibiles sint otiosi tempore gratiæ.

SEquitur videre quare potius reprehensibiles sint, qui tempore gratiæ sunt otiosi: quam qui fuerunt ante otiosi. Quod patet ex hoc quod legitur Matthæi. 20. *Qui hic statis tota die otiosi:* Illos reprehendit paterfamiliâs quos otiosos inuenit vndecima hora. Per quos significantur illi, qui sunt otiosi in tempore gratiæ. Et possunt super hoc quatuor causæ assignari. Prima causa est hæc, quod Dominus dedit nobis formam iam laborandi & exemplum. Vnde ad Philip. 2. *Exinaniuit semetipsum, forma serui accipiens.* Magna superbia esset si vellet quiescere seruus ex quo laborat Dominus. Vnde Matth. 10. *Non est discipulus super magistrum nec seruus super dominum suum.* Secunda causa est, quia tempore gratiæ sumus serui emptitii: & ideò magis ad laborem tenemur. Vnde Apostolus 1. ad Corinth. 6. *Empti estis pretio magno.* Tertia causa est, quia melior merces nobis promittitur. Iudæis enim promittebeatur terra, nobis vero promititur cœlum. Vnde Matth. 3. *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Quarta causa est, quia & si spiritualibus qui erant in veteri lege promitteretur regnum cœlorum sub figura terræ promissionis, tamen illa multum illis differebatur. Non enim acceperunt mercedem suam vsque post passionem Christi. Nimis erat lõga via in paradisum, quando oportebat ire per infernum: sed modo in momento vno lucratur aliquis paradisum, vt cum póst verum baptismum decedit, vel cum post tantam contritionem, quæ sufficiat ad deletionem culpæ & pœnæ. Vnde Bernardus in persona ecclesiæ: Labor meus vix est vnius horæ: & si amplius, præ amore non sentio. Vnde Luc. 14. *Misit Dominus seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia.* Hora cœnæ est tempus gratiæ, in quo omnia sunt parata: quia nihil amplius necesse est ad hoc quod aliquis ad æternam cœnam introducatur, nisi quod manus suas lauerit: id est, purgatus perfectè fuerit.

Quod tria sint attendenda circa occupationem.

SEquitur videre quid attendendum sit in occupationem, quam aliquis eligit. Tria autem attendenda sunt circa eam, scilicet quod occupetur. Vnde Hieron. Semper aliquid boni facito, vt te diabolus inueniat occupatum. Et vt tædium remoueat, iuxta illud verbum Senecæ: Occupatione bonarum artium occupandi sumus, quoties malè habet

inertia impatiens sui. Et vt vtilitatem habeat. Pro vitando enim otio, otiosa sectari ridiculum est, vt dicit Bernardus. Idem: Non tantummodo agendum est, vt cum aliqua delectatione vel sine grādi nausea dies transigatur: sed vt etiam de peracta dieta ad profectum mentis semper aliquid in conscientia resideat: aliquid in thesaurum cordis quotidie congeratur. Magis attendendum est etiā in occupatione, quod occupet animum, quam quod occupet corpus. Item secundum Bernard. Meliora sunt exercitia spiritualia, quàm corporalia. Et inter corporalia melius est, quod similius est spiritualibus, vt scribere. Et notandum, quod quidam nolunt operari: quia hoc sibi dedecus reputant. Credunt enim honorabiliores burgenses esse illos, qui nihil agunt: nisi quod comedunt & bibunt, & aliis deliciis intendunt. Sed eadem ratione porcos possunt præferre equis & cæteris animalibus, qui nihil agunt nisi quod comedunt & bibunt. Et in veritate tales homines per porcos etiam significantur. Matth. 8. vbi dicunt dæmones Domino: *Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.*

Cap. V.

De vitio dilationis. Et primò de dilatione conuersionis.

Sequitur de vitio dilationis, quo vitio multum laborat genus humanum. Vnde Seneca: Nemo quidquam habet facti. In futurum enim nostra distulimus. Et nocet hoc vitium multum homini. Vnde versus: *Et nocet, & nocuit semper differre paratis.* Item, *Qui non est hodie, cras minus aptus erit.* Duæ autem sunt species dilationis, quæ multum nocent hominibus: scilicet dilatio conuersionis, & dilatio confessionis, de quibus modo prosequemur. De prima legitur Ecclesiast. 5. *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Et eiusdem 17. *Ne demoreris in errore impiorum.* Et 21. *Fili, peccasti, non adiicias iterum: sed de pristinis deprecare Dominũ vt tibi dimittantur.* Ad eandem dilationem potest referri illud Esaiæ 28. *Erit eis verbum Domini, Manda remanda, manda, remanda, expecta expecta, expecta, expecta, modicum ibi, modicum ibi: vt vadant & cadant retrorsum, & conterantur.* Verbum Domini multis est occasio huiusmodi derisionis: multi enim quando admonentur de sua conuersione respondent Domino, ad minus facio sic, *Manda remanda, &c.* Hoc procurat diabolus, vt dum differunt venire ad Deum, vadant ad infernum, & cadant retrorsum: id est, improuise moriantur & conterantur, id est, irrecuperabiliter damnentur. Ad eandem dilationem pertinet illud verbum Augustini loquentis ad Dominum: Non erat quod tibi responderem dicenti mihi, Surge qui dormis nisi verba somnolenta & lenta modo ecce modo sine paululum. Sed illud modo non habebat modum, & illud paululum ibat in longum. Item Augustinus de eadem dilatione: Differebam de die in diem viuere in te, & non differebam in memetipso mori. Et illud Senecæ: Quidam tunc viuere incipiunt, cum desinendum est. Quidam autem desierunt antequam inciperent. Et illud Sophoniæ 2. *Vox cantantis in fenestra, & coruus in superliminari.* Dominus stat ad ostium domus peccatoris, & pulsat. Vnde Apocalyp. 3. *Ecce ergo sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.*

De duobus quæ impediunt, ne Deus intret ad cor peccatoris. Et de repromissione eius: qui differt conuerti.

DVo vero sunt, quæ impediunt ne Dominus intret ad peccatorem, Primum est hoc, quod peccator habet oculum ad prospera & læta, cum potius deberet habere ad tristia, scilicet pericula quæ sibi imminent. Vnde Ecclesiast. 7. *Cor sapientium vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia est.* Et ista cogitatio dicitur in prædicto verbo Sophoniæ 1. *Vox cantantis in fenestra.* Et impedit ne Dominus ad peccatorem intret. Exemplum habemus de hoc in ciuitate Ierusalem, quæ oculum habebat ad læta, vnde gaudebat cum fleret Dominus pro ea: vnde Lucæ 19. *Videns Iesus ciuitatem fleuit super eam, dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi.* Secundum quod impedit ne Dominus intret ad peccatorem, est procrastinatio. Et ista procrastinatio est velut coruus in superliminari, dicens Domino pulsanti ad ostium, *Cras, cras.* Prouenit autē ista procrastinatio ex hoc quod peccator repromittit sibi longam vitam. Vnde Eccl. 2. *Repromissio nequissima multos perdit.* Repromissio qua peccator sibi repromitit longam vitam, nō solum nequam est, sed etiam nequior, & nequissima. Nequam est ideò, quia sibi vsurpat peccator hoc quod propriū Dei est, scilicet de futuro tempore disponere. Vnde Act. 1. *Non est vestrum nosse tempora vel momēta, quæ pater posuit in sua potestate.* Et Bernard. dicit ei qui de futuro tempore disponendo præsumit: Quid de futuro miser tam temerariè disponere præsumis, tamquam pater tēpora & momenta in tua, & non magis in sua posuerit potestate; Nequior vero est repromissio ista: quia cum tempus infiniti valoris sibi à Domino dantum fatue expenderit, adhuc tamen præsumit, quod Deus multum temporis sibi sit daturus. Tali fatuitate laborans, qua laboraret ille, qui thesaurum magnum sibi à patre deditum ad negotiandum fatue expendisset, & adhuc large expendere vellet, dicens: Bene possum expendere, pater meus satis adhuc mihi dabit. Cui respōderi posset: Verum est: quia ita bene custodisti, quæ tibi iam dedit. Tales deberent aduertere hoc, quod Dominus tempore Noe recidit de tempore pœnitentiæ hominibus promisso, secundū Strabū vinginti annos, eo quod videbat quod homines pœnitere nolebant. Si vero Dominus tempus promissum nolentibus pœnitere abstulit: quid facies de his, quibus nullum tempus promisit? Nequissima vero est repromissio ista: quia talis non tantum tempus sibi datum perdidit, imò etiam in contumeliam ipsius largitoris expendit, & futurum tempus in contumeliam eius expendere disponit. Qua fronte ergo præsumit, quod Deus, qui ista nouit, debeat sibi longam vitam dare? Ad hanc dilationem potest etiam referri, quod legitur Prouerb. 3. *Ne dicas amico tuo, Vade, & cras reuertere, cum statim possis dare*

De octo, quæ mouere deberent ad accelerationem conuersionis.

OCto vero sunt, quæ deberent hominem mouere ad accelerandam conuersionem. Primum est, mortis incertitudo. Vnde Lucæ 12. *Estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Et Matth. 24. *Veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat.* Et iterum Lucæ 12. dicitur illi, qui dicebat animæ suę *Anima mea, multa bona habes reposita in annos plurimos: requiesce, comede, &c. Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te: quæ autem parastī cuius erunt?* Et Ecclesiast. 9. *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces hamo, & sicut aues comprehenduntur laqueo: sic capiuntur homines in tempore malo.* Et Seneca: Nescis quo loco te mors expectet: ideò tu

eam omni loco expecta. Quum nesciat homo quo loco mors debeat ei occurrere, nesciat homo quo loco eam magis debeat expectare: in omni loco expectanda est. Vnde Sen. Iuuenes mortem habent à tergo, senes ante oculos. Licet illud non videatur, quod à tergo est, nihilominus tamen nocere potest, & etiam amplius quam quod est ante oculos. Sic mors iuuenibus timenda esset vt senibus, licet illi non aduertant. Et hoc est vnum, quod multum deberet homines mouere ad accelerationem conuersionis, quod tot homines defuncti sunt, qui bene proponebant se quandoque facturos pœnitentiam, & præoccupati morte non fecerunt, nec de cætero vnquam facient. Nimius est thesaurus quem fatuus homo tanto discrimini subiicit, dum differt conuersionem suam. Secundò deberet homines mouere ad accelerationem conuersionis multiplex bonum, quod peruenit inde. De quo bono legitur Thren. 3. *Bonum est viro quum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua.*

De octo bonis, quæ sequuntur accelerationem conuersionis.

OCto vero bona sunt, quæ sequũtur ex hac acceleratione. Primum est, quod bonitas altius & profundius infigitur, eo quod inuenit subiectum magis tenerum. Vnde versus: *Quo semel est imbuta recens, seruabis odorem Testa diu.* Secundum est, quod homini iucundum est bene viuere. Vnde Sapiens: *Optima forma viuendi eligenta est, quam iocundam reddet assuetudo.* Ante assuetudinem molestum est equis ambulare, adeò vt oporteat vincula poni in pedibus eorum: postquam vero consueti fuerint, facile est eis. Similiter pueris in principio molestum est addiscere, adeò quod verberibus oporteat eos ad hoc compelli: postquam vero consueuerint, amore literarum patriam suam relinquunt & multas paupertates & molestias sustinent, vt addiscere possint. Sic bene viuere, quod primo hominem molestat, per assuetudinem fit homini iucundum. Tertium bonum est, quod homo secure viuit. Vnde Seneca: Pulchum est ante mortem consumare viam, deinde expectare secure reliquam temporis partem. De hac securitate legitur Prouerb. 15. *Secura mens quasi iuge conuiuiũ.* Quartum bonum est, quod homo Deo diutius seruit & diuitius bene viuit. Vnde August. Quid differs in crastinum; Longa vita bona erit si ipsa vita sit: Vtique si longa erit, melius bona erit. In veritate quando habiturus es longiorem vitam, tanto amplius desiderare debes vt bona sit. Sicut aliquis quando amplius habet de vino, tanto amplius desiderare debet vt bonum habeat, & amplius displicet sibi si corrumpatur. Quintum bonum est, quod gratius est seruitium eorum Deo, qui cito ad eum conuertuntur. Illi enim de puro, & optimo vtiæ suæ, & quasi de flore & vigore Deo offerunt: qui autem tarde volunt conuerti, quasi fæces Deo reseruant. Qui timere possunt ne de fæcibus calicis iræ Domini bibant: iuxta illud Psalm. 74. *Fex eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ.* Isti de vita sua primo offerunt, quod pulchrius est & melius in ea diabolo vel mundo, tanquam Domino: reliquias vero volunt Domino offerre, illud scilicet de quo mundus non curat: cum tamen ex optima & electa debeant esse. Vnde Ecclef. 13. *Fili si habes: benefac tecum, & dignas Deo oblationes offer.* Et in libro Numerorum 18. *Omnia quæ offertis de decimis & in donario Domini separabitis, optima & electa erunt.* De illo qui quod deterius est, Deo offert, dicit Dominus Malach. 1. *Offer illud duci tuo si placuerit ei, ac susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* Et iterum ibidem: *Maledictus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino, qui rex magnus est, dicit Dominus exercituum* Præcipuè placet Deo

Deo seruitium iuuenum. Vnde Dominus Matth. 19. *Sinite paruulos venire ad me, & nolite prohibere eos.* Et 21. *Nunquam legistis: quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?* Sextum bonũ est, quod homo moritur certus certitudine spei de salute sua. Econtrario incertus moritur, qui in fine pœnitet. Vnde August. Si quis positus in vltima necessitate voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & hinc vadit, fateor vobis: non ei negamus quod petit, sed non præsumimus. Pœnitentiam dare possumus, securitatem vero non. Non dico damnabitur, sed nec dico liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? Age pœnitentiam dum sanus es. Si sic agis, ego dico tibi, quod es securus: quia pœnitentiam egisti eo tempore quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitentiam quando peccare non potes, peccata te demiserunt, non tu illa. Item August. Duæ res sunt, aut ignoscitur, aut non ignoscitur: quid horum futurum sit tibi nescio: tene certum, & dimitte incertum. Septimum bonum est, quod ignis purgatorii euitatur. Licet ille qui tarde conuertitur, saluetur: sic tamen saluus erit quasi per ignem 1. ad Corint. 3. Octauum bonum est, quod maius præmiũ recipit. Habet enim Deus vnde melius remuneret eos qui sibi diutius seruierunt; & licet saluetur qui tarde conuertitur, si vere sicut ille qui cito conuertitur: tamen in domo Patris cœlestis mansiones multæ sunt.

De periculis malæ consuetudinis.

TErtiò deberet homines mouere ad accelerationem conuersionis magnum periculum malæ consuetudinis. Quod periculum manifestari potest ex diuersis testimoniis scripturarum, quæ subiungentur. Legitur Iob 20. *Ossa eius implentur vitiis adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient.* Vitia adolescentiæ si homo in his preseueret, sunt similia guttæ, quæ ossa subintrat, quæ vix curatur. Vnde talia vitia non relinquunt hominem dum viuit. Vnde Prouerb. 22. Prouerbium est. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Vnde narrat historia Græcorum, quod Alexander Magnus carere non potuit moribus & incessu Leonidis prædagogi sui, & vitiis quibus paruus fuerat infectus. Et Ierem. 13. *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum.* A medicis etiam dicitur, quod consuetudo sit altera natura. De natura autem dictum est. *Naturam expellas furca, tamen vsque recurret.* Et secundum Augustinum, Dum consuetudini non resistitur, fit necessitas. Quantum sit periculum malæ consuetudinis, ostendit nobis Gloss. super Matth. 26. vbi Petrus in prima negatione dixit, *Nescio quid dicis.* In secunda cum iuramento negat. In tertia detestatur, & iurat quod non nouerit hominem. Perseuerare in peccato, vt dicit Gloss. dat incrementum scelerum: & qui minima spernit, cadit in maiora. Ad ostẽdendũ etiam pericula malæ consuetudinis, valere possunt, quæ de Lazaro leguntur. Ioannis 11. Lazarus enim figuram tenet eorum, qui sunt in peccato malæ consuetudinis: de quo dicit Martha: *Domine iam fœtet.* Lapis etiam ei erat superpositus. Ligatus etiam erat manus & pedes institis, & facies eius erat velata sudario. Et ista quatuor spiritualiter reperiuntur in homine, qui est in peccato malæ consuetudinis. Natura enim ipsius quasi corrupta est, adeò vt ei sapiant quæ debuerunt ei desipere, & ea desipiant quæ debuerunt ei sapere. Vnde fœtidi sunt coram Deo & angelis eius, sicut corpora corrupta hominibus fœtent. Vnde in Psalm. 13. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis.* Nimis tarde adhibetur sal vel myrrha pœnitentiæ hominibus, qui in peccatis consueti sunt: sicut carnales tarde sale condiuntur, quæ iam scatariunt

vermibus. Homo etiam, qui est in peccato malæ consuetudinis, habet velut magnum lapidem supra se ipsum positum, scilicet ipsam malam consuetudinem. Vnde super Ioan. xi. dicit Gloss. quod Dominus fremuit, lacrymatus est, & clamauit: quia difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit. Homo qui in peccato malæ consuetudinis est, similis est illi, qui in puteum cecidit; super cuius os magnus lapis est positus. Vnde in Psalm. 68. *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.* Tempestas aquæ hominem demergit in consensu peccati mortalis. Profundum absorbet, quum peccatum peccato additur. Puteus vrget os suum, quando homo in seruitutem malæ consuetudinis redditur. Manus vero & pedes habet talis ligatos institis, propter magnam difficultatem ad bene operandum quæ in eo est. Vnde Augustinus: Ligatus eram, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Faciem etiam habet velatam sudario, quia ex hoc quod diu in tenebris peccatorum fuit, spiritualem visum amisit. Homo peccatis assuetus, est velut equus effrenis, qui est in cursu, nec de facili potest retineri. Vnde Ierem. 8. *Nullus est, qui pœnitentiam agat super peccato suo, dicens: Quid feci? sed omnes conuersi sunt ad cursum suũ, quasi equus impetu vadens ad prælium.* In quanto periculo sit talis homo, ostenditur Psalm. 34. *Via illorum tenebræ & lubricum: & angelus Domini persequens eos.* Mirum est si non cadat, qui per viam tenebrosam & præcipitem & lubricam vadit, & incessanter impellitur à forti tentatore, cum ipse sit debilis. Vere potest dicere illud, Domine, vim patior. Et trahi videtur ab ipsa consuetudine ad interitum. Vnde Prouerb. 24. *Et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.* Peccatum ante consuetudinem est vt funiculus, imò vt filum stupeum respectu status, in quo est post consuetudinem. Vnde Esaiæ. 5. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* Peccatum consuetudinis est velut vinculum plaustri, quod decem boues, id est, decem prædicatores, vix rumpere possunt. Vnde dicit Gloss. super illum locum. Merito iniquitas in funiculis vanitatis trahitur: quia peccata peccati connectuntur, & inania sunt vt fila aranearum. Sed si exire volumus, tanquam vinculis solidissimis tenemur. Peccatum etiam consuetudinis est velut languor inueteratus, qui difficile curatur. Vnde Ecclesiastici 10. *Languor prolixior grauat medicum, sed breuem languorem præcidit medicus.* Item Ecclesiastici 18. *Ante languorem adhibe medicinam.* Et Seneca, Minus negotii haberet medicus, si ad recens vulnus aut vitium adhiberetur: sequeretur teneri & rudes tecta monstrantem. Nemo difficulter ad naturam reducitur, nisi qui ab illa defecerit. Et Matthęi 9. legitur, quod discipuli non potuerunt expellere malignum spiritum à quodam in quo fuerat infantia. Et Basilius Magnus dicit, quod sicut non potest aliquis dediscere maternam linguam, sic vix longam peccati consuetudinem. Tanta est vis consuetudinis, vt quod homo consueuit facere vigilans quandoque facit dormiens: & quando consueuit facere viuens, interdum faciat moriens: vnde refertur de quodam medico, cui debebantur tres-decim libræ ad tres annos soluendæ, quod quum laboraret in extremis, & admoneretur vt confiteretur, & Eucharistiam sumeret, nihil aliud ab eo poterant extrahere nisi tres-decim libras ad tres annos soluendas. Et sic loquens expirauit.

Dei conuersione dilata. Et de duodecim quæ faciunt ad hoc, quod conuersio dilata sit difficilior.

QVartò deberet mouere homines ad accelerationem conuersionis hoc, quòd conuersio dilata difficilior est, accelerata vero facilior. vnde Bed. super Luc. Diabolus quanto diutius possidet, tanto difficilius dimittit. Et iterum: Quanto citius, tanto facilius diaboli dominium euitatur, Sicut optimus modus Occidendi serpentem materialem est per contritionem capitis: sic optimus modus vincendi serpentem infernalem est per contritionem capitis ipsius. Tunc caput eius conteritur, cum in principio conflictus ipse deuincitur. Vnde Dominus ad serpentem de muliere, *Ipsa conteret caput tuum*. Et Hieron. Lubricus est antiquus serpens, & nisi capite teneatur, statim illabitur, & Ecclesiast. 25. *Non est caput nequius super colubri.* & Cantic. 2. iubet Dominus capi vulpeculas & 1. Reg. 17. legitur Dauid percussisse Goliam in fronte, & sic eum interfecisse. In fronte diabolum percutit, qui in principio vitæ suæ eum deuincit. Sed velut in calcaneo vult eum percutere, qui in fine vitæ suæ quærit eum vincere. Pharao autem populum Iudæorum in morte primo genitorum dimisit: vt legitur Exod. 14. per alias plagas non dimisit eum, nec diabolus populum Christianum perfecte dimittit, donec Ecclesia studeat correctioni paruluorũ, & laboret ad interficiendum peccata dum recentia sunt.

Duodecim vero sunt, quæ faciunt ad hoc quod conuersio dilata sit difficilior.

PRimum est induratio. Puerilis enim ætas tenera est & susceptibilis impressionis: senilis vero dura est. Vnde Ecclesiast. 30. *Curua ceruicem filij tui in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est, ne forte induret, & ne credat tibi.* Virgula dum tenera est, potest ad rectitudinem adduci. Trabem vero postquam desiccata est, si curua sit, impossibile est ad rectitudinem reduci: Sic paruuli corrigi possent si diligentia debita adhiberetur. De senibus vero in malitia sua induratis non multum sperandum est. Omnis malus animus priusquam induréscat, malitia eius molliri potest: sed postquam indurauerit, desperandum: id est, non multum sperandum. Secundum faciens ad difficultatem conuersionis est hoc, quod contrarium gratiæ Dei iam ocupauit hominem: Ideò Dei gratia difficilius in eo recipitur, sicut materia quæ habet aquam, difficilius accipit ignem, quia ignis inuenit ibi, quod sibi repugnet, sicut est manifestum in candela madefacta. De facili capitur castrum in quo nullus repugnat, & de facili vestis rectam formam suscipit, quæ nondum prauam suscepit. In paruulis vitia nondum sunt, vel si sunt, parua sunt. Ideò facile possunt extirpari, Ideò dicitur in Psalm. *Beatus, qui tenebis, & allidet paruulos tuos ad petram.* Tertiò facit ad hanc difficultatem hoc quod ille qui diu distulit conuerti dissipauit in se bona naturæ. Virtutes enim naturales quas habebat in pueritia, amisit: scilicet virginitatem, innocentiam, humilitatem, propter quas virtutes dicit Dominus Matth. 10. *Sinite paruulos venire ad me, & nolite prohibere. Taliũ enim est regnum cœlorum*, scilicet illorum qui habent per gratiam ea, quæ habent paruuli per naturam. Facilius est aliquem ditari quantum ad diuitias huius seculi, qui hæbet multa bona sibi dimissa à parentibus, quàm illum qui bona paterna iam consumpsit. Sic paruulus qui bona naturæ habet, facilius ditari potest diuitiis spiritualibus, quam ille qui peccando bona naturæ consumpsit. Quartò facit ad difficultatem hanc, hoc quod ille, qui differt conuerti habet vas minus ido-

neum, cui Dominus libenter infundat balsamum gratiæ suæ. Verisimile enim est quod vas cordis, quod diutius immunditiam peccati continuit, ad gratiam suscipiendam minus sit idoneum. Nullus libenter infundit balsamum vasi, quod diu continuit lutum. Quintò facit ad difficultatem istam hoc quod quãto aliquis diuitius in peccato manet, tanto amplius oneratur peccatis: quia peccatum quod per pœnitentiam non diluitur suo pondere aliud trahit. Vnde onus & pœnæ & culpæ crescit in peccatore: & ideò manus semper potest surgere à peccato, præcipuè cum ipse semper debilior fiat. Et hoc est vnum vnde multum apparet, quam stulti sunt illi, qui differunt cõnuerti. Ille enim qui non potest leuare onus pecatorum, quando minus est, quomodo leuabit illud quando maius erit? Vnde legitur in vitis patrum, quòd beatus Arsenius, qui habitauit in eremo Scythiæ, talem vidit visionem. Venit ad eum vox, dicens: Egredere, & ostendam tibi opera hominum: & egressus vir Æthiopem nigrum cum securi cædentem ligna, & facientem grandem sarcinam, tentabat leuare eam & præ magnitudine nõn poterat: & iterum cædebat alia ligna, & addebat sarcinæ. Exposuit ergo ei hanc visionem, dicens: Qui cædebat ligna, & adhuc super sarcinam addebat, homo est, qui est oneratus multis peccatis, & semper addit alia peccata, quum oporteret ea deponere & demere. Tali fatuitate laborat, qui differt agere pœnitentiam vsque ad senectutem, quasi laboraret ille qui haberet quatuor iumenta & onera eis sufficientia, & imponeret onera quatuor iumentorum debiliori ex illis. Sic homines senio, quod est debilissima pars vitæ hominis, totum onus vitæ volunt imponere. Sextò facit ad difficultatem conuersionis hoc, quod quanto aliquis in peccato diuitius moratur, tanto amplius à Deo elongatur. Non est verisimile, quod ille qui non cessat se elongare à Deo per vndecim annos posset de facili in octo vel quindecim diebus in quibus durat infirmitas, ad Deum redire. Licet hoc possit accidere, & interdum accidat quando ventus Spiritus sancti placuerit afflare alicui. Sed raro accidit. Ideò scriptum est *Qui elongant se à te peribunt.* Et Esaiæ. 55. *Inuocate eum dum prope est.* Solet dici quod tantum est à sancto Dionysio vsque ad vrbem Parisiensem, quantum ab vrbe Parisiensi ad sanctum Dionysium. Sic qui longo tempore se à Deo elongauit, non nisi longo tempore ad Deum redit, nisi Deus valde magnam gratiam ei facere voluerit. Septimò facit ad difficultatem conuersionis hoc, quod homo circa mortem multa habet impedimenta: scilicet infirmitatem & solitudinem & dispensationem domus suæ, quæ non permittunt hominem cogitare de anima sua. Vnde Hieron. Dum infirmitate opprimeris, nihil aliud potes cogitare quam sentis. Et august. Mors vrget, peccata terrent, vxor & filii quos amauit ad se vocant. Octauò difficile conuertitur talis: quia iustum est, vt à Deo cõntemnatur moriens ille, qui eum contempsit viuens. Vnde Esaiæ 33. *Væ, qui spernis, nonne & ipse sperneris?* Ioannes Chrysostomus. Hac animaduertione percutitur impius, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret oblitus est Dei. Nono difficile conuertitur homo, qui differt conuerti vsque ad mortem: quia tunc magis diabolus impugnat hominem sciens, quia si tunc hominem amiserit, de catero eum non recuperabit. Vnde Genes. 3. dicitur serpenti: *Tu insidiaberis calcaneo eius.* In calcaneo qui est extrema pars hominis, intelligitur finis vitæ, cui diabolus maxmiè insidiatur. Tunc enim summum studium, & laborem apponit vt hominem deuincat. Interdum vigenti annis prouidet diabolus ante mortem vnde hominem in mor-

re detineat. Faciet enim hominem aliquid iniustè acquirere, quod in morte non vult restituere. Vnde magna est fatuitas eorum, qui ita præsumunt, quòd in morte conuertantur, & quòd tunc diabolum deuincant, quando ipse melius præparatus est ad prælium. Similes videntur esse illi, qui ludens ad schachos, & parum de ludo sciens, cogitaret apud se, ego permittam mihi familiam auferri: deinde in fine mactabo illum, cum quo ludo in angulo, cùm tamen sciret illum, cum quo ludit, peritissimum esse lusorem. Velut imperitus lusor est peccator, qui semper in tentationibus succumbit, qui familiam virtutum amisit. Velut peritissimus lusor est diabolus, qui ab initio mundi exercitatus est in ludo tentationum. Qua præsumptione ergo, confidit peccator, quòd in angulo debeat eum mactare, idem in fine vitæ suæ vincere, præcipuè, cùm sine Deo nihil possit facere, & Dei auxilio adeò indignum se fecerit, vt non solùm sit dignus à Deo adiuuari, sed irrideri. Vnde Prouerb. 1. *Vocaui, & renuistis*, & subiungitur: *Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Decimum faciens ad hoc, quòd ille cum difficultate conuertatur, qui consueuit peccare; est amaritudo quam inuenit, cùm attentat bonum operari: ex diuturna enim infirmitate, in qua fuit, amaritudinem inuenit, vbi debuit inuenire dulcedinem. Vnde August. Palato ægro, pœna est panis, qui sano est suauis. Et oculis ægris odiosa est lux, quæ sanis est amabilis. Inuenta autem amaritudine in bono opere quod attentat, statim dimittit illud peccator, ad modum simiæ, quæ gustata exteriori amaritudine nucis, tam citò eam proiicit, & ideò, ad dulcedinem nuclei non peruenit. Sic peccator ad dulcedinem præmii, vel spiritualium consolationum non peruenit, quia dimittit benè operari, quando inuenit aliquam difficultatem in bono opere. Amaritudo ista significata est per amaritudinem illarũ aquarum, quas inuenerunt filii Israel de Ægipto reuertentes, vt legitur Exod. 15. quæ dulcoratæ fuerunt, cùm lignum misissent in eas. In quo ligno significata est memoria Dominicæ Crucis, quæ valet ad dulcorandum pœnitentibus amaritudinem, quam sustinent: iuxta illud Gregorii. Si Passio Domini ad memoriam reuocetur, nihil adeò durum, quod non æquo anima toleretur: Propter difficultatem quam habet aliquis in bono opere post peccatum, dictum est Euæ, postquam peccauerat Gen. 3. *In dolere paries.* Vndecimum faciens ad difficultatem conuersionis est tristitia, quam inuenit peccator, quando cogitat se separari à vita, in qua diu fuit. Et hæc est causa, quare ista memoria mortis amara est diuitibus, quia non possunt sustinere etiam quod cogitent se separari à diuitijs, quas amauerunt. Vnde Eccl. 41. *O mors! quam amara est memoria tua homini iniusto, & pacem habenti in substantijs suis.* Duodecimum faciens ad difficultatem conuersionis, est quidam magnus timor, qui est in peccatore de inexperientia bonæ vitæ: quia omnis peccator, ad modum Cain, habet caput tremulum, trepidans vbi timendum non esset. Credit enim quòd mori debeat, si Deo seruiat: iuxta illud Prou. 22. Dicit piger: *Leo est foris, in medio platearum occidendus sum.*

Quod ille qui differt conuerti, sit iniquus in Deum.

QVintò, debet mouere hominem ad accelerationem conuersionis hoc, quòd ille qui differt conuerti, iniquus est in Deum, in Angelum, in seipsum, in proximum, & etiam in inferiores creaturas. In Deum sex modis iniquè agit. Primò, quia quasi apponit fel in escam eius: iuxta illud Psalm. 68. *Dederunt in escam meam fel.* Velut esca Domini est & bonũ opus: quia in eo Dominus delectatur, iuxta illud Cantic. 2.

Qui pascitur inter lilia: id est, inter munda opera. Escæ ergo Domini apponit fel, qui bonis operibus quę agit amaritudinem peccati admiscet: valdè peruersus esset coquus alicuius principis, si in esca Domini sui absynthiũ poneret. Secundò, iniquè agit in Deum, quia illud affert ante oculos eius, quod maximè Deo displicet, scilicet peccatum. Quòd peccatum maximè displiceat Deo, ostensũ est in principio tractatus. Tertiò, iniquè agit in Deum: quia contemnit eum se misericorditer vocantem, & æterno regno volentem pacẽ eius emere, cùm ipse meruerit mortem æternam. Vnde Esa. 31. *Audient aures tuæ verbum post tergum monentis*, scilicet Domini. Et ad Rom. 2. *An diuitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis contemnes?* Greg. Debemus Dei misericordiam saltem erubescere, si nolumus eius iustitiam formidare, qui tanto ampliori improbitate contemnitur, quanto contemptus vocare non dedignatur. Quartò, iniquè agit in Deum, quia Deum, qui eum expectat, vt pius pater, quantum in se est, affligit tarditate sua. Ad quod possumus referre illud Tobiæ 9. *Scis quoniam dies computat pater meus, & si tardauero vna die plus, contristabitur anima eius?* verba sunt minoris Tobiæ ad Angelum. Quintò, iniquè agit in Deum: quia deteriorem partem vitæ suæ Deo reseruat, meliorem partem diabolo immolans. Sextò, iniquè agit in Deum: quia ex misericordia Dei iram sibi prouocat, & ex hoc, vnde debuis sumere occasionem Domino seruiendi, sumit occasionem Deum impugnandi. Ex eo enim quod speras, quòd Deus eum misericorditer debeat expectare, proponit diutiùs eum offendere. Vnde Apost. ad Rom. 2. *Ignoras quoniam bonitas Dei ad pœnitentiã te adduxit: secundùm autem duritiam tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* Talis de bonitate Domini malitiam colligit.

Quomodo differens conuerti, sit iniquus in Angelum.

IN Angelum etiam peccat tripliciter. Primò, quia quantum in se est, eum affligit, in expectatione gaudii de conuersione sui ipsius, vt dicitur Prouer. 13. *Spes enim quæ differtur, affligit animam.* De gaudio verò legitur Luc. 15. *Gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, &c.* Secundò, quia frustratur Angelus fructu laboris sui, cùm peccator, cui deputatus est ad custodiam, ad eius admonitionem se non corrigit. Tertiò verò, quia Angelo sibi deputato, reuerentiam debitam non exhibet, dum ante eum abominationes suas committere non veretur, vel in ipsis iam commissis manere. Contra quod dixit Bernardus. Quouis angulo, quouis diuersorio, reuerentiam habe Angelo tuo. Nec audeas illo præsente facere, quod me vidente non auderes.

Quomodo differens conuerti, sit iniquus in seipsum.

INiquè etiam agit in seipsum, dum se potius vult habere malum, quàm bonum; infirmum, quàm sanum; mortuum, quàm viuum; seruum pessimum, quàm liberum; in statu latronis, quàm in statu regis; nihil habentem, quàm omnium bonorum; Ecclesiæ principem, inutilem, quàm multùm valentem. Quòd ille, qui differt conuerti, potius amet se malum, quàm bonum: manifestum est ex hoc, quòd nullis admonitionibus malitiam vult relinquere, & bonitatem recipere, in quo seipsum vilioré habet omnibus rebus suis. Omnes enim res suas potius vult habere bonas, quàm malas. Vnde August. dicit ei, qui talis est: bona vis habere, & malus vis esse. Quòd talis potius amet se infirmum, quàm sanum, patet ex hoc, quod peccatum mortale infirmitas est ad mortẽ. Quòd etiam potius se amet mortuum, quàm viuum;

patet ex hoc verbo Augustini prius posito. Differebam, inquit, viuere in te, & non differebam in memetipso mori. Quod etiam talis potiùs se amet seruum, quàm liberum, patet ex hoc, quòd peccatum est pessima seruitus. Vnde qui facit peccatum, est seruus peccati. Bernardus. An non seruus, cui dominatur iniquitas? Ita, & maximè, nisi indigniùs fortè iudices hominem tibi, quàm vitium dominari. In statu etiam latronis plus se amat, quàm in statu regis: quia qui est in peccato mortali, ad mondũ latronis adiudicatus est patibulo inferni: qui verò est in statu gratiæ, ad regnum æternum inunctus est. Item, qui est in mortali, nihil habet, imò etiam nihil est: iuxta illud 1. ad Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Qui verò est in statu gratiæ, particeps est omnium
.118 bonorũ Ecclesiæ. Vnde Dauid: *Particeps sum ego omnium timentium te.* Item. *Qui in*
. 13 *mortali est, inutilis est.* Vnde Psal. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.* Qui verò in statu gratiæ est, multi valoris est. Vnde Eccl. 16. *Melior est timens Deum, quàm mille filij impij.*

Quòd differens conuerti, sit iniquus in proximum.

IN proximum etiam iniquè agit, qui differt conuerti, tripliciter. Primò, quia corrumpit eum suo malo exemplo. Vnde Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Dicitur aliquis peccare in eum, quo sciente peccat: quia eum suo malo exemplo corrumpit. Secundò, peccat talis in proximum: quia debito auxilio eum defraudat. Cùm deberet eum iuuare in pugna contra diabolum, ipse potiùs nocet ei. Magna iniquitas est, socium suum in bello deserere, & ad partem inimicorum se vertere. Eccl. 4. *Melius est, duos esse simul, quàm vnum.* Habent enim emolumentum societatis suæ. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Tertiò, iniquè agit in proximũm, quia peccato ipsius sæpè punitur proximus, Vnde legitur Iosue 7. quòd propter peccatum Achor, populus Israël punitus sit. Terga enim verterunt hostibus suis, & xxxvj, ex eis corruerunt.

Quomodo differens conuerti, sit iniquus in inferiores creaturas.

IN creaturas irrationabiles peccat ille, qui differt conuerti, quia propter peccatum hominis, creaturæ irrationabiles quodamodo puniuntur. Vnde possent conqueri de homine in die iudicii. Sol posset dicere: Ego propter hominis peccatum claritatem meam amisi. Irrationabilia etiam animalia possent dicere, si facundiam haberent loquendi. Nos propter ipsũ in diluuio periuimus. Terra etiam posset dicere: Ego propter ipsum maledicta fui, & spinas, & tribulos germinaui. Sextò, deberet mouere homines ad accelerationem conuersionis hoc, quòd difficile est aliquem verè conuerti. Vnde Greg. Plus inueni innocentiam baptismalem seruasse, quàm veram pœnitentiam egisse. Propter hanc difficultatem securum est, vt homo citò conuertatur, & frequenter doleat de peccatis suis, & frequenter confiteatur illa, si fortè vna inter multas confessiones inueniatur placens Deo. Non enim prima vice, qua homo citharizat, vel viellat, benè scit citharizare, vel viellare, vt idoneus sit coram rege opus illud exercere, & dignus sit stipendio: ita nec prima vice qua aliquis confitetur, interdum benè cõfitetur: imò pauci sunt qui non faciant sibi perizomata, vt leguntur fecisse parentes nostri, Genes. 3. *Excusant enim homines peccata sua.* Ideò, dicitur ad animam peccatricem, Esa. 23. *Sume citharam, circui ciuitatem, meretrix obliuioni tradita: benè caue, frequenta canticum, vt memoria tui sit.* Cithara ista confessio est, qua sumpta, circumeunda est ciuitas animæ, vt homo omnia

peccata sua confiteatur. Et oprtet benè cantare: quia confitendo coram rege cælesti cantatur. Et cantus ille, si homo benè cantet, cælesti regno remuneratur.

Quod peccator sit in periculoso statu.

SEptimò, deberet mouere hominem ad accelerationem conuersionis hoc, quòd status peccatoris est valdè periculosus. Vnde Genes. 3. legitur quæsiuisse Dominum ab Adam, cùm peccasset, vbi esset: ad significandum, quòd consideratio periculosi status, in quo est peccator, possit & debeat mouere eum ad deserendum peccatum. In quanto autem periculo sit peccator, ostendi potest multipliciter. Primò, ex hoc, quòd iustitia Dei tenet gladium euaginatum super caput eius: qui secet eum medium, animam à corpore separando, & meliorem partem, scilicet animam, in igne inferni ponet. Sed misericordia Dei gladium illum aliquantulùm detinet, si fortè peccator pœnitentiam agere velit. Ad gladium istum possumus referre quod legitur Iob 19. *Fugite à facie gladij, quia vltor iniquitatum gladius, & scitote esse iudicium.* Ad idem potest referri quod legitur Ioann. 3. *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam: sed ira Dei manet super eum.* Hæc ira, velut gladius, manet super caput peccatoris. In statu etiam periculoso est peccator, quia est in terra inimicorum suorum. Vnde Baruch. 3. *Quid est Israël, quòd in terra inimicorum es?* In terra inimicorum suorum morari, periculosum est: ex quo sciunt inimici eius eum sibi esse, & sunt fortiores eo. Item in periculo est peccator: quia ex solo pariete vitreo hostes eius prohibentur, ne habeant in manu sua. Paries iste corpus est: post istum parietem stat diabolus malis hominibus: sicut Deus in Cantic. dicitur post parietem istum stare, quo ad bonos. Paries iste de facili dissipatur: vnde non est necesse erigi magnas machinas, ad eius destructionem. Vnus enim paruus lapis manualis, ad eum destruendum sufficit. Vnde mirum est, quomodo peccator securus est, qui capitales inimicos habet adeò potentes, sicut sunt dæmones, & in castro ita debili. Item in magno periculo est peccator, quia ad mortem vadit. Vnde Eccl. 21. *Via peccatorum complanata est lapidibus, & in fine eorum inferi & tenebræ & pœnæ.* Debet ergo peccator cogitare vias suas, quo tendant, & conuertere pedes suos: iuxta illud Psalm. 118. *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.* In magno etiam periculo est peccator, quia quodammodo ad portam inferni est: iuxta illud Psalm. 106. *Appropinquauerunt vsque ad portas mortis.* Portæ mortis vel inferni sunt peccata mortalia. Sic enim vocantur Matth. 16. vbi dicitur: *Portæ inferni non præualebunt aduersus eam.* Ad portam inferni dicitur esse, qui in peccato est mortali: quia inter ipsum & infernum, nihil est medium, nisi transitus corporis. Si enim anima à corpore separatur, quasi in puncto infernum intrat. Vnde Iob vigesimo-primo: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.*

De magna stultitia differentium conuerti.

OCtauò & vltimò: deberet homines mouere ad accelerationem conuersionis magna stultitia, quæ ostenditur esse dilatione conuersionis. Patet autem hæc stultitia sic. Manifestè fatuus esset, qui in vitulo caudam quæreret equinam, cùm talis cauda non sit de vitulo. Simili fatuitate videtur laborare, qui malam vitam vult ducere, & bonam mortem habere. Cauda enim ista non est de hoc vitulo. Talis erat Balaam, qui dicebat Num. 23. *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.* Ille qui vsque ad mortem differt conuerti, per totam vitam suam parat mansionem in inferno, cùm tamen nullo modo ibi manere velit, sed in paradiso. Item

Item seminat maledictionem, & tamen vult metere æternam benedictionem, non aduertens illud Apostoli ad Galat. 6. *Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet.* & illud Prouerb. 25. *Quod in iuuentute tua non congregasti, quomodo inuenies in senectute?* Item talis vult colligere de spinis vuas, & de tribulis ficus: quærit enim bonum finem, in vita spinis peccatorum plena.

Octo casus, in quibus fatua est dilatio.

ET notandum est, quòd octo casus sunt, in quibus fatua solet reputari dilatio, qui omnes satis concordant proposito. Primus casus est, quando aliquis aggressurus est iter. Ibi enim solet fatua esse dilatio. Sic cùm conuersio quædam inchoatio sit viæ, quæ ducit in cælum, fatuum est differre eam, & hoc multis de causis. Primò, quia breue est tempus: iuxta illud Iob 13. *Breues dies hominis sunt.* Secundò, quia longa est via. Vnde 3. Reg. 19. dictum est Eliæ: *Surge, comede, grandis enim tibi restat via.* Tertiò, à magnis expectamur. Curia enim cęlestis nos expectat. Quintò, quia ad magna expectamur, scilicet ad regnũ. Vnde Mat. 5. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnũ, &c.* Quintò, propter impedimenta, quæ in via possunt accidere. Potest enim locus pœnitentiæ auferri, dum homo nimis differt conuerti. Vnde ad Heb. 12. dicitur de Esau, quòd non inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam. Sextò, ne fortè ianua clausa inueniatur: secundùm quod legitur de fatuis virginibus Matt. 25. Septimò, quia quando aliquis tardè inchoat dietam suam, oportet eum amplius laborare, & in tempore minus idoneo labori. Sic necessarium esset illis, qui vsque ad senectutem differunt conuerti, vt tunc amplius laborarent: & illa ætas minus est idonea labori pœnitentiæ. Seneca. Faciamus quod in itinere fieri solet: qui tardiùs exierunt, velocitate moram compensant. Et vt vno verbo dicam, omne bonũ illi deficit, qui de nocte ad hospitium venit. Satis malum hospitium habebit, cuius hospitium infernus erit. In hoc autem hospitio hoc præcipuè timendum est, quod de cætero mutari non poterit. Malum etiam hospitium habebit, qui in igne purgatorii hospitabitur. Secundò, fatua est dilatio in rerum repetitione, propter periculum pręscriptionis: quando enim aliquis rem aliquam diu possidet, ratione diuturnæ possessionis vult posteà detinere eam. Sic diabolus, quantò diutiùs hominem possidet, tantò difficilius dimittit: vt dicit Beda. Tertius casus est, si quis in locum immundum cecidit, fatuus est, si voluntariè inde differt exire. Nulla enim immunditia est maior, quàm immunditia peccati. Quod patet ex hoc, quod Luciferum, quo nulla creatura pulchrior erat, vnica macula peccati adeò deturpauit, vt absque horrore ab homine conspici non possit. Quanta ergo fatuitas est, quòd homo de peccato differat exire? Mira insania! si asinus alicuius in lutum ceciderit, tam citò vult eum extrahere. Si verò ipsemet in peccatum ceciderit, nõ curat exire inde. Vnde Ber. Cadit asinus, & est qui subleuet; perit anima, & non est qui recogitet. Et Dominus Luc. 6. *Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadit, & non continuò extrahit illum die Sabbati?* Quartus casus in quo fatua est dilatio, est quando aliquid magnum alicui offertur, & ille differt recipere, cùm ex dilatione possit impedimentum interuenire. Valdè fatuus esset ille, cui Rex Franciæ vellet ciuitatem Parisiensem dare, si differret eam recipere. Citò enim posset Rex consilium suum mutare. Sic valdè fatuus est ille, quem Deus vult inungere vnctione gratiæ suæ ad regnum cæleste, si illi differat vnctionem illam recipere, cùm ipse sciat quòd diabolus pro posse suo conabitur impedire eam. Quintò, fatua est dilatio

in præparatione eorum, quæ scit homo sibi fore necessaria, & nescit qua hora, & præcipuè quando illa non possunt in breui præparari. Verbi gratia. Si quis transfretare debeat, & incertus est, qua hora nauis in littore debeat discedere, fatuus est, si ea, quæ sibi necessaria sunt, differat præparare. Sic cum sine charitate, quæ vestis est nuptialis, nemo possit in paradisum intrare, & incertum sit qua hora debeat homo de vita ista discedere, fatuus est qui differt eam sibi præparare. Si enim tunc quando mors vrget, primò quærat lanam, & linum, & nere incipiat, & ordiri, & texere, forsitam ad tempus præparata non erit. Et frequenter euenit illud, quòd ille qui creditur cũ charitate discedere, discedit cum sacco seruilis timoris, cum qua aulam cælestis regis non poterit intrare. Vnde legitur Esther quarto, quòd non erat licitum indutum sacco aulam Regis intrare. Sextò, fatua est dilatio in rebus illis, quarum tempus & opportunitas transit: vt in transportatione plantarum, directione virgarum, edomatione animalium, instructione puerorum, curatione infirmitatum, resistentia hostium, lotione vestium, salitione carnium, informatione vestium. Fatuus esset, qui transplantare vellet arbores iam inueteratas, vel dirigere trabes magnas iam desiccatas. Virgæ teneræ transplantari solent, & dirigi. Sic homines, dum in tenera sunt ætate, transplantari possunt in hortum Ecclesiæ, & ad rectitudinem vitæ reduci. In senectute verò valdè difficile est. Vnde Eccl. 3. *Est tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum est.* Fatuus etiam esset, qui diceret: Nolo equum meum assuefacere ambulationi, donec insenuerit, & donec in foueam me præcipitauerit, & mihi collum fregerit. Sic fatuus est, qui corpus suum non vult domare per pœnitentiam, donec in foueam peccati spiritum præcipitauerit, & quasi fregerit ei collum, dando ei occasionem mortalis peccati. Equus inueteratus non assuescit ambulationi: nec vetus canis vinculo, nec vetusta pellis tenet suturam. Tardè adhibetur medicina infirmitati, cùm ex diuturnitate incurabilis facta fuerit. Tardè etiam abluuntur vestes, cùm ex diuturnis sordibus etiam computruerunt. Fatuus esset, qui haberet vas aureum, & balsamum sibi oblatum in eo ponere nollet, donec lutum multis annis in eo tenuisset: sic fatuus est, qui in se gratiam Dei in pueritia non vult recipere: sed vult vsque ad senectutem vas esse peccati & immunditiæ. Tardè etiam resistitur hostibus, quando iam totum occupauerunt. Tardè sal adhibetur carnibus, quando iam scaturiunt vermibus. Tardè etiam informantur vestes, quando prauam formam iam susceperunt. In his & in similibus nouerunt homines tempus opportunum eligere: de tempore verò opportuno suæ correctioni non curant. Nihil enim est eis seipsis vtilius: iuxta illud verbum Senecæ. Sotulares suos student homines in nouitate rectè informare: de seipsis verò rectè informandis in sua nouitate non curant, chariores habentes sotulares suos seipsis. Diligenter instruunt filios suos de informatione vestium, de informatione verò ipsorum filiorum non curant. Septimò, fatua est dilatio, quando subueniendum est alicui rei, in qua aliquid continuè deperit: vt quando subueniendum est domui, quæ succensa est igne. Ignis enim, qui non est otiosus, incessenter aliquid de domo destruit: sic ignis peccati bona naturalia consumit. Et ideò fatuus est qui differt eum à se excutere. Vnde Bern. Abscondi ignem in sinu meo, & exusto iam latere, nudatis iam visceribus, iam sanie defluente adhuc consulendum est, an excutiam illum. Octauò, fatua est dilatio, quando aliquis debet subuenire rei, quæ in periculo est; vt si quis ceciderit

in aquam profundam, & adhuc supernatat, sed incertum sit, quando debeat descendere in profundũ sicut lapis. Fatuus est, qui differt tali subuenire, dũ potest. Et præcipuè ille fatuus est, qui est in periculo, si petat dilationem sui succursus, dicens: Nolo adhuc mihi subueniri, vsque ad annum. Qui in peccato mortali est, cecidit in aquam profundam, incertus quando ad profundum inferni descendere debeat. Et cùm ad pœnitentiam monetur, quasi quædam tabula ei porrigitur, in qua de naufragio euadat. Pœnitentia enim est secũda tabula post naufragium: vt dicit Hieronimus. Vnde valdè fatuus est peccator, si differt tabulam istam recipere: vel si nimis paruam eam quærit, quæ eum à naufragio liberare non possit, vel si postquam super eam ascenderit, illam dimittit, donec ad securitatem portus peruenerit. Mira insania est! quòd homines, postquam tabulam ascenderunt, iterùm in mare voluntariè insiliunt.

De dilatione confessionis, & de fatuitate eorum, qui differunt confiteri.

DIcto de dilatione cõuersionis, consequenter dicemus aliqua specialiter de dilatione confessionis. Et primò ostendemus communiter de fatuitate eorum, qui differunt confiteri. Secundò, tangemus de his qui nolũt confiteri, donec infirmẽtur ad mortem. Tertiò, tangemus de fatuitate eorum, qui ante Pascha nolunt confiteri, donec tota Quadragesima, vel maior pars Quadragesimæ transierit. Potest autem fatuitas eorum ostendi, qui differunt confiteri, Primo per hoc quod ipsi volunt se Deo abscondere. Ille enim qui peccatum suum homini confitetur, illud Deo profitetur. Et qui ei vult abscondere peccatum suum, illud vult abscondere Deo, similis Adæ, qui Domino quærenti vbi esset, ait: vt legitur Genesis 3, *Vocem tuam Domine, audiui in paradiso, & timui, eo quòd nudus essem, & abscondi me.* Quanta autem iniquitas sit absconsio huius mundi, ostenditur Iob 31. vbi sic legitur: *Humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cum oßibus suis conteratur, si abscondi sicut homo peccatum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam.* Mira fatuitas est! quòd homo velit Deo abscondere mala sua, quo vidente ea commisit. Ad cumulum etiam fatuitatis facit hoc, quòd si homo abscondit mala sua à Deo deteguntur. Si verò detexit, à Deo abscondentur. Vnde Naum 3. *Reuelabo pudenda tua in facie tua.* Et super illud Psal. 31. *Iniustitias meas non abscondi*, dicit Gloss. Quum homo detegit, Deus tegit: cùm homo tegit, Deus nudat: quum homo agnoscit, Deus ignoscit. Secundò, ostenditur fatuitas talium ex periculo obliuionis. Homo enim qui differt cõfiteri, multa tradit obliuioni. Vnde Ber. Computatio dilata multa facit obliuisci. Ea quæ obliuiscitur ille qui differt confiteri, non obliuiscitur diabolus, nec etiam ipse Deus. Tertiò, ostenditur fatuitas talium, qui differunt confiteri per hoc, quod minùs amant seipsos, sotularibus suis. Singulis enim diebus volunt sotulares suos tergere, ne si lutum in eis fuerit desiccatum, posteà de facili illud remouere non possint: à seipsis vero differunt remouere sordes vitiorum per dimidium annum, vel amplius. Stabulum etiam suum vult purgare homo, antequam lutũ fenestras occupauerit, seipsum vero non vult purgare per confessionem, licet videat se inquinatum per peccatum vsque ad fenestras occulorum & aurium.

De sex bonis, quæ ex confessione proueniunt.

QVartò, potest ostendi fatuitas talium per hoc, quòd illa bona amittuntur quæ proueniunt ex confessione. Primum bonum, quod ex confessione

prouenit est, quòd diabolus non ita libenter tentat eum qui per cõfessionem eius secreta reuelat. Vnde Ecclesiastici 27. *Qui denudat arcana, amici fidẽ perdit.* Et Hieronymus. Potestas & virtus traditoris annihilatur reuelata traditione. Latrones infernales ad modum aliorum latronum, scientes se deprehensos fugiunt. Vnde Iob. 24. *Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis.* Secundum bonum est, quòd peccatum homini interdum redditur exosum ex erubuscentia quam sustinet, confitendo illud. Peccata enim turpia sunt, & nudata turpitudine eorum, quasi erubescerent de nudatione suæ turpitudinis, renouare non audent. Tertium bonum est consilium ipsius sacerdotis. Vnde Prouerb. 24. *Erit salus, vbi multa consilia.* Quartum bonum est, suffragium orationum ipsius sacerdotis. Debet enim sacerdos orare pro eo, qui sibi confitetur. Quintum bonum est, quòd pars pœnæ, cuius debitor est peccator, ibi dimittitur, & ex vi clauium, & ex erubescentia, quæ magna est pœna. Sextum bonum est, quòd accedenti eo modo quo debet ad Sacramentum confessionis, datur gratia, si eam nõ habet, & augetur, si eam habet. Quintò, potest fatuitas talis ostendi per hoc, quòd ille qui differt Deo confiteri, differt Deo aperire: petit sibi Deus aperiri, dicens: Cantic. 5. *Aperi mihi soror mea.* Et tunc ei aperitur, quum aliquis peccata sua humiliter confitetur. Expulsis enim vitiorum obstaculis, Deus cor hominis ingreditur: qui autem differt cõfiteri, differt ei aperire. Si quis de subditis Archiepiscopi per horam differret aperire ei ad ostium eius pulsanti, non parum offenderet eum. Quantum ergo potest Deus offendi, quãdo aliquis de subditis suis, vel differt ei aperire, per dimidium annum, vel amplius quod frequenter ei accidit. Vnde Ioan. 1. *In propria venit, & sui eum non receperũt.* Sextò, potest ostendi fatuitas eorum per hoc, quòd pessimum hospitem, cuius societatem experti sunt esse valdè noxiam, per dimidium annum, vel amplius apud se detinere volunt. Hospes iste diabolus est, qui hospitium suum omnibus bonis euacuat. Vnde Ioëlis secundo: *Quasi hortus voluptatis coram eo, & post eum solitudo deserti.* Antequam diabolus veniat ad animam ibi est abundantia bonorum: & post aduentum eius magna vacuitas. Mira fatuitas! Si Christus in se, vel in membris suis, hospitatus fuerit apud aliquẽ, vix permittitur ibi esse per diem vnum: diabolum verò permittunt ibi esse plusquàm per annum. Vnde hospes, qui Christi nomine recipitur, non solùm fœtet hominibus, quum est quatriduanus, sed etiam quum est triduanus, vel biduanus. Septimò, potest ostendi fatuitas talium, per hoc, quod cùm ipsi sint in ore diaboli, iuxta illud Iob 36. *Saluabit te de ore angusto latißime: nescit tamen clamare, imò nec submisse peccatum suum dicere, vt euadat os diaboli.* Os diaboli latissimè recipit, angustum tamen est ei, qui vult inde exire. Insipientiores videntur esse tales brutis animalibus, quæ clamant, cùm à fortioribus animalibus rapiuntur. Octauò, potest ostendi fatuitas talium per hoc, quòd ipsi nesciunt ostium aperire, quod est sine sera, vt euadant de miserrimo carcere peccati. Ostium sine claue, & sine sera, est os, quod ipsi nolũt per confessionẽ aperire.

De fatuitate differentium confiteri vsque ad mortem.

SPecialiter potest ostendi fatuitas eorum, qui confiteri nolunt, donec infirmentur ad mortem, multis modis. Primò, per hoc, quòd tales tunc primo medico spirituali infirmitates animæ suæ ostendunt, quum iam consilium eius implere non possunt. Dum enim infirmi sunt, impotentes sunt ad agendam pœnitentiam. Ideò dicitur Ecclesiast. 17.

Viuus & ſanus confiteberis, & laudabis Deũ, & gloriaberis in miſerationibus eius. Secundò poteſt oſtendi per hoc, quod confeſſio quæ fit morte vrgente, non eſt pretioſa Deo. Eſt enim velut confeſſio latronum. Latrones non ſolent confiteri mala ſua, niſi prius tormentis interrogati fuerint, & niſi mortem ſibi paratam viderint. Tertiò poteſt oſtendi fatuitas talis per hoc, quod interdum hominem pudet confiteri in morte, quando ſenex eſt, peccata quæ fecit in infantia ſua. Quartò per hoc, quod interdum tales loquelam amittunt: & qui noluerunt confiteri dum potuerunt, non poſſunt cum volunt. Quintò per hoc, quod infirmitas & ſolicitudo, quam habent de diſpoſitione domus ſuæ, non permittit eos cogitare de peccatis ſuis. Præterea ſacerdos de conſuetudine praua in locis multis accedit ad infirmum, ſimul confeſſionem eius auditurus, & viaticum daturus, & multi de populo comitantur eum, coram quibus infirmus peccata ſua non vult confiteri: Erubeſcit enim quod illi à domo exeant, ne credatur enormia commiſiſſe. Et ſi forte illi exierint, erubeſcit infirmus, quod nimium faciat eos expectare.

De fatuitate differentium confiteri, donec fere tota Quadrageſima ſit tranſacta.

SEquitur de fatuitate eorum, qui in Quadrageſima nolunt confiteri donec tranſierit fere tota Quadrageſima. Poteſt autem oſtendi talium fatuitas multipliciter. Primò ex hoc, quod ipſi ſunt præpoſteri. Volunt enim vltimò facere, quod Dominus vult primò fieri. Vult enim Dominus, quod illi qui ei ſeruiunt incipiant à confeſſione. Vnde Pſal. 146. *Præcinite Domino in confeſſione.* Et Pſal. 94. *Præoccupate faciem eius in confeſſione.* Et Prouerb. 18. *Iuſtus in principio accuſator eſt ſui.* Secundò poteſt oſtendi fatuitas talium per hoc, quod tales laborem ſeptem ſeptimanarum amittunt in magna parte pro labore vnius horæ, eo ſcilicet quod nolunt in principio Quadrageſimæ confeſſionem peccatorũ ſuorum facere, quæ in vna hora fieret. Plus enim valeret ieiunium vnius diei poſt veram pœnitentiam, quam valeat ieiunium totius Quadrageſimæ ei, qui remanet in peccatis ſuis. Et licet peccata dimittantur ſola contritione cum propoſito confitendi: tamen frequenter homines qui inſtructi non ſunt, neſciunt peccato renuntiare, donec in confeſſione inſtruuntur. Vnde frequenter non dimittuntur eis peccata ante confeſſionem. Fatui etiam ſunt tales, qui tunc primo manus abluere volunt, quando iam cibum ſumpſerunt. Cibus quo anima reficitur & Deus delectatur, bonum opus eſt. Vnde Ioan. 4. *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me.* Poſt cibum ergo manus abluit qui poſtquam in quadrageſima ſua bona opera facit, tunc peccata ſua confitetur. Tales etiam tunc primò vineam ſuam putant, quando maior pars vindemiata eſt: quia putatio præparat ad hoc vt vinea melius fructificet. Ideò valde fatuus eſſet, qui putationem differret donec maior pars fructuum eſſet collecta. Sic quum confeſſio præparet ad fructum bonorum operum: fatuus eſt qui confeſſionẽ vult differre donec maiorem partem fructuum Quadrageſimæ collegerit. Iſtud facile eſt videre in purgatione ſegetum. Nullus enim differt purgationem ſegetum in agris, donec maiorem partem frugum meſſuerit. Item tales tunc primò medico ſpirituali infirmitatem animæ ſuæ oſtendunt, quando caſualiter ſibi medicinas exhibuerunt, & quando tempus aptum curationi vel ex toto vel ex maiori parte pertranſiit. Item tales tunc primo volunt ferrum remouere de vulnere, quando iam curationem impediunt: cum tamen dicat Auicenna, quod dum ferrum eſt in vulnere, non eſt malagma

apponere: ferrum est in vulnere, dum peccatum est in homine: & dum hoc est, non valent opera, quæ homo facit ad vitam æternam. Tales etiam in cibo Domino fel apponunt, iuxta illud Psal. 68. *Dederunt in escam meam fel*, id est, amaritudinem peccati. In escam Domini fel ponit, qui bonis operibus quibus Deus habet delectari, peccatum admiscet. Et vt breuiter dicam tales, quando iam ieiunium amiserunt, tunc primo ad illud præparare se volunt. Fatuus reputaretur, si quis crucem transmarinam accepisset, & nollet confiteri donec perfecisset peregrinationem suam. Si præuenienda est peregrinatio confessione, vt sit inde gratior: quare non similiter ieiunium? Tales etiam tunc primò vas lauare volunt, quum iam vinum infuderunt, & non euacuata materia morbi curare præsumunt. Tales etiam prius redemptionem suam in magna parte exoluunt, quàm de liberatione sua tractauerint. Vnde accidit, quòd soluta magna parte redemptionis suæ, adhuc æquè capti sunt à diabolo sicut prius. Tales morsum serpentis infernalis volunt sanare, adhuc veneno in eis remanente.

Cap. VI.

De vitio Tarditatis. Et de sex, quæ hoc vitium dissuadent.

SEquitur de tarditate, quæ est sextum vitium pertinens ad acediam. Sicut enim acediosus differt inchoare opus, quod facturus est: sic tarde procedit in opere iam inchoato. Sex vero sunt, quæ possunt dissuadere nobis vitium tarditatis. Primum est, ipsa angustia, siue breuitas temporis præsentis. Vnde Ecclesiast. 10. *Noli cunctari in tempore angustiæ*. Secundum est velocitas ipsarum rerum, quæ velociter & quasi cursim pertranseunt. Vnde Sapient. 5. *Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam percurrens nuntius.* Tertium est velocitas & strenuitas, quam mali habent in eis, quæ sibi inutilia vel noxia sunt. Vnde Prouerbiorum 10. *Pedes eorum ad malum currunt, & festinant vt effundant sanguinem.* Et Psalm. 13. *Veloces pedes eorum ad effundandum sanguinem.* Item Horatius: *Impiger extremos currit mercator ad Indos: Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.* Et Bernard. Magna confusio. Ardentius desiderant seculares perniciosa, quàm nos vtilia. Alacrius currunt ad mortem, quàm nos ad vitam. Vnde cum imminente passione Domini, ceteri Apostoli somnolenti essent, vt legitur Matthæi 26. solus Iudas somno non opprimebatur: sed procurabat vt eos adduceret, qui Dominum comprehenderent. Quartum est, magna offensa Dei, quæ ex tarditate ista incurritur. Vnde Prouerb. 10. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis: sic piger his, qui miserunt eum in via.* Acetum molestum est dentibus, & fumus oculis. Sic Deus molestatur in nimia tarditate eorum, qui sibi seruiunt. Nec mirum, quum videat eos, qui strenui erant, antequam ad seruitium eius venirent, tunc tardos & pigros fieri, quando ad seruitium eius veniunt, quum volare deberent: iuxta illud Esaiæ 40. *Qui sperant in Domino, mutant fortitudinem: assument pennas vt aquilæ, volabunt & non deficient.* Quintum est, magna gratia, quam habent apud Deum, seruientes Deo, qui ei velociter & strenue seruiunt. Vnde Prouerb. 22. *Vidisti virum velocem in opere suo coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.* Sextum est vtilitas, quam habent tales ex sua velocitate & strenuitate. Opera enim illorum non impediuntur vel tædio, vel alia de causa quin perficiantur. Vnde Ecclesiast. 22. *In omni opere esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.*

Cap. VII.

De vitio Negligentiæ

egli- ētia- qui is at- ditur cui po- tur.

SEquitur de Negligentia, quæ est septimum vitiū pertinens ad acediam. Et attenditur negligentia in hoc, quod homo non curat qualiter opus inchoatum faciat, vtrum bene vel male: sed hoc solum curat, vt ab onere laboris inchoati se expediat. Negligētia vero hoc modo sumpta contraria est diligentiæ. Et attenditur diligentia in hoc, quod homo ad hoc studeat, vt opus inchoatum bene fiat. De hac diligentia commendatur mulier habens decem drachmas Luc. 15. vbi legitur de ipsa: *Quod amissa drachma vna, accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter donec inueniat.* Ad hanc diligētiam monemur Prouerb. 24. vbi sic legitur: *Diligēter exerce agrum tuum.* Et 27. vbi sic legitur: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui.*

De sex, quæ faciunt ad detestationem negligentiæ.

te- da

SEx vero sunt, quæ possunt valere ad detestationem negligētiæ: Primum est illud Ierem. 48. *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter:* vel negligēter, secundum aliam literam. Quam literā innuit hic Glossa interlin. super illud verbum, fraudulenter vel desidiose. Secundò facit ad detestationem huius diligentia, quam habent creaturæ irrationales circa opera sua. Diligentiam habet natura circa fructus arborum, satis patet per hoc, quod eos ita obuoluit duris vel amaris exterius, dulcedinem & teneritudinem interius reponens. Diligentia etiam, quam habent animalia ad fœtus suos, satis manifesta est. Tertiò potest valere ad detestationem negligētiæ, diligentia, quam habent homines circa ea quæ pertinent ad vtilitatem corporis, vel ad honorem mundi, vel circa ea quibus intendunt placere alicui homini. De illis autem solum, quæ propter Deum fiunt, non curant homines qualiter fiant. De diligentia malorum habetur Matthæi 2. vbi sic legitur de Herode: *Diligenter didicit ab eis tempus stellæ.* Et subditur: *Ite & interrogate diligenter de puero.* Quarto facit ad detestationē huius vitij sublimitas personarū coram quibus negligentia talis committitur; quia coram Deo & Angelis eius committitur. Magna diligentia adhibenda esset in psallendo, & alijs operibus, quæ fiunt specialiter coram Deo & Angelis eius. Vnde in psal. 46. *Quoniam rex omnis terræ Deus, psallite sapienter.* Et Psal. 37.
Sapiens: Tanto maiori studio placendi opus est, quanto maior est cui placendum est. Et Dauid: *In conspectu Angelorum psallā tibi.* Et Cant. 8. *Qui habitas in hortis, amici auscultāt te.* Amici isti angeli sunt, qui psallentem auscultant te. Quintò potest valere ad detestationem negligentiæ, vtilitas magna, quæ prouenit ex diligentia in seruitio diuino. Plus enim valet vna oratio bene facta, quam mille cum nēgligentia factæ: tanta potest esse negligentia. Plus etiam valet dies vna ieiunij, si fiat eo modo quo debet, quàm ieiunia decē annorum si in mortali fiāt. Sextò facit ad detestationem negligentiæ hoc, quod diligentia in seruitio Dei valde honorifica est Deo. Vnde Prouerb. 13. *Mulier diligens corona est viro suo.* Anima quę debitam diligentiam adhibet in Dei seruitio, glorificat Christum, qui est sponsus animarum: sicut corona, quæ reddit illum gloriosum, cuius capiti imponitur. Præcipuè autem videtur facere ad detestationem negligētiæ hoc, quod ex negligentia ista prouenit, quod ex seruitio illo vnde deberet acquirere apud Deum gratiam, reportat eius offensam.

De remedijs contra negligentiam.

CONtra hanc negligentiam duo spiritualia sunt remedia. Primum est timor. Vnde Eccles. 7. *Qui timet Deum nihil neglegit.* Secundum est amor Dei. Qui enim perfecte Deum diligit, diligentiam adhibet in eis, quæ ad Deum pertinent, sicut ille qui aliquem recipit in hospitium, quem multum amat, & ad cuius susceptionem lætus est, cum magna diligentia præparat, quæ ei necessaria sunt. Vnde Ecclesiast. 30. *Splendidum cor bonum in epulis.* Epulæ enim illius diligenter fiunt.

De tribus quæ impediunt diligentiam studij.

DE negligentia studij spiritualiter notandum est, quod tria sunt, quæ impediunt illud. Primum, est nimia velocitas. Quidam enim sũt qui quasi cursim considerant ea, in quibus student: nec possunt expectare donec veritas, quam quærunt sibi occurrat. Similes Pilato, de quo habetur Io. 18. quod quum quæsiuisset à Domino, quid esset veritas exijt ad Iudæos, non expectata Domini responsione. Quod talis velocitas diligentiam studendi impediat, ostendit nobis Sapiens, dicens: Nihil magnum rerum natura cito effici voluit: præposuitque pulcherrimo operi cuique difficultatem. Nascendi quoque hanc legem fecit, vt maiora animalia visceribus parentum diutius continerentur. Sic tardior dum diligens fit stilus, quæramus optima, non protinus gaudeamus offerentibus. Repetenda sæpius erunt scriptorum proxima. Sic namque melius iunguntur prioribus sequentia. Omnia nostra dum nascuntur placent. Sed redeamus ad iudicium. Cito non fit vt bene scribatur, & bene scribendo non fit vt cito. Secundò impedit diligentiam studii curiositas, quæ vult videre omnia quæ sequũtur. Contra quam remedium est, animo velut quoddam frænum imponere, & non permittere vagari illum ad sequentia. Vnde Sapiens: Resistamus & prouideamus vt effrænatos equos frænis quibusdam coerceamus. Oculus cordis semper noua videre appetit, sicut & oculus corporis: iuxta illud Ecclest. 1. *Non satiatur oculus visu, nec auris auditu. Ideoque refranandus est.* Tertiò impedit diligentiam studij, fatigatio. Vnde bonum est, vt quando aliquis videt se fatigatum circa materiam aliquam studendo, quod ipse quiescat, & post quietem ad eandem materiam redeat. Vnde Sapiens: Obstat diligentiæ scribendi etiam fatigatio. Non dubium est optimum emendandi genus esse, vt scripta in aliquod tempus reponantur, & ad ea post interuallum aliquod velut noua atque aliena redeamus, vt nobis tanquam recentes fœtus blandiantur.

CAP. VIII.

De vitio inconsummationis.

SEquitur de octauo vitio pertinente ad acediam, quod possumus vocare vitium inconsummationis, seu imperseuerantiæ. Hoc vitio laborant illi, qui raro ad perfectionem ducũt aliquod opus quod inchoant. Ad detestationem huius vitii primò potest valere exemplum Christi, de quo habetur Matth. 27. quod obtulerunt ei Iudæi, quod crederent in eum si de cruce descenderet. Ipse vero pro tanto munere sibi oblato, noluit opus redemtionis nostræ inconsummatum relinquere. Ad idem potest referri, quod ipse dicit Ioan. 4. *Cibus meus est, vt faciam voluntatem eius qui me misit vt perficiam opus Dei.* Et Ioan. 17. *Ego te clarificaui super terram, opus consũmaui quod dedisti mihi vt faciam.* Legitur etiã Deuter. 33. quod Dei perfecta sunt opera. Secundò potest valere ad detestationem huius vitii hoc, quod hoc vitium adeò placet diabolo. Cuius signum est hoc,

hoc, quod ipse tantum conatur ad hoc vt homines non perseuerent. Vnde dictum est serpenti. Genes. 3. *Tu insidiaberis calcaneo eius:* id est, fini, cui præcipuè diabolus insidiatur. Scit enim finem optimum esse in re, & quod cætera habent ab eo bonitatem suam: ideò finem præcipuè impedire conatur. Tertiò valere potest ad detestationem huius vitii hoc, quod vitium istud valde nociuum est homini: quasi enim perdita sunt cætera, quæ facta sunt, nisi finis sequatur. Parum enim prodest fundamentum & parietes fecisse, si tectum non sequatur. Parum etiam prodest per mare laborasse nauigando, si tunc nauis perierit quando portui proxima fuerit, per leucam vnam. Ideò dicitur Prouerb. 18. *Qui mollis est & dissolutus in opere suo, frater est sua opera dissipantis:* quasi enim idem est ac si dissiparet, quia ea non perficit. Nec solum est damnosum vitium homini, sed etiam verecundum, & irrisione dignum, dicitur enim: *Iste homo cœpit ædificare, & non potuit consummare:* secundum quod legitur Luc. 14. Indecens est animal sine cauda & ridiculosum: vt patet in simia: sic opus sine consummatione. Vltimò potest valere ad detestationem huius vitii, magna vtilitas quæ prouenit ex perseuerantia. Tantum enim valet vltimus dies, quo aliquis bene viuit, quantum omnes dies præcedentes quantum ad hoc, quod si illo die male vixisset, tota vita præcedens perdita esset. Sola perseuerantia hominem saluat. Vnde Bernardus: Perseuerantia est singularis filia summi regis. Illa enim sola hæres est regni æterni.

Cap. IX.

De Vitio remissionis.

Vitium remissionis est, nonurit. vitium pertinens ad Acediam. Hoc vitio laborat ille qui quotidie deterior efficitur. Si inchoat aliquod opus, primo die strenue operatur, secundo die minus, ad vltimum nihil. De tali dicitur Ecclesi. 22. *Filia fatua in deminoratione fiet.* Filia fatua est anima sale sapientiæ non condita, quæ semper decrescendo procedit: sicut econtrario vita iusti procedit accrescendo. Vnde Prouerb. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Et Prou. 21. *Cogitationes robusti semper in abundantia.* Robustus aliquid quotidie lucratur super hostes suos; sed remissus quotidie aliquid amittit. Remissionem vero istam sequitur paupertas primò. Vnde Prouerb. 10. *Egestatē operata est manus remissa: manus autē fortium, diuitias parat.* Secundò sequitur remissionem istam seruitus vitiorum. Vnde Prouerb. 10. *Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est, tributis seruiet.* Sequitur etiam remissionem istam, frequens fractio propositi. Vnde Seneca: Arcum frangit intensio, animum remissio.

Capvt X.

De vitio quod potest vocari Dissolutio.

Decimum vitium, quod pertinet ad acediam, possumus vocare dissolutionem. Hoc vitio laborat ille, qui inueniens difficultatem in sui regimine, se dimittit omnino absque gubernatione iuxta illud Prouerb. 23. *Eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo.* Talis animum suum non recolligit. Dispersus enim & diuisus adeò, quod non tenet de seipso vnū frustrum cum alio. Vnde Ecclesiast. 23. *Qui docet fatuum quasi qui conglutinat testam.* Testa in minutas partes confracta non de facili conglutinatur: nec animus hominis dissoluti de facili recolligitur. Est enim tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. Si aliquod bonum, vt scientia, vel aliud illi infunditur, nihil in eo retinetur. Est enim velut dolium non ligatū. Vnde Ecclesiast. 21. *Cor fatui*

quasi vas confractum, & omnem sapientiã non tenebit. Ex hac dissolutione sequitur penuria omnium bonorum. Vnde Prou. 19. *Anima dissoluta esuriet*. Solet autem vitium istud prouenire ex quadam diffidentia de Deo, videntes enim aliqui infirmitatem suam, diffidunt posse seipsos regere: quia de diuino auxilio non confidunt. Vnde Ecclesiast. 2. *Væ, dissolutis corde: quia non credunt Deo, & ideò non progreditur ab eo.*

Cap. XI.

De vitio incuriæ.

VNdecimum vitium, quod pertinet ad acediam, possumus vocare incuriam. Hoc vitio laborat ille, qui suorum debitam curam non habet. Talis sua non excolit, culta non colligit, collecta non custodit. Notandum quod sapientia conseruandi non minus valet ad hoc, quod aliquis ditetur & abundet, quàm sapientia acquirendi. Vnde quidam: *Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri*: parua vasa, quæ non tenent, licet abundanter recipiant, non tamen implentur: vt patet in cribro. Vasa vero magna, quę tenent, licet non ita abundanter recipiant, paulatim replentur. Scriptor vnus totam bibliam scribendo vno in anno sibi acquirit, quod aliquis per totam vitam suam addicere non potest. Et tamen aliquis citius vnam propositionem addiscit, quam scriptor scribat vnam dictionem. Sed hoc ideò accidit: quia illud quod addiscitur, non memoriter retinetur. Vnde ei, qui in studio vellet proficere, summe necessarium esset vt illud, quod addisceret, pro posse suo memoriæ infigeret: deinde quia memoria labilis est, scriberet illud & quasi de pergameno aliam sibi memoriam faceret. Parum enim prodest, quod aqua ita de facili impressiones recipit, quum eas non custodiat.

Cap. XII.

De vitio ignauiæ.

DVodecimum vitium, quod pertinet ad acediam, possumus ignauiã nominare. Hoc vitio laborat ille, qui potius eligit in miseria magna permanere, quàm aliquantulum laboris sustinere. Et possumus assignare duodecim ignauias, quæ solent inueniri in hominibus acediosis. Prima est, quod homo acediosus potius eligit carnes suas comedere, quàm labore acquirere, quod habeat ad comedendum. Vnde Eccles. 4. *Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas*, dicens: *Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cum afflictione & dolore animi*. Acediosus quodammodo carnes suas comedit, quum potius vult eas attenuari paupertate & inopia, quàm labore proprio acquirat, quod sibi necessarium est. Secunda est, quod potius eligit fame perire, quam laborem pascendi se velit sustinere. Vnde Prouerb. 25. *Abscondit piger manus suas sub ascella, & laborat si ad os suũ conuerterit*. Otiosus totus famelicus est, vt ostensum est prius. Fames autem eius sedaretur si operaretur. Vnde quum pigritatur operari vt fames repellatur, quodammodo vult potius se famelicum esse, quã laborem pascendi se sustinere. Tertia est, quod ipse potius eligit non lotis manibus manducare, quam ablutione harum aliquãtulum laborare. Hęc ignauia manifeste potest videri in eis, qui per totum annum comedunt immundi: quia manus suas, id ęst, opera sua per confessionem abluere nolunt. Quarta est, quod cum ipse à dæmonibus ad patibulum infernale trahatur non tamen vult se signare cruce pœnitentiæ vt ab eis liberetur. Quinta est, quod cum stilicidium prauarum cogitationum super oculum cordis cadere sentiat, præ nimia pigritia, oculum non auertit, sed à stilicidio eam

corrumpi permittit. Sexta est, quod si ignem praui desiderij super pedem affectus cadere senserit, ipse potius eligit, quod ignis pedem suum exurat, quam vt ipse laborem excutiendi ignem sustineat. Septima est, quod cum Dominus offerat ei bona gratiæ & bona gloriæ, ipse tamen ex pigritia suscipiendi remanet in sua paupertate. Vnde Eccles. 15. *Ante hominem vita & mors, bonũ & malum; quod placuerit, dabitur illi.* Octaua est, quod ipse potius eligit in luto per annum permanere, quàm inde surgendo aliquantulum laborare. Mira ignauia est, quod aliquis ex pigritia iacet in luto, qui potest iacere in lectulo florido. Vnde Cantic. 1. *Lectulus noster floridus.* Nona est, quòd postquam ipse posuit vnum pedem, scilicet intellectus vel boni propositi in via munditiæ, alium tamen pedem, scilicet affectus vel operis, differt mouere per duos annos vel amplius, remanens in munditia ex pigritia remouendi illum. Multi enim sunt, qui postquam iudicauerunt bonum esse inchoare nouam vitam, & proposuerũt vel vouerũt se ingressuros religionem, tamen differunt multis annis implere illud. Decima est, quod quum ipse in profundum stultitiæ cæci perit: tamen potius eligit vt stultitia submergat eum, quam vt ad occupationẽ per quam euadere possit, manum extendat. Seneca: A stultitia nemo emergit, nisi manum porrigat ad laborem. Vndecima est, quod potius eligit per aquam diuitiarũ & deliciarum ire ad mortem suam, quam aliquantulum laborando per terram siccam paupertatis, ad portum peruenire vitæ. Diuitiæ diliciæque aquæ sunt tendentes ad mare inferni. Ideò prohibemur ponere pedem nostrũ super aquam. In Psalm. 61. *Ibi: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Duodecima est, quod ipse potius eligit in scarcere immundo in quo ad mortem seruatur remanere, quàm pro euasione sua laborem exeundi sustinere. Mundus iste carcer est peccati.

Cap. XIII.

De vitio Indeuotionis.

Vitium Indeuotionis, est tertiumdecimum. Et est indeuotio, quædam ariditas spiratualis. Vnde Psal. 142. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Et Num. 31. *Anima nostra est arida, nihil respiciunt oculi nostri nisi manna.* Prouenit autẽ ista ariditas multis de causis. Quandoque ex superbia, quæ est mons Gelboe, in quo nec ros nec pluuia descendit. Vnde Bernard. loquens in persona illius, qui deuotionem amisit occasione superbiæ, dicit: Ab heri & nudiustertius inuasit me languor animæ, & inde hebetudo insolita, quædam inertia spiritus. Superbia inuenta est in me, & Deus declinauit à seruo suo in ira. Non compungi ad lacrymas queo, tanta est duritia cordis vt non sapiat psalmus. Non legere libet, non orare delectat, meditationes non inuenio. Ideoque ad opus manuum piger, ad vigilias somnolentus, ad iram præceps, ad odium pertinax, linguæ & gulæ indulgentior, securior, & obtusior ad prædicationem. Heu omnes montes in circuitu meo visitat Dominus: ad me autem non appropinquat. Quãdoque autem prouenit ariditas ista ex defectu cibi spiritualis. Vnde Psalm. 101. *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Prouenit etiã quandoque ex acedia. Cum cæteræ creaturæ ex otio impinguentur, & ex labore attenuentur: anima humana econtrario ex labore impinguatur, & ex otio, & delicijs attenuatur. Vnde Prouerb. 13. *Vult & non vult piger: anima autem laborantiũ impinguatur.* Quod ideò accidit, quia opera bona cibi sunt eorum, qui ea faciunt, vita spiritualis sustentatur & roboratur. Homines vero, qui patiuntur illam spiritualem ariditatem, duri

Indeuotio quæ sit & dicatur.

sunt frequenter ad ea, quæ sunt pietatis & inflexibiles ad ea, quæ sunt obedientiæ. Dura facilius franguntur, quàm flectũtur. Sed si ad ignem tribulationis ponantur, nihil spiritualis pinguedinis emittunt: quia nec gaudent, nec gratias agunt, sed statim ardent, & exuruntur per impatientiam. Ad modicum statum tentationis igne peccati succenduntur. Ad bona opera sũt steriles. Quæ aliis facilia sunt vel etiam iocunda, videntur eis importabilia: sicut panis aridus quandoque transglutiri non potest, qui tamen adiutorio liquoris delectabilis efficitur.

Cap. XIV.

De vitio Tristitiæ in diuino seruitio.

TRistitia est decimum quartum vitium pertinens ad acediam. Et notandum, quod tristitia est vitium valde detestabile in seruitio diuino: valde enim displicet Deo, & placet diabolo, & homini valde nocet: Primùm patet per illud 2. ad Corinth. 9. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Et econtrario. *Tristem datorem odit Deus.* Et meritò. *Tristitia in seruitio Dei est quasi absinthium positũ in esca Dei.* Bonum enim opus est esca Dei, sicut ostensum est prius. Præterea quum omnia bona nostra Dei sint, & solum ea quæ de manu eius accepimus demus ei, sine tristitia deberemus esse quum oportet nos ei dare. Item quum eis, quę nullius vel parui valoris sũt, parua vel quasi nulla occasione adeo lęti efficiamur, satis potest Deo displicere, quod in eius obsequio vbi sunt tot causæ lætitiæ lætificari non possumus. Causę lętitię, quas debemus habere in diuino seruitio, hæ sunt: scilicet quod tanto Domino seruiemus, scilicet cui seruire regnare est, & quod in domum Dei imus. Vnde Dauid Psal. 121. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, &c.* Et quod tantum lucramur, scilicet gloriam æternam. Vnde Psal. 137. *Et cantent in viis Domini: quoniã magna est gloria Domini.* Quod vero tristitia ista valde diabolo placeat, potest ostendi per suum contrarium: scilicet per hoc, quod lætitia spiritualis valde ei displicet. Vnde 1. Regũ 4. dicunt Philisthæi. *Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri & nudiustertius. Væ nobis, &c.* Et beatus Antonius dicit, quod vnica ratio vincendi inimicum, est lætitia spiritualis. Legitur etiam 1. Mach. 4. de Iuda quod præliabatur prælium Israël cum lætitia. Et subditur, quod dilatauit gloriam populi sui. Nocet etiam homini tristitia tripliciter, scilicet eum affligendo. Vnde Prouerb. 25. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno: sic tristitia viri nocet cordi.* Nocet etiam homini eum excæcando in his, quæ ad Deum pertinent. Vnde in vitis Patrum legitur: Vincula pedum impedimenta sunt cursoris, & tristitia impedimentum est diuinæ visionis. Nocet etiam tristitia spiritualiter occidendo. Frequenter etiam est alterius peccati occasio. Vnde Ecclesiastici 30. *Tristitiam longe expelle à te. Multos enim occidit tristitia.*

Cap. XV.

De Tædio vitæ.

TÆdium vitæ, est vitium decimumquintum, pertinens ad acediam, & prouenit ex longa tristitia in diuino seruitio: postquam enim aliquis tristitiam patitur, paulatim corruit, adeò vt nõ solum displiceat ei Deo seruire, sed etiam viuere. Notandum tamen est, quod tædiũ huius vitę prouenit ex diuersis causis. Quandoque prouenit ex Dei amore & desiderio cælestis patriæ. Vnde Greg. Sancti grauiter tolerant quidquid non sonat id quod amant. Quandoque etiam preuenit ex cõsideratione malorũ, quibus mundus plenus est. Vnde Eccles. 2. *Tæduit me vitæ meæ videntẽ mala vniuersa esse sub sole & luna, & cunctam afflictionem & vanitatem spiritus.* Et eiusdem. 4.

Vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem, & non posse resistere eorum violentiæ, &c. Quandoque prouenit tædium vitæ ea vehementia tribulationis. Vnde Iob 10. *Tædet animam meam vita meæ.* Et 2. ad Corint. 1. *Supra modum grauati sumus, ita vt tæderet nos etiã viuere.* Quandoque etiam prouenit ex acedia, ad quod possumus referre quod legitur 3. Reg. 19. de Elia, qui petiit animæ suæ, vt moreretur: *proiecit se subter vnam iuniperum, & abdormiuit: & ecce Angelus Domini tetigit eum.* Et subditur quibusdam interpositis, quod iterum obdormiuit.

Cap. XVI.

De desperatione, & vnde prouenire consueuit.

DEsperatio est vltimum vitium pertinens ad acediam. Solet autem prouenire desperatio ex nimia tristitia. Vnde Prou. 15. *In mærore animi deiicitur spiritus:* scilicet in profundum desperationis. Et eiusdem 17. *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Tristitia etiam fortem animam excæcat ab humore gratiæ, vt per peccatum desperationis frangatur. Vnde Eccl. 14. *Felix qui non habuit animi tristitiã, & non excidit à spe sua.* Et notandum, quod peccatum desperationis valdè displicet Deo. Vnde dicit Hieronymus super Psalm. 108. quod magis offendit Iudas Deum in hoc, quod ipse se suspendit, quàm in hoc quod Dominum tradidit. Valdè detiam diabolo, quia ille qui dicit verbum desperationis, dicit malum verbum, quod dicunt illi qui victi sunt. Et ideo diabolo valdè gratum est qui est aduersarius noster. Vnde Prou. 14. *Si desperaueris in die angustiæ lapsus, minuetur fortitudo tua.* Multùm valet spes seu fiducia in Deo ad fortitudinem. Vnde Esaiæ 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Fortitudo enim Dei quodammodo eorum efficitur, quia de ipsa eis subuenitur. Ideò in Psalm. 25. dicitur; *Sperans in Domino, non infirmabor.* Cùm fortitudo Dei sit, eorum qui sperant in Deo: sicut Deus non infirmatur, ita nec illi, qui in Deo sperant Hac de causa dictum est illud Psalm. 33. *Non derelinquet omnes qui sperant in eo.* Sicut vanitatis est fulcimentum negare innitenti: ita veritatis est non negare. Vnde quum veritas Deus sit, confidenti de se non negat auxilium. Ideò ipse dicit in Psal. 90. *Quoniam in me sperauit, liberabo eum.*

Cap. XVII.

De remedijs contra disperationem.

SVmmum remedium contra peccatum desperationis est, memoria Dominicæ passionis. Vnde Bern. Peccaui peccatum grande: conscientia mea turbabitur; sed non perturbabitur, quia vulnerum Domini recordabor. Quid tam ad mortem, quod non morte Christi soluatur? Si in mentem venerit tam potens, tamque efficax medicamentum nulla iã possum morbi malignitate terreri. Secundum remedium est, consideratio magnæ virtutis quam habet pœnitentia. Est enim pœnitentia medicina contra quam nulla spiritualis infirmitas præualet. Eccl. 20. *Si spiritus potestatem habentis super te ascenderit, locum tuum ne dimiseris: quia curatio cessare facit peccata maxima.* Et beatus Martinus legitur dixisse diabolo: Si veram pœnitentiam posses habere, adhuc veniam posses consequi. Tertium remedium est, consideratio illarum personarum, cum quibus Dominus legitur misericorditer egisse. Vnde Bernardus. Omnino propter mansuetudinem quæ in te prædicatur, currimus post te Domine Iesu, audientes quod non spernas paupertatem, peccatores non horreas. Non horruisti confitentem latronem, non lacrymantem

peccatricem, non supplicantem Chananæam, non deprehensam in adulterio, non sedentem in teloneo, non supplicantem publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non impios crucifixores tuos: ideò in odorem vnguentorum tuorum currimus. Potest etiam valere contra desperationem illud quod legitur Lucæ 15. *Dico vobis, quia gaudium est Angelis, &c.* Ad idem valet quod legitur de filio prodigo, de quo dicitur, *quòd cùm adhuc longe esset, videns eum pater eius, misericordia motus est, & occurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Prætereà, quis dominus exhæredatus à terra sua & hominibus suis, non gaudeat de eorum recuperatione? Quomodo ergo non gaudebit Dominus de conuersione peccatorum? Ad idem potest valere si attendatur magnitudo odii, quod habet Deus contra peccatum: de quo dictum est supra in principio. Ex hoc patet, quòd destructio peccati plus placet Deo, quàm ipsi peccatori.

Cap. XVII.

De acedia claustralium, & duodecim malis quæ ex ea proueniunt.

Præter istam diuisionem peccatorū, cuius membra prosecuti sumus, sunt multæ aliæ diuisiones pertinẽtes ad peccatum acediæ, quas prętermittimus, nisi quòd de vna breuiter tangemus. Notandum est ergo, quòd acedia potest diuidi in acediam secularium, & acediam claustralium. De acedia secularium nihil dicemus; sed contra acediam claustralium ostendemus duodecim mala, quæ in claustralibus solent inueniri ex peccato acediæ. Primum est, quòd licet die & nocte in ore habeant cibū regium, qui de ore Dei procedit, scilicet verbum Dei: tamen ex pigritia terendi eum, famelici remanent, nec reficiuntur de sibo illo. Inter aromata nocte & die versantur, & tamen ex pigritia applicandi olfactum, odore eorum non confortantur. Sacra scriptura apotheca est Spiritus sancti. Vnde Eccl. 24. dicitur de Sapientia: *Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi.* Secundum est, quòd cùm ipsi sint de nocte & de die in colloquio cum Deo, permittunt tamen multos dies transire, quòd non aperiunt oculos cordis, vt videant quis loquatur cum eis, vel quid loquatur. Sicut dicit Gregorius. Cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur: cùm verò legimus, loquitur nobiscum Deus. Magna ergo pigritia est, non attendere cum quo loquimur: præcipuè, cùm ipse moneat ad hoc, dicens: *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus.* Tertium est, quòd ipsi non proficiunt in his quæ religionis sunt: imò quanto diutius in religione sunt, tanto magis dissoluti sunt. Quod valdè verecundum est, sicut in scholis diu esse, & in scientia non proficere. Tales religiosos non iuuat assuetudo, vt faciant melius ea quæ sunt religionis, sed potius nocet: quanto enim orant diutius, tanto orant indeuotius. Quartum est, quòd quanto diutius Deo seruiunt, tanto minus certi sunt, quòd habeant gratiam ipsius. Et in veritate satis dolere potest qui reliquit mundum vt Deo seruiret, & postquam diu seruiuit, nullam cum eo familiaritatem habet. Pauca vel nulla signa habet, quod seruitium eius sibi placeat. Interdum tamen accidit, quòd Dominus minus bonos consolatur, tamquam firmos, & tanquam eos, qui propriis expensis non sufficiunt ei seruire. Meliores verò inconsolatos relinquit, tanquam fortiores, & tanquam eos, qui propriis expensis sibi seruire sufficiunt. Vnde Lucæ 15. ait maior filius patri, *Ecce tot annis seruiò tibi, &c.* & respondit pater: *Fili, tu semper mecum es &c.* Quintum est, quòd quanto diutius in camino paupertatis existunt, tanto meliores &

delicatiores existunt. Caminus vasa lutea consolidat: sic paupertas, claustrales illos, qui molles & delicati erant, in seculo consolidare debet. Sed multi cùm deberent consolidari, potius dissoluuntur. Quod tribulationes, paupertas, & huiusmodi excoquant, & consolident, potest haberi ex vitis Patrum, vbi legitur, quòd si cruda tegula ponatur in flumine, dissoluitur: cocta verò, non. Ita & homo carnalem habens sapientiam, qui non est tentationum igne decoctus. Item Esaiæ 48. *Ecce excoxi te, sed nō quasi argentum elegi te in camino paupertatis.* Non quasi argentum excoquitur, qui de eo quod excoquitur, fæces assumit, non deponit. In camino paupertatis Dominus seruos suos, vel eligit, vel assumptos alibi reponit. Sextum est, quòd quanto diutius soli iustitiæ approximauerunt, tanto frigidiores existunt. Et satis admirandum est, vnde hoc accidit: quanto enim proximiores fiunt, tanto videntur quòd feruentiores esse deberent. Sed timendum est, ne nubes alicuius peccati interposita hoc impediat, vel ne per aliquem errorem fiat, vt cùm progredi debeant, ingrediantur: & cùm deberent appropinquare terræ promissionis, ab ea elongentur. Sicut accidit filijs Israël, qui triginta octo annis in deserto errauerunt. Qui cùm crederent appropinquare terræ promissionis, ab ea elongabantur. Septimum est, quòd quandò diutius existunt in loco impinguationis & saginationis spiritualis, tantò macilentiores inueniuntur. Locus in quo animæ repleri deberent pinguedine & adipe spirituali, est pax & trāquillitas claustralis. Sed acediosi quātò magis ibi sunt, tantò magis inueniuntur macilē ti. Quod benè ostendit ignis tribulationis, quem sustinere non possunt, quin statim per iram exurantur. Octauum est, quòd in statu, in quo non solùm currere, sed etiam volare deberent viri contemplatiui, cùm aues spirituales sint, pigri & tardi efficiuntur. Etiam illi, qui strenui erant in sæculo, interdum desidiosi efficiuntur in claustro. Nouum est, quòd in loco, vbi maior est conflictus, securi & somnolenti efficiuntur. In maiori conflictu belli spiritualis sunt claustrales, quàm alij. Plus enim gaudet diabolus quādoque cùm claustralem aliquem ad hoc deducit, vt mulierem mala intentione tangat, quàm gaudeat de adulterio vnius hominis secularis. Sicut ostensum est prius in tractatu de Luxuria. Vnde claustrales non deberent esse securi, sed cum timore & sollicitudine salutem suam operari. Decimum est, quòd ipsi volunt esse otiosi, vbi minime locus est otij. Licet aliquis tolleret quandoque arbores steriles in terra sua deserta, tamen in terra benè culta, sicut in horto, non tolerat eas vllo modo. Sed constat, quòd claustrum est velut hortus conclusus, iuxta illud Cantic. 4. *Hortus conclusus, soror mea sponsa.* Vnde in claustro minus sunt tolerabiles homines otiosi, qui sunt velut arbores steriles, quàm in aliis locis. Vndecimum est, quòd ibi procrastinantes & differentes fiunt, vbi deberent omnino esse parati. Si fatua est procrastinatio siue dilatio senum in his quæ pertinent ad salutem eorum: quantò magis in claustralibus, qui iam sunt mortui, iudicanda est fatua crastinatio propriæ correctionis, vel meliorationis eorum? Duodecimum est, quòd ibi præcipuè tristes sunt, vbi præcipuè vel solùm esse læti deberent. In deuino seruitio præcipuè locus est gaudij in vita ista: quia ibi præcipuè facit homo vtilitatem suam.

PARS II.

De octo remedijs contra Acediam.

Sequitur de remedijs cōtra Acediam, de quibus sufficiat ponere octo, licet sint multo plura. Primum est, diuersitas occupationum. Hoc remedium habetur

in vitis Patrum vbi legitur, quod beatus Antonius tentatus fuit à spiritu acediæ, & residens in eremo dicebat: Domine, saluari desidero, sed vanæ cogitationes non permittunt me. Quid faciam in tribulatione, vel quomodo debeam saluari, dignanter ostende. Et respiciens vidit quendam astantem torquentem funiculum, qui sibi similis erat; deinde ex opere surgentem & orantem, iterùm sedentem, & plectas facientem de palmis, & inde ad orationem rursus surgentem. Erat autem ille angelus Dei, & dixit ei: Et ita faciens, Antoni, saluaberis. Secundum est, cõsideratio pœnæ futuræ. Hoc habemus Ier. 1. vbi legitur, *Quid tu vides Ieremia?* Et dixit: *Virgã euigilantem ego video.* Virga euigilans à somno acediæ vel pigritiæ, est consideratio pœnæ futuræ. Tertium est, consideratio æterni premij. Vnde Aug. Labor te terret, vide mercedem. Et Gen. 15. factus est sermo Domini ad Abraham per visionem, dicens: *Noli timere Abraham: ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Si terret pigrum labor, attrahat eum merces. Secundum & tertium similiter habemus in vitis Patrum: vbi dicitur quod quidam frater interrogauit Abbatem Achillem, dicens: Cur sedens in cella mea patior acediam? Cui senex: Quia nondum vidisti requiem quam speramus, neque tormenta quæ timemus. Si enim ea inspiceres diligenter, etsi vermibus plena esset cella tua vsque ad collum, etiam in ipsis permaneres sine acedia iacẽs. Quartum est, societas bonorum. Hoc remedium possumus habere ex isto verbo Exodi 7. vbi dicitur: *quòd pugnante Iosue contra Amalech, orabat Moyses leuans manus ad Dominũ, cuius manus graues erant: sed Hur & Aaron sustentabant manus eius ex vtraque parte.* Per quos signantur duo genera hominum, quorũ societas amanda est, Per Hur, qui interpretatur lumen, significantur illi qui ministrant lumen doctrinæ. Per Aaron qui interpretatur mons fortis, signifigantur illi, quorum interuentu venit homini auxilium: iuxta illud: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Illis ergo, qui manus habent graues ex acedia, necessarium est, vt habeant tales in societate sua, qui eos exemplo suo & doctrina illuminent & orationibus iuuent. Quintum est exemplum illius qui piger non fuit, sed *exultauit vt gygas ad currendam viam.* Hoc remedium habemus Matth. 26. vbi Dominus dixit discipulis: *Non potuistis vna hora mecũ vigilare?* Cum Domino vigilare, est exemplo eius à somno acediæ cauere. Hoc remedio vtitur Apostolus ad Hebr. 12. dicens: *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum cõtradictionem vt non defatigemini animis vestris deficientes.* Sextum est consideratio periculorum in quibus sumus in præsenti, quod Dominus insinuat Matth. 26. vbi dicit: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Tria genera periculorũ consueuerunt specialiter homines excitare à somno. Periculum aquæ, ignis, & latronum: quæ pericula specialiter nobis imminent. Non enim est dies, in quo fructus malarum cogitationum super caput cordis nostri non ascendant. Non est etiam dies in quo ignis prauorũ desideriorum in domo conscientiæ nostræ non succẽdatur. Latrones etiam semper adsunt. Etiam illi qui deberent esse seruientes nostri deprædantur nos. Vnde Thren. 3. *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Septimum remedium est, amor Dei, quod docet nos Dominus Leuit. 6. vbi dicitur: *Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subijciens ligna manu per singulos dies,* Deus vult, quod semper in altari cordis ardeat ignis feruoris. Hunc ignem debet nutrire sacerdos in subditis suis, vel quilibet in semetipso, subijciẽdo ligna per singulos dies, recolendo beneficia Dei, quibus debemus respondere, vel mala nostra

recordando, pro quibus Deo satisfacere debemus vel promissa præmia quæ promereri debemus, pręcipue deberent in nobis istum feruorem accendere beneficia, quæ nobis Christus exhibuit in carne mortali assumpta. Vnde Bern. Quid nobis non suaue, cum recordati fuerimus infantilium necessitatum Christi laborem in prędicando & cæterorum; Quis amplius gemet dicens: Nimium ieiunamus, nimium vigilamus? cum millesimæ parti debitorum respondere non valeamus. Octauum & summum est gratia Dei. Hoc remedium insinuat nobis Bern. super Cantic. ibi: *Trahe me post te*, dicens in persona eorum qui pigri sunt, Opus habemus trahi: quia refriguit parumper ignis amoris tui: nec valemus à facie frigoris huius currere, sicut heri & nudius tertius: curremus postea, cum reddideris lætitiam salutaris tui, cum redierit melior temperies gratiæ. Vnde cum aliquis sentit se segnem vel acediosum, instare debet orationi coram Deo, vt orando impetret gratiam quæ ab eo expellat acediam. Et notandũ quod omnia quæ dicta sunt ad detestatioñe acediæ, possunt esse remedia contra acediam: ideo de remedijs Acediæ hic finem faciamus.

PARS IV QVÆ HABET IV. Capitula.

De indiscreto feruore: qui acediæ videtur esse contrarius.

CAPVT I.

De feruore indiscreto: de his quæ exiguntur ad hoc, vt aliquis Deo discrete seruiat.

SIcut in vitio Auaritiæ tractauimus de vitio prodigalitatis, eo quod auaritia & prodigalitas vitia sunt opposita: sic cum acedia tractabimus de indiscreto feruore. Acedia enim & indiscretus feruor quodammodo videntur esse vitia opposita. Ad cuius detestationem valere possunt. Primo testimonia scripturarum: sicut illud ad Rom. 12. *Rationabile sit obsequium vestrum*. Tria sunt quæ exiguntur ad hoc vt homo cum discretione & rationabiliter Deo seruiat. Primũ est notabilitas personæ cui seruitur. Vnde honor regis iudicium diligit, scilicet iudicium discretionis. Secundum humana natura Homo enim rationalis creatura est, & ideo rationabiliter operari debet. Plus debet inniti sapientiæ, quàm fortitudini. Belluinum enim est viribus decertare, sicut dicit Philosoph. Tertiò requirit hoc ipse hostis contra quem pugnam habemus: diabolus enim contra hominem pugnat, potius astutia & sapientia, quàm viribus: ideo & nos sapientia contra eum pugnare debemus, non viribus: vires enim non sufficerent resistere sapientię: quia melior est sapiẽtia quam vires: & vir prudens, quam fortis: Sap. 6. *Ad signandum quod Deo non placeant opera sine discretione facta, non offerebatur in lege animal cœcum*. Ideo etiã in omni sacrificio offerebatur sal. Sale condiuntur cibi, vt hominibus bene sapiant: per quod signatur discretio, quæ facit opera grata Deo. Ad idem Prou. 4. *Palpebræ tuæ præcedant gressus*: il est, considera opera tua. Et illud Apostoli 1. ad Tim. 5. *Noli adhuc aquam bibere sed vino modico vtere*. Gloss. Prudenter sibi vult Deus seruiri: non in nimietate, ne debiles fiant, & post medicorum suffragia quærant. Temperandum est enim, vt si fieri potest, cæptum obsequium gradatim prouehatur, potius quam inconsideratione minuatur. Ad idem 1. Pet. 4. *Charissimi, nolite peregrinari in feruore qui ad tentationem vobis fit*. Et Eccles. 7. *Noli esse iustus multum*. Ibi dicit gloss. interlin. quod summa iustitia, summa iniustitia est. Sunt aliqui qui in nullo volunt condescendere carni, quorum iustitia magna iniustitia est. Ad idem potest valere illud Philosophi: Arbitror primo in

vita vtile esse, nec quid nimis.

Cap. II.

De multiplici malo, quod ex indiscreto feruore prouenit.

SEcūdo potest valere ad detestatiōnē indiscreti feruoris, si ostendamus mala quæ ex eo sequuntur. Et ostēdit B. Bernard. quatuor mala ex eo sequi, dicens: qui ex indiscretionis vitio ieiunia & vigilias & huiusmodi sic agit, vt deficiente spiritu vel corpore languente, spiritualia impediātur, abstulit corpori suo boni operis effectum, spiritui affectum, proximo exemplū, Deo honorem. Sacrilegus est, & omnium bonorum in Deum reus. Sacrilegus talis dicitur, quia violat templum Domini: scilicet corpus suum. Salomon etiam ostendit quod malum sequitur ex indiscreto feruore. Pro. 19. dicens: *Qui festinus est, pedibus offendit.* Ille ex festinatione offēdit, qui ex indiscreto feruore infirmitatē corporis sui seu animæ incurrit. Et licet ex festinatione sequi posset casus in quocunque ambulante: tamen præcipue in eo qui per scalam vadit, præterea talis casu suo multū descendit. Vnde cum conuersio viri religiosi sit quasi ascensus per scalam, cum discretione debet ascendere. Si enim per infirmitatem corruat, ipse descendit vsque ad initiū scalæ. Oportet enim eum comedere carnes, & talia facere quæ faciebat in seculo. Vnde dicit B. B. Nemo repente fit summus. Ascendēdo, non volando, apprehēditur summitas scalæ. De indiscreta etiam festinatione leg. Pro. 13. *Quod substantia festinata minuetur.* Et eiusdem 20. *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in fine benedictione carebit.* Et licet ista festinatio in omnibus timēda sit, præcipue tamē in nouitijs. Ille qui equū suum nimis fatigat in mane, non videtur facere in die bonā dietam. Sequitur etiā ex indiscreto feruore, peccatū superbię & vanæ gloriæ. Vnde quidem corpus non frangendum, sed regendum est. Sint ergo moderata ac sancta & simplicia in omni humilitate ieiunia, quæ ita corpus attenuent, ne animam eleuent, ne res humilitatis gignat superbiam & vitia de virtute nascantur. Quæ supererit spes salutis, si ipsa animæ remedia venena sunt; De superbia etiam talia dicit Bern. Quæ maior superbia, quum vnus homo toti congregationi iudicium suum præfert: tanquam ipse solus habeat spiritum Dei? De vana etiam gloria dicit B. Bern. ad fratres suos: Non legistis in regula nostra, quod quidquid sine volūtate & cōsensu patris spiritualis fit, vanæ gloriæ imputabitur, non mercedi? Et Matth. 6. *Exterminãt facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Sequitur etiam ex feruore indiscreto scandalum aliorum, & maxime congregatione. Bernardus de talibus: Hi sunt vnitatis diuisores, inimici pacis. Casus etiam vnius talium multos exterret & tepescere facit à desiderio proficiendi. Et cuius exemplum debuit alios attrahere, facit eos formidare austeritatem religionis, vt adimpleatur illud Psal. 88. *Posuisti firmamentū eius formidinem.* Videtur etiam sequi ex feruore indiscreto quædam idololatria. Vnde Benar. Scelus est idololatriæ non acquiescere, & quasi peccatum ariolandi nolle obedire. Et subdit: Errant nunc, qui se faciunt religiosiores alijs, qui non sunt sicut cæteri hominum: ecce pagani & idololatræ sunt. Et 1. Regum 15. dicit Samuel quod peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Sequitur etiam ex indiscreto feruore quandoque rapina. Iudicium enim quod debet esse apud patrē spiritualem vsurpant sibi tales personæ, & id cui renunciauerunt, iterum sua auctoritate reassumunt. Vnde Bernardus: Qui vestri curam semel nobis commisistis, quid rursum de vobis vos intromittitis: Et vt breuiter dicam. Non habet callidus hostis efficacius machinamen-

eum ad tollendam de corde dilectionem, quàm si efficere possit, vt in ea incaute & non cum ratione ambuletur, sicut dicit beatus Bernard.

Cap. III.

De duodecim stultitiis indiscreti feruoris.

Feruentes in discrete 12 laborant stultitiis.

TErtiò possunt valere ad detestationem huius vitij stultitiæ, quæ ostenduntur in his esse, qui laborant hoc vitio, quæ sunt 12. Prima est, quod ipsi contra ordinem ecclesiæ crucem lumini præferunt, vel potius sine lumine fuerunt. Ordinatum est in ecclesia quod lumen cruci præferatur. ad significandum quod lumen sapientiæ cruci pœnitentiæ præferendum est. Vnde legitur in fine Prou. de sapiente muliere, quod ipsa operata est consilio manuũ suarum. Manus sunt, quæ non solum habent cognitionem, sed etiam operationem bonã, quorum consilio præcipue acquiescendũ est. Et hoc vero quod tales crucem pœnitentiæ sine lumine consilii ferunt, accidit frequenter quod ipsi innocentem crucifigũt qui latronem crucifigere debuerunt, scilicet nouum hominem, qui debuerint crucifigere veterem. Verus homo intelligitur ex peccatis cõpositus, velut ex membris, Vnde ad Coloss. 2. *Mortificate mẽbra vestra, quæ sunt super terram, &c.* Homo nouus intelligitur cõpositur ex virtutibus velut ex membris. Nouus ergo tunc crucifigitur, quando per nimiam afflictionem abstinẽtiæ virtutes operari non possunt. Secunda stultitia est, quod ipsi assumunt arma nimis ponderosa, quæ pondere suo eos deiiciunt, & quæ debuerũt eos ob hoste protegere potius eos capi ab hoste faciunt, non attendentes, quod fecit Dauid 1. Reg. 17. qui Saul nimis ponderosa arma deposuit, quibus depositis Goliam deuicit. Sic aliqui deuincerent diabolum, cum mediocritate ieiuniorum & vigiliarum, qui cum nimietate per iram vel impatientiam deuincuntur. Tertia est, quod qũum ipsi habeant equum valde impetuosum, non curant tamen frænum imponere ei, sed solum calcaribus sunt contenti, quum tamen constet frænum non minus necessarium esse equo, quã calcaria. Non minus periculosum est alicui inter hostes esse sine fræno, quam sine calcaribus. Bernardus: Bonæ voluntati non semper credendum est, sed frænanda & regẽda est maxime in incieiente. Iacob. 3. *Fræna in equorum ora mittimus ad consentiendũ nobis, &c.* Quarta est, quod cum infirmitas quæ ex calida causa, periculosior fit quam illa quæ ex frigida: ipsi tamen se sanos omnino putant, licet ex calida causa firmentur. Acedia enim velut infirmitas est ex causa frigida. Vnde tepiditas vocatur. Indiscretus vero feruor est velut infirmitas ex calida causa: & ideo periculosior esse videtur. Quinta est quod cum ipsi hebeant dominum ditissimum & liberalissimum, credunt tamen placere ei si seruientes illius adeo fame affligant quod impotentes fiant ad seruiendum ei, quum tamen sciant hoc non placere hominibus pauperibus atque auaris etiam de iumentis suis. Nullus enim vult vt iumentum suũ tantum ieiunet quod ei seruire non possit. Sexta est, quod quum magis periculosum sit nauem esse nimis oneratam quam vacuam: ipsi tamen non curant cauere naui suæ à periculo nimii oneris. Homo in mundo isto est velut nauis in medio mari. Vnde *facta est quasi nauis institoris*. Hoc dicitur de sapiente muliere. Prou. cap. vltimo. Imminet autem huic naui duplex periculum: scilicet submersionis ex nimio onere, & euersionis per fluctus tentationũ ex vacuitate. Sed tales periculo submersionis non curant subuenire. Septima est, quod ipsi iudicant cibum esse subtrahendum filiis Dei, qui digni essent cibari auro & argento, & potari balsamo: iuxta illud Bern. Da mihi alterum Timotheum, & ego eum si vis cibo auro, & poto balsamo.

Ad cumulum huius stultitiæ facit hoc, quod ipsi vident tot filios diaboli, qui omni bono sunt indigni, ita large bona domini sui expendere. Octaua est, quod quum ipsi velint multum Deo seruire: ita tamen volunt ei seruire, quod non possint diu seruire. Sapiens: Quid stultius quàm quod libenter facias, curare vt diu facere non possis? Nona est, quod quum equis suis subtrahunt auenam, volunt facere maiorem dietam, tam male proportionantes ea quæ asino debentur, scilicet cibaria, virgam & onus. Virgam & onus duplicant, ciberia autem dimidiant. De his habetur Eccl. 33. *Cibaria, virga & onus asino, &c.* Decima est, quod ipsi se perfectos non æstimant, nisi magistrum suum Christum excedant, cum scriptum sit Luc. 6. *Perfectus omnis erit si sit magister eius.* Constat cuilibet fideli Christum perfectissimum fuisse, & tamen comedebat & bibebat mediocriter. Vndecima est, quod ipsi credunt seipsos esse sanctos non posse, nisi prius fuerint homicidę. Si illi qui auferret victum alicui quo victurus esset per annum, homicida reputaretur: quanto magis ille qui nimis ieiuniis & afflictionibus efficit, vt decem annis citius moriatur quam esset moriturus? Duodecima stultitia est, quod quum ipsi boni sint, & caueant à nocumento omnium: tamen sibi ipsis mali sunt & immisericordes. *Sed qui sibi nequam, cui bonus?* Ecclesiast. 14

Capvt IV.

De malis quæ faciunt delicata cibaria.

Sciendum est, quod in cibis, qui sumuntur, valde timenda est delectabilitas, quia frequenter nimis sumitur de cibis delectabilibus. Præterea, consolatio in cibis delectabilibus, quandoque prohibet hominem à diuina consolatione. Secundum Bernard. Nimis delicata est diuina consolatio, quæ non datur admittentibus alienam. Sed si quis in cibis quos sumit in quantitate & in ardore caueat, & creatori de creaturis quas sumit, gratias agat, non solum absque peccato, sed etiam meritoriè potest sumere de cibis illis quantum necesse est ad substentationem corporis sui. Deus enim creauit cibos ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus 1. ad Tim. 4. Et vt breuiter dicam, sic debemus habere corpus sicut ægrum comedentem, cui multum volenti inutilia sunt neganda, vtilia vero etiam nolenti sunt ingerenda.

Cap. V.

De condescentione patrum spiritualium circa fratres.

Et notandum quod sicut apud religiosos viros præcipue oportet nouitios cauere ab indiscreto feruore: sic oportet patres spirituales condescendere fratribus quandoque. Vnde legitur de beato Antonio, quod quidam venator vidit eum gaudere cum fratribus suis, & displicuit ei. Cui Antonius volens ostẽdere, quod quandoque oporteret eum condescendere fratribus, ait: Pone sagittam in arcu, & trahe. Et fecit sic. Et rursus dixit, Trahe. Et traxit Et rursum Trahe, dixit. Et respondit sagittarius: Si supra mensuram traxero, frangetur arcus. Et respondit Antonius: Ita est de opere Dei. Si supra mensuram tendimus fratres dificiunt. Expedit ergo aliquando laxare rigorem. Simile est de chordis citharæ, quæ si parum tendantur, raucè sonant: si nimium, rumpunrur: si moderate, dulcem sonum reddunt. Impetus animi ob se inuento intumescit, ideo aliquid libertatis concedendum est interdum fratribus, ne sicut accidit in doliis ferratis, circuli in eis rumpantur, & fundus exiliat. Castanea non incisa in igne posita, aut crepat aut exilit. Dicitur etiam quod terræ motus fiat ex mul-

tis vaporibus in visceribus terræ meatum non habentibus: ideo oportet homines ab hominibus nimis coarctari, imo aliquis locus relinquendus est gratiæ Dei & libertati arbitrij.

TRACTATVS SEXTVS, de Superbia.

PARS I.

Quare vitia sic ordinentur, & de radicibus vitiorum. Et de ordine dicendorum de Superbia.

Dicto de vitio Gulæ, Luxuriæ Auaritiæ, & Acediæ, dicendum est de tribus vitijs sequentibus, scilicet vitio superbiȩ, inuidiæ & iræ. Cuius ordinis ratio sic potest manifestari. Sicut virtus secundum Augustin. amor est ordinatus; sic vitium est amor inordinatus, idque dupliciter. Est enim inordinatus, si sit amor mali. Licet etiam amor boni sit, est tamen inordinatus, si sit nimius vel nimis paruus: & hoc secundum duas species bonorum. Quædam autem bona sunt parua, scilicet temporalia seu corporalia: quædam vero magna: vt sunt bona gratiæ & bona gloriæ. Bona vero gratiæ intelligimus ipsam gratiā & opera meritoria. Amor ergo magni boni inordinatus est, si sit paruus. Et talis amor videtur esse radix in vitio acediæ. Acedia enim videtur esse paruus amor magni boni: vnde & tepiditas vocatur. Amor vero parui boni inordinatus est, si sit nimius. Et iste amor videtur esse radix in vitio gulæ, luxuriæ, & auaritiæ. Et diuersificatur amor iste, quia bona parua amari possunt quoad Dominum seu possessionem, vel quoad vsum delectabilem. Primo modo amat ea auarus. Secundo modo dolosus & luxuriosus. Vitium vero gulæ & luxuriæ in hoc differunt: quia vitium gulæ est amor inordinatus delectationis quæ est secundum gustum. Vitium vero luxuriæ est amor prȩcipue illius delectationis: quȩ secundum tactum est. Amor vero qui est inordinatus, eo quod est amor mali, videtur posse distingui in amorem proprii mali & alieni mali. Sed quia nullus proprium malum amat inquantum tale: sed quandoque ideo, quia æstimat illud esse bonum corpori, ideo tantum alieni mali amor radix est in tribus vitiis quæ sequuntur. Et diuersificantur per hoc quod in superbiæ peccato est amor proprii boni cum alieno malo. Amat enim superbus sui exaltationem & proximi deiectionem: in peccato vero iræ & inuidiæ est amor alieni mali pure. Sed in hoc videntur differre illa duo vitia: quia in peccato iræ amor alieni mali originem videtur habere à malo alterius. Ille enim qui irascitur alicui, ideo ei vult malum, quia malum ab eo recipit. Ita enim est appetitus vindictæ. In peccato vero inuidiæ amor alieni mali ortum habet à propria malitia, scilicet à superbia. Inuidus enim ideo vult malum alterius, ne ille sibi parificetur. Vnde peccatum inuidiæ in materia communicat cum peccato iræ: sed finem recipit à peccato superbiæ. His habitis de facili, potest videri ratio, quare de superbia, ira & inuidia posterius tractetur: quia hæc tria vitia amorem nostrum inordinatum reddunt ad proximum: quatuor præcedentia inordinatum reddunt ad nosipsos: inordinatio vero alicuius in se prior est quam inordinatio ipsius ad alium. Præterea prius est quod animale, deinde quod spirituale. Vnde quum quatuor prima vitia humana sint, & ita quodammodo carnalia, in ordine doctrinæ priora sunt. Tria vero quæ sequuntur, quæ diabolica sunt & spiritualia, posteriora sunt. Et inter ista tria prius est vitium superbiæ, quia est occasio aliorum. Et quia præcedentibus magis assimilatur, ideo de ipso primò dicemus. Et hoc ordine. Primò, ponemus ea, quæ valent ad detestationem surperbiæ,

Secundo ponemus diuersas diuisiones pertinentes ad hoc vitium, & de membris eius prosequemur. Tertiò tangemus aliquid de remedijs contra suberbiam.

PARS II. QVÆ HABET duodecim Capitula.

De his, quæ valent ad tetestationem Superbiæ in Communi.

Cap. I.

Quomodo se habeat Superbia ad bona.

AD detestationem vero huius vitij, Primò ostendemus quomodo ipsum se habeat ad bona, quomodo ad cætera mala, quomodo ad diabolum, quo modo ad proximum, quomodo ad Deũ, quomodo ad proprium subjectum. Notandum ergo quod vitium superbiæ, si jam sunt bona in aliquo, expellit: si non sint, ea intrare nõ permittit: si quę remanent, falsificat & inquinat. Ad primum pertinet illud Aug. Alta siccantut, & ima replentur. Et illud Ber. Superbia siue jam existens, siue non semper causa erit subtractæ gratiæ. Nunquid qui humilibus dat gratiam, humili aufert datam? Ergo argumentum est superbiæ subtractio gratiæ. Et illud Greg. Sicut humilitas omnia vitia eneruat, omnesque virtutes colligit & roborat: sic superbia omnes virtutes destruit & eneruat. Ad secundũ pertinet illud Timot. infusa repellit. Sicut humilitas non solum gratia est, sed etiam vas aliarum gratiarum: sic superbia non solum modo est malum, sed impedimentum etiam bonorum. Vnde quidam sapiens ait Alexãdro, quum agnosceret eum superbum: Deus præsto est largiri sapientiam, sed non habes vbi eam recipias. Quod autẽ superbia bona falsificet, patet per hoc quod ea quæ sũt de genere bonorum, si ex superbia procedant, vt scilicet fiant propter vnam gloriam, non sunt meritoria, imo demeritoria, & videtur homo diues esse & nihil habet, vnde Ber. Magna virtus humilitas, sine cuius obtentu non solum virtus non sit, sed etiam in superbiã erumpit. Quod enim superbia bona inquinet, patet per illud Poëtæ: *Inquinat egregios adiuncta superbia mores*, vnde quidam: Si tibi gratia, si sapientia, formaque detur inquinat omnia sola superbia si comitetur. Superbia est velut quædã vestis maculata, qua superbi se & suos induunt, vnde Eccl. 14. *Qui communicauerit superbis, induet superbiam.* Et valde mirum est de superbo qui super omnia habet honorem, quomodo vestem ita maculatam vult induere, quæ quidquid in eo est, maculat? Præterea quum ipse vestem istam pallio humilitatis operiat, iuxta illud Greg. Gloriosa est humilitas, qua si palliari appetit superbia, vilescat. Mirum est, quomodo superbus vestem superbiæ ex toto non deponit, & vestem humilitatis non assumit.

Cap. II.

Quomodo vitium superbiæ se habeat ad alia vitia.

SEquitur videre quomodo vitium superbiæ se habeat ad alia vitia. Notandum ergo quod vitium superbiæ quasi rex est vitiorum. Vnde maximum peccatum vocatur in Psal. 18. vbi dicitur. *Emundabor à delicto maximo*, id est, à superbia, dicit glo. Et coronam dicitur habere, sed maledictam. De qua legitur Esa. 27. *Væ coronæ superbiæ.* Et ad modum regis quãdo hoc vitiũ venit ad aliquem, non solum venit, sed adducit magnam societatem vitiorum. Vnde Eccl. 10. *Initiũ omnis peccati est superbia. Qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis*, id est, vitiis: vbi dicit gl. De superbia nascuntur hæreses, schismata, detractiones, inuidia, verbositas, iactantia, & contentiones, huiusmodi. Bern. Initium omnis peccati & causa totius perditionis est superbia. Propterea qui salutem tuam

ſtudes operari aduerſus hanc, ſuper caput tuum cornu crucis habere meméto, vt non eleueris in ſuperbiam. Hoc vitiũ etiam ad modum regis magnas expenſas requirit, ita quod ſuperbis hominibus non ſufficiunt Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, vel regna. Vnde Eccl.21. *Domus quæ nimis locuples eſt, adnihilabitur ſuperbia.* Et quum ſuperbia maiores expenſas requirat, quam cætera vitia: tamen minus vtilitatis habet. Ex vitijs quæ pertinent ad concupiſcentiam carnis vel concupiſcentiam oculorum, cõſequitur vtilitas ſaltem corporis: ſuperbia autem animæ nocet, corpori vero non videtur prodeſſe. vnde Sapient. 5. dicunt damnati in inferno. *Quid profuit nobis ſuperbia aut diuitiarũ iactantia quid contulit nobis?* Vitium ſuperbiæ poſtquam dominium habet in aliquo, non amittit illud de facili: ſicut reges de facili non amittũt caſtrum quod ſemel poſſident, quia potenter illud defendunt. Vnde Eccl. 3. *Synagogæ ſuperborum non erit ſanitas.* Si in tanto timore & anguſtia ſunt infirmi, quum infirmitas eorum incurabilis eſſe dicitur, in quanto timore deberent eſſe qui vitio ſuperbiæ laborãt quum Spiritus ſanctus dicat eis quod vitium illud non ſanetur? Vitium etiam ſuperbiæ caput eſt antiqui ſerpentis, cuius capitis contritioni maxime eſt inſiſtendum. Vne dictum eſt Geneſ. 3. ſerpenti de muliere quæ Eccleſiæ tenet figuram, *Ipſa conteret caput tuum.* Serpens modica percuſſione capitis extinguitur. Si autẽ capiti parcatur, fruſtra cætera membra eius percutiuntur: amputata autem cauda, nihilominus viuit. Similiter fruſtra alia vitia à ſe amputare nititur qui ſuperbiam in ſe relinquit. Vnde Hieronym. Lubricus eſt antiquus ſerpens, & niſi capite teneatur, totus ſtatim illabitur. Et Eccleſiaſtici 21. *Quaſi à facie colubri fuge peccatum.* In colubro caput præcipue fugimus: ſic ſuperbia præcipue fugiẽda eſt, quæ eſt caput vitiorum. De hoc capite poteſt intelligi illud Eccleſiaſt. 30. *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri.* Contrito hoc capite, cætera vitia facile extirpantur. Vnde Ioan. Chryſoſt. Tolle hoc vitium, vt non velint homines apparere hominibus, & ſine labore omnia vitia reſecantur. Vitium ſuperbiæ eſt primogenitus Phoraonis, in morte cuius filii Iſrael liberantur. *Goliath in fronte percuſſus à Dauid, cecidit in faciem ſuam, & præualuit Dauid aduerſus eum,* vt legitur 1. Regum 17. Sic qui ſuperbiam quæ caput diaboli eſt, in ſe viriliter percuſſerit, aduerſus diabolum præualebit. Superbia etiam turris eſt Babel, de qua legitur Geneſis 11. cuius culmen attingit cœlum: quia hoc vitium etiam cœleſtes viros & ſpirituales impugnat: iuxta illud Gregorii. Superbia natione cœleſtis cœleſtes appetit mentes. Cætera vitia quando ſunt cum ſuperbia ſe habẽt ſicut domus iuxta turrim, quæ non de facili expugnatur, quia turris defendit eam, ſic vitia quæ ſunt cum ſuperbia, de facili non expugnantur, quia ea ſuperbia defendit: ſicut patet in vſurarij & raptoribus, qui ab vſuris & rapinis ceſſare nolunt: quia ſi ab eis ceſſarent, inter vicinos ſuos honorificè viuere non poſſent, vt ipſi dicunt. Vnde manifeſtum eſt, quod ſuperbia peccatum rapinæ & vſuræ conſeruat in eis. Ideò neceſſe eſſet, vt prædicator conaretur diruere turrim ſuperbiæ in talibus perſonis, qua diruta nulla pars caſtrorum huiuſmodi ſe teneret. Superbia primo animam aggreditur, & vltima ceſſat ab eius impugnatione: vnde ſuper illud Pſal. 18. *Si mei non fuerint dominati,* &c. dicit glo. Vitium ſuperbiæ vltimum eſt redeuntibus ad Deum, & primum recedentibus. Alijs vitijs in fugam conuerſis, ſola ſuperbia in campo remanet, non ceſſans ab impugnatione hominis dum ipſe viuit. Vnde quidam. *Quam bene pugnatis, cum cuncta ſubacta putatis Quæ prius infeſtat, vincenda ſuperbia reſtat.* Superbia fuit primum peccatum

iuxta illud Ecclesiast. 10. *Initium omnis peccati est superbia.* etiam non videtur aliquod peccatum esse absque superbia, quia omne peccatum est, aut ex omissione aut transgressione: & in vtroque casu non videtur esse sine inobedientia, quæ non videtur esse sine superbia. Vnde nullum peccatũ videtur esse sine superbia. Et vt breuiter dicamus, superbia est causa omnis peccati. Vnde dicit Glo. super illud Psal. 18. *Si mei non fuerint dominati, &c.* Superbia est initium omnis peccati, & causa: qui caret, verè est immaculatus.

Cap. III.

Quomodo superbia se habeat ad diabolum.

Non tantum quod superbia signum est, quo diabolus suos distinguit ab alijs. Vnde legitur Iob 41. de ipso, quod ipse est rex super omnes filios superbiæ. Et Gregorius. Euidentissimum signum reproborum superbia est: humilitas electorum. Cum ergo quam quisque habeat cognoscitur, sub quo rege militat inuenitur. Vnusquisque quasi quendam titulum portat operis, quo facile ostendit, sub cuius seruiat potestate rectoris. Vnde in magno dolere & timore esse debet, qui se cognoscit superbum. Superbia est velut quædam imago diaboli. Vnde homo superbus expresse est similis diabolo: iuxta illud Gregorij: Apostatæ angelo similis efficitur homo, dum homo hominibus similis esse dedignatur. Diabolus etiam in homine superbo quiescit quasi ad vmbram. Superbia enim velut mons est, soli iustitiæ oppositus, lumen gratiæ repellens, vnde vmbram facit diabolo. De qua vmbra legitur Iob. 40. *Sub vmbra dormit.* Superbus est etiam munitio diaboli fere inexpugnabilis, eo quod in altitudine montis superbiæ situs sit.

Cap. XIV.

Quomodo se habeat superbus ad proximum.

Svperbus coangustat proximũ, dum se dilatat: & dum se ei præponit, quasi quoddã onus ei imponit. De dilatatione superbi legitur Matt. 23. *Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* Et Prou. 24. *Qui se iactat, & dilatat, & iurgia concitat.* De onere vero superbi dicit: Qui se supra modum extulerit, premere ac deprimere videtur. Supra modum ille se extollit qui extollit se supra debitam mensuram. De tali dicitur vulgariter: iste homo sedet mihi super meum collum. Superbus etiam proximum corde contemnit, verbis molestat & factis. Ad primum pertinet illud Eccl. 13. *Sicut abominatio superbo est humilitas, sic execatio diuitis est pauper.* Verbo autem molestat superbus proximũ multipliciter, & se iactando, & cum eo litigando, & contumelias ei dicendo. Ad primum pertinet illud Amos 6. *Nunquid in fortitudine nostra assũpsimus nobis cornua?* Et illud Eccl. 11. *Sicut eructant præcordia fætentium, & superborum cor.* Ad literam: stomachus ventositate inflatus eructare solet, sic & homo superbia inflatus ventosa verba emittit. Ad secundum pertinet illud Prou. 11. *Inter superbos semper iurgia sunt.* Ad tertium pertinet illud Prou. *Vbi fuerit superbia, ibi & contumelia.* Factis similiter molestat superbus proximum multipliciter, & corporaliter eum affligendo, & suis eum spoliando. Ad primũ illud Prou. 22 *Arma gladij in via superbi: custos autem animæ suæ longe recedet ab eis.* Et illud Eccl. 28. *Effusio sanguinis in rixa superborũ.* Ad secundum pertinet illud Prou. 16. *Melius est humiliari cum mitibus, quam diuidere spolia cum superbis.* Nec solum superbi molestant proximos, imò etiam occasio sunt vt ab alijs molestentur. Vnde illud

de illud: *Quidquid delirant reges, plectuntur Achini*. Et illud Psalm. *Dum superbit impius, incenditur pauper*. Quomodo superbi se habeant ad proximum, satis ostendit Psalm. dicens: *Superbi iniquè agebant vsquequaque*: & iterùm: *Confundantur superbi: quia iniustè iniquitatem fecerunt in me, ego autem exercebor in mandatis tuis.*

al. 9
al. 18.
idem.

Descriptio sapientis, quomodo se habeat superbus ad proximum.

SApiens etiam describit quomodo se habeat superbus, dicens: Omnis superbus est intolerabilis, habitu superfluus, incessu pomposus, huic ceruix erecta, facies torua, truces oculi. Pro loco superiori decertat, & melioribus se præferri affectat, sententias suas & facta, & verba iactat, reuerentiam in obsequio non seruat. Non solùm malum temporale infert superbus proximo, sed etiam spirituale. Corrumpit enim eum suo malo exemplo. Vnde superiùs dicitur sedere in cathedra pestilentiæ, & superbia vocatur pestilentia, super primum Psalmum, vbi dicit Glossa: Pestilentia est morbus latè peruagatus omnes aut penè inuoluens, & subditur: Hic est amor dominandi, quo vix caret aliquis. Fornicatores, & vsurarii & alii peccatores occultant peccata sua, quantum possunt: sed superbus peccatum suum publicè committit, nec de seipso erubescit: & ideò peccatum superbiæ adeò mundum corrupit, vt iam non reputetur superbia peccatum, quod quandoque magnum peccatum fuisset reputatum: vnde ornatus ille vestium, qui in primitiua Ecclesia pro magno peccato habitus fuisset, hodie non reputatur peccatum.

PARS V.

Quomodo se habeat superbus ad Deum.

NOtandum ergo, quòd superbia primam Deo contumeliā intulit, quæ ei illata est in primo Angelo. Vnde Tobiæ 4. *Superbiam numqua in tuo corde, aut in facto, aut in tuo verbo dominari permittas. Ab ipsa enim initiū sumpsit omnis perditio.* Nulla contumelia infertur Deo, quū adsit superbia: quia nullū peccatum cōmittitur sine superbia, sicut ostensum est prius. Superbia Deum impugnat in omni loco, omni tēpore, omni persona. Fornicatio aut nunquā, aut rarò in loco sacro committitur, sed superbia potius committitur in loco sacro, quàm in alio. Tūc enim magis superbe indutæ incedūt mulieres, quando ad Ecclesiam vadunt. Multa etiam sunt peccata à quibus cauetur in præcipuis solemnitatibus: sed superbia tunc maximè exercetur. Multæ enim sunt personæ, quæ fornicari dedignantur, quæ tamen peccatum superbiæ recipiunt. Superbia enim latitat sub cinere & cilicio: iuxta verbum B. Greg. Item cætera vitia Deo auferūt pauperes & ignobiles: sed superbia aufert ei potētes, nobiles, & diuites. Vnde in montibus Gelboë Saul & Ionathas interfecti sunt: vt legitur 2. Reg. in principio. Item alia quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiāt: superbia verò bonis operibus insidiatur, vt pereant: sicut dicit B. Aug. vnde opera de genere bonorum quæ in partē Domini cedere deberent, non timet sibi vsurpare superbia: imò opus bonū bona intentione inchoatum quòd iam est in manu Domini, nititur sibi auferre: & quandoq; diuidit illud opus cū Domino, ita vt ipsa habeat illius operis finē, vnde Dominus habuit principium. Item sumit inde occasionem Deum impugnandi, vnde occasionem sumere debuit ei seruiendi. Ideò enim superbit & contemnit Deum: quia Deus de bonis suis plus contulit ei, quàm quibusdam aliis. Et quia Deus fecit illum gloriosum, ipse vult facere eum ingloriosum. Superbus Deum odit, inquantum Deus dictus est. Nulli enim vult subesse, & ita non vult sibi Deum præesse, nec

Superbia bonis operibus insidiatur.

Dominum suum esse. De hoc odio habetur in Psal. 37. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendet semper.* Altissimo æqualis esse cupit, dum affectat præesse, & nulli subesse. Altissimus enim est, qui omnibus præest & subest nulli. Vnde nō solùm primus superbus æqualis voluit esse Altissimo, sed etiam quicunq; superbus. Nec solùm æqualis, sed etiam superior Deo, vult esse. Vnde Ber. loquens de illo verbo 2. Theff. 2. *Qui extollitur & aduersatur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Horret, inquit, humanus intellectus verbum hoc: vtinam horresceret similiter cogitatū malignum, pariter & affectum. Dico enim vobis, quòd non ille tantùm, sed omnis etiam superbus, extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri volūtatē suā, & superbus fieri suam. Videtur iam æqualitas, sed vide malam proportionem. Deus enim in his, quę ratio approbat, suā fieri voluntatē, superbus verò cū ratione & contra rationem. Superbus etiam apostata est à Deo. Vnde Eccl. 10. *Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo.* Vnde verisimile est, quòd finis superbię sit valdè malus ex quo initium ita malum est. Incipit enim ab apostasia. Superbus tunc apostatat, quando illius rei in qua solùm habet administrationem, sibi vsurpat dominium, bona suæ fidei commissa proditione sua faciens, & qui debuit esse fidelis seruus, vult esse Dominus: vnde Deū negat, inquantum Dominus est illud quòd Dominus specialiter voluit habere, superbus non timet sibi assumere, videlicet gloriam. Vnde Bernar. Fornicator seipsum dehonestat, iniuriosus proximum violat, elatus quantum in se est, Deum inhonorat. *Gloriam meam*, ait Dominus, *alteri non dabo.* Et superbus, *Ego mihi etsi non dederis, eā vsurpabo.* Sicut humilitas Deum specialiter honorat, sic superbia eum inhonorat. Eccl. 3. vbi sic legitur: *Magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.* Superbus Deum speciali modo inhonorat. Humilis solā potentiā Dei magnam reputat, & ei bona sua attribuit, & eam laudat: & si non exteriùs, saltem interius. Vnde Greg. dicit de eo quòd laudes suas tacitus clamat. Vnde dicitur manum suam osculari, Iob 31. vbi sic legitur: *Si osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum:* & dicit gloss. ibi. Manum suā ore suo osculatur, qui quod facit laudat, quod est iniquitas maxima, quia authoris sui gratiam negare conuincitur, quisquis attribuit sibi quod operatur. Superbia sæpius seipsum glorificat de bonis quæ à Deo recipit, vel quæ Deus per eum operatur, quàm Deum. Vnde seipsū quodammodo deificat, dum seipsum præfert Deo, & est idololatra sui ipsius, & idolū seipsum colens. Item sicut dicit Greg. cùm omnia vitia fugiāt à Deo, sola superbia se opponit Deo. Vnde Iob 15. legitur de superbo. *Tetendit aduersus eum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est. Cucurrit aduersus Deū erecto collo, & pingui ceruice armatus.* Vbi dicit gl. Contra Deū manū tendere, est in operatione praua, despectis eius iudiciis perseuerare. Contra Deū roboratur, qui prosperari in sua mala actione permittitur. Erecto collo aduersus Deū currit, dum quæ creatori displicent cum audacia perpetrat. Pinguis ceruix est, opulenta superbia affluentibus rebus. Sicut amplius displicet alicui principi, & maiorem contumeliam reputat, quando ab eo, qui minoris potentiæ & nobilitatis est, ipsius deprædatur castrum, in quo est ipse præsens, quàm si deprædetur alia castra, vel rapiat ea quæ ipsi principi appropriata sunt, vt proprium equum, vel proprias vestes: sic contumelia illa quam infert Deo superbia, magis displicet ei, quàm contumelia illa, quam infert cupiditas, vel aliud vitium. Alia enim vitia DEVM fugiunt, conuertendo se ad creaturam aliam: vt cupiditas ad aurum & argen-

tum luxuria præcipuè ad delectationes, quæ sunt secundùm tactum: sed superbia vult vsurpare sibi quod Dei est, scilicet dominari, & præesse hominibus. Sicut non est muris præesse vel dominari aliis muribus: sic non est hominis præesse vel dominari aliis hominibus. Vnde Seneca: Si videres murem dominari velle cæteris muribus, numquid risum teneas? Superbus peccat directè in Deũ: & hoc multipliciter. Deus enim ad creaturas comparatur, vt principium & vt finis. *Est enim a & ω*: vt legitur Apocalypsis primo. Est etiam Dominus. Vnde Dauid Psalm. 67. *Qui ascendit super occasum Dominus nomen illi.* Ille qui habet potestatem super mortem, scilicet qui potest restaurare quæ pereunt, verè Dominus est. Vnde sæpè dicitur in veteri lege, *Ego sum Dominus Deus, hoc est nomen meũ.* Largitor etiam omnium bonorum est. Superbus peccat in Deum, inquantum Deus principium est, dum opera, quorum Deus principium est, sibi attribuit, non attendens illud verbum Ioannis 8. *Ego principium, qui & loquor vobis.* Hoc modo peccauerunt in Deum Philosophi, qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus, & labia nostra à nobis sunt. Peccant etiam superbi in Deum, inquantum est finis, dum *omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* vt legitur Matth. 23. In Deum verò, inquantùm ipse est Dominus, peccant, dum in se, & in rebus suis volunt habere dominium, vbi deberent habere dispensationem solùm. Sic peccabant illi qui dicebant: *Quis noster Dominus est?* In Deum verò, inquantum ipse largitor, peccant, quum per dona Dei impugnant eum, accipientes materiam superbiendi, & Deum contemnendi: vnde debebant sumere materiam seruiendi ei humiliter & deuotè. Peccant etiam in Deum, inquantum ipse largitor est, dum dant ad voluntatem suam quod dispensare debuerũt secũdùm voluntatem Dei.

Cap. VI.

Quomodo se habeat Deus ad superbum.

Viso qualiter superbus se habeat ad Deum, videndum est quomodo se habeat Deus ad superbum. Notandum ergo, quòd Deus vilipendit superbum & detestatur, odit, & abominatur. Ad primum pertinet illud Greg. Quanto coram hominibus gloriosior, tanto coram Deo & Angelis suis vilior. Signum huius contemptus est hoc, quòd Deus superbum deponit, & pauperes & humiles exaltat loco eius. Vnde beata Virgo: *Deposuit potẽtes de sede & exaltauit humiles*: & Ecclesiastici 10. *Sedes ducum superborum euertit Dominus & sedere facit mites pro eis.* Prætereà, vilibus impugnat Deus superbos, ad eorum ignominiam. Vnde Augustinus: Potuisset Deus vrsis & leonibus domuisse superbum populum: sed ranas & muscas immisit, vt rebus vilissimis domaretur humana superbia. Vilibus etiam curat eos. Quandoque enim permittit Deus superbos cadere in aliquod turpe peccatum, vt turpitudine illius peccati curetur superbia. Vnde Greg. Qui se de virtutibus extollit, ad humilitatem per vitium redit, qui acceptis virtutibus se extollit, non gladio, sed medicamento sibi vulnus facit; quia ergo de medicamento vlnera facimus, facit ille de vulnere medicamentum, vt qui de virtute percutitur, de vitio curetur. Ad quod possumus referre illud quod legitur Ioëlis 2. *Ascendet fœtor eius, & ascendet putredo eius: quia superbè egit.* Permittit enim Dominus aliquem diffamari super aliquo peccato, vt superbia eius humilietur. Quòd autem Dominus superbum detestatur, habetur Amos sexto, vbi legitur: *Iurauit Dominus Deus, in anima sua dicit Dominus exercituum. Ego detestor superbiam Iacob.* & Prou. 8. *Arrogantiam, & superbiam, & viam prauam, & os bilingue detestor.* De odio verò quod

habet Deus ad superbum, habetur Prouerb. 6. vbi sic legitur: *Sex sunt quæ odit Deus, & septimum detestatur anima eius, Oculos sublimes:* id est, superbiam oculorum. Et Ecclesiast. 10. *Odibilis est coram Deo & hominibus superbia.* Meritò superbia est Deo odibilis & homini, quia Deo & hominibus est iniuriosa: Deo, quia sibi vsurpat quod est eius: scilicet Dominium. Homini verò, quia vult eum sibi subiicere, quem natura ei coęquauit. Vitium superbiæ adeò est odibile, quòd etiam à suis odio habetur. Vnus enim superbus odit alium superbum, & eius superbiam, quum tamen duo superbi velut duo fratres sint in hoc vitio eiusdem patris filii, scilicet diaboli. Vnde in superbo videtur falsum esse quod legitur Eccl. 13. *Omnis homo simili suo sociabitur.* Et illud etiam quod legitur eiusdem 27. *Volatilia ad sibi similia conueniunt.* Vnus enim superbus non amat societatem alterius. Humilem verò ferè omnes diligunt, tanquam rem, quæ omnibus se subdit. Et quia dum se sub aliis humiliat, quodammodo eos exaltat. Superbus verò in hoc, quod se supra alios exaltat, quodammodo alios deprimit, & ideò intolerabilis est eis. Vnde Philosophus: Habet mens nostra sublime quoddam, & erectum, & impatiens superioris. Seneca: natura contumax est animus humanus, & in contrarium atque arduum nitens.

De signis specialis odij, quod habet Deus ad superbum.

MVlta autem signa odij specialis sunt quæ habet Deus ad vitiũ superbiæ. Primum signum est hoc, quòd in præsenti annihilat eos. Vnde Eccl. 10. *Perdidit Deus memoriam superborum*, & ibidem: *Radices gentium superbarum arefecit.* Et in Psalm. 37. *Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani: & transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuẽtus locus eius.* Signum etiam huius odii est hoc, quod Deus auxilium ab eis subtrahit: vnde vitium superbiæ specialiter dicitur auferre Deum homini, quia Deus superbum non iuuat, ideò dicit Magister Hugo de sancto Victore, Superbia aufert mihi Deum, inuidia proximum, ira meipsum. E contrario, humilitas Deum habet paratum sibi ferre auxilium. Cuius causa est hæc: quia humilitas totam gloriam Deo attribuit: & ideò per consequens totum pondus laboris & prælii in eum ponit. Eiusdem enim gloria est pugna, dicit Dauid Psal. 23. *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.* Humilis habet Deum vt regem gloriæ, quia gloriam ei reddit. Ideò Dominus se habet ad eum, vt Dominus virtutum: quia per eum virtutem operatur. Superbus verò se regem gloriæ constituit: & ideò Deus ei renuit esse Dominus virtutum. Non solùm Deus superbo auxilium subtrahit: imò etiam superbis resistit, humilibus verò dat gratiã. Sicut natura nihil vacuũ esse patitur, quin repleat illud: sic gratia non patitur vacuũ humilitatis, quin repleat illud. Si superbus sibi relinqueretur, vt nec à Deo iuuaretur, nec ei resisteretur, ipse non posset ascendere cęlũ: quãto minus cùm Deus ei resistat? Nec tamẽ miremur si Dominus superbũ sinat ascendere ad aliquam dignitatem. Tollitur enim in altum, vt lapsu grauiore ruat. Signum etiam huius odii est hoc, quod vterque aduentus Domini contra superbiam est specialiter. In primo aduẽtu venit ipse vt medicus omniũ, leniter sanans superbiã, exemplo humilitatis suæ. Vnde Greg. Propter magnum peccatum superbiæ Deus humilis venit: Iste ingens morbus animarum omnipotentem medicum de cælo deduxit, vsque ad formam serui humiliauit, contumeliis egit, ligno suspendit, vt salute tantæ medicinæ curetur hic tumor. Iam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus. Secundus etiam aduentus erit contra

superbiam non sanandam, sed puniendam. Vnde Esaiæ 2. *Dies Domini exercituũ super omnem superbũ & excelsum, & super omnem arrogantē, & humiliabitur.* Signum etiam huius odii est hoc, quod Dominus tot comminationes facit superbię. Vnde Mich. 1. *Calcabit Dominus super excelsa terræ.* Et Esaiæ 28. *Væ coronæ superbiæ.* Et in eodem: *Conculcabitur corona superbiæ.* Et Ierem. 50. *Ecce ego ad te superbe, dicit Dominus Deus exercituũ: Quia venit dies tua, tempus visitationis tuæ. Et cadet superbus, & corruet, & nõ erit qui suscitet eum.* Item libro eiusdem: *Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis totam terram, extendam manum meam super te.* Et Abdiæ 1. *Si exaltatus fueris vt aquila, & inter sydera posueris nidum tuum, inde extraham te,* dicit Dominus. Et Iob 20. *Si ascenderit in cœlũ superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur.* Et Amos 6. *Iurauit Dominus in superbia Iacob. Si oblitus fuero vsque in finē omnia opera eorum.* Signum etiam huius specialis odii est hoc, quod Dominus minus misericorditer puniet superbos, quam alios peccatores. Vnde in Psalm. 3. *Retribuet Dominus abundanter facientibus superbiã.* Et Sap. 5. *Exiguo conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Et ibidem: *Fortioribus fortior instat cruciatio.* Signum etiam huius specialis odii est hoc, quod superbos, qui inferiores suos opprimunt, facit Dominus à suis opprimi superioribus. Vnde Ecclef. 11. *Multi potentes oppreßi sunt valde, & gloriosi traditi sunt in manus alterorum.*

Duodecim exemplum sacræ Scripturæ, quibus ostenditur quod Deus multum odiat superbum.

AD ostensionem etiam huius odii valere possunt exempla personarum, quæ leguntur in sacra Scriptura deiectæ propter suam superbiam. De quibus exemplis sufficiat ponere duodecim. Primùm exemplum est in Lucifero, de cuius deiectione sic habetur Esaiæ 14. *Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris?* Et Lucæ 10. *Videbam satanam quasi fulgur de cœlo cadentem.* Adeo autem deiectus est Lucifer propter superbiam suam, vt cum esset Angelus, factus est diabolus: cum esset nobilissima creatura, factus est sanguisuga, sanguinem peccati semper sugens. Prouerb. 30. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes, Affer, affer.* De cœlo præcipitatus est in abyssum, & de primo ordine creaturarum positus est in nouissimo. Secundum exemplum est in homine, qui voluit esse sciens vt Deus, & insciens factus est vt pecus. Vnde Bernardus: Puto iumenta dicerent, si loqui fas esset, Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis. Et Dauid: *Homo cum in honore* Psal. 48. *esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Tertium exemplũ est in Saule, qui cum humilis esset, in regem sublimatus est. 1. Regum 15. *Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? superbus autem factus, à regno deiectus es?* Vnde subditur ibidem: *Quia proiecisti sermonem Domini, proiecit te Deus ne sis rex super Israel.* Quartum exemplum in Roboam filio Salomonis. De cuius superbia legitur 3. Regum 12. *Minimus digitus meus großior est dorso patris mei. Pater meus aggrauauit iugum vestrum, ego autem addam iugo vestro. Pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Est autem scorpio rubus cum aculeis, vel flagellum virgarum nodosum, vel scutica habens in summitate glãdes plũbeas. De humiliatione vero Roboam, subditur ibidem: *Misit enim rex Aduram, qui erat super tributa, ad populum post responsionem istam: & lapidauit eum omnis Israel, & mortuus est. Et rex Roboam festinus ascendit currum, & fugit in Ierusalem, recesitque Israel a domo Dauid vsque in præsentem diem.* Quintum exemplum est de Sennacherib. De cuius superbia legitur Esaiæ 37. *Superbia tua ascendit vsque ad aures meas. Ponam ergo*

circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis, & reducam te in viam per quam venisti. Et subditur ibidem de eius deiectione: *Egressus autem angelus Domini percussit in castris Assyriorum centum lxxxv. millia. Et cum adoraret in templo Deũ suũ, filij eius percusserunt eum gladio.* Sextum exemplum est in Nabuchodonosor. De cuius deiectione, sic legitur Dan. 5. *Quãdo eleuatum est cor eius & spiritus eius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria eius ablata est à filiis hominum.* Septimum exemplum est in Holoferne & exercitu cui præerat. De cuius superbia legitur Iudith. 6. *Factum est autem cum cessasset loqui Achor, indignatus Holofernes dixit ad eum: Quoniam prophetasti nobis, dicens: quod gens Israel defendatur à Deo suo, vt ostendam tibi, quod non est Deus nisi Nabuchodonosor, cum percusserimus eos quasi hominem vnum, tunc & ipse cum eis Assyriorum gladio interibis.* De superbia vero exercitus sic legitur Iudith. 14. *Excitate illum, quoniã mures progressi de cauernis suis, ausi sunt prouocare nos ad prælium.* Præ magnitudine superbiæ Iudæos mures vocabat. De deiectione eorum legitur Iudith. 15. *Cum omnis exercitus decollatũ Holofernẽ audisset, fugit mens & consilium ab eis.* Solo timore & metu agitati, fugæ præsidium sumunt, ita vt nullus loqueretur proximo suo. Octauũ exemplum est de Aman. De eius superbia legitur Esth. 4. Cum vidisset Mardochæum sedentem ante fores palatii, & non solum non assurrexisse sibi, sed nec motum quidem de loco suo, indignatus est valde. De deiectione vero eius legitur in fine eiusdem capituli: *Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo.* Nonum exemplum est in Antiocho. De cuius superbia legitur 2. Mach. 9. *Locutus est superbe Antiochus se venturum Ierosolymam, & congeriem sepulchri Iudæorum eam facturum:* Et subditur de eius deiectione. *Vt finiuit hunc sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum.* Et iterũ quibusquam interpositis: *Is qui sibi videbatur fluctibus maris imperare, suprahumanũ modum superbia impletus montium altitudines in statera appendens, mox humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, &c.* Decimum exemplum est in Iudaico populo, qui præ superbia reputabat gentilem populum, quasi stillam situlæ. Vnde Esaiæ 40. *Ecce gẽtes quasi stilla situlæ, & quasi monumentum stateræ reputatæ sunt,* & tamen Deus gentilem populum, populo Iudaico superbo prætulit. Vndecimum exemplum est in superbo Pharisæo, qui non erat sicut cæteri hominum, vt ipse dicit Luc. 18. Sed ipsa veritas publicanum pœnitentem ei prætulit, dicens: *Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo:* vt ibidem habetur. Duodecimum exemplum est in Petro, qui præ cæteris præsumpsit, dicens: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor.* Vt legitur Matth. 26. *Et vilius cæteris cecidit: cum ad vocem ancillæ negauit,* vt legitur eodem capitulo. Ad ostensionem autem huius odii valere potest illud Psalm. 17. *Oculos superborum humiliabis.* Et illud, *Dominus concidet ceruices peccatorũ.* Potius dicit ceruices, quam manus & pedes: quia in ceruice perpenditur specialiter superbia. Ad idem valet, quod legitur Num. 15. *Anima, quæ per superbiam aliquid cõmiserit, siue ciuis ille sit, siue peregrinus, quoniam aduersus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo.* Vnde Dominus peccatũ per superbiam commissum, tanquam valde exosum morte punit: alia verò peccata per oblationem præcipit expiari.

De diuturnitate huius odij

ODium vero illud, quod est Dei ad superbiam, quasi inueteratum est. incœpit enim quam cito superbia incepit. Vnde Iudith. 9. *Superbi vero ab initio non placuerunt tibi: sed humilium & mansuetorum placuit tibi deprecatio.* Causa vero huius odii in magna parte patere po-

test per ea, quæ dicta sunt prius, vbi ostensum est qualiter se habeat superbia ad Deum.

De causis quare superbia ita exosa sit Deo.

POtest tamen idem adhuc ostendi alijs rationibus. Vnde notandum est, quod peccatum superbiæ idò est ita exosum Deo, quia eum exhæredat inquantum in se est, Dominũ, quod habet Deus in creaturis, vsurpat superbus sibi. Pręter hæc non erubescit superbus de peccato suo. Impudentia vero peccatoris multum Deo displicet. Vnde Bernard. Quãtum displicet Deo impudentia peccatoris, tantum placet Deo erubescentia pœnitẽtis. Item allij peccatores ex peccatis suis humiliantur, superbus vero non: quare multum displicet Deo. Vnde August. Nil aliud adeò Deo displicet, sicut ceruix erecta post peccatum. Superbus etiam Deum multum cõtemnit: quia vanitates ei præponit. Item maximum peccatum est superbia. Sic enim vocatur in Psal. 18. vbi dicitur: *Et emundabor à delicto maximo.* Et Iob 30. vbi sic legitur: *Si osculatus sum manũ meã, quod est iniquitas maxima.* Præterea homo multa habet dehortantia à superbia: & ideò magis displicet Deo superbia in homine, quantum ad hanc cõditionem, quam in diabolo. Quis enim nesciat tolerabiliorem esse superbiam in diuite, quàm in paupere; Homo quasi pauper creatura est respectu Angeli. Vnde Eccles. 25. *Tres species odiuit anima mea, & aggrauor valde eorum animæ. Pauperem superbum, mendacem diuitem, & senem fatuum insensatũ.* Pauper homo est ex parte corporis, imò & pauperrimus. Oportet enim eũ mendicare victum & vestitum à cæteris creaturis. Quis iuxta verbũ Augustini, mandatum euangelicum implens, de duabus tunicis dat vnam non habenti? Etiam ab herbis mendicat vestimentum suum homo, vt patet in vestibus lineis: vnde multum displicet Deo, si homo ex parte corporis, ex quo ita pauper, superbiat. Diues potest hic dici spiritus mendax, cuius mendaciũ multum displicet Deo: vt cum dicit à corpore vinci, nec posse continere: cum tamen Dominus melius sciat potestatem eius, qui ei corpus subdidit, & continentiam ei præcepit. Senex fatuus & insensatus est mundus iste, qui quanto amplius senescit, magis diligit vanitates & puerilitates, & magis decipitur mendacijs rerũ temporalium, licet infinitis vicibus mendicia earum expertus sit. Quasi cõtra naturam videtur esse peccatum superbiæ in homine, præcipuè ex parte corporis. Vnde Ecclesiast. 10. *Non est creata in hominibus superbia.* Hieronymus: Quomodo superbiat, qui semper secum sententiam portat? Mirum est quomodo homo superbit, cũ cor suum, quod est nobilissimum membrum eius, super stercore iaceat: & licet in homine superbia multum displiceat, præcipuè tamen in Christianis, qui in ipso ingressu Christianæ religionis abrenuntiant specialiter superbiæ, cum dicunt: *Abrenuncio satanæ, & omnibus pompis eius.* præuidebat Spiritus sanctus, quòd multi Christiani, qui alijs peccatis renuntiarent, pompam superbiæ retinere vellent: ideò ordinauit, vt specialiter profiterentur hanc abrenuntiationem. Præterea Dominus Ecclesiæ Christus seruus esse hominum voluit. Humiliauit enim se vsque ad ablutionem pedũ. Vnde in nullo Christiano locus superbiæ relinqui debet. Inordinatum vero valde est, quod seruus velit esse Dominus, cum Dominus efficiatur seruus Ioan. 13. *Si ego laui pedes vestros dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes.* Et Matth. 16. *Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum.* Vnde qui primus est in ecclesia, scilicet Dominus Papa, seruum seruorum se vocat, & propter hæc & multa alia habet Deus speciale odium contra

superbiam, præcipuè in Christianis. Vide in principio huius capituli.

De abominatione superbiæ.

SEquitur de abominatione superbiæ. De qua Prouerbiorum 16. *Abominatio Domini est omnis arrogãs.* Et Lucæ xv. *Quod altum est hominibus, abominatio est apud Deum.*

CAP. VII.

Quod superbia hominem inflet, infelicem reddat, areficiat, & bona eius consumat.

SEquitur videre quomodo se habeat superbia ad propriũ subiectum. Vnde notantum est, quod superbia inflat hominem. De qua inflatione legitur Sapien. 4. *Disrumpat Dominus illos inflatos,* Et apostolus. 1. ad Corinth. 8. *Scientia inflat, charitas autẽ ædificat.* Reddit etiam hominem valde infelicem. Consistit autem infelicitas superbiæ his octo: Primò de bono semine paruã messem colligit: quod semen melius est, quam gratia Dei. Ex hoc semine oritur ei vitium superbiæ. Ipse colligit de vite spinas, & de tribulis ficus.. Superbia est, quasi monstrum, quod quandoque ex suo contrario nascitur. Nunquid non monstruosum esset, si ex muliere bufo nasceretur; Sic mõstruosum est, quod ex aliqua gratia à Deo data homo superbus efficitur. Secundò bona ei mala sunt: & sicut de viro iusto legitur, quod nox sicut dies ei iluminabitur, iuxta econtrario dici potest, quod superbo dies in noctem vertitur, & lumẽ eius in tenebras. Vnde Matthæi 6. *Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Tunc lumen tenebræ sunt, cum opera de genere bonorum mala sunt, eo quod fiunt propter vanam gloriam, vel alia mala intentione. Tertiò superbus de vita moritur, de sanitate ægrotat, de medicamine, interficitur. Vnde Gregor. Quĩ de virtutibus se extollit, non gladio, sed medicamine se interficit. Superbus de hoc, quod se viuere credit & sanum esse superbit, & sic ex sanitate infirmitatem recipit & ex vita moritur. Quartò superbus ab eo quem vincit vincitur, & quasi de ictu suo corruit. Vnde Gregor. Difficile est quidem valde vitare peccatum, quod ex victoria vitiorũ nascitur. Quinto superbus à mortuo occiditur. Vnde super illud 1. Machab. 11. vbi Eleazar elephantem legitur occidisse. Dicit Gregor. Sub hoste quem occidit moritur, qui de culpa quã superat eleuatur. Sextò superbus sua pretiosa viliter vendit, dum pro laude vel gloria humana se & sua consumit. Vnde Gregorius: Valde bona sua diiudicant, qui ad mercedem eorum sufficere fauores humanos putãt. Idem: Cum pro recto opere laus transitoria quæritur, res æterna retributione digna pro vili pretio venundatur. Septimò, superbus vilia chare emit, dum pro vento superbiæ regnum cælorum amittit. De hoc vento dicit Augustinus: Qui non tumet vento superbiæ, non cremabitur igne gehennæ. Octauò, infelix est superbus, quia ignominiosè à medico vento deijcitur. Vnde Iob 20. *Nollet eum ventus vrens, & aufert eum turbo de loco suo.* Ventus omnia vrens est superbia. Item superbia facit hominem & omnia bona, quæ in homine sunt, & quasi præparat cum infernali incendio. Vnde Eccles. 6. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo.* Ex elatione quãdoque eliditur virtus corporis: quia homo elatus præsumit quandoque opus, quod supra vires suas est: vnde rupturã quandoque incurrit, vel debilitatẽ tantam, quod inutilis efficitur. Sed frequẽtius virtus animi eliditur per elationem. Debiliorem enim inuenit se homo sæpè, postquam se de aliquo opere extulit.

Exemplum

Exemplum habemus de hoc in Petro Matthæi 26. qui se extulit super alios Apostolos, dicens: *Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor.* Sed non multo post valde debilem se inuenit, vt habetur ex eodem capitulo. Superbia etiã folia & fructus comedit, dum quoad meritum verba & opera hominis consumit. Ipsa est, quæ hominem & bona hominis, quasi imperceptibiliter occidit. Vnde Iob 18. *Consumat brachia illius primogenita mors.* Glossa. Primogenita mors est superbia, initium omnis peccati.

CAP. VIII.

Quod superbia hominem decipiat, excæcet, & infatuet.

ITem superbia hominem decipit, & excæcat, & infatuat. De primo dicit Augustinus: Superbia meretur illudi. Vnde omnes hæreses & omnes alii periculosi errores ex superbia proueniunt. Vnde super illud Ieremiæ 49. *Arrogantia tua & superbia cordis tui decipit te*, dicit Gloss. Omnis hæreticus arrogans, quia superbia facit hęreticum, non ignorantia Ad secundum pertinet illud Apocalyps.3. *Dicis quia diues sum, & locuples, & nullius egeo, & nescis quia tu miser & miserabilis, &c.* Ioan. 9. *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant*: super illud. Qui non vident, dicit Gloss. interlin. humiles cæci. Et super illud: Qui vident, cæci fiant. Dicit alia Gloss. interlinear. Superbi sapientes. Humiles ergo cæci illuminantur: superbi sapientes excæcantur. Ad tertium pertinet illud Bernard. Omnis superbia stulta: quamuis non omnis stultitia superbia, & illud ad Roman. 1. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Et dicit August. Si dicendo te esse sapiẽtem stultus factus es, dicite esse stultum, & sapiens fies. Idem. Qui sibi placet, stulto placet: superbus sibi placet. Vnde consequens est, vt ipse sit stultus. Nec est parua stultitia ista, quod sibi placet, quum ipse Deo, Angelis & hominibus displiceat. Item legitur Prouerb. 11. *Vbi humilitas, ibi sapientia: ergo ecõtrario, vbi superbia, ibi stultitia.* Et hoc manifestari potest in tribus speciebus superbiæ, scilicet præsumptione & arrogantia, & appetitu excellentiæ. Quod præsumtio stulta sit, patet quum supra vires suas præsumat. Vnde illud Ierem. 48. *Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde: sublimitatem eius, & arrogãtiam, & superbiam, & altitudinem cordis illius. Ego scio, ait Dominus, iactantiam eius, & arrogantiam, quod non sit iuxta eam virtus eius.* Et Hier. Superbia plus audet quam possit. De appetitu excellentiæ & arrogantiæ legitur Prou. 21. *Superbus & arrogans vocatur indoctus.* Superbus hîc sumitur pro illo, qui appetit esse super alios: arrogans est ille, qui sibi falso attribuit, quod non habet, ideò vocatur indoctus: & de arrogante est hoc planũ, cum arrogantia videtur esse quidam error. De appetente vero propriam excellentiã quomodo ipse stultus sit, inferius patebit. Signum vero, quod superbus stultus sit & cæcus, potest esse hoc, quod seipsum non agnoscit. Nescit enim se hominem esse, id est, de humo. Si enim de humo se esse veraciter cognosceret, nouissimum locum contenderet tenere, ad similitudinem terræ, & humilis esset. Vnde rogat Psal. 9. *Sciant gentes, quoniam homines sũt.* Signum etiã cæcitatis est hoc, quod superbus nescit discernere inter aliquid & nihil. putans se aliquid magnũ esse, cum nihil sit in valore: iuxta verbum Apostoli dicẽtis ad Galat. 6. *Qui putat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.*

De quinque modis quibus superbia hominem infatuat.

INfatuat autem hominem superbia quinque modis. Primò ad modum ebrietatis. Vnde Habac. 2. *Quomodo vi-*

num potantem decipit, sic erit vir superbus. Vinum hoc modo decipit potantem. *Ingreditur enim blande*, vt legitur Prouerb. 23. postquam vero receptum est incommensurate, ipsum dominatur in homine, & facit eum fatue credere, & fatue loqui: sic postquam superbus recipit excellentiam ex affectu per amorem, ipse postea eam de facili recipit, in intellectú, vt alta de se credat: & in ore, vt de se alta loquatur, & est velut ebrius. Altitudo enim quam appetit, facit eum fatue credere, & fatue loqui. Exemplú habemus de hoc Esaiæ 14. in Lucifero dicente: *Similis ero Altissimo*, quod non dixisset, nisi amore illius altitudinis ebrius fuisset: cum certú sit illud, quod dicitur per superlationem, vni soli conuenire. Secundò infatuat superbia eo modo, quo inflatio faciei solet ipsum visum impedire. Superbia enim est inflatio faciei interioris. Vnde Iob 15. *Operuit faciē eius crassitudo*. Et Augustinus: Facies mea inflata non sinebat videre. Tertio modo aufert superbia sensum homini, eo modo quo phrenesis vel paralysis, quæ valde magna solet homini sensum auferre. Ad primum pertinet, quod dicit Gregorius loquendo de illo verbo Lucæ 7. Videns autē hoc Pharisæus, qui vocauerat eum, ait, intra se. *Hic si esset propheta, sciret vtique quæ & qualis mulier quæ tangit eum.* Inter duos ægros medicus aderat, sed vnus æger in febre integrum sensum tenebat: alter vero in febre & sensum perdiderat mentis. In ægritudine sensum perdiderat, quia hoc ipsum, quod longe esset à salute, ignorabat. Nec solum velut phreneticus est superbus, sed etiam velut paralyticus. Cum enim humilitas sensus sit propriæ paupertatis, superbia est insensibilitas propriæ paupertatis. Vnde velut quædam paralysis est. Quarto modo infatuat superbia hominé, quia facit eum alta solum respicere, ex quo enim homo alta amat, ipse ad alta oculos habet; quia vbi amor, ibi oculus. Vnde Prouerb. 6. *Sex sunt quæ odit Deus, & septimū detestatur anima illius. Oculos sublimes, &c.* Vnde superbus, quæ sunt infirma in se & infima non videt. Quinto modo infatuat superbia hominem: quia est velut moles soli iustitiæ opposita, non permittens lumen ipsius ad superbum venire. Vnde Matth. 11. *Abscondisti hæc á sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Gregorius dicit de superbis. Tanto à Dei lumine longe sunt, quanto apud se humiles non sunt.

De stultitiis quibus laborat superbus.

NEc solum vna stultitia laborat superbus, sed multis: quarum duodecim ponere sufficiat. Est autem prima stultitia superbi, quod ipse vult altú ædificium construere, & absque fundamento, ideò certus potest esse de ruina sui ædificii. Vnde dicit Gregorius de superbo: Soli ruinę crescit, quod ædificat, quia ante molem fabricæ fundamenta humilitatis non parat: Prouerb. 37. *Qui altam facit domum suā, quærit ruinam.* August. Magnus esse vis, à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam cōstruere celsitudinis de fundamento cogita humilitatis. Quanto altius erigitur ædificium, tanto altius foditur fundamentum. Quo superuenturum est cacumen ædificii? Ecce dico vsque ad conspectum Dei. Qualiter autem aliquis fundamentú debeat facere, habetur Esaiæ 2. vbi sic legitur: *Abscondere in fossa humo.* ad literam, fundamentum in terra absconditur. Et sapiens vitam suam abscondit, præcipuè in principio Vnde Prouerb. 10. *Iustus quasi fundamentum sempiternum.* Istam stultitiam superbi ostendit August. aliis verbis dicens. Arborem attendite: figit radicem in humili, vt vertice tendat ad cœlú. Sine humilitate vis excelsa apprehendere, sine radice auras petis: ruina est illud, non incrementum. Secunda stultitia superbi est, quòd ipse appetit exaltationem, quæ fit ad maioré eius præcipitationem. Le-

gitur Luc. 4. quod quum Dominus venisset Nazareth, & dixisset prophetiam illam. *Spiritus Domini super me, &c.* hodie esse impletam in auribus eorum, *Ipsi duxerunt eum ad supercilium montis, super quē ciuitas eorum erat ædificata, vt præcipitarēt eum.* Nunquid ista exaltatio bone erat, & appetenda Domino, quæ fiebat ad eius præcipitium? Talis est exaltatio ipsius superbi. Tollitur enim in altum, vt lapsu grauiore ruat. Diabolus facit sicut cornix, quæ eleuat nucem in altum, & permittit eam cadere, vt comminuatur, & statim descendit, & comminutam comedit. Sic diabolus quando in statu humili non potest aliquem frangere, procurat vt eleuetur ad aliquam dignitatem, & deinde vt de ipsa cadat, vel in futuro in infernum. vel etiam in præsenti per depositionem: & tunc confractum deuorat, vel ad pœnam æternam ducit, quia cadit in odium vel inuidiam erga eum qui sibi succedit. Ad istam confractionem potest referri illud Iob 30. *Eleuasti me, & quasi super vētum tollens allisisti me valide.* De præcipitio superbiæ, dicit Bernardus loquens ad superbum: Paulatim & quasi per gradus ascendis, sed non paulatim descēdes, sed tanquam fulgur in spiritu vehementi. Et cum lxxvij. discipuli dicerent Domino, *Domine etiā dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo*, ipse ait illis: *Videbam sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem*, insinuās eis: quod qui ad modum sathanæ superbiunt, ad modum eius præcipitantur. Ad illud præcipitium pertinet illud Iob 33. *Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent.* Et hoc quod legitur Matth. 4. quod quū Dominus esset super pinnaculum templi, ausus est diabolus ei persuadere præcipitium, dicens: *Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Fiduciam autē accepit diabolus ex hoc, quòd multos in altitudine positos præcipitauerat. Ad idem etiā pertinet illud Lucæ 18. *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, &c.* Sæpè enim in præsenti hoc accidit. Cuius rationem insinuat nobis Sapiens, dicens: Abiectos & submittentes se libenter alleuamus, quia hoc facere tanquam maiores videmur. At qui se supra modum extulerit, premere ac deprimere videtur: nec tam se maiorem, quàm cæteros minores facere: & ideò alii libenter eum humiliant. In futuro etiam, qui se exaltat, humiliabitur. Est enim ex violentia, quod superbus in alto est, cum locus eius proprius infernus sit. Similiter quasi ex violentia est, quod humilis est in loco infimo, cum dignus sit regno æterno. Vnde cessante violentia superbus descenderet in infernum, & humilis aduolabit in cœlum. Sic fit de superbo sicut de vase, quod confringi debet, quod eleuatur vt perfectius frangatur. Vnde Prouerb. 16. *Ante ruinam exaltatur cor.* Et etiam quandoque non expectat Dominus, quoad superbus in dignitate, quam appetit, eleuatus sit, sed dū in ipso ascensu est, Dominus eum deiicit. Vnde in Psalm. 72. *Deiecisti eos, dum alleuarentur.*

Quod mons superbiæ sit locus infelicissimus, quadrupliciter ostenditur.

Tertia stultitia est, quod ipse eligit mansionem suam in loco infelicissimo. Locus infelicissimus est mons superbiæ, quadruplici ratione. Prima ratio est, quod bonæ conditiones, quæ solent esse in cæteris montibus, ibi desunt. Cæteri montes cælo sunt proximiores aliis locis: sed mons superbiæ remotissimus est à cælo. Maximè enim distat ab humilitate, cū superbia & humilitas sint contraria. Contraria autem à se maximè distant. In cœlum autem non fit via, nisi per humilitatem. Vnde Matth. 18. *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et Apocal. 3. dicit Dominus humili: *Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo poterit claudere, quia modicam habet virtutem:* id est, humilitatem. Sic econtrario dicere potest superbo: Ecce dedi coram te

ostium clausum, quod nemo potest aperire: quia maximum habes vitium, scilicet superbiam. Montes etiam fortiores solent esse cæteris locis, eo quod hostes non habeant de facili ad eos accessum. Sed ad montem superbiæ omnes hostes spirituales,& vitia,& dæmones facillime accedunt. Vnde Ecclesiastici 10. legitur de superbia, *Qui tenuerit eam, adimplebitur maledictis*. Id est, vitiis. Item montes solent esse mundi & sani, quia ibi sordes confluere non possunt. Sed mons superbiæ immundior est & minus sanus cæteris locis, quasi enim contra naturam, ad eam sordes confluunt. Vnde quasi mons pestifer est: secundũ illud Ierem. 51. *Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis vniuersam terram*. Secunda ratio est, quia fere omnia bona fugiũt montem superbiæ. Est enim mons Gelboe, in quo nec ros nec pluuia descendit. Si omnes montes, qui sunt in circuitu eius visitaret Dominus, à monte tamen superbi transiret. Desuper non recipit mons iste, nec rorem gratiæ, neque pluuiam interioris doctrinæ. Fluuius etiam humanæ doctrinæ nõ potest ad eum ascendere. Superbi enim impatientes sunt eruditionis vel correctionis. Duæ vero sunt causæ huius spiritualis siccitatis, quæ est in monte superbiæ. Vna est hæc, quod mons iste situs est in lateribus Aquilonis: iuxta illud, quod dicit primus superbus, Esa. 14. *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ventus enim Aquilo dissipat pluuias*, vt legitur Prouerbiorum 25. Alia causa est ipsa altitudo. Aqua enim gratiæ vel doctrinæ confluit ad loca humilia. Vnde in Psalm. 103. *Inter medium montium pertransibunt aquæ*. Tertia ratio est, quia si qua bona sunt in monte isto, in periculo sunt. Vnde Sapiens: Superbia omnia habet in periculo, humilitas in tuto. Quarta ratio est, quia fere omnia mala accidunt in monte isto. Perflant ibi diuersa genera ventoruu, quia perflant altissima venti. Corda etiam eorum, qui morantur in monte illo, congelantur. Vnde Ecclesiastici 43. *Frigidus ventus aquilo flauit, & gelauit chrystallus ab aqua*. Flatus Aquilonis intelligitur suggestio diaboli. Ad quem flatum congelantur corda superborum: & quia indurantur, & quia sunt absque dilectione Dei & proximi. In monte isto Angelus factus est diabolus. Vnde Bernardus: Quem sequimini miseri homines, quem sequimini? An non videtis satanam tanquam fulgur cadentem? Nonne iste est mons, in quem ascendit angelus, & diabolus factus est? August. super Psal. *Superbia angelum fecit diabolum, humilitas hominem Deum*. In isto mõte Saul dæmoniacus siue arreptitius factus est. Vnde 1. Reg. 16. *Ecce spiritus Domini malus exagitat te*. In hoc etiã monte Nabuchodonosor in bestiam est conuersus, vt leo esset in posterioribus, bos in anterioribus, ad minus secundum quod sibi videbatur. Ista eadem hodie accidunt multis in monte superbiæ. Alii enim ibi diaboli efficiuntur, per inuidiam ad modum diaboli gloriam aliis inuidentes. Alii arreptitii per iram. Alii vero boues, solum de pastu sui corporis curantes. Psalm. 105. *Mutauerũt gloriam suam in similitudinem vituli, comedentes fœnum*. Alii vero leones, per cupiditatem & rapinam. Prouerbiorũ 28. *Leo rugiens, & vrsus esuriens, princeps impius super populũ pauperem*. Quarta stultitia superbi est, quum ipse possit descẽdere cum facilitate & maxima vtilitate, potius elegit ascendere cum magno damno, & cum magna difficultate. Bernard. O abusio, ô peruersitas filiorum Adam: quia cum ascẽdere difficillimum sit, descendere autem facillimum: ipsi & leuiter ascendunt, & descendunt difficilius, parati ad honores & celsitudines graduum Ecclesiasticorum ipsis angelicis humeris formidandos. Idem: Conatur quis montem potestatis ascendere, quantos, putas, contradictores habebit? quantos inueniet repulsores? obstacula

quanta; difficilem viam? Nec est illa stultitia superbi parua, quum potius vult per arduam viam ire ad mortem suam, quàm per humilẽ ad vitam. Potius vult ascendendo ire ad suspendium, quàm descendendo ad regnũ æternum. Quinta est, quòd ipse ad dignitatẽ tendit per indigna, & ad dominationem per miserrimam seruitutem. De primo dicit Seneca. Non sit tibi ambitio, quæ ad dignitatem, nisi per indignitatem non adducet. Ad secundum pertinet hoc, quòd diabolus, quum ostendisset Domino gloriam mundi, dixit ei: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Matth. 4. In quo facto insinuatur, quòd diabolus eos qui appetunt dominationem, antequam eam obtineant, redigit in miseram seruitutem: quæ enim miserior seruitus, quàm seruitus vitiorum; Bernardus. An non seruus, cui dominatur iniquitas? Ita, & maximè, nisi indignius iudices hominẽ tibi quàm vitium dominari. Sexta est, quòd ipse tantùm appetit exaltationem, quòd non videtur curare qualis sit exaltatio illa: vtrum sit ad malum, vel ad bonum suum. Interdum enim dominatur homo homini ad malum suum, vt legitur Ecclesiastici octauo.

De sex speciebus exaltationis.

ta. s es VT autem appareat quanta sit stultitia hæc, sex species exaltationis ponemus. Quarum vnica appetenda est. Prima est ad Dei honorem, & Ecclesiæ ædificationem, & cùm aliquis habens eminentiam vitæ, ponitur in eminentia dignitatis, vt sit quasi lucerna lucens ad Dei gloriam & proximorũ exemplum. Vnde Lucæ 11. *Nemo lucernam accendit, & in absconditio ponit, nec sub modio, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant.* Ad Philip. 2. *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Et Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Secũda est ad deiectionem seu præcipitium: de qua satis dictum est prius: quam constat non esse appetendam. Tertia est ad supplicium, hoc modo exaltantur qui suspenduntur. Et talis est exaltatio superbi. Ad hoc enim procurat diabolus, quòd ipsi exaltentur, vt amplius crucientur, & in præsenti, & in futuro. Ad primum pertinet illud Bernardi. O ambitio! ambientium crux, quomodo omnes torques, & omnibus places? Et illud quòd Dominus coronã spineam habuit. Omnis enim corona spinea est, quia non habetur dignitas absque cruciatu. De secundo Sapient. 6. *Potentes autem potenter tormenta patientur.* Quarta est ad opprobriũ. Talis est exaltatio facinorosorum, qui ponuntur in pandulacro, vel in scala pro reatu facinorum suorum. Talis est exaltatio, cùm aliquis in manifesto peccato existẽs pręficitur aliis: quanto enim in altiori loco ponitur, tanto peccatum eius pluribus ostenditur. Vnde Seneca. Eorum qui in turba sunt, qui non excedunt, latent virtutes: vt appireant, diu luctantur, & vitia tenebras habent: nostra facta dictap; accipit rumor, & ideò nullis magis curandũ est qualem famam habeant, qui qualemcunque habuerint, magnam habituri sunt. Boëtius in libro conf. Collata improbis dignitas, non modo non efficit dignos, sed potius prodit & astendit indignos. Quale est hoc, vt ille qui mortuus est in peccato, non solùm quatriduanus, sed etiam quadragenarius, vt fœtore suo alios corrumpat: in alto loco velit poni qui potius desiderare beberet, vt sub terra absconderetur, sicut corpora mortua absconduntur, ne fœtore eorum homines corrumpantur. Fætor iste figurtus est in fœtore Antiochi. 2. Mach. 9. vbi dicitur, quòd fœtore eius exercitus grauabatur. Talis est velut lucerna extincta, tetrũ fumum de se emittens. Vnde abscondentibus esset, non super candelabrum ponendus. Quinta est ad ludibrium, vt quando ali-

cui fatuo traduntur insignia regia, vel Episcopalia, qui tamen non est Rex vel Episcopus. Et talis est exaltatia hominis superbi, qui signum habet libertatis, cùm seruus sit omnium vitiorum. Tullius. Omnis stultus seruus, omnis sapiēs liber. Putetur-ne Imperator hoc nomine dignus? quomodo enim libero imperabit, qui non potest cupiditatibus imperare? Refrenet prius libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat auaritiam, cæteras animi labes expellat: tunc incipiet imperare, cùm ipse turpitudini ac dedecori parere desierit. Dum his obediet, non modo Imperator, sed liber omnino habendus non est. Superbus habet signa dignitatis, cùm ipse omni bono sit indignus. Indignus etiam est pane, quo vescitur, & etiam vita. Vnde Prælatus qui non habet ea, quæ pertinent ad Prælatum, non est Prælatus, sed simia Prælati, iuxta verbum Bernardi dicentis: Simia in tecto, Rex fatuus sedens in solio. Simia non est in tecto ad suum honorem, sed ad hominum dirisionem. Sic Prælatus inhonestus dirisio est hominum. Quasi Prælatus est, & non est verè Prælatus. Vnde Esa. 22. dicitur ad Sobnam præpositum templi: *Tu quid hîc, aut quasi hic, quis?* quasi diceret ei: Non est quis, sed quasi quis. Illusio ista figurata est in illusione Domini, Matth. 27. vbi dicitur: *Et exuentes eum chlamydem coccineam, circundederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera manu eius: & genuflexis ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum. & expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.* Omnia ista fiunt specialiter indigno, qui aliis præficitur. Veste enim innocentiæ exuitur, & rapacitate & crudelitate, quæ est velut vestis coccinea, pauperum sanguine cruētata induitur. Corona etiam de spinis plectitur, quia dignitatē illius multiplex punctio comitatur. Arundo, quæ est exterius lucida & interius vacua, in manu eius ponitur: quia ipse potens est in alios, sed in se infirmissimus est, nulli vitio resistere valēs. Genuflexo ille à ministris suis illuditur, quia ab illis vocatur Dominus, quorum verè est seruus, cùm sollicitudo de victu & vestitu eorum ad eum pertineat. Salutatur etiam ab eis: qui procurant mortē eius. Spuunt etiam ministri in faciē eius, dum eum facinoribus suis polluunt. Arundine caput eius percutiunt, dum in potestate ab eo recepta animam eius lædunt. Sexta species exaltationis est, quæ fit ad vētilationem & dispersionem. Sic palea exaltatur, vt à grano separetur. Puluis etiā exaltatur, vt à vēto dispergatur: & talis est exaltatio superbi, qui diabolo procurante in sublimitate dignitatis ponitur, vt à bonis separetur & elongetur. Iob 20. *Tollet eum ventus. & vrens* & in Psalm. *Non sic impij, non sit, sed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ.* Non est ergo omnis exaltatio appetenda, quum non omnis sit ad honorem. Vnde super illud Ioan. 19. *Plectentes coronam de spinis*, dicit Gloss. Loco ignominiæ est apud indignum dignitas. Septima stultitia superbi est, quòd cùm ipse omnia appetat ascendere, tamen viam refugit, per quam solam est ascensus: scilicet humilitatem. Bern. Per humilitatem ascendite ad sublimitatem: quia hæc est via, & non alia præter eam: qui aliter vadit, potius cadit, quàm ascendit. Christus, cùm per naturam diuinitatis non haberet quò ascenderet, quia vltra Deum nihil est, per descensum quomodo cresceret inuenit. Octaua est, quòd cùm ipse sublimitatē appetat, in loco tamen infimo se ponit, & cùm creditur ascendere, descēdit. Locus valdè altus est humilitas, quum sit vicina Altissimo. Ambr. Nihil excelsius humilitate, quæ tanquā superior nescit extolli. Superbia verò locus valdè infimus est, cum maximè distet à Deo. Vnde super illud Ps. 33. *Iuxta est Dominus his, qui*

tribulato sunt corde, dicit Gloss. Altus quidem Dominus est: vicinatur tamen humili, & non se erigenti. Et Greg. loquens de illo verbo. Deiecisti eos dum alleuarentur, ait, non dicit postquam eleuati sunt: quia ipsum eleuari extrinsecus, interius cadere est. Idem: Omnis qui temporaliter erigitur, ego ipso quo extollitur, inclinatur. Nona est, quòd ipse potius elegit esse in tẽpestate, quàm in trãquillitate. Tempestas est ipsa potestas. Greg. Quid est potestas culminis, nisi tempestas mẽtis? Decima est, quod cùm ipse ingredi velit per humile ostiũ, collum tamẽ extendit, & caput eleuat. Iob. 15. *Cucurrit aduersus Deũ erecto collo*. Ostiũ paradisi Christus est, & est valde humile est ostiũ. Vnde super illud Ioã. 10. *Ego sum ostiũ*. dicit Glo. Hoc ostiũ est ianua humilis. Qui per hanc vult in trare, oportet vt se humiliet: ne si erectus sit, offendat in humilem ianuam. Vndecima est, quòd illos, quibus præesse cupit, sibi super ponit. Vnde Gregor. super Iob 26. Tantorum pondera vnusquisque ferre compellitur, quantis in hoc mundo principatur. Duodecima stultitia superbi est, quòd ipse per viam arduam incedere quærit, qui per viam planam incedere nescit: non attendens illud Poëtæ: *Qui cadit in plano, vix hoc tamen euenit vnquam: Sic cadit, vt tecta surgere possit humo*. Mirũ est, quòd ille, qui ita se videt in plana cadere via, ita appetit ardua loca, & qui nescit operari in plano loco, appetit operari in turribus Ecclesiarum. non attendens illud Bernard: Facilè est in alto se continentem obstupescere, & de vita periclitari.

Cap. IX.

Quod Superbia sit valdé periculosa infirmitas.

ITem facit ad detestationem etiam superbiæ hoc, quòd ipsa est valde periculosa infirmitas, & valdè magna deformitas. Habet etiam miseram seruitutem & magnam debilitãtem. Est autem superbia infirmitas, quia de facili incurritur, & non de facili curatur. Post curationem etiam de facili in eam recidiuatur. Quod de facili non curetur, patere potest ex eo, quòd nullus sine ea perit. Vnde Glos. super illud Io. 6. *Hæc est voluntas eius, qui misit me Patris, &c.* De tumẽtibus pariter, de pusillis nihil, & Mat. 18. *Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis.*

Triplex ratio, quòd de facili in superbiam incurratur.

TRiplex autem ratio potest assignari, quare aliquis de facili incurrat infirmitatem superbiæ. Prima est, quia non putatur esse tanta infirmitas quanta est, & ideò non vitatur, sicut vitanda esset. Vnde Gregorius. Cum minus turpis superbia creditur, minus vitatur. Luxuriam eo magis erubescunt homines, quia omnes turpem eam esse nouerunt. Secunda est; quia manifestiora inueniũtur exempla superbiæ, quàm aliorum vitiorum. Fornicatores enim & alij peccatores occultant peccata sua: sed superbia palàm cõmittitur. Tertia, propter multiplicem materiam à qua superbia oritur. Potest enim oriri ex quocunque bono, Quòd autem non curetur de facili, patet ex illo verbo Ecclesiastci. 3. *Synagogæ superborum non est sanitas*. & ex illo verbo Iob 15. *Cunctis diebus vitæ suæ impius superbi*, quando aliquis infirmatur, si ipse sit in peccato odij, vel luxuriæ ipse confitetur, & dimittit illud peccatum. Peccatum verò suberbiæ nec confitetur, nec proponit dimittere.

Multiplici ratione ostenditur, quòd superbia de facili non curetur

MVltiplici autẽ ratione potest ostẽdi quòd non de facili curetur hæc infirmitas. Primò, per hoc, quòd infirmitati diaboli, quæ est incurabilis, omni-

no assimilatur. Peccatum enim Luciferi fuit superbia. Secundò, per hoc, quòd non cognoscitur hæc infirmitas. Etiam illi, qui pleni sũt superbia vsque ad oculum, qui supernè comedunt & bibunt, incedunt & dormiunt, non cognoscunt eam: & quia non cognoscitur, ea de facili non curatur. Quod autem non ita de facili curetur, quia non agnoscitur, patet ex his testimoniis scripturæ quæ sequuntur: Nemo insanabilior eo, qui sibi sanus videtur. Bern. Scio longius esse à salute membrum quod obstupuit, & ægrum sese non sentientem, periculosiùs laborare. Ambr. Grauissimè peccas, & ignoras. Seneca. Initium salutis est, cognitio peccati. Idem: difficulter ad sanitatem peruenimus, quia nos ægrotare nescimus. Idem: in his morbis, quibus animo afficimur, quo quis peius se habet, minus sentit. Somnia sua narrare, vigilantis est, & vitia sua confiteri, sanitatis indicium est. Tertiò, per hoc, quòd remedio non iuuatur, imò deterior fit. Superbia fuit causa, quare Iudæi de prædicatione Christi deteriores facti sunt. Vnde Ioan. 9. *Ego in iudicium veni in hũc mundum; vt qui non vident, videant: & qui vident, cæcifiant.* Gloss. interlin. super illud: *Qui non vident*, humiles cæci. Et super ilud: *Qui vident*, alia Glossa interlin: Sapientes superbi. Venit ergo Dominus in hunc mundum, vt humiles cæci illuminarentur, & superbi sapientes excæcarentur. Vnde & subdit in eodem capite Euangelij Dominus: *Si cæci essetis non haberetis peccatum*: id est, si verè cæcos vos esse reputaretis: Nunc verò dicitis quia videmus, ideò peccatum vestrum manet. Quod figuratum esse videtur Matt. 26. vbi legitur Petrum amputasse auriculam seruo principis sacerdotum. Petrus enim, id est, cognitio, aufert multis literatis auditum prædicationis, vel aurem obedientiæ. Ad quod videtur pertinere illud Prouerb. 26. *Vidisti hominem sibi sapientem videri? magis spem illo habebit insipiens.* Quartò, quia pietas Dei non ita respicit superbum, sicut alios peccatores. Vnde Greg. Cælestis medicus ægros non respicit, quos etiam de medicamento deteriores fieri videt. Quintò, quia superbia maximè distat ab humilitate, quia est ei contrario: sola autem humilitas est via ad curationem. Vnde super illud Iob 31. *Si lætatum est in abscondito cor meum*, dicit Greg. Superbia quanto lõgius ab humilitate, tanto grauius est in desperatione: id est, tanto minus potest haberi spes de futura correctione eius. Ad ostẽdendum etiam quòd de facili in eam recidiuatur, eadem possent adduci, quæ posita sunt ad ostendendum, quòd de facili non curatur.

Cap. X.

Quod superbia est deformitas magna.

Est autem superbia magna deformitas, quia gibbus est, quo aliquis à sacerdotio Domini repellitur. Leuit. 21. *Loquere ad Aron: Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Domino Deo suo, nec accedet ad ministerium eius: si cæcus fuerit, si claudus, si paruo, vel grandi, & torto naso, si fracto pede vel manu, si gibbosus, vel lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginẽ habuerit, vel herniosus.* Cæcus est homo illiteratus. Vnde Esa. 42. *Quis cæcus, nisi seruus meus?* Cæcitas ista multùm nocet hodie in Ecclesia Dei. Vnde Esa. 5. *Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* & eiusdem 56. *Omnes bestiæ agri venite ad deuorandum, vniuersæ bestiæ saltus.* Speculatores eius cæci omnes. Claudus est, qui quandoque inclinatur ad seruiendum Deo, quandoque diabolo. De qua claudicatione 3. Reg. 18. *Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illũ.* Paruum nasum habet, cui parum fœtent peccata.

peccata. Grandem nasum habet, sed tortum, cui multùm fœtet peccatum: sed ipsi personæ peccāti indignantur. Contra quod dicitur ad Ephes. 5. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollantur à vobis.* Fractum habet pedem vel manum, qui impotens est ad ambulandum in via Domini, vel benè operandum. Gibbum habet, qui superbus est. Lippus qui terrenam sollicitudinem habet, quia visus eius impeditur. Albugo in oculo, est oppositio proprii candoris vel innocentiæ. Iugem scabiem habet, qui in corde suo immundas cogitationes iugiter versat. Impetigo ad litteram, est sicca scabies, sine dolore fœdans decorem. Vnde impetiginē habet qui est infamis. Herniosus est, cuius interiora nimis descendunt. Vnde signat auarum, qui proiecit in vita intima sua. Superbus etiā in vili seruitute est. Cùm enim omnium iudicia timeat, omnium seruus est. 1. ad Corinth. 4. *Qui autem me iudicat, Dominus est.* Seneca. Minus quàm seruus est, qui seruos timet.

Quòd superbia arundini & vento comparatur.

TAntæ etiā debilitatis est superbus, vt propter eam arundini comparetur. Matt. 11. *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* Comparatur etiam arundini, eo quod interius sit vacuus. Aug. Extra plenus, intra vacuus, carne crepat, corde mendicat.

CAP. XI.

De diuersis rebus, quibus superbus comparatur.

VAlere etiam possunt ad detestationem superbiæ diuersæ creaturæ, quibus superbia vel superbus comparatur. Comparatur enim vento, paleæ, spumæ, corniculæ, vesicæ. Vento autem comparatur multiplici ratione. Primò, vt ostendatur quantum timenda sit homini, quum ipsa sit ventus, homo verò, puluis. Vnde Gen. 3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Secundò, vt ostendatur quantum noceat superbia luci sapientiæ, & rori gratiæ. Ventus enim extinguit, lucem & siccat rorem. August. Lucerna vt non extinguatur, vētum superbiæ non patiatur. Tertiò, vt ostendatur superbia præcipuè esse timenda his qui in alto sunt. Perflant enim altissima venti. Ideò dicit Apostolus 1. ad Timoth. 6. *Præcipe diuitibus huius sæculi, non sublime sapere.* Superbia in alto orta est: primo scilicet in cœlo, & ideò libenter in alto moratur. Quartò, quia superbi sicut ventus sonant. Sunt enim frequenter garuli & tumultuosi. Psalm. 9. *Periit memoria eorum cum sonitu.* Quintò, quia facit in homine quandam tempestatem, sicut ventus in mari. Psal. 106. *Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos.* Cùm laudantur, tunc ascendunt ad cælos: quum autem vituperantur, descendunt vsque ad abyssos, Esaiæ 57. *Cor impii quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* Fumo etiam comparatur superbus, quia ad modum fumi quanto plus ascendit, tanto plus euanescit. Psal. 38. *Inimici verò Dei mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficit.* Et sicut superbus fumus est in culpa, sic erit in pœna, Esa. 65. *Qui dicunt: Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es.* Isti fumus erunt in furore meo ignis ardēs tota die. Spumæ etiam comparatur, siue bullę, quæ est super aquam, quæ citò transit. Oseæ 12. *Transire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam super faciem aquæ.* Populus superbiæ principi consentiens, quandoque est causa, vt citò princeps transeat de vita ista. Corniculæ etiam comparatur superbus, quæ dicitur sumpsisse pēnas aliarum auium, & inde superbisse, quibus ablatis, mansit turpis & nuda. Sic si à superbo aliena auferas, puluis & cinis remanebit. Comparatur etiam vesicæ vento plenæ,

quæ vesica ad nihilum redigitur, dum mortis aculeo vel ægritudine pungitur. Comparatur etiam paleæ, propter leuitatem, & inconstantiam. Et sicut non facit ad valorem fumi, vel spumæ, vel paleæ, quòd superiorem contendunt habere locum: sic non facit ad honorem superbi, quòd super alios vult esse: imò in hoc ostendit spumam vel paleam esse: quia si granum esset, infimum locum teneret. Aurum, quod inter metalla est pretiosius, infirmum locum sua ponderositate contendit habere. Ad idem nos monet Dominus, Luc. 14. *Cùm inuitatus fueris ad nuptias, recumbe in nouissimo loco.*

Cap. XII.

Quod diligenter Dominus velit suis à vitio superbiæ carere.

Vltimò potest valere ad detestationem superbiæ, hoc, quòd Dominus ita vult diligenter cauere seruis suis à vitio isto. Potius vult habere stultos seruientes ignobiles, infirmos contemptibiles, pauperes peccatores & etiam pauciores, quam habeat eos superbos. Omnia ista ex verbis scripturæ quæ sequuntur, possunt esse manifesta. 1. Cor. 1. *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, &c.* Et super illud Ioan. 1. vbi loquitur de Nathanaele: dicit Gloss. quod Nathanael, qui doctissimus erat, non est in Apostolatum electus. Omnes enim Apostoli de indoctis assumpti sunt, vt confundantur sapientes: & Aug. Nisi humiliter & fideliter præcederet piscator, non humiliter sequeretur orator. & 1 ad Cor. 1. *Ignobilia & contemptibilia mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Et super 2. Regum dicit quædam Glossa, quæ mundus per fastum elationis spernit, Deus per deuotionem humilitatis acquirit, & 1. ad Corinthios 1. *Infirma mundi elegit Deus, &c.* Iacobi 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo?* Gregorius. Nonnunquam Dominus, quibus magna tribuit, quædam parua reprehensibilia relinquit, vt semper habeant contra quod bellum gerant, & deuictis magnis hostibus, mentem non erigant, quando eos adhuc aduersarii minimè fatigãt. Sed quid mirum quando illa superna regio in ciuibus suis, ex parte damna intulit, ex parte fortiter stetit, vt electi Angelorum spiritus, dum alios per superbiam cecidisse conspicerent, ipsi tanto robustius, quanto humilius starent. Permisit etiam Deus Dauid & Petrum mortaliter peccare, vt sic humiliarentur. Permisit etiam Iudam omnino perire, qui erat de ordine & numero Apostolorum & societate Domini, vt nullus in quocunque ordine sit, inquit, superbiat. Et breuiter, omnes miseriæ, quas viri sancti sustinent, ad hoc sunt, ne superbiat. Vnde 2. ad Corinth. 12. *Ne magnitudo reuelationũ extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ qui me colaphizet.* Gregorius. Dum vitia tentant nos, proficientes in nobis virtutes humiliant. August. O venenum superbiæ! non nisi veneno tentationis curandum. Et Gregorius super Iob. Iebusæum Israël tolerat, vt humana mens de se humilia sentiat, dum minima non superat, & tamen neque per omnia ista domatur superbia humani cordis. Vnde Bernardus: O mira fatuitas cordis nostri! cuius elationem perfectè dimittere, cuius ceruicosos motus omnino domare, humilitatis tanta materia non sufficit, quin adhuc superbiat terra, & cinis. Abique modo videtur Dominus persecutus fuisse superbiam, doctrina scilicet & exemplo. Doctrina cum consuluit Luc. 14. *Recumbe in nouissimo loco.* Non dixit in mediocri loco, sed in nouissimo. Et Matth. 18. *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Et ibidem: *Quicumque humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum.* Exemplo etiam vi-

detur persecutus esse superbiam sine modo in formatione hominis, cùm quasi in eadem veste sociauit purpuram cum sacco, animam carni coniungendo, & ex brutali natura & anima, quæ similis est angelicæ naturæ, hominem constituit dignissimam creaturam, imò limo terræ copulauit, & iuxta verbum Esaiæ 50. *Cælos induit tenebris, & posuit saccum operimentum eorum*. quod constat esse factum specialiter contra superbiam. Item absque modo videtur superbiam persecutus fuisse, cùm ad ipsam destruendam semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & cùm pedes discipulorum lauit. Vnde Ioan. 13. dicit ei Petrus: *Domine, tu mihi lauas pedes?* quasi dicat: Nō lauabis mihi pedes in æternum: quia nimia esset hæc humilitas, quæ præcipuè videtur extitisse in passione. Vnde passio eius excessus vocatur Lucæ 9. Dicunt aliqui, quod nimis potest esse humilis homo, sed quantumcunque humiliauerit se, tamen humilior Christo non erit, cùm ipse nouissimus virorum fuerit. Esaiæ quinquagesimo-tertio.

PARS SECVNDA, QVÆ habet xx. Capitula.

De diuisione superbiæ.

Capvt I.

De diuisione superbiæ, & de illa specie superbiæ, quando quis credit se bona sua habere a se.

POsitis his quæ pertinent ad detestationem superbiæ consequens est, vt diuisiones ad idem vitium pertinentes ponamus & prosequamur. Et notandum quòd superbia primò diuiditur in superbiam interiorem & exteriorem. Interior autem diuiditur in superbiam intellectus & superbiam affectus. Superbia intellectus quatuor habet species. Prima est, quando aliquis credit sua bona habere à se. Secunda est, cùm aliquis credit à Deo sua bona habere, sed à suis meritis. Tertia, quando credit se habere, quod non habet. Quarta, quando in opinione præfert se aliis. Vnde versus: *Ex se pro meritis, falso plus omnibus inflant.* Prima specie laborabant philosophi qui dicebant: Labia nostra à nobis sunt. De hac specie Iob 11. *Vir vanus erigitur in superbiam, & quasi pullum onagri se liberū natum putat.* Superbus nihil credit se tenere ab aliquo. Videtur tamen, quòd nullus habeat hanc speciem superbiæ. Nullus enim est, qui nō credat bona sua à Deo habere. Vnde Bernardus super illud. Oleum effusum nomen tuum. Quis tam insanus erit, vt aliūde. quàm à Deo, aliquid habere præsumat? Nemo sanè, etiam infidelis videtur esse in hoc errore. Bernardus: Inexcusabilis est infidelis, si non dilligat Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute. Nempe clamat intus ei innata iustitia: quia ex toto se diligere bebet illum. cui se totum debere nō ignorat. Ad quod dici potest, quòd ideò dicitur superbus credere bona sua à se habere, quia facit ac si crederet. Simili modo loquendi dicitur de aliquo, quod non credit Christum filium Dei esse: cùm nec terretur eius cōminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consilis acquiescit: vt dicit Bernardus.

De sex quæ facit superbus, quasi credat bona sua à se habere, & non à Deo.

SEx verò sunt quantum ad hoc quòd dicitur superbus facere, quasi credat bona sua à se habere, & non à Deo. Primò, quòd de bonis suis gloriatur in corde. Vnde Apost. 1. ad Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti:* Secundò, quòd de bonis suis iactat se, Iob trigesimo primo: *Si osculatus sū manū meam.* In manu intelligitur operatio: in osculo, quod est contactus oris, laudatio proprii operis. Tertiò, quia de bonis suis gratias non

agit Deo. Vnde ingratus dicitur non cognoscere beneficium acceptum, eo quod faciat quasi non cognosceret. Et est illud vitium valdè nociuum homini. Bernardus. Ingratitudo est ventus vrens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ, Gregorius: Non est dignus dandis, qui non agit grates de datis. Quartò, quia non habentem similia bona, contemnit. Vnde Bernard. loquens Pharisæo: Frustra inflaris aduersus publicanum, qui ideò non habet vt tu, quia non accepit vt tu. Gratias agendo probas te nihil tibi tribuere, cæteros aspernando prodis quid in corde locutus sis. Non enim iudicares publicanum contemnendum præ te, si non præ illo honorandum te censeres. Quintò, quòd sibi vult viuere, & non Deo. Vera recognitio Domini est, redditio census vel seruitii. Vnde cùm superbus seruire Deo renuit, ipse bona sua, se habere à Deo non recognoscit, nisi recognitione verborum, quæ est ridiculosa. Ridiculum enim est, dicere aliquem, dominum in aliqua arbore sola folia habere. Contumeliosum est etiam Domino, quòd aliquis eum dominum fateatur, qui ei seruire dedignatur. Sextò, facit superbus, quasi non crederet bona sua se habere à Deo, quia de bonis suis Deo non tribuit, quæ ipse requirit per pauperes suos: sed potius obiurgat quærentem, dicens: Vos quæritis, quasi nobis commodassetis: non attendens, quòd Deus illi bona dedit, qui per pauperem ea requirit. Gregorius. Gratuitum putas impendis proximo, velis, nolis, debitor es. Augustin. Dicit tibi Christus: Da mihi ex eo quod didi tibi: de meo quæro, & mihi non donas. Superbia ista valdè nociua est homini. Homo enim superbus aliter viueret, si bona sua à Deo sibi data recognosceret, quam viuit. Et hoc quo ad multa. Primò, si hostem suum se fortiorem videret, ad Dominum suum pro succursu orationem, quasi quendam nuntium miteret, & de impetrando succursu valdè consideret sciens illud Apostol. 1. ad Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tẽtari supra id quod potestatis: sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Item si videret quòd castrum corporis sui defendere non posset, domino suo redderet, vt ipsemet defenderet illud. Sic quidam cùm tentaretur de peccato fornicationis multùm, & resistere vltra non posset, prosternens se ante Crucifixum, dixit: Domine, terram corporis, quam à te teneo, amplius tueri nõ possum: ego reddo eam tibi, defende eam. Et statim recessit tentatio. Item qui bona sua à Deo recognosceret, ipse de iniuriis sibi illatis se non vindicaret, sed expectaret, quòd Dominus sibi iustitiã faceret. Prou. 20. *Ne dicas: Reddam malum pro malo: sed expecta Dominum, & liberabit te à labore*, scilicet: *vindicandi, & à debito gehennæ, quo te obligas, vindicando.* Item quo Deum solum omnium bonorum suorum Dominum recognosceret, tantum eius iudicium formidaret. Non enim timenda est sententia à suo iudice non lata. Sic nec iudicia hominum sunt timenda 1. ad Cor. 4. *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer.* Deinde subditur: *Qui autem me iudicat, dominus est.* Item Deo, tanquam domino, non hominibus placere studeret. Apost. ad Gal. 1. *Si hominibus placerẽ, Christi seruus non essem.* Figuram verò illorum, qui sibi attribuunt bona sua, tenent illi qui volebant Ioannem vocare nomine patris sui. Figurã verò illorum, qui bona sua Deo attribuunt, tenet Elizabeth, quæ ait: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et meritò Ioannes: id est gratia, vocatur qui natus de sterili secundùm naturam. Sic bonum opus gratiæ Dei debet attribui, cùm anima ex se sterilis sit: nec habeat, nisi ex Deo quod bona agat. Psal. 112. *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætentem.*

Cap. II.

De illa specie superbiæ, qua quis credit se habere bona sua à Deo, sed tantum pro meritis suis.

SEquitur de illa specie superbiæ, qua quis credit habere pro meritis suis bona, quæ à Deo habet. Ad cuius vitij detestationem, primò facit hoc, quod vitium illud contrarium est gratiæ Dei, & quod dammodo euacuat eam. Si enim dantur hominibus bona pro meritis eorum, quæ gratia Dei erit? Sicut si paterfamilias soluat operatio operationem, quam ipse meruit, in hoc nullam gratiam ei facit. Secundò, quod liberalissimum largitorem reputat venditorem, dum ea quæ Dominus ei dat, credit se pro meritis emere, in quo Deo magnam contumeliam facit. Tertiò facit ad detestationem huius vitij hoc, quod vitium illud omnino obstruit homini fontem misericordiæ. Si enim laborantes hoc vitio petant aliquid sibi dari à Domino, meritò dicit ei Dominus, *Ite potius ad vendentes & emite vobis:* sicut dicunt virgines prudentes fatuis, Matth. 25. Quartò facit ad detestationem huius peccati magna fatuitas, quæ comitatur hoc vitium. Multiplici vero ratione potest ostẽdi fatuus qui vitio hoc laborat. Primò, quiaquãtumcunquæ conetur homo, tamen non sufficit soluere, quod Deo debet. Vnde Bernard. in lib. de diligendo Deo. Si totũ me debeo pro me facto, quid addam pro me refecto? Nec enim tam facile refectus quam factus. Si quidem non solũ de me, sed etiam de quocunque, quod factum est, scriptum est. *Dixit & facta sunt.* At vero in reficiendo, & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantum dura, sed etiam indigna. In primo opere me dedit, in secundo se. Et vbi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis me debeo, quid Deo retribuam pro se? Nam etiam si me milesies rependere possum, quid sum ego ad Dominum? Quãta ergo fatuitas est, quod homo credat pro meritis suis bona sua habere, cũ non sufficiat soluere Deo, quod debet? Solutio enim debiti, recipientem non obligat, sed debitorem, absoluit. Secundò potest ostendi fatuus, qui bona sua credit habere pro meritis, quia bene operãdo facit ipse propriam vtilitatem, & nõ Dei. Deus enim bonorum nostrorum non eget. Lucæ 17. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* In quo verbo innuuntur nobis duæ dictæ rationes, scilicet quod bene operando soluimus quod debemus, & quod Deo inutiles sumus, vel ad minus reputare debemus. Vnde timere debemus, quasi serui inutiles, illam sententiã Domini Matth. 25. *Inutilem seruum proiicite illum in tenebras exteriores.* Quid ergo debetur homini ex hoc, quod propriã vtilitatem facit. Tertiò potest ostendi fatuus per hoc, quod ipse nihil dat Deo nisi prius hoc Deus dederit illi. Vnde Dominus Iob 41. *Quis dedit mihi vt reddam eis?* Et Dauid ad Dominum 1. Paral. vlt. *Quæ de manu tua suscepimus dedimus tibi.* Et Esaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Et August. Domine supererogatus tibi vt debeas. Et quis habet quicquam nisi tuũ? Reddis debita nulli debens, & das debita nihil perdens. Et Bernard. Non sunt talia merita, vt propterea vita æterna debeatur ex iure, vt Deus eis iniuriam faceret nisi eam donaret. Nam vt taceam, quod multa Dei sint dona, & ita homo magis propter ipsa debitor est Domini, quam Deus homini, quid sunt omnia merita ad tantam gloriam? Non enim sunt condignæ, &c. Quartò quia opera bona nostra ex se sunt velut moneta absque argento. Gratia enim Dei valor est in operibus: siue ea sunt opera velut falsa moneta, qua nihil potest emi ab eo, qui falsitatem il-

iam agnoscit. Quintò, fatuus est talis, quia in oculis nostris frequenter videntur merita, quæ in oculis Dei sunt demerita. Iob. 14. *Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & Angelis suis reperit prauitatem.* Quanto magis hi, qui habitant domos luteas, &c. Et Esaiæ 64. *Facti sumus vt immundi omnes nos: vnde quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ* Gregor. Sæpè iustitia nostra ad examen iustitiæ diuinæ deducta iniustiuia est, & sordet in conspectu iudicis, quod fulget in æstimatione operantis. Nullus ergo de suis meritis confidat, non modicum valet ad meritum, scire quod non sufficiant merita. Bernard. Exaggera quantū vis merita, & extolle sudores, melior est misericordia Domini super vitas. Idem: Meū meritum est miseratio Domini. Idem: Vapulem sane vt male operans, si forte immerita verbera computentur, forte miserebitur flagellato, qui in me non inuenit meritū, quod remuneret. Idem: Nemo se seducat, quia si bene cogitare voluerit, inueniet proculdubio, qui nec cum decem millibus possit occurrere ei, qui cum viginti millibus ad se venit. Et est sumptum de Luc. 14. Idem: Spiritus sanctus illos, quos repleuerit, & spiritu feruere, & veritatem agnoscere facit: quia misericordia est, quæ homines præuenit & perducit. Et subdit: Multum sibi de hac misericordia vndique attraxerat Dauid cū diceret. Misericordia eius præuenit me, & misericordia tua subsequetur me, & misericordia tua magna est super me, & misericordia tua ante oculos meos est: & qui corripit me in misericordia, & in miseratione, & Deus meus, & misericordia mea

Cap. III.

De superbia qua quis credit se habere, quod non habet.

Sequitur de tertia specie superbię pertinente ad intellectum, quę est quando quis credit se habere bonum, quod non habet. Ad cuius vitii detestationem primò potest valere commendatio eius contrarii. Vnde Bernard. Magna & rara virtus profecto est, mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare. Ego cæteris virtutibus mirabilius hoc iudico. Sic econtrario dici potest, quod valde magnum vitium est, te miserabilem apparere, & laudabilem reputare. Hoc cæteris vitiis mirabilius iudicandum est. Secundò maledictionem imprecatur Esaias laborantibus hoc vitio. Esaiæ 5. *Væ, qui sapientes estis in oculis vestris.* Tertiò, quia hoc vitium impedit hominem à gratia. Prouerb. 26. *Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habebit insipiens.* Est autē triplex ratio, quod hoc vitium impedimentum sit Dei gratiæ. Prima est: quod laborans hoc vitio, gratiam Dei non petit: cum credit se eam habere: & quia non petit, ideò non accipit. Senec. Ideò imitari nolumus, quia tali non libenter Dominus dat gratiam suam, quia scit quod non esset gratus, cùm ipse iam credat eam habere: & sic quasi perderet Dominus gratiam suam, si illi eam daret. Bernardus: Nunquid non perit quod datur ingrato? Tertia est, quod ille quasi plenus est de nihilo: ideò non potest capere aliquid. Bernard. Non est quo se immisceat vanitas, vbi totum occupat charitas. Ita non est quo se immisceat veritas, quando aliquem occupat falsitas. Quartò facit ad detestationem huius delusio magna, quæ fit laborantibus hoc vitio. Deluditur etiam eis sicut delusum est cuidam rustico portāti agnum venalem ad forum: quem quidam leccator videns, dixit sociis suis. Vultis habere agnum quem portat rusticus? Illi dixerunt: Volumus. Et ipse disposuit per diuersa loca socios, per quæ rusticus erat transiturus, dicens quod quilibet eorum quæreret si rusticus ille vellet vendere canem illum. Et cum primus quæreret: Respondet rusticus, quod

nõ esset carnis, sed agnus. Sed cum quæsiuissent alij similiter, deinde credidit de agno, quod canis esset. Sic superbus plus adulatoribus, quàm sibi credens, deinde credit se habere bonũ illud, quod prius certissime sciebat se non habere. Seneca: Monstrabo tibi quid omnia possidentibus desit, ista scilicet hominem qui verum sibi dicat. Et hominem inter mentientes stupẽtem ipsa consuetudine proiectum, blanda audientem aduersa producat. Sic adulatores faciunt de superbo sicut de vesica pueri, quam vnus aliquantulum inflat, alius plus, & tertius plus, donec bene inflata est. Sic venus adulator inflat superbum, alius vero amplius inflat. Seneca: Omnium adulatorum vnum officium, vna intẽtio est, quis blandissime fallat. Quinto facit ad detestationem huius vitij hoc, quod hominem in tanta cæcitate ponit, vt etiam cæcitatem suam agnoscere non possit. Alij cæci saltem cæcitatem suam agnoscunt, licet alia cognoscere non possint. Vltimo facit ad detestationem huius vitij hoc, quod diabolus facit de tali saccum, non solum ad continendum vilia, sed etiam ad continendum nulla.

De remedijs contra superbiam.

TRiplex autem potest esse remediun circa hoc vitium. Primùm est, frequens meditatio proprij status. Bernardus: meditatio quid desit docet, oratio ne quid desit obtinet. Et est illud valde vtile homini, & Deo valde placet, quod homo se inspiciat sæpè. Bernardus: Illam animam diligit Deus, quæ sine cessatione se considerat, & sine simulatione se considerando iudicat. Idem: Si noueris mysterio omnia, noueris alta cæli, lata terræ, profunda maris: si te non noueris, eris similis homini ædificanti sine fundamento, ruinam, non structuram faciens. Secundum, vt corrigenti exhibeatur facies hilaris, adulanti tristis. Sic enim fiet vt à multis corrigaris, & à nullis adulatoribus decipiaris. Nemo enim inuito auditoris libenter narrat, vt ait Hieronymus. Econtratio autẽ multos inuenit adulatores, qui libenter eos audit. Prouerb. 29. *Princeps qui lebenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.* Tertium est, vt speculũ sacræ Scripturæ faciei mentis sæpè opponatur. Vnde Gregor. Sacra Scriptura tanquam speculum mentibus nostris opponitur, vt si quid in ea fœdum fuerit, verius videatur.

CAP. III.

De superbia intellectus, qua quis præponit se alijs in æstimatione sua.

SEquitur de quarta specie superbiæ, quæ est quando aliquis in æstimatione sua præponit se alijs. Quæ est magna rusticitas & magna fatuitas, & magna iniquitas. Quod sit magna rusticitas patet per hoc, quod laborãs hoc vitio quasi vult sedere altior alijs in hospitio proprio, & ibi maximè inhonorat homines vbi deberet maxime honorare eos, scilicet in propria domo. Non sic faciebat Abraham, qui dicit Genes. 18 *Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & cinis.* Vbi dicit Gregor. Aperte cernimus in quo loco se posuerat, qui se puluerem & cinerem etiam cum Domino loqueretur, æstimabat. Qua ergo pœna feriendi sunt, qui ad summa non proficiunt, & de minimis se extollunt?

Quod stultum sit se alijs præferre.

QVod autem magna fatuitas sit se alijs præponere, patet. Primò per hoc, quanto quis magis se appretiat, tanto minus appretiabitur à Deo, & tanto minus valet. Exemplũ in Saule, qui cum esset paruus in oculis suis, factus est rex. Econuerso autem cum magnus esset, à regno deiectus est. 1. Reg. 15. *Despicientem autem se Deus appretiet.* Plasm. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus nõ despicit.*

Secundò per incertitudinem, quam habent homines in præsenti vita de bonitate suo vel aliena, Eccles. 9. Sunt iusti & sapientes, quorum opera sunt in manu Dei, & tamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit. Et licet homo præsentialiter certus sit de bonitate sua vel malitia aliena, finaliter tamen incertus est: qui enim hodie est homicida, forsitan in Dei prouidētia est de ordine Cherubim: & licet tu modo sis bonus, tamen in Dei præscientia fomes affixus infernali patipulo. Eccles. 8. *Vidi impios sepultos, qui cum adhunc viuerent in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum.* Vidit Salomon spiritu prophetico sepultos in inferno, qui in mundo isto sancti credebantur Ideò nulli debet se homo comparare. Bernard. Noli te comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vel vni. Nemini te non dico præponas: sed nec præsumas comparare. Idem: In anima plane non est timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem nimiumque vel pauenda vel nimia temere præ sumpta erectio. Et est competens exemplum de illo, qui ingreditur per ostiū bassum, cui non nocet quantum cunque se inclinet: sed si eleuauerit se plus debito, lædet caput suum, quod accidit his, qui per humile ostium paradisi nolunt ingredi. August. Ostiū paradisi est humile: quod si sano capite volumus intrare, oportet nos caput dimittere. Tertio per hoc, quod æstimatio qua aliquis præfert, est aliis aput Deum, cui cogitatio locutio est, quædam ostentatio est propriarum diuitiarum, & obstruit sibi fontem diuinæ misericordiæ. Bernardus: Pharisæus exsufflat diuinam misericordiam, dum dissimulat miseriā. Quarto per hoc, quo talis vult esse iudex sui ipsus, cum proprius amor homines fallat in iudicio suiipsius. Bernard. Amor sicut nec odium, veritatis nescit iudicium. Idem de legibus humanis statutum & in causis tam Ecclesiasticis, quam secularibus scio seruatum, homines speciales amicos causantium nō deberet admitti in iudicium, vt vel fallant, vel fallantur amore suorum. Quod si culpam amici tui iudicio illius amor aut minuit, aut prorsius abscondit: quanto magis amor tui tuum contra te iudicium fallit? Seneca: Ita fere comparata est omnium natura hominum, vt aliena melius iudicet quàm sua. Tali potest dicis: Tu iudicium de teipso facis, iudicium tuum non est verum, Quinto, quia tales credunt, solent iustitiæ non lucē dare, nisi in domo conscientiæ eorum: quod indubitanter magna fatuitas est. Vnde Bernard. Nolo vt nusquam arbitreris lucere diem, nisi in cella tua: nusquam esse serenum, nisi penes te: nusquam operari gratiam Dei nisi in conscientia tua: malo te cogitare vbique esse serenum, nisi apud te: & peius de te, quàm de aliquo alio æstimare.

Quod sit magna iniquitas se præferre aliis quantum ad Deum.

INiquitas etiam magna est præferre se aliis, & quoad Deum, & quoad proximum. Quantum ad Deum, quadrupliciter est iniquus, qui aliis præponit. Primo in hoc, quod iudicium datum filio Dei sibi vsurpat. Ioan. 5. *Omne iudicium dedit filio.* Secundo, quod opus eius despicit. Prouerb. 14. *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius, qui facit talem.* Multum displicet mulieri, qui despicit filium suum, vel artifici, cum quis despicit opus eius: ita Deo displicet cum quis despicit creaturas eius. Tertio quia cum se solum bonum credit, quodammodo de Deo male sentit: & de sapientia Dei male sentit, qui credit, quod Deus in vno solo loco diuitias posuerit. Et de bonitate eius male sentit, cum credit quod alijs Deus non sit bonus, nisi sibi: vel credit quod alijs sit parum bonus, in quo Deo derogat. Vnde super illud Matthæi 5. *Qui dixerit fatue:* dicit Gloss Non

modicus

modicus furor est, quem Deus sale sapientiæ condiuit, infatuatum dicere, & salienti Deo derogare. Quarto, inquius est talis in Deum: quia dum ipse Deus est magnus in se, in eo quodammodo paruus est: cum contrario modo oporteat esse. Oportet enim hominem minui, vt Deus in eo crescat: iuxta illud præcursoris, Ioan.3. *Illum oportet crescere, me autem minui.*

Quod sit magna iniquitas se præferre aliis, quantum ad proximum.

IN proximum vero iniquus est, qui se præfert aliis, dupliciter. Primò, quia præsumit proximum iudicare, in quo non habet iudicium, & contra prohibitionem Domini, Matth.7. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Et Apostol. Rom. 14. *Tu quis es, qui iudicas seruum alienum? Domino suo stat aut cadit.* Secundò, quia inique iudicat & quasi habet staterã dolosam, cum pro vno peccato quod scit de proximo suo, ei præponit se, cum se sciat multa peccata cõmisisse. Præterea nescit circũstantias peccatorum in proximo, quæ multum possunt diminuere peccatum eius: nescit enim quia intentione fecit, vtrum ex surreptione vel debilitate, vtrum ex ignorãtia vel ex certa scientia, vtrum casu vel ex proposito, & vtrum ex vehementia tentationis. Item pro ridiculosa argumentatione, quam non auderet etiam recitare in scholis, proximum suum iudicat malum, vel pro aliquo leui signo. De hac statera. Prou. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deũ:* qui sapiens esset, longe peccata sua maiora, quam aliorum æstimaret, cum melius cognoscat circunstantias peccatum suum aggrauantes, quam circunstantias, quæ aggrauant peccata aliorum. Vnde Bernard. Qui perfectè semetipsum examinando intelligit, suo peccato nullius peccatum par esse existimat, quod non sicut suum intelligit. Homini, qui se prefert aliis, qui de solo bonam habet opi-nionem, quandoque ita accidit sicut accidit Amã, qui de se solo credebat, quod à rege esset honorandus, cum à rege esset suspendendus. Esth. 6. *Cogitans Aman in corde suo, quod nullum altum rex nisi se vellet honorare respondit, &c.* Et subditur. *Quod suspensus est Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo:* Mardochæum vero quem Aman suspendere voluit, rex honorari præcepit. Sic ille qui alium iudicat quandoque est condemnandus: & qui ab eo iudicatur, ad regnum est sublimandus.

Cap. V.

De diuisione superbiæ affectus. Et primò de præsumptione, & de triplici damno, quod ex ea prouenit.

SVperbia affectus, diuiditur in præsumptionem, & appetitum propriæ excellentiæ. Primo igitur prosequemur de præsumptione. De qua primo ostendemus quantum præsumptio homini sit timenda. Secundo præsumptuosos homines fatuos esse. Tertio distinguemus diuersas species præsumptionis. Tripliciter potest ostendi, quod valdè timenda est præsũptio. Primo per hoc, quod Dominus cum tanto damno & iactura animarum voluit huic morbo mederi. Ideò enim distulit incarnari longo tempore, vt præsumptio in homine destrueretur. Noluit enim venire donec homo de lege naturali & scripta cõuinceretur, quod neutra iuuari potuisset. Secũdo per hoc, quod Dominus aliquando viros sanctos permittit cadere in aliquod manifestum peccatum mortale, ne de se præsumant. August. Audeo dicere, superbis esse vtile cadere in aliquod apertũ & manifestum peccatum, vnde sibi displiceatur, qui iam sibi placendo ceciderãt. Salubrius enim sibi Petrus quãdo fleuit displicuit quam placuit quando præsumpsit. Tertio per hoc, quod multiplex damnum prouenit ex presumptione: & est triplex damnum

Superbiæ affectus diuisio.

quod inde prouenit. Deus enim præsumenti de se, auxilium suum subtrahit: subtracto Dei auxilio homo in bono non proficit, & tandem in malo corruit. De primo, Iudith. 6. *Præsumentes de se & de sua virtute gloriantes humilitas*. De secundo super illud Psalm. 67. *Infirmata est, tu vero perfecisti eam.* Non firmaretur, inquit Augustin. nisi infirmaretur. Idem: Multos impedit à firmitate præsumptio firmitatis. De ruina quam facit præsumptio, patet in Petro, qui vilius omnibus corruit, quia præ cæteris præsumpsit. De præsumptione eius, Marc. 14. *Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego.* Et Lucæ 22. *Domine, paratus sum tecum in carcerem, & in mortem ire.* De ruina eius. Matth. 26. qualiter ad vocem ancillæ Christum negauerit. Vnde August. loquens ei: Vbi dixisti, sufficio, ibi defecisti: vbi tibi placuisti, ibi peristi.

De fatuitate illius qui de se præsumit.

Fatuitas vero de se præsumentium ostenditur. Primo per verba scripturæ, quæ infirmitatem humanam ostendunt. 2. Corinth. 3. *Non quod sufficientes simus aliquid cogitare ex nobis, &c.* Si non sufficit homo ad bene cogitandum quod minimum est inter bona opera, quomodo sufficiet ad alia? Ioan. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum.* Item dicit Eccl. Cant. 1. *Trahe me post te.* Vbi dicit Bernard. in persona ecclesiæ: Domine, scio me nequaquam esse peruenturum ad te, nisi gradiendo post te. Sed neque hoc quidem, nisi adiutus à te. Ideò precor vt trahas me post te. Beatus siquidem est, cuius auxilium abs te. Ascẽsiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, peruenturus quandoque ad te in montibus gaudiorum. Oseæ 13. *Ex te perditio tua Israel: tantummodo ex me auxilium tuum.* Et Psal. 77. dicit, *homo: spiritus vadens, & non rediens*, quia per se vadit homo ad peccatum, sed per se non redit. Nauis per se descendit in rapida aqua, sed per se non ascendit. Piscis per se intrat in nassam, sed non per se exit. Terra spinas & tribulos per se profert, sed non profert per se triticum. Sic homo per se potest facere malum, sed non bonum, Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Vnde August. loquens de negatione Petri, dicit: Hic cognoscitur quam verum sit, *Sine me nihil potestatis facere.* Ecce ad vnius auræ impulsum firmissima columna contremuit. Secundo per collationem imbecillitatis nostræ ad fortitudinem hostium nostrorum: nos enim sumus quasi locustæ gigantibus infernalibus comparati, qui sunt hostes nostri. Valde ergo fatuus est, qui de se præsumit. In Deo tamen possumus etiam gigantes vincere. Vnde Origentes super Numer. vbi loquitur de exploratoribus missis à Moyse, Vult Dominus Iesus res mirabiles facere, vult de locustis superare gigantes, & de his qui in terra sunt cœlestes vincere nequitias. Tertio exẽplis virorum fortium, qui corruisse leguntur. Sicut exemplo Petri, Dauid, Salamonis & similium. Greg. Dauid cadente nemo superbiat. Multos legimus in monte præsumptionis corruisse. Vnde multum fugiendus esset mons iste. Vnde August. Multum instrenuus est, qui illuc ire contendit, vbi multos corruisse conspicit. In monte hoc ceciderunt, qui operantur iniquitatẽ. Pręcipuè potest agnosci fatuitas præsumentium de se per experientiam propriæ imbecillitatis. Leuem enim correctionem vel modicum verbum sustinere nequimus. Quomodo ergo magna præsumimus, qui modicum non possumus? Fatuitatem præsumentium de se insinuat nobis Salomon, Prouerb. 41. dicens: *Sapiens timet, & declinat à malo: stultus transilit & confidit.*

De quatuor speciebus præsumptionis.

Sequitur de speciebus præsumptionis. Et possumus distinguere quatuor species ipsius. Prima species est, quando

aliquis præsumit, quod alij non præsumunt. Sicut illi, qui noua præsumũt præferentes se antecessoribus suis, & qui coram aliquibus sibi æqualibus, vel maioribus præsumunt, quod non ipsi. Ad hanc speciem præsumptionis videtur referri illud Eccles. 23. *Audi tacens simul & quærens, & in medio magnatorum loqui non præsumas.* Secunda est, quando aliquis præsumit, de quo præsumendum non esset. Vt cum aliquis præsumit de viribus suis, vel de amicis carnalibus, vel de diuitijs. Contra videtur pertinere, quod dicitur Ierem. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachiũ suum.* Et subditur: *Benedictus vir, qui confidit in Domino, &c.* Et illud Esaiæ 36. *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptũ? cui si innixus fuerit homo, intrabit manum eius, & perforabit eam.* Et illud Prouerb. 11. *Qui confidit in diuitiis suis, corruet.* Tertia est, cum quis pręsumit aliquid ante tempus: vt cum quis præsumit de victoria, qui est adhunc in pugna. Ad quod refertur illud Iob 12. *Memento belli, nec vltra addas loqui.* Et illud. 3. Reg. 20. *Non glorietur accinctus æque vt discinctus.* Et vocat Glossa accinctum illum qui indutus est armis & abhuc est in acie. Discinctum vero, qui victor est, & iam arma deposuit. Ad idem potest referri, quod dixit quidam pater cuidam fratri dicẽti: Ego sum mortuus mundo. Et si tu mortuus es, ait pater, diabolus tamen mortuus non est. Ad hanc speciem præsumptionis pertinet, quando aliquis præsumit de perfectione, quia adhuc est in inchoatione. Quantum cunque aliquis profecerit, semper ruputare se debet incipientem. Vnde Eccles. 18. *Cum consumauerit homo, tunc incipit, &c.* Greg. in Moral. Nescit mens per torporem veterascere, quæ semper studet per desiderium inchoare. Idem: Si à bonis inchoatis nolumus lascessere, valde necesse est, vt semper ea credamus
l.76. nos inchoare. Vnde Dauid: *Et dixit, Nũc cœpi.* Et Ierem. 3. *Patrem vocabis me, & post me ingredi non cessabis.* Et Eccl. 43. *A luna signũ diei festi luminare, quod minuitur in consummatione mensis.* Sic vir iustus quãto perfectior efficitur, tanto in oculis suis minuitur. Quarta species præsumptionis est, quando aliquis præsumit, quod est supra vires suas. Sicut cum aliquis præsumit, quòd exibit à peccato cum voluerit, cum tamen casum in peccatum modo cauere non possit, de qua præsumptione. Eccles. 29. *Repromissio nequissima multos perdidit.* De hac præsumptione dictum est amplius vlt. cap. circa fin. de Luxuria. Ad hanc etiam speciem pertinet, quando aliquis insufficiẽs recipit curam animarum, & promittit se alios à lupo infernali liberare, cum ipse iam sit in ore ipsius. Ad destruendum vitium præsumptionis posuit Dominus hominem iam formatum in paradiso. Vt legitur Gen. 2. Ipse homo non posuit se ibi, imò etiã positus à Deo ibi stare non potuit. Quomodo ergo in cœlesti paradiso se viribus suis ponet?

Cap. VI.

De appetitu propriæ excellentiæ, quæ in tres species distinguitur. Et primò de appetitu dominij, & eius detestatione.

Dictum est de speciebus præsumptionis, consequenter dicendum est de appetitu propriæ excellentiæ. Et cum sit triplex excellentia, scilicet excellentiæ dominii, & excellentia magisterii, & excellentia simplicis excessus, quando scilicet aliquis excellit alium in aliqua gratia, ita tamen quod non est superior ad eum. Adhuc poterit distingui appetitus propriæ excellentiæ in tres species, scilicet in appetitum dominii, in appetitum magisterii, & appetitũ simplicis excessus. De appetitu vero dominii, primo prosequemur. Qui ideò peccatũ est, quia locus dominii propriæ

excellentiæ locus Dei est, nec debet ab homine appeti. Naturaliter enim inter homines æqualitas esse debet, nec est homo subiectus homini, nisi per peccatum in bestiam sit conuersus, & sic quodámodo homine inferior sit factus. Vnde Gregorius in Moral. Non est homini data prælatio, vt dominetur hominibus, sed bestiis terræ, & volucribus & piscibus: id est hominibus in eó, quod induunt faciem horum: vbi enim non delinquimus, pares sumus & est sumptum illud de Genes. 1. super hoc verbo: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, &c.* Et subditur: *Præsit piscibus, &c.*

De his, quæ faciunt ad detestationem huius vitij.

AD detestationem vero huius vitii primo possumus vti dissuasionibus, quæ faciunt scripturæ de hoc vitio, & de multis pauca ponamus. Vnde Ecclesiast. 7. *Noli quærere ab homine ducatum, neque à rege cathedram honoris*. Sicut ad regem specialiter pertinet ponere aliquem in regno suo, qui ab alio quam à rege sine eius consensu obtinere vellet. Sic Deo iniuriam facit, qui ab alio quam à Deo dignitatem quærit. Item Eccles. 7. *Noli quærere fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates*: Sicut in conflictu corporali, hostes præcipuè irruunt super regem: sic hostes spirituales, scilicet vitia & demones, irruunt præcipuè super illum, qui in dignitate est. Vnde oportet eum virtutem habere dirumpendi eos. Vnde Hieronymus: Caue honores, quos sine culpa tenere non potes. Sublimitas horum magnitudo scelerum est. Et Gregor. in Pastoral. Pollens virtutibus inuitus, & coactus accedet ad regimen animarum. Si ille qui virtutibus pollet, inuitus debet accedere, quid de illo qui vitiis sordet? Ille non modo debet accedere: & si accedit, damnosum est & sibi, & populo. De damno populi Prouerb. 28. *Regnantibus impiis ruina hominum*. Item: *Leo rugiens, & vrsus esuriēs princeps impius super populum pauperem*. Item: *Dux indigens prudentia, multos opprimit per calumniā*. Et Prouerb. 29. *Cum impij sumpserint principatum, gemet populus*. Damnum autem quod incurrit, qui cum indignus sit sublimatur: dicit Augustinus: In nullo sentio Deum ita iratum mihi, quam in hoc quod cum indignus essem poni ad remum, positus sum ad amplustre, siue ad gubernaculum in capite regiminis Ecclesiæ. Secundò ad detestationem huius vitij valent exempla, & de multis exemplis pauca ponamus. Et primo exemplum Christi, de quo dicitur Ioan. 6. quod cum quidam vellent eum regem facere, fugit: quærētibus autem eum ad mortem, vltro se obtulit Ioan. 18. Quærentes autam se ad regimen, fugit: vt ostenderet, quod quibusdam potius expediret esse mortuos, quam esse in loco dignitatis Hoc ipsum confitentur aliqui nobiles & potentes, quòd potius expediret eos esse leprosos quā esse in statu in quo sunt. Hoc exemplo vtitur Apostolus ad Hebr. 12. *Curramus ad propositum nobis certamē, aspicientes remuneratorē fidei, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucē*. De Augustino similiter qui fugiebat ab omni ciuitate, quę nō habeat episcopum, ne in episcopum raperetur. Inuenitur etiā de quodam nomine Gaufredo priore clareuallēsi, quod quum electus esset in episcopum Tornacens. & ab Eugenio Papa, & Abbate suo S. Bernardo cogeretur onus episcopatus subire: ipse prostratus ad pedes abbatis, & clericorum qui se elegerant, in modum crucis, ait: Monachus fugitiuus, si me eijcitis, esse potero: Episcopus vero nunquam ero. Cui laborāti in extremis, quidam monachus ei charus, assistēs ait: Chare mi, oro te vt si potes, statū tuum mihi post mortē reueles. Cui oranti post mortem eius, coram altari apparuit in visionem Gaufredus, dicens monacho: Ec-

ce assum Gaufredus frater tuus. Cui ille: Chare mi, quomodo est tibi? Cui ille: Benè, sed reuelatum est mihi à sancta Trinitate, quòd si promotus essem in Episcopum, fuissem in numero reproborum.

Quòd ambitiosis sit malè, peius, pessimè, dum tendunt ad dignitatem.

TErtiò, potest valere ad detestationem huius vitii hoc, quòd ambitiosis malè est, dum ad dignitatem tendūt: peius est eis, cùm ipsam iam acquisierunt, pessimè erit eis, cùm punientur de hoc, quòd in dignitate male se habuerunt. Quòd malè sit ambitiosis, dum ad dignitatem tendunt. Primò, patet ex verbis Senecæ dicentis: Quæcunque eminere videntur, quamuis pusilla sint, & tantum modo comparatione humillimorum extint, per difficiles & arduos tramites adeuntur. Confragosa ad fastigium dignitatis via est. Item Philosophus. Hoc maximum malum habet ambitio, quòd non respicit, vel Deum, vel se, vel alios, sed per nefas & mille pericula, ad dignitatem tendit, quam appetit. Ambitiosus semper est pauidus. Timet enim ne quid dicat vel faciat, quod in oculis hominum displiceat, honestatem mentitur, humilitatem simulat, cunctis adulatur, cunctis inclinat, omnium est seruus & tributarius, grauem pugnam habet in se, dum iniquitas pulsat animum, & ambitio continet manum. Quòd autem valdè malè sit ambitioso, cùm iam habet dignitatem, multipliciter potest ostendi. Primò, ex verbis Bernardi dicentis: O ambitio! ambientium crux, quomodo omnes torques, & omnibus places? Nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis eius. Idem Seneca: Nemo ex his, quos purpuratos vides, felix est, non magis quàm ex illis, quibus sceptiū, vel chlamydem in scena fabula assignát. Qui in loco dignitatis sunt, sunt in maiori periculo, & quo ad corpus, & quo ad animam frequentes. Vnde Hieronym. Honores secum pericula trahunt, citò periclitatur potestas, & quantò maior honor, tantò maiora pericula. Idem: Altissimi mōtes crebris fulminibus feriuntur. Vnde Augustinus. Quanto in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur. Interdum principes propter magnum periculum in quo sunt, non audent etiam ire in propriam ciuitatem, nisi ab armatis circundentur, quod non est parua miseria. Vnde Tullius: Nonne millies melius est perire, quàm in sua ciuitate, sine armatorum præsidio non posse viuere? In maioribus etiam criminibus sunt frequenter qui præsunt. Vnde Ierem. 5. *Ibo ad optimates, & loquar eis. Ipsi enim cognouerunt viam Domini, & iudicium Dei sui: & ecce magis hi simul cōfregerunt iugum, ruperunt vincula.* Et in eodem capite in fine. *Inuenti sunt in populo meo impij insidiātes, quasi aucupes laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena auibus, sic domus eorum plena dolo. Ideò magnificati sunt, & ditati in terra. Incrassati sūt, & impinguati, & præterierunt sermones meos pessimè.* Vnde Senec. Abstrahunt à tecto diuitiæ, honores & potentiæ, & alia quæ in opinione nostra sunt cara, prætio sui vilia. In maiori etiam labore sunt tales. Vnde signati sunt per duo operimēta superiora, quæ in tabernaculo erant, de pellibus arietum, propter æstuum & imbrium defensionem: de quibus habetur Exodi 25. *Operimenta illa custodiebant operimentum inferius, quod erat valdè prætiosum.* Sic illi qui præsunt, custodiunt filios Dei, quos ipse tenere diligit, nec vult incommoditatibus & vexationibus exponi. Vnde Gregorius. Misericors Deus, quos tenere diligit, ab extremis actionibus ascendit. Nam & pater familias ad eum laborem seruos mittit, à quo subtiles filios suspendit. Et inde filii sunt ve-

xatione decori sunt, vnde serui in puluere deturpantur. Cappa pluuialis non ideò superponitur cæteris vestibus, quia charior habeatur, sed vt potius sola deturpetur: nec fit hoc principaliter ad vtilitatem cappæ, sed cæterarum vestium. Sic qui superior est, non debet se reputare cæteris meliorē. Debet etiam credere se in statu illo positum propter vtilitatē populi, non propter honorem.

Expedit enim, vt vnus homo moriatur pro populo, id est: laboriosæ vitæ & periculosæ exponatur, quæ est velut mors quædam. Multi tamen sic fatui sunt, vt mortem istam appetant, & dulcedinem quietæ vitæ fastidiant. Vnde Gregorius. Cessationem à laboribus mundi dominus imperat: sed vesana mens plus asseriqui aspera carnaliter, quàm tenere blanda spiritualiter gaudet. Habentes manna fastidiunt, & cæpas desiderant, quæ non sine lacrymis comeduntur. Prætereà, ambitiosi, ex dignitate quam appetunt non obtinent honorem quem intendunt. Non enim honorantur ex dignitate, sed potius dignitas exhonoratur & deturpatur ab ipsis. Ideò egregiè de Cæsare Tullius ait: Cæsar cùm quosdam honorare voluit, non ipsos honestauit, sed ornamento deturpauit. Boëtius: Quantò maior est dignitas, tantò despectiores improbos facit. At non impunè. Reddunt namquè improbi parem dignitatibus vicem, quas ipsi sua contagione maculant. Et licet valdè malè sit ambitiosis, dum sunt in dignitate: deterius tamen erit eis, cùm pro abusione sua punientur. Vnde Hieronymus. In maiori gradu maior sine dubio pœna. Et Sapientiæ 6. *Potentes autem potenter tormenta patientur*. Et Apocalypsis 18. *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum*. Quartò, potest etiam ad huius vitii detestationem facere hoc, quòd vitium istud est valdè efficax ad homines capiendos. Vnde quidam: *Plurima cùm soleant hominum corrumpere mores: Fortius euertunt, fœmina, census honor.* Idem: *Quem res nec fœmina vincere possunt, Subiugat ambitio*. Quintò, possumus etiam vti ad detestationem huius vitii, parabola illa, Iudicum septimo: *Ierunt ligna, vt vngerent super se regem, dixeruntque oliuæ: Impera nobis. Quæ respondit: Nunquid possum deserere pinguedinē meā, qua dij vtuntur & homines, & venire vt inter ligna promouear? Dixerunt ligna ad arborem ficum: Veni, & super nos regnum accipe. Quæ respondit eis: Nunquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suauissimos, & ire, vt inter cætera ligna promouear? Locutaque sunt ligna ad vitem: Veni, & impera nobis. Quæ respōdit eis: Nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter cætera ligna promouere? Dixeruntque omnia ad rhamnum: Veni & impera super nos. Quæ respondit eis: Si verè me regem vobis constituitis, venite, & sub vmbra mea requiescite.*

Ligna super se regem vngunt, quando aliqui aliquem eligunt, vt eis dominetur. Notanter autem dicuntur vngere. Occasionem enim dant, vt vnctè & mansuetè debeat se habere erga eos, in hoc quòd Deum sibi præficiunt, & sibi præponunt. Valdè enim peruersum est, eos exhonorare, qui eum in honore posuerunt, & potestate de manu aliorum accepta, in oppressionem ierunt. Vtique peruersitas est figurata Matthæi vigesimo-septimo, in hoc quod milites præsidis accipientes arundinem de manu Christi, percutientes caput eius. In arundine, enim, quæ vacua est, intelligitur terrena potestas, que nihil soliditatis habet. Per oliuam, cuius pinguedine Deus hominesque vtentur, signatur aliquis vt misericors, qui oleo misericordiæ suæ paupertatem aliorum condit, & quasi impinguat, & lucem diuinæ gratiæ eodem loco in se nutrit & conseruat. Talis prælationem refugit, timens

ne occasione eius bonum amittat quod accepit.

In ficu intelligitur aliquis contemplatiuus, iam dulcedinem Dei per contemplationem sentiens, qui prælationem refugit, quia timet, dulcedinem, quam sensit perdere. Scit enim, quòd oportebit eum, per sollicitudinem exteriorum extra se ire. Vnde Lucæ 14. *Villam emi, & necesse habeo exire.* dicit Glossa interlin. ab interna contemplatione: & ibidem dicit Glossa Augustini: In empta villa dominatio notatur & superbia. Villam possidere, homines sibi subdere, vitium malum: vitium primum. Per vitem, propter vini feruorem, intelligitur aliquis perfectæ charitatis & feruẽtis, qui prælationem similiter recusat, timens ne feruor charitatis in eo tepescat, propter aquam mundanæ curæ superinfusam. Rhamnus autem est genus rubi, asperum nimis, & aculeatum sicut sentes, & secundùm Iosephum, ad impetum venti, ignem naturaliter producit, & est primò molle, & post durescit: vnde signat aliquem malum ambitiosum, qui spinis vitiorum spinosus est, qui spoliat subditos suos, sicut spinæ lana spoliant oues contingentes eas. qui ex se emittit ignem peruersæ conuersationis, quo se & subditos comburat incentio infernali. Qui primò se subditis suis mollem exhibet & mansuetum: deinde verò durum: quia tyrannicam vitam exercet, talis regimen non recusat. Responsio contra illud verbum Apostoli: *Si quis Episcopatum, &c.* quòd ambitiosi pro se allegant. Poterit tamen videri alicui, quòd appetitus dominij malus non sit, quum dicat Apostolus 1. Tim. 3. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Sed nulla est abiectio ista, si quis verbum Apostoli consideret diligenter, Non enim dicit Apostolus, quod si quis desideret Episcopatum, quòd ipse benè faciat, vel quòd desiderium eius bonum sit: sed vult ostendere quid significetur hoc nomine Episcopatus, qui nomen Græcum est: vnde dicit Glossa super illum locum: Exponere voluit Apostolus quid sit Episcopatus: quia nomen est operis, non honoris. Græcum enim est, & inde dictum vocabulum, quia ille qui præficitur, superintendit, curam eorum gerens. Scopus enim intentio est: vnde Episcopus Græcè superintendens, Latinè dicitur: vt intelligat se non esse Episcopum, qui præ esse dilexerit, non prodesse: Episcopus enim est, super suam & aliorum vitam intentio, nec valet hoc argumentum: *Si quis Episcopatum, &c.* ergo desiderium Episcopatus est bonum: sicut non valet latro, qui vult furari bonam cappam, desiderat bonam rem, quia bonam cappam: ergo desiderium eius bonum est. Ibi eadem Gloss. Locus superior sine quo populus regi non potest, & si ita teneatur atque administretur, vt decet: tamen indecenter appetitur. Vnde Hieronymus. Ostium sanctum quærit charitas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas charitatis: quam sarcinam si nullus imponit: percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati? Si autem imponitur, suscipienda est propter necessitatem charitatis, sed non deserenda est delectatio veritatis, ne subtrahatur ipsa fatuitas, & opprimatur ista suauitas. Patet ergo, quòd non appetendus est locus dignitatis. 1. Cor. 13. *Charitas non est ambitiosa.* Quòd autem in dignitatibus homines appetant, vtrum lucrum animarum, vel lucrum bursarum, vtrum laborem, vel honorem, satis apparet, si honores & diuitiæ ab officiis Ecclesiasticis separentur. Vnde legitur, quòd mortuo Sixto Papa, diu vacauit Papatus, nec inuentus est qui subiret illud onus: quoniam non habebat Ecclesia diuitias, vel pompam secularem, His adiunctis, tempore Syluestri illicò ambitio nascebatur, & latè peruagabatur.

Cap. VII.

De appetitu magisterij,

DIctum est de appeditu dominij, cōsequenter dicendum est de apetitu magisterij, de quohoc ordine dicemus. Primò, ostendemus ex quibus causis appetitus magisterij possit esse culpabilis. Secundò, ostendemus de magisterio curiosorum, quantæ sit vexationis & afflictionis. Tertiò, ostendemus quanti meriti sit ministeriū magisterij, quod habent viri, quos regit timor & charitas Dei. Primum igitur notandum est. quòd appetitus magisterij culpabilis potest esse quinque de causis. Primò, propter ignorantiam, quando scilicet aliquis præsumit docere quod non addidicit. Vnde Iacobi 3. *Nolite plures magistri fieri fratres mei.* Gloss. nisi tantùm discreti, & in scripturis docti. & Prou. 18. *Qui prius respondet, quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum* Vnde Salustius: Postquam honores adepti sūt, tunc primum acta & præcepta malorum legere incipiunt præposteri homines. Eccl. 32. *Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* Vnde Hieronymus. Cæteri qui variam supellectilem & vilia opuscula fabricant, sine Doctore esse non possunt quod cupiunt, quod medicorum est, promittūt medici, & tractant frabrilia fabri. Sola scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant. Et subditur: Hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent antequam discant. Et Gregorius. Turpe est, tunc solutionem quærere, quum debemus quæstionem enodare. Socrates cuidam interroganti, Quomodo posset optimè discere, ait: Si nihil dixeris, nisi dixeris quod benè scieris. Secundò, potest esse appetitus magisterij culpabilis propter inhonestantiam. Indignum enim est, cælestem doctrinam esse in vase immundo. Vnde Dauid: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu, &c.* Prou. 16. *Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile: sic tumentia labia cū pessimo corde sociata.* Dignus irrisione esset, qui argento vas fictile ornare vellet: si cùm vellet ornare lutum, sordidaret argentum: sic irrisione dignus est, qui cùm malus sit, tamen ad superbiam & vnam gloriam bona verba dicit. Docens quodam modo obligat se ex doctrina sua ad benè faciendum. Vnde super illud Iob 39. *Aut circūdabis eius collo hinnitum.* dicit Greg. Collo equi hinnitus circundatur, quia ne ad peruersa opera prodeat, suis vocibus vita prædicantis obsidetur, & super illud Prou. 3. *Circunda eas gutturi tuo.* dicit Gloss. Virtutes docet circundari gutturi, quum vox potius in gutture fieri soleat: quia scilicet prædicationis vox de interius manat, sed exterius circundati: nā quo aliquos ad benè operandum & viuendum excitant, eo ad benè agendum opera prædicationis seipsum ligat. Vnde Greg. Qui verbum Dei loquitur, prius studeat qualiter viuat, & post ex actu colligat, quæ & qualiter dicat. & Ecclesiast, 27. *Quia in manu habes, ciba cæteros.* Ea in manu habemus quæ operi implemus, & talia debemus prædicare alijs. Et Ecclesiastici 29. *Confirma verbum, & fideliter age cum illo, & in omni tempore inuenies quod necessarium est* Bona operatio est verbi confirmatio: mala verò operatio, infirmatio est verbi. Fideliter agit cum verbo, qui quod prædicat, credere se ostendit, quia idem opere implet. Qui prædicat delectationem aliquam venenatam & toxicatam, & tamen eamdem sumit, non videtur credere quod prædicat, nec fideliter agit cum verbo.

De doctrina bona, & vita mala.

ET notandum, quòd habere doctrinam bonam & vitam malam, ipsi habenti valdè est verecundum, & erubescentia plenum, & Deo displicet, & Ecclesiæ multùm nocet. Primum multipliciter

tipliciter poteſt oſtendi. Primò, ex hoc, quòd ille qui benè docet, & male viuit, quaſi defert lucernam ante ſe, quia immunditiam ſuam oſtendit, Dauid Pſal. 118. *Lucerna pedibus meis, verbum tuum, &c.* Prou. 6. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux eſt.*

Item talis de bello fugit, & tamen ad pugnandum ſtrenuè alios exhortatur. Item literas etiam publicæ damnationis publicat. Vnde Apoſtolus ad Romanos 1. *In quo alium iudicas, teipſũ condemnas.* Item in libro Proſperi. Bene loqui, & malè viuere, nihil aliud eſt, quàm ſeipſum ſua voce damnare. Talis ſibi ipſi contradicit, & ſeipſum confundit. Vnde Hieronymus: Non confundant opera tua, ſermonem tuum, ne cum in Eccleſia loquaris, tacitus quilibet reſpondeat. Cur ergo hoc, quod dicis, ipſe facis? Delicatus magiſter eſt, qui pleno ventre de ieiuniis diſputat. Accuſare auaritiam etiam latro poteſt. Sacerdotis Chriſti, mens manuſque concordent. Talis opere deſtruit, quod verbo ædificat. Eccleſ. 14. *Vnus ædificans, & alius deſtruens, quid prodeſt illis, niſi labor?* Talis habet linguam longè maiorem manu, quod ſine dubio monſtruoſum eſt. Vnde Gregor. Monſtruoſa res eſt, manus remiſſa, & lingua magniloqua. De tali ironicè ſolet dici illud Geneſ. 27. *Vox quidem, vox Iacob eſt, ſed manus, manus ſunt Eſau.* Quòd hoc autem multùm diſpliceat Deo, poteſt oſtendi ex hoc, quòd Dominus maledixit ficulneæ, habenti folia ſine fructu, vt legitur Matthæi 21. Ficulnea enim habens folia ſine fructu, eſt prædicator habens verba ſine bonis operibus.

Item oſtendi poteſt ex hoc, quòd Dominus tot maledictiones faciebat Scribis & Phariſæis, qui habebant folia verborum, ſine fructu bonorum operum. Quas maledictiones habes Matthæi 23. Quòd autem valdè noceat hoc Eccleſiæ Dei, multipliciter poteſt oſtendi. Primò, per hoc quòd doctrina Eccleſiæ in eis non habet talem virtutem, qualem deberet habere. Vnde auctoritas: Qui non ardet, non incendit. Gregor. Magis valet ad prædicandum ſancti amoris conſcientia, quàm exercitati ſermonis ſcientia. Idem: Nulla eſt dulcedo linguæ, niſi condiatur ſapore vitæ. Idem Greg. ſuper Ezech. Sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba intra conſcientiam remordet.

Idem: illi ſoli de Deo dulciter loqui voluerunt, qui cum cordis viſceribus dilexerunt. Item: Sermo Dei contemptibilis redditur hominibus per vitam malam prædicantium. Vnde Greg. Cuius vita deſpicitur, reſtat vt eius prædicatio contemnatur. Ipſa etiam veritas ſuſpecta redditur hominibus. Quis enim crederet alicui, qui aliquam viam aſſereret latronibus plenam eſſe, & neminem poſſe tranſire per eam abſque ſpoliatione & iugulatione, ſi poſt aſſertionem illam, eandem viam eligere vellet? Idem: quis non haberet ſuſpectam exhortationem inſequendi hoſtes, factam ab eo quem ſciret eſſe ex parte hoſtium? Propter malam vitam eorum qui habent inſtruere alios, multa mala euenerunt Eccleſiæ Dei. Vnde Thren. 4. *Non crediderunt reges terræ, & vniuerſi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hoſtis & inimicus per portas Ieruſalem, propter peccata Prophetarum eius, & iniquitates ſacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius ſanguinem iuſtorum:* effuderunt, inquam, ſuo malo exemplo. Tertiò, poteſt eſſe culpabilis appetitus magiſterii propter hoc, quòd appetitur, quod proprium eſt Dei, ſcilicet magiſterium. Occaſionem addiſcendi poteſt dare homo homini, ſed propriè non docet, niſi Deus. Vnde Auguſtinus: Magiſteria forinſecus adiutoria quædam ſunt & admonitiones: ſed cathedram habet in cælo, qui corda docet. Aliud eſt oculis materiam miniſtrare quæ videtur, & aliud eſt viſum con-

ferre oculis. Ad doctores forinsecos pertinet, materiam ministrare illis qui addiscunt, sed ad interiorem magistrum pertinet, vt ad videndum sensum cordis aperiat: & sicut oculus, & res obiecta non sufficiunt, vt visus in actu fiat: nisi oculus illuminetur: sic præter discipulum & forinsecum doctorem, necessarius est sol iustitiæ, à quo intellectus illuminetur, vnde postquam aliquis audiuit à doctore forinseco, ipse antequam acquiescat, consulat magistrum interiorem. Quòd autem Dei propriè sit magisterium, multis testimoniis Scripturæ potest ostendi. De quibus pauca sufficiant ponere. Legitur Matthæi vigesimo-tertio: *Nolite vocari Rabbi: vnus enim est magister vester.* vbi dicit Glossa interlin. Ne quod Deo debetur, vobis præsumatis attribuere. Glossa Vnus est qui illuminat hominem, quòd non alius homo, sed tantùm exercet dicendo, non intellectum præstat. Item Glossa. Magister ex consortio veri magistri tanquam eius nuntius, & pro reuerentia ipsius à quo mittitur, honoratur.

Item Prouerb. 2. *Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia & scientia.* & Ecclesiast. 1. *Omnis sapientia à Domino Deo est.* & Ioan. 6. *Et erunt omnes docibiles Deo*, vt dicit Gloss. Testantur prophetiæ, omnes homines illius regni, id est: Christianæ fidei, esse docibiles Dei: & quia si homines foris loquuntur, tamen solus Deus sensus aperit intus. Item Ioan. 14. dicitur de Spiritu sancto. *Ille vos docebit omnia*: & 16. *Docebit vos omnem veritatem.* Interlin. Intus sine sono. Sic fit & aliis sanctis. Item 1. Ioan. 2. *Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus.* glos. Nemo docenti tribuit quod ex ore docens intelligit. Nisi enim intus sit qui doceat, lingua doctoris exteriùs in vanum laborat: nec tamen doctor taceat. sed quod potest, agat. Ad idem ostendendum valet, quod dicit Philosophus, quod studiũ est expectatio diuinæ illuminationis. Idem: Impossibile est de pellibus caprarum aut ouium haurire sapientiam. Ideò oratio prætermittenda est ab his qui studere volunt. Sapientia enim, Dei donum est Nec debet aliquis tentare rapere eam violentia laboris, vel studii irrequisito domino. Iacobi 1. *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo.* & August. Oratione melius soluuntur dubia. quàm inquisitione alia. Quartò, potest esse culpabilis appetitus magisterii, quia homo appetit esse superior illo, quem natura genuit sibi æqualem. Vnde Aug. hominem homini subdi, non natura est hominis benè instituti, sed pœna damnati. Æqualitas multùm placet Deo. Vnde Dauid: *Mirabile templum tuũ in æquitate.* Psa. Quintò, potest esse culpabilis appetitus magisterii, si propter vanã gloriam appetatur. Sic faciebant Scribæ & Pharisæi. Vnde Matth. 23. *Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.*

De afflictione magisterii curiosorum.

Dictum est ex quibus causis possit esse culpabilis appetitus magisterii, nunc dicendum est quantæ afflictionis magisterium curiosorum sit. Quod satis ostendit nobis Salomon Eccl. 1. dicens: *Proposui in animo meo quærere & inuestigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole.* Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, vt occupentur in ea. Alia translatio habet hanc dissensionem pessimam. Studium curiosorum dici potest occupatio mala, peior, & pessima. Mala, propter afflictionem tam corporis quàm animæ, quæ est ibi, & præcipuè ista afflictio, vbi parua, vel nulla vtilitas est. Vnde Sen. Quid retorques in illa quæstione, quam vtilius est contempsisse, quàm soluere? Idem: Nullius rei difficilis est inuentio, nisi il-

lius, cuius inuentæ hic nullus est fructus inuenisse. Peior verò est propter contemptores sapientiæ, & fastidiosos auditore. De contemptu sapientiæ habetur Prou. 1. *Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt.* Ideò despicitur sapientis à stultis, quia ab eis non cognoscitur. Sicut aurum & argentum à brutis animalibus conculcantur, quia ab eis non cognoscuntur. De contemptu etiam sapientiæ dicit Senec. Ad sapientiam quis accedit, quis dignam iudicat, nisi quam in transitu nouerit? Quis philosophum aut vllum liberale studium respicit, nisi cùm aliquis pluuius interueniat dies, quem perdere libet? Nihil itaque inuenitur ex his quæ parum inuestigata antiqui reliquerunt. At si hîc iuuentus sobria incumberet, hîc maiores docerent, minores addiscerent, vix ad fundum venirent, vbi veritas posita est, quam nunc summa & leui manu quærimus. Dicit iterùm Seneca: Fastidientis stomachi est multa degustare. Quidam auditores adeò fastidiosi sunt, quòd non possunt sustinere quod aliquid eis dicatur, quod aliàs audierunt, licet illud nesciant. De quibus mirum est, quomodo ipse possunt audire Missam de beata Virgine, quam toties audierunt. Pessima verò occupatio est propter periculum quod ibi est. Difficile enim est, docentes à superbia & vana gloria non seduci. Etiam pedibus Apostolorum, id est: affectibus, dicitur puluis vanæ gloriæ adhæsisse. De hoc periculo habetur Matt. 4. super illud, *& statuit illũ supra pinnaculum templi.* Ibi enim dicit Glossa, in eo loco Christum tentat, in quo multos deceperat. Et alia Glossa. Ibi erant sedes doctorum, vnde populo loquerentur, vbi multos capit vana gloria honore magisterii inflatos. Aliud periculum est infidelitatis in Deum. Frequenter enim magistri Deo infideles sunt in talento sibi commisso. Eodem enim pretio, quo ipsi emunt cuprum, quandoque possunt emere aurum. Et eodem labore possunt habere ædificatiua, quo ipsi acquirunt inflatiua. Tertium periculum est impietatis in proximum. Frequenter enim magistri volunt cauillationibus inutilibus intendere, quàm fratres suos, qui ad mortem trahuntur eripere. Seneca. Securius est minuta conquirere cùm hostis instat à tergo, & mouere iussus est similes, &c. Necessitas excutit quod pax otiosa collegit. Demens meritò videret, si cum saxa in munimentum, senes, feminæque congererent, cùm iuuentus manus portis armata expectaret, sederem otiosus, & huiusmodi quæstiunculas ponerem; Quod non perdidisti habes, cornua non perdidisti, ergo cornua habes. Non vocat ad istas ineptias. Ingens negotium in manibus est, mors me sequitur, fugii vita, aduersus hæc me doc.

De merito bonorum doctorum, & triplici genere hominum.

SEquitur videre quanti meriti sit ministerium bonorum doctorum, quos timor Dei & charitás regit. Ad cuius rei euidentiam notandum est, quod triplex est genus hominum. Alii enim sunt indocti, alii sunt docti: non tamen adeò vt sufficiant docere alios: tertii verò adeo docti sunt, vt docere possint. Primi miseri sunt in vita ista. Quodammodo enim brutis inferiores sunt. Vnde Boëtius in libro Consolationum. Humanæ naturæ ista conditio est: vt tunc tantùm cæteris rebus excellat, cùm se agnoscat: eadem tamen infra bestias redigitur, cùm se nosse desierit. Nam cæteris animantibus, sese ignorare, naturæ est, homini vero non conuenit. Ad idem facit quod legitur Canticorum primo: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum.* Sponsa, si se ignorat, post greges vadit: quia quodammodo iumentis meserior fit. Miseriores autem

Ministerium bonorũ doctorum magni est meriti.

sunt indocti quando moriuntur. Prou. 10. *Qui indocti sunt, in cordis egestate morientur.* De merito verò eorum qui docti sunt, legitur Daniel. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Sicut enim stellæ valdè splendidiores sunt, quàm firmamentum: sic maior est gloria docentium alios, quàm eorum qui nõ docent. Præcipuè tamen vtile est, docere eos, qui alios possunt docere. Vno seruo pigro & nequam obiicitur, Matt. 25. quòd oportuit pecuniam domini sui committere nummulariis: vbi dicit Gloss. Nummularii sunt, qui prædicationem auditam volunt verbis & opere exercere. Et quòd valdè vtile sit docere tales, quàm docere alios homines, si benè & fideliter doceantur, manifestum potest esse ex hoc, quòd maior vtilitas potest sequi ex eruditione vnius talium, quàm ex eruditione mille aliorum.

Cap. VIII.

De appetitu simplicis excessus.

Dictum est de appetitu dominii, & de appetitu magisterii. Nunc dicendum est de appetitu simplicis excessus. Hoc vitio laborant illi, qui volunt excedere alios in diuitiis vel pulchritudine, vel in aliquo alio bono, nec vellent aliquem sibi æquari. Ad hoc vitium videtur pertinere illud quod legitur Lucæ 22. *Facta est contentio inter eos, quis eorũ videretur esse maior.* Ad detestationem verò huius vitii. Primò, videtur facere hoc, quòd hoc vitium peccatum est malitiæ (malitiam enim hîc intelligimus, affectionem alieni mali.) Qui enim vult excedere alios, per consequens non vult excedi ab aliis, & sic vult malum aliorum. Vnde enim aliorum paruitatem, quia quodammodo facit ad hoc, vt sua magnitudo vel sic appareat. Secundò, potest valere ad detestationem huius vitii hoc, quòd ipsum reddit animũm valdè mutabilem. Quando enim ille qui laborat hoc vitio, respicit aliquem, quem ipse excedit, ipse inaniter lætatur: quando verò aliquem à quo exceditur, tristatur, & sic modo tumet, modo docet, modo inflatur, modo tristatur. Hanc mutabilitatem insinuat nobis Seneca, dicens: Magnitudo certum modum non habet, comparatio autem tollit eam aut deprimit. Nauis quæ in flumine magna est, in mari paruula est. Tertium vitium est, quasi quædam fames insatiabilis. Nunquam enim impletur desiderium eius, qui omnes alios vult excedere: quia si excedit vnum, excedetur ab alio. Præterea, si excedit aliquem in aliqua gratia, exceditur ab eodem in alia gratia. Præterea excessus, quem ipse appetit, ad malum suum est. Sicut enim abundantia humoris in aliquo membro apostema solet generare: sic excessus in hominibus apostema generat superbiæ. Et sicut fatuus esset, qui vellet vnũ oculum, alium excedere, cùm secundum naturam debeant æquales esse. Sic fatuus est, qui desiderat, vt ipse alios excedat. Profectum proprium potest quis desiderare, sed etiã debet ei placere profectus aliorum, quo ei æquentur. Debent omnes filii Dei, velut fratres, amare æqualitatem & similitudinem. Vnde legitur de ipso Filio Deo, ad Hebr. 2. quòd debuit fratribus per omnia assimileri. & Eccles. 32. *Rectorem posuerunt: noli extolli, esto in eis, quasi vnus ex ipsis.*

Cap. IX.

De speciebus superbiæ exterioris, & primò de superbia in corpore.

Dictum est de superbia interiori, consequenter dicendum est de superbia exteriori. Vocatur autem superbia exterior aliquid intrinsecum, quod à superbia interiore procedit, & eam ostendit. Et potest distingui ista super-

bia secundum diuersitatem rerum, in quibus superbia hominum potest apparere. Potest autẽ apparere superbia hominum vel in ispo corpore, vel in sectis, vel in equis, vel ornatu, vel amplitudine familiæ, in conuiuijs, in ædificijs, in deauratis libris, & in cantu. Et primò, prosequamur de superbia illa, quæ in ipso corpore apparet. Quæ potest distingui secundùm diuersitatem mẽbrorum, quæ sunt in corpore, scilicet oris, oculorum, narium, colli, & sic de cæteris membris. Ad superbiam oris pertinet il-
l.11. lud Psalm. *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa.* Et illud Prou. 14. *In ore stulti virga superpiæ.* Stultus enim verbis superbis, quasi quadam virga homines cædit. De superpia narium, Esaiæ 2. *Quiescit ab homine, cuius spiritus est in naribus eius.* De superbia oculorum, Eccles. 23. *Extollentiam oculorum ne dederis mihi.* Et Prou. 16. *Oculos sublimes detestatur Dominus.* Et Psalm. *Neque elati sunt oculi mei.* De superbia colli vel ceruicis, Iob. 15. *Currit aduersus Deum erecto collo.* Et Psal. *Dominus iustus cõcidet ceruices.* De superbia aliorum menbrorum Esaiæ 3. *Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt collo extenso, & nutibus oculorũ ibant, & plaudebant, & ambulabant pedibus suis & composito gradu incedebant, decaluabit Dominus ceruicem filiarũ Sion, & Dominus ceruicem earum nudabit.* Contra Ezec. 1. *Pedes eorum pedes recti, &c.* Et loquitur de quatuor animalibus, quatuor Euangelistis præfigurantibus. Doctores enim veteris legis habuerunt pedes seruorum, dum pro terrenis Deo seruiebant. Sed doctores nouæ legis habent pedes rectos, qui cælestia promittunt. *Vnde beati pauperes spiritu.* Item.: *Agite pœnitentiam, &c.* Vnde de eis dicitur Esa. 52. *Quàm speciosi pedes Euangelizantis pacem annuntiantis bona.* In veteri lege annunciantur verba bona, scilicet æterna. Similiter doctores nouæ legis pedes habent rectos. Cantic. 7. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis.* Ecclesia filia principis, id est, cælestis regis: cuius ancilla fuit synagoga. Ecclesia etiam recipit spiritum adoptionis filiorum, synagoga verò spiritũ seruitutis. In calceamentis autem sunt pulchri gressus Ecclesiæ, quia calceati sunt exemplo Christi & Apostolorum. Nota, quòd sponsus Ecclesiæ volens totam Ecclesiam pulchram esse, lauit pedes eius, & de quorum inquinatione præcipuè timebat. Vnde diligenter debet pedes, id est, affectus custodire. Cantic. 5. *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Non debet iam Ecclesia, vel fidelis anima pedes suos ponere, nisi vbi sunt florida & viridia. Florita sunt merita. In floridis enim est spes fuctus, Viridia sunt eterna præmia. In virore enim intelligitur æternitas. Vnde pedes sanctorũ suorum seruat: pedes enim custodiendi sunt, ne calore adurantur, quod malo exemplo frequenter accidit, & ideò discalceandi sunt. Exod. 3. *Solue calceamenta de pedibus, &c.* Qui tempore negligẽtiæ frigescunt, exemplis sanctorũ calceandi sunt. Exodi 12. *Calceamẽta in pedibus habebitis;* Qui agnum paschalem comedit, Dominicam imitatur passionem, ad quod multùm valent exempla sanctorum. Si pedes collisi sunt per iram vel odium ad proximum, tunc butyro sunt misericordiæ vngendi, & considerationis misericordiæ, quam nobis Deus exhibuit, & est exhibiturus, si misericordiam proximo impẽdamus. Iob 29. *Lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei.* Hæc petra Christus est, qui riuos misericordiæ multiplicis nobis fundit. Si lũto voluptatis inquinati sunt pedes, lauandi sunt aqua lacrymarum, vel tribulationis pœnitẽtialis. Ioan. 13. *Vos debetis alter alterius pedes lauare.* Si pedes aspersi fuerint puluere inanis glorię, excutiendi sunt. Matt. 10. *Excutite puluerem de pedibus.* Legitur etiam de Iacob Genes. 29. quod colligit pedes suos super lectũ.

Cap. X.

De superbia ornatus, & his quibus vti possumus contra eam.

Mulierũ ornatus quis requiratur.

CVm ornatus possit esse diuersarum rerum decor, vt hominum vel locorum & multorum aliorum. Primò, ponemus ea, quibus possumus vti contra superbiam ornatus humani, & virorum, & mulierum. Contra hanc superbiam primò possumus vti verbis sanctorum sapientum. De quibus pauca ponere sufficiat. Ecclesiastici 11. *In vestitu ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris.* Et 1. Tim. 2. *Volo mulieres orare in habitu ornato, cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod docet mulieres promittentes pietatem, per opera bona.* Habitum ornatum, in quo vult Apostolus mulieres orare, vocat Glossa religionem earum ornantem eas. Vult etiam eas ornatas esse aliis virtutibus, cum verecundia vultus, vt non sint attritæ frontis meretrices. Vult eas esse sobriæ mentis. Vult etiam eas esse ornatas, non in crinibus tortis, id est, crispis, & cæt. Vel non ornantes se auro, &c. scilicet, vt semper hæc crinibus intorqueantur. Item 1. Petr. 3. *Mulieres subditæ sint viris suis.* Et subditur: *Quarum tamen non sit exterius capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est, homo cordis in incorruptibilitate modesti & quieti spiritus.* Super quem locum talis Glossa habetur, sicut Cyprianus ait, Serico & purpura indutæ Christum induere non possunt. Auro & margaritis & monilibus adornare, ornamenta, cordis & pectoris crediderunt. Quod de illis indubitanter verum est, quæ ad capiendas animas ornant se. Et subditur in Glossa, quòd si Petrus etiam mulieres admonet coërcendas, & ad Ecclesiasticam disciplinam religiosa obseruatione moderandas, quæ excusare possunt cultus suos per maritos: quanto magis id obseruare fas est virginem, cui nulla ornatus sui competat venia? Item 1. Tim. 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Contenti debemus esse tegumento, non quærere ornamentum. Item Apocalypsis 18. *Væ væ ciuitas magna, quæ amicta erat purpura, & bysso, & cocco, & deaurata est auro, & lapide pretioso, & margaritis: quoniam vna hora destitutæ sunt tantæ diuitiæ,* Item Augustin. Tibi vestis purpura circundetur, non ad pulchritudinem, sed propter necessarium tegumentum, ne dum exquisitis vestieris, alteram turpitudinem assumas. Ideò dicitur: Vestis purpurea, &c. quia sordes potest homo in vestimentis vitare. Vnde dicitur de August. Vestimenta eius & calceamenta, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum. Hieronymus. Ornatus & sordes pari modo fugienda sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam rodolet. Seneca. Non splendeat tota, nec sordeat quidem. Hieronymus. Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ deliciæ laudem pariunt. Si tamen vestem sordidam pro christi amore quandoque oporteat ferre: non est curandum, cùm propheta viderit Iesum Sacerdotem magnum indutum sordidis vestimentis. Et cùm Dominus immunditiam corparalem non reputet immunditiam. Matth. 15. *Non quod intra in os coinquinat hominem.* Et iterùm: *Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem.* Et in veritate immunditia corporis vera immunditia esse non videtur: consputum quasi immundum iudicatur, dum est in ore: quam citò est extra: immundum iudicatur, Seneca: Argumentum bonæ voluntatis grabatus & pannus, vbi apparuerit aliquem, non necessitate hoc pati, sed velle. Idem: Nemo nascitur diues: quisqui exit in lucem, visus est lacte & panno esse contentus.

Orn[atus] & sord[es] fugi[en]di.

Cap. XI.

De exemplis, quæ dissuadent ornatum superbum, & humilem suadent.

SEcundò, possumus vti contra superbiam ornatur exemplis. Multa autem sunt, quæ exemplo suo dissuadent nobis superbum ornatum, & suadent humilem habitum. Primò, suadet nobis hoc ipse Deus. Et hoc dupliciter. Primò, in psalmatione hominis. Voluit enim Deus prætiosum spiritum vili sacco carnis abscondere. Nec est vitisimile, quòd voluerit corpus, quod vile est, prætiosum tegumentum habere, qui prætiosi spiritui vile tegumentum voluit dare. Secundò, in hoc quòd parentibus nostris, post peccatum, tunicas pelliceas fecit, vt legitur Genes. 3. Ad idem etiam monemur diuersis exemplis hominum. De quibus, licet sint multa, pauca ponere sufficiat. Vnde August. de ipso dicit: Fateor, de prętiosa veste erubesco. Esther 14. *Domine, tu scis quod abominor signum superbiæ & gloriæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detestor illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentij mei.* Meritò abominabatur Esther signum superbiæ, quia signum est diabolicæ subiectionis. Diabolus enim est rex super omnes filios superbiæ: vt dicitur Iob. 41. Et sic dicit Gregorius: Euidentissimum signum reproborum est superbia, humilitas electorum. Sicut ergo aliqua nobilis persona meritò dedignaretur, si vilis persona signum seruitutis poneret in capite eius, & sic duceret eam per ciuitatem. Sic regina Esther, quæ cor nobile habebat, abominabatur signum superbiæ, quod in capite suo erat. Notanter dicit, quod est super caput meũ in diebus ostẽtationis meæ: ornatum enim suum non ferebat, nisi quando regi marito suo se ostendebat. In quo mulieres nostri temporis multùm sunt ei dissimiles, quæ cùm sunt cum maritis non curant de ornatu: quando verò in publico volunt procedere, volunt esse ornatæ, & tamen dicunt, quòd ornant se propter maritos suos. Detestabatur etiam Esther ornatum capitis sui, quasi pannum menstrui. Et meritò, melius enim esset ferre peplum sãguine alicuius animalis cruentatum, quàm ad vanam gloriam, vel superbiam croceatum, excepto scandalo. Vitta enim ad vanam gloriam croceata, peccati sanguine quodammodo intincta est, qui sanguis deterior est quocunque sanguine animalis. Item Iob decimo-quinto: Saccum consui super cutem meam. Talis deberet esse vestis ad minus pœnitentium. Vnde Ioannis quarto: *Vestiti sunt Niniuitæ saccis, à maiore vsque ad minorem. Et peruenit verbum vsque ad regem Niniue: Et surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est socco.* Item Matthæi tertio: Ipse Ioannes habedat vestimentum de pilis camelorum. Antiqui etiam tegebantur vel socco, vel cilicio: Maria etiam Ægyptiaca nuda in nemore latitabat. Si obiiciatur de pellibus tabernaculi rubricatis & hyacinthinis, ad hoc respondet Hieronymus sic: Olim ista approbabantur, quando sanguis pecudis remissio fuit peccatorum. Nunc autem pauper Dominus suam paupertatem & simplicitatem in Ecclesia consecrauit. Et subdit: Si hoc iudaizando reuocas in templo, reuocemus cruorem immolatorum. Ad idem etiam monemur exemplo marcatorum, qui quando torsellum est de panno prætioso, faciunt ipsi coopertaram de butello. Quis fatuum non iudicet illum, qui velit torsello prætiosam facere coopertu-ram? Ad idem etiam monemur exemplo ipsius Sapientiæ, quæ in personis contemptibilibus sæpe se abscondit: vnde Sapiens: Sæpe enim sub pallio sordido, sapientia. Vade, & fac tu similiter, vt sub humili habitu abscondas te. Ad

Mulieres ornare se non vt viris placeant, sed vt publicè spectētur.

hoc etiam monet nos ipsa natura, quæ sub terræ vilitate aurum & alia prætiosa abscondit, & sub vilitate corticis dulcedinem nuclei habet.

Cap. XII.

De duodecim stultitiis se ornantium.

TErtiò, valet contra superbiam ornatus, si ostendantur multiplices stultitiæ ornantium se. Prima est, quòd exteriora sua vilia interioribus, quæ prætiosa sunt, præponunt: vnde quasi paraturam pomi ipsi pomo præeligũt. Quando vnum pomum datur duobus, & alter parat: nonne stultus esset, si paraturam ditineret, lij verò daret totum? Item si paraturam daret suo socio, & sibi retineret totum residuum, fatuus esset, qui portionem acceptaret. Sed portionem à diabolo factam isti similem multi acceptant. Ornatum enim exteriorem, qui paraturæ pomi similis est, quæ quodammodo est depicta (habet enim cãdorem & ruborem) multi præponunt animæ suæ: & sic quasi vilem coopertutam prætioso torsello præponũt. Diabolus enim non curat nisi de torseillis: id est, de animabus. Gen. 14. dicit rex Sodomorum, qui figuram tenet diaboli, ad Abraham: *Da mihi animas, cæteras tolle tibi.* Istam stultitiam superbiæ, innuit gloss. super illud Ioan. 6. *Eum, qui venit ad me, non eiiciam foras.* Superbi est foras eiici, qui nihil habet in interiori bono, nec hîc, nec in futuro. Secunda est, quòd ipsi ordinem Dei peruertunt in seipsis. Volunt enim, quòd ancilla habeat ea, quæ dominæ sunt: & è cõtrario. Carnem enim, quæ ancilla est, ornant, & deliciis pascunt, & oportet vt fiat, quod ab ea imperatur, licet mors animæ, inde debeat sequi. E contrariò, anima, quæ domina est, fame & siti affligitur, & malè induta est, & ad præceptum carnis operatur: quod est valdè magna peruersitas. Vnde Bernardus: Dominam ancillari, & ancillan dominari, magna abusio, nimis mngna est. Si quis assereret se fuisse in terra aliqua, in qua dominæ omninò se haberentvt ancillæ, quum diceret, vix crederetur sibi. Sed in veritate terra illa patria ista est. Dea enim fere per totum annum fit festum ancillarum, quod alicubi consuetum est fieri in festo B. Vincentij. Tunc enim accipiunt ancillæ vestes dominarum suarum. Ista peruersitas similis est illi, quam ponit Salomon Eccl. 10. *Seruos in equis, & principes quasi seruos ambulantes super terram,* & peruersitas ista est valdè magna & nouicia Ecclesiæ Dei. Vnde Prou. 30. *Per tria mouetur terra, & quartum quod sustinere non potest, per seruũ eum regere cœperit.* Tertia, quòd ipsi valdè carè emũt quod nihil valere sciũt: scilicet vanam gloriam: quæ non valet eis, nec quoad animas, quum animabus sit valdè nociua, nec quoad corpora. Ioan. 8. *Si glorifico meipsũ, gloria mea nihil est:* nihil, inquam, in valore. Quarta est, quòd ipsi plus expendunt, vt pascant oculos aliorum, quàm vt pascant ventrem suum. Seneca: Non sunt homines ad pompam dentibus, & ore, & ventre contenti, oculis quoque gulosi sunt. Si quis eat per aliquam ciuitatem, plures artifices inueniet operantes, vt pascant oculos, quàm qui pascant ventrem. Vnde dixit quidam, mundum esse animal mirabile, qui maiores habet oculos, quàm ventrem. Potius volunt homines bona sua perdere, & diuitibus hominibus quasi per oculos ponere, quàm os Dei in pauperibus famelicum pascere. Vnde Barnardus. Inueniunt curiosi quo delectentur, & non inueniunt miseri quo sustententur: cum periculo animæ suæ acquirunt, vnde oculos hominum delectant. Mira fatuitas ast! quum videns, in pulchritudine rei visæ habeat delectari naturaliter potius quàm res visa, eo quòd videtur melius pertinere ad inspiciẽtes pulchritutinem eorum, quæ inspiciunt prouidere, quòd ad eos qui inspiciuntur.

Re: quæst ma

inspiciuntur. Debet ergo homo pulchritudinem exteriorem negligere: procuret autem eam, si voluerit, qui habet eam inspicere. Quinta stultitia ornantium se est, quod ipsi similes sunt illi, qui ex decore sellæ & fræni equum æstimat. Vnde Senec. Quemadmodum stultus est qui equum empturus non ipsum aspicit, sed stratum & fræno: sic stultissimus est qui hominem ex veste circundata æstimat. Idem: Cum voles æstimationem in re scire qualis sit, nudam inspice. Et sicut quidam ait: Ex auro frænum non meliorat equum: Sexta est, quod omnia sua volunt habere pulchra, & se turpes. Vnde Aug. Ecce omnia pulchra sunt cum iniquis, & ipsi sunt turpes. Ita accidit peccatoribus ornantibus se extrinsecus, sicut accidit cuidam regi, qui conuocatis magnatibus terræ suæ, fecit conuiuium magnum, & non erat locus in domo qui non esset opertus purpura, & aliis prætiosis. Et affuit quidam Philosophus, qui volens spuere, spuit in faciem regis. Et cum ministri propter hoc vellent eum suspendere, non permisit rex: sed quæsiuit ab eo quare hoc hoc fecisset. Qui ait: Vidi alia loca plena argento, & auro, gemmis, & purpura, & ideo in barbam regis quæ incrassata est ciborum pinguedine, quam immundam vidi, expui. Non enim vidi locum minus mundum. Et compunctus est rex. Sic diabolus videns hominem, qui debet esse Dominus aliarum creaturarum, minus pulchrum cæteris creaturis, in faciem eius spuit, vel eum contemnendo, vel animam eius maculando. Quod figuratum est ex sputione facta in faciẽ Domini. Et in illa quæ fiebat ei, qui nolebat suscitare semen fratris defuncti, sine semine, diabolus est, qui sine spe damnatus est. Cui homo debet suscitare semen: quia ex hominibus angelica ruina est reparanda. Erubescat ergo homo videns se malum & turpem inter suas res bonas & pulchras: sicut dominæ habentes ancillas pulchras, cum ipsæ sint turpes, erubescunt. Vnde August. Nonne vides debere erubescere tede bonis tuis, si domus tua plena est bonis & te habet malum? Septima est, quod cum in morte damnati sint, & iam ducuntur ad illam, potius tamen cogitant de ornatu, quam quomodo liberent animas suas: Sen. Omnis capitis supplicio condemnati sumus, & incessanter ad mortem tendimus. Vnde August. Nihil aliud est tempus præsentis vitæ, quam cursus ad mortem, in quo nemo vel paululum vel tardius ire permittitur, sed pari motu omnes vrgentur. Vnde cum ornatus superborum, sit ornatus hominum morti adiudicatorum, potius est illusio, quam honor. Sicut purpuratio Christi postquam adiudicatus fuerat morti, illusio fuit. Vnde Bernard. Omnis purpura illusio est, postquam Domino Iesu in purpura illusum fuit. Octaua est, quia inde gloriantur, vnde deberent erubescere. Triplici ratione potest ostendi, quod homo de veste debet erubescere. Primò quia vestis signum est peccati parentum nostrorum. Vnde Bern. Qui gloriatur de veste, similis est furi glorianti de cauterio: quia propter peccatum Adæ introductus est vsus vestium. Quis latronum non irrideat, si videat eum gloriari de signo sibi facto pro latrocinio suo, quod in fronte portat? Secundo, quia vestis remedium est turpitudinis erubescentiæ, quam per peccatum contraximus. Ante peccatum sufficiebat homini pulchritudo sua, nec habeat aliquam causam erubescentiæ. Vnde non oportebat quod absconderet se sub veste. Sicut sol veste non eget: sufficit enim sibi pulchritudo suæ lucis pro vestimento. Similiter rosa non eget ornatu: sufficit enim sibi pulchritudo suæ lucis pro vestimento. Similiter rosa non eget ornatu: sufficit enim sibi pulchritudo coloris ad vestiendum, & sic de cæteris floribus. Mahtt. 6. *Considerate lilia agri quo-*

[Left margin, partly cut off: ...x ...idam ...rpura co... s à ...ilo... ...ho ...spu...]

[Right margin: Homo erubescere debet de veste tripliciter.]

modo crescunt : non laborant, neque nent. Dico autē vobis, quoniam Salomon in omni gloria sua coopertus non est sicut vnum ex istis. Sed si per peccatum incurrit homo turpitudinem & erubescentiam, necessarium est vestimentum, quod est remedium turpitudinis & erubescentiæ. Sicut ergo ad gloriam loripedis nō cedit quod habet pedem ligneū, quum sit remedium infirmitatis: nec ad gloriā scabiosi quod scabiē velat: sic nec ad gloriam hominis ornatus, etsi alicui videatur. Vnde Aug. Qui superbit ex abundantia temporaliū. est tanquam ægrotus, qui superbit ex superabundantia medicamentorū vel emplastrorum. Quis non irrideat aliquem, si videat eum depingere domum, quæ minatur ruinam? Domus talis est corpus hominis. Vix enim staret per quinque dies, nisi cibis & potibus fulciretur. Vnde irridendi sunt, qui variis ornatibus illud depingunt. A simili possumus dicere, quod ille qui superbit ex pulchritudine vestium, est tanquam ægrotus, qui superbit ex pulchritudine emplastrorum. Et sicut ridiculum esset si loripes pedem ligneum depingeret, vel deauraret: sic ridiculū est cum homines se ornant. Tertio ostenditur per hoc, quod ornantes se mendicant pulchritudinem suam à creaturis vilioribus quam ipsi sunt. Nobilis homo erubesceret, à vilibus hominibus mendicare, & potius indigentiā sustineret, quam mendicaret ab eis: sic debet homo erubescere à vermibus, & muribus suum mendicare decorem. Vnde frater Guido Cartusien. Quomodo non gloriabitur de pulchritudine, qui gloriatur de turpitudine? Vestes te ornant, pulchritudo esset si tu eas ornares. Nona stultitia est, quod ipsi credunt se bene indutos & ornatos, cum equus eorum, scilicet corpus, bene ornatus est, cū tamen omnino nudi sint. Vnde Apocalyps. 16. *Beatus qui custodit vestimenta sua ne nudus ambulet, & videant homines turpitudinem eius.* Et Ezech. 18. *Denudabunt te vestimentis suis.* Et ibidem. *Dimittant te nudam, & ignominia plenam.* Ipsi sunt similes cuidam clerico, qui in festo stultorum induit equū suum scarleto, & ipse indutus erat matta vna. Decima stultitia est, quod ipsi turpitudinem suam detegunt, quando tegere debuerunt: quia qui vident superbum ornatum eorum, male suspicantur de eis. Vnde super illud 1. Timoth. 2. *Non in tortis crinibus.* dicit Gloss. Sup. habitus non recta facit de se credi. Et Eccles. 19. *Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.* Si nux relinquit corticem exteriorem ante tempus, signum est interioris corruptionis. Sic si Christianus non habet exterius habitum, quem Christiana religio requirit signum est quod vermis alicuius peccati intus lateat: magis erubescibilis culpa est, quam nuditas hominis, quum nuditas hominis à culpa habeat quod est erubescendum. Vnde magis erubescere deberent illi, quorum peccata apparent hominibus, quam si ipsi nudi hominibus apparerent. Illi ornantes se dum volunt vitare turpitudinem corporis, turpitudinem assumunt mentis, & dum se ornare volunt, inquinant se ad minus quoad vitis superbiæ, quæ inquinant omnia bona quæ sunt in homine. Vnde illud:
Si tibi gratia si sapiētia formaque detur:
Inquināt omnia, sola superbia si comitetur. Vndecima stultitia est, quod mulieres volunt videri fatuæ, licet nolint esse & potius volunt similari statuis, quàm matronis. Si equus venalis non est, quare signa venalitatis portat in fronte? Quare circulus est ante domum, si ibi non est vinū venale? Ouis Dei quare vult habere signum ouis diaboli? Nunquid non merito dicet ei pastor Eccl. Non noui te, & rapietur à lupo infernali. Signo crucis debēt esse signatio omnes fideles, id est signo pœnitētiæ. Vnde Apostolus ad Galat. 6. *Stigmata Domini Iesu in corpore porto.* Præcipue enim deberent habere in capite signa pœnitentiæ & humili-

tatis. Et illis, qui baptizantur vel confirmantur, imprimitur signum crucis in fronte. In capite enim ieiunii asperguntur cinere capita fidelium. De signatione ista legitur Apocal. 71. *Nolite nocere terræ & mari, quousque signemus seruos Dei in frontibus eorum* Ezech. 9. *Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem: & signa thau super frontes virorum gementiũ.* Thau figura fuit crucis. Crux enim tria brachia habuit ad figuram thau, postea addita est quædam tabula à parte superiori ad scribendum titulum: Crucem ergo, quæ per thau intelligitur, vult Dominus figi in frontibus fidelium: sed mulieres abiecto signo Domini, posuerũt signum diaboli in frontibus suis. Vnde Psal. Posuerunt signa sua. Et Apocal. 17. *Mulier circumdata est purpura, & coccino, & inaurata auro & lapide prætioso.* Et subditur: *Et in fronte eius nomen scriptum, Mysterium.* Vnde timendum est eis illud quod legitur Ezech. 9. de non habentibus thau. *Percutite, & non parcat oculus vester, neque misereamini.* Et subditur: *Omnem, super quem videritis thau, ne occidatis, & à sanctuario meo incipite.* Duodecima stultitia ornantium se est, quod ipsi habent charam pulchritudinem corporis, quæ adeo parua est, vt pellibus murium & stercoribus vermium adiuuetur. Decorem autem animæ qui similis est diuino, sic vilipendunt quod etiam non reputãt, cum dæmones eis aures & nasum præcidunt: iuxta illud Ezech. 23. *Nasum tuum & aures tuas præcidant, &c.* Quod non fit sine magna contumelia Dei, cum potius velit esse similis in decore muribus, quam Deo. Pulchritudinem etiam sotularium suorum bene custodiũt homines, singulis diebus eos tergendo: de pulchritudine autem animæ (quæ Dei imago est) vix semel in anno cogitant, imo quod plus est, peccatorum facies, quæ sunt facies dæmonũ, superinduant. Psal. *Facies peccatorum sumitis.* Non attendentes illud Eccl. 4. *Non accipies faciem aduersus faciem tuam.* Nec offenditur parũ Deus in hoc cotẽptu imaginis suæ. Vnde super illud Ps. *In ciuitate tua imaginẽ ipsorũ, &c.* dicit gl. Merito imaginem ipsorum ad nihilum rediget Deus in cœlesti ciuitate: quia ipsi in sua terrestri ciuitate maginẽ ipsius ad nihilum redegerũt.

Cap. XIII.

De alijs quæ deberent homines cohibere ab amore superbi ornatus.

PRæter ista sunt alia multa quæ deberent homines cohibere ab amore superbi ornatus. Primũ est, Dei ordinatio, quæ vult vt in præsẽti tempore intendatur reformationi animarũ: & ad hoc specialiter fuit primus aduentus filij Dei in mundũ. In futuro vero vult vt fiat reformatio corporum, & ad hoc erit secũdus aduentus. Tunc enim resurgent corpora sanctorũ, & gloriam suã habebũt qui hic sine gloria fuerunt. Vnde Ber. Noli, ô corpus, præripere tẽpora. Potes enim impedire animæ tuæ, salutẽ suã operari non potes. Omnia tẽpus habent: patere vt nunc anima pro se laboret: magis autẽ collabora ei, quia etsi cõpateris, & conregnabis. Secundũ est, quod ornatus iste tũc deficiet quãdo magis esset necessarius, quãdo scilicet anima venire debebit ad illã magnam curiã, in qua cõgregata erũt quæ in terra, & quæ sub terra, & quæ in cœlo sunt. Vnde Esa. 3. *Decaluabit Dominus verticẽ filiarũ Siõ.* Et ibid *In illa die auferet Dominus ornatũ calceamẽtorũ, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures. & annulos, & gẽmas in frõte pendẽtes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus & specula, & syndones, & vittas, & theristra, &c.* Armillas vocat gl. ornamẽta brachiorũ. Periscelidas vocat ornamẽta talorũ similia armillis. Murenulæ sũt catenę circa collũ, Olfactoriola vocat illa, inquibus cõtinebat muscum, & similia. Theristra vocat vestes æstiuales valde subtiles

visui peruias, quæ dicuntur à theron, quod est æstas. Tunc enim mulieres quæ se alienis plumis quasi cornix pulchras faciebant, amittent plumas, & turpissimæ apparebunt: & non solum deficiet gloria ornatus tunc, sed etiam mutabitur in ignominiam, & quæ plus habuit de gloria, plus habebit de ignominia. Os. 4. *Gloriam eorum in ignominiam commutabo.* Et Esai. 3. *Et erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium.* Tertium est hoc, quod corpora quæ hic fuerunt superbe ornata, à Domino tunc non ornabuntur. Vnde Bern. Nunc eant, nunc rideant qui corpora sua pellibus murium & stercoribus vermium informant: quia cum Dominus ad iudicandum venerit, non reformabit nisi quod abiectionis & humilitatis inuenerit. Vnde Apostolus ad Philip. 3. *Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, &c.* Super quod verbũ dicit Bern. Requiesce in hac spe misera caro: qui propter animam venit, propter te quoque venturus est: qui reformauit illam, tui quoque non obliuiscetur. Quartum est magnus contemptus æternæ gloriæ in eis qui se ornent. Multum enim contemnunt æternam gloriam, qui ei præponunt gloriam & laudem hominum. Charius enim habent vt pulchri dicantur, quam quod regnum æternum consequatur. Nec etiam laudem semper habent, quam habere intendunt. In arca enim non serata thesaurum suum faciunt, & ideo leuiter illum amittunt. Vnde Bern. Insipiens tu, qui congregas merces in saccum pertusum, qui thesaurum tuum in alieno ore constituis, ignoras quod arca ista non clauditur, nec seras habet. Quintum est, ingratitudo magna, quę est in eis qui superbe se ornant. Valde enim ingrati sunt qui Deum inhonorant in hoc in quo ipse voluit eos præ cæteris creaturis honorare. In hoc specialiter Deus honorauit præ cæteris hominem quod eum ad imaginem & similitudinem suam creauit, vnde multũ ingratus est ei qui in imagine sua contumeliam facit. Quis enim non timeat irreuerentiam aliquam facere imagini B. Virginis, vel imagini Christi hominis, scilicet Crucifixo? Quomodo ergo non timent homines imaginem B. Trinitatis irreuerenter seruare? Illi qui se ornant exterius, similes sunt sepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sũt omni spurcitia & ossibus mortuorũ. Corpus enim peccatoris animæ mortuæ est sepulchrũ: dicit August. Vnde Dominus Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris hominibus prætiosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* Ad quod potest induci quoddam exemplum: Balaam rex quidam magnus habuit in itinere duos viros obuiam in veste attrita & sordiá, & facie attenuata, & psallebant Domino. Rex autem de curru exiliens amplexatus est eos. Quod vidẽtes principes eius, indigne tulerunt, & cum per se non auderent corripere eum, rogauerunt fratrẽ eius, vt quæreret ab eo quare tantã reuerentiam exibuisset talibus vilibus personis. Rex autem volens ostẽdere illis errorẽ suum, præcipit fieri quatuor arcas. Duas deauratas, in quibus posuit ossa mortuorum, obfirmans eas aureis seris. Alias duas de pice & bitumine, in quibus posuit prætisas margaritas, & vnguenta omptima, ligans eas funibus cilicinis, & posuit eas ante magnates vt æstimarent quid singulæ valerent. At illi deauratas magni prætii iudicauerunt. Quibus rex ait: Erratis, omnia oportet inspici interioribus oculis, non exterioribus, siue honorẽ, siue contumeliã. Apertis ergo deauratis arcis, ait rex: Iste est typus eorũ qui exterius sunt gloriosi, intus repleti mortuis & fœtentibus operibus. Deinde apertis aliis duabus, ait: Ipse est typus eorũ, qui extra sũt

fordidis vestibus operti, intus prætiosi bene redolentes apud Deum, quales fuerunt illi, de quorũ veneratione me reprehendi fecistis. Et sic confudit eos. Item ornantes se similes sunt fimo cooperto.

Cap. XIV.

Quod superbus habitus potest esse culpabilis multis de causis.

NOtandum ergo quod superbus habitus potest esse culpabilis multis de causis. Prima causa est prætiositas. Vnde super Luc. 16. de diuite qui induebatur purpura & bysso, dicit gl. Si culpa prætiosarum vestiũ culpa non esset, sermo Dei non ita vulgariter exprimeret, quod diues purpura & bysso indutus apud inferos torqueretur. Vnde Greg. Nemo prætiosa vestimenta, nisi ad inanem gloriá quærit: videlicet vt honorabilior cæteris videatur. Nemo vult prætiosis vestibus ibi indui, vbi à nemine potest videri. Secunda causa est mollities vestium. Vnde Matth. 11. *Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Et super illud Matth. Ipse Ioannes babebat vestimentum de pilis camelorũ dicit Gl. Seruus Dei non debet habere vestimentum ad decorem, vel ad delectationem, sed tantum ad tegendum nuditaté. Vnde Greg. Nemo æstimen in fluxu ac studio prætiosarum vestium peccatum deesse: quia si hoc culpa non esset, nulli modo Dominus Ioannem de vestimento sui asperitate laudasset. Tertia causa est, extraneitas: quando scilicet aliquis vult habere vestes aliis dissimiles. Vnde Soph. 1. *Visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina.* Quarta causa est superfluitas. Potest autem ista superfluitas esse duplex, vel quoad magnitudinem. Primo modo est superfluitas in illis qui volũt habere testes lõgas vt maiores esse videãtur: quod vitiũ multũ abundat in quibusdam prælatis, qui pileos longos deferunt in capitibus, calopodia in pedibus, & vestes longas per terram trahunt, volentes sic adiicere ad staturam suam cubitum vnum. Vnde Luc. 20. *Attendite Scribis, qui volunt ambulare in stolis.* Stola vestis est longa. Illi qui vel magnitudine vel altitudine corporis sui dignitatem volunt honorare, non videntur attendere quod legitur de Saul, quod rex malus fuit, *& altior vniuerso populo ab humero & sursum.* 1. Reg. 10. & illud quod dicit Dauid in Psal. *Nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.* Et illud Prou. 16. *Spiritum ponderatur est Dominus.* Fatui corpora ponderant, & iudicant hominem ex ea parte, ex qua non est homo: Dominus vero spiritum ponderat. Vnde Reg. 16. dicit Dominus ad Samuelem, quum præcipisset ei de vnctione Dauid in regem: *Ne respicias vultum eius, nec altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum: nec iuxta intuitum hominis iudico.* Homo enim videt quæ apparent. Dominus autem intuetur cor. Prætiosiores species aromaticæ in minoribus saccis solent reponi, vt gariophylli: similia.

De caudis mulierum.

HOc vitio laborant dominæ, quæ longas caudas trahunt post se terram prætiosis vestibus induentes, & de nuditate Christi in pauperibus non curantes caudis suis pulices colligunt, & puluerem mouent hominibus: Christum vero, quem in ti tot pauperibus nudum respiciunt, & non operiunt, timendum est eis, ne in caudis earum diabolus quiescat. Vnde legitur de quodam sancto, qui vidit diabolum quendam ridentem: & quærens ab eo causam risus, dixit: Vidi socium meum equitantem super caudam cuiusdam mulieris, quę dum retraheret caudam, cecidit socius meus in lutum, & inde risi. Secundo modo est superfluitas in illis qui volunt habere diuersa paria vestium, & potius volunt vestimenta sua à tinea comedi, quam inde Christum in pauperibus indui. Iac-

5. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis quæ euenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra a tineis comesta sunt.* Et Bern. Clamant nudi, clamãt famelici, & cõqueruntur: Nobis fame & frigore miserabiliter orantibus, quid conferũt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in mãticis? Quinto potest esse reprehẽsibilis habitus propter materiam, vt si est serica, vel aurea, vel argentea. Et notandum quod circa materiam vestium multum proficit, vel potius deficit curiositas humana. Primo enim fuit materia vestium pellis cum lana. Vnde Gen. 3. *Fecit quoque Deus Adam & vxori eius tunicas pelliceas.* Deinde processum est vsque ad lanam puram, quæ est leuior quam pellis. Tertio processum est ad cortices arborum vel herbarum, scilicet ad linum, & huiusmodi. Quarto ad stercora vermium, scilicet ad sericum. Deinde ad aurifrigium, & ad lapides pretiosos.

De Superbia corrigiarum.

INter ornatus vero, qui propter materiam reprehensibiles sunt, specialiter videntur esse reprehensibiles corrigiæ sericæ deauratæ vel deargentatæ. Et hoc multiplicatione. Primo, quia superbia talium corrigiarum in loco humiliationis est. Vnde Mich. 6. *Humiliatio tua in medio tui.* Vnde sicut superbia in paupere amplius displicet Deo, quam in diuite, quia pauper habet materiam humiliationis & quoddam repressiuum superbiæ: sic potius Deo displicet superbia circa ventrem vbi tanta materia est humilitatis, quam in alia parte hominis. Præterea sicut ignis vehemens est qui ardet cum aqua, quæ contraria est ei: sic valde magna est superbia, quæ durat, vbi tanta est materia humilitatis. Bernard. Non est magnum humilem esse in abiectione: magna prorsus & rara virtus, humilitas honorata. Sic econtrario potest dici, quod magnum prorsus vitium est superbia cũ humilitate magna: Ideo humilitas beatæ Virginis omnem humilitatem puræ creaturæ superauit, quia maiorem materiam superbiendi habuit cum Dei mater fuerit. Sic superbia aliorum membrorum superat, cum maiorem materiam humilitatis habeat. Item saccus bono tritico plenus bene ligatur fune vnius oboli. Non modica fatuitas est ad ligandum saccum immunditia plenum, quæ rere corrigiam sericam deauratam, vel deargentatam, & vasis vinum pretiosum continentibus circuli lignei sufficiunt. Ridiculum ergo est circulis deauratis vel argentatis ligare saccum ventis abominatione plenum. Præterea quis non irrideat si videat ornatum templi poni circa fimum, vel aliquem locum continentem immunditias? Sic faciunt mulieres quæ ornant se circa medium corporis. Vnde Psalm. *Filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi.* Est etiam magna stultitia mulierum, quod corrigiæ illæ carè constant eis, & non prosunt animę, nec corpori, imo Deus in eis offenditur, & proximus scãdalizatur. Ipsæ etiam mulieres ex pondere grauantur, quum interdum magis ponderosæ sint, quam circuli ferrei quos pœnitentes deferunt. Multæ mulieres sunt, si iniungeretur eis pro pœnitentia vt ita ponderosas ferrent corrigias, non acquiescerent iniungenti. Mira insania mulierum, quod tantis expensis diabolo se ligant, quod tam care emunt vnde à diabolo ligentur. Diabolus enim bene scit ligare aliquem suo proprio cingulo. Sexto reprehensibilis est propter colorem, vt in vestibus clericorũ color viridis, rubeus, & varius. Cuius rei ratio esse potest, quod talis color in lana ouiũ naturaliter non inuenitur. Si enim Deus voluisset lanã ouium taliũ colorum esse, ipse potuisset depingere sicut & aues. Et forte in principio non fuit facta tinctura huiusmodi absq; culpa & curiositate. Audiui quandam virginem quam conscien-

Ps.

tia remordebat, quia habebat vestē alterius coloris quam naturalem, allegantē contra se quod ouis, quæ nunquam peccauit, contenta esset naturali colore: ipsa vero, quæ multū peccauerat, prætiosiori colore vteretur. Et in veritate cum homo mendicet vestem ab oue, iuxta illud Aug. Ouis mandatum Euangelicum implens, de duobus tunicis, dat vnam non habenti. Sufficere deberet homini mendicanti color ille, qui sufficit oui lanam largienti. Superbus mendicus est, cui non sufficit illud, quod sufficit illi à quo mendicat.

De peplis & vittis croceatis mulierum.

INter ornatus vero, qui propter colorem reprehensibiles sunt, specialiter videntur esse reprehensibilia pepla, siue vittæ mulierum croceatæ. Quod multipliciter potest ostendi. Primo, quia displicet aliqui principi quando, videt vexillū inimici in terra sua. Sed plus displicet ei, si videt in aliqua de villis suis Multo plus si in aliquo de castris suis, & præcipue si videat illud in superiori parte castri sui. Sic Deo multum displicet, quando videt superbiæ vexillum (quod est diaboli signum) in superiori parte castri sui, scilicet in capite mulieris, & videt vexillū suum fere motū à loco, in potius volebat illud esse. Humilitatē enim pænitentiæ potius voluit Dominus esse in capite. Ezech. 9. *Signa thau super frontes virorum gementium.* In signū huius rei fit crucis signum in illis qui baptizatur, & in illis qui confirmantur in fronte. Et in capite ieiunij capita cinere asperguntur. Secundo per hoc, quod velū, quod est in capite mulieris, signum est subiectionis. In hoc ostenditur quod superiorem habet, scilicet virum suum. In hoc enim ostenditur, quod ab ea præuaricatio incepit, & ideo potius mulieres velamina deferunt, quam viri, & præcipue quando à viris suis cognitæ sunt. Vnde super illud 1. ad Cor 11. *Capilli mulieri pro velamine dati sunt.* dicit Gl. Ad hoc habet mulier valament vt se ream agnoscat, & subditā: & iterum in eodem cap. super illud. Non est vir creatus propter mulierem, se mulier propter virum, dicit Gl. Ideo debet mulier super caput suum habere velamen propter angelos, vt dicit Ambrosius, vt scilicet ostēdatur subiecta viro, & quia per eam præuaricatio cœpi. Vnde cum peplum debeat esse signum humilitatis multum Deo displicet, si superbiant inde mulieres. Irridēdus esset fur, cui in signū furti bursa suspendi debet ad collum, si peteret vt illa bursa purpurea esset. Sic irridendæ sunt mulieres, quæ volunt habere pepla croceata. In opprobrio enim suo quærunt gloriam, vbi esse nō potest. Non cedit ad gloriā, fueris, collū suspēsa sit deaurata. Tertio per hoc quod mulieres, quæ corceum colorem in peplis deferunt, colorem decentē, amabilem Deo & Angelis, & hominibus mundi cordis vilipendunt: colorem vero minus decentē contra doctrinā Eccl. deferunt, scilicet croceum. Color decens & amabilis deo & angelis est color albus. Quod croceus color minus sit decens, quam candidus, patet ex hoc, quod nulla est quę non velit habere faciem suam candidam potius, quam crocei coloris. Quod autem color iste placeat Deo, patet per hoc quod dicitur Cant. 5. *Dilectus meus candidus.* Non dicit, croceus. Sapien. 7. de ipso: *Candor est lucis æternæ.* Et Bern. loquens de sapientia increata, dicit: Candor est lucis sapientia, & candidam oportet esse animā, in qua ipsa sedē elegerit. Sicetiā placet Deo cādidus color in ornatu corporis, potius quam croceus. Quod patet per illud Matth. 17. quod in transfiguratione Domini vestimēta eius facta sūt alba sicut nix. Magisterio enim Spiritus sancti institutum est, quod sāctissimū corpus Domini pāno cādido inuoluatur, nō croceo, vel alterius coloris. vnde bene deberet sufficere immūdo corpori color ille ad inuoluendum se, qui suf-

ficit Domino corpori. Quod etiã color iste placeat angelis patet per hoc, quod legitur Marci. vlt. Angelum apparuisse stola candida, & Matthæi vlt. legitur. vestiméta angeli alba fuisse sicut nix. Et Ioan. 20. *Et vidit duos angelos in albis sedentes.* Quod autem hominibus mundi cordis placeat color iste, patet: quia si quis occurrat duabus mulieribus, quarũ vna habeat peplũ candidũ, & altera croceum, statim illam quæ defert candidũ honestiorem iudicabit, & ita magis ei placebit, nisi iniquitas propria cor eius subuerterit. Quartũ potest idem ostẽdi per hoc, quod cum ornatus propter vanitatem reprehẽsibilis sit, quod vanius & mutabilius erit in ornatum, magis reprehensibile erit. Vnde cum croceus color in peplis valde mutabilis sit, reprehẽsibilis est. Si aliqua mulier tunicam suam qualibet septimana tingeret & lauaret, satis fatua diceretur: tales sũtquæ singulis septimanis pepla sua & tingũt & abluũt.

Da peccato illarum, quæ præsumunt ponere alienum colorem in vultibus suis.

SEptimo est reprehensibilis habitus vel ornatus propter præsumptionẽ, quando scilicet aliqua præsumit facere, quod specialiter ad Deum pertinet, sicut faciunt illæ quæ alienos crines apponũt capiti, vel colorẽ innaturalem super faciem, huiusmodi enim proprium est Dei, Vnde tales cum Lucifero similes volunt Altissimo esse. Ipsæ sunt veluti simiæ, quæ dum volunt se decorare, specialiter se iugulant. Sunt etiã angeli tenebrarum trans figurati in angelos lucis, non attẽdẽtes illud Eccl. 4. *Ne accipias faciem aduersus faciem tuam.* Quam mulier assumit contra faciem interiorẽ animæ, quia eam deturpat. Dũ enim mulier exterius vult habere pulchram faciem, interius assumit faciẽ diabolicã. iuxta illud Psal. *Facies peccatorũ sumitis.* Facies enim assumpta, cõtraria est faciei naturali, quia ante debitũ tempus facit eam senescere, & in futuro pro ea punietur. Ioel. 2. Omnes vultus redigentur in ollã. Multũ offenditur aliquis artifex, quãdo alius præsumit meliorare opus eius: sic Deus in istis. Præterea magnam cõtumeliã facit Deo talis persona, quæ potius vult talem faciem habere qualem pictor facit, quam qualem eius Deus fecit. Da tali mulier dicit Hieronym. Qua fiducia erigit ad cœlos vultus, quos cõditor nõ agnoscit.

Quod sex deberent cohibere mulieres à portando alienos crines.

SEx vero sunt quæ possunt cohibere mulieres ab alienis crinibus, si eis diligenter ostendantur. Primum est, pœna quam scriptura comminatur eis. Vnde Esai. 2. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Siõ, & Dominus crines earum nudabit.* Et in præsenti etiam quandoque crines earum nudatur. Vnde Parisijs accidit in quandam processione, quod quædam simia cuidam dominæ peplum cum alienis crinibus abstulit coram populo, & turpis & depilata sicut cornicula, depositis plumis alienis remansit: quod iusto Dei iudicio accidit, iuxta illud Esai. 33. *Væ qui prædaris: nonne tu prædaberis?* De prædata fuerat illa mulier mulierem mortuam crinibus suis: & ideo merito eam simia deprædauit. Vnde Poeta: *Non est lex æquior vlla, quam nescis artifices arte perire sua.* Secundò fatuitas magna quæ, comitatur hoc vitium quod patet ex hoc, quod pugiles crines suos abbreuiant quando duellum facturi sunt, ne per crines ab hostibus capiantur. Et illi similiter qui intrant religionem tanquan pugiles spirituales. Fatuæ tamen mulieres crines suos augent, licet in bello periculosissimo sint, quasi nolint de manibus diaboli euadere. Non de facili euadit mulier de manu diaboli, ex quo tenet eam per crines, quando scilicet mulier habet nimium amorem ad decorem crinium. Item tales mulieres materiam periculosæ infirmitatis

tis

ris, quàm habent, augent cùm potius deberent eam minuere, quasi nolint à sua infirmitate curari. Infirmitas autem valdè periculosa est, sicut prius ostensum est, superbia, quæ materia augetur, quando crines alieni propriis crinibus adduntur. Satis sunt istæ superbæ, quæ parum habent de crinibus. Tertiò, peruersitas magna. Faciunt enim tales ad contumeliam Dei, ac damnum animarum suarum, quòd nullo modo facerent propter amorẽ Dei & salutem propriam. Si iniungeretur alicui mulieri, pro pœnitentia, quòd haberet per noctem ad caput suum manum mulieris mortuæ, nullo modo vellet habere. Diceret enim terrore se amentem fieri. Crines autem mortuæ mulieris vult habere in nocte ad caput suum, in contumeliam Dei, & contra voluntatem Ecclesiæ. Nec terretur inde, nescio quo diabolico miraculo. Quartò, deberet cohibere mulieres à vitio isto, magna ingratitudo quæ est ibi, quando scilicet, ipsæ volunt habere in loco isto crines ad Dei contumeliã, vbi Christus pro amore earum, tulit spineam coronam. Quintò, contemptus Dei, qui est in vitio isto. Valdè enim Deum contemnunt qui capillos Deo præponunt, cùm capilli videantur esse superfluitates hominis, sicut & vngues. De receptaculo lendium & pediculorum, faciunt mulieres thesaurum suum, imò Deum suum: quia hoc ab homine colitur, quod præ cæteris diligitur: sicut dicit Gloss. super illud ad Phil. 3. *Quorum Deus venter est*. De Maria Magdalena, legitur Lucæ 7. *quòd capillis capitis sui tersit pedes Domini*. Non enim eos amabat tantũ, quantum amant dominæ nostrę. Sextò, deberet cohibere mulieres à vitio isto, multiplex malum, quod inde prouenit, tam eis, quàm proximis earum. Proximis de facili malum prouenit ex pulchritudine crinium. Crines enim velut quidam laquei sunt, quibus fatui capiuntur. Vnde legitur Iud. 14. quòd ipsa colligauit cincinnos suos ad capiendum Holofernem. Cincinni sunt capilli dependentes à capite mulieris. Sicut pueri laqueos faciunt de pilis caudæ equi, ad capiendum aues: sic diabolus laqueos facit de pilis mulierum, ad capiendum viros. Ipsis etiam mulieribus multiplex malum facit pulchritudo crinium. Accidit enim, sicut legitur Absaloni accidisse de pulchritudine crinium eius, sicut legitur 2. Reg. 14. *Porrò sicut Absalon, vir non erat pulchror in omni Israel.* Et subditur: *A vestigio pedis vsque ad verticem, non erat in eo vlla macula. Et quantò magis tondebat capillos, tantò plus crescebant (semel autem in anno tondebatur: quia grauabat eum cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducẽtis siclis, põdere publico.* Quid autem ei acciderit, legitur 2. Reg. 28. scilicet quòd *caput eius quercui adhæsit, & illo suspenso inter cælum & terram, mulus cui insidebat, pertransiit, & veniens Ioab tres lanceas infixit in corde ipsius.* Sic per pulchritudinem crinium adhęret fatua mulier alicui viro luxurioso, qui per quercum designatur. Quercus enim fructum defert, quo porci pascuntur: sic luxuriosi opera faciunt, in quibus infernales porci delectantur: & veniens Ioab, id est diabolus, infigit tres lãceas in cor fatuæ mulieris. Prima lancea est vitiũ superbiæ. Secunda, vitium luxuriæ. Tertia, vitium discordiæ, propter ipsam, inter mulierem & virum suum. De hoc require in tractatu de Luxuria, in capite de Choreis, vbi ponitur illud verbum Apocalypsis nono: *Et similitudines locustarum, &c.*

De habitu reprehensibili propter formam vel compositionem.

OCtauò, potest esse reprehensibilis habitus vel ornatus propter formam vel compositionem. In forma verò reprehensibilia sunt ista, incisio ex parte inferiori, sicut fit in vestibus ioculatorum, corrugatio ex parte superiori

Forma habitus reprehẽditur.

Vtinam, si Deo placeret, facies earum corrugare facerent, quo vestes corrugatæ fierent. Reprehensibile etiã est, quòd caudæ ibi assumantur. Natura caudam negauit hominibus, sed miseri homines eam sibi assumunt. Præcipuè autem videntur reprehensibiles quoad formam & compositionem, sotulares rostrati, & perforati & stricti. Rostrum ita sotularibus diabolica videtur esse inuentio, cùm non inueniatur simile in rerum natura. Nullum enim animal est, quòd in pede rostrum habeat, etsi habeat aliquod in capite. Mulieres verò, quæ nusquam rostrum deberent habere, volunt habere in pedibus. Perforatio etiam in sotularibus magna videtur fatuitas, cùm sotulares integri meliores sint, quàm perforati. Similiter strictura in sotularibus magna fatuitas est, cùm etiam Deus inde offendatur, pedes grauẽtur. Nõ enim ita constringerentur pedes, si essent in compedibus, sicut cõstringuntur quandoque à sotularibus. Multi sunt, qui non reciperẽt pro pœnitentia tale grauamẽ, si sacerdos eorum vellet hoc eis iniungere. Magna etiam ingratitudo est, velle deferre sotulares perforatos, in contumeliam Dei in pedibus suis, cùm Deus, pro amore eius pedes suos voluerit perforari. Magna enim fatuitas est, quærere pulchritudinẽ in sotularibus, cùm ad hoc inuenti sint vt inquinẽtur, & per hoc pedes ab inquinatione seruentur. Nec in radicibus arborum vel fundamentis domorũ pulchritudo solet requiri: sic nec in sotularibus deberet requiri pulchritudo.

De superbia ornatus raptorum & vsurariorum.

NOnò, potest esse reprehensibilis habitus, vel ornatus, quia est de re iniustè acquisita: sicut accidit in vxoribus vsurariorũ vel raptorum, quæ vestes prætiosas deferũt de lacrymis pauperũ. Vestes tales sanguinolentæ sunt. Iere. 2. *In alis tuis inuentus est sãguis animarũ pauperum.* Aliæ sunt extremitates superborũ palliorũ. Alis istis volatur in infernũ, non in cælũ. In alis istis inuenitur duplex sanguis, scilicet sanguis pauperũ. Spolia enim pauperum, ex quibus est vestis illa, iudicio scripturæ sunt sanguis pauperũ, & vita eorũ. Vnde Ecc. 34. *Panis egentium vita pauperũ est. Qui defraudat illũ, homo sanguinis est.* Alius sanguis qui in alis istis inuenitur, est sãguis ipsius mulieris, quæ defert pallium quod emptũ est de re iniustè acquisita. Mors. n. sua latet ibi, cùm ad damnationẽ suã illud deferat. Cruentatio ista quæ est in vestibus diuitum, figurata est per chlamydẽ coccineã: in qua illusus est Dominus. Illusione autem illa ostensus est status principũ huius mundi. Decimò, potest esse reprehensibilis ornatus vel habitus, propter amorem nimium quem habent mulieres ad pulchritudinẽ. Tãtus enim potest esse amor ille, quod est mortale peccatũ, & quasi idololatria, vt quãdo amor ille amorẽ Dei superat. Hoc. n. ab homine colitur, quod prę cęteris diligitur, sicut prius dictũ est.

Forma vestium vitiosa.

De quinque quæ debent cohibere mulieres ab amore pulchritudinis.

QVinque autem sunt, quæ debent cohibere mulieres à nimio amore pulchritudinis. Primum est, vanitas ipsius pulchritudinis. De qua legitur Prouerbio vltimo: *Fallax gratia, & vana est pulchitudo: mulier timens Deum, ipsa laudabitur.* Pulchritudo vana est, quia ad nihil valet ei, qui eam habet: potius videtur valere illis, qui vident eam, & in ea visa delectantur. Potest etiam dici vana, quia vadit in nihilum, propter quod flori comparatur. Esaiæ 40. vbi sic legitur: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos agri.* Licet flores sint magni decoris, tamen parum amantur, quia citò transit decor eorum. Sic parum amanda esset pulchritudo corporis, quia citò perditur: ad minus in morte, quando maximè necessaria esset, cùm

Deo debeat præſentari, & Angelis eius, cùm ituri ſunt ad curiam cæleſtis regis. Secundò, deberet mulieres cohibere ab amore nimiæ pulchritudinis hoc, quòd pulchitudo talis frequenter maledicta eſt. Vnde Iob 5. *Vidi ſtultum firma radice: & maledixi pulchritudini eius ſtatim.* Vnde dicit Gloſſa ſuper hoc verbum, ſtatim: Infirmus cum inæqualitate rerum variatur, dum videt proſpera, laudat: cùm mutantur, nihil eſſe iudicat: ſed ſanus cum gloria ipſam pœnam ſequentem conſiderat, & ſtatim damnat. Malæ fuerunt pulchræ illæ mulieres, quæ propter pulchritudinem ſuam damnabuntur. Maledicta eſt talis pulchritudo mulieris. Multis re vera potius expediſſet, quòd fuiſſent leproſæ, vel naſo, vel auribus mutilatæ, quàm quòd eſſent pulchræ. Tertiò, deberēt cohibere mulieres à nimio amore pulchritudinis, turpitudo & immunditia, quæ frequenter comitatur pulchritudinem corporis. Vnde dicitur Ezechielis decimo-ſexto: ad fatuam mulierem: *Abominabilem feciſti decorem tuum.* Hoc eſt vnum, de quo multùm dolendum eſt, quòd pulchræ mulieres, quæ plus deberent abhorrere immunditiam, amplius ſe inquinant per peccatum. Propter hoc pulcritudinem fatuæ mulieris comparat Salomon circulo aureo in naribus ſuis. Prouerb. 11. *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua,* id eſt: pulchritudo mulieris fatuæ. Sus ſi circulum aureum haberet in naribus, diſtraheret illum per quodcunque volutabrum luti. Similiter mulieres fatuæ pulchritudinem ſuam diſtrahunt per quodcunque volutabrum luxuriæ. Sus non parcit ori, ſicut nec pedi, quin illud in lutum infigat. Sic nec mulier fatua parcit faciei ſuæ: imò illam, quæ cæteris mēbris operit iniquitate & impietate ſua. Vel aure⁹ circulus poteſt intelligi mulier pulchra & fatua, quam diabolus trahit per omnē immunditiam, quia habet eam in poteſtate ſua, ſicut ſus circulum aureum traheret per immunditiam, quem haberet in naribus ſuis.

Quartò, deberet cohibere mulieres à nimio amore pulchritudinis hoc, quòd pulchritudo earum valdè nociua eſt. Eſt enim pulchritudo illa pulchritudo exurens, qualis eſt pulchritudo carbonis viui. Et eſt etiam pulchritudo vulnerans, qualis eſt pulchritudo ſplendentis gladii. Vnde Hieronymus: Gladius igneus eſt ſpecies mulieris. Et Prouerbiorum quinto legitur de fatua muliere, quòd *nouiſſima illius amara ſunt velut abſynthium, & acuta quaſi gladius biceps:* Sicut puer in gladio fulgenti primò ſolam aduertit pulchritudinem, & ideò gladium amplectitur, ſed nouiſſimè ſentit læſionem. Sic fatui homines in ſpecie muliebri primò, ſolam aduertunt pulchritudinem, ſed poſtquam eam tetigerint per amorem, ex vulnere cordis perpendunt pulchritudinem illam eſſe gladium acutum. Biceps autem gladius poteſt dici pulchritudo illa, quia ipſam mulierem, in qua eſt, lædit per ſuperbiam, & ipſos aſpicientes per luxuriam. Vel poteſt dici gladius biceps, quia corpori & animæ occaſio eſt mortis æternæ. Et verè gladius igneus eſt pulchritudo mulieris. Multùm enim potens ad exurendum cor humanum. Vnde Barlaam rex quidam habuit filium, de quo dictum eſt ei à medicis, quòd cæcus fieret, ſi infra decem annos ſolem videret: vnde rex ipſum fecit includi decem annis in ſpelunca. Quibus finitis, fecit eum egredi de ſpelunca. Et oſtenſa ſunt ei aurum & argentum, & multa alia prætioſa & concupiſcibilia. Et ad interrogationem eius nominata ſunt ſingula: Cùm autem inquireret anxiè de mulieribus quæ præſentes erāt quæ res eſsēt, dixit ei quidam iocosè, Eas eſſe dæmones qui ſeducunt homines. Et cùm reductus ad regem requireretur ab eo, quid magis ipſe deſideraret: Reſpondit ſe ſuper omnia quæ videat deſiderare dæmones qui ſeducūt ho-

mines. Et miratus est rex, quòd tam tyrãnica res esset species mulieris. Quint. debet cohibere mulieres à nimio amore pulchritudinis hoc, quòd pulchritudo aduersatur bonitati. Non enim de facili habetur bonitas cum pulchritudine. Poëta: Lis est cum forma magna pudicitiæ. Vnde cùm pulchritudo auferat bonitatem, quæ longè melior est, quàm pulchritudo, ipsa nõ est multùm desideranda, imò valdè timẽda. In magno periculo est pulchritudo mulieris: est enim quasi thesaurus in aperto, qui à multis concupiscitur. Vnde Greg. Deprædari desiderat, qui thesaurum publicè in via portat. Fatuæ sunt, quæ neglecta bonitate, pulchritudinem quærunt. Similes sunt pueris, qui pyra vel poma vermes habẽtia (quia pulchriora aliis sunt) præeligunt. Præcipuè autem fatuæ sũt illæ, quæ naturaliter deformes sunt, & tamen laborant ad hoc, quòd sint pulchæ, ad quod nullo modo pertingere possũt. Ad hoc autem quòd sunt bonæ, laborare nolunt, quòd tamen melius, & de facili obtinere possunt. Mulier, quæ laborat amplius ad hoc, quòd sit pulchra, quàm bona, videtur plus amare alterius vtilitatem, quàm suam Si enim pulchra fuerit, alijs pulchra erit. Pulchritudo enim eius alienos oculos pascit. Si autem bona fuerit, sibi bona erit. Prouerbiorum 9. *Si sapiens fueris, tibimetipsi eris*

Quantis, & quot personis noceat superbus habitus.

VNdecimò, potest esse culpabilis ornatus mulieris, quia multis nocet. Primò, nocet vire suo, quem interficit spiritualiter, dans ei occasionem, quòd vsurarius fit vel raptor. Secundò, nocet illis, quibus debuit restitu: quòd præcipuè verum est in vxoribus vsurariorum & raptorum. Tertiò, nocet ipsi mulieri. Et hoc multis modis. Primò, quia ei materia est infirmitatis magnæ, scilicet superbiæ. Secundò, quia aufert sibi illud, vnde debuit redimere animam suam morti æternæ condemnatum. Tertiò, quia aufert ei tempus quod debuit expendere in seruitio Dei. Nec est paruum damnum, cùm tempus res prætiosissima sit. Vnde Bernardus. Nihil prætiosius tempore: sed heu nihil hodie vilius reputatur. Quartò, aufert ei orationes quas facit in Ecclesia. Non enim exaudit Deus orationes quas facit mulier ipsa superbè ornata, cùm ipsa filios Dei occidat ex alia parte, ostentione incautæ suæ pulchritudinis. Vnde super illud 1. ad Tim. 2. *Non in tortis crinibus, &c.* dicit Gloss. Superbus habitus non impetrat. Non est paruum damnum mulieri, quæ pauper est spiritualiter, si orationes, quas in Ecclesia facit, amittat. Orationes enim sunt magna pars bonorum, quæ ipsa facit: frequenter potius vtile esset eis humiliter esse in domo, quàm superbè in Ecclesia. Si aliqua mulier esset, quæ in nulla solemnitate iret ad Ecclesiam, ipsa reputaretur hæretica. Quid ergo est de ea, quæ facit quod deterius est? Quomodo talis mulier remissionem peccatorum suorum consequetur, quæ in Ecclesia Deum offendit, vbi eum placare debuit? Quintò, nocet ei superbus habitus, quia bonam famam aufert ei. Vnde super illud 1. ad Tim. 2. *Non in tortis crinibus, &c.* dicit Glo. Superbus habitus non recta facit de se credi. Sextò, nocet ei, quia facit eam solicitari sicut equus. Ex quo enim equus habet signum venalitatis in fronte, nõ quæritur vtrùm sit venalis, sed pro constanti habetur, & de prætio quæritur. Sic mulier habens ornatum meretricium, solicitatur, & solicitata, nisi valdè fortis sit, facilè labitur: quia casta est, quam nemo rogauit, vt ait Poëta. Quartò, nocet superbus ornatus aliis mulieribus, quia ministrat eis exemplum superbiæ Dat etiam eis occasionem inuidiæ & discordiæ ad viros earum, & quandoque occasionem adulterii: quia quando non possunt habere

similes ornatus à viris suis, rixantur cum eis, & quandoque eos habere voluit ab alijs viris, & sic adulterium committunt. Quintò, nocet maritis aliarum mulierum. Reddit enim eis vxores eorum molestas, & quandoque aufert eas illis. Sextò, nocet Domino, cuius templum exurit. Templū Dei est vnusquisque fidelis. Plus diligit Deus vnum templū spirituale, quàm omnia templa materialia mundi: vnde magna Dei offensio est, incendere huiusmodi templa. Septimò, nocet sanctis, quia festa eorum non obseruant mulieres, quæ sic se ornant, quia tunc magis peccant, quàm in alijs diebus, cùm magis superbè se habeant. Tunc etiam quandoque violant festa, præparādo ornatus suos. Octauò, nocet angelis, quia filios Dei, in eorū positos custodia occidunt. Ideò dicitur 1. ad Corinth. 11. quòd mulier debet habere velamen super caput suum propter Angelos, ne scilicet offendat Angelos, occidendo homines quos ipsi custodiunt: Et vt breuiter dicam, Deo & Angelis eius non timent contumeliam facere etiam in Ecclesia quando corpus Christi præsens est, & Angeli assunt, & populus ibi est congregatus, scilicet quando Missa celebratur. Quòd Angeli ibi assint, patet ex verbis Gregorii sic dicentis: Quis fidelium dubium habere possit in ipsa immolationis hora, ad vocem sacerdotis cælos aperiri, atque in illo Christi mysterio choros Angelorum adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi. Et super illud 1. ad Corinth. 12. Vbi dicit Apostolus, quòd mulier debet habere velamen super caput, dicit Glossa, Angelici spiritus nobis adesse credendi sūt, maximè cum diuinis obsequijs mancipemur: id est, cùm Ecclesiam ingressi lectionibus sacris autem accomodamus, vel psalmodiæ operam damus, vel orationi incumbimus, vel Missarum solennia celebramus. Ideò monet Apostolus velamen habere propter Angelos. Nec dubitari debet, vbi Dominici Corporis & Sanguinis mysteria geruntur, supernorum ciuium conuentus adesse, qui monumentum, quo venerabile corpus positum fuerat, & vnde resurgendo abscesserat, tam sedulis excubiis seruabant.

Quòd habitus mulierum se ornantium est culpabilis, propter intentionem multiplicem.

VLtimò, potest esse culpabilis ornatus propter intentionem. Multiplex potest esse intentio mulierum ornantium se. Quædam enim ornant se, vt concupiscantur ab aliis, quàm à viris suis, quod cōstat esse mortale peccatum, licet non habeant voluntatē consentiendi illis, qui eas concupiscunt: quia secundùm Augustinum, non solùm appetere, sed etiam appeti velle, criminosum est. Aliæ verò ornant se ex superbia, vt pulchriores sint aliis, vel saltem non excedantur ab aliis, vel ex amore vanæ gloriæ & laudis, vt dicatur quòd ipse sint pulchræ. Istæ videntur multùm impiæ esse, non curantes de morte fratrū suorum, dum solùm habeant ventum vanitatis, vt pulchræ reputentur. Non videtur quòd tales mulieres charitatem habeant: quia verba vanæ laudis chariora habēt, quàm fratres suos. Aliæ verò ideò se ornant, vt viris suis placeant: vt sic contineant ab aliis mulieribus. Sed de talibus accidit, quòd sic quandoque occidunt eos spiritualiter, dum dant eis occasionem quòd nimis ament eas, quia nimius amator vxoris propriæ, adulter est, sicut dicit Ambr. Ex quo amor iste non fit citra Deum, iam iudicatur peccatum mortale. Præterea, si ornatu suo velut quodam rete vult capere virum suum, ne capiatur ab aliis mulieribus, quare illud rete expandit vbi non est vir eius? Multæ enim potius ornant se, quando prodeunt in publicum, quàm quando sunt cum viris suis in domo. Tales simi-

sunt illis, qui se dicunt velle capere aues syluestres, & capiunt domesticas. Prætereà, sicut mulier cauet ne perdat virum suum, sicut vir debet cauere vxorem suam. Vnde debet cauere, ne ipsa immoderaté ornata sicut murilegus syluestris efficiatur & fugiat. Sicut enim murilegus syluestris fugit, quãdo habet pulchram pellem, & quandoque hac de causa amittitur. Aliquis enim propter pulchram pellem vellet eum habere. Sic mulier ornata libentiùs vadit ad spectacula, vt ab aliquo concupiscatur, & à viro quandoque amittitur. Potius deberet velle vir, eam habere minus pulchram, quàm habere pulchriorem. Item si non placet viro, quòd vultures, id est, luxuriosi, sequãtur vxorem suam, quare vult eam esse absque pelle conuersationis honestæ. Item, cũm non vult vxorem suam meretricem esse, quare vult eam similem meretrici esse, & in habitu meretricio? De hoc habitu legitur Prouerb. 7. *Ecce occurrit ei mulier in ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas.* Et cùm ex hoc verbo constet aliquem ornatum meretricium esse, non video quid sit meretricius habitus, nisi croceus sit, & similia, Ezechielis decimosexto: *Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es.* Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ. Solent caupones in domibus suis ex diuersis partibus circulos ponere, quando diuersæ viæ sunt circa domum, vt transentes per quamcunque viam sciant ibi vinum esse venale. Sic fatuæ mulieres signa venalitatis ponunt in capite, in pedibus, & in brachijs, & tamen se dicunt esse castas, castitatem amare, volentes, quòd magis credatur vni testi assueto mendacijs, quàm multis testibus veris, qui mentiri non nouerunt. Testis assuetus mendaciis, lingua est earum. Testes veri sunt cætera membra, quæ impudicitiam ostendunt. Hieronymus: Aut loquendum nobis est, vt vestiti sumus, aut vestiendum, vt loquimur. Quòd autem pollicemur, & aliud ostendimus, lingua personat castitatem, & totum corpus profert impudicitiam. Deberet esse mulier viro suo adiutorium salutis. 2. *Non est bonum hominem esse solum: faciamus adiutorium ei simile sibi.* Similiter & vir debet vxorem iuuare, vt saluari possit. Et cùm mulieres, vt sæpius pronæ sint ad nimium amorem pulchritudinis, & gloriam ornatus, vir debet iuuare in hac parte & cohibere eam ab ornatu inhonesto. Pronitas ista mulierum ad gloriam ornatus insinuatur Matt. 25. de decem virginibus, quarum quinque, quæ laudem quæsierunt, cælestem ianuam clausam inuenerunt. Similiter cùm viri proni sint ad nimium amorem diuitiarum, qua habent prouidere familiis suis, vxores debent iuuare eos & prohibere à cupiditatibus suis, & dicere eis se contentas esse paruo victu & humili vestitu, si ipsi cessauerint ab vsuris, & & aliis generibus cupiditatum. Sed heu hodie remediũ versum est in venenum. Vxores enim impellunt viros ad infernum, dando eis occasionem malè acquirendi, dum superfluas expensas ab eis requirunt. Viri etiam impellunt vxores ad infernum, dum eas consentire faciunt vsuris suis, & dum non permittunt eas facere bonum, quod ipsæ possent. Vnde hodie quantum ad personas multas, societas coniugalis est quasi complexus spinarum, quæ simul in ignem mittuntur, quia non possunt separari. Est etiam velut complexus aliquorum simul se inuicem submergentium.

De mulieribus ostentantibus se.

MVlieres pulchritudinem suam per vicos in Ecclesia ostendentes, sunt incendiariæ sacrorum locorum, scilicet virorum: quilibet enim fidelis est templum opere Spiritus sancti in baptismo dedicatum: sicut dicit glossa super illud primo ad Corinthios tertio: Tem-

plum Dei sanctum est, quod estis vos. Ipsæ etiam sunt homicidæ fratrum suorum, & filiorum Dei. Sunt etiam venatrices diaboli in filios Dei ad mortem. Diabolus etiam vtitur eis tanquam esca ad capiendos viros, sicut cum cattis & aliis vilibus animalibus excoriatis vultures solent capi. Vtitur etiam eis tanquam laqueis. Vnde Eccl. 7. *Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est.* Vnde legitur, quòd beatus Bernardus, cùm quædam soror eius venisset cum superbo habitu ad Abbatiam in qua ipse erat, noluit exire ad eam, asserens eam esse rete diaboli. Quæ confusa & compuncta, mandauit ei, vt non despiceret animā eius, etsi carnem despiciebat, parata tamē erat in omnibus facere voluntatem eius. Quo audito, vir sanctus, gaudens venit ad eā, præcipiens ei, vt illum superbū habitum de cætero non portaret. Quæ illi acquiescens, ita mutata est, vt homines eius mutationem mirarentur. Vtitur etiam diabolus eis tanquam gladio ad occidendum filios Dei. Etiamsi dicat aliqua se non habere malam intentionem. Respondeo, quòd neque gladius malā intentionem habet, quādo ab illo aliquis occiditur, sed vtēs illo, habet ibi malam intentionem. Sic diabolus qui vtitur his mulieribus ornatis, tanquam gladio, ibi malam habet intentionem. Et licet etiam nullus haberet malam intentionem, nihilominus tamen mortuus esset, qui occisus esset, & secundùm leges, qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur. Dicitur etiam Exodi 21. *Si quis aperuerit cisternā & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos vel asinus in eam, reddet dominus cisternæ pretium iumentorū.* Cisterna quæ habet aquam ad remedium sitis, incautis tamen potest esse occasio mortis vel præcipitij. Sic vxor etiam alicuius, quæ viro suo est remedium fornicationis, aliis potest esse occasio mortis. Sic etiam vocat Salomon vxorem, Prouerbiorum quinto: vbi sic legitur: *Bibe aquam de cisterna tua:* id est, de propria vxore. Hæc cisterna appetitur, quando mulier nimium ornatur. In eam verò, non coopertam, bos vel asinus cadit, quando ostēsione pulchritudinis, quam mulier incautè ostendit, aliquis perit. In hoc casu anima pereuntis de manu mulieris requiritur. Si quis incautè deferendo ignem domum aliquam incendat, nonne tenebitur ad emendā? Quomodo ergo innocens erit, quæ pulchritudinem suam incautè ostēndendo domos spirituales exurit? Quædam etiam ideò se ornant, quia erubescunt non deferre ornatus, quos deferre consueuerunt, vel quos aliæ mulieres deferunt: vel quia timent ad hominibus derideri, si ornatus tales dimiserint.

CAPVT XV.

De bona erubescentia, & eius commendatione: & quòd peccatum sit valdè erubescibile.

ET quia verecundia hæc multùm nocet Ecclesiæ Dei, ideò tractabimus hîc de verecundia. Et quia quædam verecundia bona est, & quædam mala est, iuxta illud Eccles. 4. *Est confusio adducēs peccatum, & est confusio adducens gloriam.* Primò, de bona erubescentia dicemus. Secundò de mala. Tertiò, tangemus de irridentibus eos, qui benè faciunt. Notandum ergo, quòd erubescentia bona est quoddam frænum, quo aliquis regitur in viam paradisi. Dum aliquis habet frænum istud, sperari potest de eius correctione. Vnde Sapiens: Erubescentia salua res est. Ad commendationem eius erubescentiæ facit illud Ecclesiastici 20. *Ante grandinem præibit coruscatio, & ante verecundiam præibit gratia.* Præcipuè verecundia placet in mulieribus. Ecclesiastici septimo: *Gratia verecūdiæ mulieris sensatæ super aurum.* Verecundia etiam

Erubesc. centia bona & mala quæ sit.

specialiter placet Deo in pœnitentibus. Vnde Bernardus : Quantum displicet Deo impudentia peccatoris, tantú placet erubescentia pœnitentis. De non habente erubescentiam legitur Ieremiæ 3. *Frõs mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* & Esaiæ 3. dicitur de non habentibus erubescentiam istam: *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.* Legitur etiam Ieremiæ 6. *Confusi sunt, quia abominatinem fecerunt, quin potius confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt.* Verè erubescere nescit, qui de peccato non erubescit. Peccatum enim valdè erubescibile est, Magis erubescibile est peccatum quam nuditas totius corporis, quod patet, quia peccatum nuditatem fecit erubescibilem. Parentes enim nostri non erubescebant ante peccatum, licet essent nudi. Vnde cùm illud propter quod aliquid est tale, magis erit tale: magis erubescibile videtur esse peccatum, quàm nuditas. Prætereà, quum erubescentia sit fuga rei indecẽtis, peccatum autem indecentius sit, quàm aliquid aliud, quod sit in mundo, cùm sit opus diaboli, & ipso amoto. omnia decentia essent, constat magis erubescibile esse: imò comparatione ipsius, alia non sunt erubescibilia. Vnde dicit Gregorius de Maria Magdalena: Quia semetipsam grauiter erubescebat intus, nihil esse credidit, quod verecundaretur foris. Prætereà peccatum est immunditia, & comparatione ipsius, immunditia corporalis non reputatur immunditia. Matt. 15. *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.* Et quibusdam interpositis subditur: *Non lotis manibus mãducare, non coinquinat hominẽ.* Est etiam peccatum abominatio magna. Vnde Psalmista: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt.* Psal 13. Vnde patet peccatum valdè erubescibile esse. Multis autem aliis modis ostendi potest quòd peccatum sit valdè erubescibile: & quia reddit hominem proditorem apud Deum, & quia facit eum valdè vilem: facit etiam inferiorem brutis animalibus, quæ tantùm vnam mortem soluunt: sed peccator debitor est duplicis mortis, & quia peccatum est finis, quo quis in inferno suspendatur: non habet diabolus vnde hominem suspendat, nisi ipsemet funem istum ei attulerit. Est etiam peccatum illud, cum quo fustigabitur homo in die iudicij, coram toto mundo. Thren. 1. *Vigilauit iugum iniquitatum mearum, in manu eius conuolutæ sunt, & imposita collo meo*

De sexdecim erubescibilibus.

Illa de quibus erubescendum est enumerantur nobis. Ecclesi. 41. *Erubescite à patre, & à matre de fornicatione &c.* Et sunt sexdecim, quæ ibi tanguntur, de quibus multùm erubescere debemus. Et ponitur primò, fornicatio, quæ quadruplici ratione valdè erubescibilis est: qui tam vilium membrorum, & quia anima & corpus in ea maculantur, & quia mulier ibi venditur, dat animã suam quandoque pro duobus denarijs diabolo, & corpus peccatori: nõ faceret tale forum de sècularibus suis. Notabiliter etiam dicit: Erubescite à patre & matre. Pater est Deus, & Ecclesia est mater, de quibus debet multùm erubescere fornicãs. Potest multùm erubescere filia diuitis dum fornicatur, quia pater suus poterat eam honorificè maritare. Nõne erubescere debet filia Dei de tanto patre, si fornicetur, cùm ipse possit eam maritare? A præsidente & à potente demum erubescere debet homo de mendacio? *quia potior est fur, quàm assiduitas viri mendacis*, vt legitur Ecclesi. 29. & quia mentiens non seruat fidem, licet velit sibi fidem adhiberi, & fallit eum qui confidit in eo: erubescendum est enim propter Deum præsidentẽ: id id est, præsentem, & potentem vindictam sumere de mentiente, & potest illud intelligi specialiter de mendacio promissionis in baptismate

mate factæ. Tertiò, erubescendum est de delicto: id est, de negligentia & pigritia. Seneca: Turpissima est iactura, quæ per negligentiam fit Eccl. 22. *In lapide luteo lapidabitur piger.* A principe autem ideò erubescendum est de delicto, quia multùm displicet ei pigritia serui, sicut velocitas multùm placet. Et Prouerb. 22. *Vidisti virum velocem in opere suo, coram rege stabit.* Præcipuè tamen à summo principe erubescendum est de delicto, & ab illo iudice oui cuncta aperta sunt. Et cuncta quæ fiunt adducet in iudicium, & de quolibet momento temporis negligẽter expenso exiget rationé. Quartò, erubescendum est de iniquitate à synagoga & plebe. Et primò, hoc quod homo sibi iniquè appropriat quod debet esse commune: vt faciunt vsurarii, qui tempus omnibus commune sibi appropriãt, quòd Dominus voluit ab omnibus æqualiter possideri. Et mali dispensatores qui sibi retinẽt quod pauperibus debent diuidere, quibus dicitur Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis*: id est, de pecunia iniquè vel inæqualiter detenta. Quintò erubescendum est à socio & amico, de iniustitia: id est, hoc quod iniustè agit erga socium & amicum. Hoc valdè iniquum est. Pro. 3. *Ne moliaris amico tuo malũ, cùm in te habeat fiduciam.* Sextò, erubescendum est de furto. Tob. 2. *Non licet nobis aliquid edere de furto, aut contingere.* Et præcipuè erubescendum est, si quis furtum fecerit, vel sustinuerit fieri in loco in quo ipse habitat. Septimò, erubescendum est de veritate Dei & testimonio: id est, de veritate quàm Deus docuit, & tot testimoniis confirmauit, si aliquis illi fidem non adhibuit. Octauò, erubescendum est de discubitu in panibus, si quis se inhonestè habuerit, vel si ei, ad cuius mensam comedit, fidem posteà non seruauerit. Sicut faciunt illi, qui postquam ad mensam Domini sederunt, vel spiritualiter vel temporaliter, non timent ei contumeliam inferre. Nono, erubescendum est ab offuscatione dati & accepti. Datum offuscat, qui cum tristitia dat. Eccl. 35. In omni dato hilarem fac vultum. Vel qui dat cum dilatione. Prou. 3. *Ne dicas amico tuo, Vade & reuertere. Cras enim tibi dabo: cùm statim possis dare.* Datum etiã offuscat, qui illud extollit. Potius enim debet qui dat donum, diminuere, quàm extollere. Vnde Gen. 33. dicit Iacob ad Esau: *Si inueni gratiã in oculis tuis, accipe munusculũ de manu mea.* Acceptum etiam obfuscat qui de beneficio est ingratus, vel ipsum attenuando, vel obliuioni tradendo. Seneca: Lex beneficii est, quod alter obliuisci debet dati, alter debet memor esse accepti. Cato: *Exiguũ munus, cũ det tibi pauper amicus, Accipito placidè, plenè, & laudare memẽto.* Decimo, erubescendum est à salutantibus de silentio. Quod in duobus casibus præcipuè intelligendum est, scilicet quando aliquis non vult redere salutem aliqui causa superbiæ vel causa odii. Sapiens: Saluta libenter. Eccl. 22. *Amicum salutare non confundaris, & à facie illius non te abscõdas.* Nec obstat illud Luc. 10. *Neminem per viam salutaueritis.* Et illud 4. Reg. 4. quod dixit Elizęus ad Giezi: *Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutauerit te, ne respondeas ei.* Per hoc enim prohibetur prolixitas vel curiositas salutationis. Quod autem bonum sit salutare, patet per illud Matt. 10. *Intrantes autem domum, salutate eam.* Vndecimo, erubescendum est à respectu mulieris fornicariæ. Quia secundùm August. Impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Duodecimo, erubescendum est ab auersione vultus cognati: quia sicut legitur 1. ad Tim. 5. *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Nec solum erubescendum est ab auersione vultus cognati, sed etiam proximi, præcipuè pauperis. Vnde Tob. 4. *Nolite auertere faciem tuam ab vllo paupere. Ita enim fiet,*

vt nec à te auertatur facies Domini. Vnde sequitur in verbo proposito Eccles. 4. *Ne auertas faciem à proximo tuo.* Tertiodecimò, erubescendum est ab auferendo partem & non restituendo: Sicut enim valdè honorabile est dare, sic erubescibile valdè est auferre, & præcipuè fratri suo fideli, scilicet partem, quam pater cælestis dedit ei de rebus huius mundi. Specialiter autem non restituere ablata, videtur esse erubescibile vsurariis & raptoribus, qui cùm sint iam condemnati suspendio inferni, pro malè acquisitis, potius volũt retinere & suspendi, quàm reddere & liberari. In quo sunt peiores latronibus, qui omnia libenter restituerent, si scirent se per hoc posse liberari.

Quarto decimò, à respectu mulieris alieni viri. Periculosus est enim valdè respectus talis. Ipse respectus fuit occasio Dauid adulterii & homicidii, vt dicitur 2. Reg. 11. Nec solùm à respectu isto erubescendum est, sed etiam à quacunque familiaritate, vel ad ipsam, vel ad ancillam eius, vnde possit oriri mala suspicio. Vnde sequitur: *Ne scruteris ancillam eius, & ne steteris ad lectum eius.*

Quinto-decimò, erubescendum est ab amicis de sermonibus improperii. Et si amicus debet arguere amicum, tamen absque improperio. Tull. in tract. de Amicitia: Monere & moneri est officium veræ amicitiæ: Ita tamen quòd adulatione careat admonitio, & contumelia careat obiurgatio. Sexto-decimò, erubescendum est ab improperatione dati. Imitari debet illum, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; vt legitur Iacobi, 1. De fatuo verò legitur Eccl. 20. *Exigua dabit, & multũ improperabit. Qui enim nõ erubescit malè agere, est sicut equus absque fræno, qui de facili regi non potest.* Duo solebant homines cohibere à malo, scilicet timor Dei, & pudor mundi. Sed timor Dei multos iam parum cohibet à malo. Benignitate enim Dei, & misericordia abutuntur homines malè agentes, quia Deus benignè eos ad pœnitentiam expectat, Ecclesiast. 8. Quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filii hominum perpetrant mala. Non attendentes quòd misericordia ista super exaltat iudicium: iuxta verbum Iac. 2. *Quia quanto misericordius hic parcit, tanto iustitia in futuro duriùs ferit.* vt dicit Hieronym. Quantò amplius malleus eleuatur, tanto posteà durius percutit, & quanto arcus plus curuatur, tantò vehementius sagittam emittit. Similiter se habet iustitia Dei. Aug. Lento gradu diuina procedit seueritas, sed tarditatem compẽsat grauitas. Pudor etiam iam potius impellit homines ad malum, quàm cohibeat à malo: quia qui solebant erubescere malè agere, iam erubescunt bene facere.

Cap. XVI.

De mala erubescentia, & eius detestatione.

De erubescentia mala, hoc modo dicemus. Primò, ponemus ea quæ possunt valere ad detestationem erubescentiæ malæ. Secundò, ponemus remedia, quibus vti possumus cõtra eam. Primo, valere potest ad detestationem eius, si ostendatur quanta sit timiditas eorum & ignorantia, qui propter erubescentiam non audent bene facere. Ipsi sunt sicut equi vmbram timentes. Vera mala non sunt præsentis vitæ, sed futuræ. Præsentia enim mala sunt sicut vmbra futurorum. Vnde qui erubescentiam præsentem timent, & non futuram, ipsi timent vmbram, non veritatem. *Trepidauerunt,* ait Dauid, *timore, vbi non erat timor.* Ipsi etiam sunt sicut paruuli qui terrentur latratu catulorum, qui mordere nõn possunt. Senec. Authoritatem habemus senum & vitia puerorum. Non puerorum tantùm, sed etiam infantium. Illi leuia formidant, hi falsa, nos vtraque. Leuia formidant, qui verba irrisorum formi-

dant, qui reputant dedecus quod in veritate est honor. Mundus iste est velut catulus latrans irrisionibus contra eos qui benè agunt: sed mordere nescit, quia non eos percutit, & cùm satis latrauerit, tacebit. O quàm strenui milites sunt! qui propter latratum relinquũt domum suam! sed benè relinquerẽt eam, si viderent milites armatos insequentes se. Si aliquis de militibus Regis Franciæ, ipso petente debitum seruitiũ ab eo, diceret se non audere ei seruire, quia homines inde loquerentur: friuola & ridiculosa reputaretur eius excusatio. Sic friuola est excusatio illorum, qui propter verba hominũ dimittunt seruire Deo, Ipsi etiam sunt timidi vt lepores. Vtinam tamen essent leporibus in alijs similes. Lepusculus plebs inualida collocat in petra cubile suum, vt legitur Prou. 30. Labia habet in motu, aures longas, pedes veloces. Timor enim addit alas pedibus. Sic facere debet qui debilem se nouit. In petra cubile collocat, qui in petra Christo fiduciam habet. Labia habet in motu, qui sæpè orat. Longas habet aures, qui iuxta verbum Iacob. 1. velox est ad audiendum, & tardus ad loquendum, ad respondendum scilicet opprobriis, quæ sibi dicũtur. Pedes veloces habet, quem timor Dei occupat: *Quia qui timet Deũ, nihil negligit.* vt legitur Eccl. 7. Causa huius timoris est duplex. Prima est amor placendi mundo. Desines timere, si desperare desieris. Contra tales qui volunt placere mũdo, dicitur Iacob. 4. *Adulteri, nescitis quia amicitia huius mũdi, inimica est Deo.* Quicũque ergo voluerit amicus huius sæculi esse, inimicus constituitur Dei. Psalm. *Confusi sunt, qui hominibus placent, quoniam Deus spernit eos.* Psal. 52. Et Apost. ad Gal. 1. *Si hominibus placerẽ, Christi seruus non essem.* Secunda causa potest esse hæc, quòd Deus forsitan recesserit ab eis. Vix enim posset esse tanta timiditas in eo, cum quo esset Deus. Psal. 21. Psal. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es:* quòd autem aliquis timidus fiat, postquam Dominus recesserit ab eo, patet ex eo quòd Cain caput tremulum habuit, & adeò timidus fuit, vt Domino diceret: *Omnis qui inuenerit me, occidet me.* Genesis. 4. Ad idem facit illud Leuitici 26. *Si spreueritis leges meas & iudicia mea contempseritis, vt non faciatis ea quæ à me cõstituta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum: ego quoque hæc faciam vobis. Corruetis coram hostibus vestris, & subiiciemni his qui oderunt vos fugietis nemine persequente.* Tanta timiditas est erubescentium, quòd ex hoc quod sunt coram hostibus suis corruunt. Non enim possunt sustinere aspectum irridentium. Imò, sicut fluit cera à facie ignis, & nix à facie solis: sic corda erubescentium defluunt à facie irridentium. Ipsa etiam subditi sunt hostibus suis. Cùm enim irrisores sint hostes eorum, ipsi facere non auderent quod eis displiceat: quod tamen deberent libentius facere, quàm quod eis placeret. Erubescentes etiam fugiunt, nemine persequente. Irrisor enim non persequitur, sed obsequitur. Ministrat enim materiam, vnde corona æterna fabricetur, irrisiones enim sunt velut aurum & argentum, & lapides prætiosi, ex quibus fit corona paradisi, Prou. 33. *Fugit impius, nemine persequente.* Mala pœnæ quidam succursus sunt à Deo, missi contra mala culpæ. Mira fatuitas! quòd homines fugiunt mala pœnæ, & sequuntur mala culpæ. Succursum à Deo missum timent & fugiunt, & mortem suam sequuntur, scilicet peccatum. Ecclesiastici vigesimo-primo: *Quasi à facie colubri fuge peccatum.* Et subditur: *Dentes leonis dentes eius. interficientes animas hominum.* Item de timore eorum, quos deseruit Dominus, dicitur Leuitici vigesimo sexto: *Terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugiunt quasi gladium. Cadent, nullo persequẽte, & corruent singuli super fratres suos.*

Folium volans est verbum irrisionis, quod terret homines erubescentes. Folium illud plus timent quam Dei gladiũ, qui paratus est interficere eos. Deut. 33. *Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicum manus mea, reddam vltionem hostibus meis*. Et Iob 19. *Fugite à facie gladii, quia vltor iniquitatis est gladius*. Exod. 15. *Euaginabo gladium meum, & interficiet eos manus mea*. Dicunt erubescentes: quid dicerent de me, si hoc facerem? tamen non attendunt, quid fiet de eis, si hoc non fecerint. Plus dicta hominum timent, quàm facta Dei: & plus timent verba hominum, quàm gladium Dei euaginatũm. Dicit erubescẽs: Non possum pati vt hoc de me dicatur: non erubescit confiteri tantam ignauiam de se, quod tam facilè sibilis hominum deiiciatur: verè de illis est de quibus dicit Psalm. *Non sic impii, non sic, sed tanquam puluis quem proiicit, &c.*

De triplici fatuitate erubescentium bene agere.

SEcundò, potest valere ad detestationem erubescentiæ malæ, si ostendatur quanta sit fatuitas eorum, qui erubescunt benè agere: quæ fatuitas primò potest ostendi per hoc, quòd ipsi permittunt se vinci ab irrisoribus, quos tamen facilè vincere possint, quia solùm taciturnitate vincerentur irrisores. Esa. 30. *In silentio & spe erit fortitudo tua*: si enim qui irridentur, tacerẽt & animum haberent ad mercedem quam expectant pro tolerantia irrisorum, cõfusi essent irrisores. Sidonius: Garrulo nõ respondere, conuitium est. Sicut enim garrulus vincitur à non respondente, atque contra ignem pugnandũ est aqua, cùm sit ei contraria, sic taciturnitate pugnandum est contra garrulitatem. Cogitare debet erubescens quando irridetur, quòd plus potest audire duabus auribus, quàm irrisor loqui vno ore. Sapiens: Vnum os à natura, & duas aures accipimus. Ac si diceret: Plus debemus audire, quàm loqui. Poeta: Quis labor est, inquam, quàm tacuisse minor? Secundò, quia timent ab eis irrideri, qui irrisione sunt digni. Quando mali irrident bonos de bonis operibus, quæ agunt, idem est, ac si cæci irriderent, videntes de hoc quòd ipsi vident, & claudi rectè incedentes. Ideo, ipsa irrisio irridenda est. Seneca: Æquo animo audienda sunt imperitorum conuitia, Contemnendus est ipse contemptus. Quis sanæ mentis, non contemnat claudicantem, si videat se irrideri ab ipso, eo quod rectè incedat? Et quis talem non iudicet fatuum, si ideo claudicanti velit assimilari, quod ab eo deridetur? Deridendi sunt ergò derisores, non imitandi. Quidam senex in vitis Patrum ait: Aut fuge homines, aut irrideas mundum, aut quæ in mundo sunt. Stultum facit teipsum in pluribus. Si dicat aliquis, quod derisio malorũ præualebit, quia plures sũt. Respondeo, quia Deus & sancti sui iuuabũt bonos, irridendo malos. Psalm. *Qui habitat in cælis irridebit eos*. Et iterùm: *Videbunt iusti & non timebunt, & super eum ridebũt, &c.* Non est vituperium Solis, quod noctua nõ appretiat, vel aspiciat eum: nec vituperiũ auri & argenti, quod iumenta non appretiant ea. Iumenta enim nesciunt æstimare nisi fœnum & similia. Et porci, nisi furfur, & similia. Sic non est vituperiũ bonorũ, si à malis deridentur, Mali. n. sunt velut noctuæ. Vnde Boët. de eis dicit: Hi sunt similes auibus, quantum oculus nox illuminat, & lux cæcat. Non est curandum de vituperio eorum, qui dicunt malum bonum, & bonum malum. Esa. 5. *Væ qui dicitis malũ bonum, & bonum malum, &c.* Ipsi etiã sunt sicut iumenta, qui viros sanctos, qui sunt velut aurũ & argentũ, & lapides prætiosi despiciunt. Vnde Prou. 14. *Ambulans recto itinere & timens Deũ, despicitur ab eo, qui infami graditur via*. Et 29. *Abominantur impii eos, qui in recta via sunt*. Aristippus

cùm quidã ei diceret: Homines te contemnũt, inquit, Et illos asini. Sed nec illi asinos, nec illos ego curo. Vituperiũ talium laus est, & laus vituperium. De primo dicit Sen. Malis displicere, laudari est. Nõ potest sentẽtia vlla auctoritatem habere, vbi qui damnatus est, damnat. De secũdo etiã dicit Sen. Tam turpe sit tibi laudari à turpibus, quam si lauderis ob turpia. Tertiò, potest ostendi fatuitas erubescentiũ per hoc, quòd ipsi erubescunt de hoc, vnde gloriari deberẽt, dum erubescũt benè agere, eo quòd cõsueuerũt malè agere, vel quia vident alios malè agere. Hoc enim valde gloriosum est, quum aliquis bene agit inter male agentes: vel vitare illum qui male agere consueuit. Tales sunt similes illi qui erubescere de hoc quòd de naufragio euasisset, vel de hoc quòd nõ fecisset, sicut facere solitus esset, vel de hoc quòd sanus esset, aliis existẽtib⁹ leprosis, vel mũdus aliis inquinatis. Tales derisiones nõ solũ nõ sunt timẽdæ, sed etiã appetẽdæ. Sen. Nondũ felix es, si nõdũ turba deridet te. Et Domin. Matt. 5. *Beati eritis, cũm maledixerint vobis homines, & persecuti fuerint, & dixerint omne malũ aduersũ vos mẽtientes propter me.* Quando quis vituperatur, vel laudatur, 1. debet attendere quis est qui eũ laudat vel vituperat, & tũc placeat ei laus, vel displiceat vituperiũ. Sen. Non quã multis, sed quibus placeat cogitatio.

Quòd erubescentes de bono, se malè habeant ad Deum.

TErtiò, valere potest ad detestationẽ erubescentiæ, si ostendatur, quàm malè & iniquè se habeant erubescentes ad Deũ, & ad ea quæ Dei sunt. Ad Deum malè se habens tripliciter, & in quantum Dominus est, & inquantum Pater est, & inquantũ sponsus animę est. Inquantum Dominus est, dum ipse erubescit Dominum cõfiteri, diabolũ autem non erubescit confiteri dominum, seruitiũ diaboli manifestè faciendo, Nulla enim certior Domini confessio, quàm seruitii redditio. Si autẽ Deũ Dominũ habet, non tamen vt primum maiorem, sed vt secundum. Solũ enim seruitiũ vult ei reddere, in quo mundus præbet assensum, nõ attendẽs quòd Deus rex est, & regaliter & libere vult dominari. Erubescentes adeò negauerunt Christũ, quòd nec etiam leui signo volũt videri eius discipuli. Erubescentes signa diaboli liberè portant, vexillum verò Christi non volunt portare, nisi occultè, nõ attendentes illud Ier. 4. *Leuate signũ in Sion & cõfortamini.* Et eius. 6. *Leuate vexillũ, &c.* Inquantum Pater, se malè habet erubescens ad Deum, dum eũ negat. Vix aliquis negat patrẽ suum, licet peuperem. Quantã ergo contumeliã facit tãto patri qui eum negat? Meritò ipse negabitur ab eo. Vnde Matt. 10. *Qui autẽ me negauerit corã hominib⁹, & negabo eũ, &c.* Ita accidit fatuo erubescẽti, sicut accidit cuidã scholari, quicùm esset indutus pretiosis vestibus, & à sociis suis honoratus, cùm visitasset eum pater suus in humili habitu, timens ne socii contemnerent eum, si scirent eum habere talem patrem, rogauit patrẽ, vt nullo modo se indicaret eis; & simulans ipsum esse vnum de seruientibus patris sui, fecit eum comedere cum gartione domus. Quod pater patienter sustinuit. Sed cùm finito prandio, scholaris duxisset eum in cameram suã secreto, & quæsisset ab eo quid ei attulisset; ostendit ei pater denarios quos attulerat, asserẽs, quòd nec vllum de illis haberet. Tu negasti me fili, ait pater, & ego nego te: de cætero non comedes vel bibes de eo quod tibi mittã. Erubescẽs etiã malè se habet ad Deũ, inquantum Deus spõsus est animæ dum de tanto spõso erubescit. O anima! non est ita ignobilis iste spõsus, vt de eius ignobilitate erubescas? De nobilitate eius legitur Prou. vlt. *Nobilis in portis vir eius, quãdo sederit cũ senatoribus terræ.* Non est etiã ita de formis, quòd anima ei⁹ deformitatẽ debeat erubescere. Ps 44. *Specio-*

sus forma præ filiis hominum, & candor est lucis æternæ, vt legitur Sap. 7. *splēdor gloriæ*, & ad Heb. 1. Legitimus etiam sponsus est, non adulter, vt de eo debeat anima erubescere. Sed mira insania! legitimum sponsum confiteri, dedecus creditur, adulterum verò, mundū scilicet absque verecūdia confitētur, scilicet quando dicunt, quòd ideò se ornant, vt mundo placeant. Vnde Ier. 3. *sed quomodo si contemnat mulier amatorē suū, sic contēpsit me domus Israel, dicit Dominus*. Hūc spōsum non erubescebat illa, quæ dicebat: Ipsi sum desponsata, cui Angeli seruiunt cuius pulchritudinem sol & luna mirantur. O anima! spōsus iste te singulari pugna acquisiuit. Ipse est, quem nec mors ab amore tuo separauit. Malè etiam se habet erubescens ad opere bona, dum ea contemnit, & ea facere erubescit. Iniquū est valdè, bona opera inhonorare, à quibus homo sit honoratus. Eccl. 14. *Omne opus electū iustificabitur, & qui operatus illud, honorabitur in illo*: quādo gloria huius mūdi deficiet, tūc gloria dabitur pro bonis. De defectu præsentis gloriæ, dicit Ps. Quoniá cùm interierit, nō sumet omnia: nec descēdet cū eo gloria dom⁹ eius.

Quod bona opera tripliciter glorificent hominem.

Bona opera tripliciter glorificāt hominem. Primò, faciendo ei societatem in morte, quando relinquitur ab amicis carnalibus. Vnde in Apocal. 14. *Opera enim illorum sequuntur illos*. Secundò, ministrando materiam coronæ æternæ. Bernardus. Si pœnitentia nostra crudeli miseratione minuitur, paulatim gemmis corona nostra priuatur. Tertiò verò, ad modum vestimenti hominum decorando. Psal. 44. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*. Vestis deaurata sūt bona opera ex charitate facta. Hæc tria sūt quæ solent hominē facere gloriosū. Honorabilis societas, decor vestium, & nobilitas. Hæc tria, vt ostēsū est, vir iustus ex bonis operibus consequetur. Ad hunc statum peruenit Christiana religio, quòd hodie inter Christianos Christianè viuere opprobriū est: & facilius posset Christianus viuere inter aliquos paganos, quàm inter multos Christianos. Mira insania! Ipsi pagani fidē Christianā honorabilē reputant: ipsi verò Christiani vitā Christianā, à qua fides habet valorē suum opprobrio habent. Bern. Quid diuitis, opus à fide? Iniquius diuidis, fidē tuā perimens. Nam si fides sine operibus mortua est, munus mortuū offers Deo. Idē. Quid fides, quæ non operatur ex dilectione, nisi cadauer exanime? Benè honoras Deum munere fœtido; benè placas Deū fidei tuæ interfector? Iac. 2. Sicut corpus sine spiritu mortuū est, &c. Veritas Christianæ religionis adeo oditur à multis, etiá qui dicunt se Christianos, vt scil. signa eius videre nō possint: quum tamen veritatem deberēt amare super omnē thesaurū terrenū: imò etiá adoranda esset eis veritas ista, quantumcunq; fatuus contemptibilis esset. Vnde Frat. Guido Cartus. Sine aspectu & decore cruci affixa adoranda est veritas. In signum huius osculantur fideles & adorant crucē: multi tamen adorātes crucē exterius, crucem spiritualem interius per contemptum conculcant, & in eam expuūt, & magnū odiū videntur habere ad veritatem Christianæ religionis, qui etiam signis ei bellū indixerunt.

De quatuor remedijs contra malam erubescentiam.

Positis his quę possūt valere ad detestationem erubescentiæ malæ, consequēter tangemus aliquid de remedijs quibus possumus vti cōtra erubescentiá malam. Et sunt 4. meditationes valentes contra erubescentiá malá. Prima meditatio est erubescentiæ, siue opprobrii, quod Chrestus pro nobis sustinuit: quod opprobriū prædixerat Iere. Thre. 3. *Dabit percutiēti se maxillā, saturabitur opprobrijs.*

Si quis benè attenderet opprobrium illud, quod filius Dei pro eo sustinuit, quãdo positus fuit in cruce, paruã reputaret verecundiã, quam pro Christo sustineret. Solemnitas enim Paschæ erat tunc, propter quã de diuersis partibus mundi Iudæi conuenerant in Ierusalem, qui viderunt eum pendentem in cruce. Bernard. Grata ignominia crucis, sed ei qui Crucifixo ingratus nõ est. Et ad Heb. 12. *Per patientiã curramus ad propositũ nobis certamen, aspicientes in auctorẽ fidei & consũmatorẽ Iesũ, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucẽ, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet.* Secũda meditatio est erubescentiæ seu opprobrii, quod sancti sustinuerunt. Vnde ad Heb. 11. *Fide Moyses grãdis factus, negauit se esse filiũ filiæ Pharaonis, magis eligẽs affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iocunditatem, maiores diuitias æstimãs thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Et Act. 5. *Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sũt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Tertia meditatio est illius erubescentiæ, quam patienter in futuro illi qui hîc fugiunt eam. Prou. 10. *Quod timet impius veniet super eum.* Et Iob 6. *Qui timet pruinã irruet super eum nix.* Greg. dicit de illis qui volũt repugnare voluntati Dei. Hinc Dei voluntatem peragunt, vnde eum irritare contendunt, & consilio Dei resistentes obsequũtur: quia hoc dispositioni eius militat, quod per humanum studium reluctatur: qui verecundiam, vel egestatem, vel aliam tribulationem à Deo missam nolunt recipere modo, habebunt in futuro eam longè maiorem. *Tunc veniet quasi viator egestas, & paupertas, quasi vir armatus.* Prou. 6. Tunc non poterit homo effugere, nec ei resistere. De verecundia, quam mali in futuro patientur, legitur Iere. 20. *Confundentur vehementer qui non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam obliuione delebitur,* & 23. *Dabo vos in opprobriũ sempiternum, & in ignominiam æternam, quæ nunquam obliuione delebitur.* Quarta est meditatio illius verecundiæ, de qua Luc. 9. dicit Dominus. *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc filius hominis erubescit, cùm venerit in maiestate sua, & Patris & sanctorũ Angelorũ.* Tunc illi qui contemnunt modo alios, contẽnentur à Deo, vt mors eorũ nõ reputetur, sicut nec mors vnius canis. Ipse. n. Deus ridebit de morte eorũ. Prou. 1. *Ego quoq; in interitu vestro ridebo.*

CAPVT XVII.

De malitia irrisorum, quàm nociua sit Ecclesiæ Dei.

VLtimo loco in tract. de erubescentia, tangendum est aliquid de malitia irrisorũ, quæ multùm nociua est Ecclesiæ Dei, etiam plusquã hæresis. Cuius ratio hæc est: quia diabolus per irrisores filios Dei suffocat, dum paruuli sunt, hæc enim est vna de astutiis diaboli, suffocare bonũ inceptũ in germine. Vnde per serpentem, religionem inchoatã in paradiso suffocauit. Et per Pharaonem populum Israëliticum destruere voluit submersione paruulorum: vt legitur Exo. 2. Et per Herodem Christum paruulũ occidere voluit: *& vt eum occideret, paruulos innocentes occidit.* Matt. 20. vnde malitia irrisorum, malitia Herodiana est, quæ filios Dei paruulos occidit. Bern. Malitia Herodiana est, nascentem persequi religionem. Imò maior quàm Herodiana videtur esse malitia irrisorum, quoad hoc, quòd Herodes occidit paruulos iam natos, irrisores occidunt filios matris propriæ, id est, Ecclesiæ in vtero adhuc existẽtes. Nõ enim expectãt quod Ecclesia pariat eos in sacramẽto pœnitentiæ: imò quàm citò apparẽt in eis signa bonæ voluntatis, ipsi suffocant eos, verecundiam eis faciendo. Irrisores peiores sunt quàm draco. De quo dracone legitur Apocal. 12. quod *stetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cùm peperisset, filium eius*

deuoraret. Ipsi auten partum matris Ecclesiæ non expectant, sicut dictum est. Derisores sunt vulpeculæ, vineam Domini demolientes. Ad modum enim vulpecularum fraudulenti sunt & dolosi. Cant. 2. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*. Irrisores sunt vt bufones venenati, qui pati nequeunt odoré vineæ Domini florentis. Ipsi videntur esse socii dæmonũ, & in lucro, & in damno. Si diabolus aliquem amittit, dolent tanquã de proprio damno. Si autem diabus lucratur aliquem, sicut fit cũm aliquis vadit ad prostibulum, vel ad tabernam, gaudeat tãquam de proprio lucro. Irrisores sunt aduersarii Saluatoris, quia qui Saluatori placent, ipsi odio habent; scilicet salutem animarum. Greg. Nullum sacrificium ita placet Deo, sicut zelus animarũ. Ergo, sic Deo nihil displicet sicut impedire salutem animarum. Beatum Petrum vocauit Dominus satanam, quia salutem animarum volebat impedire, vt habetur Matth. 16. *Vade*, inquit, *post me satana*. Iudicio ergo Dei irrisor satanas fit, quãdo irrisionibus suis impedit salutem animarum. Maius damnum videtur facere irrisor Deo, quando aufert ei vnam animã, quàm si auferret ei mille corpora: cùm vna anima præualeat mille corporibus hominũ. Item cùm Deus & tota curia cælestis gaudeant de cõuersione vnius peccatoris, irrisores domino suo diabolo se conformantes de illa tristantur. Ipsi videntur Christiani, & potius sunt antichristi, id est, Christo contrarii & inimici. 1. Ioan. 2. *Nunc Antichristi multi facti sunt*. Et subditur: *Hic est Antichristus, qui negat Patrẽ & Filium*, Irrisores apostatæ sũt, vexillum Christi habentes odio. Nunquid apostata iudicaretur, qui nõ permitteret crucem esse in templo materiali; quanto magis apostata iudicãdus est, qui nõ permittit crucem pœnitentiæ esse in templo spirituali? Irrisores facti sunt proditores, eodem ore Christũ persequẽtes, quoad mensam eius comedunt. Ipsi sunt noctuæ lucem odientes. Et cùm claudicẽt, & cæci sint, irrident tamẽ rectè incedẽtes, & videntes. Sunt etiã lupi agnos Dei & oues clamoribus exterrẽtes. Item ipsi sunt impij in Deũ & matrem Ecclesiã, in proximũ: & in seipsos. In Deũ, dum filios eius occidunt, in matrem Ecclesiã, tam militãtẽ quàm triumphantem, dũ defraudãt eam gaudio, quod habere debuit de cõuersione peccatorũ. Nõne impius esset in matrem suã; qui postquã peperisset filium cum magno cruciatu, quãdo deberet cõsolari in filio suo nato, occideret ei illũ? Sic facit irrisor matri Ecclesiæ. Ioan. 16. *Mulier cùm parit, tristitiã habet, quia venit hora eius: cùm autem peperit puerũ, iam non meminit pressuræ, propter gaudiũ, quia natus est homo in mundo*. Item impij sunt irrisores in Deum, quia rursum crucifigũt filiũ Dei: ad Heb. 6. Et in Psal. Super dolorẽ vulnerum eius addiderũt, dum animas pro quibus mortẽ sustinuit, ei auferunt. Irrisores etiam sunt impij in proximum, dum vulnus spirituale ipsius iam per pœnitentiã sanatum, iterùm concidũt. Iob. 16. *Cõcidit me vulnere super vulnus*. Derisores fratres suos à diaboli carcere liberatos iterùm capi faciunt. Non reputaretur Christianus ille, qui Christianos liberatos à carceribus paganorũ, iterùm capi faceret? quid ergo dicendũ est de his, qui liberatos à carcere diabol. iterùm capi faciunt? Hi retrograde diaboli videtur esse. Maiorem compassionem haberẽt derisores de cane vno, vel de asino suo, quàm de fratribus suis. Si. n. canis portaretur à lupo, liberarẽt eũ, si possẽt, Etsi asinus alicuius cecidisset in lutũ, ipsi iuuarent ad leuandum eum: fratres verò suos impediũt, ne à lupis infernalibus liberẽtur, vel ne à luto peccati subleuẽtur. Fratres suos à naufragio liberatos, iterũ submergi faciũt. Impij etiam sunt in seipsos: quia cũ in mari huius mũdi naufragentur, tamen pœnitentiam, quæ secundùm Hier. est secũda tabula post naufragium.

gium, sine qua euadere nequeunt, odio habēt. Ex quo aliquis est in mortali peccato, si omnes Angeli & Sancti rogarent pro eo, non posset saluari nisi pœnitentia pro eo intercedat. Vnde mirabiliter esset pœnitentia amanda peccatoribus tanquam singulare remedium ipsorum. Irrisores ad paradisum transire volunt: tamen pontem, per quem solum transire possunt, scilicet pœnitentiam, odiunt. Ipsi propitiatione indigent, cum rei sint æternæ damnationis: tamen propitiatorium odiunt, scilicet pœnitentiam, perquam solam Deum possunt habere propitiũ. De propitiatorio legitur Exod. 25.

Cap. XVIII.

De superbia ornatus lectorum.

Lecto- rum or- natus nimis repre- hendi- tur.

POst superbiam ornatus humani, dicendum est de superbo ornatu lectorum. Notandum ergo, quod tria possunt esse reprehensibilia in lectis: scilicet nimia mollities, nimia prætiositas, & magnitudo. Aliqui enim tã magnos lectos faciũt, quod diabolus bene posset quiescere ibi cum eis. In paruo lecto pauperis non inuenit diabolus vbi quiescat. Esa. 28. *Coãgustatum est stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtriusque operire nonpotest.* Et Matth. 12. *Cum immundus spiritus exierit ab homine ãbulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit.* Loca arida sunt, pauper lectus, & pauper domus pauperis, vbi diabolus non inuenit requiem.

De sex quæ debent cohibere homines ab ornatu lectorum.

SEx vero sunt quæ possent, & deberẽt cohibere homines à lectis superbis. Primũ est, maledictio quæ fit eis. Amos 6. *Væ vobis qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris.* Pauper intrans lectum suum, benedictione præmissa, facit signum crucis super lectum suum: superbus intra lectum suum superbum, maledictione Dei præmissa.

Secundum est consideratio lecti Dominici, scilicet crucis. De quo lectò Augustin. Lectum suum dimisit Christus discipulis suis, Quicunque vult cum illo quiescere in cœlo, cum illo in isto iaceat lecto. Moriatur in cruce, si vult Crucifixum placatum videre. Crucem autem Christi intelligo totam vitam eius cruciatu plenam. Superbus minister est, cui non sufficit lectus domini sui. Bern. Circuire possum cœlum, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, & non inuenio te nisi in cruce. O bone Iesu, ibi iaces, ibi dormis in meridie. Idem omnem reuolue vitam Saluatoris, ab vtero virginis vsque ad patibulum crucis, non inuenies in eo nisi stigmata paupertatis. Tertium est, timor lecti infernalis. De quo lecto Esa. 14. *Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum: subtete sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Interlin. Cui prius pallia auro gẽmisque distincta. Satis: moleste sustinebunt superbi, qui nunc nullo modo iacerẽt in lecto in quo alius iacuisset, qui nunc pati non possunt quod in lecto eorum esset pulex, quando in lectis eorum erunt tineæ sub eis & vermes super eos. Ad augmentum vero molestiæ erit, quod nunquam consueti fuerũt talibus. Ad augmentum etiam pœnæ erit quod lecti illi nunquam mutabuntur. Non est ita pulcher lectus in mundo, in quo aliquis nõ grauaretur iacere per octo dies continuè: quam graue erit iacere in tam horribili lecto homini delicato pluribus annis quàm sint aquæ guttæ in mari. Quartũ est, amor lecti interioris. Amore enim illius lecti deberent negligere lectum exteriorem. In lecto conscientię quiescerent ipsi de nocte & de die, & etiam Deus cum illis, & si diligentiam debitam haberent circa illum. Ideo lauandus esset per singulas noctes, exemplo Dauid, sicut viri delicati volunt habere candida linteamenta quasi singulis

noctib. De lecto isto legitur Cant. 1. *Lectus noster floridus.* Econtrario lectus aliquorũ per negligentiã eorũ non floridus est, sed sordidus: vbi quiescere debuerũt cũ Deo, ibi inquinantur & cruciantur cũ diabolo. Quintũ est, cõsideratio lecti in quo corpus ponetur in morte: scil. consideratio sepulchri in quo à vermib⁹ corrodetur. Eccl. 10. *Cũ moritur homo, hæreditabit serpẽtes, bestias, & vermes.* Incõgruũ est cadauer poni intã superbo lectoquod ponẽdũ est in tã vili sepulchro. Sextũ est consideratio illius lecti, in quo nobilior pars hominis iacet, scil. cor: velit nolit superbus, cor illius iacet super lectum immunditia plenũ, scilicet stomachum.

CAPVT XIX.

De superbia, quæ apparet in equitaturis.

SEquitur de superbia quæ apparet in equitaturis. Quæ quadrupliciter apparet. Primo, in multiplicatione equorũ, quæ prohibita est etiã regi. Deut. 17. *Cũ fuerit rex cõstitut⁹ nõ multiplicabit sibi equos, nec reducet populũ in Ægyptũ equitatus numero subleuatus.* Secũdo, in nõ necessario vsu equorum. Sicut accidit illis, qui per modicã leucã nolunt ire nisi equitẽt, qui pro nihilo videtur pedes habere, cũ non ambulẽt ex illis. Dauid: *Pedes habent non ambulabũt.* Impotẽtiores vidẽtur esse tales homines paralyticis, cũ ire non possunt nisi habeãt multos equos. Tertio, in nimia exquisitione equorũ, sicut accidit illis qui equos volũt habere impinguatos ad pascendũ oculos hominũ. Quarto, in superbo ornatu equorũ: sicut accidit illis qui Christum dimittũt in pauperibus nudum & famelicum, & equos suos phaleris deauratis & deargentatis ornant.

De his quæ habent homines cohibere à tali superbia.

MVlta sunt quæ possunt & debent homines cohibere à superbia ista. Primum est multiplex cõminatio, quam facit S. Scriptura equitantibus. Vnde Zach. 10. *Confundantur ascensores equorũ.* & 12. eiusdem: *In die illa, dicit Dominus: Percutiam omnem equũ in stupore, & ascẽsorem eius in amentia.* In stupore dicit gl. ita vt qui viderint percussos stupeant, & ascensores eorũ pressi magnitudine periculi vertantur in dementiam. Et Esa. 31. *Væ qui descendunt in Ægyptũ in equis sperantes.* Secundum est exemplum Christi, qui non legitur equitasse, sed semel tantum asinasse, & tunc ibat ad mortem suã, in signũ quod multi equitando tendunt ad mortem æternam. Multum deberet mouere homines exemplũ istud. Zachar. 9. *Ecce, Rex tuus veniet tibi iustus & Saluator: ipse pauper & ascẽdens super asinam, & super pullum filium asinæ. Et disperdam quadrigam Ephraim & equum de Ierusalẽ.* Dispergere deberet exẽplũ istud de Ecclesia Dei equum. Mirum est, quod non erubescit seruus ire equester, ex quo Dominus vadit pedes. Ber. Intolerabilis impudentiæ est, vt ipse sese exinaniuit maiestas, infletur vermiculus, & tumescat. Tertiũ, exẽpla sanctorũ. Indecens enim est ex quo filii Dei, scil. viri iusti pedites incedũt, seruos diaboli equites incedere, hãc peruersitatẽ dicit Salomon se vidisse Eccl. 10. *Vidi seruos in equis, & principes quasi seruos ambulãtes super terram.* Quartum est hoc, quod cũ equitaturæ habeãtur à superbis ad gloriã tamen diligẽter aspicienti potius cedunt ad ignominiã. Vnde frater Guido Cartusiẽsis: Quomodo nõ gloriãtur de fortitudine, qui gloriatur de infirmitate? Equus qui te fert, infirmitas tua est: fortitudo esset, si eum ferres. Quintũ est hoc, quod superbia ista apostasia est infidelibus. Abrenũtiauerũt enim põpæ diaboli in baptismo. Vnde pompatice incedere, apostasia est ipsis Amos 6. *Væ vobis qui opulẽti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorũ, ingredientes pompatice domũ Israel.* Sextũ est hoc, quod superbia ista multũ constat, & parum habet vtilitatis quantũ cõstet hæc superbia, multi apertius legũt in libro experiẽtiæ, quã in li-

bris scripturæ: multi enim depauperati sunt hac de causa, & merito depauperantur: quia care emũt equos, & voluntarie equi comedunt super eos. Hic est enim vnus develocioribus modis depauperãdi aliquẽ, quãdo equi comedũt super eum nec solũ superborũ equi comedũt super eos, imo etiã comedunt eos, quando illi equi comedũt de rapina. Comedũt enim super animas pauperũ. Vnde hoc modo loquendi, quo aliquis dicitur comedere palliũ suũ, quãdo comedit illud pro quo pallium suum impignoratum est, possumus dicere quod superborũ raptorũ equi comedent eos. Non multũ etiam vtiles sunt huiusmodi equi, cum facilius sine equo perueniatur ad cœlestem patriam, quã in equo. Facilius enim fugit aliquis, & effugit manus hostium infernaliũ sine equo, quã cum equo. Vnde Esa. 30. dicũt mali: *Super equos ascendemus.* Et subditur: *Ideo velociores erunt qui persequuntur vos.* Nec solũ parũ vtiles sunt equi superbis, imo etiam valde nociui sunt eis: cũ enim illis sint alligati vinculo vani amoris, ipsi trahunt eos ad patibulũ infernale. Merito in inferno punietur qui propriis expẽsis equos pascit à quib⁹ illud trahitur. Septimũ est, amor pauperũ. Timendum est, ne Deus multũ offendatur, quoniam subtrahitur ori suo in pauperibus, vnde equi impinguatur.

Cap. XX.

De superbia quæ apparet in familia.

NOtandum quod tria possũt esse reprehẽsibilia in familia alicuius potentis. Primũ est multitudo. Vnde Eccl. 5. *Vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas, & quid prodest possessori, nisi quod cernit diuitias oculis suis?* Secundũ est, vita inhonesta. Vnde Bern. Ne te dixeris sanũ dolentẽ latera, hoc est, ne te dixeris bonũ malis innitentẽ. Non tuta est bonitas tua obsessa malis, non magis quã sanitas vicino serpenti: & Dauid in Psal. *Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum ambulãt in via immaculata, hic mihi ministrabat: Nõ habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, &c.* Tertium est inutilitas. Fatuum enim est habere familiã sibi inutilem. Prou. 14. *Iracundiam regis seruus inutilis sustinebit.* Matth. 25. *Seruum inutilem proycite in tenebras exteriores,* & sicut diximus prius, Christianos qui põpatici sunt quantũ ad multitudinẽ equorum, apostatas esse & trãsgressores baptismatis quo promiserunt abrenuntiare põpis diaboli: sic possũ dicere de illis, qui pompatici sunt quantum ad magnam familiã qui gaudẽt de multitudine familiæ sequẽtis eos. Tali fatuitate laborãt quasi laborat ille qui deferẽs mel gauderet, eoquod multæ muscæ sequerẽtur eum. Senec. Multi aliquẽ comitãtur, mel muscæ sequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ, prædã sequitur turba, non hominẽ. Quandoque familia quã credit superbus esse suã, potius est familia diaboli, custodiens eũ diabolo: vendit etiã eam diabolo, dũ procurat quod ipsa corrũpatur in iudicio vel alio modo: quãdoq; etiã viuũ sepelit eũ dũ ei adulatur: Vnde Greg. loquẽs de illo verbo Matth. 8. *Sinite mortuos sepelire mortuos suos:* Mortuus mortuum sepelit, cum peccator peccatorem aggere adulationis premit. Familia etiã superbi eũ comedit, dũ tẽporalia quæ illi vnita sunt per amorem consumit. Vnde Aug. Nimii amores tẽporalium fecerunt ea mẽbra sua. Vnde vsualiter solẽt dicere auari, cũ bona eorũ comedũt, se comedi.

Cap. XXI.

De superbia conuiuiorum.

SVperbia conuiuiorũ apparet. Primò in hoc, quod magni & diuites inuitãtur qui nõ indigẽt, & pauperes relinquũtur: contra illud Luc. 24. *Cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia non habent vnde retribuant tibi: retribuetur enim tibi in re-*

tributione iustorum. Secundo in hoc, quod sunt multi ministri ibi in superbo apparatu. Qui autem gaudent de multitudine superborum ministrorum, adhuc veniet hora quod vellent habere vnum ministrum leprosum, nec poterunt habere. Vnde Luc. 16. dicit diues, qui erat in inferno: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum*, &c. Lazarus plenus fuit vlceribus, & tamen diues eius ministerium desiderabat, pro superbis ministris quos habuerat hîc. Non gaudebat Dauid de talibus ministris, cum diceret: *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Tertiò apparet superbia in varietate ferculorum, & deauratione, & splendore eorundem ad vanam gloriã. Senec. Non magno constat nobis fames sed abmitio. Idem: Iam nõ sunt homines dentibus, & ore, & ventre ad pompam contenti, oculis quoq; gulosi sunt. Quarto apparet superbia in vasis aureis & argenteis ad replendum ventrem, qui est vas immunditiæ, cum ad replendum vasa vinaria, quæ munda sunt, sufficiant mediocria seu vasa lignea. Quinto apparet superbia in multitudine musicorum instrumentorum Iob. 21. *Tenant tympanum & citharum, & gaudẽt ad sonitum organ. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Esa. 5. *Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris: & opus Domini non respicitis*, scilicet iustitiam, quem faciet in die iudicii.

CAP. XXII.

De superbia ædificiorum.

NOtandum quod circa ædificia sex possunt esse reprehensibilia. Primum est multitudo. Esa. 5. *Væ qui coniũgitis domum ad domum.* Item reprehensibilia sunt in ædificiis magnitudo, sumptuositas, & delectabilitas. Delectabilitas vero attenditur circa colores picturarum, & quantum ad caliditatem in hyeme, & frigiditatem in æstate Ierem. 22. *Væ qui dicit: Ædificabo mihi domũ latã, & cœnacula speciosa*, ecce magnitudo. *Qui aperit sibi fenestras*, ecce delectabilitas. *Et facit laquearia*, ecce sumptuositas. *Pingitque sinopide.* Interlin. id est, Christi sanguine. Item reprehensibile est in ædificiis, quando de rebus iniuste acquisitis fiunt. Ierem. 22. *Væ qui ædificat domum suam in iniustitia.* Item rephehẽsibile est in ædificiis intentio mala. Quando scilicet fiunt ad vanitatem, non ad necessitatem. Seneca: Domus munimentum sit aduersus infesta corpori: hanc vtrum sepes erexerit, an varius lapis gẽtis alienæ, nihil interest. Scitote homines tam bene culmo, quam auro tegi. Contemnite cætera quæ supernacuus labor, velut ornamentum ac decus ponit: mementote nihil præter animum esse mirabile, cui magno nihil est magnum.

De his quæ deberent cohibere homines à superbia ædificiorum.

ITem notãdum quod sex sunt quæ debent homines cohibere ab amore superborum ædificiorum. Primum est hoc quod illi qui amant ea, maledicti sunt, vt patet ex illo verbo, Esa. *Væ qui coniungitis*, &c. & ex illo verbo Ierem. *Væ qui dicit, Ædificabo mihi domum latam.* Multum esset maledictio Dei timenda in Scriptura sacra, cum tantum timeatur maledictio facta ab aliquo sãcto viro, & cum Dominus dicturus sit maledictis: *Ite maledicti in ignem æternum.* Matth. 25. Secundum est hoc, quod ædificia superba Deo sunt exosa. Vnde Amos 6. *Iurauit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum: Detestor ergo superbiã Iacobi, & demos eius odi.* Magna peruersitas est, quod homo suberba ædificia amet quæ Deus odit. Tertiũ vero sunt exemplum Christi, qui in natiuitate sua non habuit vbi caput reclinaret Matth. 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli in ædificiys nidos: Filius autem hominis non*

habet vbi caput suum reclinet. Bernardus: Intolerabilis impudentiæ est, vbi sese exinaniuit maiestas, infletur vermiculus, & tumescat. Ad idem valere possunt exempla Sanctorum, qui in casulis habitauerunt. Vnde ad Hebræos 11. *Fide Abrahã demoratus est in terra repromissionis tanquam in alienis, in casulis habitando cũ Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habẽtem ciuitatem, cuius artifex & conditor est Deus.* Item Paulus primus eremita visitatus est à beato Antonio, qui quæsiuit ab eo, an adhuc Christiana religio ritus gentiũ in ædificiis sumptuosis imitaretur: & audito quod sic, ipse fiens deplanxit hanc superfluitatem, conquestus homines tantæ vanitati deditos: cum Christianorum deberet esse cohortatio, dicentium: *Non habemus hic permanentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Quidam etiam antiquorum habitabant in cauernis petrarum, alii in concauitatibus arborum Legitur etiam de quodam eremita, qui habebat hospitium ad modum sui sepulchri. Cum imperator eum interrogasset, cur hospicium suum commensurasset corpori suo: Respondit, Sufficit hoc homini morituro: sic præuenit sepulchrum: & addidit idẽ: Melius prosilitur de tugutio in cœlum, quam de palatio. Quartum est, quia superba ædificia sæpe fiunt de iniurijs pauperum. Ibi enim ponunt quæ deberent dari pauperibus. Hier. loquens de Paulo: Nolebat, inquit, in his lapidibus pecuniam effundere, qui cum terra & seculo transituri sunt: sed in viuis lapidibus qui voluuntur super terram, ex quibus magni regis ciuitas extruitur. Quintum est, quia sæpe ex rapinis & alijs iniuste acquisitis fiunt: vnde lapides & eiusmodi quæ sunt, accusabunt Dominum domus apud Deum. Hab. 2. *Lapis de pariete clamabit, lapis qui inter iuncturas ædificiorum est, respondit.*

De fatuitate illius qui superbia ædificia construit.

SExtum est, fatuitas quæ est in extruendis huiusmodi ædificiis: quod patet primo, quod cum vita hominis breuior nunc sic, quam antiquorum, ipsi tamen magis sumptuosas domos volunt habere, quam antiqui habuerint. Ipsi secundum Hieron. sic ædificant, quasi semper victuri sint: sic autem comedunt & bibunt, quasi cras morituri, dicentes. *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Secundò ex hoc quod pulchrũ stabulum, scilicet habitaculum corporis volunt habere, de domo vero conscientiæ, in qua Deus debet habitare, non curant. Ipsi pulchras domos ædificant, quas sciunt ex necessitate ruituras. Mat. 23. dicit Dominus de ædificationibus templi. *Amen dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* Et inter signa 15. dierũ quæ præcedẽt diem iudicii, enumerat Hieron. istud, quod omnia ædificia ruent. Amos. 3. *Percutiam domum hyemalem cum domo æstiua: & peribunt eburnea domus & dissipabuntur ædes multa.*

De his quæ deberent cohibere claustrales à superbis ædificiis.

SPecialiter deberent cohibere claustrales à superbis ædificiis ista quæ sequuntur. Primo hoc, quod cum ipsi sint iam mortui mundo, necessaria sunt eis sepulcra potius quam palatia. Secundo hoc, quod solicitudinem circa huiusmodi solet sequi morum negligentia. Bernard. Video quod non sine magno dolore videri debet, quosdam post aggressam Christi militiam, rursum secularibus implicari negotiis, rursum terrenis cupiditatibus immergi, cum magna cura erigere muros, negligere mores. Præterea, negligentia exteriorum ædificiorum signum est, quod claustralis diligentiam habeat circa interiora. Bern.

Animum intensum interioribus magis decent inculta & neglecta exteriora, quibus incola domus sæpius alibi conuersari dignoscitur, qui circa exteriora sibi vilissime denuntiat. Item conuersatio claustralium in cœlis debet esse: ideo non ita sollicite debent ædificare in terra, sicut illi quorum conuersatio est in terra. Præterea, superbia ædificiorum est quædam inuitatio superborum hospitũ, à quibus claustrales superbiã addiscunt, Ecclesiast. 13. *Quæ cõmunicauerit superbo, induet superbiam.* Verisimile est, quod sic oportet claustrales habere domos humiliores aliis, sicut & humiliores vestes aliis. Et sicut color viridis & rubeus, & varius, intolerabiles sunt in vestibus claustralium: sic huiusmodi colores intolerabiles videntur in domibus eorum. Quod si aliquis dicat, quod in huiusmodi condescenditur infirmitatibus hominum: Respondeo quod tantum condescensum est in aliquibus claustris carnalibus hominibus & infirmis, vt pene omnes carnales facti sint. Vnde Bernardus. Abiecta sancta simplicitate, quasi religiosas nobis quasdam curamus habitationum honestates, in quibus tantum est compassum animabus, vt pene in hoc omnes effecti simus animales. Idem: admittantur animales, suscipiantur in omni beneuolentia charitatis, portentur in omni patientia benignitatis, sed qui eis compatiuntur, non eis conformentur, nec sic quærant eorum profectum, vt propter eos cogantur incurrere propositi rigoris in religione defectum. Itẽ claustrales vt veri Israelitæ vel veri Hebræi debent esse, & reputare se peregrinos super terram vnde ædificare debent non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deferendum, vnde Bernardus Obsecro in peregrinatione huius seculi, in militia super terram, non ædificemus nobis domos ad habitandum: sed tabernacula ad deferendum, vt pote cito euocandi & migraturi in patriam & ciuitatem. In castris quippe sumus, in alieno militamus, in alieno laboratur, facile est quidquid naturale est. Nunquid non facile est solitario, & sufficiens naturæ, & congruum conscientiæ, ipsum sibi cellam de virgis contexere, de luto plasmare, vndecunque operire, & decentissimè inhabitare; Quid amplius quærendum? Et si vsu sapiant huiusmodi delectationes, & sint qui vtantur tanquam non vtentes, tamen contemptu melius, quam vsu vincuntur huiusmodi affectiones. Idem: Ipsi de quibus solitudo suorum vitiorum inducit contemptum. & negligentiam omnium exteriorum, ipsi sibi ædificent formam paupertatis & sanctæ simplicitatis speciem, nulla sic arctabit artificium indústria sicut eorum negligentia. Debent etiam claustrales à superbis ædificiis cauere propter bonorum exemplum. Humiles enim domus eorum, & pauperes, in aliis frænant cõcupiscentiam, in aliis vero circa amorem paupertatis efficiunt conscientiam. Præterea quando claustrales construunt superba ædificia, accidit frequenter vt ipsi construant ea de mendaciis. Mittunt enim quæstuarios, prædicatores. Construunt etiam ea de donis male acceptis ab vsurariis & raptoribus: à quo periculo liberi sunt, quando domos humiles construere volunt. Si vero aliquis dicat pulchritudines domorum necessarias esse claustralibus ad recreationem. Respondeo, quod viri spirituales potius debent delectari in aspectu cœli, quam in aspectu recti: & potius debent admirari opera Dei, quàm opera hominum. Legitur de B. Bernardo, quod ipse fleuerit, quum videret tuguriola pastorum tecta culmo, similia casulis pristinis Cistercien. qui tunc incipiebant habitare in magnis ædificiis. Pulchritudines istæ forenses, sicut dicit B. Bern. cito propositum eneruant, & masculinum animum effœminant.

CAP. XXIV.

De superbia librorum, & de octo quæ valent ad eius detestationem.

SEquitur de superbia librorum, qua specie laborant qui volunt habere libros deauratos. Octo vero sunt quæ possunt valere contra hoc peccatũ exempla, & præcipue exemplum filij Dei, qui liber vitæ est: qui humiliari voluit vsque ad hoc quod nouissimus esset. Intolerabilis enim est superbia in alijs libris, ex quo Liber vitæ tantum humiliatus est. Dicit enim Hieronym. in prologo super Iob. Habeant qui volunt veteres libros, vel mẽbranis purpuereis, auro, argentoque descriptos, vel vncialibus, vt vulgo aiunt, literis onera magis oxarata quam codices, dummodo mihi meisque permittant pauperes habere scedulas, & non tam pulchros codices, quàm emendatos. Et Paulus 2. ad Timothæum 4. *Affer autem & tecũ libros, maxime autem membranas.* Secundo vero hoc, quod sapientia declamat contra humilia, vnde Matt. 11. *Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus reuelasti ea paruulis.* Amat etiam verba humilia, patet in verbis sacræ scripturæ, quæ valde humilia sunt. Amat etiam humilia corpora. Vnde sapientes homines frequenter parui sunt Vnde Sapiens: Sæpe est sub palliolo sordido sapientia, Prouerb. 11: *humilitas ibi sapientia.* Eodem modo amat sapientia humilem scripturam. Tertiò hoc, quod sacra scriptura humilitatem docet. Vnde humilitatem debet habere. Patere legem ait Sapiens, quam tu ipse tuleris. Legem humilitatis præcepit sacra scriptura, vnde eam debet seruare. Quarto vero hoc, quod puerilitas est aureas & argenteas amare literas, & in his delectari. Sen. Plerunq; est quod non pueritia, sed quod grauius est puerilitas. Quinto vero hoc, quod quasi quoddam spirituale adulterium est, quando amore amplectuntur pulchritudinem scripturæ, quo deberent amplecti sapientiam. Vnde de illis potest exponi illud 2. Pet. 2. *Habentes oculos plenos adulterii & incestabilis delicti.* Sapientia sponsa est intellectus nostri: vnde Sap. 8. *Hanc amaui, & exquisiui eã à iuuẽtute mea & quæsiui eam mihi sponsam assumere, & amator factus sum formæ illius.* Scriptura vero quasi quædam ancilla est ipsius Sapientiæ. Vnde plus debet amari sponsa quam ancilla; id est, sapientia, quam pulchritudo scripturæ. Vnde cauendum est, ne ancilla tãtæ pulchritudinis sit, quod relicta pulchritudine sapientiæ animus fornicetur cũ pulchitudine scripturæ. Sextò hoc, quod valde impium est oculos suos pascere auro & argento, quando homo videt tot filios Dei famelicos. Visus pulra habet vnde pasci potest, quã gustus. Habet enim solem, & lunam, & stellas & flores innumeros, & multa alio ex quibus psaci potest: Vnde valde impium videtur esse Christiano, ori Dei subtrahere pauperibus, vnde oculi eius delectentur. Ad quid depingit aliquis homines vel flores quos Deus creauit: Septimò hoc quod tales contumeliam inferũt sapientiæ, cum non reputent dulcedinem eius sufficientem ad consolationem studentium: cum scriptum sit Eccl.23. *Nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini.* Sapien. 8 *Intrans in domum meam conquiescam cum illa.* scilicet Sapientia, non enim habet amaritudinem conuersatio illius nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium. Octauò hoc, quod parum valet ista pulchritudo scripturæ: non enim hominem satiat. Vnde Ecclesia. 1. *non satiotur oculus visu, nec auditu*

Cap. XV.

De superbia cantus, & his quæ sunt reprehensibilia circa cantum.

NOtandum ergo quod circa cantum hæc sunt reprehensibilia. Primo reprensibile est, cum quis nimis blãdam vocem querit, vel ad gloriandum, vel ad delectãdum: VndeGregor. Cum blãda vox quæritur sobria vita describitur. Aug. Quotidie plus me delectat cãtus, quam res quæ cantatur, toties me grauiter peccasse confiteor. Item reprehensibilis videtur esse in cantu vocis fractio. Vnde in leganda sancti Sebastiani: Putasne illum inter Christicolas numerandum, qui tonsuram diligit, comam componit, sapores quærit, & vocem frangit? Fractio vocis signum est fracti animi. Sicut reprehensibilis est cripatio crinium in hominibus, corrogatio vestium in mulieribus: sic videtur esse reprehensibilis fractio vocis in cantantibus. Et sicut ventus solet facere in aqua crispationem quandam: sic ventus vanitatis hanc crispationem seu fragionem vocis frequenter facit. Talis cãtus ob lasciuiam factus similis videtur esse cantui illi, de quo legiturExod. 22. *Vocem canẽtium ego audio.* ait Moyses. Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum & horos. In vitulo, qui est animal lasciuum, lasciuia intelligitur. Vnde cantus adorantium vitulum, est cantus eorum qui vocem frãgunt ob lasciuiam. Reprehensibilis est etiam in cantu nimia exaltatio vocis. Sicut illi qui potius volunt cantare alte, quam apte, qui tantum volunt ascendere cantando, quod quandoque frangunt sibi collum spiritualiter: vel quandoque ad literam: rumpunt se, quod ex superbia prouenit. Superbia plus enim audet quam possit. Reprehensibilis est etiam in cantu additio punctorum, vel subtractio: quasi enim quædam species barbarismi videtur esse hoc in cantu: sicut in dictione barbarismus fit ex additione vel subtractione literæ, vel syllabæ. In cantu etiam non videtur esse nimium approbanda vox falsa, præcipue in cantu claustralium. Et mirum est quomodo vox talis tantum placet quibusdam, cum ipsa videatur adeo de formis quod oportet eam abscondi inter alias voces: alioquin non esset decens vel decora.

Cap. XXV.

Vnde & quomodo oritur superbia, & ex quibus bonis.

POsuimus primam diuisionem superbiæ, & prosecuti sumus mẽbra eius. Nunc consequens est, vt ponamus secundam & prosequamur. Diuisio vero ista sumitur secundum ea, ex quibus oritur superbia quandoque oritur ex bonis naturæ, quandoque ex bonis fortunæ, quandoque ex bonis gratiæ. Bona vero naturæ quædam sunt corporis, quædam animæ. Corporis sunt ista, sanitas, fortitudo, agilitas, pulchritudo, nobilitas, libertas. Bona vero animæ naturalia sunt ista, rectitudo ingenii & velocitas, memoriæ bonitas, potestas tolerandi exercitium spirituale, naturalis dispositio ad virtutes, seu virtus naturalis. Bona vero fortunæ sunt bona exteriora, quæ sunt in potestate hominum, quæ ab hominibus possunt auferri: vt sunt diuitiæ, delitiæ, dignitates, laus seu gloria humana. Bona vero gratiæ sunt, scientia & virtutes. Ex istis bonis potest superbia nasci. Superbia enim nascitur ex pulchritudine. Vnde Poeta:

Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam.

Item nascitur ex nobilitate. Vnde Salust. Commune malum nobilitatis est superbia. Similiter nascitur ex aliis bonis naturæ. Item nascitur ex bonis fortunæ, sicut ex diuitiis. Vnde August.

Vermis

Vermis diuitum est superbia Eccl. 40. *Facultates & virtutes exaltant cor.* Item nascitur ex bonis gratiæ, vt ex scientia. Scientia enim inflat, secundùm Apostolum 1. ad Corinth. 8.

Capvt XXVI.

Quòd fatuus sit & impius, qui de bonis suis superbit.

PRimò, generaliter ostendemus, quòd valdè fatuus est & impius qui de bonis suis superbit. Deinde ostendemus de vnoquoque prædictorū bonorum, quòd valdè fatuum sit inde superbire. Et possunt quinque rationes assignari quare fatuus sit & impius, qui de bonis suis superbit. Primò, quia ipse quodammodo inferior est irrationabilibus creaturis in hoc, quòd illæ tantùm sint in miseria pænæ, ipse verò homo in miseria pænæ & culpæ. Præterea, creaturę irrationabiles vnicam debent mortem, postquam nihil omninò mali sentiunt: homo verò impius debitor est duplicis mortis, quia post transitoriam habebit æternam. Vnde non parum fatuus est peccator, qui de bonis suis superbit, superiorem se aliis hominibus reputando, qui quodammodo brutis inferior est. Secundò verò, fatuus est, qui de bonis illis superbit, in quibus eum ipsa bruta excedunt: sicut est fortitudo corporis & agilitas. Ipsi etiam Iudæi & Saraceni, & alii pessimi homines plus habēt de illis bonis, quàm ipse habeat. Et etiam ipsi dæmones de scientia, quæ videtur esse vnum de maximis bonis, quæ habent impii, plus videntur habere, quàm ipsi impii habeant: vnde valdè fatuus est, qui de bonis illis superbit, in quibus à dæmonibus superatur. Tertiò, fatuus est impius, qui de bonis suis superbit, cùm bona illa sint ei ad verecundiam veriùs, quàm ad gloriam. Vnde Augustinus loquens ad impium, inquit: Nonne vides te debere erubescere de bonis tuis, si domus tua plena est bonis, & te habeat malum? Quartò, fatuus est impius, qui de bonis suis superbit, quia bona ipsius ei bona non sunt. Seneca: Nihil est homini bonum sine se bono. Est-ne bonum homini, quod est ei materia infirmitatis & impedimentum salutis? Sapiens: Omnia quæ extra nos sunt bona, quæcūque fortè hominibus contingunt, non ideò laudantur, quia habuit quis ea, sed quia his honestè sit vsus. Ideò dicit Seneca: quòd stulto nulla re est opus, nulla enim re scit vti. Quintò, fatuus est impius, qui de bonis suis superbit: quia tantùm habet dispensationem in eis, & periculum ei inde imminet duplex. Periculū enim est ei si sortem amiserit: periculum etiam est ei, si lucrum non reportauerit. Et de vtroque districta ratio exigetur ab eo. Vnde qui de multitudine istorum bonorum superbit, ipse superbit de magnitudine oneris sui.

Cap. XXVII.

Quòd fatuum sit bonis corporis sui superbire, videlicet sanitate, fortitudine, velocitate, & pulchritudine.

SPecialiter verò, fatuum est superbire de sanitate corporis. Primò, quia ista sanitas momētanea est. Hodie enim qui sanus est cras infirmus, vel mortuus est. Iac. 4. *Quæ est vita vestra? Vapor est ad modicum parens. &c.* Secundò, quia corpus hostis familiaris est, & ideò multùm nociuus. Nulla enim pestis efficacior est ad nocendum, quàm familiaris inimicus, ait Sapiens: Non debet ergo aliquis superbire propter sanitatem corporis, sed potius timere. In maiori enim periculo est homo, cùm hostis eius sanus sit. Tertiò, fatuus est, qui de hac sanitate superbit, quum ipsa sanitas, vt frequentius occasio sit infirmitatis animæ, sicut è contrario scriptum est Eccl. 31. *Infirmitas grauis sobriam reddit animam.* Non est quare aliquis superbiat de sani-

tate pedis, si in capite infirmitatem habeat ad mortem: sic non est superbiendum de sanitate corporis, ex quo in anima infirmitas est ad mortem. Homo sanus corpore, infirmus mente, similis est pomo exteriùs sano, interiùs putrido. De fortitudine etiam corporis fatuum est superbire, cùm scriptum sit Sap. 6. quòd fortioribus fortior instat cruciatio. Et cùm continua lucta sit inter spiritum & corpus. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Vnde quanto corpus fortius, tanto magis spiritui timendum est. Et ad literam hoc videmus frequenter, quòd fortiores corpore, infirmiores sunt mente. Minus enim resistere possunt iræ & luxuriæ, & cæteris vitiis. Fatuum etiã est superbire de corporis velocitate: cùm corpus sit velut equus quidam, in quo hostes infernales, vt frequenter ducunt spiritum ad mortem ipsius, & vt frequentius quanto iste equus velocior est, tãto faciliùs spiritus ab hostibus suis capitur. Prætereà, in velocitate ista etiã à canibus superamur. Vnde fatuum est, quod homo de hoc superbiat, in quo canibus inferiorem se videt. De pulchritudine etiam corporis est fatuum superbire, cum corpus sit velut quoddam sepulchrum. Aug. Corpus peccatoris animæ mortuũ est sepulchrum. Vnde cùm peccator de pulchritudine corporis superbiat, simile est, ac si mortuus de pictura sepulchri superbiat: simile est etiã ac si aliquis superbiat de pulchritudine sterquilinii niue cooperti.

Cap. XXVIII.

Quòd fatuum sit de nobilitate generis superbire.

Nobilitas carnis quare cõtẽnenda.

De nobilitate etiam carnis fatuum est superbire, quum illa nobilitas valdè contemptibilis sit. Multæ autem causæ possunt assignari, quare ista nobilitas sit contemnenda. Primò, contemnenda est, quia vt frequenter nobilitas carnis meliorem nobilitatem aufert, scilicet mentis nobilitatem. Sapiens: Non est quo sibi aliquis de nobilitate corporis vel generis blandiatur, si ex meliori parte sit famulus. Secundò, contemnenda est, quia omnes sumus ex eodem patre, & ex eadem matre: non legitur Dominum fecisse vnum Adam argenteum, vnde essent nobiles, & vnum luteum, ex quo essent ignobiles: sed vnicum de luto plasmauit, ex quo omnes exiuimus. Vnde si aliquis ex hoc solo nobilis est, quia ex nobili patre, aut nobili matre: aut omnes erimus nobiles, aut omnes ignobiles: quia aut parentes primi fuerunt nobiles, aut ignobiles. Si ipsi fuerunt nobiles, ergo & nos nobiles sumus, & etiam æquè nobiles sumus, cùm geniti ex æquè nobilibus, æquè nobiles judicentur. Si verò ignobiles fuerunt, ergo nos omnes ignobiles sumus, & æquè ignobiles, quum geniti simus æquè nobilibus. Malac. 2. *Nunquid non pater vnus omnium nostrum? Nunquid non Deus vnus creauit nos? quare ergo despicit fratrem suum, vnusquisque vestrûm?* Tertiò, contemnenda est nobilitas carnis, quia ipse Deus contempsit eam. Noluit enim ex nobilibus reges eligere in principio synagogæ, imò primum regem de post asinas assumpsit, scilicet Saul. Secundum scilicet Dauid, de post fætantes accepit. In tempore enim gratiæ potius voluit ignobiles eligere, quàm nobiles. 1. Corinth. 1. *Ignobilia & contemptibilia mundi elegit Deus.* Quartò verò, contemnenda est nobilitas carnis, quia non est illius, qui de ea gloriatur, sed potius illorum, à quibus ipse descendit. Vnde Seneca, Nemo in gloriam nostram vixit, nec quod ante nos fuit nostrum est, animus nobilem facit. Quintò verò, contemnenda est nobilitas carnis, quia materia, quam à parentibus contrahit aliquis, ratio-

ne cuius nobilem se credit, vile quid est, & immundum, & erubescibile, & opere immundo & erubescibili procedit ab eis. Vnde quomodo ratione ilius materiæ, habebit quis nobilitatem, quum illa materia vilis fuerit? Quomodo audet aliquis dicere se nobilem generatione, quum quilibet exemplo Iob possit dicere: *Putredini dixi, Pater meus es, &c.* Ideò, meritò nobilitas carnis contemnenda est, imò abominanda est. Vnde Lucæ decimo sexto: *Quod altum est hominibus, abominatio est apud Deum.* Sextò, cõtemnenda est nobilitas carnis, imò potius non est reputanda, quum in veritate nobilitas non sit, sicut etiam ipsi Philosophi reputauerunt. Seneca: Nemo altero nobilior, nisi cui rectius est ingenium, & bonis artibus aptius. Idem: Nihil aliud est nobilitas, quàm antiquatæ diuitiæ. Idem: Quid est eques, aut seruus, aut libertinus, nisi nomina ex ambitione vel iniuria nata? Item Plato ait: Neminem regem, nisi ex seruis oriundum esse: neminem seruum, nisi ex regibus: Omnia ista longa miscuit varietas, & sursum deorsum fortuna versauit.

Quòd nullus sit nobilis ex eo quòd nobilibus parentibus sit generatus, rationibus ostenditur.

RAtionibus etiam ostendi potest, quòd aliquis nobilis non sit, ex eo quod ex nobilibus parentibus genitur. Ex eadem enim radice exeunt vile & nobile. Flos farinæ & furfur ex eadem radice exeunt, tamen furfur cibus vilis est, quo porci pascuntur, flos autem farinæ cibus nobilis est. Item, ex eadem radice procedit spina & rosa: rosa creatura nobilis est, quia non cessat benefacere hominibus, qui sunt iuxta eam, suum gratum odorem vndique spargendo. Spina verò quodam vile est, quia pungit ea, quæ iuxta eam sunt. Sic ex eodem patre, & ex eadem matre, possunt nasci duo. Vnus tamen erit nobilis, alius ignobilis. Vnus ad modum rosæ non cessabit benefacere vicinis suis. Iste nobilis erit. Alius erit spina, in ignem infernalem mittenda, qui non cessabit pungere vicinos suos: Hic erit ignobilis. Multis alijs exemplis potest idem ostendi. Ex eadem arbore nata sunt duo poma, quorum vnum est sanum, aliud putridum, vel vermem habens. Item, ex eodem libero arbitrio procedunt bonum & malum. Item, si nobile esset quidquid à nobilibus procederet, omnes nobiles essemus, quum omnes simus à Deo, qui nobilissimus est, Malachiæ secundo: *Nunquid non Deus vnus creauit nos? quare ergo fratrem suum despicit vnusquisque vestrûm?* Item, si omne quod ex nobile procedit, nobile esset, ergo pediculi & aliæ superfluitates, quæ ex nobilibus procedunt, nobilia essent. Septimò, contemnenda est nobilitas carnis, propter onus magnum, quod est ei annexum. Nobilitas carnis quædam possessio est, quæ tanto censu onerata est, quòd magni comitatus & Archipiscopatus non sufficiunt ad soluendum censum illum: imò præter hæc necesse est, sicut ipsi nobiles dicunt, quòd ipsi impignorent regnum cælorum, & seipsos diabolo pro censu isto soluendo: Vnde multis nobilibus magis expediret, quòd ipsi essent leprosi, quàm quòd essent in statu in quo sunt, sicut aliqui etiam ex eis recognoscunt. Octauò, contemnenda est nobilitas carnis, quia rei est contemptibilis, scilicet corporis, quod est quasi quidam saccus immũditiæ plenus, sicut ea ostendunt, quæ exeunt de sacco isto per foramina quinque sensuum. Origenes: Vilis nobilitas, quæ in locis tam turpibus generatur. Nonò, contemnenda est nobilitas carnis, quia inferior videtur esse nobilitas ista, quæ est

in hominibus, notabilitate illa quæ est in canibus: quum illa notabilitas quæ est in canibus, certa signa habeat exteriùs, quibus agnoscitur: nobiles verò homines non habent certa signa necessaria, quibus ab aliis hominibus dignoscantur.
20. Decimò, contemnēda est nobilitas ista, quia ridiculosa est. Ridiculum enim est, vnum seruum aliis seruis nobiliorem dicere, vel vnum rusticum non viliorem aliis rusticis. Sicut filio cuiusdam diuitis Burgen. derisoriè dictum est à quodam, quòd ipse esset de nobilioribus rusticis suæ ciuitatis. Sic cùm corpus naturaliter seruus sit (datum est enim spiritui ad seruiendum) & naturaliter rusticum sit, quum tot rusticitates ab eo quotidie exeant, ridiculum est corpus vnum nobilius dicere altero, vel vnum nobiliorem altere ex parte corporis. Vnum tamen bonum habet nobilitas, quæ carnis dicitur esse, quod quasi frænū est quoddam quod homines debet cohibere, ne malè agant, Hiero. Nihil aliud video in nobilitate appetendum, nisi quòd nobiles quadam necessitate astringuntur, ne ab antiquorum probitate degenerent. Philosophus: Nobilitatis tantum ad hoc meminerit, vt cum claritate generis morum sanctitate contendas, & cum nobilitate corporis animi nobilitate proficias. Item laudatur in quibusdam quòd geniti sint nobiles: in aliis, quod nobilitatem virtute sunt assecuti. Pulchrum est respondisse nobilitati, pulchrū etiam humilius genus factis illustrasse. Item quidam vituperabat aliū de genere suo, dicens: Tu es caput tui generis. Cui ille: Et tu es cauda generis tui. Item quidam sapiens, quum quidam ex patricio genere natus inferior factus, ignobilitatem generis illi obijceret, inquit: Gaudeo, quòd ego ex me surrexi, tu ex te cecidisti: generis nostri vtrique sumus decus, & dedecus. Et alius Philosophus similiter alii obiurganti, respondit: Mihi obijcis profecisse: crimen meum imputas gloriæ, dum tuum imputas ignauiæ. Et notandum est, quòd vera nobilitas animi est. Vnde illud: Nobilitas sola est, animum quæ moribus ornat.

CAP. XXIX.

De animi nobilitate duplici.

ANimi verò nobilitas duplex est. Quædam naturalis, de qua Senec. Quis est generosus ad virtutem? benè à natura cōpositus. Alia nobilitas est gratuita, quādo aliquis gratiam Dei habet, qua Dei filius est, quæ custodit eum, vt nulli turpitudini seruiat. Tullius: Liber æstimandus est, qui nulli turpidini seruit. Item Sapiens: De illa nobilitate glorieris, quæ filios Dei & cohæredes facit. Tunc ille nobilitatem suam integrā seruare se putet, si dedignetur seruire vitijs, & ab illis superari. A quo enim quis superatur, eius & seruus est. Bernar. An non seruus, cui dominatur iniquitas? Quantumcunque aliquis ex nobilibus ortus sit, tamen ignobilis est, si Deum contemnat, & noluerit eis seruire. Et è contrario, quantumcūque ignobilis ortus sit, nobilis tamen est, si Deo seruiat. Vnde 1. Reg. 2. dicit Dominus ad Heli: *Absit hoc à me: sed quicunque honorificauerit me: glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

Quòd sex sunt signa veræ nobilitatis.

ET notādum, quòd sex sunt signa veræ nobilitatis. Primum est, liberalitas. Vnde Deus, qui nobilissimus est, ipse est liberalissimus. Liberalitas enim tanta est, vt non solùm sua det, sed etiam seipsum: nec solùm seruientibus sibi dat, sed etiam hostibus suis. *Ipsi enim solem suū facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Matt. 5. Ipse propter liberalitatem suam fecit quæcunque facta sunt. Ad dandum enim fecit quæcunque fecit. Creaturas enim rationales fecit, vt eis daret, alias autem crea-

turas, vt eas daret. Leo etiam, qui dici-
tur esset rex animalium, quòd animal no-
bile est, liberale est. Vnde Aristot. dicit
ipsum esse animal communicatiuum. Et
sicuti liberalitas signum est nobilitatis,
ita rapina signum est rusticitatis. Vnde
multi hoc die, qui nobiles reputantur,
rusticimi sunt, cùm non cessent aufer-
re pauperibus, & illis qui nõ possunt de-
fendere se, sicut magister Alanus osten-
dit quibusdam militibus. Legebat Ala-
nus apud Montem Pessulanum, & aù-
dierunt milites vicini quòd tantus cleri-
cus esset, & quòd ad omnia interrogata
responderet: vnde accesserunt ad eum
de communi consilio, & quæsierunt ab
eo, siuæ esset maxima curialitas. Qui re-
spondit eis, quòd dare curialissimũ esset:
quo audito, omnes consenserũt respon-
sioni eius. Ideò, dicit Dominus, quòd
beatius est dare, quàm recipere, quia da-
re facit similem Deo, qui omnibus dat
& à nemine recipit. Ipse verò dixit eis;
vt habito consilio ad inuicem dicerent
ei, quæ inter omnes rusticitates maior
esset. Qui habuerunt consilium ad inui-
cem & non potuerũt conuenire in idem:
vnde reuertẽtes ad eum, dixerunt: quòd
non poterant concordare. Quo audito,
ipse increpauit eos, dicens: Ego posue-
ram vos in via, per quam possetis quæ-
stionis vobis propositæ solutionem co-
gnoscere. Si enim dare curialissimũ est:
auferre, quod est ei contrarium rusticis-
simum est. Vnde vos qui incessanter au-
fertis pauperibus, rusticissimi estis. Se-
2. cundùm signum nobilitatis est gratitu-
do, seu recognitio beneficij. Et per con-
trarium ingratitudo, seu beneficiorum
non recognitio, signum rusticitatis est.
Vnde patet, quòd illi, qui nobiles repu-
tantur, qui Deum, qui eos præcæteris
hominibus honorauit, præ cæteris homi-
nibus inhonorant: subditos etiam suos,
qui multo sudore lucrantur vnde ipsi vi-
uunt, & propter quos ipsi sunt in hono-
re, incessanter opprimunt, rusticissimi
sunt. Feris etiam videntur tales deterio-
res esse: feræ enim officia, siue beneficia
sentiunt, sicut ait Sen. Tertium signum 4.
nobilitatis est mãsuetudo & misericor-
dia in ea, quæ sunt eis subiecta. Et hoc
est vnum, quod valdè decens est in his,
qui potestatem habent. Vnde Seneca:
Nullum ex omnibus magis clementi
quàm regem & principem decet. Idem
Iracundissimæ, ac pro captu pugnacissi-
mæ sunt apes, & aculeum in vulnere re-
linquunt. Sed ipse rex sine aculeo est:
noluit ipsum natura nec sæuum esse, nec
vltionem, quæ magno cõstaret, petere,
& iram inermem reliquit, exemplar hoc
omnibus regibus linquens. Pudeat, ab
exiguis animalibus non trahere mores.
In signum huius mansuetudinis vel mi-
sericordiæ inunguntur reges Christiani.
Philosophus. Maximam potestatem ha-
bens: creatorem potestatis iuxta possibi-
litatem suam debet imitari. In hoc au-
tem Deum maximè imitabitur, si nihil
iudicauerit, quàm misereri pretiosius.
Et sicut mãsuetudo in subiectos, signum
est nobilitatis: sic & crudelitas in sub-
ditos, signum rusticitatis est, & seruitu-
tis. Vnde Prou. 30. *Per tria mouetur terra,*
& quartum quod non potest sustinere. Per
seruum, cùm regnare cœperit. Ouid.

Asperius nihil est humili, si surgit in altum:
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desæuit in
omnes,
Vt se posse putet, nec bellua tetrior vlla est,
Quàm serui rabies in libera terga furentis.

Quartum signum nobilitatis est, virili-
tas, seu strenuitas in eos qui repugnant.
In signum huius datur ensis militibus 3.
nouis, quo gladio vti debent in hostes,
non in subiectos. Multi verò ex istis gla-
dio isto in subiectos vtuntur, quos debe-
rent valdè diligere. Hi enim sunt qui ia-
uant eos, qui etiam fratres eorum pro-
prios impugnant, hostibus verò Dei &
Ecclesiæ peccatis, sed & dæmonibus, vel
etiam ipsis persecutoribus Ecclesiæ vni-
ti sunt. Impietas talis, impietas diaboli-

ca est. Diabolus autem impius est in eos, qui sibi seruiunt. Quintum signum nobilitatis est, timere opprobrium vel seruitutis, vel proditionis, vel alterius cuiusque turpitudinis. Multos tamen ex illis, qui nobiles reputantur, videmus quòd non timent pessimam seruitutem vitiorum suorum, vel dæmonum, qui non erubescunt confiteri se seruos vilissimorum membrorum illorum, scilicet qui libidini deseruiunt, quæ seruitus indubitanter seruitute leprosorum peior est. Non erubescunt etiam proditiosè impugnare dominum illum à quo omnia possident, cuius expensis viuunt, & vestiuntur: & non erubescunt etiam omni immunditiæ peccati se exponere. Ex quo patet eos non esse nobiles, sed
6. valdè rusticos. Sextum signum nobilitatis est, cordis magnitudo, qua quis modica contemnit, & magna appetit. E contrario verò, signum rusticitatis est, amorem suum ponere in modicis, magna verò negligere. Vnde patet dominas illas, quæ potius volunt amorem suum ponere in vno misero milite, quàm in rege gloriæ, quòd ipsæ verè nobiles non sunt. Milites etiam non videntur nobiles esse, qui amorem suum in terra ponunt, contempto regno cælorum, cùm tamen tota terra quasi punctum sit, respectu cæli, & quia plus habent de terra, quàm alii, nolunt aliquid habere de cœlo. Si ad aliquem pertineret terra vnius pauperis militis, ex parte matris, regnum vero ex parte patris: nunquid non infelix esset, si contempto regno, adhæreret illi terræ, quæ eũ contingeret ex parte matris? Sic infælices sunt illi milites, qui de regno cælorum non curãt, quod ad eos pertinet ex parte patris cælestis, contenti terra ista paupertatis, quæ ad illos pertinet ex parte matris nostra Euæ. Pater noster Deus est, mater nostra Eua. Non sic faciebat Dauid in
Ps. 72. Psalm. *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? &c.*

Cap. XXX.

De consuetudine illarum Ecclesiarum, quæ nolunt canonicare, nisi nobiles.

Ostendo, quòd nobilitas carnis contemnenda sit, vel reputanda, tangendum est aliquid de consuetudine illarum Ecclesiarum, quæ nolunt canonicare nisi nobiles. Vnde notandum est, quòd consuetudo illa videtur esse reprehensibilis. Et videtur posse assignari sex causæ huius reprehensibilitatis. Prima causa est peruersitas, quæ videtur esse in hac consuetudine, quæ peruersitas apparebit, si respiciatur causa huius consuetudinis, quam ipsi assignant. Dicunt enim, quòd ipsi habent multa temporalia, quæ defensione indigent, nec habent regem, nec alium principem secularem, qui eos defendat: ideò oportet nobiles canonicari, qui possint ea defendere. Quibus respondeo, quòd sicut Ecclesiæ eorum habent temporalia, ita habent & spiritualia, quæ in infinitum meliora sunt. Vnde si oportet aliquos nobiles canonicari ad defentionem temporalium, multò fortius oportet aliquos literatos & sanctos canonicari ad defensionem spiritualium. Si verò dicãt, quòd ibi sint aliqui ignobiles literati ad defensionem spiritualium, sed non canonici: ex hoc apparet, quod ipsi bona temporalia præponũt spiritualibus, ex quo defensores temporalium canonicos constituunt & superiores aliis.

De quinque peruersitatibus huiusmodi Ecclesiarum.

Et possunt assignari quinque peruersitates huiusmodi Ecclesijs. Prima est, quod ibi est terra sursum, & cælum deorsum. Cælestia enim contemnunt, terrena verò multùm appretiant: contra illud Prouerbiorũ 25. *Cælum sursum*

& terra deorsum. Alia peruersitas est, quòd pedes sunt in loco, vbi deberet esse caput, & caput in loco vbi deberent esse pedes. Velut pedes Ecclesiæ sunt, qui circa terrena solliciti sunt: velut caput sunt, qui regere habent Ecclesiam, viri scilicet literati. Sed in his Ecclesiis pedes sunt in capite: imo ipsi hostes in capite ponuntur. Threnorum primo, *Facti sunt hostes in capite.* Tertia peruersitas est, quòd Ecclesiæ huiusmodi faciem habent ad posteriora, & dorsum ad anteriora: ipsi iuxta verbum Ieremiæ facti sunt in retro, & non in ante. Quarta autem peruersitas est, quòd ipsi latitudinem scuti, qui debebat esse ex parte superiori, posuerunt ex parte inferiori: & ideò contingit, quòd ferè omne caput languidum est: iuxta verbum Esaiæ. Quinta peruersitas est, quòd sacerdotes inferiores sunt subdiaconis & diaconis, quod ridiculum est, sicut beatus Bernardus dicit ad Eugenium Papam. Ridiculum est, inquit, quòd ministri nostri nostris se presbyteris anteferre conantur. Non hoc ratio habet, non antiquitas habuit, non consensit auctoritas: & si de sua consuetudine calumnia struitur, melius profectò illa, quàm summus ordo contemnitur. Secunda causa reprehensibilitatis est, indiscretio, quæ videtur esse in huiusmodi consuetudine, quæ indiscretio primò consistit in hoc, quòd quando ipsi deberent quærere, quis sit idoneus ad hoc vt sit canonicus, id est, regens se, & ad regimen plebis Episcopum iuuans: ipsi quærunt, quis idoneus ad militiam. Secundò, in hoc, quòd quando quærere deberent, an persona sit idonea, quæ canonicanda est: ipsi quærunt, quis pater eius fuerit. Vnde illis potest dici quod dicit Angelus Tob. 5. *Genus quæris mercenarij, an mercenarium?* Indiscretio etiam eorum in hoc est, quòd ipsi credunt illud qualis pater, talis filius, quod verum est in personis increatis, ad personas creatas extẽdunt; ibi enim frequenter fallit: frequenter enim est pater sapiens, & filius fatuus. & patet in Solomone & Roboam filio eius. Tertiò, videtur hæc consuetudo reprehensibilis, quia valdè nociua est Ecclesiæ Dei. Canonici enim militares non benè custodiunt Christum, sicut figuratum videtur esse in hoc, quòd milites malè custodierunt Christum in sepulchro. Lapides sepulchri benè custodierunt milites, sed Christum perdiderunt. Vnde cantat Ecclesia *Dicant nunc Iudæi, &c.* Sic militares canonici lapides castrorũ benè custodiunt, sed Christum amittunt. Item ista consuetudo occasio ruinæ est in Ecclesiis illis, quantum ad spiritualia. Vnde Prouerbior. 17. *Qui altam facit domum, quærit ruinã.* Ista etiam consuetudo in Ecclesiis illis in magna parte exhæredat Christum. Frequenter enim quando deberent institui ibi filiis Dei, instituuntur filii diaboli.

Quartò, videtur reprehensibilis consuetudo ista, quia Christo contraria est. 4.
Christus enim ignobiles elegit in Ecclesia sua, vt essent humiles. 1 Corinth. 1. Isti verò nobiles canonicant, quasi velint ipsos esse superbos. Christus ex pastoribus & bubulcis elegit reges: isti verò ex regibus eligũt canonicos. Christus fundamentũ Ecclesiæ posuit humilitatẽ: ipsi verò è contrario, fundamentum Ecclesiæ ponunt superbiã. Tale fundamentum poneret diabolus, si ædificaret. Quomodo implent tales illud verbum Domini, Ioan. 12. *Quæ mihi ministrat, me sequatur.* Non sunt imitatores Christi, sed sũt quasi antichristi. Et 1. Ioan. 1. *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Bernard. Si omnis, qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare? multo magis qui pro eo ambulare se dicit, qui pro eo legatione fungitur, qui ei ministrat, eum non sequitur, inexcusabilis est. Terrere potest tales illud Matt. 18. *Nisi cõuersi fueritis, & efficiamini sicut*

paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Paruulus quantumcunque nobilis sit, societatem pauperum non refugit: sic quantumcũque aliquis nobilis sit in Ecclesia Dei, societatem ignobilium non debet refugere. De societate hominum diuersorum generum in Ecclesia Dei, videtur esse dictum illud Esa. 11. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cũ hædo cubabit.* Quintò, videtur esse reprehẽsibilis consuetudo, quia videtur esse Deo abominabilis. Altitudo enim sæcularis non videtur Deo placere. Vnde Luc. 16. *Quod altum est hominibus, abominatio apud Deũ.* Abominationes Deo offerunt, qui nobiles tantùm canonicare volunt. Exod. 18. *Abominationes Ægyptiorum immolamus Deo nostro.* Sextò, videtur esse reprehensibilis hæc consuetudo, quia filios diaboli filiis Dei præponit, & generationem immundam, generationi cælesti, & nobilitatem putredinis præponunt cuique gratiæ Dei. Nullam autem sapientiam, nullam aliam gratiam nobilitati carnis adæquant. Vnde consuetudo eorum non recipit dispensationem: quia secundùm iudicium eorum, non inueniunt recompensationem, quod non est absque magna contumelia Dei. Sic porcus præponeret volutabrum luti, auro & lapidibus prætiosis. Ad sola temporalia videntur habere oculum Ecclesiæ istæ, non solùm in canonicorum institutione, sed etiam in Prælatorum præfectione, quòd omnino intolerabile videtur, saltem in altero horum deberet respectus haberi ad spiritualia

Cap. XXXI.

Quòd fatuum sit superbire generaliter de qualibet re temporali, scilicet libertate corporis, &c. & bonis naturalibus animæ.

Viso quòd fatuum sit superbire de nobilitate carnis, consequens est videre quòd fatuum sit superbire de aliis bonis, quæ prius nominata sunt. Notandum est ergo, quòd fatuum est superbire de libertate corporis, cùm corpus sit maleuolus, & ideò tortura & compedibus dignus: iuxta illud Eccles. 33. *Seruo maleuolo tortura & compedes, &c.* De bonis verò naturalibus animæ fatuum est superbire: quia bona illa potest homo habere ad malum suum sicut ad bonum. Vnde Bernardus: Si in professione religionis nouus homo callidus est ingenio, si viget arte, si præeminet intellectu, instrumenta sunt hæc tam vitiorum, quàm virtutum. Non ergo refugiat doceri vti eo in bono, quo & in malo vti potest. Fatuum est etiam superbire de diuitiis. Hoc enim est superbire de hoc, quod habet maiorem molam ad collum, quàm alii. Fatuum est etiam de potestate superbire, cùm scriptum sit Sapientiæ sexto: *Quòd potentes potenter tormenta patientur.* Ibidem legitur, quòd *durissimum iudicium his qui præsunt, fiet.* Et Augustinus dicit, quòd quanto quis in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur. Fatuum est etiam superbire de grati humana, cùm scriptum sit Prouerbiorum vltimo, *quòd fallax gratia, &c.* Fatumm est etiam superbire de gloria huius mundi, cùm gloria talis, flos sit decidens. Vnde Esaiæ vigesimo-octauo: *Erit flos decidens gloria exultationis.* Puerorum est, flores colligere, quæ ex arboribus decidant, & inde lætari. Sic pueriles sunt, qui de gloria huius mundi lætantur. Fatuum est etiam superbire de scientia, cùm scriptum sit Ecclesiastici 1. *Qui addit scientiam, addit & laborem.* De scientia superbire, est de lumine excæcari. Fatuum etiam est de virtutibus superbire. Hoc enim est de medicamine vulnerari. Gregorius: Qui de virtutibus habitis extollitur, quasi de medicamento vulneratur.

Cap. XXXII.

De diuisione superbiæ sumpta penes diuersitatem personarum. Et primo de superbia ministrorum Ecclesiæ in communi.

Positis autem duabus diuisionibus superbiæ: consequenter ponenda est tertia, quæ sumpta est secundum diuersitatem personarum, in quibus est superbia. Notandum ergo quod superbia diuidi potest in superbiam laicorum, & superbiã ministrorũ Ecclesiæ. Superbia vero ministrorum Ecclesiæ potest subdiuidi in superbiam prælatorum & superbiam subditorum: vel in superbiam claustralium, & superbiam secularium clericorum. Sed de superbia laicorum nihil specialiter hîc dicemus. De superbia autẽ ministrorum Ecclesiæ hoc modo tractabimus. Primo dicemus aliquid de ea in communi. Secundò vero aliqua dicemus specialiter de superbia prælatorum. Tertio vero dicemus aliquid specialiter de superbia claustralium.

Quod superbia multum sit timenda ministris Ecclesiæ.

Notandum ergo est quod superbia multum timenda est ministris Ecclesiæ quinque de causis. Primo, quia multas occasiones habent superbiendi. Vna occasio est, quod ipsi sunt excepti à labore aliorum hominum. Vnde in Psal. *In labore hominum non sunt*, &c. Ideo tenuit eos superbia. Alia occasio est, libertas quam habent: quæ libertas aliquibus eorum est velamen malitiæ, contra illud. 1 Pet. 2. *Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem.* Tertia occasio est reuerẽtia quæ exhibetur eis, eo quod sunt ministri summi regis, & vicem eius gerunt in terris, & contẽptum eorum Deus reputaret contemptum suum: iuxta illud Luc. 10. *Qui vos spernit me spernit.* Secundo timenda est superbia in ministris Ecclesiæ, quia multum displicet Deo in eis. Vnde Prou. 6. *Sex sunt quæ odit Deus, & septimum detestatur anima eius: Oculos sublimes.* Oculi sublimes clerici superbi sunt. Et Soph. 1. *Et erit: in die hostiæ Domini visitabo super omnem qui arroganter ingreditur super limen.* Dies hostiæ Domini erit dies iudicii, quando Dominus mactabit incrassatos, impinguatos, dilatatos. Tunc Dominus visitabit super clericos superbos. Nec mirum si Dominus odiat superbiam ministris suis, cum proprium signum sit superbia ministrorum diaboli: iuxta illud Gregorii: Euidentissimum signum reproborum est superbia, humilitas electorum. Non parum doleret princeps aliquis, si in castro suo vexillum inimici sui videret. Tertio valde timenda est eis superbia, quia valde contraria est officio eorũ. Ipsi enim sunt quasi custodes sciẽtiæ & vasa gratiarum. Vnde Malac. 2. *Labia sacerdotis custodiũt scientiam & legem requirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituũ est.* Propter hoc quod custodes sunt sciẽtiæ, necessaria est eis magna humilitas. Aqua enim sapientiæ ad vallem humilitatis confluit. Prou. 11. *Vbi humilitas, ibi sapientia.* Propter hoc etiam quia vasa gratiarum sunt, necessaria est eis magna humilitas. Sicut enim vas non est idoneum aliquid recipere absque concauitate: sic aliquis non est susceptibilis gratiæ absque humilitate 1. Pet. vlt. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Propterea oportet ministros Ecclesiæ esse familiares Deo: ad quod etiam multum valet humilitas. Vnde Gloss. super illud Psalm. *Iuxta est Dominus his, qui tribulato sunt corde.* Altus quidem est Dominus, sed vicinatur humili, & non se erigenti. Necessaria etiã est eis humilitas propter seruitium, quod debent hominibus exhibere. Eorum enim est abluere sordes spirituales hominum: quod figuratum est Ioan. 13. in

ablutione pedum. Ideo summus inter ministros Ecclesiæ, seruum seruorum se vocat humiliter. Ergo oportet quod si habeant vt à pauperibus & humilibus non timeantur: sed audeant ad eos accedere confidenter, & vt solatium pauperes habeant in humilitate eorum: quia secundum verbum Augustini, Magnum solatium est membris ex capite. Magnum solatium est subditis, qui in humilitate sunt, si videant præfatos suos in simili vel maiori humilitate. Quarto timenda est eis superbia, quia multi ex eis non habent vnde pascant superbiam, nisi hoc faciant de spoliis pauperum. Bona enim Ecclesiæ bona pauperum sunt. Præterea valde indecens est superbia in eis, cum ipsi eelemosynis viuant, & elemosynas pauperum & miserabilium personarum quotidie edant. Quinto timenda est eis superbia, quia peccatum superbiæ in eis scandalizat populum, cum sit manifestum. Innocentia & alia peccata possunt ipsi abscondere, sed superbiam exteriorem in vestibus & similibus consistentem non possunt ipsi abscondere.

Persuasiones contra superbiam ministrorum Ecclesiæ.

SEd contra has & similes persuasiones, quæ fiunt ministris Ecclesiæ, vt caueant superbiam exteriorem, dari solet quadruplex responsio. Prima est, quod Dominus intuetur cor, & humilitatem cordis requirit, & humilitatis interioris magistrum se profitetur. Matt. 11. dicens: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et ideo videtur minime quibusdam necessaria humilitas exterior. Secunda responsio solet esse, quod licet homini pulchritudines istas exteriores habere secundum modum personæ suæ, & mores eorum inter quos viuitur: quod videtur sumptum esse ex Gloss. super illud ad Timothæum 1. *Non in tortis crinibus*, quæ dicit sic: vt in his omnibus vltra modulum personæ suæ & mores Ecclesiæ, mouendæ ne concupiscentiæ studeant. Tertia responsio solet esse, quod in huiusmodi honor Ecclesiæ quæritur. Quarta est, quod ipsi non faciant hoc amore vanæ gloriæ: sed vtantur talibus tanquam non vtentes.

A corde humilis personæ de facili non procedit superbia exterior.

SEd contra primam responsioné primo videtur esse hoc, quod non potest esse de facili, quod à corde perfectè humili exterior superbia procedat. *Sicut enim arbor bona non potest malos fructus facere,* vt legitur Matth. 7. sic nec cor humile superbiam à se producit. Ex fructu siquidem arbor cognoscitur, vt legitur Matth. 22. *Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?* Sic nec ex humilitate cordis procedit superbia operis quia sicut vulgariter dicitur: Non potest exire de sacco, quod ibi non continetur. Quis credit mulieri si asserat se castam mente, ex quo homo videt eam fornicari corpore? sic quomodo potest credi alicui de humilitate cordis, ex quo tanta superbia apparet exterius.

Quod clericis non sola sufficit interior humilitas.

PRæterea non videtur clericis sufficere interior humilitas multiplici ratione. Primò, quia oportet eos vitare scandala infirmorum. Et sicut tangit Apostolus de illo, qui coram infirmo comedebat idolis immolatum quod, peccaret scandalizando infirmum, qui credebat hoc fieri cum veneratione idoli: licet ille qui sciens erat idolum non veneraretur, sed contemneret. Sic ille qui vestes superbas corã illo defert, qui credit quod ipse faciat propter vanam gloriam, licet ipse non faciat hoc tali causa, tamen ipse

peccat, vt videtur ipsum scandalizando. 1. ad Corinth. octauo: *Si quis viderit eum qui habet scientiam in idolo recumbentem, nonne conscientia eius quum sit infirma ædificabitur ad comedēdum idolothyta? Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic enim peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.* Sic minister Ecclesiæ debet dicere: Si vestis prætiosa scandalizat fratrem meum, non deferam eam in æternum. Secundò non sufficit humilitas interior clericis: quia ipsi debent Christum imitari, qui non solum habuit interiorem humilitatem, sed etiam exteriorem. Ipse enim ad literam, *pedes iuit, regnum fugit*, vt legitur Ioannis sexto: *Pedes discipulorum lauit.* Ioannis decimotertio: *Societatem pauperum elegit, vbi caput reclinaret non habuit.* Matthæi octauo. Ad imitandum Christum monentur ministri Christi Ioannis decimosecundo: *Si quis mihi ministrat, me sequetur.* Et 1. Ioannis secundo *Qui docit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare.* Tertiò non sufficit clericis humilitas interior, quia oportet eos exemplum humilitatis dare aliis. Vnde Ioannis vigesimo-primo ter dictum est Petro, *Pasce oues meas: Pasce verbo, pasce exemplo, pasce temporali subsidio.* Exemplo autem humilitatis quomodo pascet, qui humilitatem exteriorem non habet? Ad humilitatem exteriorem monemur. 1. Petri quinto. *Omnes inuicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et ibidem paulo ante: *Nique dominantur in clero, sed forma facti gregis ex animo.* Exemplum superbiæ ostendere hominibus, hoc est pascere dæmones & non oues. Bernardus ad Eugenium papam: Tu pastor procedis deauratus, tam multa circundatus varietate: oues quid capiunt: si auderem dicere, dæmonum magis quàm ouium processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis, & non tectus auro, nec vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circunstrepentibus septus ministris, neque hic tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum, *Pasce oues meas.* Quartò non sufficit interior humilitas clericis: quia non solum à malo, sed ab omni specie mali eos abstinere oportet: iuxta monitionem Pauli primo ad Thessalonicenses vltimo. *Ab omni*, inquit, *specie mala abstinete vos.* Ad hoc autem quod Dominus dicit, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, &c.* Dicendum, quod hoc dicitur ad ostendendum quòd humilitas cordis necessaria sit, & non ideo quod sufficiat: sed dicitur hoc contra hypocritas, qui solam iustitiam exteriorem habere solebant. Matthæi vigesimo-quarto. *Væ vobis Pharisæi & hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis & catini: intus autem pleni estis rapina & immunditia.* Et Ecclesiastici decimo nono. *Est qui nequiter se humiliat, interiora autem eius plena sunt dolo.* Contra hoc vero quod dicitur, licet alicui habere has pulchritudines exteriores secundum modum suæ personæ, videtur esse illud Ecclesiastici tertio: *Quāto maior es, humilia te in omnibus:* qui dixit in omnibus, nihil excepit. Et Luc. decimo-quarto: *Cum inuitatus fueris, &c. recumbe in nouissimo loco:* non dixit in medio loco, sed in nouissimo. Præterea qui præeminet in dignitate, debet præeminere & virtutibus. Vnde debet esse excellentioris humilitatis: virtutes enim sunt æquales. Contra hoc vero dicitur, quod homo debet se conformare moribus hominum inter quos viuit, est illud: *Nolite conformari huic seculo.* Præterea quando aliquis est in aliqua religione dissoluta, non debet respicere ad ea quæ ibi

seruantur, sed ea quæ instituerunt antiqui patres vt ibi seruarentur. Ordinauerunt enim Petrus & Paulus etiam de mulieribus, quod cauerent à prætioso ornatu. 1. ad Timoth. 2. *Non intortis crinibus aut auro vel margaritis, vel veste prætiosa.* Et illud eiusdem 6. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Non dicit, quibus ornemur, sed quibus tegamur. 2. Petri 3. *Quarum non sit exterior capillatura, aut circũdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* Ad ea ergo, quæ secundum ordinationẽ eorum debent, fieri respiciendum est, non ad ea quæ fiunt. Præterea, si quis episcop⁹ vel presbyter in tali habitu in principio Ecclesiæ fuisset, multum reprehẽderetur & haberetur pro magno peccato & magna superbia. Quomodo ergo desiit esse peccatũ, quod superbia erat; Nunquid consuetudo peccandi aufert vel minuit peccatum? Immo potius hominem magis peccatorem constituit. Nunquid quod tunc fuit superfluitas & vanitas, modo factum est necessitas Præterea si viuendum est alicui secundum mores eorum inter quos viuit, secundum hoc si omnes superbi efficiuntur omnes desinent esse superbi. Iam enim conformauit se moribus eorum inter quos viuit: & si omnes fœtidi fiunt, iam nullus fœtet, quod constat esse falsum. Sed hoc bene verum est, vbi omnes fœtidi sunt, minus fœtor sentitur, secundum verbum Bernard. Præterea si liceret etiam talibus vti, cauendum esset ei qui vtitur, ne licentia sua aliis offendiculum fieret. Vnde 1. ad Corinth. 8. dicit Apostolus illis qui immolata idolis comedebant sine veneratione idolorum: *Videte*, inquit, *ne licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* Et ad Corinth. 6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Bernardus: Sapiens opus suum trina consideratione præuenit. Primo, considerat an liceat. Secundo, an deceat. Tertio, an expediat. Sed de hoc dictũ est in tractatu de Auaritia, in capite de pluralitate beneficiorum. Et in veritate non decẽt personas authẽticas, quę quasi quoddam speculum debent esse minoribus, vestes prætiosæ. August. Fateor, de prætiosa veste erubesco: non enim decet hãc professionem, non decet hæc membra, non decet hos canos. Contra responsionem eorũ, qui dicunt se talibus vti propter honorem Ecclesiæ. Primo esse videtur quod dicit Gregorius. Nemo prętiosa vestimenta nisi ad inanem gloriam quærit. Præterea non cedit ad honorem Ecclesiæ quod minister ipsius speciem superbiæ exterius ostendat hominibus, sed potius humilitatem Christi: cum scriptum sit Ecclesiast. 23. *Magna gloria est sequi Dominum.* Neque sponsus Ecclesiæ decorem exteriorem in Ecclesia requirit, sed potius interiorem. Vnde postquam Dauid dixit, regem concupiscere decorem Ecclesiæ, ipse volens innuere de quo decore intelligitur, subdit: *Omnis gloria eius, scilicet filiæ regis, est abintus.* Ecclesia etiam dicit de se Cant. 1. *Nigra sum, sed formosa.* Nigra est Ecclesia exterius, formosa vero interius. Quod etiam habitus ministrorũ Ecclesiæ manifeste exprimit. Habent enim cappas nigras exterius, superpellicium candidum deferentes sub cappis: in quo ostendunt se cõtemnere gloriam, & pulchritudinem exteriorem, & amare pulchritudinem & gloriam interiorem. Sed multi si veritatem in habitu suo ostendere vellent, potius cappam nigram sub candido superpellicio deferrent, quàm econtrario. Præterea qui dignitatẽ Ecclesiasticam terreno honore volunt ornare, similes sunt illis qui aurũ luto volunt ornare. Honor enim terrenus in cõparatione ad dignitatem Ecclesiasticam se habet vt lutum ad aurum. Contumeliam etiam videtur facere naturæ humanæ, & Deo, ad cuius similitudinem homo creatus est, qui talibus hominem ornare vult, vel honorare. Seneca: Scito-

te tam bene homines culmo, quam auro tegi. Contēnite omnia quæ superuacuus labor vult, ornamentum aut decus poterit cogitare. Nihil præter animum est mirabile. Item cum aliquis non debeat sibi terrenam gloriam amare, videtur quod similiter non debeat eam amare proximo, cum debeat proximum diligere sicut seipsum. Igitur nec debet eam amare ecclesiæ, cum ecclesia nihil aliud sit, quàm collectio fidelium. Præterea, quid quærunt ministri ecclesiæ in huiusmodi pulchritudinibus exterioribus? Quæruntne ibi beneplacitum Dei: vel vtilitatem propriā, vel proximi? Si quærunt beneplacitū Dei, fatue agunt. Deus enim spiritus est, & decor spiritualis placet ei. Hieron. Non tenera vestris, sed munditia mentis ornatum facit clericum. Multa etiam sunt quæ constat magis placere Deo, vt sunt opera pietatis, in quibus possent expendi, quæ in exteriori pulchritudine expenduntur. De huiusmodi expensis, quæ pulchritudine exteriori fiunt, incertum est an Deo placeant. Tene certum secundum verbum Augustini, & dimitte incertum. Item constat sanctitatem Deo placere. Illam enim expresse requirit Dominus. Leuit. 9: *Sancti*, inquit, *estote, quia ego sanctus sum.* Et Apostol. 1. ad Thess. 4. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* Si ergo quærūt Deo placere, sanctitatem honorem sanctitati debent præferre. Cuius contrarium in multis ministris Ecclesiæ aperte quotidie videmus. Vnde Bern. Videmus omnem Ecclesiasticum zelum feruere pro sola dignitate tuenda. Honori totum datur, sanctitati nihil: imo, quod plus est, de placitis Dei non curāt, nec de propria salute, & plus grauarentur expendere denarium vnum pro amore Dei, & propria salute, quam decem libras pro amore huius mundi. Bern. De placito Dei vltima mentio est, pro iactura salutis nulla cogitatio, nisi quod sublime est hoc salutare dicamus, & quod gloriam redolet, hoc iustum. Constat etiam quod non vtilitatem proximi in hoc quærunt, quum videant quod in hoc potius proximum scandalizent, quam ædificent. Vtilitas etiam propria nō apparet ibi. Bene apparet quod multum constant alia, sed fructum quem consequentur ex huiusmodi expensis, non videmus. Et hoc solum deberet sufficere ministris ecclesiæ ad contemptum taliū. Sen. Omnibus consiliis & rebus faciamus quod solemus facere, quoties ad institorem alicuius mercis accesserimus, videamus hoc quod concupiscimus quāti deferatur. Præterea distinguamus diuersas intentiones, quæ in talibus pulchritudinibus possunt incidere, vt appareat vtrum aliquo modo talia ministris ecclesiæ licita sint. Et constat quod si fiāt propter luxuriam vel vanam gloriā, illicita sunt. Item si ex superbia fiant, scilicet intentione & desiderio excellendi alios, constat similiter quod sint illicita. Si vero fiant vt erubescētia vitetur, quia erubesceret aliquis quod non esset honorabiliter indutus sicut alii, neque in hoc casu absque culpa esse videtur. Non enim debēt Christiani humilitatē Christi erubescere: vnde Bern. Grata ignominia crucis, sed ei qui Crucifixo ingratus non est, & Dominus. Luc. 9. *Qui autem erubuerit me, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.* Si vero talia fiant, & ministri ecclesiæ ab hominibus honorentur, videtur quod hoc sit ponere laqueum simplicibus. Videntur enim simplices peccare, quando ministros Ecclesiæ propter pulchritudinem vestium honorant. Ad quod videtur pertinere illud Oseæ 5. dic[illegible] sacerdotes: *Laquei facti estis speculationi.* Qui homines propter vestes honorant, vel propter diuitias, videntur contemnere humanam naturam, cui vestes & diuitias præponūt. Videntur etiam Deū contemnere, ad cuius similitudinem ho-

mo factus est. Vnde Iacobi 2. *Si introierit in conspectu vestro vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum qui indutus est veste prætiosa, & dixeritis, Tu sede hic bene: pauperi autem dixeritis, Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nonne iudicatis apud vosmetipsos & facti estis iudices iniquarũ cogitationum?* Si vero ista faciant ministri ecclesiæ, ne dissimilitudine fugent homines à se, licet hæc intentio recta videatur, tamen neque sic omnino laudabiliter facere videntur. Sicut enim humilis habitus aliquos diuites forsitan fugaret: Sic prætiosus habitus pauperes ab eis fugat, vt non audeant ad eos accedere. Si vero ista faciant ministri Ecclesiæ ne ab hominibus contemnantur, neque in hoc laudabiles videntur, cum ad perfectionẽ pertineat spernere seipsũ, versus: Spernere mundũ, spernere nullum, spernere sese, spernere se sperni, quatuor hæc bona sunt. Senec. Æquo animo audienda sunt imperiorum conuitia, & ad honesta eunti contemnendus est ipse contemptus. Bern. Verus humilis non vult humilis prædicari, sed ciuilis reputari. Si vero talia faciant ne vilescat dignitas ecclesiastica, respondeo quod magis vilescit, quum conspicitur in hominibus qui superbi apparent. Homines etiam illiterati nõ possunt credere quod dignitas vel potestas Ecclesiastica in hominibus fit, quod credunt esse malæ vitæ. Vnde dicunt hæretici quod sacerdotes praui non dant vera sacramẽta. Præterea si dignitas Ecclesiastica sic seruanda fuit ne vilesceret, nunquid hæc ignorauit Christus: Quare ergo non instituit quod Apostoli & discipuli sui equitarẽt, & purpura & bysso induerentur? *Nonne quod stultũ est Dei sapiẽtius est hominibus*, vt legitur 1. ad Corinth. 1. *Item quis nesciat quod displicet sponso, si videat sponsa suam facere multas expensas ad ornandum se, vt placeat adultero suo & inimico sponsui, præcipue si filii sponsi indigeant illis*, quæ sic expendũtur: scis. pauperes Christi, qui esuriunt. Sponsus Ecclesiæ Christus est: adulter vero mũdus iste, qui inimicus Dei est adeo, vt qui amicus vult esse mundi, inimicus Dei constituatur. Iac. 4. *Adulteri, nescitis, quia amicitia huius mũdi inimica est Deo?* Qui ergo voluerit amicus esse huius mundi, inimicus constituitur Dei: Vnde verisimile est, quod multũ displiceat Deo quando ministri Ecclesiæ tot & tanta expendunt vt placeant mundo, cum videant tot filios Dei esurire, & sitire, & nudos esse. Mirũ est etiam cũ qua consciẽtia multi magni prælati dicant versum illum in horis suis: *Nõ habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Cum coram Deo aperte mentiri videantur, ex quo permittũt ministros suos floribus coronatos, & alio superbo modo ornatos sibi ministrare. Præterea quæritur quare Dominus sacco vili carnis hominem induit, si saccum illũ purpura superindui voluit. Qui illũ mercatorẽ non reputaret fatuũ, qui bagã suã de scarleto burello cooperiret, si voluntas sua esset, quod iterũ super burellũ scarleta poneretur? Contra quartam vero responsionẽ, qua dicũt ministri Ecclesiæ, quod ipsi non amant vanã gloriã nec ad vanam gloriã talibus pulchritudinibus vtãtur, sed habẽt eas tanquã non habentes, primo videtur esse verbũ Greg. prius positũ. Nemo enim prætiosas vestes, nisi ad inanẽ gloriã, quærit, vt videlicet cæteris honorabilior videatur. Nemo vult ibi prætiosis vestibus indui, vbi à nemine possit videri. Secũdo videtur esse contra illã responsionẽ hoc, quod mirũ est qui vanã gloriam tamcare emũt, si eam non amãt. Videmus quod multi non libẽter expẽderẽt pro æterna gloria decem solidos, pro vana gloria centũ solidos expendũt. Itẽ si non amãt vanã gloriam, quare ostendunt hominibus in habitu suo quod amẽt, cũ in hoc ipso scandalizant eos? Quod prodest sermone ad

humilitatem, & opere ad superbiam? cũ secundũ Bern. edificatio sit vox operis, quã vox sermonis. Præterea, nonne ministri Ecclesiæ exemplum debent dare hominibus contemnendi gloriã mundi, sicut & Christus fecit? Aug. Omnia terrena contempsit homo Christus Deus, vt ab hominibus contemnẽda monstraret: & omnia aduersa sustinuit, vt sustinenda doceret. Quare etiam quædam alia pertinentia ad hanc materiam in tractatu de Auaritia in cap. de prodigalitate clericorũ. Illa etiam quæ dicta sunt prius cõtra superbum ornatum, & contra alias species superbię exterioris, possunt similiter valere contra superbiam clericorũ.

Cap. XXXIII.

De superbia Prælatorum, & quod multum conandum sit contra eorum superbiam.

ET notandum est, quod multũ conandum est prælatis contra superbiã, & ad humilitatem. Primo, quia multũ monet eos S. Scriptura ad hoc. Vnde Deut. 16. præcipitur de Rege constituto super Israel, vt non eleuetur cor eius in seperbia super fratres suos. Et Eccl. 3. *Quanto magnus es humilia te in omnibus*. Et 32. eiusdẽ. *Rectorem posuerunt te, noli extolli, sed esto in eis quasi vnus ex illis*. Et Matth. 18. dicit Dominus ad Apostolos, quorũ locum tenent prælati: *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis à vestra elatione*. Dicit interlinear. *& efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum*. Secundo, monet eos ad hoc ipsa natura. Aurũ enim quod prætiosissimum est inter metalla, contendit habere infimũ locum: ponderosissimũ est enim. Sic quanto aliquis superior sit, tanto ad humilitatẽ conari debet. Tertio vero, quia ipse auctor naturæ monet eos ad hoc, qui cũ esset summus, nouissimus virorũ fieri voluit, iuxta illud Esa. 53. *Desiderauimus eum virũ despectũ, & nouissimum virorum*. Bern. Quid magis admirandũ, quid amplius detestandum, quid grauius puniendum, quàm quod vidẽs Dei filium summũ in regno cœlorũ, nouissimũ factum in regno hominũ? vt quid apponat magnificare se homo terram? Quarto vero, quod valde prætiosa est & magnæ virtutis in talibus personis humilitas. Bern. Quũ omni indifferẽter personæ humilitas sit quædã turris fortitudinis à facie inimici, nescio quo pacto vis eius maior in maiorib⁹, & clarior in clarioribus, comprobatur. Idem: Non magnum est esse humilem in abiectione, magna prorsus & rara virtus humilitas honorata. Quinto vero, quia ex hac parte prælati sunt debiliores. Ex illa parte præcipue muniendum est castrũ, ex qua parte debilius est. Ex illa parte præcipue resistendũ est hostibus, ex qua parte præcipue impugnat. Sic quãdo aliquis videt se pronũ ad aliquod vitium, vel à natura, vel alia occasione, ipse debet se multum flectere ad oppositum, sic enim faciunt, secundum verbũ Sapientis, qui turtuosa lignorum dirigunt. Superbia enim multum infestat prælatos. Perflant enim altissima venti. Superbia in alto loco nata, scil. in cœlo alta petit, vnde pauci sunt qui in dignitate verã humilitatẽ seruent. Quod patet in lib. Reg. vbi de tot regibus legitur, quod excelsa non abstulerũt. Sexto, quia prælati maiori sciẽtia & gratia indigẽt quã alii, & ideo maius vas humilitatis eis est necessariũ. Præterea prælati custodes sunt sponsæ: & ideo necesse est, vt nec in habitu, nec in alio appareãt in eis aliqua signa, vel lasciuiæ, vel luxuriæ, quod tamẽ valde male hodie seruatur. Ber. Intuere quomodo incedũt nitidi & ornati, circũ amicti varietatibus, tanquã sponsa procedens de thalamo suo. Nẽpe si quẽpiã taliũ repente eminus procedẽtẽ espexeris, sponsã potius putabis quã sponsæ custodẽ. Et notandum, quod ad hæc duo prælati multũ deberent niti, vt præessẽt vtiliter & humiliter: & infra hęc duo limitata deberẽt esse ea, quę ipsi iniũgũt subditis. Sed sicut Ber. dicit: Pauci

profecto sunt qui vtiliter, pauciores qui humiliter præsint.

Cap. XXXIV.

De quadruplici superbia claustralium.

Qvatruplex superbia in claustralibus solet inueniri. Prima species superbiæ est eorum, qui sapientes se credunt, & ideo sensu suo se regere volunt & multum sunt suæ voluntatis. De hac superbia dicit Bernard. Superbia quantum illis prudens videatur esse, dimittẽda est & abigenda. Si enim admittatur superbia, prima die qua incipit habitare, incipit leges dare. Prou. 26. *Vidisti hominem sibi sapiẽtem videri? magis spem illo habebit insipiens.* Tales nolunt facere quod eis dicitur, etiam si prius habebãt voluntatem quam eis diceretur. Greg. Superba mens ad ea quæ non appetit, nullis adhortationibus flectitur: ad ea vero quæ appetit sponte, etiã cogi quęrit: Et hæc species superbiæ præcipue periculosa est in nouitijs. Vnde Bern. Nouitium prudentem, insipientem, sapientem in cella diu posse consistere impossibile est. Stultꝰ ergo fiat vt sit sapiẽs. Et hæc omnis eius sit discretio, vt in hac nulla ei discretio: hæc omnis eius sapientia sit, vt in hac parte ei nulla sit. Secunda sapiens superbiæ est eorum claustralium, qui despiciunt seculares & peccatores, credentes se inquinari ex consortio eorum: similes Iudæis, de quibus dicitur Ioan. 18. *qui non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed manducarent pascha.* Timebant enim se inquinari cohabitatione infidelium, & non timebant se inquinari sanguine innocẽtis, scilicet Christi. *Duces cæci excolentes culicem, camelum autem glutientes:* vt dicitur Matth. 23. De talibus legitur Esa. 65. Qui dicunt: *Recede à me non appropinques mihi, quia immundus es. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.* Deut. 23. *Non abominaberis Idumæũ, quia frater tuus est: nec Ægyptium, quia aduena fuisti in terra eius.* Isti non attendũt quod in seculo aliquis potest ducere vitã religiosam, & aliquis in claustro vitam secularem: quod figuratum videtur esse Iosue 4. vbi præcepit Dominus quod duodecim lapides sumerentur de medio Iordanis, & ponerentur in loco castrorum. Alios etiam duodecim lapides de sicco posuit Iosue in medio Iordanis. Aliqui enim seculares quoad meritum sunt claustrales, & econtrario. Per lapides qui in fluuio erant, intellige eos qui sunt in fluxu huius mundi. Per illos qui in arido, intellige illos qui sunt in claustro. Gregorius in examine recti iudicis, mutat merita ordinum qualitas actionum. Et quidam in melior ordine deteriores sunt: quia & isti sortem extremi habitus bene viuendo transcendunt, & illi superioris loci meritum non exequendo dimittunt vel diminuunt. Sancto Paphnutio oranti, cui sanctorum esset similis, Respõsum est primo, quod cuidam Symphoniaco, qui quærebat victum arte cantandi. Et cum Paphnutius eum inuenisset, quæsiuit eum si alicuius meriti esset apud Deum: Qui respondit se nihil meminisse fecisse, nisi quod quũ ipse latro esset. & quædam mulier esset capta, quam socij volebant violare, restitit eis, & eripuit eam. Et alio tempore cum quædam mulier lamentaretur per eremum, eo quod filij sui tenerentur in captiuitate, ipse errantem reduxit ad refectionem, & dedit ei trecentos solidos, quibus redemit maritum & filios. Postea ille Symphoniacus dimittens artem cantandi, intrauit eremum, hortatu Paphnutij factus vir sanctus. Et cum mortuus fuisset vir Symphoniacus, iterum orauit Paphnutius, cui sanctorum similis haberetur. Et responsum est ei: Similis est erimario vici huius qui est in proximo. Cumque venisset ad eum, & inquisiuisset de vita eius, dixit se esse coniugatum, & libenter sedantem lites, hos-

hospitalem, qui non cognosceret vxorem nisi causa prolis, non raptorem, non lædentem vxorem, famulos vel greges, vel fruges aliorum. Et idem in hortatu Paphnutii venit ad eremum. Et cùm mortuus fuisset, iterùm dictum est ei, quòd similis esset cuidam negotiatori venienti ad se. Cui cùm occurisset Paphnutius, hortatus est eum ad eremum, qui acquieuit ei, & omnia distribuit pauperibus. Et non post multum tempus mortuus est. Et posteà per vocem eius Paphnutio reuelatum est, quòd esset citò moriturus, & assumendus in cælum, & hoc non esset ideò ei prius reuelatum, ne fortè elatus, aliquod damnum sui laboris inde incurreret. Et mortuus est, aliis videntibus, anima eius ab Angelis psallentibus delata est in cælum. Tertia species superbiæ est eorum, qui volunt habere in claustro quæ non habebant in sæculo: vt delicias, vel magnum nomen, contra hoc quod dicit Augustinus, Qui autem non habent, non ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. Et iterùm: Non erigant ceruicem, quia eis associantur, ad quos foris recedere non audebant: sed sursum cor habeant, & terrena vana non quærant, nec incipiant monasteria esse vtilia diuitibus, non pauperibus, dum diuites illic humiliantur: & pauperes illic inflantur. Quidam etiam, qui ante claustri ingressum, vix in suo vico vel oppido cogniti fuerant, post circumeuntes prouincias curias frequentantes, regum notitias & principum familiaritates assequuntur. Quarta species superbiæ, est superbia eorum, qui in claustro gloriantur vel superbiunt, vel de diuitiis quas habuerunt in sæculo, vel de hoc, quod contulerunt eas in claustro, vel de aliquibus quæ strenuè egerunt in sæculo. Vnde Aug. Nec extollantur, si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt: nec de suis diuitiis magis superbiant, si eas Monasterio partiantur, quàm si eis in sæculo fruerentur. Et iterùm: Quid prodest dispergendo dare pauperibus, & pauperem fieri, quum anima misera superbior efficitur, diuitias contemnendo, quàm fuerat possidendo. Bernardus: Nonnunquam audiuimus aliquos de his, qui religiosè vestiti, & religionem professi sunt, reminisci & iactitare mala sua præterita, quæ V.G. aliquando vel fortiter gladiatorio, vel argutè in literatorio gessere conflictu, siue aliud quidem secundùm mundi facultatem fauorabile, secundùm salutem verò animæ nociuum, perniciosum & damnosum secularis adhuc animi indicium est hoc, & humilis habitus qui gestatur à talibus, non sanctæ nouitatis est meritum, sed priscæ vetustatis operculum.

Cap. XXXV.

De duodecim gradibus superbiæ, secundùm Bernardum.

PRæter tres diuisiones superbiæ prius positas, sunt aliæ duæ diuisiones, quæ videntur quodammodo pertinere ad peccatum superbiæ. Prima est, graduum superbiæ. Secunda verò est quorumdam vitiorum, quæ ex superbia procedunt. De vtrisque ergo tractabimus. Sed primò de gradibus superbiæ. Notãdum est ergo, quòd 12. sũt gradus superbiæ, quos B. Bernar. distinguit. Primus gradus est, curiositas, quæ secundùm Bernardum. his indiciis deprehenditur. Si videris Monachum, de quo prius benè confidebas, vbi stat, ambulat, sedet, oculis incipientem vagari, caput erectum, aures portare suspensas, è motibus exterioris hominis interiorem immutatum hominem agnoscas. Oritur autem secundùm Bernardum ista curiositas in alios ex incuria sui. Vnde ipse ait; Dum anima à sui circũspectione torpescit, incuria sui, in alios curiosam eam facit. Idem: Quo à te curiosè recedis? Cui te interim committis? Nunquid audet

oculos leuare in cælum, qui peccasti in cælum? Terram intuere, vt cognoscas teipsum, ipsa te ibi repræsentabit: quia terra es, & in terram ibis. Secundus gradus est leuitas, quæ secundùm Bern. sic oritur ex gradu præcedenti. Monachus, qui sui negligēs est alios curiosè circunspicit, dum quosdam suspicit superiores quosdā despicit inferiores. In aliis quidem videt, quod inuidet, quod in aliis irridet: inde animus nulla cura sui grauatus, per superbiam ad alta se erigens, modo per inuidiam tabescit, nūc per excellentiam pueriliter hilarescit, & quòd superari se dolet, & quod superare se gaudet, amor propriæ excellentiæ facit. Quibus verò indiciis iste gradus perpendatur, Bern. ostendit, dicens; Has animi vicissitudines nunc pauca & mordacia, nunc multa & inania, nunc risu, nunc luctu plena, semper verò irrationabilia indicant verba. Tertius gradus est inanis lætitia, quæ secūdùm Bern. sic oritur ex præcedenti. Monachus qui duos gradus superbiæ ascendit, cùm gaudium videt interpolari tristitia, quam de bonis alterius contrahit, impatiens suæ humiliationis, fugit ad consilium falsæ consolationis. Ex illa parte, quæ sua sibi vilitas, & aliena excellentia monstratur, restringit curiositatem, vt in quo ipse videtur excellere curiosius nocet, in quo alter præcellit, sēper dissimulet: vt dum deuitat quod triste putatur, lætitia continuetur. Deprehenditur etiam iste gradus his indiciis, secundùm Bernardum. Rari vel nulli gemitus sunt, vel lacrymę. Putes, si attendas, aut sui oblitum, aut ablutum à culpis: si in signis scurrilitas, in fronte hilaritas, vanitas apparet in incessu. Pronus ad iocum, facilis & promptus ad risum. Similis est vesicæ turgidæ vento, puncto perforatæ exiguo, quæ si stringitur, crepitat, & crebros sonitus reddit, vento, non passim, sed strictim egrediente: Sic ventus vanitatis à Monacho non valet liberè egredi propter disciplinam silentii, inter angustias faucium per cachinnos emittitur: & cùm os obstruxerit, per nares sternutare auditur. Quartus gradus est iactantia in multiloquio, quæ secundùm Bernardum ex præcedenti gradu sic oritur. Postquam vanitas crescere, & vesica grossescere cœperit, necesse est, vt ampliori foramine, laxato sinu ventositas eructetur, alioquin rumpetur. Deprehenditur autem gradus iste his indiciis: Qui in isto gradu est, esurit & sitit auditores, quibus omne quod sentit, effundat: præuenit interrogantem, non quærenti respondet: Ipse quærit, ipse soluit, & verba collocutoris imperfecta præscindit: Pulsato signo, breue conqueritur interuallum. Si de religione agatur, statim visiones & somnia proferuntur. Laudat ieiunia, commendat vigilias, super omnia orationes exaltat. Si ad ludicra sermo conuertitur, in his quanto assuetior, tanto loquacior inuenitur. Dicas, si audias, fluuium esse scurrilitatis os eius, ita vt seueros & & graues animos, in leuitatem concitet risus. Quintus gradus est singularitas, quæ à præcedēti gradu sic oritur, secundùm Bernard. Turpe est ei, qui se supra cæteros iactitat, si non plus cæteris agat aliquid, vt vltra cæteros appareat. Perpenditur autem gradus iste his indiciis: Qui in hoc gradu est, plus sibi blanditur de vno ieiunio, quod, cæteris prandentibus facit, quàm si cum cæteris septem diebus ieiunauerit. Commodior videtur sibi vna oratiuncula peculiaris, quàm tota psalmodia vnius noctis. Dolet aliquem se pallidiorem, & minus comedentem, pallorem suum & maciem in manibus & cætera, quæ potest videre, speculatur. Ad omnia sua strenuus: ad omnia communia piger. Vigilat in lecto, dormit in choro.

Sextus gardus est arrogantia, quæ sęcundùm Bernardum, sic oritur ex præcedenti. Quum ex his, quæ singulariter agit apud simpliciores, eius opinio

excreuerit, qui opera probant quæ cernunt, sed vnde prodeant, non discernunt: dum miserum beatificant, in errorem inducunt. Credit quod audit, quid intendat, non attendit. Obliuiscitur intentionem, dum amplectitur opinionem, vbique de omni alia re plus sibi, quàm alijs credit, de se solo plus aliis, quàm sibi credit, vt non solum verbo, aut operum ostentatione, suam præferat religionem, sed intimo cordis affectu credat se omnibus sanctiorem. Et quidquid laudatum de se agnouerit, non ignorantiæ, aut beneuolentiæ laudatoris, sed suis meritis adscribit. Septimus gradus est præsumptio, quæ sic ex præcedenti oritur, secundum Bernardum. Qui alios se præcellere putat, quomodo plus de se, quàm de aliis non præsumat? Primus in conuentibus residet, in consiliis primus respondet, non vocatus accedit, non iussus se intromittit, reordinat ordinata, reficit facta. Quidquid non fecerit aut ordinauerit, nec refectum, nec pulchrè ordinatum existimat. Iudicat iudicantes, præiudicat iudicaturis. Si cum tempus aduenerit, non promoueatur ad prioratum, suum Abbatem aut inuidum iudicat, aut deceptum. Quod si mediocris aliqua obedientia ei iniuncta fuerit, indignatur, arbitrans, non minoribus se esse occupandum, qui ad maiora se sentit idoneum. Octauus gradus est, defensio peccati, quæ, secundum Bernardum, sic oritur ex præcedenti. Qui promptus ad omnia se consueuit ingerere, impossibile est, aliquando non errare. Ad Prælatum autem pertinet errantem arguere. Sed quomodo culpam suam confitebitur, qui nec esse putat, nec putari culpabilis putatur? Prætereà, cum culpa imputatur, crescit, non amputatur. Multis verò modis fiunt excusationes in peccatis. Aut enim dicit, qui se excusat, non feci: aut feci quidem, sed benè feci, aut si malè, non multum malè: aut si multum malè, non mala intentione. Si aũtem de illa conuincatur, aliena se nititur excusare suasione. Sed qui aperta defendit, quando occultas & malas cogitationes cordi suo aduenientes humiliter reuelaret Abbati? Nonus gradus est simulata confessio, qui gratus quomodo ex præcedẽti oritur. Bern. ostendit dicẽs: Nonnulli cùm de apertioribus arguũtur: sciẽtes quòd si se defenderẽt, non crederentur, subtiliùs inueniunt argumentum defensionis, verba respondentes dolosæ confessionis. Vultus demittitur, prosternitur corpus, aliquas lacrymas si possunt sibi extorquent, vocem suspiriis, verba gemitibus interrumpunt. Nec solùm talis obiecta non excusat, sed ipse quoq; culpam exaggerat, vt dum impossibile aliquid aut incredibile culpæ suæ, ore suo additum audis, etiam illud quod ratum putabas, vix credere possis. Quomodo autem hæc simulatio perpẽdatur, Bernardus ostendit, dicens: Vasa figuli probat fornax, & tribulatio verè pœnitentes discernit. Qui veraciter pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret. Cuius simulata confessio est, vna vel leui contumelia, aut exigua pœna interrogatus, iam humilitatẽ simulare, iam simulationem dissimulare non potest. Murmurat, frendet, irascitur. Quanta putas tunc sit confusio in corde superbi, cùm fraus decipitur, pax amittitur, laus minuitur, nec culpa diluitur. Tandem notatur ab omnibus, iudicatur ab omnibus, eoq; vehementius omnes indignantur, quo falsum conspiciunt quidquid de eo prius opinabantur: Tũc opus est Prælato, vt eo minus parcendum illi putet, quo magis omnes offendit, si illi parcit. Decimus gradus est rebellio, quæ quomodo oriatur ex præcedenti, Bernard. ostendit, dicens de illo, qui est in nono gradu. Nisi miseratio diuina eum respicit, vt (quod valdè difficile est talibus) vniuersorum iudicijs tacitus acquiescat: frontosus mox & impudens

factus, tanto deterius quanto desperatius in decimum gradum, per rebellionem corruit, quique prius latenter arrogans fratres contempserat, iam patenter inobediens etiam magistrum contemnit. Sciẽdum namque quod gradus duodecim in tres tantùm colligi possunt, vt in sex superioribus sit contemptus fratrum, in quatuor sequentibus contemptus magistri, & in duobus qui restant, sit contemptus Dei. Item notandum est, quod duo vltimi gradus in cõgregatione defendi non possunt. Denique vbi fratrum concordiam aut magistri sententiam Monachus spernit, quid vltrà in Monasterio, nisi scandalum facit? Vndecimus gradus est libertas peccãdi, per quam Monachus, cùm iam nec magistrum videt, quem timeat, nec fratres, quos reuereatur, tanto securius, quanto liberius sua desideria implere delectatur, à quibus in Monasterio, tam pudore, quàm timore prohibeatur. Sed etsi iam fratres & Abbatem non timet, nondum tamẽ penitus Dei formidine caret. Hanc ratio tenuiter submurmurans, adhuc voluntati proponit: nec sine aliqua dubitatione, quæcunque primùm illicita perficit: sed sicut is, qui vadum tentat pedetentim, non cursim vitiorum gurgitem intrat. Duodecimus gradus est, consuetudo peccandi, quia sic oritur ex præcedenti, secundùm Bernardum. Postquam terribili Dei iudicio, prima flagitia impunitas sequitur experta, voluptas libenter repetitur, repetita blanditur. Concupiscentia reuiuiscente, sopitur ratio, ligat consuedo. Trahitur miser in profundum malorum, trahitur captius tyrannidi vitiorum: ita vt carnalium voragine desideriorũ absorptus, suæ rationis diuinique timoris oblitus, dicat insipiẽs in corde suo: *Non est Deus.* Iam indifferenter libitis pro licitis vtitur, iam ab illicitis cogitandis, patrandis, inuestigandis, animus, manus vel pedes non prohibentur: sed quidquid in cor, in buccam, ad manum venerit, machinatur, garrit, & operatur maleuolus, magniloquus, faciuorosus.

Cõtemptus in Monacho gignit scãdala.

Cap. XXXVI.

De quibusdam vitijs, quæ procedunt ex superbia, & aduersantur sanæ fidei.

Dicto de duodecim gradibus superbiæ, consequentur dicendum est de quibusdam vitiis, quæ procedunt ex superbia. Dicemus autem tantummodo de quinque illorum, licet sint multo plura. Primo dicemus de quibusdam erroribus, qui sanæ fidei aduersantur. Errores enim ex superbia procedere solent. Quia sicut dicit Aug. superbia meretur illud. Et super illud Ierem. 19. *Arrogantia tua & superbia cordis tui decepit te*, dicit Gloss. Omnis hæreticus, non ignorantia. Secundo, dicemus de peccato irreuerentiæ. Tertio, de peccato inobedientiæ. Quarto, de peccato vanæ gloriæ. Quinto, de peccato hypocrisis. In primo vero capitulo non proponimus dicere de omnibus erroribus, qui contrarii sunt sanæ fidei, quia hoc nimis longum esset: sed solum de quibusdam, qui inueniuntur etiam in eis, qui fideles videntur.

Quod diabolus multùm conatur seminare errores in Ecclesia Dei.

In primis vero notandum, quod diabolus multùm conatur seminare errores in Ecclesia Dei. Ipse enim quasi coruus, qui primo currit ad occulum cadaueris, lumen fidei multùm conatur extinguere in homine. Cuius multæ causæ assignari possunt. Prima causa est, quia ipse scit postquam oculum fidei excæcauerit in homine, ipse potest hominem inducere in omne peccatum. Vnde quidam senex in vitis Patrum dixit, quod quando operiuntur occuli animalis, tunc circuit ad molendinum, alioquin non

Dia[bo]lus [...] rui[...] [...]star, men[...] dei [...] natu[...] extin[...] gue[...] & c[...]

ambulat in circuitu molæ. Sic diabolus, si operuerit oculos mentis, in omne peccatum inclinat hominem, quod figuratum est Iudic. 16. in Samsone, cui postquam Philistæi eruerunt oculos, ipsi etiā clausam in carcere molere fecerunt. Secunda causa est, quòd diabolus odit lucem fidei. Vnde de ipso specialiter dicitur illud Ioan. 3. *Qui malè agit, odit lucem.* Ipse est falsus mercator, volens homines decipere, ideò tenebras procurat. Ipse etiam est deformis adulter: vnde ne deformitas eius videatur, procurat tenebras: iuxta illud Iob 4. *Oculus adulteri obseruat caliginem.* Tertia causa est, quòd diabolus eos qui sibi seruiunt, ducit ad patibulum infernale. Ipse enim sic remunerat seruientes suos, & ideò velat eis oculos, ne videant quo ducantur. Quarta causa est hęc, quia ipse scit, quòd si potest aliquem ponere extra viē fidei, quidquid postea ille faciet: inutile erit sibi quantum ad meritum vitæ æternæ. De
f. 106. via ista potest intelligi illud Psal. *Errauerunt in solitudine in inaquoso, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.* August. Bona opera præter fidem videntur mihi esse velocissimi cursus extra viam. Quinta causa est hæc, quòd fides dexter oculus est animæ, quē si diabolus homini eruerit, ipsum inutilem ad pugnam reddit. Quod figuratum est 1. Reg. 11. in hoc quod dixit Naas Ammonites ad illos de Iabes Galaad: *In hoc vobiscum fœdus feriam, vt eruam omniū vestrùm oculos dextros.* Cuius intentio erat, quòd dextris oculis erutis cùm operirētur sinistri scutis, ipsi inutiles fierent ad pugnandum. Item fides est fundamentum totius ædificii spiritualis, quo destructo, scit diabolus, quòd ædificium spirituale, spiritualiter destructum est. Item, scit diabolus: quòd extra fidem non sit locus propitiationis. Vnde cùm ipse propitiationem homini inuideat (nollet enim quòd eam haberet, cùm ipse non sit habiturus eam) ipse multùm laborat ad hoc quòd extra fidem hominem ponat. Quisquis extra fidem est, gladium iræ Dei habet euaginatum super se Ioan. 3. *Qui incredulus est filio Dei, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eū.* Item quidquid extra fidem est, in mundo isto, quasi in diluuio perit. Quidquid est in hoc mūdo extra fidem est, velut mare mortuum, in quo nihil viuit. Vnde bona hæreticorum sunt velut poma, quæ crescunt in arboribus circa mare mortuū, quæ ante maturitatem sunt viridia; matura verò incisa, fauillam habent intus. Sic bona hæreticorum vera bona videntur, sed ad vltimum ignis infernalis in eis inuenietur. Extra fidem nihil est quod placeat Deo in mundo: nam secundùm Apostolum ad Hebr. 11. *Impossibile est sine fide placere Deo.* Et Ier. 5. *Domine, oculi tui respiciunt fidem.* Nihil etiam est bonum homini in mundo isto absque fide. Propter has causas diabolus multùm conatur errores fidei contrarios seminare in Ecclesia Dei. Et propter easdem causas multum deberemus conari contra errores, & præcipuè Prælati, quorum negligentia errores vt frequētius subintrant: sicut Dominus ostendit Matt. 13. dicens: *Simile est regnum calorū homini, qui seminauit bonū semē in agro. Cùm autē dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici.* In dormitione hominū negligentia prælatorū intelligitur.

(Left margin: sublata fide destruitur totum spirituale ædificium.)

De quatuor erroribus in quibus etiam fideles videntur esse.

QVatuor verò errores inueniuntur etiam in his, qui fideles esse videntur, per quos errores diabolus innumeras animas ad inferiores trahit. De quibus erroribus aliquid tangemus. Primus est, error diuinationis. Secundus est, error maleficorum. Tertius est, error superstitiosorum remediorū. Quartus est, error illarum personarum, quæ credunt ea, quæ fiunt in somno tantum, & in spiritu, fieri in veritate, & corporaliter,

sicut est error illarum mulierum, quæ dicunt se ambulare de nocte cum Herodiade.

De errore diuinationis, & quatuordecim speciebus eiusdem.

Circa primum verò notandum, quòd diuini dicūtur quasi Deo pleni: isti sibi attribuunt quod Dei est. Presumunt enim predicere futura, & reuelare occulta, quæ duo ad Deum specialiter pertinent. Sunt autem multæ species diuinationis, ex quibus 14. numerare sufficiat, licet sint multò plures. Prima fit in igne, & vocatur pypomātia, à pyr, quod est ignis, & mātia, quod est diuinatio. Alia fit in aere, quæ vocatur acrymantia. Tertia fit in aqua, quæ vocatur hydromantia, ab hydor, quod est aqua. Quarta fit in terra, quæ vocatur geomantia, à geos quod est terra. Quinta fit per Pythones, in quibus spiritus malignus loquitur. Dicuntur autem Pythones vētiloqui, à Pythio Apolline sic dicti. Sexta fit per mortuos suscitatos, quæ necromantia dicitur, à necros Græcè, quod mortuus dicitur Latinè: mantia idem est quod diuinatio. Septima est augurium, quæ attenditur in gestu & cantu & volatu auium. Octaua attenditur circa sternutationes. Nona circa somnia. Decima circa sortes, quas falso dicunt Apostolorum. Vndecima circa variam inspectionem Psalterii. Euangeliorum & aliarum scripturarum. Duodecima est Mathematicorum, qui constellationes cōsiderāt, qui etiam dicuntur Magi. Tertia-decima est, eorum qui arioli dicuntur, qui in aris idolorum dæmonū responsa respiciunt. Quarta-decima est, eorum qui vocantur aruspices, quasi horarum vel auræ spectatores, qui dies & horas in operibus agendis custodiunt. Regulariter autem tenendum est, quòd omnis diuinatio quocunque modorum prædictorum fiat, vel alio simil prohibita est, maledicta à Deo & sancta Ecclesia,

De his quæ faciunt ad detestationem huius peccati.

Et sunt multa, quæ deberent homines cohibere ab hoc peccato. Primum est, quòd hoc peccatum diabolicum est. Diuini enim, ad modum Luciferi, volunt esse Altissimo, dum prædicere volunt futura, quod ad Deum specialiter pertinet. Vnde Esaiæ 41. *Priora & nouissima renunciate mihi, & dicam quòd dij estis.* Et est inuentum peccatum istud in mundo isto à dæmonibus. Vnde Augustinus: Hæc vanitas magicarum artium ex traditione malorum Angelorum in toto orbe terrarum plurimis sæculis inualuit, & per inuentiones eorum inuenta sunt aruspicia, & auguratiònes, & ipsa quæ dicuntur oracula. Qui autem diuinis fidem adhibent, similes sunt illis Angelis, qui Lucifero superbiētī consenserāt. Et sicut Lucifer, eo quod voluit esse Deus, & satanas factus est, & Dei aduersarius, similiter & Angeli, qui ei consenserunt, Dei aduersarii facti sunt. Sic & diuini qui volunt esse vt Deus, & qui eis fidem adhibent, Dei aduersarii & satanæ efficiuntur. Non parum offenderetur Rex Franciæ erga eum qui regem se vellet facere in regno eius, & erga omnes qui consentirent. Oportet quòd ille qui se regem faceret, cum rege pugnaret, vt videretur quis potentior esset: ita necesse erit, quòd Deus pugnet cum diuinis, & cum aliis qui consentiunt illis. Et sicut legitur Sapientiæ quinto: *Pugnabit cum illo orbis terrarum cōtra insensatos.* Ibidem legitur: *accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum: & acuet iram diram in lanceam*: & tunc apparebit quis potentior erit, an ipse, an diuini. Secundò, deberet cohibere homines à peccato isto hoc, quod sacra scriptura ita dissuadet illud. Vnde Leuit. 19. *Ne declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid suscitemini.* Et idem: *Non augura-*

bimini, nec obseruabitis somnia. Et Deuteronom. 18. *Non inueniatur in te qui ariolos suscitetur, & obseruet somnia atque auguria, ne sis maleficus, nec incantator, nec pythones consulas, nec diuinos, nec quæras à mortuis veritatem.* Et ad Gal. 4. *Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos: timeo ne forte sine causa laborauerim in vobis.* Tertiò. deberet cohibere homines à peccato isto multiplex pœna, qua legitur Dominus puniuisse hod peccatũ, & pœnæ quæ in lege diuina & iure positiuo huic peccato taxãtur. Notandum ergo, quod peccatum diuinorum simile est peccato Euæ matris nostræ, quæ diuinam scientiam appetiit, dicente sibi diabolo, Genes. 1. *Quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Vnde mulieres quæ diuinæ sunt, vel diuinis fidem adhibentes, quemadmodum mater earum Eua diuinam scientiem affectant, attendere debent multiplicem pœnam, qua totus mundus pro peccato illo punitus est. De pœna etiam huius peccati, legitur quarto Regum 1. quod mãdauit Elias Ochosiæ: *Nunquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron?* Quamobrem hæc dicit Dominus: *de lectulo super quem ascendisti, non descendeo, sed morte morieris.* Et 1. Paralipom. 10. sic legitur: *Mortuus est Saul propter iniquitates suas, eo quod præuaricatus sit præceptum Domini, quod præceperat, & non custodiuit illud: sed insuper etiam pythonissam consuluit, nec sperauit in Domino, propter quod interfecit eum, & transtulit regnum eius ad Dauid filium Isai.* De pœna verò taxata huic peccato, legitur Leuit 19. *Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit in eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medico populi sui.* Item Leuit. 29. *Vir siue mulier, in quibus pythonicus, vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos: sanguis eorum sit super eos.* Pœna talium secundùm canones multiplex est. Sunt enim infames, nec debent recipi ad Eucharistiam, si notorium est peccatum, sicut nec histriones. Item non debent admitti ad accusationem. Item ad hoc debent excommunicari. Item si post admonitionem vel excommunicationem nolunt se corrigere. Si serui sunt, debent verberibus castigari. Si liberi, includi in carcere: vel vtrique sunt de parœcia turpiter deshonestandi, id est, tonsurati & decaluati eiiciendi. Et hoc potest ipse sacerdos parochialis sua auctoritate facere, dum tamẽ caueat à membrorum destructione, morte, & sanguinis effusione: vel si necesse fuerit, inuocet brachium seculare, secundùm verò leges tales capite puniuntur. Quartò, deberet cohibere à peccato isto hoc quod legitur Deut. 18. vbi hæc peccata prohibentur, quia omnia hæc abominantur Dominus. Quintò verò hoc, quòd hoc peccatum à beato Aug. reputatur apostasia, vnde ipse ait: Non obseruabis dies, qui dicũtur Ægyptiaci, aut Calend. Ianuarii, in quibus quædam cãtilenæ & comessationes & ad inuicem dona donantur, quasi in principio anni boni faciunt augurio, aut aliquos menses, aut tempora, dies verò annos, aut lunæ solis cursu: quia qui has aut quascunque diuinationes, aut fata, aut auguria obseruat, aut attendit, aut consentit obseruantibus, aut talibus credit, aut ad domum eorum vadit, aut in domo sua introducit, aut interrogat, sciat se fidem Christianam & baptismũ præuaricasse, & paganum & apostatam, & Dei inimicum, iram Dei grauiter in æternum incurrere, nisi Ecclesiastica pœnitentia emendatus Deo reconcilietur.

Appetẽ[s] diui[nam] sciẽ[ntiam] simi[lis] Euæ, pu[nitur] [...]entus ipsa.

Pœna diuinorum secũdũ Canones.

An liceat sortibus vti.

VIdetur tamen, quòd sortibus liceat vti, quia sorte Iosue exquisiuit peccatum. Achor Iosue septimo: Sorte etiam deprehensus est Ionathas à Saul comedisse fauum mellis 1. Reg. 14. Ionas

etiam sorte à nautis deprehensus est. Ionæ 1. Dicit etiam Augustinus, quòd sors non est aliquid mali, sed res in humana dubietate diuinam iudicās voluntatem. Ad exempla verò obiecta dici potest, quòd hæc & multa alia permittebantur ante Euangelium, quæ tempore perfectioris disciplinæ sunt eliminata. Item, sicut ait Hieronymus: priuilegia singularia legem communem facere non possunt. Ad illud verò quòd dicit August. quod sors non est aliquid mali, dici potest, quòd verum est in sui natura: tamen prohibetur, quia propter assiduitatem labi posset quis in idololatriam: vnde si esset causa honesta, & subesset necessitas, vt si esset contentio de electione aliquorum, & esset paritas vtrobique in omnibus, verisimile est, quòd exemplo Mathiæ possent sortes fieri. Et hoc ait Beda, dicens: Si qui necessitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus Apostolorum esse consulendum, videant ipsos Apostolos, nō nisi collecto cætu fratrum, & precibus apud Deum, fusis hoc egisse. Item cùm quædam ciuitas esset obsessa, & dubitaret clerus qui deberent fugere, & qui manere, consultus Aug. respondit illud sorte esse dirimendum.

De somnijs, & vtrum sint obseruanda.

ITem obijcitur de somnis, quæ videntur esse obseruanda. Cùm quandoque per somnia ostendat Dominus hominibus quid futurū sit, vt apparet per somnium Pharaonis, vt habetur Genes. 41. quòd somnium Ioseph exposuit. Item, apparet per somnium Nabuchodonosor, quod exposuit Dan. de quo habetur Dan. 4. & Matt. 2. *Apparuit Angelus Domini Ioseph in sōnis dicēs: Ioseph fili Dauid, &c.* Ad quod dicendum est, quòd in veritate somnia obseruanda non sunt. Sapiens: *Somnia ne cures.* Eccl. 34. *Somnia extollunt impudentem.* Et ibidem: *Multos errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.* Vnde quidam, dum multùm attenderet somnijs, somniauit se diu victurum. Cumque multa bona congregasset, repentè defunctus est.

Somnia obseruāda non sunt.

Sex modis fiunt imaginationes somniorum.

AD solutionem verò obiectum notandum est, quòd sex modis fiunt imginationes somniorum, sicut dicit Greg. in dialogo. Aliquando ventris plenitudine, aliquando ventris & capitis exinanitione, aliquando dæmonis illusione, aliquando Dei reuelatione, aliquando cogitatione simul & illusione, aliquando cogitatione & reuelatione simul. Duo prima genera somniorum experimento cognouimus, cætera in scripturis inuenimus. De tertia, Eccl. 34. *Multos errare fecerūt somnia.* De quarto somnio legitur Gen. 37. *Audite somnium quod vidi,* dixit Ioseph fratribus suis. De quinto somnio legitur Eccl. 5. *Vbi multa sunt somnia, multæ sunt vanitates.* Et parum supra: *Multas curas sequuntur somnia.* De sexto verò somnio legitur Dan. 2. *Somnium tuum, & visiones capitis tui in cubili tuo, huiusmodi sūt.* Quod postea disserēs Daniel de radice cogitationis, inchoauit, dicens: *Tu rex in strato tuo cæpisti cogitare, &c.* Non est ergo credendum somnijs, quia quo in pulsu fiant facilè non elucet: tamen sancti illusiones & reuelationes quodam intimo sapore discernunt, vt sciant quid à bono spiritu percipiant, vel quid ab illusione patiantur, vt dicit Gregorius. De somnio & illusione dæmonis facto, dicit Gregorius super illud Iob septimo: *Terrebis me per somnia, &c.* Diabolus cupidis prospera, timidis aduersa per somnia ingerit, vt magis eos illiciat, sed & sanctos, quos minus vidit vigilantes, grauius tentat dormientes, quod Deus benignè permittit, ne saltem in somnijs à passionis præmio vacent.

Quare

Quare tam frequenter eueniant quæ dicunt diuini.

SEd adhuc quæritur quomodo eueniant frequenter quæ prædicunt diuini, ex quo fides eis adhibenda non est. Ad quod respondet August. quod hoc fit Dei permissione, vt probetur qualem fidē homines ad Deum habeant. Quod probat Aug. illo verbo Deut. 13. *Si resurrexerit medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat: & prædixerit signum aut portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis, non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris: quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat an diligatis eum, an non.* Præterea diuini quibusdam signis solēt futura cognoscere: vnde quando inquiruntur de aliqua muliere, vtrum grauida sit, solent zonam ipsius inspicere, in qua aliqua signa grauiditatis, possint percipere, vnde quædam decepta fuit à quodam sacerdote, qui non poterat corrigere parochianos suos, quin fidem adhiberent cuidam diuinæ, sed tandem misit zonam suam ad eam, quæ zona inspecta cum sacerdos esset impinguatus, incrassatus, dilatatus, ipsa iudicauit sacerdotem prægnantem esse. Præterea à casu quandoque dicunt ea quæ futura sunt.

De vaticiniis diaboli.

Diabolus etiam, sicut dicit Rabanus nonnunquam solet vera multa prædicere, vt ad extremum valeat animā aliqua falsitate laqueare. Quomodo autem diabolus futura prædicat, satis Augustinus ostendit his verbis: Dæmones præditi acumine sensus & celeritate motus, nuntiant quæ homines pro sensus terreni tarditate mirentur. Accessit etiam demonibus longe maior rerum experientia, quàm potest hominibus propter breuitatem vitæ prouenire. Per has efficacias, non solum multa futura prædicunt dæmones, verum etiam multa faciunt, quæ quandoque homines dicere aut facere non possunt: vnde eos dignos quibus seruiant, & quibus honores diuinos proferant, arbitrantur. Prænuntiant etiam quæ ipsi facturi sunt. Accipiunt enim sæpe potestatem & morbos immittere, & ipsum aerem vitiando morbidum reddere, & peruersis atque amatoribus terrenorum commodorum malefacta suadere, de quorum moribus certi sunt quod sint eis talia suadentibus consensuri. Aliquando prædicunt non quæ ipsi faciunt, sed quæ naturalibus signis futura prænoscunt, quæ signa in hominum sensus venire non possunt. Non tamen propter hoc dicendi sunt dæmones diuini, licet præuideant aliqua quæ homines non præuident: sicut nec medicus diuinus dicendus est. Vnde Aug. Nō quia prouidet medicus quæ prouidere nescit homo artis ignarus: non tamen ideo habendus est diuinus. Falluntetiā dæmones, sicut dicit Aug. studio fallendi & inuida voluntate, quo hominum errore lætantur: sed ne apud cultores suos pondus auctoritatis amittant, id agunt vt interpretibus suis signorumque suorum coniectoribus ibi culpa tribuatur, quando ipsi decepti fuerint mentiti.

De Pithonissa, quæ Samuelem suscitauit.

ITem quæritur, quomodo potuit esse quod Pythonissa Samuelem suscitauit, vt videtur 1. Reg. 28. De quo sentio, sicut Aug. sentire videtur, quod diabolus apparuit in specie Samuelis, licet multæ sint opiniones super hoc. Aug. loquens de suscitatione illa, ait, Diabolus vt errorem faceret in quo glorificaretur, habitu viri iusti & nomine se subornauit. Idem: Quomodo poterat esse vt arte magica thraheretur vir à natiuitate sanctus, vitæ operibus iustus? Item Augustinus. si Samuel vere apparuisset non vtique vir iustus permisisset se adorari, qui prædicauerat solum Deum adorari,

Diabolus [...] quando fe[...] ra præ[...] cit.

randum. Idem: Quomodo homo Dei, qui cum Abraham in refrigerio erat, diceret ad virum pestilentiæ & dignum ardore gehennæ: Cras mecum eris. Et subdit Aug. His duobus titulis subtilitates fallaciæ suæ prodidit improuidus satanas.

Quod tempora non sint obseruanda.

ITem quæritur de hoc quod dictum est, quod tempora obseruanda non sunt, cum medici tempora obseruent in medicinis dandis & minutionibus faciendis. Ad quod dicendum, quo talis obseruatio temporum reprehensibilis non est, quum naturalis ratio de hoc possit reddi. Non sunt etiam reprehensibiles agricolæ. qui obseruant tempora ad seminandum, & ad arbores incidendas, & similia, cum hæc habeant certam rationem.

De errore maleficiorum.

SEquitur de aliis tribus erroribus. Inter quos primum dicendum est de errore maleficiorum. Notandum ergo quod malefici sunt, qui permissu Dei elementa concutiunt, hominum mentes turbant minus conficentium in Deo, ac sine vllo veneni haustu violentia carnis interimunt. Vocantur autem tales, malefici, ob facinorum magnitudinem, vnde cum facere malum ad omnes peccantes pertineat, maleficis tamen appropriatur, eo quod multum sint mali.

De errore superstitionis.

SEquitur de errore superstitiosorum remediorum. De quo errore dicit Aug. in lib. de doctrina Christiana. Ad superstitionem pertinent omnes ligaturæ atque omnia remedia, quæ medicorum disciplina commendat. Inter remedia vero talia quædam sunt nugatoria, quædam vero sunt noxia. Item quædam contumeliosa sunt homini, quædam contumeliosa sunt Deo. Nugatoria sũt, vt cum sella euertitur vt tempestas auertatur. Item cum mulier, quæ in partu laborat, nouem vtensilibus tangitur vt facilius pariat. Et multa alia his similia, quæ mulieres indiscretæ consueuerunt facere. Noxia vero sunt, vt cum aliqua mulier talia facit, vt conceptus eius impediatur: sicut cum aliqua asseres tangit stubæ in qua balneat se in diebus purificationis suæ, tali intentione, vt quot asseres tetigerit tot annis non concipiat: quæ apud Deum tot homicidiorum rea videtur esse, quot conceptus facto illo voluit impedire: nec quorumcunque homicidiorum rea videtur, sed videtur esse interfectris propriorum infantium. Contumeliosa vero homini sunt, sicut illa quæ aliquæ mulieres solent dare hominibus ad accendendum eos ad amorem earum. Contumeliosa vero sunt Deo, sicut illa quæ fiunt de chrismate, vel de corpore Christi, vel aliis sacramentis Ecclesiæ. Item possunt diuidi remedia ista secundum diuersitatem eorum contra quæ fiunt. Alia enim fiunt contra infirmitates vel hominum vel pecorum, alia contra sterilitatem, alia contra pariendi difficultatem, alia contra nimis frequentes partus, alia contra luporum crudelitatem, vt cum bestiæ amissę includuntur ne à lupis deuorentur. Caueat tamen prędicator, ne dum species talium remediorum in prædicatione tangit, erubescibilia mulierum hominibus aperiat in scandalum earum. Item ne mulieres doceat remedia quæ ipsæ nesciunt, si credit quod ea facturæ sint. Item notandum est, quod peccatum istud multum habet fatuitatis. Cuilibet enim sanum caput habenti naturalis ratio dictare deberet, quod remedia talia illam efficaciam non habent quam credunt ea habere. Item infidelitas siue idololatria quæ est in peccato isto deterior videtur idololatria paganorum. Illa enim à quibus Deo relicto

fatuæ mulieres sperant sanitatem, vel prolem, vel similia, minus videtur Deus esse, quam idola paganorum. Illa enim ad minus habent formam humanam, ista vero non. Præterea istud pecatum nec Deum nec homines reuereri videtur, quantum ad hoc quod homini multa vilia & abominabilia dant ad comedendum, quæ hoc vitio laborant. Ipsa etiam sacramenta ecclesiæ contemnit peccatũ istud, cum de ipsis sacramentis ecclesiæ frequenter fiat, etiam de corpore Christi (quod est horrendum dictu) fit sæpe: in hoc videntur mulieres quæ talia remedia agunt, deteriores esse ipsis dæmonibus. Dæmones enim illum credũt vel contremiscunt, ad quem ipsæ absque timore accedunt, & de corpore eius peccatum suum faciunt.

Vnde maleficia, & talia remedia habeant efficaciam.

SEd quæri posset, vnde maleficia & talia remedia efficaciam habeant frequenter sicut videtur. Ad hoc potest dici quod multa sunt, quæ faciunt ad hoc quod maleficium efficiatam habeant. Primum est hoc, quod homines paruam fidem in Deo habent, & ideo Dominus permittit eos à dæmonibus impediri. Secundum est, error qui in hominibus est, cuius pœna frequenter est hæc, quod creditur esse effectus maleficij. Tertium est, probatio fidei in bonis, sicut ostensum est prius auctoritate Deut. Quartum est, pactum vel societas mala dæmonum & hominum. Vnde Aug. Omnes artes huiusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate dæmonum & hominum quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta penitus sunt repudiandæ & fugiendæ Christiano. Quintum est, desiderium lucrãdi animas quod diabolus habet. Ideo enim diabolus talia efficit, quia tot animas occasione ista lucrari se videt: qui enim tali facit, & qui talibus fidem adhibet, ab hoc facto diabolo seipsum dat. Hoc tamen notandum est, quod si aliquis colligat herbam medicinalem cum Symbolo diuino, vel oratione dominica, vt scribat in charta Symbolum vel Dominicam orationem vt ponat super aliquem infirmum, vt sic in istis tantum Deus creator omnium honoretur; non reprobatur, dum nulla alia superstitio admisceatur. Tria sunt quibus homines non prohibetur vti ad remedium, scil. herbis, & similibus, quæ naturalem habent virtutem, de qua ratio secundum medicinam reddit potest. Item ieiunijs, orationibus & elemosynis, & aliis operibus, quæ sunt de genere bonorum, quæ certum est placere Deo, possunt homines vti ad obtinendum à Deo sanitatem & alia, quibus indigent. Item possunt vti verbis sacris quæ alicuius auctoritatis sunt, alijs sacris rebus.

De errore illorum, qui credunt fieri vere quæ tantum in somnis fiunt.

SEquitur de errore illarum personarum, quæ credunt corporaliter & in veritate fieri, quæ tantum in somno fiũt. Sicut credunt quædam mulieres quæ profitentur se cum Diana dei paganorũ. vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum super quadam bestia nocturnis honoris multa terrarum spatia pertransire, eius iussionibus velut dominæ obedire, certis noctibus ad eius seruitium euocari. Afferunt etiam ab illis creaturas posse in melius vel in deterius commutari, aut in aliam speciem vel similitudinem transformari, De his dicit Decretum, quod non à diuino spiritu, sed maligno mentibus fidelium talia fantasmata irrogãtur. Diabolus enim cum animam alicuius per talem credulitatem sibi subiugauerit, menti quam captiuã tenet, multipliciter illudit. Nec debet aliquis in tantam venire stultitiam, vt credat hæc omnia quę in somnis

& spiritu tantum fiunt, etiam in corpore accidere, cum & Paulus non audeat asserere quod fuerit raptus in corpore. De his etiam sic dicit Decretum: Quisquis credit fieri aliquam creaturam, aut in deterius aut in melius commutari, aut transformari in aliam speciem vel aliam similitudinem, nisi à creatore, per quem facta sunt omnia, proculdubio infidelis est, & infideli deterior. Valde stultæ sunt mulieres huiusmodi, quibus persuaderi non potest quin in veritate fiat, quod videtur eis fieri dum dormiunt, cum constet multa videri hominibus dormiendo, quæ postea sciunt certissime falsissima fuisse: quandoque videtur alicui dum dormit, quod ipse multum comedat: cum autē expergefactus fuerit famelicum se inuenit. Vnde Esa. 29. *Sicut somniat esuriens & comedit, cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius: & sicut somniat sitiens & bibit, cum tamen expergefactus fuerit, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est, sic erit multitudo omnium gentium quæ dimicauerunt contra montem Sion.* Item videtur alicui cum ipse dormit quod sit cum muliere: cum autem excitatus est à somno, scit nullam mulierem affuisse. Item videtur alicui laico cum dormit, quod ipse sit sacerdos. Non quod propter hoc cum excitatus est à somno sacerdos est, vt possit missam celebrare. Præterea si verum esset quod ipsi dicunt, quomodo auderent Herodiadem sequi, quæ fuit adultera illa quam abstulit Herodes fratri suo Philippo, quæ etiā amputari fecit caput Ioan. Baptistæ? quomodo autem asserere bonam rem, qui caput illius qui in vtero sanctificatus est, & quo maior inter natos mulierum, non surrexit, fecit amputari, cum in S. Scriptura nihil omnino legatur de eius conuersione? Super omnia vero videtur contra hunc errorē, quod in vita B. Germani Altissiodorensis legitur, qui cum declinasset ad quoddam hospitium, vidit cum omnes domo cœnassent mensam iterum præparari, qui cùm admiratus inquisisset quibus talia præparantur, indicatum est ei quod bonis rebus quæ de nocte incedebant. Vnde vir sanctus vigilans, cum dæmones in forma humana aduenissent, & ad mensam illam sedissent, illis qui de domo erant in lectis suis quiescentibus, vir sanctus surrexit, & dæmones abire non permittens, excitauit eos qui de domo erant, inquirens ab eis si personas illas cognosceret: qui responderunt quod sic, addentes quod vicini eorum essent: vnde vir sanctus misit eos ad domos vicinorum, vt viderent an essent ibi, & inuenerunt eos ibi: quod cum retulissent viro sancto, vir sanctus coegit dæmones indicare seipsos, & cōfessi sunt se esse dæmones, & sic hominibus illudere.

Caput XXXVII.

De peccato irreuerentiæ.

De peccato irreuerentiæ hoc modo agemus, quia irreuerentia est, quādo aliquis negat honorem illi, cui debet eum exhibere. Primò ostendemus quibus exhibere reuerentiam debeamus. Secundò qualiter parentes tam carnales, quam spirituales sint honorandi, & quare.

Quibus reuerentia sit exhibenda.

Notandum ergo quod quatuor sunt quibus debemus reuerentiam exhibere: scilicet Deo, angelis, rei Deo consecratæ, vt Ecclesiæ, & hominibus. Deo reuerentiam debemus exhibere, vt coram eo erubescamus peccare, & coram eo strenue bona agamus, vt quidam: Cum quid turpe facis quod me spectante ruberes: Cur spectante Deo non magis ipse rubes? Boetius: Magna nobis dissimulare non volumus, indicta est necessitas probitatis, cum omnia ante oculos iudicis agamus cuncta cernentis. De reuerentia vero exhibenda an-

gelo, dicit Bernar. In quouis diuersorio in quouis angulo reuerentiam habe angelo tuo. Nec audeas eo præsente quod me præsente non auderes. De reuerentia vero sacris locis exhibenda, intelligi potest illud Genes. 28. *Quam terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei & porta cœli.* Præcipue reuerenda est ecclesia propter præsentiam Dominici corporis, sed valde mirandum est, quod sunt quidam homines, qui nec propter præsentiam Dominici corporis ecclesias reuerentur, cum hac de causa ecclesiæ dæmonibus terribiles sint. Videntur tales homines in hoc dæmonibus esse deteriorres, cũ Domini sit terra & plenitudo eius. Bene deberent saltẽ loca sibi consecrata pacificè possidere, bene deberent homines cessare à contumelia Dei in locis huiusmodi, quæ facta sunt ad seruitiũ Dei. Bene deberet sufficere eis, quod aliis locis seruitiũ diaboli facerent, & in his soli Deo seruirent: quomodo oratio eius in Ecclesia exaudietur, qui in ea non timet Deũ offendere? Deberent etiã Ecclesiæ terribiles esse hominibus propter sanctos illos, in quorũ honore dedicatę sunt qui offendũtur, cum ecclesiæ eorũ franguntur. Præcipuè vero contra fractionẽ Ecclesiarũ valere potest illud exemplũ quod legitur 2. Mach. 3. de Heliodoro: qui locum sacrũ volebat spoliare pecuniis ibi commendatis. Sic enim ibi legitur: *Apparuit quidam equus terribilem habens sessorem, optimis opertimentis adornatus isque cum impetu in Heliodorũ priores calces elisit:* qui autem ei insidebat videbatur habere aurea arma. Alii etiam apparuerunt duo iuuenes qui circumsteterũt eum, & ex vtraque parte flagellabãt sine intermissione. Subito autem Heliodorus cõcidit in terram, & in sella gestatoria deportatus est ex ærario, & iacebat mutus atque omni spe & salute priuatus. Sed post precibus Oniæ sacerdotis vita ei donata est. Hominibus reuerentia exhibenda est, vnde 1. Pet. 2. *omnes honorate.* & ibidẽ: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Apost. ad Rom. 12. *Honore inuicem præuenientes.* Specialiter autẽ in hominibus debemus Dei imaginẽ honorare, non vestes, non diuitias vel aliquid simile. Si imagini B. Virginis honor exhibendus est, quomodo imagini beatæ Trinitatis quæ in homine est honor exhibendus non erit? Bern. Consciẽtiæ tuæ debes honorẽ, corã qua peccare erubescas, & Eccl. 10. *Da animæ tuæ honorem secundum meritum suum.* Honorandi etiam sunt homines propter angelos eis ad custodiam deputatos. Vnde Matt. 18. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Angeli enim eorum semper vidẽt faciẽ Patris mei, qui in cœlis est.* Fatuũ est hominẽ inhonorare eos, qui ita ab angelis honorantur. Lucæ 16. *Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ.* Honorandi sunt etiam homines propter naturam humanam vnitam diuinæ: fatuum enim est illud inhonorare, quod Deus sic honorauit. Etiã serui contemnendi non sunt. Cyprianus: Qualem cupis esse erga te Deum, talis esto ipse erga seruum tuum. Sen. Cum inferiore sic viuas, quemadmodũ velis superiorẽ tecum viuere. Idem: Quemadmodum stultus est, qui equum empturus non ipsum aspicit, sed stratum & frænum: sic stultissimus est qui hominẽ ex veste aut ex conditione, qua circũdatus est, existimat honorandum. Item Sen. Serui sunt? imo contubernales. Serui sunt? imo conserui. Serui sunt? imo humiles amici. Et ideo istos rideo, qui turpe existimant cũ seruo suo cœnare. Virga murmur omne compescitur: tota nocte ieiuni perstant. Sic fit vt isti de domino loquãtur, quibus corã domino loqui non licet. At illi quibus non tantũ coram dominis, sed cũ ipsis sermo erat quorũ os non cõsuebatur, parati erant corã domino porrigere ceruicem. In conuiuiis loquebantur, sed in tormentis tacebant. Ad Coloss. 4. *Domini, quod iustum est seruis præstate, scientes*

quoniam & vos dominum habetis in cœlo. Præcipue autem honorandi sunt serui, si sunt boni & fideles. Vnde Eccl.7. *Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua:* & 33. eiusd. *Si est tibi seruus fidelis sit tibi sicut anima tua, quasi fratrem sic eum tracta.* Non sunt etiam contemnendi peccatores: quia ille qui valde malus modo est: forsitan in Dei prouidentia bonus homo est, Deut. 23. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est.* Præcipue tamen illi honorandi sunt, qui creduntur esse bonæ vitæ, cum (vt videtur) attineant Deo omni genere parentelæ. Vnde Dominus Matth. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Præterea in viris iustis honoratur ipse Deus qui in eis habitat: vnde quidã religiosus dicebat adorari debere fratres aduenientes, cum certũ sit in aduentu eorũ aduentum Domini nostri Iesu Christi haberi. Quod videtur intellexisse Abrahã, qui tres viros sibi apparẽtes in hospitio suo, adoratione præmissa suscepit. Vnde Gẽ. 18. *Quos cum vidisset Abrahã, occurrit in occursum eorũ de ostio tabernaculi sui, & adorauit.* In Vitis patrum etiam legitur, quod diabolus pertimescat recte viuẽtes. Dominus etiam contemptũ talium contemptum suum reputat, Luc.10. *Qui vos spernit me spernit.* Pauperes enim despiciendi nõ sunt Greg. Pauperes despiciẽdi non sunt vt egeni, sed exorandi vt patroni: honor qui pauperibus exhibetur, Deo specialiter exhibetur. Quæ personæ sint specialiter honorandæ. Et licet omnes homines honorandi sint, quædã tamẽ personæ magis sũt honorandæ quã aliæ, vt viduæ. Vnde 1. ad Tim.5. *Viduas honorate, &c.* Domini etiam sunt multum honorandi à seruis. Ad Rom.13. *Omnis anima potestatib⁹ sublimiorib⁹ subdita sit.* & ad Coloss.3. *Serui, obedite per omnia dominis vestris carnalibus.* Et 1. Pet. 2. *Serui subditi estote in omni timore dominis, &c.* & Genes. 16. dictum est Agar ancillæ: *Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manibus eius.* Et Ezech.17. multa mala prædixit regi Iuda, quia tributum, quod promiserat regi Babylonis, soluere noluit. Et Matth.17. soluit Domin⁹ tributũ, licet illud non deberet, eo quod filius regis esset. Itẽ adolescentes debent honorare senes. 1. Pet. vlt. *Adolescentes, subditi estote senioribus.* Thren.4. *Facies Domini dimisit eos: non addet vt respiciat eos. Facies enim sacerdotum non erubuerunt, neq; senum miserti sunt:* Sap.2. dicũt mali, *Opprimamus pauperẽ iustum: & non parcamus viduæ, nec veterano, nec reuereamur canos multi temporis.* Luc.19. *Coram cano capite consurge, & honora personã senis.* Et 1. ad Tim. 5. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem.* Sen. Cũ veterano parcius agendum est. Item viri honorandi sunt ab vxoribus, vnde 1. Pet.3. *Similiter & mulieres subditæ sint viris suis.* Sed nihilominus ipsi viri debent honorare vxores suas. Vnde ibid. *Viri similiter, cohabitantes secũdũ scientiã quasi infirmiori vasculo muliebri impartiẽtes honorẽ.* Ideo Dominus non de pede viri, sed de costa mulierem formauit, ne à viro contemneretur. Mulier vero debet obedire viro: quia vir caput est mulieris. Non posset esse pax inter coniuges, si vterque vellet dominari, & esse caput. Et in signum huius cum in corpore humano sint duo pedes, duæ manus, & duo oculi, non est tamen ibi nisi vnum caput. Si enim ibi essent duo capita, quando vnum vellet esse à sinistris, aliud vellet ire à dextris: sicut patet in domo vbi sunt duo capita, quia nunquam erit ibi pax.

Qualiter & quare reuerentia sit exibenda patribus spiritualibus & carnalibus.

Item honorandi sunt parentes & spirituales & carnales. De spiritualib. legitur Eccl. 8. *Honorifica sacerdotes.* Ad Heb. vlt. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. ipsi enim peruigilãt quasi rationem pro animabus vestris reddituri: vt*

cũ gaudio hoc faciant, & non gementes.1. ad Tim. 5. *Qui bene præsunt presbiteri, duplici honore digni habeantur*, maxime qui laborant in verbo & doctrina. Ad idẽ facit illud Thren. 4. prius positum: *Non addet Dominus vt respiciat eos. Facies sacerdotum non erubuerunt.* Gloss. Notandum quod supra sacerdotes quasi homicidas plãxit, & hic separantur à facie Domini, quia nõ detulerũt eis: quãuis enim mali sint, non sunt contẽnendi, sed ille in illis colẽdus est & honorãdus à quo missi sũt. Et alia gl. Nota quã terribile sit sacerdotes cõtẽnere, nec faciem eorũ erubescere, sic illis monẽtibus & videntibus à sceleribus non cessare. De his enim dicit Domin⁹ Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* Ideo magis displicet Deo contẽptus eorùm, quia Dei vicẽ tenent, & propter dignitatem sacerdotalẽ, quã nec ipsi angeli credũtur habere. Non enim credo quod fieret trãssubstãtiatio, si verba illa quæ profert sacerdos inmissa ab angelo proferrẽtur. Parentibus etiã carnalib. honor exhibendus est. Vnde Exod. 20. *Honora patrem tuũ, & matrem tuã.* Et nota quod honor qui parentibus carnalib. exhibendus est, non solũ attenditur in verbis, sed etiã in beneficiis, vnde Hier. Honor in scripturis non tã in salutationibus & verbis, quam in collationibus munerũ sentitur. Multa autem sunt quibus possumus vti ad excitandũ homines vt honorẽt parentes. Et primo possumus ad hoc vti exemplis. Inter quæ præcipuũ est exemplum Christi, qui cũ esset in angustia passionis, tamẽ non est oblitus matris suæ, imo curã ipsius habuit, & Ioãni eã commẽdauit, vt legitur Ioan. 19. Modo etiã adeo facit eam honorari in ecclesia sua, vt multi videãtur esse deuotiores matri, quã ipsi filio. Quod credo ideo fieri vt ostẽdat quãtũ placeat sibi quod parẽtes à filiis honorentur. Etiã infideles parẽtes suos honorant edocti à lege naturali. Vnde infideli videtur esse deterior, qui parentũ curam non habet, 1. ad Timoth. 5. *Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Ipsa etiam irrationabilia animalia de hoc dãt nobis exemplũ. Dicitur enim de grue, quod quando pater & mater eius depilati sunt, filii quærunt eis necessaria, donec habeant pilos, vel moriantur. Præterea valde ingratus videtur esse, qui parentibus suis non prouidet, quando ipsi non possunt sibi prouidere, quũ ipsi prouiderint eis in pueritia, quando ipsi sibi prouidere non poterant. Ideo dicitur. Tim. 5. *Filij reddite vicem parentibus, quia hoc acceptum est coram Deo.* Qui parentibus carnalib. ingrat⁹ est de beneficiis acceptis, indignus est aliquod beneficiũ recipere à patre cœlesti. Item iustum est vt ipsi in sua senectute filios suos sibi duros inueniant. Et hoc multoties iusto Dei iudicio accidit. Vnde refertur quod quidã paterfamilias senex totã hæreditatẽ suã dimisit filio suo: filius vero ille primo benigne se habuit erga patrẽ, sed post expulit eum à thalamo suo, volens thalamum habere sibi & vxori suæ, & ad vltimũ fecit sibi lectum fieri post ostium. Et cum hyems esset, & pater senex frigore grauaretur, quia filius abstulerat sibi bona coopertoria, ipse rogauit filium filii vt rogaret patrẽ suũ pro eo, vt daret ei aliquid ad tegẽdũ se. Puer autẽ vix obtinuit duos vlnas burelli a patre suo ad opus aui sui. Et cũ aliæ duæ remanerent patri pueri, puer flẽdo rogauit eũ vt sibi eas daret, qui fletibus illius victus dedit, quærens quid inde faceret. Qui respõdit: Seruabo eas quousque sis talis qualis est pater tuus: nec dabo tibi amplius, sicut tu non vis dare patri tuo. Qui sine pietate est erga parẽtes suos, nõ videtur pietatẽ habere erga alios. Vnde simpliciter videtur mihi sine pietate esse: ideo vix misericordiã consequetur. Possumus etiã vti ad excitandum homines vt parẽtes honorent, verbis S. Scripturæ quæ suadent hoc, & quæ indicãt quantũ hoc placeat Deo, & quã vtile sit homini, & quantũ oppositũ

displiceat Deo, & quantum noceat homini. Ad quæ pertinent verba ista, quæ sequuntur Eccl. 4. *Fili, suscipe senectã patris tui, & non contristes illum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in tua virtute.* Ibid. Sicut qui thesaurizat, ita qui honorificat matrem suã. Ibid. *Qui honorat patrem suũ, iocundabitur in filiys, & in die orationis suæ exaudietur.* Idem ibidem: *Qui honorat patrẽ suum: vita viuet longiore.* Ierem. *Honora patrem tuũ, vt superueniat tibi benedictio.* & post *Benedictio patris firmat domos filiorũ, maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Vnde ibi gl. Cham nuditatem patris irrisit, & semen suum in seruitutem perpetuam damnauit. Absalon Dauid de regno expulit, & concubinas eius incestauit; sed morte condignas pœnas luit. Elisei caluitium pueri Bethel irriserunt, & duo vrsi xl. ex eis lacerauerunt. Primũ habemus Gen. 9. secundũ 2. Reg. 18. tertiũ 4. Reg 2. Item Eccl. 3. *Eleemosyna patris non erit in obliuione. Nã pro peccato matris restituetur tibi bonũ:* Pro peccato vocatur illud quod datur pro deletione peccatorũ: & subditur: *In die tribulationis cõmemorabitur tui; & sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua.* Idem ibid. *Quã malæ famæ est qui relinquit patrem: & est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.* Et Prou. 19. *Qui affligit patrem, & fugit matrem, ignominiosus erit & infelix.* Item Prou. 28. *Qui subtrahit aliquit à patre suo vel matre, & dicit hoc non esset peccatum, particeps homicidæ est.* Eccl. 7. *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obleuiscaris. Memẽto, quoniam nisi per illos natus nõ fuisses, & retribue illis quomodo & illi tibi.* Exod. 21. *Si quis percusserit patrẽ vel matrem, morte moriatur.* Leu. 20. *Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.* Deut. 28. *Maledictus qui non honorat patrem suum aut matrem.* Tob. 4. *honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ. Memor enim esse debes, quæ & quanta passa sit pericula propter te in vtero suo* Prou. 19. *Qui maledixerit patri suo aut matri, extinguetur lumen eius in mediis tenebris:* Id est, morietur in suis peccatis. Ad Coloss. 3. *Filij obedite parentibus per omnia.* Basil. Parentes nostros vt propria viscera diligamus. De hæreticis dicit Apost. 2. ad Tim 3 *Parentib. non obedientes.* Et nota quod sicut homines tenentur prouidere necessariis parentib. carnalib. sic & spiritualibus. Vnde Mat. 10. *Dignus est operarius cibo suo.* 2. ad Tim. 2. *Laborantem agricolam oportet primũ de fructibus precipere.* Ad Gal. 6 *Communicet iis qui catechizatur eum his qui catechizant in omnibus bonis* 1. ad Tim. 5. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Et 1. ad Thess. 5. *Rogamus vos fratres, vt noueritis eos qui laborãt inter vos & præsunt vobis in Domino, & monent vos vt habeatis eos abundantius in charitate.* Et Eccl 17. *In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, & ministros eius ne derelinquas.*

De decimis reddendis, & quæ sint ea quæ debeant mouere homines ad hoc faciendum.

Multa vero sunt quæ homines debent mouere ad reddendum decimas & primitias & oblationes ministris Ecclesiæ ad eorum sustentationem. Primũ est, remuneratio quã à Deo [illegible] expectãt. Vnde Eccl. 35. *Da Altissimo secũdum donatũ eius, & in bono oculo facito adinuentionem manuum tuarum: quoniam retribuens est Dominus, & septies tantum tibi reddet.* Remuneratur autem quadrupliciter qui bene dat decimas, scil. abundantia fructuum, sanitate corporis, remissione peccatorũ, & cœlesti regno. De duobus primis dicit August. Si decimas bene dederis, non solum abundantiam inde recipies fructuum, sed etiam sanitatem corporis consequeris. De aliis duobus idem similiter. Qui præmium desiderat cõparare, aut peccatorum indulgentiam promereri, reddat decimas. & de residuis nouẽ partibus studeat dare pauperibus. & Malach. 3. dicit Domin⁹: *Inferte omnẽ deci-*

Dec[imæ] mi[nistris] [Ec]clesi[æ] debe[n]tur.

decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem, vsque ad abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem. Et dicit interlin. vermem, vel vitium aëris. Et subditur: *Et non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro.* E conuerso verò, qui non dant benè decimas, puniuntur in paupertate. Vnde Malach. 3. *Si affliget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis, In quo configimus te? In decimis & in primitijs. Et in penuria vos maledicti estis.* Ecce pœna, vbi dicit Glossa: Sciatis vos ideò perdidisse abundantiam, quia fraudastis me parte mea. Augustinus. Quum decimas dando, & terrena simul & cælestia posses promereri: Pro auaritia duplici benedictione te fraudas. Hæc enim Domini est consuetudo iustissima, vt si illi decimam nõ dederis, tu ad decimam reuoceris. Dabis impio militi quod non vis dare sacerdoti. Idem: Maiores nostri omnibus copiis abundabãt, quia decimas Deo dabant, & Cæsari censum reddebant: modo autem quia discessit deuotio Dei, accessit iudicio fisci. Secundò, deberet homines mouere ad soluendum decimas & alia ministris Ecclesiæ, ipsum ministerium eorum. In infinitum enim sunt meliora spiritualia, quæ ipsi ministrant, quàm carnalia, quæ ipsi recipiunt. Vnde 1. ad Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminamus, non magnũ est, si nos carnalia vestra metamus.* Tertiò, deberet homines mouere ad soluendum decimas & alia, magnitudo peccati, quæ est retinendo ea. Vnde August. Decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas inuadit: & quanti pauperes in locis suis, vbi ipse habitat illo decimas non dante, mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus, ante ęterni iudicis tribunal apparebit: quia rem à Domino pauperibus delegatam, suis vsibus reseruabit. Talis videtur esse, non solùm fur, imò etiam sacrilegus. Vnde Hieronymus. Amico rapere quippiam, furtum est: Ecclesiam autem fraudare, sacrilegium est, aut quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prędonum crudelitatem exuperat. Quartò debet homines mouere ad soluendum talia, hoc, quòd quando ipsi talia soluunt, non sua dant Deo, sed quæ Deberant, ipsi reddunt. Vnde Gloss. super Numer. Omnia quæ offerimus Dei sunt nihil ergo Deo damus, sed reddimus. Vnde Augustin. in libro de verbis Domini: Habuisti me largitorem, habeto me fœneratorem. Prou. 19. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Quintò, deberet homines mouere ad soluendum talia: quia quod Deo datur, sibiipsi in saluo ponitur, & in futurum reseruatur. Vnde Eccl. 14. *Fili si habes, benè fac tecum, & Deo dignas offer oblationes.*

Quòd decimæ reddendæ sunt de melioribus, integrè, absque mora, & libenter.

ET notandum est, quòd decimæ & similia, soluendæ de melioribus, & non de deterioribus. Vnde Eccl. 35. *Noli offerre munera praua, non enim suscipit illa.* & Gen. 3. legitur de Abel, quòd obtulit Deo de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorũ, *& respexit Domin⁹ ad Abel & ad munera eius. Ad Cain vero & ad munera eius non respexit.* Cuius causa fuit: quia de deterioribus obtulit, & Malach. 1. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit illi, aut susceperit faciem tuã, dicit Dominus exercituum:* & post in eodem: *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile & claudum Domino.* & Num. 18. *Omnia quæ offertis de decimis & in donaria Dei separabitis, optima & electa erunt.* Debent etiam solui absque mora. Vnde Exod. 22. *Decimas & primitias non tardabitis offerre.* Ingrè etiam soluenda sunt talia. Vnde Ecclesiast. 35. *Bono animo gloriam redde Deo,* Decimę soluendæ absque mora, & integrę.

& non minuas primitias manuum tuarum. Ecclef.8. *Da illis partem, ficut mandatum eft tibi primitiarum.* & Leuit. vltim. *Omnes decimæ terræ, fiue de frugibus, fiue de pomis arborum, Domini funt, & illi confecrantur.* Nota, quòd fecundùm aliquos magiftros, de folutione decimarum ftandum eft confuetudini: ideò de hoc cautè prædicandum eft. Tutius enim eft filere, quam dubia afferere. Dicit Hieron. De primitiis maiorum traditione introductum eft, quod qui plurimum XI. partem dabant facerdotibus: qui minimũ, inter XI. & IX. licebat offerre quod voluiffent: & hoc in aridis & liquidis. In fœtib⁹ vero primogenitus dabatur. Ego tamen credo, quod de hoc ftandũ eft cõfuetudini. Libẽter etiam & hilariter foluenda funt talia. Vnde 2. ad Cor. 9. *Vnufquifque prout deftinauit in corde fuo: non ex triftitia, aut ex neceßitate, hilarẽ enim datorem diligit Deus.* Tob. 4. *Quomodo potueris, efto mifericors. Si multũ tibi fuerit, abũdanter tribue. Si autem exiguũ, libenter illud impertiri ftude.* Hoc debet mouere pauperes ad libenter dandum pro Deo: quia plus merentur obolo, quã diuites quandoq; centũ folidis. Si aliqua pauper mulier crederet quod tantum habitura effet de carnibus ad macellũ pro vno obolo, ficut diues burgenfis pro centum folidis tunc ipfa mitteret libenter obolũ fuum illuc: quia ficut vulgariter dicitur, Bonũ forum trahit argẽtum de bufa. Sic pauperes libenter deberent dare pro Deo, quum tantum appretiet Dñs munera eorum refpectu eorũ quæ à diuitibus dantur. Vnde Luc. 21. dicit Dñs de paupercula vidua, que miferat duo æra minuta in gazophylacium: *Vere dico vobis, quia vidua hac pauper plus quam omnes mifit.*

Cap. XXXVIII.

De peccato inobedientiæ, & eius deteftatione.

Sequitur de peccato inobedientiæ, de quo hoc modo agemus. Primo ponemus ea quæ faciunt ad deteftationem huius peccati generaliter.

Secundo agemus fpecialiter de inobedientia eorum qui folemnitates non feruant, & inobedientia eorum qui cõtemnunt quando excommunicarentur, & de peccato eorum qui excommunicatis nõ timent cõmunicare. Tertio vero tangemus aliquid de peccato eorũ qui indifcrete præcipiunt vel excõmunicant. Ad deteftationem vero huius peccati poteft primo valere multiplex pœna, qua legitur punitum effe hoc peccatũ in S. Scriptura. Punitum autem eft in primis parentibus peccatũ iftud in hoc, quod propter illud eiecti funt de paradifo. Si illi qui iam erant in paradifo terreftri propter inobediẽtiam eiecti funt, quomodo credunt fe ingreffuros in paradifum cœleftem qui inobedientes funt? Secundo punitũ eft in vxore Lot, quæ propter inobedientiã verfa eft in ftatuã falis. Gen. 19. Statua videtur homo effe, cũ non fit: fic claustralis inobediens, licet videatur claustralis effe, tamen non eft. Punitũ eft etiam peccatũ iftud in Saul, in hoc quod propter illud eiectus eft de regno. Vnde 1. Re. 15. *Pro eo quod abiecifti fermonẽ Domini, abiecit te Dominus, ne fis rex.* & 3. Re. 13. Propheta inobediens à leone occifus eft & 20. eiufd. quidã qui noluit obedire cuidam de filiis prophetarũ dicenti fibi. *Percute me,* à leone poftea occifus eft: & Deut. 2. habetur fic de illo qui parentib. carnalib. nollet obedire: Si genuerit homo filiũ cõtumacẽ & proteruum, qui nõ audit patris aut matris imperiũ, & coercitus obedire contẽpferit: apprehendent eũ, & ducent ad feniores ciuitatis illius & ad portã iudicii, dicentes ad eos: Filius nofter ifte proteruus & cõtumax eft, monita noftra audire cõtemnit, cõmeffationib. vacat & luxuriæ atque cõuiuiis: lapidib. eũ obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatur malum de medio veftri. Item & omnis inobedientia morte æterna digna eft puniri. Præceptũ quafi

Inobedientiæ pœna.

quidã laqueus est. Vnde Eccl. 6. *Vincula sapientiæ alligatura salutis.* Trãsgressio vero præcepti siue inobediẽtia, strãgulatio est suiipsius. Pœna etiã inobedientiæ est miseria præsentis seculi in quo sumus. Vnde mirũ est quomodo vltra modũ nõ odimus inobedientiam, quæ in tantã miseriam nos posuit, pro qua omnes morti adiudicati sumus. Ista interfecit omnes amicos nostros qui mortui sunt, & illos qui nobis remãserunt, & nosipsos interficiet. Adhuc vix habet humo ita bonum amicũ, quem odio non haberet, si tot & tanta mala sibi fecisset & adhuc faceret quãta fecit: & hoc facit inobedientia nobis. Secundo potest valere ad detestationem huius peccati magnitudo remedij quo indiguit illud peccatum ad sui curatione. Oportuit enim vt filius Dei fieret obediens vsque ad mortem; vt peccatũ inobediẽtiæ sanaretur. Bernard. Ex cõsideratione remedij periculi mei æstimo quantitatem. In veritate, potius timere debemus inobediẽtiã, quã mortẽ, exemplo filij Dei. De quo Bern. Memento te fratres, Christus ne perderet obedientiã, perdidit vitã Idẽ: Non dabit inobediẽti copiam sui tãtus obedientiæ amator, qui maluit mori, quam non obedire.

De malis quæ sequuntur inobedientiam.

TErtio potest valere ad detestationẽ huius peccati, si ostendantur mala quæ ex inobedientia sequũtur. Notandũ ergo quod inobedientia, primò hominẽ facit idololatram. Vnde 1. Reg. 15. quasi scelus idololatriæ est, nolle acquiescere. Inobediẽs negat Deũ inquantũ ipse Dominus est, Vnde Luc. 6. *Qui vocatis me, Domine Domine & nõ facitis quæ dico?* Vera recognitio dominii est obedientia fidei: inobedientia vero potius cedit ad cõtumeliã Dei, quã ad honorẽ. Maiorẽ enim cõtumeliam facit Domino Iesu Christo, qui non vult ei obedire, licet credat esse Deũ, quã si nollet ei obedire eo quod nõ crederet eum esse: Cum, tunc enim per ignorantiam peccaret, quæ culpam eius aliquantulum diminueret. Secundò inobedientia reddit hominẽ maledictum. Vnde Deuter. 27. *Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit.* & 28. *Si nolueris audire vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius, &c. Venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ouium tuorum. Maledictus eris ingrediens & maledictus egrediens.* Et Psalm. *Maledicti qui declinant à mandatis tuis.* Et Eccl. 41. *Væ vobis viri impij, qui dereliquistis legem Domini Altissimi. Et si nati fueritis, in maledictione nascemini: & si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra.* Hæc maledictio figurata est Matt. 20. in hoc quod Dominus maledixit ficulnæ fructũ non habẽti. Tertio fere oĩa mala huius seculi ex inobedientia proueniũt. Sicut potest haberi ex Deut. 28. vbi post illud: Si *audire nolueris vocẽ Dei tui, vt custodias & facias oĩa mandata eius,* quibusdã interpositis subditur. *Mittet super te Domin⁹ famem & esuriem & increpationem in oĩa opera tua quæ tu facies: donec conterat te, &c.* Greg. Ideo inferiora nostra nobis nõ obediũt, quia nos Deo, vel illi qui loco eius est, nõ obedimus. Gen. 3. *Quia comedisti de ligno ex quo tibi præceperã ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* Et Post: *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Ideo carnẽ suã multi inueniunt inobedientem, quia prælatis suis obedire nolunt. Inobedientia etiam facit, quod à Deo nõ exaudiamur. Vnde Prouerb. 28. *Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius fiet execrabilis.* Aug. Qui à præceptis Dei auertitur, quod in oratione postulat nõ mereretur. Si obediremus Deo, Deus etiam obediret nobis, & etiam creaturæ. Vnde 1. Ioan. 3. *Si cor nostrum non rebrehenderit nos:*

Et maledictus

Psalm. 118.

Ex ipsa oratione mala proueniunt

fiduciã habemus ad Deum, vnde quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniã mandata eius custodimus. Quia Iosue mãdata Domini custodiebat, sol & luna ei obediebant, imò ipse Deus obediuit ei. Vnde Ios. 10. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Atalon. Steteruntque sol & luna quousq; vlcisceretur se gẽs de inimicis suis.* Stetit itaq; sol in medio cœli, & non festinauit occũbere spatio vnius diei. Et subditur: *Non fuit antea & post ea tam longa dies, obediente Deo voci hominis* Legimus etiam alias creaturas irrationabiles sanctis obedientes, eo quòd ipsi verè obedientes essent prælatis suis. Vnde legitur de Paulo Abbate, quòd præcepit discipulo suo Ioanni, vt afferret ei fimum boum, qui erat ei necessarius. At ille ait; in loco vbi fimus est, habitat leæna. Cui Abbas dixit: Si venerit super te, alliga eam, & duces eam tecum. Iuit Ioannes & inuenit leænam. Et cùm vellet super eum irruere, ipse voluit eam capere, sed fugit, & Ioannes sequebatur eam, dicens: Abbas mihi præcepit, vt te alligatam ducã ad eum. Et statim bestia substitit, & tenens eam reuertebatur ad Monasterium. Quod cùm Abbas vidisset, ne fortè ex hoc facto discipulus extolleretur, ait: Sicut tu insensibilis es, ita & insensibilem bestiam adduxisti: solue, & dimitte eam, vt pergat ad locum suum.

Sommè ipsa Deo displicet.

Quartò, potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quod hoc peccatum tantùm displiceat Deo: nec mirum si displiceat Deo, quando homo non obedit ei, cùm videat eum obedire rebus vilissimis rebus, sicut terræ. Vnde Ecclesiast. c. 10. *Pecuniæ obediunt omnia.* Obedit ergo homo ancillæ suæ: scilicet carnis, & vilissimis membris suis, illis scilicet quæ generationi deseruiunt. Obedit etiam Dominus terrenis. Obedit etiam hostibus suis, scilicet dæmonibus, & tamen creatori suo non vult obedire. Vnde Bernardus loquẽs in persona Dei: Quę causa est, quòd inimico meo vestroque libet potius seruire, quàm mihi? Nõ ille vos pascit, non creauit. Si parua hæc videntur ingratis, non ille, sed ego redemi vos, non auro vel argento, non sole, vel luna, nec aliquo Angelorum, sed proprio cruore. Item non est mirum, si displiceat Deo hoc peccatum, quòd homines sibi non obediunt, cùm eorum obedientiam regno cælorum velit emere, nec sic eam habere possit; quam dæmones & terreni Domini, quasi pro nihilo habent. Item nolunt Deo obedire ad leuia & vtilia, diabolo verò vel vilissimis membris suis obediũt ad mortem eorum. August. Leuia iubet Deus, vt in æternum viuamus, & obedire negligimus. Præterea cæteræ creaturæ Deo obediunt. Etiam sol & luna, & alia corpora cælestia, iuxta illud Psal. *Præceptũ posuit & non præteribit*, quibus tamen ipse nos bona fecit. Non enim creauit ea ad imaginem & similitudinem suam ita expressè sicut hominem, nec redemit ea sanguine suo. Non timent etiam puniri ab eo, si ei non obedierint: nec sperant remunerari ab eo, si ei obedierint, & tamen homo Deo non obedit, qui tot bona à Deo accepit, & tot bona sperat, si ei obediant, cùm illa ei obediant.

Quintò, potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quòd inobedientes socii dæmonum sunt. Inter omnes enim creaturas non inueniũtur nisi duæ, quæ nõ obediũt Deo. scil. dæmones, & in mali homines. Vnde Iob 18 *Habitẽt in tabernaculo illius socij eius qui non est.* Imò videntur inobedientes Diabolo attinere, sicut obedientes reputat Dominos suos attinentes. Vnde Matt. 12 *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus pater, soror, & mater est.*

Quòd vniuersa monent hominem ad obedientiam.

AD obedientiam monent hominem vniuersa, Monet etiam Deus. Vn-

de Ioann. 6. *Descendi de cælo, non vt facerem voluntatē meam, sed eius qui misit me.* ad Philip. 2. Humiliauit semetipsum factus obediens, &c. Ad obedientiam monent etiam Angeli exemplo suo, cùm Deo obediant, custodiendo homines. Ab ortu enim hominum custodiunt eos, quamtumcúque sint homines despecti, vsque ad horam mortis, & tunc si dignus est, deportant eum in paradisum, vt habetur de Lazaro Luc. 6. Et in Psal. *Angelis suis mandauit, &c.* ipsæ etiam creaturæ cæteræ exemplo suo monent ad obedientiam. Vnde vltra modum durus videtur esse, qui ad monitionem vniuersitatis non acquiescit, præcipuè cum tot tormentis & flagellis diuinis quasi incessanter ad obedientiam stimuletur. Omnes enim miseriæ præsentis vitæ quasi flagella sunt, quibus Dominus inobedientiam hominis punit, & ad obedientiam excitat: vnde inobedientes homines duriores videntur esse asinis. Illi enim flagellis & aculeis obediunt.

Psal. 90

Inobedientes hominis asinis duriores.

De inobedientia non custodientium solemnitates.

SEquitur de inobedientia eorum, qui solemnitates non celebrant. De qua hoc modo agemus. Primò, ostendemus ea quæ faciunt ad obseruationem solemnitatum. Secundò, tangemus aliquid de peruersitate hominum, qui in solemnitatibus faciunt contraria eis ad quæ ipsæ institutæ sunt. Notandum ergo, quòd quatuor sunt quæ pertinēt ad obseruantiam solemnitatum. Primum est, vacare à terrenis operibus, Vnde Exod. 20. *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: Septima autem die sabbatū Domini Dei tui est. Non facies in eo omne opus tu & filius tuus, & filia, seruus tuus, & ancilla tua.* Monemur etiam ad hoc exemplo Domini. Gen. 2. vbi legitur, quòd *requieuit Deus die septima ab omni opere quod patrarat*, Nec solùm vacandum est à terrenis operibus exteriùs, imò etiam interiùs à sollicitudine terrenorum. Vnde Ezech. 3. *Qui quiescit, quiescat* qui quiescit, inquam, corpore, quiescat & mente. Secundum est, depositio peccati. Vnde Ier. 17. *Nolite portare pondera in die sabbati.* In vigilia solemnitatis deberet quilibet attendere vtrum haberet aliquod peccatum in se, & si haberet, per veram confessionem deberet illud remouere. Vnde Bernardus Ad hoc nobis vigiliæ proponuntur, vt vigilemus, si in aliquo peccato vel negligentia dormiamus, & præoccupemus faciem sanctorum in cōfessione. Tertium est, vt caueamus nobis, ne peccata committamus. Vnde Exod, 20. *Memento, vt diem sabbati sanctifices* hoc est, sanctum conserues, diligenter in eo à peccatis cauendo. Quartum est, vt vtilitati animæ intendamus, spiritualia opera faciendo.

[...]a[...] ad [...]uā [...]in fe[...] [...]um [...]t nēt

Quòd in festis vacandum est à quinque.

QVinque verò sunt, quibus specialiter vacandum est in festis, scilicet laus Dei, sermo Dei, sancta meditatio, oratio, eleemosynarum largitio. Laudi Dei vacandum est: ideò tunc obseruatio solemnitatum, quasi quædam inchoatio est beatæ vitæ quam expectamus. Vnde sicut ibi erit assidua Dei laudatio: sic in festis debemus intendere laudi diuinæ. Bernard. Nihil adeò in terris repræsentat quendam cælestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum. Sermoni etiam diuino in festis vacandum est. Vnde Eccl. 38. *Sapientiam scribæ in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu percipiet eam.* Homo multis occupatus, lumen sapientiæ à se repellit, sicut arbor ramosa lumen solis solet repellere: ideò dicitur Ecclesiast. 11. *Fili, ne in multis sint actus tui.* Quidam ait: *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.* Meditationi etiam sanctæ vacandum est in istis. Sen. Dimitte omnia impedimenta, & vaca bonæ menti: nemo ad eam peruenit occupatus. Oportet, quòd cor ho-

minis à rebus mundanis expediatur, ad hoc quod colloquio Spiritus sancti dignus habeatur. Vnde Ose. 2. dicit Dominus de anima: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*

Quod 4. debemus in festis meditari.

Circa Deum. MEditatio vero sancta in solemnitatib. debet esse circa quatuor. Principaliter debet versari circa Deum, qui si sanctum illũ remunerauerit cuius solemnitas agitur; pro medico seruitio sibi exhibito, ideo debet animari homo ad seruiendum tam liberali domino. Vnde

Psal. 45. in Ps. *Vacate & videte, quia ego sum Deus.* Solénitaté futuram. Satis apperet in remuneratione sanctorum, quoniam ipse sit Deus. Debet etiã meditatio sancta versari circa solemnitatem istam quam epectamus, cuius figura sunt solemnitates præsẽtis vitæ. Et sicut in festis istis non est tempus cõgregandi, sed congregatis vtendi: sic nec in illa solemnitate tẽpus erit aliquid congregandi. Vnde magnã indigentiam tũc habebunt qui sibi non prouiderint, præcipuæ cum non sit ibi locus mendicandi, nec aliquid accipiendi mutuo. In festiuis diebus deberet homo admirari delicias illius solemnitatis, & accendi ad desiderium earum. Bern. Quid est quod non optamus etiã per medios enses, si oporteat declinare tantam miseriam, & ad tãtam accelerare gloriam? Gregor. Quid prodest interesse festis hominum, si deesse contingat festis angelorum? Ezech. 16. *Hæc dicit Dominus Deus: Porta atrÿi interioris quæ respicit ad orientem, erit clausa sex diebus in quibus opus fit: die autem sabbati aperietur.* Porta ista respiciens ad orientem, est meditatio de Deo à quo ortum habemus. Cui meditationi non possunt homines itendere ferialibus diebus propter terrena opera: ideo deberent ei intendere diebus quietis. Et sicut solemnitates præsentes figuræ sunt æternæ solemnitatis: sic vigiliæ quæ præponuntur festis figuræ sunt tẽporis penitẽtiæ vnde in hoc quod vigiliæ festis præponuntur. ostenditur qua via sancti ad gloriã illius solẽnitatis peruenerunt, & qua via oporteat nos ire si ad eam volumus peruenire. Bernard. Vniuersum tẽpus pœnitentiæ quædam vigilia est solemnitatis futuræ & æterni sabbati quod præstolamus. Nec causaberis vigiliæ diuturnitatem, si æternitatem solemnitatis attendas. Sicut B. Bernard. tangit. In festis istis vigilia æqualis est festo. Festum enim diurnum præcedit vigilia diurna: sed solemnitatem æternã præcedit vigilia, quiasi vnius diei comparatione illius solemnitatis: iuxta illud Psal. *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ prætcrijt.* Psal. [illegible] Sed sunt qui volũt facere festum stultorum. Prius enim volunt facere festum, quam vigiliam. Illorum festum quasi diurnum est: vigilia vero æterna erit. Ipsi faciunt festum in hoc mundo, vigiliam cum diabolo in inferno. Non in pane & aqua, imo erunt per infinita millia annorum, quod lingua eorum ardebit igne, & vnicam guttam aquæ habere non poterunt. Argumentum ad hoc Luc. 16. de diuite epulone, qui tot annis transactis petiit guttam aquæ, & nondum habet. Tertio debet meditatio versari circa teipsum, vt Teip[...] videas in quo statu es. Genes. 3. Adam vbi es? Et vt excogites defectus tuos, & quomodo facilius ad salutem poteris peruenire. Quarto vero debet versari meditatio circa sanctum cuius festum celebratur. Circa quem tria debemus attendere. *Auxilium* sancti, *exemplũ* eius, *confessionem* nostram, sicut docet B. Bernard. Auxiliũ sancti, quia potens in terra, potentior in cęlis est ante faciem Domini Dei sui. Si dum adhuc viueret misertus est peccatoribus, & orauit pro eis: nunc tanto amplius quanto verius cognoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beata illa patria charitatem eius non mutauit, sed augmentauit, neque quia impassibilis factus est, ideo omnino incompassibilis factus est: sed

ã&t ũ[...] Et hi[...] tria i[...] sanct[...] cõsid[...] randa[...]

nunc potius induit sibi viscera misericordiæ cum ante fontem misericordiæ assistat. Est & alia causa quæ magis vrget sanctos vt solliciti sint de nobis: quia iuxta vocem Apostoli, *Deus prouidet nobis ne sine nobis consumentur*. De exemplo planum est, sed & diligẽtiori intuitu confusionem nostram interim inspiciamus, quia homo ille similis fuit nobis, passibilis, ex eodem luto formatus ex quo & nos. Quid est ergo quod non solum difficile, imo impossibile credimus, vt faciamus opera quæ fecit? Sic igitur in solemnitatibus sanctorum gaudere & confundi deberemus. Gaudere quia tales & tantos potronos præmisimus. Cõfundi, quia eos imitari non studemus. Ita hoc semper gaudium nostrum in hac valle lacrymarum pane lacrymarum condiri debet.

Quod vacandum sit orationi in festiuitatibus.

ORationi etiam vacandum est in festis sicut & sanctæ meditationi. Meditatio enim & oratio sunt quasi duo pedes, quibus in cælũ ascendendum est. Ascẽdamus duob. pedibus, meditatione & oratione. Meditatio quid desit docet, oratione desit obtinet. Tunc etiam intendendum est eleemosynarum largitioni: iuxta illud 2. Esd. 8. *Comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes his qui non præparauerũt sibi*. Sed multi hodie nihil horum obseruant propter quæ solemnitates institutæ sunt: quia nec à terreno opere vacant, nec pondera peccatorum deponunt: sed amplius peccant in festis quam in aliis diebus, & neglecta vtilitate animæ, deliciis corporalibus intendunt. Contra illos qui à terreno opere non cessant, primo potest valere quod legitur Numer. 15. de illo qui colligebat ligna in sabbato, quem Moyses & Aaron recluserunt in carcerem, requirentes à Domino quid de eo facerent. Dixit que Dominus ad Moysen: *Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra crastra*, quod factum mysticum est. Ligna spiritualiter scindit, qui materiam ignis infernalis sibi colligit: qui lapidãdus est, id est duris obiurgationibus increpandus est, qui non vult cessare in festis quin mala ad suum incendium colligat. Potest etiam valere contra peccatum horum, si ostendatur magna ingratitudo & peruersitas, quæ sunt in hoc peccato.

De ingratudine non obseruantium diem Dominicum.

NOtandum ergo, quod illi qui Dominicum diem non obseruant, ingrati sunt Deo de creatione mundi, & de hoc quod pro eis voluit nasci in valle huius miseriæ, & de beneficio quod mũdo contulit in die Resurrectionis, & in die Pentecostes, quando Spiritum sanctum misit in discipulo suos. Omnia enim hæc in die Dominica facta sunt, propter quæ dies illa celebris habenda est. Tales peccant in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. In Patrem, cuius potentia mundum creauit. In Filium, cuius sapientia mũndum redemit. In Spiritum sanctum, qui tali die missus est in mundum. Ipsi ingrati sunt suo creatori, redemptori & consolatori. Bene deberent aliquid pro Deo facere die illa, qua Deus mundum fecit pro ipsis. Bene deberent cauere à morte sua in die illa, qua filius natus est pro eis: deberent etiam cauere à casu in honorem Dominicæ resurrectionis: non deberent etiam Spiritum sanctum ab hospitio suo repellere in die ila qua Ecclesiæ datus fuit.

Non obseruantes diem dominicum in SS. Trinit peccant.

Quadruplex ratio, quare celebrare debemus sabbatum in honore Beatæ Mariæ Virginis.

ET notandum quod sicut quadruplex ratio assignatur, quare dies Dominica celebris habeatur, sic potest quadruplex ratio assignari quare Beatæ Virgini in sabbato potius honor exhibetur, quam

aliis diebus. Prima ratio est, quia beata Virgo in Sabbato, in quo Deus fuit in sepulchro, sola in fide stetit, Apostolis discedentibus. Secunda ratio est, quia sicut à ieiunia sextæ feriæ fit transitus per Sabbatum ad solemnitatē Dominicæ: ita à miseria præsentis vitæ vel peccati fit trāsitus ad statum gloriæ vel gratiæ per beatam Virginem. Tertia ratio est, quia tali die multoties legitur beata Virgo miracula fecisse, & beneficia peccatoribus præstitisse. Quarta ratio est, quia apud Græcos fuit quædam imago beatæ Virginis, cuius velamen à nona sextæ feriæ diuina virtute recedebat, & post nonam sabbati similiter Dei virtute redibat. Cuius miraculi hæc ratio potuit esse, vt ostenderetur, quòd præcipuè tali die facies beatæ Mariæ Virginis peccatoribus orantibus intendebat, propter quod Græci diem illam solemnitatem dixerunt. Deinde consuetudo illa ad Latinos transiuit quantum ad hoc, vt in illa die specialis honor beatæ Virgini exhibeatur. Valdè peruersi videntur esse, qui nolunt in festiuis diebus à terreno opere vacare, qui potius volunt laborare in seruitio diaboli, quàm quiescere in seruitio Dei? quin potius eligunt statum miseriæ, vt in sudore vultus sui pane vescantur suo, quàm statum ante peccatum sine sudore panem suum comedant, potius volūt hìc inchoare infernum suum, quàm paradisum. Quædam inchoatio paradisi est, quies solemnitatum: potius volunt laborando ire in infernum, quàm quiescēdo ire in paradisum. Ecclesia per quietem solemnitatum vadit celeriùs in paradisum, quàm per laborem ferialium dierum, quod figuratum est in hoc quod legitur Actuum, quòd mons Olíueti erat iuxta Ierusalem, sabbati habens iter, vt per montem Oliueti Ecclesia designetur, quæ per quietem solemnitatum in cælestem Ierusalem tendit. Contra illos, qui pondus peccati in festis nolunt deponere, primò, videtur esse illud quod legitur 2. Esd. vltim. quòd Neemias die Sabbati clausit portas Ierusalem, ne inferrent venalia, & comminatus est eis, si secundò hoc facerent, quòd poneret in eos manus. Tales, qui pondera peccatorum in festis deponere nolunt, valdè peruersi sunt: potius enim volunt portare onus diaboli graue, quàm onus Christi. Quòd onus Christi sit leue, habetur Matth. 11. Quòd onus diaboli, scilicet peccatum, sit graue, habetur ex illo verbo Psalm. *Sicut onus graue, grauatæ sunt super me.* Et ex hoc quod Zachariæ 5. figuratur iniquitas per talentum plumbi. Tales potius volunt portare onus quod demergat eos in profundū inferni, quàm onus, pro quo detur eis gloria paradisi. Et cùm ipsi non permitterent asinum suum oneratum esse vltra quod debeat, sibi ipsis hoc nullo modo compatiuntur, nec in festis, nec in aliis diebus. Portitores ad collum videntur esse diaboli. Benè apparet quòd malum dominum habent, qui nec festis diebus permittit eos quiescere. Diabolus videtur esse dominus eorum, de quo scriptum est Iere. 6. *Crudilis est, & non miserebitur.* Peccator, non solùm seruus diaboli est, imò est quasi pecus ipsius. Vnde super illud, Misit in eos iram indignationis suæ, dicit in Gloss. Tantum potest diabolus in homine malo, quantum homo in peccato suo. Item Psalm. *Contritio & infœlicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt* Impietas, quæ in eis est, non permittit eos quiescere. Vnde Esa. 57. *Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* & Thr. 1. *Peccatū peccauit Ierusalem: propterea instabilis facta est.* Muscæ quæ vexauerunt Ægyptios, eos vexare videntur. Vnde Gregorius: Israel sabbatum accepit in munere: Ægyptus percutitur muscarum multitudine. Magis bestiales videntur esse tales, quàm asina Balaā, in hoc quod ipsa conquesta est de domino suo, qui iniquè agebat in eam: vt legitur Num. 22. Ipsi autem nesciunt conqueri de domino

Fe[...] maxi[...] mè di[...] bus p[...] cata [...] fiten[...]

Psal.

minosuo diabolo, qui adeo inique agit in eos. Fatuus videtur esse, qui pro talibus petit requiem æternam post mortem eorum, cum ipsi in vita sua nunquam requiem amauerunt, præcipue cum scriptũ sit in fine Esai. *erit sabbatũ ex sabbato.* Ex quieto enim mentis in præsenti sequitur requies in futuro. Et dicit Dominus Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos:* & miseri fugiunt eum. Clamat autem diabolus contrariũ, & miseri homines currunt ad eum. De illis autem qui magis peccant in festis quam in aliis diebus, notandum quod ipsi sunt valde fatui & peruersi: in tempore sancto non sancte volunt viuere, similes illis qui extra Ecclesiam cauerent à peccato, & in Ecclesia se omni immunditiæ exponerent. Sicut enim loco sancto deferendum est, sic & tempori sancto. Si quis in omnibus festis araret & foderet, ipse valde malus reputaretur. Quomodo ergo non multũ peccant qui in diebus Dominicis fornicantur? Citius enim posset cõcedi quod aliquis in omnibus festis araret vel foderet, quam quod semel in die Dominica fornicaretur. Non ideo instituit Ecclesia, vt in festis cessaretur à terrenis officiis, quæ bona sunt, vt malis intenderetur spiritualibus, quæ meliora sunt. Festa instituta sunt ad gratiam sanctorum acquirendam, & ipsi eorum iram prouocant. Tempus illud quod Dei seruitio appropriatum est, diabolo dedicant: nec à peccato cupiditatis tunc cessant, vel in aliquo sibi cauẽt, & ebrietati, & luxuriæ & superbiæ, & lasciuiæ, & cæteris vitiis se exponunt, amplius offendunt Deum in Dominica vna, quã per totam septimanam. Non videntur talia festa esse Dei. Iam videtur impleuisse dæmones in magna parte quod intendebant. Iam enim in magna parte quiescere fecerunt dies festos Dei à terra. Solemnitates Ecclesiæ jã pro magna parte similes illis factæ sunt, de quibus legitur Esai. 1. *Solemnitates vestras odiuit anima mea. Facta sũt mihi molesta: laborauit sustinens.* Et Thren. 1. *Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius.* Illi vero qui in festis vtilitati corporis vacant, & deliciis corporalibus, & ornatui corporum, similiter valde peruersi sunt. De ancilla enim dominam faciunt, & festum, quod deberent facere Deo cœli, faciunt suo ventri. Hi sunt, *quorum Deus venter est:* vt legitur ad Philippenses 3. *Hi nõ Domino Iesu Christo, sed ventri suo seruiunt.* Ad Romanos 16. Cõtra solemnitates eorum dicit Hieronymus: Valde absurdum est onerare ventrem nimia saturitate, quem scimus Deo placuisse per ieiunium. Et Leuit. 23. *Sabbatum requietionis est, affligetisque animas vestras.* Ipsi credunt, vt videtur, quod festa ideo instituta sint, vt refectioni vnius sacci possint vacare, & impletioni vnius vasis immundi, scilicet ventris. Ideo Dominus cõminatur eis miro modo Malach. 2. Vix auderem comminationem illam dicere, nisi Spiritus sanctus eam per prophetã diceret. Sic enim legitur ibi. *Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatũ vestrarum, dicit Dominus.*

[Peruersissimi, qui festis diebus peccata peccatis addunt.]

De obedientia contemnentium excommunicationem, & quod valde timenda sit.

SEquitur de obedientia eorum qui cõtemnunt, quando ab Ecclesia excõmunicantur. Et notandum in primis, quod duæ sint species excommunicationis, scilicet maior & minor. Minor separat à sacramentis Ecclesiæ: maior separat ab ingressu Ecclesiæ, & à communione fidelium, & à sacramentis, & hæc dicitur anathæma. Et possunt duodecim rationes ostendi quare timenda sit multum excommunicatio. Primò timenda est, quia est ictus gladii spiritualis, qui magis timendus est, quam materialis. De his gladiis legitur Luc. 22. *Ecce duo gladij hic.* Aug. etiam dicit de illo qui

[Species excommunicationis duæ. Rationes cur excommunicatio timenda.]

excommunicatur quod grauius est hoc illi, quam si gladio feriretur, si à feris deuoraretur, si in flammis exureretur. Secundò timenda est excõmunicatio, quia excommunicatus est vt homo valde infirmus, qui nullum remedium vel medicinam potest habere: ipse enim separatus est à sacramentis Ecclesiæ, quæ sunt quasi medicinæ. De quib. medicinis legitur Eccl. 38. *Vnguentarius faciens pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiens sanitatis.* Tertio vero timenda est, quia excommunicatus est velut homo captus ab hostib. suis, omni auxilio destitutus & omni succensu, quia priuatus est à cõmunione fidelium, nec habet partem in aliquibus bonis quæ fiunt ab Ecclesia. Ipse est similis illi, qui cecidit in foueam sub onere, nec habet qui subleuet, & ideo væ illi. Eccles. 4. *Væ soli: quia si ceciderit, non habet subleuantem se.* Et contrario vero dicitur Prouerbior. 18. *Frater qui adiuuatur à fratre quasi ciuitas firma.* Quarto timenda est etiam, quia excommunicatus est quasi infirm⁹ habens morbum infectiuũ, qui à consortio hominũ eiicitur: Ideo lepra ab omnibus timetur, quia morbus cõtagiosus est. Et multi sũt qui dicunt: Alias infirmitates det mihi Deus, si sibi placuerit, sed à lepra me custodiat. Excommunicatio velut lepra spiritualis est. Vnde lepram Mariæ figurata est numeri 12. Et in hoc excommunicatus deterior est cæteris peccatoribus: quasi alii peccatori loquor, vel alicui communico, qualiscunque sit, ex quo non est excommunicatus, non est mihi periculum, sed in excommunicato magnum est periculum, vnde aliqui sunt qui potius eligerint mori, quam semel communicare cum deliberatione alicui excommunicato, & in casu non concesso. Et in veritate melius esset comedere cum porco, quam cum excommunicato. Deterioris enim conditionis in hoc videtur esse excommunicatus, quam infidelis. Vnde 1. ad Corrinth. 5. *Si quis frater nominatur inter vos, & est fornicator, aut auarus, &c. Cum huiusmodi nec cibum sumite.* Augustinus: Eam nominationem intelligi voluit Apost. quæ fit in quenquam cum sententia in ordine iudiciario & integritate profertur. 1. ad Corinth. 10. sic legitur *Si quis infidelium vocat vos ad cœnam, & vultis ire, omne quod vobis oppositum fuerit, manducate.* Quinto timenda est excommunicatio, quia excõmunicatus est quasi canis, cui quia immũdus nõ licet intrare in Ecclesi. Et in veritate magis offenditur Deus, quod ipse intrat Ecclesiam Dei, quam si vnus canis intraret. Apocal. vlt. *Foris canes.* Et Eccl. 13. *Quæ communicatio sancti ad canem?* Sexto timenda est excommunicatio, quæ est quasi membrum abscissum à corpore, quod nullius valoris est. Quid valet manus abscissa à corpore? & sicut super omnia timenda est abscissio membri à corpore eius: sic nihil magis timere debet Christianus, quam separari à corpore Christi, quod est Ecclesia. Vnde Augustin. super Ioan. Nihil sic debet formidare Christianus, quam separari à corpore Christi. Iam non est membrum eius, iam non vegetatur spiritus eius. Septimo timenda est excommunicatio, quia homo excommunicatus similis est palmiti abscisso à vite, qui minoris valoris est quam ceteri rami, postquã abscissus est cũ valde vtilis sit, cum viti adhæret. Abscissus valet ad hoc vt in ignem ponatur: ex aliis ramis multa vtilia fieri possunt, sed non sic ex palmite. Vnde Ezechielis 15. *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna syluarũ? Nunquid tolletur de ea lignum vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus vt dependeat in eo quodcunque vas? ecce igni datum est in escam.* Et Ioan. 5. *Sicut palmes nõ potest facere fructũ à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis.* Octauo timenda est excommunicatio: quia ille, qui excommunicatur, satanæ traditur

Sicut Ecclesia hæreticos conuictos relinquit seculari potestati: ita illos qui excommunicantur, potestati satanæ tradit. Vnde Augustinus: Omnis Christianus, qui à sacerdote excommunicatur, satanæ traditur. Quomodo? quia extra Ecclesiam diabolus sicut in Ecclesia Christus. Ac per hoc diabolo traditur, quia ab Ecclesiastica communione remouetur. Et Apostolus 1. ad Corinth. 5. *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi tradere huiusmodi sathanæ.* Et loquebatur de Corinthio fornicatore, qui erat excommunicandus. Nono timenda est excommunicatio, quia excommunicatus est sicuti infidelis. Vnde Matthæi decimo octauo, dicit Dominus de excommunicando: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Decimo timenda est excommunicatio, quia excommunicatus videtur esse deterior quam gentilis, est enim quasi apostata à Christiana religione. Vnde communiter dicuntur excõmunicati esse extra legem & extra Christianitatẽ: & sicut deterioris conditionis est, qui ab aliqua religione apostatauerit, quam ille qui nunquam in aliqua religione fuit, & ille qui degradatus est ab ordinibus susceptis, deterioris videtur esse conditionis, quam qui nunquam ordines suscepit: ita qui extra Christianitatem positus propter culpam suam, deterioris est conditionis, quam qui nunquam Christianus fuit. Vnde super illud: *Sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Dicit Gloss. Detestabilior est, qui sub nomine fidelis agit opera infidelium, quam aperte infidelis. Iudæus aliquam legem habet, licet non sibi sufficientem. Gentilis etiam aliquam legem habet, saltem naturalem: sed excommunicatus nullam videtur habere, quum ille extra legem Christianorum dicatur esse, & non sit Iudæus vel gentilis. Inutilis etiam videtur esse quod ad Deum, & quo ad mundum. *Homo enim apostata vir inutilis est*, vt legitur Prouerb. 5. Vndecimo timenda est, quia isto peccato diabolus multos lucratur. Vnde quidam diabolus loquens in quodam dæmoniaco post multas adiurationes cuiusdam boni viri, dixit ei, quod hoc erat peccatum quo plures lucrabatur. Vnus enim excommunicatus vna die quandoque facit peccare centum personas, dum facit eas communicare sibi. Duodecimo timenda est excommunicatio, quia valde damnosa est: aufert enim hamini partem suam de omnibus missis & aliis bonis quæ fiunt in Ecclesia Dei, quod non est paruum damnum. Quis enim digne sufficeret æstimare valorem vnius missæ? Et hæc quæ dicta sunt, de maiori excommunicatione intelligenda sunt.

De obedientia contemnentium minorem excommunicationem.

SEquitur de peccato eorum, qui contemnunt minorem excommunicationem, & ideo non timent communicare cum excommunicatis, licet communicando minorem excommunicationem incurrant. Et notandum quod ille qui communicat cum excommunicato, peccat in se, & in eum cui communicat, & in illum pro cuius iniuria excommunicatio lata est, & in matrem suam Ecclesiam, & in patrem spiritualem fert sententiam, & etiam in patrem cælestem. In se peccat, quia non cauet sibi ab eo qui habet morbum contagiosum: in quo videtur minus se amare, quam porcum suum. Porcus enim suus bene caueret ab alio porco qui morbum contagiosum haberet. In eum etiam cui communicat, peccat: quia cum ipse sit infirmus ad mortem, ipse aufert ei remedium, & saltem

minus efficax reddit, dum confusioné ipsius minuit, per quam corrigi debuit. Eccl. 4. *Est confusio adducẽs gloriã.* Et Dauid: *Imple facies eorum ignominia, &c.* Et Mich. 4. *Egredieris de ciuitate, & venies in Babylonem, ibique liberaberis.* Peccat etiam in eum, & pro cuius iniuria excommunicatio lata est, quia aufert ei rem suam. Peccat etiam in Ecclesiam, quam malo exemplo corrumpit, & cuius societati præponit societatem eorũ, qui sunt vt leprosi, imo sicut canes & porci: peccat etiam in Patrem spiritualem, cuius sententiam contemnit. Peccat etiam in Deum, quem in ministro suo spernit. Luc. 10. *Quo vos spernit, me spernit.* Ipse potius amat priuari mensa Dei, id est, altari, quam mensa ex communicati: & potius amat societaté diaboli quam filiorum Dei. Ideo merito in inferno socius erit diaboli. Quidam ait in vitis patrum: Qui non vult Ecclesiæ ianuam humiliatus ingredi, necesse habet in ianuam inferni non sponte damnatus intrudi.

De peccato indiscretè præcipientium.

SEquitur de peccato indiscretè præcipientium. Et notandũ est, quod multis modis indiscretè præcipit, vel cum superbè præcipit: iuxta illud Ezech. 34. Quod perierat, non quæritis: & cum austeritate imperabatis eis & cum potentia Senec. Remissius imperando melius paretur. Natura contumax est animus humanus, & in contrarium atque arduum nitens, facilius sequitur, quàm ducatur. Item indiscretè præcipit, qui minia vel nimis grauia præcipit. Matth. 23. *Alligant onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominũ, &c.* Act. 15. *Quid tentatis Deum, iugũ imponere super ceruices discipulorũ quod nec nos neque patres nostri portare potuimus?* Item indiscretè præcipit, qui præcipiendo sensum suum sequitur, sicut illi quibus Dominus dicit Matthæi 15. *irritum fecisti mandatum propter traditiones vestras:* & Postea: *Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Item indiscretè præcipit, qui non beneplacitum Dei, nec vtilitatem subditorum, sed propriã vtilitatem præcipiendo quærit. Et notandum quod prælatus in præcipiendo deberet esse minister Dei, & deferre mandatum eius ad subditos, & mandando deberet Deo seruire subditis, vnde Augustin. in li. de morib. ecclesi: vbi ostendit omnem virtutem esse amorem Dei: dicit quod iustitia est amor soli amato seruiens, & ideo recte imperans.

Sex quæ debent prohibere prælatos à multitudine præceptorum.

SEx vero sunt quæ deberent prælatos cohibere à multitudine præceptorum. Primum est hoc, quod primis parentibus leguntur duo præcepta fuisse facta. Genes. 2. *Ex omni ligno paradisi comedes: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Et alterum eorum transgressi sunt. Secundum est hoc. *quod nitimur in vetitum semper, cupimusque negatum.* Sicut impetus aquæ crescit obice inuento, sic desiderium crescit illis, qui non habent gratiam propter prohibitionem. De nullo alio fructu paradisi leguntur primi parentes comedisse, nisi de fructu vetito. Vnd ad Ro. 7. *Sine lege peccatum mortuum fuerat:* & subditur paulo post: *Sed cum venisset mandatum: peccatum reuixit.* Item eiusdem 5. *Lex subintrauit, vt abundaret delictum.* Tertium est hoc quod prælati potius deberent onera subditorum portare, quam grauare. Vnde Bernard. loquens prælatis: Quid iugum vestrũm super eos aggrauatis, quorum opera potius portare deberitis? & 4. Reg. 2. dicit Eliseus ad Eliam: *Pater mi, currus Israel & auriga eius.* Prælatus debet esse vt auriga, vt subditos regat, & currus vt onera portet. Quartum est hoc, quod qui nimis emungit, elicit sanguinem, vt legitur Prouerb. 30. Prælati

deberent esse vt matres, lac dulcis doctrinæ subditis propinando: sed aliqui hodie pro lacte propinant sanguinem peccati. Quintum est exemplum Christi dicentis Matthæi 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Ipse etiam legem nouam dedit Matthei 5. Non imperando, sed dulcedine præmii ad legis attrahendo amorem. *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Sextum est, quod prælati adiutores debent esse salutis. Qui autẽ multa præcipiunt, potius salutem impediunt. Et notandum quod valde impii sunt tales prælati. Ipsi enim iugulant filios proprios: quot enim præcepta eis faciunt, tot eis laqueos ponunt. Vnde accidit quod quem non strãgulat vnus laqueus, alius strangulat: & quem non capit diabolus laqueo vno, capit alio. Ipsi occasiones mortis ponunt iuxta filios suos, qui quasi phrenetici sunt, quum deberent eos elongare ab eis. Ex morsu pomi venenati sunt homines quasi phrenetici, nisi per gratiam Dei sanati sint: & ideo noxia appetunt. Tales etiam prælati adeo arctant viam paradisi, quod quãdo aliquis vult pedem ponere in via, ipse ponit extra viam. Ipsi etiam paruulos vnius diei conualescentes à magna infirmitate ita onerant, quasi essent fortes & sani. Paruuli vnius diei sunt, qui ad pœnitentiam veniunt. Ipsi etiam conualescunt à magna infirmitate. Nullus tyrannus tot iniungit sub pœna mortis temporalis, quot ipsi iniungunt sub pœna mortis æternæ.

Contra nimietatem præceptorum in claustro.

SPecialiter vero reprehensibilis est nimietas præceptorum in claustris. Hoc est vnum illorum trium, quæ solent religionem destruere. Argumentum habemus de hoc Genes. 2. in prima religione quæ fuit in paradiso terrestri, in qua duo præcepta data fuerant, & contra vnum eorum factum est. Secundum est singularitas, de qua exemplum habemus Esa. 14. De religione superna, à qua Lucifer hoc peccato eiectus est. *Sedebo*, inquit, *in monte testamenti, &c.* Alii ministrabant, iuxta illud: *Millia millium ministrabant ei, &c.* Tertium est, amor temporalium, de quo hebemus exemplum. Act. 5. de Anania & Saphira, qui de abbatia Petri occasione temporalium perierũt. Sicut claustrales caueant ab aliis occasionibus peccandi, sicut à multi loquio in quo non deerit peccatum, vt ligitur Prouerb. 10. & à iuramento ex quo sequitur frequenter periurium: sic deberent cauere à nimietate præceptorum, ex qua frequenter sequitur transgressio.

Contra nimis facilè excommunicantes.

SEquitur de peccato eorum, qui nimis de facili excommunicant. A quo peccato deberent cohibere specialiter ista quatuor, scilicet excommunicatio, quæ est abscissio membri à corpore ecclesiæ. Vnde omnia illa remedia deberent adhiberi antequam excommunicatio fieret, sicut membro infirmo adhibentur primo multa remedia, & si valere non possunt remedia, rescinditur, ne totum corrumpatur. Secundum est nobilitas corporis, à quo per excommunicationem membrum rescinditur. Corpus enim illud corpus Christi est mysticum, scilicet ecclesia. Si rex Franciæ haberet infirmitatem in membro, non de facili abscinderetur membrum illud. Cum quanta igitur cautela abscindendum est membrum de corpore Christi? Totum corpus Ecclesiæ contremiscere deberet, quando vnum membrum deberet inde abscendi: sicut accidit in corpore humano, quod totum corpus contremiscit si vnum membrum sit amputandum. Tertium vero hoc est, quod quando aliquis excommunicatus, ipso gladio quo percutitur, sathanæ traditur

sine consilio & auxilio relinquitur, vt prius ostensum est. Non debet autem parua clausa esse, pro qua mater filium gladio percutit, lupis infernalibus exponit, & infirmum ad mortem sine consilio & auxilio relinquit. Quartum vero est hoc, quod frequentius excommunicationem non sequitur vtilitas, quam solebat consequi. Excômunicatio enim ad hoc solebat fieri, vt illi qui excommunicabantur conriperentur, ne populus exemplo eorum corrumperetur: hodie autem contrarium accidit, & frequenter qui excommunicantur excommunicationem contemnunt, & ad peccata fræna relaxant. Alii etiam corrumpuntur, quia communicant eis. Vnde remedium versum est in venenum. Ideo raro essent faciende excommunicationes, prçcipue generales, & raro essent constituendi canones latæ sententiæ.

De sententia iusta vel iniusta.

ET notandum quod ad hoc quod sententia sit iusta, requiruntur tria, scilicet quod fiat ex certa causa sufficiente, & zelo iustitiæ, & ordine iuris obseruato. Deficiente vero aliquo istorum iniusta est, tamen ligat ex quo lata est ab illo iudice qui habet super hoc iurisdictionem canonicam. Et reseruanda est ab Ecclesia militante. Fallit tamen hoc in duobus casibus. Vnus est, quando lata est sententia post legitamam appellationem: aliud quando continet intolerabilem errorem. Intolerabilem errorem intelligo, cum sic dixit excommunicans, Excommunico te, quia credis in Deum, quia non fornicaris, quia obediens es prælatis tuis, & similia. Excommunicatus vero iniuste, sustinere debet patienter, & humiliter excommunicationem, & præsentare se excommunicatori, offerens canonicam satisfactionem si in aliquo offendit, & sic instanter postulare absolutionem, si sic fecerit, erit ei ad meritum. Vnde Augustin. Qui iustus est, & iniuste maledicitur, præmium illis redditur. Item Augusti Aliud est scella terrena, aliud est tribunal cæleste: ab inferiori accipit sententiam, à superiori coronam.

Cap. XXXIX.

De peccato vanæ gloriæ.

SEquitur de peccato vanæ gloriæ, de quo hoc modo agemus. Primo ponemus ea quæ possunt valere ad detestationem huius peccati. Secundo ponemus diuisionem vanæ glorię Tertio vero remedia contra illud peccatum. Est autem vana gloria secundum August. indicium hominum de aliquo bene opinantium: secundum, Tullium vero vana gloria est magni dicti vel facti frequens fama cum laude. Qui vana glor

De his quæ faciunt ad detestationem huius peccati.

AD detestationem vero huius peccati possunt valere verba sacræ scripturæ, quæ illud dissuadent, vt est illud Prou. 27. *Ne glorieris in castinum.* Et illud Hier. Non quæras gloriam, & non dolebis cum inglorius fueris. Qui laudē non appetit, contumelias non sentit. Secundo vero possunt valere ad hoc exēpla. Inter quæ præcipuum est exemplum Christi. Exemplum vanæ gloriæ vitādæ dat Christus Mat. 10. vbi duobus cæcis, quibus oculos aperuerat, dixit: *Videte ne quis sciat.* Et Mat 8. dixit leproso curato: *Vide nemini dixeris.* Et eiusdem 14. vbi miraculo facto de quinque panibus & duobus piscibus, compulit discipulos statim ascendere nauiculam, ne vanam gloriam haberent de aliquib. quæ audierant de miraculo. illo & Luc. 10. vbi reprehendit discipulos suos, qui gloriabātur de miraculis factis. *Videbam,* inquit, *sathanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Et Ioannis octauo. *Ego gloriam meam non* Ex pla ien gar glo

quare, &c. Multi etiam antiqui patres fatuos se simulauerunt, vt cauere sibi possent à vana gloria. Vnde cum quidam senex in spelunca sua requiescens rogaretur multis precibus à quodam seculari sibi ministrante, vt veniret orationem facturus super filium suum defunctum, & dum ille iret ad funus, occurrunt ei multi cum lampadibus suis in occursum eius, quia sanctus homo erat, & quum videret senex simulauit se stultum, expolians se vestimentis mittens ea in flumina, & stans nudus lauabat ea. Secularis autem qui ministrabat seni, erubuit, dicens populo: Reuertimini, senex noster perdidit sensum suum, & veniens ad senē quæsiuit quare hoc fecisset, quia omnes dicerent: Dæmonium habet senex. Cui respondit senex: Et ego volebam hoc audire. Tertiæ potest valere ad detestationem eius peccati vanitas, quæ in ea est. Tantæ autem vanitatis est peccatum istud, quod licet omnia, quæ sub sole sunt, vanitas sint, tamen vana gloria quasi vanissima, hoc nomen sibi appropriauit. Potest autem dicit vana gloria, & quia valet nihilum, & quia vadit ad nihilum. Nihilum valet, quia nec corpori, nec animæ valet, imo plurimum animæ nocet. Naturale autem est, quod apprehendens in re apprehensa delectetur, & non econuerso: vt visus delectatur in viridi colore, & non color viridis delectatur ex eo quod videtur: sic videtur, quod aliquis non debeat delectari ex eo quod creditur talis vel talis, sed potius illi qui vident eum bonum, debent in eo delectari. Præterea quæ vtilitas est chimeræ ex eo quod est in opinione hominum? vel montibus aureis, ex hoc quod finguntur vel imaginantur ex hominibus? Sic nulla vtilitas videtur esse homini ex hoc quod magnus est in opinione hominum. Qui autem appetit quod sit magnus vel bonus in opinione hominum appetit, vt videtur quod habeat tale esse, quale habet chimera. Ad nihilum etiam vadit vana gloria. Cito enim fit ignominia superbi gloria, vt dicit Sen. Sicut potest apparere in Domino Iesu Christo, qui in tanta gloria in Ramis palmarum in Ierusalem susceptus est, & post ad eodem populo in eodem loco, & in eodem tempore paucissimis diebus interpositis, crucifixus est vnde dicit Bernardus vbi prius dictum fuerat ei: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, dictum est postea: *Tolle, tolle, crucifige eum*: & qui prius vocatus fuerat *Rex Israel*, postea audiuit: *Non habemus regem, nisi Cæsarem.* Et cui prius vestimenta prosternebantur aliena, suis postea spoliatus est. Quartò potest valere ad detestationem huius peccati fatuitas magna, quæ est in ea: quam fatuitatem insinuat Dominus. Matthæi 25. vbi per fatuas virgines amatores vanæ gloriæ intelliguntur.

De octo vanitatibus quæ sunt in vane gloriosis.

ET possunt octo fatuitates assignari quæ inueniuntur in eo qui amat vanam gloriam. Prima est, quod ipse permittit sibi illudi vilius, quam illuderetur alicui cæco. Dicit enim diabolus ei: Aperi eos tuũ, & ego implebo illud: & imponit ei diabolus, quum os desiderij aperuerit, vanam gloriam, quæ nihil est, iuxta illud verbum Domini Ioan. 8. *Si ego gloriam meã quæro gloria mea nihil est*, & fatuus credit os desiderij sui posse impleri. Secunda fatuitas est, quod vanam gloriam, quæ est ad instar puncti, gloriæ æternæ præponit: vnde Gregorius; Stultũ est inde trãsitoria quærere, vnde æterna possumus habere. Tertia fatuitas est, quod ipse ponit thesaurum suum in arca sine claue & sine sera, quum possit eam ponere in arca securissima, scilicet in arca conscientiæ. Bernardus Fidelissimus sumet custos, non tutum arbitratur labiis hominum committere gloriam suam, arcæ sine claue, & sine sera,

nullæ, quæ omnino clausuræ nocere volenti. Non tutum plane, sed stultum est ibi thesaurum tuum recondere, vbi non valeas resumere cum volueris. Si ponis in os meum, non in tua, sed in mea potestate, cum vtique pro meo libitu vel te laudare possim, vel derogare tibi. Sanum vas & inconcussum est conscientia, & seruandis secretis idoneum, nullis patens insidiis, nulli violentiæ cedens, nullo quippe oculo vel manui accessibilis, excepto duntaxat spiri, qui scrudatur etiam profunda Dei: quidquid ibi reposuero, securus sum, quia non perdam, seruauit viuo, defuncto restituet. Nam quocunque vado, ipsa mecum iter facit, secũ ferens depositum quod seruandum acceperat: viuo ad est, mortuum sequitur. vbique gloria, vel confusio inseparabilis pro qualitate depositi, Quarta fatuitas est, quod pretioso illo, quo potest emere regnum æternum, emit infernale patibulũ. Quinta fatuitas est, quod ipsa non curat qualis sit, sed qualis dicatur Chrysostomus: Hypocrita, vt quid non vis esse laudabilis, qui vis vt lauderis? quod si formosum est apparere, formosius est esse. Sexta fatuitas est, quod ipse care emit quod nihil scit valere scilicet quod homines ferunt bonum testimonium, illud à Deo, qui est eius iudex, non recipi. Bernard. Vt quid alieno vel mei ipsius testimonio cõtentus sum, cuius nec vituperio reprobus, nec laude dignus inueniar? si ante tribunal vestrum iudicandus astarem, merito de laude vestra gloriarer; nunc autem cum solius Christi iudicio sim præsentandus, quantæ insaniæ est mei vel alterius iudicio gloriari? sicut dicitur 1. Ioannis 5. *Tres sunt qui dant testimonium in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Et horum testimonio stabitur in omnibus. Septima fatuitas est, quod ipsi volunt se regere secũdum verba eorũ, quos sciunt fatuos esse, scilicet histrionum & aliarum vilium personarum. Octaua fatuitas est, quod amator vanæ gloriæ rem istam amat, quam melius posset habere si non amaret: quia secundum verbum Philosophi, hoc solum habet vana gloria, quod se appetentes fugit, & se fugientes appetit

Quomodo hoc peccatum sit contumeliosum Deo, & nociuũ proprio subiecto.

QVinto potest valere ad detestationem huius vitii, si ostendatur quã contumeliosum sit illud peccatum Deo, & quam nociuum homini Amator enim vanæ gloriæ, contempto Deo, creaturã deificat, & se facit principium, dum de operib. factis gloriatur, quasi à se ea habuerit: & proximũ suum finẽ constituit, dũ omnia opera sua facit, vt videatur ab hominib. & sic idololatrat, cũm creaturã α & ω constituat. Ioan. 5. *Quomodo potestis in Deo credere, qui gloriam ab inuicẽ quæritis, & gloriam quæ à Deo solo est, non vultis?* Amator vanæ gloriæ de ribaldo vno iudicem suum facit, & gloriã quæ ab eo est, gloriæ Dei præponit: quod nõ est sine magna cõtumelia Dei. Amator etiam vanæ gloriæ, ipsũ puluerẽ vanæ gloriæ Deo præponit. Nocet autem hoc peccatum homini, quia aufert ei bona tẽporalia & spiritualia. De tẽporalibus autem patet, cũ quotidie multi expendant sua propter vanã gloriam: quandoq; etiam corpora sua propter hoc exponũt morti in bellis. Spiritualia etiam bona aufert. Licet enim amator vanæ gloriæ habeat similitudinẽ bonorum, tamẽ non habet vera bona. Sapiens: Apud sapientes sunt honesta, apud vulgus vero simulachra rerum honestarũ. Quidã senex in Vitis Patrũ: Sicut fieri non potest, vt herba simul nascatur & semen, ita impossibile est vt laudem & gloriã secularium habẽtes simul & fructũ habeamus cœlestem. Bonũ etiam in mala conuertit, & in seruitute magna hominem ponit. Est enim seruus amator vanæ gloriæ omniũ illorũ quorũ iudicia timet secũdũ illud Apost. 1. Cor. 4 Qui

Am vana glo pull De præ nit: Va glo no & t por & s tua auf

Qui me iudicat, Dominus est. In potestate etiam est histrionum. Fingunt enim eum talem, qualem volunt, quandoque enim annihilant eum, quandoque magnificát: seruus etiam est eorundem, ita vt det eis censum: veteres vestes super se, & redimat se ab eis. Membra etiam Dei, id est, pauperes spoliat, vt tales, qui sunt membra diaboli, induat. Ponit etiam hoc peccatum hominem in magna instabilitate. Bernard. Qui conscientias suas in alienis linguis posuerunt, modo parui, modo magni, modo nulli videntur, prout linguis hominum eos laudare vel vituperare placuerit. Ipsi iuxta verbum Psalm.
Ps. 106. *Ascendunt vsque ad cœlum, & descendunt vsque ad abyssos.* Ipsi decidunt frequenter à cogitationibus suis, & frequenter faciunt talem saltum ad qualem voluerunt Iudæi cogere Christum Luc. 4. Ipsi sunt quasi galli in turribus ecclesiarum positi, & ad omnem ventum mouentur. Eccl. 5. *Non te ventiles in omnem ventum.* Ipsi sunt arundo vento agitata. Ipsi sunt paleæ, iuxta illud Iob 21. *Erũt sicut palea ante faciem venti.* Et August. Adhibe oris iudicium, & scies quid palea, quid granum. Istud vitium magnas vires habet. August. Quas vires nocendi habet vana gloria, non sentit, nisi qui bellum ei indixerit. Quod etsi cuiquã facile est laudem non appetere cùm negatur, difficile est tamen ea non delectari, dum offertur. Greg. Aliquantulum facile est humanã laudem non appetere, difficillimum oblatam respuere. Vana gloria illos vincit, qui cætera vitia vincunt Hier. Difficilius arrogantia caremus, quam auro, vel argento, & gemmis. Interdum enim his abiectis gloriosis tumemus sordibus. August. Sunt qui de contemptu inanis gloriæ vanius gloriantur. Amator enim vanæ gloriæ maledictus est. Maledictus enim est, qui partem suam facit deteriorem, quod facit cùm vanam gloriam præ cæteris rebus elegit. Vana gloria est deterior cæteris possessionibus. Et quia breuior: vnde Iob 20. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti*, & quia multos dominos habet homo de possessione illa. Vnde ab vno aufertur, quum aliis conceditur: & ideò nunquam pacificè possidetur. Quando enim quis ab vno laudatur, ipse vituperatur à multis. Præterea nihil prodest ista possessio, & vltra modum constat: nec solum perditur, imo etiam perdit possessorem suum. Osee 4. *Gloriam eorum in ignominiam conuertam.* Et Apoc. 18. *Quantum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum.* Hoc vitium post alia remanet Vnde in lib. Posperi: Quum omnia vitia superauerit homo, manet periculum, ne mens sibi conscia potius in se quam in Domino glorietur. Vitium illud inuadit res sacras, quum alia vitia eas fugiant. Committitur etiam hoc peccatum in ecclesia in seruitio diuino, & meliores in ecclesia nititur maculare, scilicet, religiosos: succumbere etiam facit viros religiosos spirituales in bello spirituali, sicut humilitas facit triumphare. Sicut enim Dominus virtutem tribuit ei, qui de victoria dat ei gloriam: sic vires non subministrat ei, qui furatur ei gloriam.

[Margin: Quales vane gloriosi. — ...ana ...oria ...ncit, ...tia ...cen... ...s alia. — Post alia vitia remanet.]

De diuersis quibus vana gloria comparatur.

VLtimo possunt valere ad detestationem huius peccati figuræ, quibus hoc peccatum figuratur in sancta Scriptura. Notandum ergo quòd vana gloria quandoque puluis vocatur. Hic est puluis qui adhæsit pedibus discipulorum, vt legitur Matth. 10. Ideo autem puluis vocatur, vt ostẽdatur quod sicuti puluis minima pars terræ: sic vana gloria minimum est inter temporalia bona. Et sicut puluis oculum corporis incidẽs grauat vel cæcat: sic vana gloria oculum intentionis. Vocatur etiam vana gloria ventus, vt insinuetur fatuos esse qui eam esuriunt, ventus enim hominem inflando ei nocet, potius quam prosit. Ose. 12.

[Margin: Diuersa habet nomina vana gloria. — Puluis. Ventus.]

Ephraim pascit ventum. Ier. 22. *Omnes pastores eius pascet ventus.* Ventus iste videtur esse lenis, tamen transfert montes à regno Dei ad regnum diaboli: viros sc. spirituales, qui dicuntur mõtes, vnde: *Leuaui oculos meos in montes.* Ventus iste magnas naues submergit in mari huius mundi. Ventus iste valde timendus est. Ducit enim in infernũ quasi imperceptibiliter eos qui videntur ire in paradisum.

Oleum. Vana gloria etiã vocatur oleũ, Matt. 25. vbi dicitur *Quinque fatuæ acceptis lãpadib. non sũpserunt oleũ secũ.* In suauitate enim similis est oleo: in veritate autẽ gladius est insensibiliter hominem occidẽs. Vocatur etiã flos, in hoc quod cito arescit. Es. 28. *Erit flos decidẽs gloriæ exultationis.*

Vipera. Vocatur etiã vipera Act. 28. vbi legitur, quòd vipera manui Pauli adhæsit: vt ostendatur, quòd sicut vipera si manui adhæserit cito excutitur: sic vana gloria si se immisceat bono operi, cito excutienda est. Figuratur etiã vana gloria per vxorẽ, quam Dominus ipse si solam retinuerat: vt legitur Genes. 39. vt ostendatur, quod Dominus de operib. nostris vult gloriã habere, sed vtilitatem eorũ nobis relinquit. Qui autẽ partem Dei sibi vsurpat, sc. gloriam meritò partem suam amittet sc. vtilitatem vel mercedem æternam.

Saltatrix. Figuratur etiã vana gloria. Mat. 14. per saltatricem, quæ caput Ioannis fecit amputari. vnde posset multũ timere ille, qui hanc saltatricem videt ante se, præcipuè si cogitet quod millib. hominum caput amputari fecit, non caput asininum, neq; caput sui corporis, sed caput nobilissimum, quod est Christus, amputat. Ideò specialiter timendũ est vitium istud, quia insidiatur oculo spirituali, sc. intentioni. qui oculus si nequam fuerit, totũ corpus cœcũ erit. i. tota cõgeries operũ Matt. 6.

De diuisione vanæ gloriæ.

SEquitur de diuisione vanæ gloriæ. Notandum ergo quòd gloria primò diuiditur in vanam & veram gloriam. Vera verò diuiditur in verã simpliciter, & veriorem, & verissimã. Vera gloria est simpliciter bonũ testimonium conscientiæ, quando scil. aliquis nullius peccati conscius sibi est. vnde Apost. 2. Cor. *Gloria nostra hæc est testimoniũ conscientiæ nostræ.* Verior vero gloria est, quando dulcedo Spiritus S. manifestè sentitur: quãdo sc. Sp. S. dat testimonium spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Verissima est gloria æterna.

Vera gloria diuiditur tripliciter.

Vana verò gloria diuiditur in gloriam diabolicã & humanam. Diabolica est, quando aliquis gloriatur de malitia. Vnde Dauid: *Quid gloriaris in malitia, &c.* Poeta: *Gloria peccati nulla petenda sui est.* Humana verò diuiditur in carnalẽ & spiritualem. Carnalis est gloria mundanorum, quæ est in decore vestium, & huiusmodi. Spiritualis verò est, vt gloria hypocritarum.

Vana gloria duplex.

Humana duplicite[r].

De his quæ valent ad detestationem gloriæ carnalis.

NOtandum verò est, quòd carnalis gloria cõparatur lumini, quod de nocte videtur, in die verò non: sicut quidam vermes, qui dicuntur nocti lucæ, & spammæ pisciũ, & ligna putrida: sic apparent diuites huius sæculi nunc lucidi & clari, dum nox est ignorãtiæ & culpæ: in futuro verò tenebrosi erunt, quando erit dies Domini magnus, sc. in die iudicii. Cõparatur etiam gloria illa irrũdini, quæ auis picturata est, & velociter volat. Velociter enim trãsit mũdi huius gloria & depicta esse videtur. Vnde Tob. 2. dicitur quod de nido hirũdinũ calida stercora ceciderũt, quæ Tobiam excœcauerunt. Quod verbum expositũ est in tractatu de Auaritia in Apostolo, in quo auaritia diuersis infirmitatib. cõparatur. Gloria etiã carnalis est velut puluis calens oculos hominum excœcans. Est etiã flos, qui à pueris huius mundi, vel potius à puerilibus colligitur. De hoc nore legitur Ier. 48. *Date flores Moab, quia florẽs egredietur,* &c. Et Esa. 40. *Omnis caro fenũ,*

Vana gloria timéda religiosis. *& omnis gloria eius quasi flos agri.* Gloria ista verè insipienti ignominia est. vnde 1. Mach. 2. *Gloria hominis, stercus & vermis:* hodie extolitur, & cras non inuenietur. Gloria peccatoris est caro eius, quæ est stecus: i. e. saccus stercorum & vermis, i. e. esca vermium, licet vana gloria ad omnib. hominib. sit timéda, præcipuè tamen claustralib. conténenda est. Hier. Prima virtus monachi est, iudicia hominum contemnere. Non solùm non deberet lætari vel gloriari claustralis cú laudatur, imò deberet turbari. Vnde B. Virgo cùm dixisset eam angelus gratia plenam, & benedictam in mulieribus, turbata est in eius sermone.

De octo remedijs contra vanam gloriam.

Absconsio. SEquitur de remediis contra hoc peccatum, & octo sunt remedia contra ipsum. Primùm est absconsio. vnde Esa. 32. *Erit vir sicut qui abscóditur à vento, & celat se à tempestate.* Et in Vitis Patrum: Sicut thesaurus manifestus citò minuitur, ita virtus quęlibet deperit publicata. Nam sicut cera à facie ignis soluitur, ita & anima per laudem dissoluta ab intentione sua perit. Hoc remediú figuratum est Exod. 4. in manu Moysi quæ leprosa erat, & cum missa esset in sinum eius, facta est sana. Gregorius: Ille debet publicare bonum quod agit, qui perfecta humilitate fundatur, & nulla elatione contingitur.

Demissio. Secundum remediú est dimissio: sc. vt homo desceédat ad propriá infirmitatem. Sicut faciunt equitantes quádo nimius ventus flat, & transeunt per pontem, qui descendunt ne ventus eis noceat: sic qui laudatur, recurrere debet ad infirmitaté suam, & videbit se falso laudari: & sic potius erubescat, quam glorietur. Boetius: Qui falso prædicantur, necesse est vt suis laudibus erubescant. In Vitis Patrum, quidam frater requisiuit abbatem Peremenem, si melius esset remotus, quam cum aliis manere. Respondit Abbas: Homo si seipsum reprehendat, vbique potest consistere: si autem se magnificat, nusquam stat. Tertium remedium est, consideratio ignis infernalis, vel purgatorii. Hoc remedium insinuatur nobis Act. 28. vbi Paulus viperam manui adherentem excussit in ignem: quod spiritualiter fit, quando considera.ione pœnæ qua vana gloria punietur, homo vanam gloriam à se abiicit. Quartum remedium est, consideratio gloriæ æternæ: quia secundum Greg. vilescunt temporalia dum considerantur æterna. Et spiritualiter vilescit vana gloria, si consideretur gloria vera. Quintum remedium est, consideratio vtilitatis vanæ gloriæ: quod patet ex hoc quod venalis est, quod notatur Matth. 25. vbi dicitur: *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, &c.* Tistimonium venale repellendum est. Apparet etiam vilitas vanæ gloriæ ex vilitate personarum, apud quas habetur. A vilibus etiam personis quomodo potest quis habere gloriá nisi vilem? Præterea odiúnt bonum & diligunt malú. Et propter hoc testimonium eorum repellendum est, & de bono & de malo. De altero ratione amoris, & de reliquo ratione odii Amor autem vel odium veritatis nescit iudicium, secundum Bernardum. Sextum rédium est, consideratio magnæ infidelitatis quæ est in hoc peccato. valde enim infidelis est, qui Deo aufert partem suam quam in bonis suis sibi retinuit. Benè deberet homini sufficere pars illa quam Dominus ei concessit, cùm Domini sint omnia. Exemplum fidelitatis habemus 2. Reg. 12. de Ioab principe militiæ, qui sic scripsit ad Dauid. *Dimicaui aduersum Rabbath, & capienda est vrbs aquarum. Nunc congrega reliquam partem populi & obside ciuitatem, & cape eam, ne cum à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria.* Bernard. Re vera

[Right margin notes: Consideratio ignis purgatorii & inferni. — Gloriæ æternæ — Vtilitatis vanæ. — Magnę infidelitatis.]

fidelis famulus es, si de multa gloria domini tui, etsi non exeunte ex te, tamen transeunte per te, nihil in manibus tuis adhærere contingat. Si quis super pauca fidelis inueniretur, ipse super multa bona domini sui constitueretur. Gloria vel laus quædam probatio hominum est, vtrum Deo sint fideles vel infideles: vnde Prouerb. 27. *Quomodo probatur in conflatorio aurum, & in fornace argentum: sic probatur homo ore laudantis.* Septimum remedium est, quod quando offertur homini gloria ipse offerat eam regi gloriæ, cuius est, dicens: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Et illud: *Gloria in excelsis Deo.* Si quis ita assueuerit, vana gloria non tantam vim habebit contra eum, quantam vim habebat prius. Octauum remedium est, quod homo opus illud, cui vana gloria adhæret, dimittat, cogitans illud opus esse amissum, & potius de illo esse flendum quam gloriandum, quod remedium figuratum est Genes. 39. in hoc quod Ioseph reliquit pallium, cui domina sua adhæserat.

CAPVT XL.

De hypochrisi.

DIcto de peccato vanæ gloriæ, dicẽdum est de hypochrisi, quia hoc peccatum procedit propter hoc, quod aliquis amat vanam gloriam & in se simulat sanctitatem. Agemus autem hoc modo de peccato isto. Primo ponemus ea quę faciunt ad detestationem huius peccati. Secundò assignabimus diuersas species hypochrisis.

De octo quæ faciunt ad detestationem hypochrisis.

NOtandum ergo quod octo sunt quæ possunt valere ad detestationem huius peccati. Primò verba sancta Scripturæ quæ illud dissuadent: vt est illud Eccl. 1. *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum*, Et illud Deut. 22. *Non indueris vester quæ ex lana linóque contexta est.* Per linum quod subtilius est, cogitationes intus subintelliguntur. Per lanam quæ alba est, opera exterius lucentia. Vnde in hypocrita sub lanæ grossitie linum latet: quia sub puritatis imagine deprehendi calliditas non valet: & ob hoc claustrales non lineis induuntur ad carnem. Hæc dissuadetur Matth. 6. vbi sic legitur: *Cùm facies eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt.* Et post: *Cùm aratis, non eritis sicut hypocritæ tristes.* Secundò potest valere ad detestationem huius peccati, si hypocrita diuersis generibus rerum comparetur.

Quibus rebus assimilatur hypocrita.

NOtandum quod hypocrita est simia diaboli, volens imitari filios Dei. Quod filii Dei faciunt ad sui decorem, ipsi facit ad sui iugulationem: sicut refertur de quadam simia, quæ cum vidisset quomodo quidam rasor rasisset, posteà voluit imitari eum, & iugulauit se. Ipse etiam similis est sterquilineo niue cooperto, quod est exterius candidum, interius fœtidum. Ipse etiam est vt sepulchrum exterius dealbatum, intus verò plenum ossibus mortuorum, vt legitur Matth. 23. Item similis est vasi exterius mundo, interius sordido. Item est vt cygnus extra candidus, intus habens carnes nigras. Item similis est struthioni, quæ similes pennas habet accipitri, vt dicitur Iob 39. *Struthionis penna similis est pennæ herodij & accipitris.* Quando derelinquit oua sua in terra hypocrita, derelenquit in terra oua sua dum de operibus suis solam mercedem terrenam quærit. Vnde peccatum hypocrisis prohibetur Leuit. 11. vbi prohibere comedere cygnum & struthionem: id est, assimilari eis. Item hypocrita est lupus pelle ouina indutus. Vnde Matth. 5. *Attendite à falsis*

prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: intus insecus autem sunt lupi rapaces. Est etiam angelus tenebrarum transfigurans se in angelum lucis, & dæmonium meridianum, & latro qui à sinistris cum Domino pependit, & martyr diaboli: & sicut viri sancti; dicunt domino. Quoniam propter te tota die mortificamur: sic possunt dicere ei hypocritæ, Quoniam contra te mortificamur tota die. Hypocrita est Simon Cyrenæus, crucem ferens alienam. vnde Bernard. Fructum faciunt, sed non suum. Hypocritæ autem aliqui cum Simone Cyrenæo crucem ferunt, non suam, sed alienam: quia amore gloriæ, quod non amant, facere compelluntur. Hypocrita etiam est arundo vento agitata: iuxta illud Matt. 11. *Quid existis videre in desertum? arūdinem vento agitatam?* Hypocrita ad modum arundinis non habens radicem intentionis fixam in solido, i. e. in æternis, lanuginem habet pro fructu. Sap. 5. *Spes impij quasi lanugo.* Lanugo hæc vana gloria est, quam hypocrita totis viribus amplectitur. Sapiens: virtutis fructum sapiens in conscientia, stultus autem in gloria ponit. Intus vacuus est, extra lucet, omni vento tentationis agitatur. Manum innitentis sibi perforat, quia homines in eo confidentes decipit. Hypocrita est vulpes animal, scilicet, fœtidum & dolosum, cuius pellis præualet carni. vnde Ezech. 13. *Quasi vulpes in deserto prophetæ tui Isarēl.* Hypocrita etiam similis est Sichem, qui circuncidit se, vt Dinam in vxorem haberet: non tamen circumcisio illa seruauit eum à gladio Simeonis & Leui. Sic quidam ab aliquibus malis abstinent, vt ecclesias habeant. Non tamen propter hoc gladius verbi diuini debet eis parcere, vbi homo videt quod prodesse possit, cùm constet omnia mala esse quæ fiunt ambitiosa intentione. Hypocrita se mortuum simulat mundo, cùm in veritate viuus sit, donec habeat vnam magnam prælationem, in qua deliciis vacet, & tunc verè patet quod viuus est Sicut fabulose dicitur de vulpe, quæ mortuam se simulauit, donec posita fuit super quadrigam in qua erant gallinæ, & tunc comedens gallinas se viuam ostendit. Ipsi etiam sunt mercatores pellium anguillarum, dum exteriorem conuersationem hominibus vendunt. Tertiò potest valere ad detestationem huius peccati pœna quam scriptura eis minatur. Et est vna pœna quod non videbunt Dominum nisi conuertantur. Iob 13. *Non veniet in conspectu eius omnis hypochrita. Nec mirū, cùm Deus non sit ante faciē hypochritæ.* Omnia enim opera sua facit, vt videatur ab hominibus. Hoc est vnum quod multum placet Deo, quod homo cor suum semper habeat ad Deum. vnde super illud Psalm. *Firmabo super te oculos meos* dicit gloss. in persona Dei Nō auferam oculos meos à te, quia tu semper leuas oculos tuos ad me. Alia pœna est vilificatio magna, quæ sequitur hoc peccatum, & in futuro, & sæpè in præsenti. Iob. 20. *Si ascenderit vsque ad cœlos superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilenium in fine perdetur.*

Quartò potest valere ad detestationem huius peccati, hoc quod hypocritæ vix conuertuntur. Cuius rei triplex ratio potest assignari. Prima est quia hypocrita veniam vix petit à Deo vnde super illud Iob. 36. *Non clamabunt cùm vincti fuerint*, dicit Greg. Vincti non clamabunt, quia humanæ laudis auiditate superati sanctos se esse, miseri etiam cùm in peccatis moriuntur, putant. Secunda est, quia Spiritus sanctus fugit eos, sine quo cōuerti non possunt. Sap. 1. *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*, id est, hypocritam qui fingit se Dei amicum, cùm sit inimicus. Tertia est, quia diabolus nescitur esse in eis: & ideò non inquietatur ibi, & ideò dormit ibi diu. Iob 40. *Sub vmbra dormit in secreto calami.* Quarta etiam ratio potest assignari,

quod hypocritæ defendunt se cùm arguuntur. vnde Iud.1.dicitur: *Fuit Dominus cum Iuda, & mõtana possedit, nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis turribus abundabãt.* Hoc est in curribus eorũ falces, quæ erãt, sibi obuiãtia & aduersãtia secabant, Habitatores vallis sunt hypocritæ, qui repræhensores suos cõuiciis scindunt. Propter quod scirpo comparatur hypocrita. Io 8. *Nunquid virescere potest scirpus absque humore? aut crescere carectũ sine aqua?* Gl. Scirpus est iuncus vacuus, carectũ manum lædit. Sic hypocrita gratia vacuus est, & correctionem nõ recipit, sed ad dilaniandam vitã prorumpit: tanquam exprobratio alterius criminis, abscisio sit proprij. Quintò potest valere ad detestationam huius peccati, si ostendatur quã nociuum sit homini. Ad quod signandũ fermẽto cõparatur. Luc. 12. vbi legitur: *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Modicũ enim fermenti,* iuxta verbum Apostoli: *Totam massam corrumpit,* sic peccatum istud hominis opera falsificat. vnde opera hypopocritæ sunt velut falsa moneta extra deaurata. Sunt etiam velut poma arborum, quæ inueniuntur in arboribus, quæ sunt circa mare mortuum, quæ vsque ad maturitatem sunt viridia: matura si incidas, fauillas intus inuenies. Videtur enim opera illorum meritoria esse: sed in futuro erunt materia ignis infernalis. Hoc peccatum imperceptibiliter hominẽ occidit. Vnde hypocritæ videntur viuere vita animæ, cũ mortui sint. Vnde Apoc. 3. *Scio opera tua, quia nomen habes quod viuas, & mortuus es.* Sextò potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur magna fatuitas hipocritarũ, qui carne & sanguine suo oculos hominum pascunt. *Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes:* vt legitur Matt. 6. Ipsi enim quotidianis cruciatibus mercantur cruciarum æternum. Ipsi etiam aliis operantur. Opera enim illorum, alijs per bonũ exemplum prosunt, sibi verò nocent, similes candele, quæ alios illuminat, & se consumit. Septimò potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quod totius Dñs in Euangelio hypocritas reprehendit. Matth. 7. *Hypocrita, eyce primùm trabẽ de oculo tuo.* Hypocritæ, benè de vobis prophetauit Esaias eiusd. 15. Et in multis aliis locis. Octauò verò possunt valere ad detestationem huius peccati, octo maledictiones quas Dñs hypochritis facit Matt. 23. quarum prima est. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnũ cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.* Secunda: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarũ, orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis iudicium.* Tertia: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam vt faciatis vnum proselytũ: & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.* Quarta est: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentã & anethum & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam, & fidẽ.* Quinta est: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mũdatis quod de foris est calicis & paropsidis, intus autẽ pleni estis rapina & immunditia.* Sexta: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparẽt hominib. speciosa, intus verà plena sũt ossib. mortuorũ.* Septima: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui edificatis sepulchra Prophetarũ,* &c. Octaua: *Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicũq; iurauerit per tẽplũ, nihil est: qui autẽ iurauerit in aurũ templi, debitor est* &c.

Maledicuntur Hypocritæ à Deo.

Matt. 2. Luc. 1 1 cor. Luc. 1

Quare Dominus in Euangelio ita persequitur hypocritas.

SEd cùm hypocritæ videantur vtiles esse Ecclesiæ, bonum exemplũ aliis præbendo, & hostes Ecclesiæ terrendo, sicut formido terret aues in horto, & diabolum incarceratum teneant ne ad alios possit transire: quæritur quare Do-

minus hypocritas ita persequitur. Præterea, dicit Hieronym. super Esa. 9. Prima tabula post naufragium est abscondere peccatum suum, & non publicare. Item minus malus videtur qui malus est interius tantùm, quàm qui malus est interius & exterius. Minus peccare videtur qui tantum peccati in Deum occultè peccando, quam ille qui peccat apertè, cùm peccet in Deum & in proximum. Ad quod dicendum est, quod hoc habet locum, cum aliquis peccatum suum occultatet bona intentione, ne alios corrumperet: sed aliud est vbi peccatum

nula-
equi-
du-
xini.
tas.
lutio
pij.

occultat, vt Ecclesiam decipiat, & quando sanctitas simulatur. Simulata enim æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas. Et sicut dicit Hieron. super Esa. Leuius est de duob. malis, apertè peccare, quam sanctitatem simulare. Causa autem quare Dominus ita persequitur hypocritas potest esse hæc: quia ipsi proditores sunt; simulantes se esse ex parte Dei, & sunt ex parte diaboli. Videntur etiam esse amici, & sunt inimici: & ideò multum Ecclesiæ Dei nocere possunt. Vnde hæretici per hypocrisim homines decipiunt, & Antichristus qui caput erit malorum, homines per hypocrisim decipiet. Sapiens: *Nullæ sunt occultiores insidiæ, quamquæ latent in similitudine officij*. 1. Tim. 4. Spiritus Sanctus manifestè dicet, *quod in nouissimis diebus discedent quidam à fide: attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum: in hypochrisi loquentium mendacium*. Hier. Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas.

De tribus speciebus hypochrisis.

SEquitur de speciebus hypochrisis Et possunt distingui tres species ipsius hypocrisis. Prima est, quando aliquis coram hominibus simulat se obedire Deo, & in occulto non timet offendere Deū. Secunda est, quando in occulto & in aperto bona opera facit: vt sanctus ab hominibus videatur. Tertia est, quando aliquis minorem hypochrisim relinquit, vt in maiori & in subtiliori hypocrisi permaneat: vt cum aliquis requisitus an ieiunet, dicit, Deus scit: vt dicatur, hypocrita non est. In prima specie bonitas in operib. exterioribus tantùm apparet. In secunda verò, & in occultis & in apertis: sed non in intentione. In tertia verò specie prætenditur bonitas intentionis. In prima multum occultatur diabolus, in secunda magis. In tertia verò maximè.

PARS IV.

De octo remedijs contra Superbiam.

POstquàm posumus ea quæ possunt valere ad detestationem superbiæ in communi, & posuimus diuisiones pertinentes ad hoc peccatum, & mēbra prosecuti sumus: Vltimò tangemus aliquid de remedijs contra superbiam. Et causa breuitatis ponemus octo. Remedium contra peccatū

1. Remedium primum est, consideratio melioris. Gregor. Sicut incentiuum elationis est respectus deterioris: ita cautela humilitatis est consideratio melioris.

2. Secundum remedium est cohabitatio humilium. Sicut enim ille, *qui communicauerit superbo, induet superbiā*, vt dicitur Ecclesi. 13 sic qui communicauerit humili, induet humilitatem. Episcopus Parisiensis, Odo despectiores pauperes semper ante se ponebat in mensa, & alios ex latere. Requisitus est autem quomodo posset hoc tolerare. Respondit, quod quidam nobilis miles eum hoc docuerat, sc. Iob. 5. qui dicit; *Visitans speciem tuam non peccabis*.

3. Tertium remedium est, consideatio vilitatis corporis, quæ vilitas præcipuè apparet in conceptione. Tunc enim est sperma vile, & in fine tunc est cibus vermium, in medio autem vitæ est vas stercorum. Vnde Mich. 6. *Humiliatio tua in medio tui est*. Hier. Quomodo superbit qui semper secum sentinam portat?

4. Quartum remedium est, exemplum Christi. Bernar. Medicina tumoris hominis est humilitas Christi. Erubescat homo esse superbus, quia humilis factus est ipse Deus. Intolerabilis est superbia quod miles sedeat super scamnum, cùm rex iuxta eum sedeat ad terram.

5. Quintum remedium est, consideratio vilis seruitutis, in qua homo est si superbus est: quia ipse seruus est diaboli. *Ipse enim est rex super omnes filios superbiæ:* vt legitur Iob. 41.

6. Sextum remedium est, consideratio illius districti iudicij, quod specialiter erit ad humiliandum superbos. Vbi iudicium durissimum his qui præsunt, fiet: ibi Dominus *retribuet abundanter facientibus superbiam.* Esa. 2. *Dies Domini super omnem superbuam & arrogantem.* Esa. 2. 28. *Pedibus conculcabitur corona superbiæ*

7. Septimum remedium est, miseria huius mundi. vnde Iob 6. *Sagitta Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum.* Spiritum, inquam, superbiæ.

8. Octauum remedium est, consideratio infirmitatis, quæ in nobis est tam ex parte corporis, quàm ex parte animæ. Ex parte animæ adeò infirmi sumus, vt nec leui cogitationi possimus resistere, nec verbum modicum sustinere, quin ab illo deijciamur. Ad modicum etiam flatum suggestionis diabolicæ igne infernali toti succendimur, & cuncta bona quæ fecerimus, amittimur. Ex parte etiam corporis adeò infirmi sumus, vt nec pulicibus resistere possumus. August. Homo dicit tibi conuitium, & tumes & iratus es, pulicibus resiste, vt dormias. Ad distemperantiam etiam febrilis caloris, vel ad vnum paruum apostema, in cinerem vel puluerem corpus nostrum resoluitur, vnde quidam dicit: Ecce repentinæ modicæ que occasio febris, Dissoluit toto quodcunque parauimus æuo.

TRACTATVS VII.

De Inuidia.

PARS I

De ordine dicẽdorum in hoc tractatu. Et de his quæ valere possunt ad detestationem Inuidiæ.

POst peccatum superbiæ dicendum est de inuidia, quia ipsa est filia superbiæ. De hac hoc ordine dicemus. Primò ponemus ea quæ possunt valere ad detestationem huius vitii. Secundò tangemus aliquid de speciebus eius. Tertiò de remediis contra hoc vitium. Inuidia secundum August. est dolor felicitatis alienæ. Quid Inuidia sit.

De his quæ valent ad detestationem Inuidiæ.

AD detestationem verò huius vitij, Primò facit hoc, quod vitiũ istud est peccatum in Spiritum sanctum. Peccatum in Spiritum sanctum secundum vnam acceptionem, dicitur peccatum quod est contra bonitatem Dei, quæ Spiritui sancto appropriatur, & si omne peccatum quod est ex certa malitia, peccatum est in Spiritum sanctum. Quod etiam patet per diuitionem peccati in Spiritum sanctũ, quod diuiditur in peccatum obstinationis & impugnationis. Obstinatus in Spiritum sanctum peccat, quia in bonitatem Dei quæ hominem ad pænitentiam expectat, qui eum, quamuis eius hostis sit, pascit & vestit, & à dæmonibus defendit qui eum iugularent, & ipse sic ingratus bonitati Dei eam impugnat, & à bonitate Dei colligit malitiam, & ex misericordia Dei thesaurizat sibi iram. Impugnatio verò diuiditur in impugnationem veritatis agnitæ: quæ est in apostatis, & in impugnationem gratiæ, quæ est in inuidis, qui gratiam Dei, quæ est in hominibus, persequuntur

Pecc[atum] in Sp[iritum sanctum est] inuid[ia]. Pecc[atum] in Sp[iritum sanctum] dupl[ex].

sequuntur & odiunt. Sic ergo manifestum est quod inuidia est peccatum in Spiritum sanctum, & ideò valdè magnum peccatum. Matth. 12. *Qui dixerit contra Spiritum sanctum verbum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro*: id est, vix remittetur. Secundò facit ad detestationem huius vitii hoc, quod ipsum est oppositum charitati. Vnde cùm charitas sit virtus excellentissima inuidia erit pessimum vitium. Vnde vocatur fera pessima. Genes. 30. *Fera pessima deuorauit filiũ meum Ioseph*. Peior est inuidia quam auaritia. Auarus enim & si non vult communicare sua, tamen vult quod alii sua communicent. Inuidus autem non vult communicare bona sua, nec vult quòd alius ea communicet. Inuidus de ipsa bonitate Dei dolet, quod ipsa non est auara hominibus, sibi tamen eam vellet esse largam, & omnibus aliis auaram. Immensitatem diuinæ bonitatis vellet ad se coarctari. Peior etiam est inuidia, quam ira vel odium, quamuis enim homo iratus vel odiens alium, velit malum proximi sui. cum mala voluntas ipsius ortum habuerit à malitia proximi qui eum offendit. vnde proximis culpabilis est. Sed malitia inuidi, qua vult malum proximi. ortum habet ex propria malitia: scilicet à superbia, qua vult illum non purificari sibi, & vult malum proximi sui omnino absque culpa eius. Tertiò facit ad detestationem huius vitii, quia hoc vitium pure malum est: quia quando diabolus capit homines aliis vitiis ipse aliquam delectationem ponit tanquam escam: sed inuidos miseros capit, quia sine esca delectationis. Inuidia enim dolor est & amaritudo. Vnde mirabiliter cœci sunt, qui dolorem istum præponunt gaudiis æternis, qui dolore & cruciatu quotidiano dolorem æternum merentur, & dolori, quasi esca sit, adhærent, donec perueniant ad dolorem æternum. Quartò, facit ad detestationem huius vitii: quod vitium istud diabolicum est, & diabolo assimilatur. Sapientiæ. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Imitantur autem eum, qui sunt ex parte illius. Ad literam, diabolus ideò parentes nostros seducere voluit, quia inuidebat eis regnum cœlorum quod ipse perdiderat. Et propter eandem causam adhuc homines impugnat. Vnde diabolus inuidens parentibus nostris, tentauit eos in forma serpentis. Quintò verò facit ad detestationem huius vitii, quod vitium istud venenatissimum est. Vnde super illud ad Gal. 6. *Nõ efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidẽtes*. Ibi Glossa Augustini: Sciendum, quod cùm per omne vitium antiqui hostis virus humano cordi infundatur, in zelo inuidiæ tota sua viscera serpens concutit, & in hac imprimenda quasi pestem vomit. Inuidi sunt quasi dracones. Iob 30. Frater fui draconum, & socius struthionum. Ipsi sunt genimina viperarum. Luc. 3. & Matth. 3. *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Imò serpentibus peiores videntur esse. Serpens enim serpentem non persequitur. Homo verò inuidus alios homines persequitur. Inuidus est sicut ciconia, quæ venenatis animalibus vescitur. Vnde Ouidius describit inuidiam comedentem vipereas carnes. Sextò facit ad detestationem huius vitii, quod vitium istud magnæ potestatis est. Est enim sicut ignis Græcus, qui in aquic gratiarum accenditur. Ex quo hoc vitium cor alicuius occupauit, iam ipse nullum scelus abhorret. Non parcit nocenti nec innocenti. Non timet homicidium, imò nec fratricidium vel patricidium. Non pepercit diabolus primis parentibus nostris, qui innocentes erant, quin mortem eorũ. procuraret. Inuidia excitatus Cain non pepercit Abel fratri suo innocenti, quin ex sola inuidia occideret eũ. Ge. 3. Non pepercerunt filii Iacob fratri suo

[Margin notes:]
Malitia inuidiæ.
Quare dæmon protoparẽtes seduxerit.
Inuidi quasi dracones.

Ioseph innocenti, quin eum venderent, quia inuidebant ei, imò volebant eum occidere. Gen. 33. Nolebat etiam parcere Saul Dauid, qui ei valdè vtilis erat, quia inuidebat ei. Noluerunt Iudæi parcere Christo, quin eum facerunt occidi, sola inuidia excitati. Ma. 27. *Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eũ.* Septimò facit ad detestationem huius vitii hoc, quòd vitium istud non de facili curatur. Vnde Cypr. super illud ad Gal. 6. *Nõ efficiamur inanis gloriæ cupidi, &c.* Loquẽs de zelo inuidiæ, dicit: Zelus iste modum non habet permanens iugiter sine fine, quum alia scelera finiantur: quantoque ille, cui inuidetur, successu meliori profecerit, tãto inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardescit. Nec mirum, si curatur vix hoc peccatum, cùm sit peccatum in Spiritum sanctum, & cùm sit ignis Græcus, qui non de facili extinguitur. Inuidia est quasi rubigo ferro adhærens, quæ vix à ferro recedit. Basilius: Sicut rubigo ferrum, sic inuidia animam, in qua nascitur, corrumpit. Prou. 25. *Aufer rubiginem de argento.* Octauò, facit ad detestationem huius vitii hoc, quòd vitium istud postquã est in aliquo, ita eum occupat, vt etiam exteriùs se ostendat. Vnde Cypr. loquẽs de inuido dicit: Huic vultus minax, & toruus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida & effrænata, conuitia & manus ad violentiam prompta. Vnde, Poeta describit inuidiam.

Inuidia post omnia scelera remanet.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto;
Nusquã recta acies, liuent rubigine dentes.
Pectora felle virẽt, lingua est suffusa veneno,
Risus abest omnis, nisi quem fecere dolores,
Nec fruitur somno vigilãtibus excita curis.
Sed videt ingratos, intabescitque videndo.
Successus hominũ carpitq; & carpitur vna,
Supplicinmque suum est.

Inuidi sunt noctuę.

Nonò verò facit ad detestanionem huius vitii hoc, quòd vitium istud infelicissimum vitium est, quod excæcatur vnde illuminari debuit. Vnde de inuidis legit. Iob 5. *Per diem occurrent tenebras, & quasi in nocte sic palpabunt in meridie,* vbi dicit Gregorius: Mens inuidi cùm de alieno bono affligitur, de radio lucis obscuratur. Et subditur: Diues boni operis in proximo lucet exterius: sed quasi cæci nati, palpant inuidi quia liuore cæci aliqua quæ reprehẽdãt, inuenire satagunt. Ipsi sunt vt noctuæ lucẽ bonorũ operum odientes, & tenebras malorum operum amantes. Bona opera proximi sunt velut candelę lucem boni exempli prębentes, sed inuidi de ipsis candelis sibi oculos eruunt. Et ipsi sunt Heli, qui non poterat videre lucernam, donec extingueretur, vt legitur 1. Reg. 3. Infelicitas etiam inuidorũ patet ex hoc, quòd ipsi de profectu aliorum deficiunt, de melioratione deteriorantur. Vnde Gregor. Inuidi debent perpendere quantæ sint cæcitatis, qui alieno profectu deficiunt, aliena lætitia contabescunt: quantæ etiam infelicitatis sunt, qui de melioratione proximi deteriorantur. Inuidus infelix fit de felicitate aliorũ, & de pinguedine aliorum marcessit. Vnde: *Inuidus alterius rebus marcessit opimis.* Inuidi colligunt de vitibus spinas, & de ficubus tribulos. Inuidi etiam ex bonitate Dei deteriores fiunt. Vnde Matt. 20. dicit Dominus inuido: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Inuidi adeò sunt infelices, quòd ipsi amittunt etiam, vbi alii lucrantur. Ipsi de sanitate aliorum infirmantur, & de vita moriuntur. Et sicut diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum: ita inuidis omnia cooperantur in malum. Inuidus morietur de bono odore, de quo alii viuũt: sicut dicitur de Iuda super Ioann. 12. vbi Iudas murmurauit de effusione vnguenti, inuidus profectum aliorum reputat suum defectum. Vnde Iudæi inuidi dicunt Ioannis duodecimo: *Videtis quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abijt.* Inuidis sunt mala ipsa bona. Decimò, facit ad detestationem huius vitii hoc, quod

Inuidi ex bonitate Dei deteriores fiunt.

vitium istud miserorum hominum est. Vnde Iob. 5. *Paruulum occidit inuidia.* Omnis inuidus in eo quod talis, minor est eo, cui inuidet. Miser est inuidus, & miseria ei placet: vnde soli miseriæ parcit inuidia. Hieronymus. Difficile est in prosperis inuidia carere, sola miseria inuidia caret. Nobilium personarum est, liberalitas & communicatio suorum: vnde Dominus liberalissimus est, & desiderio largiendi sua, & communicandi, fecit quidquid fecit. Leonem etiam, qui est rex animalum, dicit Aristot. esse animal communicatiuum. Econtrariò. inuidia ignobilium & vilium est personarum. Vndecimò, quia inuidia cruciat dominum suum. Est enim sicut vermis in ligno nascens, qui post illud vnde natus est, consumit. Hieronymus. Inuidia est sui primum mordax. Inuidia primum infestat. Isidorus. Inuidus medullitus animo æstuans, à semetipso liuoris proprii semper exigit pœnas. Socrates: Vtinam inuidi in omnibus ciuitatibus aures vel oculos haberent, vt de omnibus profectibus torquerentur. Idem: Quanta sunt felicium hominum gaudia, tanta sunt inuidorum gemitu. Horatius. Inuidia Siculi non inuenere tyranni Maius tormentum. Duodecimò, facit ad detestationem huius vitii, quòd ipsa est infirmitas & corruptio maxima. Adeò corruptus est inuidus, vt ei redolentia fæteant: & è conuerso, amara sint ei dulcia, & dulcia amara. Vnde ad inuidos pertinere videtur illa maledictio Esa. 5. *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Hæc corruptio inuidiæ innuitur nobis Prouerb. 14. vbi dicitur, quòd *putredo ossium est inuidia.* Sicut vestis putrefacta non recipit ablutionem, sic peccatum inuidiæ non de facili abluitur. Decimo-tertiò, facit ad detestationem huius vitii, quia hoc vitium est magnæ peruersitatis. Cùm enim omne bonum in commune deductum pulchrius elucescat, secundùm Boet. & secundùm Senec. nullius rei possessio iucunda sit sine socio: inuidus tamen potius vult carere bono, quàm habere socium in eo: potius vult habere socium in miseria, quàm in felicitate. Exemplum de quodam rege, qui concessit cuidam auaro, & cuidam inuido, munus quod diligerent, ita tamen quod munus eius qui posterios peteret, duplicaretur: & cùm vterque differret, præcepit rex inuido, vt prius peteret: qui petiit vt erueretur sibi vnus oculus, volens quòd proximo eruerentur ambo. Noluit petere aliquod bonum, ne proximus eius acciperet duplicatum. Quarto-decimò, facit ad detestationem huius vitii hoc, quod cùm alia vitia vni bono tantùm opponantur, vt incontinentiæ continentia, inuidia omni bono opponitur. Item cùm alia vitia alicui malo opponantur, vt prodigalitas auaritæ, inuidia nulli malo opponitur. Decimo-quintò, facit ad detestationem huius vitii hoc, quod inuidia valdè periculosa est. Inuidum enim occidunt & bona & mala. Bona eũ affligendo, mala verò dando ei occasionem peccandi. Vnde ad inuidum videtur pertinere illud verbum, quod dicit Cain, Genes. 4. *Quincunque inuenerit me, occidet me.* Videntur enim creaturæ esse contra inuidum. Et meritò, quia degenerat inuidus à creatore, & à creaturis. Creator enim liberalis est, & vult communicare bona sua. Creaturæ etiam adeo communicare volunt bona sua, vt de hoc certamen videantur habere. Ex hoc enim quod ignis vult speciem suam communicare materiæ aquæ, ex hoc pugna est inter ignem & aquam: Similiter sol vult communicare, & lumen, & calorem suum. Augustinus: Iudicium diuinæ maximæ bonitatis est, quòd quælibet res cogitur, dare seipsam. Ab hac liberalitate degenerat inuidus, diuidens sa à Deo, &

[Left margin, cut off: ...uidia ...iciat ...idos ...idia ...firmi- ...s ma- ...na.]

[Right margin notes:]
Exemplum inuidi.

Inuidia omni bono opponitur.

Omnes creaturæ opponunt se inuido.

creaturis, & socians se diabolo, qui bona omnib. inuidet, & socios vult esse homines suæ miseriæ. Et ideò meritò creaturæ persequuntur eum tanquam apostatam. Decimosextò facit ad detestationē huius vitii hoc, quod inuidia valdè damnosa est suo subiecto. Aufer. n. homini societatē Ecclesiæ. De qua societate dicit Dauid: *Particeps ego sum omnium timētium te, &c.* Bona proximi, quæ inuidi essent si ea diligeret, contra inuidum sunt. Aug. Pensent inuidi quantum bonum sit charitas, quæ sine labore nostro aliena bona nostra facit. Inuidia aufert homini proximum. Vnde magister Hugo de S. Victore: Superbia mihi aufert Deum, inuidia proximum, ira meipsum. Inuidia etiam aufert homini sapientiam. Vnde Sap. 6. *Neque cùm inuidia tabescēte iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ.* Vnde Poeta describēs domum inuidi dicit, quod erat abdita, sole carens. Sol enim iustitiæ lumen sapientiæ abscondit ab inuidis. Inuidi etiam homines ad paupertatem & ignominiam sæpè perueniunt. Vnde Prouerb. 28. *Vir qui festinat ditari, & alijs inuidet, ignorat quod egestas superueniet ei.* Et Eccles. 7. *Improperium & contumeliā malus hæreditabit, & ōnis peccator inuidus & bilinguis.*

Inuidi sunt discipuli diaboli.

Decimo septimò facit ad detestationem huius vitii hoc, quod vitium istud est signum quo diabolus discipulos suos cognoscit. Vnde sicut Dominus dicit Ioan. 13. discipulis suis, *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionē habueritis ad inuicem.* Sic dicit diabolus discipulis suis. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si inuidiam habueritis ad inuicem. Decimo octauò facit ad detestationem inuidię hoc, quod ferè omnes inuidi sunt proditores, Prouerb. 23. *Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius; quoniam in similitudinem arioli, & coniectoris, æstimat quod ignorat.* Comede & bibe, dicet tibi & mens eius non est tecum. Decimònonò facit ad detestationem huius vitij hoc, quod frequenter mala morte moriuntur inuidi. Vnde Ecclesiast. vigesimò septimò: *Laqueo peribunt, qui oblectantur casu iustorum: dolor autem consumet eos, antequam moriatur.* Laqueo perit qui improuise perit. Hieronymus: Non memini me vidisse mala morte mortuum, qui liberalem antea duxerat vitam. Econtrariò sæpe accidit, quod inuidus mala morte moritur, qui liberalem ante non duxit vitam. Vicesimo facit ad detestationem huius vitii hoc, quod inuidi socii sunt diaboli, & in lucro & in damno. Quando diabolus lucratur, gaudent, quasi lucrum ipsius lucrum suum reputarent. Quando verò diabolus perdit, dolent, quasi damnum eius damnum suum reputarent. Speciales amici diaboli videntur esse tales secundū descriptionem amicitiæ, quam ponit Tullius: Habent enim idem velle & idem nolle, cùm diabolo: Idem enim velle & idem nolle, vera amicitia est. Inuidia vermis est, qui arefecit hederam Ionæ. Ionas interpretatur donum columbæ, & significat aliquem hominem gratiosum. Hedera verò prosperitas eius est, quam vermis inuidiæ, vult consumere. Quam cito enim videt inuidus aliquem prosperari, ipse vellet eius prosperitati aduersari. Inuidia etiam vermis est dissoluens charitatem siue charam vnitatem Ecclesiæ, pro qua filius Dei voluit mori. Inuidia etiam est similis passioni illi, qua percussi sunt Sodomitæ. Gen. 19. quæ dicitur auidentia aurisia vel acrisia. Et facit passio illa, nō vt omnino nihil videatur illud quod expedit non videre. Et dicitur acrisia ab à, quod est sine: & crisis quod est iudicium. Inuidia verò econuerso facit quod illud non videatur, quod expedit videre Inuidia enim sic excæcat hominem, quod ipse non videt in bono nisi malum. Ecclesiast. 14. *Oculus malus ad mala tendit.* Specialiter oculus inuidi

Quid notetur verbo Ionas.

malus est. Vnde in eodem capite. *Nequam est oculus inuidi.* Et Matt. 20. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Inuidus plenus est malitia, vsque ad oculum.

PARS II.

De speciebus Inuidiæ.

ecies idiæ duæ. POssumus distinguere duas species Inuidiæ, scilicet exultationem in aduersis proximi, & tristitiam in prosperis. Et notandum, quòd exultatio inuidi est quasi gaudium phreneticorum, qui de hoc gaudent, vnde flẽdum esset, imò gaudium diabolicum est, quum fit de malo alterius. De hoc gaudio legitur Prouerb. 17. *Qui in ruina lætatur alterius, nõ erit impunitus.* & Iob. 31. *Si exultaui ad ruinã eius, qui me oderat, & exaltaui quod inuenisset eum malum*, supple. malè mihi accidat. Mirum est, quòd inuidi gaudent de malo: quum enim gaudium debeat esse ex coniunctione conuenientis cum conuenienti, & inuidi natura sunt boni, naturaliter de bono gaudere deberent: sed hoc accidit quòd malitia quodammodo in natura est conuersa, & ideò de malitia gaudent, quum charitatis sit gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, vt legitur ad Rom. 12. Vnde Apost. 2. Corinth. 11. *Quis infirmatur, & non infirmor?* Inuidi etiam peiores sunt porcis. Porci enim porcis qui occiduntur compatiuntur.

PARS. III.

De remedijs contra peccatum Inuidiæ.

itu- me- on ui. CОntra vitium Inuidiæ possunt esse quatuor remedia. Primum remedium est, quod homo amet bona, quæ à multis haberi possunt, ita quòd ab vnoquoque plenè. Gregorius. Qui faucibus inuidiæ carere desiderat, illam hæreditatem appetat, quam numerus possidentium non angustat. Idem: Homo vir iustus per hoc quod in terris nihil appetit, alienis profectibus inuidere nescit. Secundum remedium est, meditatio eorum, quæ suadent nobis fraternam dilectionem, quæ sunt quatuor. Primum est, fraternitas naturalis, quæ est inter homines. Omnes enim descenderunt ab vno patre, & ab vna matre. Omnes Angelos creauit, omnes simul verò voluit descendere ex vno patre, & ex vna matre, ad commendationem dilectionis. Secundum est fraternitas spiritualis, quæ est inter Christianos, quia nati ex vno patre Deo, & vna matre Ecclesia, & eandem hæreditatem, scilicet cælestem diuisuri sunt: & quando plures diuident eam, tanto maior portio erit vniuscuiusque eorum. Vix posset pleniter ostendi, quantum aliquis habebit gaudium de gloria vniue, qui secumerit saluus. Tertium est, societas spiritualis, quæ est inter fideles. Socij enim sunt in lucro & in damno. Quartum est, quòd ipsi sunt membra vnius corporis, cuius corporis caput est Christus. Ad Rom. 12. *Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autẽ membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo.* Et 1 Corinth. 12. *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur cætera membra.* Tertium remedium est, meditatio eorum, quę valent ad contemptum propriæ excellentiæ: Inuidia enim nascitur ex amore propriæ excellentiæ. Vnde illa quæ dicta sunt in tractatu de superbia, contra amorem propriæ excellentiæ, valent contra inuidiam. Quartum remdium est, consideratio amaritudinis, quæ inuidiam concomitatur, & damni multiplicitas, quod ex ea prouenit: Ipsa amaritudo est sicut acetum, quo ignis Græcus extinguitur. Solet ignis Græcus cum arena & aceto extingui, Sic inuidia ex consideratione infructuositatis quam habet, & aceto amiritudi-

Quatuo suaden dilecta Rem.

nis, quæ est cum ea extinguitur. Damnum etiam quod ex ea prouenit, valet ad extinctionem eius. Et est vnum damnum, amissio proximi, sicut dictum est prius. Aliud damnum est, quòd postquam inuidus dissolutus est à cæteris membris Ecclesiæ, non viuificatur à Spiritu sancto: sicut nec anima viuificat membrum, quod à corpore separatum est, & humor non ascendit adramum, præcisum ab arbore. Prætereà sicut inuidus non vult communicare bona sua proximo: sic non est dignus, quòd Deus communicet sibi bona sua.

TRACTATVS VIII.

DE IRA.

De his quæ valent ad detestationem iræ.

PARS PRIMA, QVÆ habet quinque Capitula.

CAP. I.

De ordine dicendorum in hoc tractatu: Et verbis sacræ scripturæ, quæ dissuadent iram: & quare ira sit auferenda à corde.

POst superbiam & inuidiam, dicendum est de ira, quia tam superbia, quàm inuidia frequenter occasio est iræ. De ira verò tractabimus hoc modo. Primò, ponemus ea quæ valent ad detestationem iræ. Secundò, ponem⁹ diuersas diuisiones iræ. Tertiò, agem⁹ de peccatis, quæ ex ira sequũtur. Vltimò, de remediis contra iram. Iram vero hîc intelligimus, appetitum vindictæ. Ad detestationem vero iræ valere possunt verba S. script. quæ nobis dissuadent illam. Genes. 45. *Ne irascimini in via.* Vbi insinuatur causa, quare fatuum sit irasci. Verbum est Ioseph ad fratres suos ituros ad patrem. Sic & nos sumus fratres in via, ad Patrem nostrum cælestem tendentes, & iudicem qui iustitiam nobis plenariè exhibit. Singulis diebus facimus vnam dietã magnam ad iudicem magnum, & ideò debemus esse in pace. Matthæi quinto: *Esto consentiens aduersario tuo dum es in via, ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* Idem Leuitici 19 *Non queras vultionem: nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Et Iob 36. *Non te superet ira, vt aliquem opprimas.* Quo verbo insinuatur, quòd ira hostis sit nos impugnans. Magis timere debemus superari ab ira, quàm à quocunque homine. Quidquid enim potest inferre iniuriator, minus est quàm mors animæ, cuius causa est ira. Item Ecclesiastici septimo: *Ne sis velox ad iram.* Et Iacobi primo: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.* Velox ad iram dicitur quis dupliciter. Vno modo, quia velox est ad saliendum in ignem iræ. De facili enim irascitur. Alio modo dicitur aliquis velox ad iram, sicut equus dicitur velox ad calcaria, & bos ad stimulum. Multùm velox est ad iram, qui ira stimulatus transilit chaos magnum, quod est inter iram & pacem, & inter odium & amorem, quum ista maximè à se distent, contraria enim sunt. Multum velox est ad iram, qui quasi in puncto transilit à porta paradisi, scilicet à gratia ad portam inferni, quod est peccatum mortale. Peccatum mortale dicitur porta inferni Matthæi decimo-sexto: *Portæ inferni non præualebunt aduersus eam.* Quia nihil est inter peccatum mortale & infernum, nisi corpus, quia si anima discedit à corpore, cito est in inferno. Iob vigesimo-primo: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt* Benè velox est ad iram, qui

Velox ad iram aliquis dupliciter dicitur.

ira stimulatus prius salit, quàm attendat quo soliat. Qui in odium cadit, in foueam cadit profundam. Item Eccle. 12. *Aufert iram à corde tuo.* Auferenda est ira à corde, quia est quasi tempestas, mentem quasi grando destruens: sicut dicit Gregor. Vnde sicut tempestas timetur vineæ: sic ira timenda est cordi. Auferenda est etiam ira à corde, quia est ignis infernalis bona animæ exurens. Prou. 6. *Nunquid potest homo abscondere ignē in sinu suo, vt vestimentum eius non ardeat?* Ira etiam est de illis serpentibus ignitis nequissimis, de quibus legitur Numer. 21. qui vexauerunt filios Israel in deserto, & hodie homines multos in deserto claustri. Est etiam hostis auferens homini seipsum, sicut superbia aufert homini Deum & inuidia proximum, sicut dicit magister Hugo de sancto Victore. Auferenda etiam est ira à corde: quia ad modum trabis oculum cordis impedit: vnde, Impedit ira animum, ne possit cernere verum. Vnde cum festucam de oculo corporis festinemus auferre, mirum est quomodo trabem iræ non festinamus auferre de oculo cordis. Mirum est etiā quomodo qui trabem iræ habet in oculo, vult alios iudicare & corrigere. Vnde Matth. 18. *Hypocrita, eijce trabem primum de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui* Item Eccles. 10. *Omnis iniuriæ proximi ne memineris.* Ad Rom. 12. *Nolite esse prudētes apud vosmetipsos: nulli malum pro malo reddentes.* Vult autem Dominus amicos suos perfectæ bonitatis esse, & perfectæ nobilitatis, vt neque malum, neque rusticitas aliquo modo ex eis exeat. Curiales & nobiles huius mundi parum nobiles sunt, qui nulli malum faciunt, vel rusticitatem nisi ipse prius eis simile fecerit. Quod constat non perfectæ nobilitatis esse. Cum enim non possit exire de sacco nisi quod in illo est, & rusticitas ex eis exeat, rusticitas prius in eis erat. Spinam enim & non lilium se esse ostendit anima illa, quæ conuiciis à proximo puncta proximum pungit. Non talis est amicitia Christi. vnde Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas.* Item ad Rom. 12. *Non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ.* Cum ira ignis sit, ab iracundis debemus nos elongare, si non volumus ab eis exuri. Item in eodē capite. *Noli vinci à malo.* A malo vincitur quis, quum malus efficitur & malitiæ sit subiectus. Cur fugienda ira

Secūdo valet ad iræ detestationem hoc, quia multum displicet Deo, placet diabolo, nocet suo subiecto & proximo. Ad primum facit illud Eccles. 27. *Ira & furor vtraque execrabilia sunt.* Et suplet gl. interlin. in conspectu Dei.

Cap. II.

Quod quinque de causis displiceat Ira Deo.

Quinque de causis displicet ira multum Deo. 1. quia hospitium eius turbat. Vnde ad Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum.* Gregorius. Dum ira animum pulsat, Spiritui sancto suam habitationem perturbat, imo quandoque Patrem, Filium, & Spiritum sanctum de hospitio suo expellit, & diabolum introducit. Sicut in pace facilius est locus Dei: sic in ira factus est locus diaboli. Secundò imaginem Dei in templo illius dissipat, & imaginem diaboli tibi ponit. Vnde super illud Iob. 5. *Virum stultum interficit iracundia* dicit Gregorius: Mansuetudo imaginem Dei in nobis seruat, qui semper tranquillus est: sed ira dissipat, quæ multis virtutibus priuat, quæ cum quietem mentis tollit, Spiritus sanctus non requiescit. Quod autem multum displiceat Deo, quum imago eius in homine dissipatur, ostendi potest per hoc quod dicit Augustinus super Psalm. *Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Meritò, inquit Augustin, imaginem Psal. 37.

ipsorum ad nihilum rediget Deus in cælesti ciuitate: quia ipsi in sua terrestri ciuitate imaginē eius ad nihilum redegerunt Et etiam per hoc quod tantum peccatum reputaretur, si aliquis imaginem Crucifixi in Ecclesia Dei dissiparet, & idolum alicuius dæmonis in loco eius poneret. Tertiò, displicet ira Deo, quia templa Dei incendit. Psalm ista: *Incēderunt igni sanctuarium tuum.* Et 1.Cor. 3. *Nescitis quia templum Dei estis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus Quartò, quia nullum vitium sic contemnit Deum, quàm ira, Hoc vitium se erigit apertè contra Deum. Vnde ad hominem iratum videtur pertinere ilud Iob 15. *Tetendit aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est.* Cucurrit aduersus eum erecto collo. Homo iratus Deum contumelia afficit, & nititur expuere in faciem eius. Iob 30. *Faciem meam conspuere non verentur.* Quintò, displicet Deo, quia Deo aufert dominium suum in homine, & diabolum ibi facit dominari. Homo iracundus quodammodo Deum se facit, dum vindictam vsurpat sibi, quàm Deus sibi retinuit, dicens: *Mihi vindictam, & ego retribuam ait Dominus.* ad Rom. 12. & Deut. 32. *Mea est vltio.* Vnde in Vitis Patrum, cùm quidam frater venisset ad Abbatem Philosium, & diceret ei quòd vellet se vindicare de quodam fratre, qui dixerat ei contumeliam, incœpit orare Philosius in hunc modum: Deus, iam non es nobis necessarius, vt pro nobis solicitus sis, quia nosipsi, sicut frater iste dicit, & posumus & volumus nos vindicare: quòd cùm audisset, frater pœnituit.

Quòd 4. de causis placeat ira diabolo.

QVatuor verò de causis placet ira diabolo. Primò, quia valdè potens est ad impugnationem hominum, & destrūctionem boni, quia ira ignis est spiritualis. Vnde sicut ignis naturalis potentior est ad destructionem, quàm alia elementa: sic ira, quæ est ignis spiritualis, &c. Et ideò malitiosi homines, qui multùm volunt destruere terram inimicorum suorum, igne pugnant. Similiter dæmones in inferno. Sic ignis iræ potens est ad destructionem bonorum. Dominus etiam ignem amoris accendere voluit in mundo isto, ad destrūctionem regni diaboli. De igne iræ specialiter potest intelligi illud Ioelis 1. *Ignis comedit speciosa deserti.* Pulchriorem enim partem mundi magis exurit ignis iste infernalis: scilicet nobiles & diuites. Vnde Ecclesiastici 28. *Secundum ligna syluæ, sic ignis exardescit: & secundum virtutem hominis, sic iracundia illius erit, & secūdùm substantiam suam exaltabit iram suam.* Ira in exercitu diaboli incendiaria est. Ipsa enim causa est aliorum incendariorum. Secundò, placet ira diabolo, quia cæcitatem facit in homine, quæ multum diabolo placet. Sicut enim cælesti regi minister intelligēs acceptus est, Prou. 14. Sic diabolo acceptus est minister cæcus. Ipse enim similis est coruo, qui veniens ad cadauer, primò currit ad oculum. Sic diabolus primò, vult hominē excæcare, sciens, quòd postea poterit eum precipitare in foueam peccati ad voluntatem suā. Exemplum in vitis Patrum dixit quidā senex: quando operiuntur oculi animalis, tunc circui ad molendinum: alioquin non ambulat in circuitu molæ. Sic diabolus quādo cooperuit oculos mentis, in omne peccatum humiliat hominem. Tertiò, placet ira diabolo, quia per iram multum dominatur diabolus homini. Homo enim iratus non timet facere quodcunque diabolus præcipit sibi, quantumcunque magnum peccatum sit: non enim parcit vxori, non parcit filio, quin quandoque proiecit eum in ignem. Ipsi Deo & matri eius non parcit, quia contumeliis eos afficiat: vnde

Ira i[...] diabo[...] exerci[...] est iuc[...] diaria.

ad

ad ipsum specialiter referri potest illud Prouerb.18. *Expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo cõfidenti in stultitia sua.* Quarto, placet ira diabolo, quia hoc peccato non lucratur diabolus vnuũ hominem tantum, sed totam domum, vel villam, vel patriam. Homo iracũdus est velut serpens ignem ore vomẽs, exurens eos igne iræ, qui sunt iuxta se. Vnde Prouerb. 15. *Vir iracundus prouocat rixas: qui autem patiens est, mitigat suscitatas.* Iracundus rixas prouocat: more enim canis alios mordet, & latratu suo alios ad iram prouocat.

Quod ira multum nocet proximo.

PRoximo etiam multum nocet ira, quia fere omnia mala, quæ inferunt homines sibi inuicem, procedunt ex ira. Ideo multum deberet homo sibi cauere ab ira: quia nisi hoc fecerit, intolerabilis est hominibus. Prouerb. 27. *Graue est saxum, & onerosa arena: sed ira stulti vtroque grauior est.* & eodem cap. *Impetum concitati spiritus sustinere quis poterit?* Et Eccles. 22. *Super plumbum quid grauabitur? & quod illi aliud nomen, quam fatuus? Arenam & salem, & massam ferri facilius est ferre, quàm virum imprudentem, & fatuum, & impium.* Prouerb. 18. *Spiritum ad irascẽdum facilem quis poterit sustinere?* Homo iracundus præcipue est onerosus amicis suis & familiaribus. Vnde Prou. 22. *Noli esse amicus homini iracundo.*

Quod tribus de causis cauenda est amicitia iracundi hominis.

TRiplici ratione non debet homo quærere amicitiam hominis iracundi. Primo, quia parum durat talis amicitia. Ignis enim iræ comburit in eo vinculum amoris. Secundo, quia homines iracundi sunt velut lignum ignitum, quod consueuit exurere ea quæ tangit. Tertiò, quia sunt velut lignum spinosum, quod pungit amplectentes se: ideo familiari amore complectendi non sunt. Licet aliquis homo amet omnes arbores quas habet, spinosas tamen libenter declinat. Sic licet omnes homines amandi sunt, tamen familiaritas iracundorum declinanda est.

Quod proprio subiecto multum noceat ira.

IRa etiam proprio subiecto valde nocet. Et hoc multis modis. Primo, nocet corpori, vnde Eccl. 30. *Zelus & iracundia minuent dies.* Secundo, nocet etiã possessionibus. Vnde Eccles. 20. *Obiurgatio & iracundia adnihilabunt substantiam.* Homo iracundus pro vna alapa amittit quandoque centum libras. Tertio, nocet ira, & hoc multipliciter. Primo excæcando eum. Vnde Iob. 17. *Caligauit ad indignationem oculus meus.* Et in Psalm. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Ignis iræ non sinit videre solem iustitiæ. Psal. *Turbatus est à furore oculus meus.* Et Philosophus: Duo sunt maxime contraria consilio, scilicet festinantia & ira. Psalm. *Turbatus sum, &c.* Secundo nocet ira animæ, ei omnia bona auferendo, aufert enim misericordiam. Vnde Prou. 21. *Ira non habet misericordiam, neq; irrumpens furor.* Cuius causa est quia ira inquirit victoriam. Finis enim iræ est victoria. Aufert etiam homini ira veram iustitiam. Vnde Iacob. 1. *Ira enim viri iustitiam Dei non operatur.* Vbi dicit glossa. Qui iratus iudicat, etiam si iustitiam iudicat: tamen diuini examinis iustitiam in quam perturbatio non cadit: non potest imitari. Sapient. 12. *Tu autem dominator virtutum cum tranquilitate iudicas.* Et super illud Iob. 16. *Non te superet ira.* Dicit glossa. Si ira correctionem superat, ante oprimit quam corrigat: & sub specie zeli iustitiæ, furor est. Zelus iustitiæ quasi ignis ardere debet de oleo misericordiæ. Et sicut ignis lampadem destruit, nisi adsit oleum: sic zelus iustitiæ cor hominis destruit, nisi adsit oleum misericordiæ. Legitur de Christo Luo.

Varie ira nocet homini.

Finis iræ quis.

20. quod ipse destructionem Ierusalem quã ex zelo iustitiæ facturus erat, prius fleuerit. Tertio ira nocet animæ omnia mala introducendo. Vnde super illud Prou. 15. *Vir iracundus reuocat rixam* dicit Gregor. Ianua omnium vitiorum est iracundia: qua clausa, virtutibus intrinsecus datur quies: aperta, ad omne facinus armabitur animus. Prou. 29. *Qui ad indignandum facilis est, ad peccata est proclivior.* Damnum quod facit ira homini, ostendit Salomon Prouerb 19. *Qui impatiens est, sustinebit damnum.* Primum quod sustinet impatiens, est damnum perditæ patientiæ. Secundum est, damnum eorum qui lucrati essent si patienter iniuriam sistinuissent: velut enim lapidib. pretiosis obruimur, cum iniuriæ nobis inferuntur. Tertium damnum est, amissio sibiipsius. Impatiens se ipsum perdit, sicut patiens seipsum seruat. Vnde Dominus in Euangelio Luc. 21. *Inpatientia vestra possidebitis animas vestras.*

Iracund⁹ multa patitur dãna.

Cap. III.

Quibus rebus comparatur iracundus.

Iracundus velut homo habẽs domum ligneam.

Iracundus ollę similis ignitæ.

TErtio valet ad detestationem iræ, si iracũdus diuersis generibus rerum comparetur. Vnde notandum quod iracundus est velut homo habens domum ligneam, cui quandoq; accidit, quod in vespere diues est, in mane vero nihil habet, quia sibi totum ignis subito abstulit. Ira homo iracundus ad sibilum vnius verbi gratiam, quam habebat, perdit, dum in iram vel odium cadit. Ideo dicitur Eccles. 2. *Væ illis qui perdiderunt sustinentiam.* Homo etiam iracundus est quasi demoniacus, vel arreptitius. Vnde figurari potest per dæmoniacum illum, de quo legitur Marc. 9. *Magister, attuli tibi filium meum habẽtem spiritum mutum, qui vbicunque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat & stridet dentibus.* Matth. etiam 8. legitur quod occurrerunt Domino duo habentes dæmonia terribilia nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam. Quibus satis assimilatur homo iracundus. Item iracundus est sicut olla nimium habens ignem, quæ ebulliendo emittit quod in ea erat. Vnde Proueb. 15. *Cor fatui ebullit stultitiam.* Iracundus est homo insanus, licet non sit continua eius insania. Vnde Horatius: Ira furor breuis est. Item philosophus: Irrogata iniuria, eius est insania qui facit. Nunquid non insanus est, qui seipsum gladio iræ vel odii occidit? Homo iracundus est velut thannus ignem ex se producens ad impetum venti, secundum Iosephum. Sic iracundus ad ventum superbiæ ignem iræ ex se producit. Homo etiam iracundus est velut aper in gladium iræ vel odii seipsum impingens. Gladius diaboli est ira vel odium.

Capvt IV.

De stultiis iracundi multiplicibus.

Iracundus vult sanari alieno vulnere.

QVarto potest valere ad detestationem iræ, si ostendatur quanta stultitia laborat homo iracundus, qui non vult odium dimittere, sed vult se vindicare. Et possunt assignari multæ stultitiæ ipsius. Prima stultitia eius est, quod ipse vult sanare vulnus suum de alieno vulnere, & sanitatem quærit de aliena infirmitate. In alieno malo quærit bonum suum: quod idem est, ac si in igne quæratа aquam, & in spinis vuas & in tribulis ficus. Hanc stultitiam insinuat nobis Augustinus dicens: Læsus, & iniuriam passus vindicari vult, quasi cuicquam pœna possit prodesse aliena. De aliena pœna quærit sibi medicamentum, & acquirit grande tormentum. Secunda stultitia est, quod ipse vult se vindicare cum periculo animæ suæ, & interdum corporis, & magno labore & expensis, &

Vult & vindicare cum periculo animæ suæ.

tamen non poteſt ſe vindicare plene maior enim vindicta quam ipſe poteſt ſumere, mors aſini hoſtis ſui ſcilicet corporis. Prouerb. vigeſimo. *Ne dicas Reddam malũ pro malo: expecta Dominum, & liberabit te.* Liberabit, inquam, à labore & expẽſis, & periculo animæ & corporis, & debito gehennæ, cui te obligares vindicando te. Mira inſania, quod homo velit ſe occidere, vt aſinum hoſtis ſui occidat. Si autem expectaret Dominum, Dominus plenarie vindicaret eum, hoſtem ſuum infernali patibulo affligendo. Non oportet ergo ſumere vindictam de hoſte ſuo, qui ſibi iniuriatus eſt: quia niſi ipſe penituerit, Dominus tantam vindictam ſumet de eo, quod totus mundus ſatiabitur inde. Vnde in fine Eſaiæ, *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur, & erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni.* Nullus eſt ita immiſericors, quin moueri poſſet ad compaſſionem erga illos, qui cruciabuntur in inferno, ſi ſciret qualis eſt cruciatus eorum: vnde legitur Lucæ decimo-ſexto de diuite illo qui ſine miſericordia fuerat, qui tamen compaſſus eſt ſuis fratribus, timens ne venerent ad illum locum tormentorum. Expertus enim erat iam cruciatum infernalem. Si quis ſingulis horis membratim dilaniaretur, ipſe non tantam pœnam ſuſtineret, quantam ille qui cruciatur in igne infernali. Item ſi totus mundus excogitaret quomodo puniret aliquem, & ille poſſet totum ſuſtinere, ipſe non poſſet eum tantum punire, quantum Dominus puniet vno verbo, quando dicet, *Ite maledicti in ignem æternum.* Niſi ſciret Dominus cruciatum illum ita grauem eſſe, non ſuſtinuiſſet cruciatum paſſionis, vt nos liberi eſſemus à cruciatu illo. Tertia ſtultitia eſt, quod ipſe frangit pontem, per quem ipſe neceſſe habet tranſire, alioquin peribit. Et quod hæc ſtultitia valde magna ſit, ſic poteſt oſtendi. Duo habentes capitales inimicitias adinuicem, tranſituri ſunt per quendam pontem: qui autem prior venit ad pontem, cogitat quod deſtruat pontem in odium ſui hoſtis: ſed ex alia parte videt quod ſi pontem deſtruxerit, ipſe ex neceſſitate peribit, hoſtis vero ipſius nihilominus tranſibit. Si poteſt huiuſmodi deliberationem pontem deſtruit, nonne inſanus reputandus eſt? Simili ſtultitia laborat, qui delinquenti in ſe non vult dimittere. Pons enim per quem ſumus de neceſſitate tranſituri ad Deum ex quo peccauimus, eſt ipſa miſericordia. Sed hunc pontem ſibi frangit, qui miſericordiam negat proximo qui in eum delinquit. *Iudicium enim ſine miſericordia erit illi, qui non fecit miſericordiã.* Iacobi ſecundo. Proximus tamen nihilominus ad Deum perueniet, ſi fecerit quod in ſe eſt. Quarta ſtultitia eſt, quod ipſe vult ſe occidere, vt tunicam hoſtis ſui poſſit dilaniare. Tunica hoſtis ipſius, caro eſt eius. Vnde Pſalm. *Conſcidiſti ſaccum meum, &c.* Saccus vocatur ibi caro Chriſti. Si autem caro Chriſti ſaccus erat, id eſt, veſtis humilis: multo fortius caro cuius libet poteſt dici veſtis. Vnde qua animam ſuam occidit vt corpus hoſtis ſui lædat, prædicta ſtultitia laborat. Hanc ſtultitiam oſtendit Auguſtinus ſuper illud Pſalm. *Gladius eorum intret in corda eorum.* Dicens de perſecutoribus qui ira inſaniunt. Pſal. 20
Quaſi quis per corpus ſuum gladium mittit, vt tunicam alterius ſciendat. Gladius prius intrat in cor perſecutoris, quam in corpus eius quem perſequitur. Quinta ſtultitia eſt, quod ipſe de ſe faculam facit, vnde ignem accedat in qua hoſtis eius comburatur, ſed ſe prius comburit. Hanc ſtultitiam oſtendit Auguſtinus ſuper illud Pſalm. *In laqueum cadat in ipſum.* Sic dicens: Nemo malus eſt, qui ſibi prius non noceat. Sic putato malitiam eſſe quaſi ignem. Si incendere vis aliquid, illud quod admoues igni prius ardenti, niſi ardeat, non incendit

[Left margin: ...racun... us ſi ã... it pon... em per... uem ti... i tran... cundũ... t.]

[Right margin: Iracundus per- mittit ſe cõburi vt hoſtis ſuus con- buratur]

aliud. Verbi gratia. Cum faculam apponis igni, prius ardet vt aliud possit incendere: Ita ergo malitia quæ procedit ex te, quid vestat ante, quam te? Qui profundum ramum lædit, vbi radicem habet, non lædit. Malitia tua vt alteri non noceat fieri potest: quod autem tibi non noceat, fieri non potest. Item impossibile est, quod iniquitas prius lædat hominem iustum, in quem tendit, quam cor iniustum vnde procedit. Sexta stultitia est, quod in ipsum, quem amauit sanum, desæuit cum factus sit infirmus vsque ad mortem, quod non solummodo stultitia est, sed etiam proditio & crudelitas magna: quia ille qui amatur sanus, tenerius amandus est, cum sit infirmus. Hanc stultitiam ostendit Boetius in libro consolationum, dicens: Apud sapientes locus nullus odio prorsus relinquitur. Nam bonus quis nisi stultissimus oderit? Malos autem odisse ratione caret. Nam sicut corporis langor: ita vitiositas quasi quidam morbus est animarum. Cum ergo ægros corpore minime dignos odio, sed potius miseratione iudicimus: multo magis tales miserendi sunt, non insequendi, quorum mentes improbitas omni langore atroicior verget. Septima stultitia est, quod cum aliquis sibi abstulit aliquid de suo, ipse in vindictam eius proiicit ea quæ sibi remanserunt. Fatuus esset, cum aliquis abstulisset pallium, si ipse in vindictam & tunicam & supertunicale proiiceret in Rhodanum: vel cui aliquis vigenti libras abstulisset, si ipse quadraginta proiiceret, vel à tota sua hæreditate se exhæredaret. Sic fatuus est, cui aliquis abstulit pallium, suæ famæ detrahendo, si ipse hac de causa proiicit illam pulchrã & pretiosam vestem innocentiæ, quam in die iudicij toti mundo ostensurus est. Hanc stultitiam ostendit Seneca dicens: Ridiculum est odio nocentis innocentiam perdere. Et Psalm. *Custodi innocentiam*, &c. Fatuus est qui illata sibi iniuria ob hoc à cælesti se hæreditate exhæredat.

Hostis abstulit sibi terram, & ipse aufert sibi cælum. Primo perdit sua, & modo perdit seipsum. Octaua stultitia est, quod cum ipse dicit Dominicam orationem, ipse maledicit sibi secundum communem modum loquendi, dicendo scilicet istud verbum, Dimitte nobis debita nostra, &c. sicut aliquis sic dicens: Sic Deus me adiuuet, sicut verum dico: maledicit sibi, secundũ vsum communem loquendi nisi verum dicat. Hanc stultitiam ostendit Anastasius, dicens: Si non dimittis iniuriam quæ tibi facta est, non orationem pro te facis: sed maledictionem super te inducis, cum dicis, Sicut & nos dimittimus, &c. Vnde de talis potest dici istud Eccles. 33. *Vnus orans & vnus maledicens, cuius vocem exaudiet Dominus?* Timendum est ne vocem maledicentis, nisi penituerit. Forsitan tamen si in persona ecclesiæ sic diceret, non peccaret: vel si sic simplex esset, vt verba illa non intelligeret. Nona stultitia est: quod cum ipse sit oneratus multis debitis pro quibus poneretur in carcerem horribilem, nisi ea hic soluerit, & aliquis velit eum delere de tapulis creditoris, & se scribere, & pro eo respondet, ipse tamen renuit. Qui alicui facit iniuriam, Deo pro debitis eius respondet, si tamen ille patienter sustinet. Vnde Matth. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis peccata vestra.* Et Eccles. 28. *Dimitte proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur.* Ibi dicit gloss. interlin. indignum est Deum ei esse propitium, qui crudelis est in proximum. Augustinus: Vnuquisque talem indulgentiã accepturus est à Deo, qualem ipse dederit proximo suo. Via valde congrua ad obtinendum á Deo remissionem peccatorum suorum, est remissio iniuriarum suarum, quod significatum est. 4. Regnum 4. in muliere illa quæ de-

bita sua soluit de oleo sibi ad Eliseo multiplicato. In oleo enim misericordia intelligitur, qua iniuriæ illatæ remittuntur. Homini vero qui non vult dimittere alteri, non dimittitur aliquid nec suis precibus, nec alienis. Vnde super illud Ecclesi. 20. *Quis exorabit pro delictis illius* Dicit Gloss. interlin. Frustra quis pro illo orat, qui fatri debitam charitatem negat. Et inprincipio eiusd. cap. Qui vindicari vult à Domino, inueniet vindictam, & peccata eius seruans seruabit. Orationem illius, qui non vult fratri suo dimittere, despicit Dominus. Vnde in eod. cap. *Homo homini seruat iram, & à Deo querit madelam? In hominem enim similem sibi non habet misericordiam, & pro peccatis suis deprecatur? ipse cum caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo?* Nec solum oratio talium à Deo despicitur, imo etiam oblatio. Vnde Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi manus tuum ante altare, &c.* Oratio autem eius qui sibi illatas iniurias dimittit, non solum valet sibi, sed etiam aliis, vnde Ierem. 15. *Si steterint Moyses & Samuel corã me, non est anima mea ad populũ istum:* vbi dicit gl. Quid est, quod Moyses & Samuel præ ceteris patribus in postulationem præ feruntur, nisi quod isti duo tantum in omni testamenti veteris serie etiam pro inimicis orasse leguntur? Vnus à populo lapitibus impetitur, & tamen pro lapidatoribus ille precatur. Alter ex principatu eiicitur, & ait: absit à me hoc peccatum, vt cessem orare pro vobis. Decima stultitia est, quod ipse similibus contra similem pugnat, cum potius contrarijs sit pugnandum. Amore contra odium pugnandum est, sicut aqua pugnat contra ignem, vnde Prouerb. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Sic enim carbones congeres super caput eius.* Patientia contra impatientiã pugnandum est bonitate contra malitiam, satientia contra stultitiam. Prou. 26. *Ne respondeas stulto secundum stultitiã suam, ne efficiaris ei similis.* Et ad Rom. 12. *Noli vinci à malo, sed vinci in bono malum.* Vndecima stultitia est, quod ipse occiso vno filio matris suæ ecclesiæ, vult ei alium occidere, luctum volens ei addere super luctum. Ad hoc potest referri quod legitur 2. Reg. 14. de muliere instructa à Ioab, quæ dixit Dauid regi, quod cum duos filios haberet, & alter alterum interfecisset, venerat cognatio defuncti volens interficere illum qui remanserat, &c. Duodecima stultitia est, quod ipse seuire vult in mortuum: quod non solum est, imo etiam magna crudelitas. Vnde lancea quæ Christum mortuum vulnerauit, dira vocatur, cum claui dicantur dulces. Membrum Christi viuum est, homo existens in Charitate. Quasi membrum Christi mortuum est, homo existens in mortali peccato, vnde vnguenta dulcis admonitionis paranda essent, & non esset sæuiendum in illum qui iam mortuus est. De vnguentis quæ præparauerunt sanctæ mulieres ad corpus Christi mortuum inungendum legitur Marc. vult Decimatertia stultitia est, quod ipse conqueritur de fratre suo hoc quod fecit sibi, vel dixit tempore insaniæ, & vult inde vindicari. Hanc insaniam insinuat nobis Seneca, dicens: Homines male de te loquuntur: suple, ita tu dicis mihi. Et subdit, Moueret si hoc iudicio facerent: vere morbo faciunt. Et Luc. 23. *Pater ignosce illis, quia nesciũt quid faciunt.* Si quis haberet fratrem insanum qui ei conuitium diceret, vel alapam daret, & ex alia parte seipsum gladio interficeret: ipse plus doleret de malo, quod frater insanus sibimet faceret, quam de hoc quod ab eo sustineret. Sic qui iniuriam patitur, magis dolere debet de peccato iniuriantis, quam de iniuria sibi illata. Vnde Act. 7. legitur de B. Stephano, quod positis genibus pro lapidatoribus suis exorauit. Quando au-

tem orauit pro se, non legitur genua flexisse. Non debet aliquis admirari vel indignari, si cœcus in eum impingat: sibi potius irasci debet, quia sibi ab eo nō cauit. Velut cœcus est homo iratus, ideo debet sibi cauere ille, qui iratus non est, ne ad eum offendat. Decimaquarta stultitia est, quod cum ille qui habet aliquē odio, captus teneatur à diabolo, & sciat quod diabolus mortem eius sitit: tamen ille non vult dimittere illud, quod nihil sibi valet imo valde sibi noxiū est, scilicet odiū, vt à diabolo dimittatur. Odium tenere velle, est retinere peccatum suum. Non remittenti odium, nihil remittitur. Luc. 6. *Dimittite, & dimittetur vobis.* Imo retinere odiū, est retinere diabolū. Mira insania iracundorū, qui odium, quod nō habet, nisi amaritudinem, Deo & regno eius præponūt, qui de odio thesaurū suū faciunt, nec volūt illū cōmutare pro thesauro Dei. Decimaquinta stultitia est, quod ipsi odiunt & presequuntur illum, qui aurum & argentū & lapides prætiosos proiecit eis, vnde se redimāt, & coronam æternam fabricētur. De redemptione ista legitur Prou. 13. *Redemptio animæ viri propriæ diuitiæ.* Propriæ diuitiæ hominis sunt tribulationes, quas sibi procurauit homo & non Deus. De fabricatione coronæ dicit Psal. *Supra dorsū meū fabricauerunt peccatores.* Fabricauerūt, inquam, coronā perpetuam. Qui facit alicui malum, si patienter sustinet, lapidem vnum pretiosum in eius coronam ponit: ideo tales diligendi sunt tanquam benefici. Luc. 6. *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, benedicite maledicentibus vobis.* Et ad Rom 12. *Benedicite persequentib. vos benedicite, & nolite maledicere.* Duabus de causis benedicendi sūt persecutores, quia nobis benefaciūt, & quia aliā remunerationē nō expectāt. Ideo dicit Apost. His benedicite. Qui se vindicāt de persecutione, reddunt malū pro bono, & ideo malū accidet eis Prou. 20. *Qui reddit mala pro bono, nō recedet malum de domo eius.* Si quis dicat Illud bonū non facit ex bona intētione, & ideo non est diligēdus: Respōdeo, quod spina quæ claudit vineā alicuius, pungēs intrantes in eam, amatur ab eo cuius est vinea, licet illum bonū quod ei facit, ex intētione non faciat. Decima sexta stultitia est, quod cū iracundi amorē suum venalē habeant, nolūt tamen vendere ei qui carius eum emeret, scil. Deo. Quod ipsi amorē suū venalē habeāt, patet ex eo quod nolunt amare nisi suos beneficos, & se amātes nolunt habere amorē vel aliquod beneficiū, amoris sui pretiū. Sed si ipsi pro Deo inimicos vellēt diligere, Deus valde carè emeret amorem eorum. Daret enim pro illo amorē suū & regnū cœlorū. Nota quādo Dominus in die iudicii ponet rationem de amore, de quo est maximū præceptū, & dixerit aliquis se amasse aliquem, quia ab eo amabitur, & quia beneficus suus erat: Respōdebit Dominus: De hoc amore nihil tibi debeo: de illo iā solutum est tibi. Cum autē dixerent aliqui, se amasse propter eum illos, qui cōuiciis & iniuriis offendebāt se ne amarētur: Tunc dicet Dominus: Iustū amorem vobis debeo. *Venite benedicti, percipite regnum &c.* Ad hoc pertinet illud Matth. 5. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quā mercedē habebitis? Nōne & publicani hoc faciūt?* Et Luc. 6. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia?* Et post: *Veruntamen diligite inimicos vestros.* Et sequitur: *Et erit merces vestra multa.* Et cum homines ita sitian lucrum, mirū est quomodo cū Deo lucrari nolūt, & quomodo amorē suū nolū Deo dare pro regno eius, quē darēt alicui homini pro modico beneficio. Decima septima stultitia est, quod ipsi reputant honorē, quod in veritate est vilitas, vindicare se. Diceret aliquis, Nō possum sustinere tantum dedecus, quod de malo mihi illato me non vindicem, reputans vilitatem esse, non vindicare se, cum tamen vindicare se potius sit vilitas in multis casibus. Vnus casus est, quando

Diuitiæ his quæ tibi propria.

Quam persecutores benedicendi.

stultus & insanus est, qui sibi conuiciatur. Alius casus est, quando est vilis persona, vel leprosus, vel loripes. Tūc enim homo magni cordis dedignatur vindicare se de illis, nolens manus suas ibi maculare. Seneca. Quibusdam libenter parcas, à quibus te vindicare fastidias. Ab his non aliter, quàm ab animalibus paruis & inquinantibus reducenda est manus. Cùm igitur non possis vindicare te absq; spirituali inquinatione manuū, & cùm ille qui infert tibi iniuriā, in hoc insanus & stultus sit: non est vtilitas, sed potius honor, si te nō vindices. Sen. Magni animi est, iniurias in sūma patientia pati. Idem, Si magnanimus fueris, nunquā dicas tibi cōtumeliā fieri. De inimico dies. Non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit. Et cùm illū in potestate tua videris, vindictam putabis vindicare potuisse. Scito. n. honestū & magnum, & maius genus vindicandi, esse ignoscere. Pro. 20. *Honor est homini, qui separat se a cōtentionibus: omnes autē stulti miscentur contumelijs.* Sicut honor est, se separare à contentionibus; sic vilitas est in contentione os suū conuitio alicuius maculare. Decima-octaua stultitia est, quòd ipsi odiunt illos, qui sibi prosunt, contra Dei prohibitionē, scil. iniuriātes: peccata verò odij, & alia pecata, quæ eis summè nocēt, quæ Dominus præcepit odio

96 haberi, nolūt odire. In Psal. *Qui diligitis Deum odite malum.* De nocumēto peccatorū, dictū est in principio tractatus. Hoc tamen additur, quod peccatū est occasio omnium miseriarū, quæ nobis accidunt. Fames enim & sitis, frigus, calor, labor, infirmitas, mors, sequelæ sunt peccati. Si enim homo non peccasset, non sensisset ei⁹ pœnas. Si quis interfecisset alicui fratrē suū, ipse odiret eū, præcipuè si sine peccato hoc posset facere. Quare ergo non odimus peccatū, quod interfecit illos de parentela nostra, qui mortui sunt, & illos qui remāserunt, occidet. & nosipsos? In omnibus miseriis, quas in mundo isto videmus, possemus odiū peccati colligere. Quando aliquem mori videmus, debemus cogitare quàm melum sit peccatum facere, ex qua talia stipendia sequuntur. Apost. ad Rom. 6. *stipentia peccati, mors.* legitūr quòd Adam & Eua luxerunt centum annis, quando viderunt mortuum Abel, intelligentes illam mortem sequelā esse peccati. Mirū est quomodo homines peccatū amare possunt, cùm occasione illi⁹ tot miserias incessāter sustineāt. Ad miserias. n. huiusmodi odium peccati deberet in eis renouari.

Quod homo iracundus stultus sit, iram recipiendo, conseruando, & indicando.

HOmo, qui alium odit, valdè stultus est. Amat enim societatē eius quē odit, & vult com eo ire in infernū, quod valdè mirum est. Mirum etiam est, quòd ipse malitiam, quam in hoste odit, in se diligit: propter vnum delictum, quod videt in homine, omnia bona quæ in ipso videt, odit: propter modicū quod diabolus habet in eo, odit quæ Deus habet ibi. In quo assimilatur illi, qui castrum patris sui odiret, propter domum vnam hostis sui, qui esset ibi: vel totum agrum vnum odiret propter vnā vrticā, quæ esset ibi. Et vt breuiter dicā, homo volens se vindicare, stultus est, irā recipiendo, conseruando, indicando. Irā recipiendo, stultus est: quia cūm frater eius dicat ei verbū durū, & ex alia parte diabolus gladio iræ voluerit eū interficere, nō curat de gladio diaboli, sed solùm de verbo fratris. Hæc stultitia insinuatur Iob. 5. *Virū stultū interficit iracundia* quasi diceret: Ex stultitia est, quod ab iracūdia se permittit occidit. Stultus etiā est irā cōseruādo, cùm ira sit ignis, quod innuit Salomon, dicens Eccl. 7. *Ira in sinu stulti requiescit.* Quis nō excuteret carbonē de sinu suo, nisi stultus sit? Prou. 6. *Nunquid potest homo abscondere ignē in sinu suo, vt vestimenta eius non ardeant?* Stultus est etiam iram indicando. Prouerb. 12. *Fatuus autem statim indicat iram suā hominibus,* quum

ira furor sit; est iudicare se esse hominē insanum. Item qui indicat iram suam hominibus, succendit domos vicinorum suorum, eo quod domus sua ardeat, cum potius cogitare deberet quomodo domui propriæ subueniret. Sicut non esset ferenda sententia quam insanus dictaret: sic non est proferendus sermo quem ira dictat, cum ira sit furor. Homo iratus nisi taceat, ostendit se magis stultum quam ipse sit. Multa enim comminatur quæ non faciet: vnde Prou.14. *Qui impatiens est, exaltat stultitiam suam.*

CAPVT V.

De sex iniquitatibus iracundi valentis se vindicare.

QVinto potest valere ad detestationem iræ, si ostendatur multiplex iniquitas, quæ est in homine irato, qui se vult vindicare. Prima eius iniquitas est, quod ipse auctoritate sua constituit se iudicem inter se & iniuriatorem suum. Secunda est, quod ipse in eadem causa vult esse actor & iudex. Tertia est, quod ipse vult vindicare se pendēte die, quæ sibi assignata est, vt ei plene iustitia fiat. Dies hæc dies iudicij est Apost.1. ad Cor.4. *Nolite ante tempus iudicare.* Quinta iniquitas est, quod ipse impugnitum relinquit illum à quo debuit incipere, seipsum, qui sibi magis nocuit, quam alius. Quicquid alius potuit inferre ei, minus est odio quo ipse animam suam interficit. Quinta iniquitas est, quod ipse iustitiam, quæ ex solo iudicio debet procedere, ex iniquitate vult elicere, quia ex ira & odio. Sexta iniquitas est, quod ipse non reddit patientiam iniurianti quam ei debet, sicut iniurians debet ei innocentiam.

Exempla ad detestationem Iræ.

SExto possunt valere ad detestationē Iræ exempla. Et præcipue exēplum Christi, quem videmus patientissimum esse, qui vltimo faciet vindictam de inimicis suis. Bene deberet sufficere vermiculo, quod ita cito vindicaretur de inimicis suis. Sicut dicit Aug. Summæ religionis est imitari quem colis. De B. Bernardo legitur, quod appropinquante morte eius, cum requireretur à fratribus, quod doceret eos aliqua salubria, dixit eis: Alieno sensui magis, quam meo cerdidi. Læsus vindictam non expetii. Nulli scandalum facere volui. Et si feci, sedaui vt potui. Septimo potest valere ad detestationem iræ, quod Dominus ab eo, qui vult vindicare, videtur etiam remissa repetere Sicut patet de illo, qui noluit dimittere conseruo, à quo dominus eius repetit vniuersum debitum prius sibi dimissum Matth.18

PARS II.

De diuersionibus ad iram pertinentibus

DIcto de his quæ pertinet ad detestationem iræ, consequenter ponendæ sunt diuisiones ad iram pertinentes. Notandum ergo quod est quedam ira quæ bona est, qua homo irascitur vitio, de qua Eccles.7. *Melior est ira risu.* Quasi diceret, per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis, Est alia ira quæ mala est, qua homo irascitur personæ. De qua intelligenda, sunt prius dicta. Et hæc duas habet species. Quædam enim subita est, & sine deliberatione rationis, quæ venialis est. Alia vero cum deliberatione & consensu rationis, quæ mortalis est. Has duas species tangit Dauit dicens: *Irascimini, & nolite peccare,* &c. Si subita ira surgat in nobis, non consentiat ratio Ira vero, quæ cum deliberatione est, si inueterascat, odium dicitur. Est enim odium ira inueterata. Quod videtur prohibere. Apost. dicens ad Eph.4. *Sol non occidat super iacundiam vestram,*

Diuitur quædam bona & mala

Psal.

De

De his, quæ valere possunt ad detestationem.

AD detestationem odii possunt ista specialiter valere. Primò, illud Gen. 49. *Maledictus furor eius, quia pertinax, & indignatio eius, quia dura.* Secundò, illud 1. Ioan. 3. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* Tertiò, quia odiũ specialiter est charitati contrarium, quæ est maxima virtus, maximè placens Deo, & maximè displicens diabolo. Quod maximè displiceat diabolo, patet ex verbis Gregorii dicentis: Non curat antiquus hostis vt terrena nobis tollat, sed vt charitatem in nobis feriat. De placentia verò Dei manifestum potest esse, per hoc quod dicit Dominus Ioann. 15. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem:* Quartò, quia cùm torqueatur homo per quem peccat, & ille qui manet in odio iniurias sibi illatas nolit remittere, ipse punietur in hoc, quòd nec peccata sibi remittentur. Fatuus est, qui vnam iniuriam non vult remittere, vt mille per plura peccata sibi remittantur. Quintum est hoc, quòd ira vel odium contra naturam videntur esse in homine, cùm homo sit animal mansuetum natura, & misericors. Vnde Iob 31. *Ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.* Mãsuetudini verò, quæ est in homine, attestatur forma & dispositio exterior hominis. In omni enim specie animalis, figura corporis est, & membrorum naturæ corporis exteriori attestatur, sicut vngues acuti, fortes, & magni, & aduncati dentes, & fissio oris magna attestatur rabiei, vt patet in leonibus. Contrarium verò mansuetudini attestatur in hominibus. Sextum est hoc, quod cùm cupiditas & alia vitia consistant in appetitu alicuius boni, sed inordinatè, odium consistit in appetitu ipsius mali. Vnde maioris peruersitatis & malitiæ videtur esse, quàm cupiditas & similia peccata.

Secunda Pars.

Item diuisio iræ.

ITem notandum, quod ira potest diuidi in iram occultam, quæ nõ prorumpit in exteriorẽ iniuriã, & iram prorumpentẽ in exteriorem iniuriã, siue sit iniuria verbi vel facti. De prima ira dicit Dominus Matth. 5. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Et post subdit de secunda ira: *Qui dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Raca interiectio est indignantis, sed nominat aliquã specialem contumeliam. Item ira potest diuidi in iram, qua homo irascitur sibi, & in iram, quà homo irascitur proximo, & in iram qua irascitur Deo. De prima ira dicit Socrates. Iracundus cùm aliis irasci desierit, sibi irascitur. De secunda ira dictum est prius. De ira verò, quã aliquis irascitur Deo, qualis est ira iniquè blasphemantium Deum, potest intelligi illud Ecclesi. 17. *Qui in altũ mittit lapidẽ, super caput eius cadet.*

Ira diuiditur in occultũ & apertum.

Pessima ira quæ Deo irascitur.

DE PECCATIS PROVENIENTIBUS EX IRA.

PARS III., QVÆ HABET tria Capitula.

CAP. I.

De guerra, & de duobus quæ homines à guerra cohibere deberent.

SEquitur de peccatis, quæ proueniunt ex ira. Prouenit autem ex ira, lis Vnde Prou. 26. *Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem: sic homo iracundus suscitat rixas.* Item Eccl. 26. *Homo iracundus incẽdit litem.* Ex ira etiam sequuntur guerrę, incendia, homicidia, & alia iniectio manuum iniusta, & rapinæ, & similia. De lite non dicemus modo, quia de illa dicetur cum aliis peccatis linguæ. De rapina verò dictum est in tractatu de Auaritia. De aliis verò hîc dicemus. Et primò de guerra, quam habemus cum ho-

Quanta mala ex ira proueniũt.

stibus Duodecim verò sunt, quæ deberent homines cohibere à guerra. Primum est guerra, quam habemus cum hostibus inuisibilibus. Iob 7. *Militia est vita hominis super terram.* Item dictum est Gen. 3. ad serpentem: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen illius, & semē tuum.* Guerra ista multum periculosa est. Et propter calliditatem dæmonum. Gen. 3. *Serpens callidior erat omnibus animantibus terræ.* Et propter longum excercitiū gugnæ. Pugna enim non cessauit ex quo Adam deiectus est in terram, & longus vsus, & experientia multum videtur docuisse eum. Et propter continuitatem pugnæ. Vnde Greg. Assidua tentatione diabolus tentat nos, vt saltem tædio vincat. Et propter malitiam dæmonum qui incessanter sitiunt sanguinem nostrum. Vnde diabolus sanguisuga vocatur. Prouer. 10. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ.* Et quia dæmones inuisibiles sunt. Hiero. Tunc maximè impugnaris, si te impugnari nescis. Et quia magnum damnum est, si quis vincitur. Regnum enim æternum perdit, & patibulo in fernali affigitur. Si autem vincit, multum lucratur, quia remunerabitur regno æterno. Non accipitur redemptio de guerra ista. Et vt breuiter dicam, sicut diabolus peior est homine, ita guerra quam habemus cum diabolo, peior est, quàm guerra, quam aliquis habet cū hominibus. Sicut enim aliquis princeps quando habet aliquam guerram fortem & periculosā, studet pacificare alias guerras super emergentes: Sic debet homo cū hominibus pacificare, ne à dæmonibus vincatur. Ad hoc videtur pertinere illud Iob 40. *Momēto belli. & non addas amplius quicquā loqui.* Vbi dicit gloss. Si occulti hostis bellum contra te consideras, quidquid à me pateris, non accusas. Hier. Gladium tenet hostis, vt me perimat: mira insania! verbū durū sibi dictū plangere, & gladium capiti imminentem non timere. Mira etiam & magna fatuitas, quod aliquis captū diabolo se tradat, vt præualeat fratri suo, cū scriptū sit, quòd crudelis est, & non miserebitur. Ideò reges & principes hu9 mūdi de facili vincūtur à diabolo, quia debēt alias guerras, & nō sufficiūt resistere vbique. Hab. 1. *Ipse de regibus triūphabit, & tyranni ridiculi eius erunt.* 2. deberet homines cohibere à guerra, hoc quod Dn̄s. amat pacē, & per cōtrarium guerrā odit.

Guerra valdè delectabilis.

De signis, quod Dominus amet pacem.

Deus amator pacis.

ET possumus multa signa ponere per quæ apparet quòd Dominus multū amet pacem. Primum signum est, quod Dominus nasci voluit tempore pacis, quæ durauit 12. annis. Tunc impletū fuit illud Esa. 2. *Tūc cōflabūt gladios suos in vomeres, & lāceas suas in falces.* Spiritualiter autē non vult Deus habitare alicubi, vbi nō est pax: *quia in pace factus est locus eius.* Secundum signū, quod Dominus amat pacem, est hoc, quod in Natiuitate eius commendata est pax hominibus, multitudine Angelorum dicente: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominib9 bonæ voluntatis:* vti legitur Luc. 2. Tertium signum est, quòd ipse vocauit pacificos specialiter filios Dei, dicens Matt. 5. *Beati pacifici, quoniā filij Dei vocabūtur.* Quartum signum est hoc, quod ipse mittens Apostolos, voluit vt homines ad pacem hortarētur, dicens Matt. 10. *Intrantes autem domum salutate eam, dicētes: Pax huic domui.* Mittens etiam discipulos suos, dedit eis similiter mandatum de ex hortatione ad pacem, dicens Luc. 10. *In quamcunq; domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui.* Quintum signū est hoc, quod Domin9 relicturus discipulos suos, pacem specialiter, tanquam hęreditatem eorū, reliquit eis, dicens Ioan. 14. *Pacem meā do vobis, pacē relinquo vobis.* Post resurrectionē etiam veniens ad discipulos suos pacē commendauit eis, dicens: *Pax vobis*, vt habetur Ioann. 20. in 2. locis. Sextum signum est hoc, quod Dominus ita carè emere voluit pacem nostrā; mo-

Magni Deo cō stat pax.

ri enim voluit, vt nos reconciliaret sibi: maritari voluit Filius Dei naturæ nostræ infirmæ, vt pax ista reformaretur. Adhuc etiam pacem peccatorum paratus est: emere valdè carè, quia paratus est eis remittere omnem offensam, & emere pacē ipsorū regno æterno, si pœnituerint. Honorabilis est ista pax peccatorum. Si peccator haberet Deum in carcere, non deberet partem honorabiliorē ab eo requirere. Et vt breuiter dicam, speciale officium filii Dei fuit, pacem reformare inter Deum & hominem. Hac de causa, venit ipse in mundum istum, & fuit ibi plusquàm 32. annis. Vnde ad Eph. 2. *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraq; vnū.* Tertiò, deberet homines cohibere à guerris propter mala quæ inde fiunt, & bona quæ inde omittūtur. Primum malum quod de guerra sequitur, est odium. De vna guerra sunt quandoq; mille homines in peccato odii. Illi autem qui sunt in peccato odii homicidæ sunt, iuxta verbum Ioannis in 1. Canon. sua. Sequuntur etiam inde homicidia, & frequenter illi qui moriuntur in bellis, moriuntur morte æterna, quod maximum periculum est. Hoc enim damnum irrecuperabile est. Vnde Matthęi secundo: *Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* Sequuntur etiam ex guerra incendia locorum sacrorū, & non sacrorū, rapinæ & furta. Filii agricolarū fures efficiuntur, filiæ prostituuntur, omittuntur etiā infinitæ eleemosynæ, & infinita alia bona. Quartò, deberet homines cohibere à guerris hoc, quod in guerris pręcipuè malū infertur his, qui non meruerunt. Si in guerris illi mala reciperēt, qui in culpa sunt, hoc tolerabilius esset, sed illi parū aut nihil mali recipiūt. Innocentes verò deprædātur, iuxta illud Esaiæ 59. *Qui recessit a malo, prædæ patuit.* Hor. *Quidquid delirant reges, plectuntur Achiui.* In hoc tyrāni huius mundi peiores sūt diabolo, qui nō nocet nisi his qui meruerūt. Tyrāni verò in guerris suis potius nocēt illis qui innocētes sūt, quod nō est parua culpa, cùm specialiter Deo adhæreāt, & in eo fiduciā habeāt, & sūt in eius protectione. Ps. *Innocētes & recti adhæserū mihi.* Prou. 1. *Deus custodiet rectorū salutē, & proteget gradientes simpliciter.* In guerris etiā infertur malū pauperibus, plus enim damnificatur aliqua pauper mulier, quādo vna gallina aufertur ei, quàm aliquis, qui multum diues esset, damnificaretur in mille marcis. Sicut vidua paupercula de qua loquitur Dominus Luc. 21. *Plus misit in gazophylaciū*, mittendo duo minuta, quam omnes alii secundùm iudiciū Dñi. Quintò, deberet homines cohibere à guerris hoc, quod vix est, quin malū accidat eis, qui guerrā faciūt. Aut. n. malū infertur eis, & sic malum eis accidit. Aut ipsi inferūt malū aliis, & tūc deterius eis accidit: melius est. n. mala sustinere, quā mala facere. Vnde Prou. 16. *Melius est humiliari cū militibus, quā diuidere spolia cū superbis.* Sextò, deberet homines cohibere à guerris difficultas cōsulendi illis qui guerris intersunt. Cùm. n. vnus aliū paratus sit iuuare, vt fortiores sint, ex eo quod sunt simul, vnusquisq; videtur esse occasio quædā omnium malorū quæ ibi fiunt. Vnde Iob 41. dicitur de corpore diaboli: *Corpus eius quasi scuta fusilia, & compactū squāmis sese prementibus.* Septimò, deberet cohibere homines à guerris hoc, quòd nulla vel parua vtilitas inde sequitur, quādo aliquis gurerā facit, vt sua recuperet. Plus enim valet, quòd ipse in guerra expēdit, quàm quod ibi in guerra acquirit. Quando verò aliquis guerrā facit vt vindicet fratrē vel cognatū sibi occisū, nulla vtilitas sequitur illi qui mortuus est, melius esset defūcto, quod procuraretur quod homicida pro anima ei⁹ iret ad partes trāsmarinas, vel quod processio fieret à ministris Dei super interfectū cū aqua benedicta, & cruce, quàm cūm igne maledicto, & lāceis & vexillis à ministris diaboli, sicut multoties fit. 8. debet cohibere homines à guerris frater-

Quid quæso ex guerris? nihil.

nitas, quæ inter homines est. Omnes enim homines naturaliter sunt fratres, quia ex vno patreo & vna matre processerunt, scilicet Adam & Eua. Fideles verò propter hoc quadam spirituali fraternitate fratres facti sunt, qui ex vno patre, scilicet Deo nati sunt, & ex vna matre, scilicet Ecclesia, & cælestem hæreditatem diuisuri. Vnde inimicitia inter fideles, inimicitia Cain est: quia inter fratres, lupi vel serpentes, videntur esse huiusmodi homines, qui bella mouent contra homines. Seneca. Ferina rabies est ista, sanguine & vulneribus lætari: & hoc est, abiecto homine in syluestre animal transire. Inter serpentes & homines naturales sunt inimicitiæ. Vnde Gen. 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius.* Vnde serpentes se esse ostendunt qui ad homines inimicitias habent, imò etiam tales peiores serpentibus & lupis videntur esse. Serpens serpenti non nocet, vel lupus lupo. etsi animalibus alterius speciei noceāt: homo verò nocent homini. Seneca. Immitissimus est homo homini. Leo leoni non nocet, lupus lupum non lædit. Verè canes videntur esse tales homines, qui ad inuicem certant. Nonò, deberet cohibere homines à guerris hoc, quòd homines qui guerras amant, vel habēt, speciales filii diaboli sunt, sicut pacifici speciales sunt filii Dei, sicut prius dictum est. Decimò, debet cohibere homines à guerris, miseria quam sustinent homines, qui guerras faciunt. Ipsi enim de nocte vadunt armati, in fame & siti, & huiusmodi. Si tantùm sustinerent pro Deo, quantum sustinent pro diabolo, magni meriti essent apud Deum. Vnde Psalm. *Contritio & infelicitas in vitis eorum, & viam pacis non cognouerunt.* Psal 13. Vndecimò, debet cohibere homines, dubius euentus belli, quandoque enim ille qui fortiorem se credit, deterius cadit in bello. vnde 2. Reg. 11. *Varius est euentus belli, & nunc hunc, nunc illum consumit gladius.* Si aliquis fortis est, inuenit aliquem æquè fortem, vt ipse. Ierem. 47. *Fortis impegit in fortem, & ambo corruerunt.* Si aliquis malus est, vix erit, quin aliquem æquè malum aliquando inueniat. Vnde Prou. 17. *Semper iurgia quærit malus, angelus autē crudelis mittetur contra eum*: vel post hanc vitā, quando diabolus ad eum mittetur, vt eum deferat in infernum: vel in præsenti, quando aliquis homo æquè malus mittetur ad repremendam malitiam eius. Vulgariter dicitur, quòd canis bellicosus defert aures scaturientes vermibus. Et frequēter accidit quòd qui amant bella moriuntur gladio. Vnde Regum 15. dicit Samuel ad Agag regem Amalech: *Sicut fecit mulieres absque liberis gladius tuus, sic absque liberis inter mulieres erit mater tua.* Duodecimò, debet cohibere homines à guerris hoc quòd sapientes tantum timent guerras, & tantum amant pacem: vnde Salomon qui legitur sapientissimus fuisse, regnū suum in pace summa tenuit 40. annis. Vnde etiam ob hoc nomen habuit: Salomon enim interpretatus pacificus. Christus etiam vocatus est rex pacificus, & in veritate nihil est quod tantum noceat Ecclesiæ Dei, quantum guerra. Luc 11. *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur.* Ambr. Paruæ res concordiâ crescunt, magnæ verò res discordiâ dilabuntur, licet tantum bonum sit pax, quod etiam suo contrario quæratur, secundùm verbum Augustini, tamen valdè raro esset facienda guerra. Cùm enim guerra & pax maximè sint contraria, maximè à se distant. Et ideò valdè longa est via quæ est per guerram ad pacem. Et quandoque prius homo deficit, quàm ad pacem per viam istam veniat. Citius peruenit homo ad pacem, patiendo, quàm bella faciendo. Et facilius acquirit homo, largiendo, quàm auferendo.

Salomon vocatur pacificus.

Cap. II.

De peccata incendiariorum.

Quis propriè incendiarius.

INcendiarius dicitur, qui propria auctoritate incendit ciuitatem, vel villam, vel domum aliquam, vel segetem. vel rem similem, malo studio, aut pro vindicta: si autem hoc faceret auctoritate illius, qui habet potestatem inducendi iustum bellum, non iudicaretur incendiarius, ex quo guerra esset iusta.

Octo quæ deberent cohibere à peccato incendij.

OCto verò sunt, quæ deberent cohibere hominem ab hoc peccato. Primum est hoc, quod istud peccatum diabolicum est. Diabolus enim in inferno igne impugnat homines: sic faciunt incendiarii in hoc mundo: vnde cùm ipsi diabolo assimilentur in facto, meritò assimilabũtur ei in tormento. Secundum est, quod peccatum istud puræ malitiæ est, & nullius vtilitatis. Peccatum rapinæ vel furti aliquid habet lucri vel vtilitatis, sed peccatum incendii, nihil. Nullius etiam strenuitatis est peccatum illud. Mulier enim aliqua posset idem facere. Præterea, quum sufflatores ignis in seruitio hominum sint viles personæ, quomodo non erunt viles personæ sufflatores ignis in seruitio dæmonum? Sine culpa etiam sunt pauperes homines, quorum domus incenduntur, sed propter solam superbiam dominorum fit, vnde Psal. *Dum superbit impius, incenditur pauper.* Peccatũ igitur incendiariorum, cùm sit puræ malitiæ, ideo etiam est peccatum in Spiritum sanctum. Tertiò, deberet cohibere hominem à peccato hoc, quod peccatum istud valdè damnosum est proximo. Pauper enim illè homo exhæredatur, cùm domũ suam amittit, & oportet eum, & vxorem suam, & familiam ire mendicando per domos aliorum, quod valdè graue est homini in consueto. Vnde Eccl. 29. *Vita nequam est hospitandi de domo in domum.* interdum autem accidit, quod nunquam redibit ad pristinum statum, & quod filii eius hac de causa fures efficiũtur, & filiæ prostituuntur; & ille qui domum incendit, reus est omnium peccatorum, quæ occasione illius incendii fiunt. Quartò, debet cohibere hominẽ ab hoc peccato, quòd peccatum istud valdè damnosum est auctori suo. Damnosius etiam est illi quàm proximo. Vnde refert Gregorius in dialogo, quòd cùm cuidã incendisset messem cuiusdam sancti viri, nomine Stephani, quidam videns messem eius combustam, venit ad illum, dicẽs, quod messis sua esset combusta, adiungens: Væ væ pater Stephane, quid contigit tibi? Cui ille placidè respondit: Væ quidem illi contigit, nam mihi quid contigit? Ille qui credit incendere domum alienam, incẽdit suam. Sua enim est domus illa, quo ad emendam, & sibi amittitur. Sicuti miles, qui est in exercitu alicuius principis, equum, quem amittit, non sibi amittit, sed domino cum quo est. Incendiarius dum ponit ignem ad comburandum domum, sibi etiam præparat ignem æternum. Igne etiam peccati exurit seipsum. August. Sic putato malitiam esse quomodo ignem. Quintò, deberet cohibere hominem ab hoc peccato hoc, peccatum istud multùm impedit à salute actorem suum, & propter restitutionem domus incensæ quam oportet eum facere propter maledictiones quæ fiunt eis. Quando enim pauper aliquem defectum habet occasionem illius incendii, vel videt filios suos lugentes in alieno hospitio: Ipse maledicit ei qui domum suam incendit. Quæ maledictio defert incendiarium in ignem æternum. Vnde Eccl. 4. *Maledicẽtis tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illi⁹; exaudiet autẽ illum qui fecit eum.* Et eiusd. 35. *Deprecationem læsi Dominus exaudiet. Nõ despiciet præces pupilli, nec viduam, si effun-*

Exemplum.

duntloquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillas descendunt, & exclamatio eius super deducentes eas? A maxilla enim ascendunt vsq; ad cælos, Dominus exauditor non delectabitur in illis. De materia ista in tractatu de rapina dictum est. Sextò, deberet cohibere homines à peccato isto, pœna magna qua in præsenti puniuntur incendiarii. Pœna autem eorum secundùm leges humanas est, vt qui dolo ignē apposuerit, igne cremētur, aut capite puniantur, nec debet absolui, nisi damno restituto, & præstito iuramento, quòd ignē vlterius nō apponat. A Deo etiā sæpè puniuntur in hoc, quod mala morte moriūtur, sicut patet de Absalon, qui fecit succendi messem Ioab, qui postea suspensus est, & occisus est tribus lanceis missis in cor eius, vt legitur secundo Regum decimo-quartò. Legitur etiam Iudicum demcimo-tertiò: Quod Samson fecit succendi segetes Philisthinorum, qui posteà captus est à Philisthæis, & exoculatus est, & à semetipso occisus. Septimò debet cohibere hominem à peccato isto, magna pœna, qua puniendi sunt incendiarii in futuro Quod potest ostendi per hoc quod legitur Matthæi vigesimo-quinto, quod Dominus dicturus est. *Ite maledicti in ignem æternum.* Et subditur causa huius damnationis: *Hospes eram, & non collegistis me.* Si Dominus puniturus est igne æterno eos qui in proprio hospitio non receperunt eum, qualiter credendum est illos esse puniendos, qui hospitium Domini, in quo ipsi nihil iuris habebant, combusserunt? Quot pauperes hospitati fuissent in domo, quam ipsi combusserunt, toties Domino suo hospitium suum abstulerunt. Meritò etiam in præsenti, & in futuro crematur incendiarius, cùm ipse alios cremet, quia per quæ peccat homo, per hæc & torquetur: & non est lex æquior vlla quàm necis artifices arte perire sua. Octauò, debet cohibere homines ab hoc peccato, quia peccatum istud multùm displicet Deo. Quod patet per hoc, quod hospitalitas tantùm placet Deo, quam hospitalitatem hoc peccatū destruit. Quòd hospitalitas multum Deo placeat, patet ex eo quod legitur ad Hæbreos vltimo: *Hospitalitatem nolite obliuisci.* Per hanc enim quidam placuerunt Angelis hospitio receptis, & Origenes, Domos hospitales ingressi sunt Angeli. Domos verò hospitibus clausas, ignis & sulphur succendit. Domos quas Angeli ingressi sunt, fuerunt domus Abraham. & domus Lot. Domus verò succensæ fuerunt domus Sodomorum & Gomorrhæorum. Hospitalitas tantum placet Deo, quòd ipse in propria persona legitur ad hospitales homines declinasse. Vnde refert Gregorius in quadam homilia, quod quidam pater-familias multum fuit hospitalis, & quadam die, cùm peregrinos susciperet, & aquam daret manibus ex humilitate, vnus fuit inter eos, in cuius manibus debuit aquam fundere, & cùm reuersus vrnam accepisset, non inuenit eum in cuius manibus aquam debuit fundere: cumque ob hoc apud se miraretur, eadem nocte per visionem Dominus dixit ei; *Cæteris diebus me in membris meis, hesterna autem die me in memetipso recepisti.*

Incendiarii puniendi pœna in futuro.

Deo multū displicent. Hospitalitas Deo grata.

CAP. III.

De peccato homicidij, & de his quæ deberent homines cohibere ab homicidio.

SEquitur de homicidio, à quo primo deberet homines cohibere hoc, quod ipse est contra naturam. Docuit enim natura quod animalia diligunt ea quæ sunt eiusdem speciei cum ipsis, Vnde Ecc. 3. *Omne animal diligit simile sibi.* Vnde mirū est, quomodo homo vult alium hominē occidere, cùm natura doceat, lupum vnū alium amare. Secundò, deberet cohibere homines ab hoc peccato, quod

Homicidiū qu[æ] cohibeant.

ipsum multum est extra ratione͂. Dictat enim ratio homini, quod nõ debet facere alii, quod sibi odit fieri, vt legitur Tob. 4. Vnde cùm ipse super omnia morte͂ odio habeat, ipse super omnia cauere debet, ne morte͂ in ferat. 3. deberet homines cohibere ad hoc peccato, quod istud peccatum diabolicum est, & diabolo assimilatur vnde Iob 8. *Ille homicida erat ab initio*. Diabolus fuit homicida sui ipsius ab initio, & post parentum nostrorum. Vnde sanguisuga vocatur. Prouerb. 3. vbi dicitur, *sanguisugæ duæ sunt filiæ*. Quartò, deberet cohibere homines ab hoc peccato quod videtur ab homine degenerare, & in bestiã trãsire, quæ sanguine͂ humanum sitit. Vnde Sen. Ferina rabies est ista, sãguine & vulnere lætari. Et hoc est abiecto homine in syluestre animal trãsire. Quintò, deberet cohibere homines ab hoc peccato, pœna magna qua homicidæ puniuntur, & in præsenti, & in futuro. De pœna eorum legitur Matt. 25. *Omnes qui acceperint gladiũ, gladio peribũt*. Et Apoc. 13. *Qui in gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi*. Et Gen. 9. *Quicunq; fuderit sanguinem hominis, fũdetur sanguis illius*. Et possunt hæc auferri ad morte͂ æternã, vel temporale͂, vtraq; enim reus est, quia auctoritate sua gladiũ accipit. Ad significandũ quòd multũ punietur peccatum homicidii, dictum est Gen. 4. *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra*. Vox sãguinis potest dici vox cõsanguinitatis: vt sit sensus, generatio quæ ex Abel exisset, nisi interfectus fuisset, requirit quod vindictã sumam de te. Pœna etiam homicidæ ostenditur, cùm subditur: *Maledictus igitur eris super terrã*. Et fuit tanta maledictio illa, quod etiam ipsam terram tetigit. Vnde subditur: *Cùm operatus fueris terram, non dabit fructus suos*. Et subditur post: *Vagus & profugus eris super terram omnibus diebus vitæ tuæ*. Et post factus est Cain tremulus. Vnde ait: *Omnis qui inuenerit me, occidet me*.

De 4. peccatis clamantibus ad Deum.

ET notandum quod quatuor peccata dicuntur clamare ad Deum: scilicet oppressio innocẽtium, Exod. 2. *Ascendit clamor filiorum Israel ad Deum*. Et peccatum Sodomiticum. Vnde Gen. 18. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est*. Et detentio mercedis mercenariorum. Vnde Iac. vltim. *Ecce merces operariorum vestrorum, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit*. Et peccatum homicidii. Vnde Genes. 4. *Vox sanguinis fratris tui, &c.* Tria verò de peccatis nominatis ideò dicuntur clamare ad Deum, ad modum homicidii, quia sunt quasi homicidium. In peccato enim contra naturam affunditur illud quod potuit esse materia corporis humani, & ideò est quasi homicidium. In oppressione verò innocentium & detentione mercedis aufertur pauperibus vita eorum, & ideò à Deo quasi homicidium reputatur. Vnde Ecclesiast. 33. *Panis egentium vita pauperis est: qui defraudat illum, homo sanguinis est*. & ibidem: *Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum*. Et ibidem: *Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt*. Puniuntur etiam homicidæ irregularitate. Licet enim de peccato homicidii condignam pœnitentiam egerint: tamen non possunt promoueri. Vnde primo Paralipomenon vigesimo octauo, dicit Dominus ad Dauid: *Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, & sanguinem fuderis*. Sextò, deberet cohibere homines à peccato homicidii, fraternitas quæ est inter Christianos, Omnes enim Christiani fratres sunt, & fraternitate naturali, & spirituali. Ex vno enim patre & matre sunt omnes ex Adam scilicet, & Heua. Fratres etiam sunt spiritualiter ex Deo patre & Ecclesia matre. Vnde homicidium inter Christianos est fratricidium.

Peccata clamãtia in cælum cur ira dicta.

Homicida cur fit irregularis.

Ad quod potest referri illud Genes. 27. *Quid nobis proderit: si occiderimus fratrē nostrum, & celauerimus sanguinem ipsius? melius est vt venundetur Ismaelitis, & manus nostræ non polluantur. Frater enim & caro nostra est.* Septimò, deberet cohibere homines à peccato hoc quod fideles sunt filii Dei. Vnde August. Filii Dei sumus, vnde hoc probamus? Mortuus est vnicus, ne remaneret vnicus. Et 1. Ioan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij eius nominemur & simus.* Et in eodem: *Filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus: sed cùm apparuerit, scimus, quoniam similes ei erimus:* & Matth. 23. *Patrem nolite vocare vobis super terram, vnus enim est Pater vester, qui in cælis est.* Igitur qui aliquem fidelem occidit: filium Dei occidit: quod constat animæ temeritatis esse. Quomodo ante conspectum Dei stare audebit, qui filium eius occidit? Octauò, deberet cohibere homines ab hoc peccato, quod quilibet homo angelum bonum habet deputatum sibi ad custodiam: cui contumeliam facit, qui hominem occidit, vel iniustè manus in eum iniicit. Vnde Matth. 18. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Si quis verberaret aliquem qui haberet militem de mensa Regis Franciæ sibi ad custodiam deputatum, non parum offēderetur Rex: quantum ergo putandus est offendi Rex cælestis? quando ille occiditur vel verberatur, cui ipse vnum de angelis suis ad custodiam deputauit? qui sunt quasi milites de mensa eius. Nonò, deberet cohiberet homines ab homicidio hoc, quod homo ad similitudinem Dei creatus est. Mirum enim est, quomodo aliquis audet destruere creaturam illam, quam Deus ad similitudinem suam dignatus est creare. Vnde Genesis nono, postquam Dominus dixit: *Quicūque fuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius.* Subditur causa ista: *Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Si aliquis artifex tantum habet amorem ad opus suum, quod parui valoris est, quod non potest sustinere, vt & verbo ei detrahatur, vt patet in versificatore, qui non potest sustinere vt versibus eius detrahatur: quantum putandus est Deus amare creaturam suam, quam creare voluit ad similitudinem suam, & quantum offenditur in eius destructione? Decimò, deberet cohibere homines ab homicidio hoc, quòd Dominus ita carè emit hominem: non parum enim offenditur Deus, quando res illa quam ipse emit sanguine suo, ei aufertur. 1. Petr. 1. *Non corruptibilibus auro vel argēto redempti estis de vana vestra conuersatione, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati & incontaminati Iesus Christi,* hoc pretio debemus hominem appendere, ne nobis vilescat. Vndecimò, deberet homines cohibere ab homicidio hoc quod homo templum est Spiritus sancti: vnde templum Dei violat, qui hominem occidit vel verberat. 1. ad Corinth. 3. *Nescitis quia templū Dei istis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autē templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Duodecimò, deberet cohibere homines ad homicidio hoc, quod tota Trinitas habitat in homine, tanquam in hospitio suo, vnde Ioannis decimo-quarto: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* vnde toti Trinitati contumeliam facit, qui viro iusto, in quo ipse habitat, violentiam facit.

[Margin: Homicida filium Dei quomodo occidat]

De occisione iustorum hominum.

SEd ista ratio non videtur extendi ad mortem iniustorum hominum, & in rei veritate homicidium iustorum hominum, quantum ad aliquod periculosius est, quam homicidium iustorum, cùm scriptum sit, *Mors peccatorū pessima.* De morte verò sanctorum scriptum est. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Mors peccatorum pessima est, quia est

est velut quædam porta, per quam in infernum intratur, & est quidam transitus ad mortem æternam. Mors vero iustorum quędam porta est, per quã fit egressus de miseria huius vitæ: & ideo non solum magnum peccatum est homicidium iustorum: sed etiam impiorum interfectio, nisi hoc fiat imperio Dei. Imperio autem Dei fit, quando fit auctoritate legis diuinæ, aliter non placet Deo. Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat?* Et eiusd. 33. *Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat.* & Matth. 2. *Rachel plorans filios suos, noluit consolari, quia non sunt.* Vbi dicit gl. Eccl. plorat non tam pro morte translatos, quàm supplicio peremptos: supplicio inquam infernali. De morte vero iustorum dicit Sapiens: Non est lugenda mors, quam immortalitas sequitur. Peccatum homicidii est tantum, quod Cain ponderositatem eius non valens sustinere, dixit verbum desperationis, *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Mirum est, quod postquam humana natura coniuncta fuit & vnita diuinæ, quomodo aliquis ausus fuit manum mittere in hominem, vel eum occidendo, vel verberando, nisi diuino imperio, quod fit auctoritate legis diuinæ. Quando aliqua mulier nupsit alicui regi, omnes de regno illo deferunt etiam minimo de genere ipsius: quantum ergo deferendum est hominibus, cum humana natura maritata est filio Dei? Præterea si cruci tanta reuerentia exhibetur, quia coniuncta fuit corpori Christi per modicum tempus: quanta reuerentia exhibenda est humanæ naturæ, quæ vnita est diuinæ: ita quod nunquam ab ea separabitur? Et hæc sufficiant de peccato homicidii. De alia vero iniectione manuum iniusta, de qua videtur hic esse dicendum, nil dicetur: quia in magna parte sunt, eadem, quæ debent hominem cohibere à peccato isto, cum his quæ sunt dicta contra peccatum homicidii.

[Homici]... [grauior]... [itas.]

Pars IV.

De remedijs contra iram propriam & alienam.

Notandum quod contra iram alienam triplex potest esse remedium: Contra iram vero propriam octo assignabimus remedia. Primum remedium contra iram alienam, est mollis responsio. Vnde Prouerb. 15. *Mollis responsio frangit iram: sermo durus suscitat rixas:* & Prouerb. 25. *Lingua mollis confringet duritiem.* Et hoc vnum de miraculis spiritualibus quod molle facit durum. Vnde legitur in Vitis patrũ de abbate Machario: quod cum properaret ad quendam locum, discipulus eius præcedens ipsum obuiauit cuidam sacerdoti idolorum portanti lignum grande. Cui dixit discipulus Macharii: Quo vadis dæmon? At ille iratus percussit eum, ita quod ferè mortuum reliquit. Cui postea obuians Abbas Macharius ait: Salueris laborator, salueris. At ille. Quid in me boni vidisti, vt ita me salutares? Cui senex, Quia vidi te laborantem. Cui sacerdos: Et ego ex tua salutatione cognoui te seruum magni Dei. Sed quidam monachus male me salutauit, quem ego plagis affeci: & statim compunctus est sacerdos idolorum, petiitque veniam: & duxerunt vulneratum vsque ad cellã, & sacerdos idolorum monachus factus est, & dixit Hiero. Vide quid lenitas sermonis fecerit, & quid austeritas. Homo iratus est velut olla bulliens, Prou. 15. *Os fatuorum ebullit stultitiam.* Ideo aqua frigida mollis responsionis superfũdenda est, Eccles. 18. *Nonne ardorẽ refrigerabit ros?* Dulce verbum est velut ros refrigerans ardorem iræ: & sicut ex ore exit flatus, vnde ignis materialis accẽditur, & sputum vnde extinguitur; sic ab ore exit

Remedia iræ alienæ.

verbum durum vnde ignis iræ accenditur, & dulce verbum, vnde ignis iræ extinguitur. Ad quod videtur pertinere illud Eccl. 28. *Si sufflaueris, quasi ignis exardebit: & si spueris super illam extinguetur.* Vtraque ex ore proficiscuntur. Nec mirum, si duris verbis ignis iræ accenditur, cum collisio durorum corporum ignem materialem producat. Secundum remedium contra iram alienam est silentium. Vnde Prouerb. 26. *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis.* Velut ligna se habent verba, quæ respondentur homini iracundo, vnde ignis ira nutritur. Eccl. 8. *Ne litiges cum homine litigioso, & non struas ligna in igne eius.* Securius etiam esset omnino recedere ab irato, sicut aliquis recedit ab igne, quando non vult comburi, neque calefieri ab eo. Vnde Rom. 12. *Non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ.* Tertium remedium contra iram alienam, vel odium, est beneficium. Vnde Prou. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, da illi aquã bibere. Prunas enim congeres super caput eius.* Beneficia quæ inimico exhibetur, sunt velut prunæ accendentes inimicos eorum ad amorem, vnde legitur in Vitis patrum de quodam eremita nomine Theon, qui habebat gratiam sanandi ægros? & cum venissent latrones putantes eum habere multum auri, ipse fecit stare eos foribus affixos, & mane cum incolæ vellent eos comburere pro furto, ipse ait: Sinite eos abire illæsos, alioquin à me effugiet gratia sanitatum: & statim ipsi latrones conuersi sunt ad Dominum. Legitur etiam de quodam qui vocabatur Amon, qui in Ægypto in eremo morabatur, quod latrones ei auferebant panes, quibus ipse vescebatur. Vnde Amon præcepit duobus draconibus, vt custodirent ostium cellæ. Et cum latrones venissent ad ostium cellæ, videntes dracones obstupuerunt, quos inuenit Amon præ timore semimortuos, & fecit eis parari mensam, & compuncti facti sunt sancti homines.

De remediis contra iram propriam.

Sequitur de remediis contra iram propriam: Quorum primum est consideratio Dominicæ passionis. Gregorius: Si passio Domini ad memoriam reuocetur, nihil adeo durum, quod non æquo animo toleretur, quod remedium nobis insinuatum in libro Nu. 21. vbi legitur, quod filii Israel respicientes serpentem in palo, sanabantur à morsibus serpentum ignitorum. Vnus de serpentibus ignitis est ira, à quo quis sanatur, si diligenter intendat quid Christus pro eo in cruce passus sit. Tunc enim patienter sustinebit quidquid oportebit eum pro amore Christi pati. Secundũ est silẽtium: vnde super illud Prou. 12. *Fatuus statim indicat iram suam.* dicit gl. Natura iræ est, vt prolata magis ferueat, occultata languescat. & Prouerb. 26. *Qui imponit stulto silentium, iras mitigat.* Stultus est homo superbus, quasi stans altus, præcipue si iracundus sit. Homo enim iracundus non solum est stultus, sed etiam quasi insanus. Vnde si silentium ei imponatur, ira mitigatur. Ad hoc potest referri quod legitur in Vitis patrum de abbate Isaac, qui requisitus à quodam fratre quare dæmones eum timerent: Respondit, ex quo factus sum monachus statui apud me vt iracundia extra guttur meum non procederet: & ideo timent me ita dæmones. Legitur etiam de beato Achille, quod quidam senex venit ad eum, & vidit ipsum sanguinem expuentem, & requisiuit quid hoc esset. Cui abbas Achilles respondit: Sermo erat cuiusdam fratris qui me contristauerat, sed repugnaui vt non illum dicerem, sed petii à Domino vt tolleretur à me, & factus est ille sermo sanguis in ore meo. Et postquam expui eum, requieui, sed ipsam tristitiam & sermonem illum sum oblitus. Ad istud secundum remedium videtur pertinere illud Psalm. *Posui ori meo custodiã.* Psal.

Tertium remedium est, consideratio diuinæ ordinationis. Nullum malum pænæ potest inferri nobis, nisi diuina ordinatione, quod magnum solatium debet esse fidelibus. Omnis enim tribulatio velut oratio est, quam cælestis medicus, qui discretissimus est, & fidelissimus, habet quasi in vtre suo, iuxta illud Psalm. *Statui aquas quasi in vtre, & inde* Psal. 77. *dispensat eam filiis suis prout videt expedire.* Ideo mansuete & patienter toleranda est tribulatio. Istam rationem insinuat nobis Dominus Ioan. 13. dicens: *Calicem quem dedit mihi pater, non vis vt bibam illum?* Tribulatio etiam est quasi virga in manu matris amantissimæ: quia in manu Dei, qui filios suos diligit super omnem matrem. Esa. 49. *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Non est multum timenda virga, quæ est in manu matris amantissimę, scilicet misericordiæ Dei, præcipue quando aliquis sperat per virgam huiusmodi à gladio pænæ æternæ liberari. Ad hanc ordinationem respiciebat Dauid, de quo legitur 2. Reg. 19. quod cum semel malediceret sibi, & Abisai comminaretur maledicenti, ait Dauid: *Dimitte eum vt maledicat iuxta præceptum Domini.* Quartum remediū est, considerare vtilitatem quā habet tribulatio, quæ toleratur tam in præsenti, quàm in futuro. Hanc vtilitatē insinuat Dauid, quando dicit de persecutoribus: *Circundederunt me sicut apes.* Apes aculeo pungunt, sed ex alia parte mel tribuunt, & licet timeantur quia pungunt, amantur quia mel tribuunt. Sic persecutores licet pugnant dum tribulationem inferunt, tamen amandi sunt, quia mel cælestis dulcedinis quodam nodo conferunt. Materiam enim æternæ coronæ homini ministrant. Quintum remedium est, consideratio status in quo est iniurians. Insanus enim est, sicut prius est ostensum. Irrogata enim iniuria, ipsius est insania qui facit, vt dicit philosophus. Ideo compati debemus ei, potius quam irasci. Sextum remedium est, consideratio propriorum defectuum. Facilius enim quis portat defectus alienos, quando ipse suos nouit, quos oportet ab aliis portari. Vnde Pro. 19. *Homo indigens misericors est.* i. deo aliqui defectibus aliorum ira de facili irascuntur, quia suos non agnoscūt. Sen. Regum animos induimus. Illi obliti suę infirmitatis, alienæ deseruiunt, quasi iniuriam acceperint. Augustinus. Irasceris seruo tuo ne peccet, irascere tibi ipsi ne tu pecces. Septimum remedium est, consideratio finis nostri, mortis scilicet, & eorum quæ post mortem sequuntur. Vnde Eccl. 28. *Memento nouissimorum, & desine inimicari:* Et subditur: *Memorare timorem Domini, & ne irascaris proximo.* Octauum remedium est, consideratio propria impotētię. Multi sunt qui ideo iram seruant contra proximum suū, quia reputant dedecus esse non vindicare se de eo qui eis iniuriatus est: qui attendere debent, quod nec etiam potestatem habent defendendi se à muscis & à pulicibus. Vnde August. Homo tibi conuicium dicit, & tumes, & iratus es, pulicibus resiste vt dormias, &c.

Tribulationū vtilitas. Psal 87.

TRACTATVS IX. De peccato Linguæ.

Pars I.

De ordine dicendorum in hoc tractatu. Et de his quæ deberent monere hominem ad diligentem custodiam linguæ.

Linguæ vitium vitare quęmo ueant. Lingua orationis organum. Psal 4.

VLtimo inter peccata dicendum est de peccato linguæ, quia istud peccatum remanet post alia peccata. Multi cauent sibi ab aliis peccatis, qui non cauent à peccato linguæ. Agemus autē de peccato linguæ hoc modo. Primo age-

mus de custodia linguæ in communi. Secundo, enumerabimus diuersa peccata linguæ, & de vnoquoque eorum secundum ordinem prosequemur. Tertio vero tangemus de remediis cõtra peccatũ linguæ. Multa vero sunt, quæ deberent homines mouere ad diligentem custodiam linguæ. Primum est hoc, quod Dominus hominem in lingua honorauit prę cæteris creaturis. Nulli enim creaturæ dedit Deus linguã materialem ad vsum loquelæ, nisi homini: quod non paruus honor est, nec paruum beneficium. Si vero non credis beneficiũ istud esse magnum, cogita si mutus es, quantum beneficium putares si redderetur tibi loquela. Plus enim amares hoc, quam si daretur tibi infinita pecunia. Vnde valde ingratus est homo, qui Deum peccãdo inhonorat in membro illo, in quo Deus hominem præ cæteris creaturis honorauit. Secundum est hoc, quod lingua quantum ad vsum loquelæ, organũ est orationis: verbum vero nuntius est rationis, sicut dicit Augustin. & in solis habentibus orationem inuenitur naturaliter. Vnde à ratione regi debet & solum ad imperium rationis debet lingua exire ad actum loquelæ. Indecens est vt rationis nuntius sine ratione mittatur. Ex quo secũdum Psal. *Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, de iure posset ei à Deo auferri vsus loquelæ. Ad iumentum enim non pertinet loquela. Tertium est, quod oues, quæ non receperunt tantum beneficium in lingua, quantum homo, nec aliquam mercedem à Deo expectant, pro vsu linguæ suæ laudent creatorem suum. Vnde multum potest Deus offendi, si homo ei in lingua contumeliam irrogat, ex quo congregatio auium eum laudat. Quartũ est hoc, quod lingua est membrũ valde nobile, & in quo multum indecẽs est omnis immunditia. Nulla etiam immunditia maior est immunditia peccati, imo non reputatur corporalis immũditia comparatione ad peccatũm. Vnde Matth. 15. *Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem.* Diligenter ergo custodienda est lingua, ne à peccato inquinetur: qui etiam non plus timet inquinare linguam suam peccato, quàm cetera membra, porcus videtur potius quàm homo. Porcus enim rostrum in lutum ponit sicut & pedem, nec magis parcit ori, quàm pedi. Homo qui non timet inquinare os suum peccato, velut canis macelli est, qui labia solet habere sanguinolenta. Abominabilis etiam hominibus potest esse & Deo: quia permittit in os suum intrare ea, quæ immũdiora sunt muscis & pulicibus. Diabolum etiam permittit excreare sibi in gulam. Immunditia enim peccati sputum diaboli est. Multum turpis est, qui diabolum, qui immundissimus est, permittit nidificare in ore suo. Quintum quod deberet homines mouere ad diligentem custodiam linguæ, est officium ad quod lingua deputata est. Est enim deputata ad orandum, & ad Deum laudandum, ad susceptionem corporis & sanguinis Christi & ad proferenda verba sacra, quorũ quodlibet linguæ sanctitatẽ magnam requirit. Oratio magnam sanctitatem linguæ requirit: quia secundum Gregor. cum indignus ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Vnde lingua, quæ toties Deũ offendit, non de facili oratione exauditur. Laus etiam Dei similiter sanctitatẽ magnã requirit, *quia non est speciosa laus in ore peccatoris*: vt dicitur Ecclesiastic. 15. Dominicum etiam corpus quod in ore recipitur, sanctitatem magnam requirit: vnde sicut multum peccaret, qui in calice vbi corpus Christi recipitur, lutum immundum poneret: sic multum peccat, qui os suũ, in quo corpus Christi recipitur, per peccatum inquinat. Verba etiam sacra, quæ in ore hominis debent versari, sanctitatem similiter oris requirunt, cum sint reliquiæ Domini,

Lingua orationi deputata.

Vnde Matth. 7. sanctum vocatur, vbi Dominus ait: *Nolite sanctum dare canibus.* Si vestes quæ Dominicum corpus texegerunt, pro reliquiis habentur, multo plus verba quæ ex ore eius processerunt. Quod verba Domini reliquię sint, probant miracula spiritualia, quæ per ea fiunt. Cæci enim spiritualiter per ea illuminantur. Vnde Psalm. *Præceptum Domini lucidum illuminas oculos.* Et mortui
Psal.18. spiritualiter viuificantur. Vnde Ioann. 5. *Venit hora & nunc est quando mortui audient vocem filii Dei: & qui audierint, viuent.* Inter alia membra os maxime videtur esse deputatum diuino officio: & bene iustum esset, cũ Dominus omnia membra hominis fecerit, vt saltem vnum membrorum sibi mundum seruaretur vnde seruiretur ei. Sextum est hoc, quod lingua custodita, anima custoditur. Vnde Prouerb. 13. *Qui custodit os suum, custodit animam suam.* Homo qui os suum non custodit, est quasi ciuitas absque muro. Vnde Prouerb. 25. *Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Est etiam sicut castrum vel domus absque porta. Vnde legitur in Vitis patrum, quod quidam senex cum quibusdam fratribus ibat ad beatum Antonium, & audiuit multa ab illis in via de sacra scriptura, & de operibus manuum suarum, sed ipse per omnia tacebat: & cum venissent ad Antonium, dicit Antonius seni: Bonos fratres habuisti comites itineris tui? At ille: Boni sunt quidem, sed habitatio eorum non habet ianuam. Qui vult, intrat in stabulum eorum, & soluit asinum. Qui vult custodire castrum aliquod, oportet quod diligentiam habeat circa hostium portæ, vnde ibi turres solent fieri. Etiam in claustris ad portam custodes consueuerunt poni. Sic qui vult custodire animã suam, oportet quod diligentiam adhibeat circa custodiam oris. Homo etiam os non custodiens, est vas absque oper-

Oris custodia necessaria.

culo: & ideo immundus est, iuxta illud Num. 9. *Vas non habens operculum, neque ligaturam desuper immundum erit.* Est etiã velut equus absque fræno, & nauis sine gubernaculo. Vnde Iacob. 3. *Si quis frena in ora mittimus, ad consentiendum nobis omne corpus eorum circunferimus. Et naues quamuis magnæ sint, & a ventis validis mineantur, circumferuntur tamen à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat: id est, ad magna præmia vel tormenta ducit.* Septimum est pronitas ad malum, quæ in lingua est. Quam insinuat Iac. 3. dicens *Omnis natura bestiarum & volucrum & serpentum, & cæterorum, domatur, & domita sunt a natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest.* Et subditur. *Est enim inquietum malum plena veneno mortifero.* Et in eodem 3. *Lingua nostra ignis est, vniuersitas iniquitatis.* Vbi dicit Gloss. vniuersitas, quia per eam fere cũcta facinora aut concinnantur, vt latrocinia & stupra: aut patrantur, vt periuria, falsa testimonia: aut defenduntur vt cũ quilibet scelus suum excusat quod commisit. Lingua enim in humido siue in lubrico est, & ideo de facili labitur. Ideo scriptum est. Eccl. 14. *Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo.* Propter pronitatem ad malum, quæ in lingua est, ponitur sal in ore paruulorum qui baptizantur, ad ostendendum quod membrũ illud de facili putrefiat, & vermicus vitiorum scaturiat. Propter eandam causam Spiritus sanctus in linguis igneis apparuit, potius quam in manibus vel aliis membris, vt ostenderetur quod membrum illud maxime inflammatum erat igne infernali. Vnde necessarium erat multum vt igne cœlesti inflammaretur. Propter eandam causam, etiam quum manus & cætera membra in patulo sint, lingua tamen inclusa est quodãmodo à natura. Et merito, cum propter falsitatem suam & pronitatem ad ma-

Linguæ pronitas.

lum bene conclusione indigeat. Octauū quod deberet homines mouere ad diligentem custodiam linguæ, est hoc, quod lingua multū potens est ad nocendum. Quam potestatem nocendi vult ostēdere Iacobus, quando linguā ignem vocat. Iac. 3. *Ignis enim inter omnia elementa potentior est ad destruendum.* Eandem etiam potestatem insinuat, quando dicit quod lingua inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna: id est, suggestione diaboli, vt dicit Gloss. interlin. Rota autem natiuitatis vocatur vitæ præsentis cursus. Potestas nocendi quæ est in lingua, apparebit, si ostendatur quod noceat, & quantum noceat, quam velociter, & quot modis. Nocet autem lingua & ipsi loquenti, & ei cui loquitur, & ei, de quo loquitur. Ipsi loquenti nocet multipliciter. Primo, gratiam Dei auferendo. Vnde Bernard. Leuis res sermo: sed grauiter vulnerat, aptissimum euacuandis cordibus instrumentum. Aufert etiam gratiam hominum. Vnde Eccles. 20. *Sapiens in verbis amabilem se facit: gratia autem fatuorū effundetur.* Prou. 10. *Os stulti confusioni proximū est.* Eccles. 5. *Honor & gloria in sermone sensati: lingua imprudentis subuersio illius.* Nulla enim bestia adeo nocet hominibus, sicut lingua si non custodiatur. Os vnius mali consiliarii vel suggestoris quandoque destruit vnam totam patriam, quod non facerent centum lupi. Centum etiam templa spiritualia vel plura per iram accendit lingua vna. Lingua etiam vnius aduocati destruit abbatiam vnam vel archiepiscopatum vnum, dum facit illum poni in manus alicuius, qui ex parte diaboli est: vnde Eccl. 28. *linguā tertia multos cōmouit, & dispersit illos de gente in gentē. Ciuitates muratas diuitum destruxit.* Nocumentū vero quod facit lingua valde magnum est. Vnde Eccles. 28. *Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui interierūt per linguam.* Qui enim intereunt per linguam, mor-

Linguæ nocumenta.

te animæ intereunt: Illi autem qui gladio, corpore intereunt. Item in eodem: *Flagelli plaga liuorem fecit, plaga autem linguæ cōminuet ossa.* Cordin. letale vulnus infligit. Multis etiam modis nocet. Nocet enim occulte: & ideo comparatur serpenti. Vnde Psal. *Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum.* Nocet etiam remotis: ideo sagittæ comparatur Ier. 9. vbi dicitur. *Sagitta vulnerans lingua eorum.* Item ibidem 9. *Extenderunt linguam suam arcum mendatij & veritatis.* Lingua eius qui est in Gallia, nocet ei qui est vltra mare, dum eum infamat. Item existens in terra nocet ei qui est in cælo, dum Deum & sanctos blasphemat. Vnde Psal. *Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transiuit in terra.* Nocet etiam lingua proximo: & ideo gladio comparatur. Vnde Psalm. *Exacuerunt vt gladium linguas suas.* Et iterum. *Lingua eorum gladius acutus.* Velociter etiam nocet lingua. Vnde Bernard. loquens de illo verbo, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, dicit: Vtique tam veloces, quam velociter currit sermo. Vnus est qui loquitur, & tantum vnum verbum profert; & tamen vnum verbum vno momento multitudinis audientium dum aures inficit, animas interficit. Nonum, quod deberet mouere homines ad diligentem custodiam linguæ, est hoc, quod nisi lingua diligenter custodiatur, primò sæuit in dominum suum. Vnde Prouerb. 18. *Os stulti contritio eius.* Et 26. *Os lubricum operatur ruinas.* Decimum est cruciatus linguæ, quem sacra scriptura commemorat Luc. 16. vbi dicit diues, qui erat in inferno: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aqua: vt refrigeret linguam meam.* Gloss. Cruciatus linguæ specialiter exprimitur, vt peccatum linguæ specialiter declinetur. Similiter cruciatus linguæ exprimitur Apoc. 16. vbi sic le-

Psal.

Gla[...] com[...] ratu[...]

Psal.

Psal.

gitur : *Commanducauerunt linguas suas præ dolore, & blasphemauerunt Deum cœli præ doloribus & vulneribus suis.* Non dicit quod manducauerunt manus suas, sed linguas suas. Eadem de causa qua prius. Vndecimum est difficultas custodiendi linguam. Propter quam difficultatem legitur in Vitis patrum de quodam sancto, qui clamabat incessanter: Domine Deus meus, libera me à lingua: Ecclef.22.sic legitur: *Quis dabit ori meo custodiã, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me?* Et in Psalm. *Domine labia mea aperies, &c.* Et iterum: *Pone Domine custodiã ori meo.* Et Prouerb. 16. *Hominis est præparare animam, & Domini est gubernare linguam.* Duodecimum est vtilitas magna quæ sequitur ex custodia linguæ: quæ vtititas insinuatur. Prouerbiorum duodecimo, vbi sic legitur: *Vnusquisque de fructu oris sui replebitur bonis.* Non est autem aliquis ita pauper, qui in breui non possit ditari de fructibus oris sui, si illud diligenter excoleret. De his fructibus dictum est in tractatu de Acedia, in capitulo de Otio. Vtilitas bonæ linguæ innuitur Prouerb. 10. vbi sic legitur. *Vena vitæ os iusti.* Propter vtilitatem eius membri potius apparuit Spiritus sanctus in linguis, quàm in manibus, vel in aliis membris. Membrum enim vtilius voluit sibi eligere. Tertiumdecimum, est periculum quod accidit, nisi lingua custodiatur. Sine custodia enim linguæ non potest homo bonus fieri: & si bonus est, fit malus. Ad primum videtur pertinere illud Iob. 11 *Nunquid verbosus iustificabitur.* Et Gregorius. Vera sententia est quæ legitur: Cultus iustitiæ, silentium. & Leuit. 15. *Vir qui patitur fluxum sanguinis immundus est.* Ideo dicitur Iac. 1. *Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam à malo, sed seducens cor suum, huius vana est religio, quia vadit in nihilum.* Et in Psalmo. *Quis est homo qui vult vitam?* quasi aliquis respondisset, *Ego,* subditur, *Prohibe linguam tuam à malo.* Et Prouerb. 18. *Mors & vita in manibus linguæ.* Et Matth. 12. *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Ad periculum istud ostẽdendum valet quod legitur de Secundo Philosopho, qui cum redijsset à studio Atheniensi, & mater eius interpellaret eum de turpitudine, & instaret, ipse dixit: Non intrabo vnde exiui. Quod intelligens mater, dolore mortua est, & tunc dixit ille: Quid est optimum, & quid est pessimum verbum; & perpetuo silentio se damnauit. Si etiam aliquis est in bono statu, nisi linguam suam custodiat, cito corruet. Vnde Prouerbiorum duodecimo. *Propter peccata labiorum ruina proximat malo.* Ideo dicitur Ecclef. 8. *Beatus est, qui tectus est à lingua nequam.* Decimumquartum est, quod magna pars nostræ bonitatis est in custodia linguæ. Vnde Iacob. 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Decimum-quintum est, quod magna pars sapientiæ in moderatione ipsius linguæ consistit: vnde Prouerb. 17. *Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est.* Et eiusdem. 10. *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est.* Non solum prudens est vel prudentior, sed etiam prudentissimus. Prudens est, qui loquitur quando loquendum est. Vnde Ecclef. vigesimo. *Homo sapiens tacebit vsque ad tempus.* Prudentior est, qui loquitur talia, qualia debet loqui, vt qui loquitur verba pura à falsitate & à proximi nocumento, & à contumelia Dei. Vnde Prouerb. decimo-quinto *Sermo purus pulcherrimus est.* Prudentissimus vero est ille, qui modum seruat in verbis: qui scilicet dulciter loquitur absque clamore & asperitate, quod non parum est vtile. Vnde Prouerb. 16. *Qui sapiens est corde, appellabitur prudens: & qui dulcis est eloquio, maiora percipiet.* Magis enim proficiunt qui habent dulcedinẽ linguæ

quam qui habent sapientiam magnam in corde. Sed videtur quod potius Salomon debuerit dicere: Qui moderatur cor suum, prudentior est, quam qui moderatur, &c. Ad quod respondendũ est, quod nõ potest esse sermonis moderatio absque cordis moderatione. Folia enim non possunt se habere moderate radice commota. Et ille maxime dominatur animo suo, qui adeo habet suum in potestate sua: quod non licet ei vti armis suis etiam paratissimis in sua defensione, quæ sunt verba. Verbis quasi sagittis hostes de longè percutimus.

Sermonis moderatio absque cordis moderatione nõ possidetur. Prædicator verbi Dei quid debeat obseruare.

Quod in moderatione prædicationis habendus est respectus ad quinque.

NOtandum quod in moderatione prædicationis habendus est respectus ad quinque. Specialiter autem ad personam quæ loquitur. Vnde Prouerb. 17. *Non decent stultum verba composita, &* ad materiam de qua homo loquitur. Vnde Hier. Materias grandes ingenia parua non sustinent, & ad personam cui homo loquitur; quia sicut dicit Greg. secundum capacitatem auditorum & formandus est sermo doctorum & quantam ad prolixitatem sermonis; & quantum ad sublimitatem, sunt qui minus capacibus tot & tanta dicere volũt, quod ipsi nihil retinent. Isti volunt mittere dolium vnum vini in lagenam vnã, vel in scyphum vnum. Quarto respectus est habendus ad temporis opportunitatem. Vnde Eccl. 20. *Ex ore fatui reprobatur parabola, quia non dicit eam in tempore suo.* Et prouerb. 15. *Sermo opportunus optimus est.* Quinto habendus est respectus ad feruorem. Vnde Eccles. *Noli esse iustus multum. Sunt qui quærunt ensem ad muscam occidendam, & securim ad auum frangendum.* Quid scilicet ad minimam negligentiam cum tanto feruore mouentur, sicut si esset magnum peccatum: quod raro expedit fieri, & si in casu multum conandum sit etiam contra paruas negligẽtias. quando aliter corrigi non possunt. Greg. super Ezechie. Obsecro, disce qualiter vnumquemque alloqui debeas, quem corrigis vis; & noli in parte ista ambulare in sensu suo: imo in furore tuo. Decimo sexto debet mouere ad custodiam linguæ exhortatio sacræ scripturæ: vt est illud Eccles. 28. *Ori tuo facito ostia.* Et ibidem. *Verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos: & attende ne forte labaris in lingua.* Et Eccl. 5. *Ne temere quid loquaris, ne cor tuum sit velox ad proferẽdum sermonem coram Deo.* Et Prouerb. 4. *Remoue à te os prauum.* Decimo septimo debent mouere ad custodiam linguæ exempla. Vt est illud 1. Reg. 3. *Creuit Samuel, & Dominus erat cum eo: & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.* Et in discretione viri iusti dicitur in Psal. *Et folium eius non defluet.* Psal Et alibi in Psal. *Dixit custodiã vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Psal Decimooctauo debet hominem mouere ad custodiam linguæ hoc, quod oportebit verba nostra transire per districtum iudicium Dei. Ideo debent hæc verba nostra saltem transire per iudicium nostrũ: vnde in Psal. dicitur de lingua iusti, quod loquitur iudicium, id est sententiam examinatam, vt breuiter dicam, sicut per loquelam perpenditur vtrum aliquis sit Gallicus, vel Theutonicus, vel alterius nationis? vnde in Euangelio: *Vere tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit*; sic per loquelam perpenditur in aliquo vtrum sit bonus vel malus. Vnde Eccles. 4. *In lingua sapientia dignoscitur.* Idem Eccles. 17. *Ante sermonem non laudes virum. Hæc enim tentatio est hominum.* Hier. In pondere verborum probatio existit humanæ vitæ.

DE

DE VIGINTI-QVATVOR peccatis Linguæ.

PARS SECVNDA, QVÆ habet 24. Capitula.

Cap. I.

De ordine dicendorum in ista parte: & primò de blaſphemia.

DIcto de cuſtodia linguæ in cõmuni, conſequenter enumeranda ſunt diuerſa peccata linguæ, vt de his proſequamur. Ex quib⁹ viginti-quatuor enumerare ſufficiat, quæ ſunt blaſphemia, peccatum murmuris, peccati defenſio, periurium, mendacium, detractio, adulatio, maledictio, conuitium, contentio, bonorum deriſio, prauum conuitium, peccatum ſeminantium diſcordias, peccatum bilinguium, tumor, iactantia, ſecreti reuelatio, indiſcreta comminatio, indiſcreta promiſſio, otioſum verbum, multiloquium, turpiloquium, ſcurrilitas, & indiſcreta taciturnitas. Et primò proſequamur de quatuor primis, quia illis directè peccatur in Deũ. Inter quæ incipiemus de peccato blaſphemiæ, quia maius eſt. De quo peccato hoc modo agemus. Primò, notificabimus iſtud peccatum. Secundò, ponemus ea quæ valere poſſunt ad deteſtationem huius peccati. Tertiò, dicemus de perſonis, quæ videntur eſſe conſentientes blaſphemantibus. Quartò, tangemus aliquid ſpecialiter de ſpirituali blaſphemia. Notandum ergo ſecundùm Auguſt. Blaſphemia eſt, quando aliquid attribuitur Deo, quod Dei non eſt, vel quando negatur de Deo quod ipſius eſt, vel quando aliquis vſurpat quod Dei eſt. Nos autem hîc blaſphemiam intelligimus, verbum in contumeliam Dei prolatum, vt cùm aliquis iratus vindicare ſe volens de Deo, aliqua membra de ipſo nominat, quæ nominanda non ſunt.

[Margin: ...inguę ...eccata ... enu... ...eran... ...ur.]

De his quæ valent ad deteſtationem huius peccati, & de pœnis blaſphemorum.

MVlta verò ſunt, quæ poſſunt valere ad deteſtationem huius peccati. Primum eſt pœna, qua legitur Dominus puniſſe blaſphemos: de qua legitur Leuit. 24. *Ecce egreſſus filius mulieris Iſraelitidis, quẽ pepererat de viro Ægyptio, iurgatus eſt cum viro Iſraelita. Cumq; blaſphemaſſet nomẽ Domini, & maledixiſſet ei, adductus eſt ad Moyſen, miſeruntque eũ in carcerem, donec noſcerent quid iuberet Dominus, qui locutus eſt ad Moyſen: Educ blaſphemum extra caſtra, & ponent omnes qui audierũt manus ſuper caput eius, & lapidabit eum populus vniuerſus.* Et deinde promulgauit legem de pœna blaſphemorum, dicens: *Loquere ad filios Iſrael. Homo qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuũ, & qui blaſphemauerit nomen Domini morte moriatur, lapidibus obruet eum omnis multitudo populi.* De pœna etiam blaſphemię exemplum refert Gregorius in dialogo, quod quidam Romæ tenerè dilexit quendam puerum quinque annorum, qui conſuetus erat blaſphemare nomen Domini, ſtatim quando animo eius aliquid obſtitiſſet: quadam autem die cùm pater eius teneret eũ in brachiis clamauit puer, Nigri homines veniunt, qui me tollere volunt? qui cùm hoc dixiſſet, nomen Domini blaſphemauit, & animã reddidit. Si Deus in puero quinque annorum peccatum iſtud ſic vindicauit, nunquid parcet adultis & diſcretis qui hoc peccatum committunt? Peccatum iſtud punitur etiam frequenter à Deo in præſenti, vel ſpiritualiter, vel corporaliter. Spiritualiter, quia multoties ſubitanea morte moriuntur homines blaſphemis aſſueti. Vnde Prou. 20. *Qui maledicit patri vel matri, extinguetur lumẽ eius in mediis tenebris.* Patri maledicit blaſphemus, dum Domino maledicit. Matri etiam maledicit, dum triumphantem [Margin: Exemplum.]

Ecclesiam blasphemat, quæ mater nostra est, & ideò lux in mediis tenebris ei extinguetur, quia in peccatis suis morietur. Peccatum istud vix remittitur, iuxta illud Matth. 12. *Spiritus blasphemiæ non remittetur.* id est, vix remittetur. Vnde peccatum ad mortem vel in mortem dicitur. Eccl. 23. *Est alia loquela contraria morti, non inuenitur in hæreditate Iacob.* Promiserat auctor de loquela iuramenti, & subdit, *Est alia loquela contraria, &c.* Blasphemia contraria dicitur esse iuramento, quia in iuramento nominatur Deus: in blasphemia diabolus. In iuramento, quando fit eo modo quo debet, honoratur Deus, quando nomē eius ad confirmationem veritatis assumitur. In hoc enim Deus ostenditur veritatis cultor & auctor. In mortem verò blasphemia dicitur esse, quia frequenter moriuntur blasphemantes in peccato. Vnde blasphemi multum deberent rogare viros sanctos, vt orarent Deum, quod sibi dimitteretur peccatum istud. Non enim impetrat quicunque remissionem huius peccati: imò oportet hominem esse magni meriti, ad hoc quòd impetret alteri remissionem huius peccati. Vnde 1. Ioannis vltimo: *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis,* id est, quicunque. Pœna etiam corporali punitur peccatum blasphemiæ frequentius quàm aliud peccatum: vnde accidit quod lusoribus qui Deum blasphemant, facies quandoque præposteratur. Cuidam etiam militi, dum occasione ludi per oculos Dei iuraret, proprius oculus à capite exiliit, & in alearium cecidit. Secundò, potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur ingratitudo magna, quæ est in eo qui blasphemat. Dupliciter verò ingratus est blasphemans: & quia in membro illo Deum inhonorat, in quo Deus præ cæteris creaturis honorauit homines: scilicet in lingua, & quia membra illa infirmitatis humanæ, quæ propter salutem ipsius Deus assumpsit, ipse ad contumeliam Dei nominat, & ingratus est de beneficio Incarnationis, & quasi Deus non satis fuerit affectus contumeliis à Iudæis pro amore ipsius, ipse adhuc contumelias supra cōtumelias addit. In hoc deterior Iudæis, quia ipsi affecerunt eum contumeliis mortalem & infirmum, & in statu humilitatis: sed blasphemus Deum contumeliis afficit immortalem, & regnantem in cælis. Iudæi aliquantulum per ignorantiam excusantur. Nesciebant enim Deum esse, quem contumeliis afficiebant. *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* 1. ad Corinth. 2. Blasphemus verò eum contumeliis afficit, quem credit esse Deum. Tertiò, debet cohibere à peccato isto hoc, quòd blasphemus videtur esse deterior omnibus creaturis. Aliæ enim creaturæ Deum laudant & benedicunt, ostendendo eius potentiam, bonitatem, & sapientiam. Nec solùm Deum laudant, & benedicunt, imò etiam ad eum laudandum homines inuitant. Vnde Gregorius: Mirum est qualiter homo Deum semper non laudat, cùm omnis creatura semper ad eum laudandum inuitet. Vnde valdè miser est homo blasphemus, qui specialiter propter hoc linguam accepit, vt Deum laudaret, qui Deum non laudat, sed contra admonitionem aliarum creaturarum eum blasphemat.

Quibus circumstantiis pateat huius peccati magnitudo.

QVartò, debet cohibere à peccato isto, magnitudo huius peccati, quæ multis circunstantiis possunt manifestari. Primò ex hoc, quod in isto peccato infertur contumelia Deo in propria persona, cui alii peccatores contumeliam inferunt Deo in rebus suis. Fur vel raptor contumeliā inferunt Deo in possessionibus seruorum eius: homicidæ enim in seruis eius, sed blasphemus in-

fert ei contumeliam in propria perſona: & ideò non parum diſplicet Deo peccatum blaſphemiæ. Multũ diſplicet Principi, quando infertur ei contumelia in ſubditis eius, ſed amplius diſplicet, quãdo in eo, qui eſt de propria familia: ſed longè magis, quãdo in filio, vel in filia: ſed ſuper omnia iſta, quando infertur ei contumelia in propria perſona. Secundò, poteſt oſtẽdi magnitudo huius peccati per ſublimitatem perſonæ, cui blaſpemia infertur. Secundùm enim ſublimitatem perſonæ, cui infertur aliqua offenſa, augmentatur culpa. Offenſa magna eſt, cùm conuitiũ dicitur alicui burgenſi, ſed maior ſi dicatur militi: ſed longè maior ſi dicatur prĩcipi: ergo in infinitum maior eſt, ſi in infinitum maiori dicatur. Vnde cùm in peccato blaſphemiæ conuitium dicatur Deo, qui in infinitum maior eſt omni domino terreno, peccatum illud nimis magnum eſt. Tertiò, facit ad magnitudinem huius peccati hoc, quòd in peccato iſto Dei contumelia principaliter intenditur. Alii peccatores etſi contumeliam Deo inferant, tamen præter intentionẽ & voluntatem illorum eſt cõtumelia illa, & benè vellẽt abſtinere à contumelia illa, ſi poſſent habere delectationẽ quam quærunt abſq; contumelia illa. Sed blaſphemus in contemptum & contumeliam Dei blaſphemat, volens ſe vindicare de Deo, quum tamen Deus ſine culpa ſit. Quartò, facit ad deteſtationem huius peccati, peruerſitas magna quæ eſt in peccato iſto. Multum enim peruerſi ſunt homines blaſphemi, qui bona quæ agunt ſibi attribuunt, mala verò Deo abſcribunt, quum è contrariò, mala propter culpas eorum eis eueniant, bona verò ex gratia Dei recipiant. Quintò, facit ad deteſtationẽ huius peccati magnus cõtemptus qui eſt in blaſphemantibus, qui poteſt manifeſtari ex hoc quod ipſi dicunt, quod non poſſint ſe à blaſphemia cohibere. Si autem quæratur ab eis, vtrum aliquando conuitium dixerint Epiſcopo vel Archiepiſcopo, vel aliqui Principi, ipſi reſpondent quod non. Imò multi ſunt, qui dicerent ſe nunquam dixiſſe conuitium alicui garcioni, niſi ipſe prius dixerit eis: & tamen non poſſunt abſtinere, ſicut ipſi dicunt, ne Deo contumeliam dicant. Mira inſania! poteſt aliquis abſtinere, ne dicat contumeliam garcioni, niſi ipſe meruerit, tamen dicit ſe non poſſe abſtinere, quin Regi gloriæ contumeliam dicat, quum tamen ipſe nunquam ei conuitium dixerit, nec aliquid mali meruerit, magis proculdubio videtur talis contemnere Deum, quàm garcionem vnum. Sextò, facit ad magnitudinem huius peccati hoc, quòd iſtud peccatum eſt in Patrem cæleſtem, & ideò morte dignum eſt. Vnde Matthæi decimo-quinto: *Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.* Blaſphemi ſunt illa generatio, de qua legitur Prouerbiorum trigeſimo: *Eſt generatio quæ patri ſuo maledicit, & quæ matri ſuæ non benedicit.* Blaſphemi etiam aſſimilantur Cham filio Noe, qui verenda patris fratribus ſuis oſtendit. Propter quod filium eius maledictionem ſuſcepit. vt legitur Geneſis 9. Quintò, deberet cohibere à peccato iſto hoc, quòd blaſphemia peccatum diabolicum eſt, & quaſi loquela infernalis, cuius ſignum eſt horripilatio, quam fecit iſtud peccatum audientibus. Vnde Eccl. 27. *Loquela multum iurans, horripilationem capiti ſtatuet, & irreuerentia ipſius obturatio auriũ.* Vnde ſatis videtur quòd diabolus in blaſphemis loquatur, quãdo ex hoc audiens horripilationem habet. Sicut aliquis à Theuthonica lingua Theutonicus perpenditur, ſic blaſphemus ex loquela iſta de familia diaboli eſſe dignoſcitur, & ad infernum videtur pertinere. Vnde ſicut dictum eſt Petro Matthæi vigeſimo-ſexto: *Verè tu ex illis es, nam & loquela tua manifeſtum te facit.* Sic poteſt dici de blaſphemo: Verè tu de

inferno es: nam & loquela tua manifestum te facit. Illi qui in inferno erunt, blasphemabunt Deum propter magnitudinem doloris. Vnde Apocal. 16. *Blasphemauerunt Deum cæli pro doloribus & vulneribus suis.* Sicut filii Dei assuescunt hoc benedictioni & laudi diuinæ, volentes addiscere officium in terris quod facturi sunt in cælis: sic filii diaboli assuescunt blasphemiis, addiscentes in mundo isto officium quod facturi sunt in inferno. Sextò, deberet cohibere à peccato isto hoc, quòd blasphemia Dei conuicium est dictũ ei à proprio seruo illius, & ideò non de facili consequitur homo remissionem huiusmodi peccati. Vnde Eccl. 22. *Mittens lapidem in volatilia deiiciet illa: sic & qui conuiciatur amico dissoluit amicitiam. Ad amicũ etsi produxeris gladium, non desperes: est enim regressus ad amicum. Si aperuerit os triste, est ne metuas: est enim concordatio excepto conuicio & improperio, & superbia, & mysterij reuelatione, &c.* Ad literam, nobiles post magnas guerras, postquam in bello se læserint, amici efficiuntur. Si quis autem conuicium aliquod dixerit eis toto tempore vitæ suæ memores sunt conuicii illius. Si conuicium vnum dictum alicui cum tanta difficultate à corde illius recedit, quãtum timere possunt illi, qui regi gloriæ toties conuiciati sunt? Qui delectantur Deum blasphemando, Iudæis deteriores videntur, qui in consuetudine habebant, quòd audita blasphemia aures obstruebant sibi. Vnde super illud Act. 7. *Continuerunt aures suas,* dicit interlin. ne blasphemiam audierant. In signum etiam doloris scindebãt vestimenta sua. Vnde super illud Matth. 26. *Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua,* dicit glos. Mos est Iudæorum, cùm aliquid blasphemiæ audiunt, scindere vestimenta sua. Canibus etiam peiores videntur. Canis enim non mordet dominũ suum, nec dilacerat, ipsi verò dilacerant Dominum, dum Deum blasphemant. Ipsi eodem ore quo vinum à Deo creatum biberunt, incontinenti eum mordent, & contumeliis afficiunt, similes canibus rabidis, qui manum quæ sibi panem porrigit, mordent. Maius etiam peccatum videtur esse blasphemia, quàm hæresis. Hæreticus enim ea loquitur de Deo, quæ credit esse vera: blasphemus verò contra conscientiam suam de Deo dicit, quæ scit non esse dicenda.

Quàm culpabiles sint, qui blasphemos tolerant, cùm possint cohibere.

NEc solum blasphemi culpabiles sunt apud Deum, sed etiam illi qui tolerant peccatum istud, cùm prohibere possint: vt pater & mater, qui non corrigunt filios suos blasphemãtes, & quandoque hac de causa amittunt eos. Dominus enim eos interficit; vt patet exẽplo Gregorii prius posito in eodem capite. Similiter illi culpabiles sunt, qui permittunt contumeliam Deo fieri in domibus suis, cùm prohibere possint. Nullus homo timens Deum permitteret alicui, quem sanctum crederet, contumeliam inferri in domo sua, ex quo posset hoc prohibere. Quanto magis tolerare non debet vt contumelia creatori suo inferatur in domo sua, ex quo potest prohibere? Vix possunt homines sustinere, quod coram eis conuicium dicatur patri suo, vel domino terreno: quomodo ergo possunt hoc sustinere de patre suo cælesti? Nunquid culpabilis esset, qui permitteret in cellario suo templum alicui dæmoni fieri, & in ipso sacrificari? Nonne taberna, in qua luditur & blasphematur, verè diaboli templum est, in quo Deus inhonoratur, & diabolus honoratu? Quomodo ergo potest sustinere hoc, qui fidem veram habet? Domini etiam culpabiles sunt, qui in terra sua talia permittunt fieri. Sicut illi culpabiles sunt, qui in terra sua paganorum idololatriam tolerant. Blasphemia etiam idololatria deterior esse videtur in hoc,

Templum diaboli taberna est.

rinci- ım agna eruerſi s in ca endis ɔnis.

quòd idololatria honorem ſuum aufert Deo: ſed blaſphemia non ſolùm honorem aufert, ſed etiam contumeliam infert. Magna peruerſitas eſt principum, qui bona ſubditorum ſuorum accipiunt, quando Deus hoc prohibet, quando verò poſſunt accipere ad honorem Dei, & ſalutem animarũ, nolunt: Domini enim poſſent pœnam pecuniariam imponere meritoriè illis qui blaſphemant. Non ſunt etiam ſine culpa, qui locant eis taxillos, & ſimilia, & qui aſſiſtunt ludentibus & blaſphemantibus, quaſi velint habere de fœtore blaſphemantium. Iudæis deteriores in hoc, quod Iudæi obturant aures ſuas, auditâ blaſphemiâ, & ſigna doloris oſtendunt. Et vt breuiter dicam, in hoc diſtingui poſſunt filii Dei à filiis diaboli, quòd filii Dei poſſunt tolerare quòd pater eorum à blaſphemantibus ſagittetur; Filii verò diaboli non curant, quando vident Deum ita ſagittari. Quod tali exemplo poteſt oſtendi. Fuit quidam vxorem habens, & ex ea tres filios, ſecundùm opinionem ſuam. Cui vxor eius, cùm quadam die litigaret cum eo, obiecit, quod ipſi credebat habere tres filios, ſed vnus tantùm erat ſuus. Requiſita verò ab eo quis ſuus eſſet, noluit ei indicare. Deinde cùm pater infirmaretur ad mortem, & vxor defuncta eſſet, ipſe faciens teſtamentum omnia dimiſit illi qui filius ſuus erat. Poſt mortem verò eius contentio facta eſt inter illos tres, quos ipſe tanquam filios ſuos nutrierat, cuius eſſet hæreditas. Quilibet enim dicebat quod ipſe filius erat, & quod ſua debebat eſſe hæreditas. Vnde cùm delatum eſſet ad iudicem, præcepit iudex vt pater mortuus alligaretur ad arborem, & ille qui directius ſagittam in eum mitteret hæreditatem haberet: vnde alligato patre ad arborem, duo ex illis ſagittauerũt eum. Tertius verò videns patrem ſuum ſagittari, offenſus eſt vltra modũ contra alios duos, & dixit, quod patrem ſuum nullo modo ſagittaret. Ex quo cognitum verè eſt, quod ipſe filius erat ipſius, & data eſt ei hæreditas. Simile iudicium fecit Salomon 3. Reg. 3. de duabus mulieribus, quæ litigabant de puero vno. Illam enim perpendit eſſe matrem, quæ non potuit tolerare pueri interfectionem. Sic filij Dei non poſſunt tolerare, quod blaſphemantes patrem eorum ſagittent.

liorũ iumde æredi- te in- r ſe ſcepta o.

De duplici blaſphemia, ſcilicet oris & cordis.

Et notandum quòd duplex eſt blaſphemia. Quædam eſt oris, & quædam eſt cordis. De blaſphemia cordis legitur in vitis Patrum, quod quidam frater impugnabatur ſpiritu blaſphemiæ, & cùm ſæpè pergeret ad ſenes, & ad Abbatem Parmenem pro cura illius, & non aperiret cauſam, Abbas Parmenes videns eum habere cogitationes blaſphemiæ, dixit: Quid habes? At ille aperuit quòd impugnaret eum ſpiritus blaſphemiæ Et ſtatim vt aperuit, apparuit impugnatio leuior. Cui Abbas Parmenes: Quando hæc cogitatio te arripuerit, dic: Ego cauſam non habeo, blaſphemia tua ſit ſuper te, ò Satan. Hanc enim cauſam anima non vult. Et innuitur in verbis duplex cauſa, propter quam non ſit tantum periculum in hac blaſphemia ſicut multi credunt: non enim habet delectationem cogitatio blaſphemiæ, propter quam ipſa placeat homini, ſed vehemens timor offenſæ diuinæ adducit cogitationes iſtas. Sicut homini timido in tenebris exiſtenti & ſolitario, velit nolit adducit timor terribilia ad cor ſuũ, & nimius amor quem habuit mater ad filium, adducit ei memoriã ipſius, quando defunctus eſt, licet etiam ipſa nolit. Præterea diabolus, quia ſcit quod diſplicet viro iuſto cõuitium, & contumelia Dei, interdum loquitur conuicia Dei in homine, ipſo homine audiente: & blaſphemia illa diaboli eſt, non homi-

nis, & meretur homo in hoc, quòd displicet illi blasphemia illa: & hæc dum insinuatur exemplo prædicto, cùm dicitur blasphemia tua: & cum dicitur, hanc enim causam anima non vult. Summum autem remediũ contra vitiũ hoc, est occupatio, quæ animũ impleat, & contemptus blasphemiæ talis. Debet enim homo parum appretiare cogitationes tales.

Cap. II.

De peccato murmuris, & ordine dicendorum de eo, & de his quæ faciunt ad eius detestationem.

Murmur quid sit. SEquitur de peccato murmuris. Est autem murmur oblocutio, indebito modo facta contra Deum vel factum alicuius. Specialiter autem dicemus de murmure, quod fit contra Deum, vel contra eum, qui est loco ipsius. Dicemus autem hoc modo de hoc peccato. Primò, ponemus ea quæ possunt valere ad detestationẽ ipsius. Secũdò, tãgemus diuersas diuisiones murmuris. Tertiò, verò specialiter agemus de murmure claustralium. Quartò, verò de remedijs contra peccatũ murmuris. Ad detestationem verò huius peccati posssũt valere verba sacræ scripturæ, quæ dissuadẽt nobis hoc peccatũ, vt est illud Sap.1. *Custodite vos a murmuratione, qua nihil prodest.* Detestãdũ malũ. Murmur quod fit contra ea quæ Deus facit, nihil prodest homini: imò plurium nocet. Non enim propter murmur cessat tribulatio: sed quod potuit esse meritorium, propter murmur fit demeritorium. Inquinatur homo vnde debuit mundari, & destruitur vnde debuit emendari. Vnde: *Destruxisti eum ab emũdatione vel, emendatione.* Item Iob. sexto: *Nolite murmurare inuicem.* & 1. Corinth. decimo: *Neque murmuraueritis.* & ad Philipenses secundo: *Omnia facite sine murmurationibus.* & 1. Petr. 4. *Hospitales inuicem sine murmuratione.* Secundò, possunt valere ad detestationem huius peccati, exempla; vt est exemplum Christi, de quo Esaiæ 53. *quasi agnus coram tondente se, obmutescet,* & exempla sanctorum, de quibus cantat Ecclesia: *Nõ murmur resonat, non quærimonia:* & iterum: *Ecce homo sine querela:* & Sapientiæ 18. *Properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum, orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit ira:* & Lucæ primo legitur de Zacharia, & vxore sua, *quod erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Tertiò: potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quod murmuratores maledicti sunt. Vnde Ecclesiast. vigesimo octauo: *Susurro & bilinguis maledictus. Multos enim turbauit pacem habentes.* Quartò, potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quod murmuratores odibiles sunt Deo. Vnde ad Romanos 1. *Susurrones & detractores Deo odibiles.* Quintò, potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quod nescimus quid nobis magis expediat. Alicui enim magis expedit aduersitas, quàm prosperitas: ideò nullus de aduersitate murmurare debet. Vnde Ecclesiast. 39. *Non est dicere, hoc melius illo est. Omnia enim tempore suo comprobabuntur.* Sextò, potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quod quum simus filii Dei, ratione creationis, & redemptionis, ideò non debemus murmurare quidquid placeat sibi facere de nobis. Bernardus. Iustè sibi vendicat meam vitam, qui pro me posuit suam. Apostol. Rom. 14. *Siue morimur, siue viuimus, Domini sumus.* Idem: *Empti e[st]is pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* 1. ad Corinthios 6. Augustinus, Scit cælestis medicus quid nobis daturus sit ad consolationem, & quid subtracturus ad exercitationem. Non enim homo sine causa iumento suo cibaria detrahit, & Esa. 45. *Væ qui contradicit factori suo.* Et post, *Nunquid dicit lutum figulo suo, quid.*

facis? Et 29. *Peruersa est hæc cogitatio, quasi lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, Quid fecisti me?* Septimò potest valere ad detestationem huius peccati vindicta, quam Dominus legitur sumpsisse de peccato isto. Legitur Numerorum duodecimo, quòd Maria soror Mosy lepra percussa est, propter peccatum murmuris. Propter peccatum istud Dathan & Abiron à terra sunt absorpti, vt legitur Numerorum decimo-sexto: & Core igne consumptus est: vt legitur ibidem. Propter peccatum etiam illud misit Dominus ignitos serpentes in filios Israël. Propter peccatum istud maior pars filiorum Israel in deserto periit. Vnde Num. 14. *Omnes qui numerati estis à quindecim annis & supra, & murmurastis cōtra me, non intrabitis terram super quam leuaui manū meam, vt habitare vos facerem, præter Caleb filium Iephone & Iosue filium Nun.* Murmurante etiam populo contra Dominum de labore, ignis Domini deuorauit extremam castrorum partem, legitur Num. Et vt breuiter dicam, sicut dicit auctoritas. Nulla re Deum Magis offendisse dictus est populus ille, quam murmurando. De pæna etiam murmurantium in futuro, dicit Iud. in epistola sua: *Hi sunt murmuratores, querulosi secūdùm desideria sua ambulantes.* Et præmittit pœnam dicens: *Quibus procella tenebrarum seruata est.* Gregorius, Regnum cælorum nemo qui murmurat accipit, nemo qui accipit murmurare potest.

De tribus diuisionibus murmuris.

SEquitur de diuisionibus murmuris. Quarum três ponere sufficiat. Prima talis est. Est murmur inuidiæ, murmur superbiæ, murmur auaritiæ, murmur impatientiæ, murmur sanæ conscientiæ. De primo sic legitur Mat. 20. *Et accipientes murmurabāt aduersus patrem familias, dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt: & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus.* De secundo legitur Luc. 7. *Videns Pharisæus, qui vocauerat eū, ait: intra se: Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tāgit eum, quia peccatrix est.* De tertio legitur Ioan. 12. *Quare hoc vnguentum non venditur trecentis denariys?* De quarto Num. 11. *Ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum.* Quintum murmur est, quando aliquis murmurat de hoc, quod aliquis iniustè vult cogere eum ad hoc quod contra Deū est. Et illud murmur videtur esse significatum per murmur asinæ murmurantis contra Balaam. De qua legitur Num. 22. *Aperuit Dominus os asinæ & locuta est, Quid feci tibi? cur percutis me? Ecce iam tertio* volebat cogere Balaam asinam, ad id quod erat contra Domini voluntatem. Ad hanc speciem pertinet murmur cōscientiæ murmurantis contra peccatum. Item potest diuidi murmur in murmur de bonis quæ conferimus, & murmur de illis quæ sustinemus. Primum murmur dissuadetur Ecclesiast. decimo-octauo, vbi legitur: *In bonis ne des querelam, & in omni dato ne des tristitiam mali verbi.* De alio murmure legitur Ecclesiast. 10. *Vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus.* Prudens est qui futura præuidet, scilicet præmia & tormenta, & talis non murmurat de flagello. Libenter enim virgam tolerat, quæ à gladio pœnæ eternæ eum conseruat. Patienter etiam ab eo sustinet flagellari, à quo cælestem hæreditatem expectat. Disciplinatus etiam, qui circa vtilitates tribulationum est instructus, similiter non murmurat de correctione. Tertiò, diuisio murmuris est in murmur contra Deum, & murmur contra proximum. Murmur verò contra Deum multiplex potest esse: vel de infirmitate, vel de paupertate, vel de temporis importunitate, vel de prosperitate malorum, & aduersitate bonorum, & similibus. Vnde fatuum est murmurare de infirmitate, cùm vtilior

sit frequentius infirmitas, quàm sanitas. Vnde in vitis Patrũ, cùm quidam peteret à Ioanne Eremita, vt à tertiana sanaretur, ipse respondit: Rem necessariam tibi cupis abiicere. Vt enim corpora intus, ita animæ languoribus purificantur, & castigationibus, & tamen postea dedit ei oleum benedictum, & sanatus est. Item quidam miles rogauit quendam sanctum virũ, vt à morbo liberaret eum precibus suis. Sed audito ab eodẽ, quòd melior esset in ægritudine, quàm in sanitate, dixit vir sanctus: Ora Dominum, vt seruet te in statu, in quo magis humilieris. Fatuum etiã est depaupertate murmurare, cùm sciamus pauperes electos esse ad regnum æternum. Iacob. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mũdo, diuites in fide, & hæredes regni?* De importunitate etiam temporis fatuum est murmurare. Et propter hoc qui facit, nunquam pacem habebit. Vnde Iob. 9. *Quis resistit ei, & pacem habuit?* & propter hoc, quia Deus scit melius quid expediat mundo, quem ipse habet regere, quàm alius, & quandoque expedire videntur quæ non expediunt. Vnde quidam Eremita seminauerat olera, & visum est sibi pluuiã necessariam esse oleribus suis, & petijt à Deo & obtinuit. Deinde visum est ei serenitatem necessariã esse oleribus suis, & petiit, & obtinuit. Et vt breuiter dicam, tale tempus dedit ei Dominus quale voluit, & tamen nec vnum olus de terra exiuit: qui credens vniuersalem defectum olerum in anno illo, patienter sustinuit. Sed cùm declinasset ad domũ eremitæ alterius, & pulcherrima olera ibi vidisset, multũ n admiratus est. Et enarrauit Eremitæ illi quę ei acciderant. Cui Eremita respondit: Meritò hoc aduenit tibi: putabas te sapiẽtiorem Deo, qui ei indicabas quid facere deberet. E contrario verò magnæ pacis occasio esset, & quandoque etiam magnæ abundantiæ bonorum temporalium, si quis voluntatem suam in talibus voluntati

Murmurare de paupertate & tẽporis importunitate stultum est.

diuinæ conformaret. Vnde refertur de quodam agricola, qui semper habebat in agris & vineis suis vberiores fructus, quàm alij. Et cùm requireretur à vicinis, quare hoc esset: respondit, non esse hoc mirum, si fructus vberiores haberet, cùm semper haberet tale tempus, quale ipse vellet. Super quo cùm alii mirarentur, & inquirerent quomodo hoc esset? Respondit: Ego nunquam volo aliud tempus habere, quam Deus velit: vnde cùm tale sit tempus quale Deus vult, semper habeo tale, quale ego volo. In pace magna erat vir ille: quia voluntatem suam conformauerat volũtati diuinæ. Et propter hoc bonorum temporalium habebat abundantiam. Cùm artifices ita offendi soleant, quando instruũtur in operibus, in quibus ipsi periti sunt: non est mirum, si multũ Deus offendatur, quando de operibus suis ita à quibuscunque diiudicatur. Non est aliquis artifex, qui non offenderetur vltra modum, si de operibus suis tantum diiudicaretur, sicut iudicaretur de operibus Dei. De prosperitate verò malorum & aduersitate bonorum, multum videntur murmurasse sancti. Vnde Iob 21. *Quare impij viuunt, sublimati sunt, confortatique sunt diuitijs? &c.* Ierem. 12. *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt?* & in Psalm. *Mei autem penè moti sunt pedes, quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns.* Et Habacuc. 1. *Quare respicis contemptores, & taces, conculcante impio iustiorem se?* Et in Psalm. *Vsquequo peccatores Domine: vsquequo peccatores gloriabuntur?* Et Malach. 3. *Vanus est qui seruit Deo, & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius?* Sed cessat murmur illud, si quis respiciat causam quare hæc fiant. Fidelis medicus ægro desperato vniuersa concedit quæ ipse appetit. Ægro verò, de cuius salute spes habetur, multa negat. Sic Dominus reprobis abundantiam bonorum temporalium tribuit, vt si qua bona

Murm… ratse… cont… mal… hom… nũ f… ces… cessa… vidẽ… sanct… Psal… Psal…

ista egerunt, in mundo isto mercedem recipiant. Et secundum Gregor. Iste successus bonorum temporalium signũ est æternæ reprobationis. Similiter secundum Gregor. mactandi vituli in liberis pascuis relinquuntur, seruãdus iugo premitur: ita mali per amœna prata ad foueam, bonus per aspera ad patriam venit. Omnia mala pœnæ sine murmure toleranda sunt, quia iusto Dei iudicio & ordinatione eueniunt. Eccles. 8. Non iudices contra iudicem, quoniam secundum quod iustum est, iudicat.

De murmure claustralium.

SEquitur de murmure claustralium: De quo specialiter tangemus, quia hoc peccatum multum infestat claustrales. Peccatum murmuris quandoque fuit Iudæorum, sed modò dicitur esse monachorum. Notandum ergo quod claustralis murmurans de cibo vel potu, deficit in ipso principio belli spiritualis. Principium belli spiritualis est contra gulam: Vnde super Matth. 4. dicit gl. In pugna Christi prius contra gulã agitur: quia nisi hæc prius refrænetur, frustra contra alia vitia laboratur. Talis claustralis in primo conflictu dicit vltimum verbum siue malum verbum, ab ancilla deuictus, carne scilicet. Quod magna vilitas est. Hieronym. Nihil vilius quàm à carne vinci. Cum de viro iusto cantetur: *Ecce homo sine querela, verus Dei cultor.* De tali claustrali dici potest: Ecce homo plenus querela, ventris sui cultor. Tales enim non Domino Iesu Christo, sed ventri suo seruiunt, secundum verbum Apostoli ad Rom. 16. *Ipsi de ventre suo Deum fecerunt*, Iuxta illud Philip. 3. *Quorum Deus venter est.* Dum vero murmur proferunt, quasi Pater noster Dei sui, scilicet ventris dicunt. ipsi etiam vasa vacua à gratia Dei se ostendunt, dum murmur in eis resonat, & dum ad ignem tribulationis crepant, satis apparet quod aqua diuinæ gratiæ in eis non sit. Ad literam: olla vacua ad ignem crepat, & dolium vacuũ multum resonat, plenum vero non sic. Isti enim debent Domino escam apponere cum grata salsa hilaritatis. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Iuxta verbum Apostoli 2. ad Corinth. 9. Ipsi vel murmuris in escam eius ponunt pro salsa, vt vere Dominus possit de eis dicere: *Dederunt in escam meam fel*, quasi non legerint de Domino, *quod cum gustasset acetum felle mistum, noluit bibere.* Tales respiciunt retro sicut vxor Lot, & in statuam salis vertuntur. Statua videtur esse homo, & non est sic. Tales videntur monachi esse, & non sunt. Vnde Pastor in Vitis patrum: Qui querulosus est, monachus non est. Claustralis murmurans est rota non bene vncta vnctione gratiæ: & ideo murmurat sicut rota carri. Vnde Eccles. 33. *Præcordia fatui quasi rota carri.* Claustralis etiam murmurans omne bonum claustri dat pro modico fœni ad opus iumenti sui. Omne bonum claustralium est pax. Vnde super illud, *Pax super Israel*, dicit expositor, Omne bonum vno verbo dixit. Claustralis etiam murmurans intromittit se de hoc quod ad ipsum non pertinet. Ipse enim iam suus non est, sed Dei, vel abbatis sui. Nec solum Dei est ratione creationis vel redemptionis, sed etiam ratione suæ redditionis. Vnde quando se intromittit de se, de re aliena se intromittit. Vnde Bernard. Qui curam vestri semel nobis commisistis, quid adhuc vos de vobis intromittitis? Claustrali murmuranti dicit Dominus illud Ioan. vlt. Quid ad te? tu me sequere. Claustralis etiam murmurans, auctoritate propria vult dispensare sibimet de cruce religionis, quam assumpsit, contra omnia iura. Bernard. Suspecta est mihi, fateor, tua ipsius dispensatio, & vereor tibi illudi sub tegmine & nomine discretionis à carnis prudentia. Claustralis etiam murmurans Christo postposito discipu-

Est rota inũcta.

lus factus est Galeni. Vnde Bern. Dominus docet perdere animas. Galenus & Hypocrates saluare: cuius consilio potius acquiesces? aut cuius vis esse discipulus? Idem, putate quæso monachum, non medicum, ne de complexione iudicandum, sed de professione. Claustralis etiam murmurans, quendam cæcum, qui cum in foueam multoties præcipitauit, ducem sibi constituit. Iste cæcus est proprius sensus, qui in foueam peccati multoties pręcipitauit, quem tamē adhuc vult sequi. Talis claustralis ad Deum tergum vertit, & ad iumentum suum faciem, potius eligens voluntatem facere sui corporis, quàm Dei. Ipse etiam vult æque abundanter victum & vestitum habere in præsenti, sicut illi, qui nullam aliam retributionem expectant in futuro, quasi pro nihilo reputet terram desiderabilem quæ ei pro mercede danda est, cum tamen consuetudo communis habeat, quod operariis, quibus magna merces soluitur, in vespere de victu non prouideatur: aliis autem, quibus alia merces in vespere non soluitur, prouidetur. Mirari debent qui vident claustralēm murmurantem, quasi viderent iumentum loqui, cum claustralis iumentum debeat esse, iuxta illud, *Vt iumentum factus sum apud te.* Vnde cum quidam volens ingredi religionem, quæreret à B. Bernardo, quid sibi maxime esset necessarium: ipse dixit ei, Vis esse asinus? Illo quærente quomodo posset hoc esse, respondit: Qui vult esse in religione, debet quodlibet opus sibi iniunctum facere, indifferenter comedere: & is est modus asini. Sed in quibusdam claustris adeo assueti sunt huic monstruositati, quod non pauent cum audiunt claustrales murmurare. Sicut dicitur de Balaam, quod adeo assuetus erat monstris, quod non expauit ad vocem asinæ. In vno casu videtur claustrali licitum murmurare: quando scilicet præcipitur ei aliquid voluntati diuinæ contrarium. In simili etenim casu asina Balaam murmurauit. Item cum murmur sit loquela veteris hominis, vetus autem homo mortuus debet esse in claustro: mirandum est de murmure claustralium, ac si mortui homines loquerentur. Claustralis debet esse mortuus mundo, & iam habet sudarium indutum. Habitus enim claustraliū sudarium eorum est, cum in eo sepeliantur. Monachi etiam cum benedicuntur, non debent loqui per nouem dies, in signum quod mortui sunt: ideo murmur omnino longe deberet esse à claustralibus, quidquid eis fieret; sicut à mortuis hominibus.

De quatuor remedijs contra peccatum murmuris.

SEquitur de remediis contra peccatum murmuris. Et possumus contra hoc peccatum quatuor remedia assignare. Primum est exemplum Christi. Vnde August. Omnia terrena contempsit homo Deus, vt ab omnibus contemnenda monstraret: & omnia aduersa sustinuit, vt sustinenda doceret, vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur aduersitas. Secundum remedium est, quod homo cogitet murmur, quod fit de malo pœnæ alicui illato, murmur esse contra Deum, cum omne malum pœna à Deo sit. Vnde Exod. 16. *Non contra me murmur est istud, sed contra Dominum.* Et Num. 14. *Vsquequo multitudo pessima murmurat contra Dominum?* Ideo quidquid infertur à persecutoribus patienter tolerandum est: & potius debet homo habere oculum ad Deum, qui habet persecutorem in manu sua, quam ad ipsum persecutorem. Cuius formam dedit nobis Dominus in cruce, quando dimissis persecutoribus dixit: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Matth. 27. Vnde super illud, *Timeat Dominum omnis terra.* dicit Augustinus. Si creaturæ sæuiant, Deum ti-

me, non illas, quia omnia sub ipso sunt. Item gloss. Cupiditatem nocendi perite habes: potestatem autem nocendi, si ille non dat, non habes. Ideo Deus homo ante hominem stans ait Ioan. 19. *Non haberes in me potestatem, nisi esset tibi datum desuper.* Nec etiam ipse diabolus vel vnam ouiculam potuit tollere viro sancto Iob, nisi prius diceret, *Mitte manum tuam*: hoc est, da potestatem. Tertium remedium est, quod homo cogitet intentionem, qua Deus permittit filios suos aduersitatibus flagellari. Qui enim magnum amorem cogitaret ex quo Dominus filios suos flagellat, ipse non murmuraret. Vnde Gregorius: Ille solus de flagello murmurat, qui causam percussoris ignorat. Et Apocalyp. 3. *Ego quos amo, arguo & castigo.* Quartum remedium & præcipuum est gratia Dei. Cum enim murmur prouenit ex defectu cælestis vnctionis in corde hominis, summum remedium est postulare vnctionem cœlestis gratiæ, vt faciat murmur istud cessare, & non vnctionem carnalis voluptatis, quæ licet ad tempus murmur cessare faciat, tamen in posterum magis reddit querulosum. Vnde ad Hebr. vltim. *Optimum est gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* Æque de facili posset homo impetrare à Deo gratiam per quam talia contemnerentur, si quis ex corde eam peteret, sicut ab homine ea, pro quibus murmurat. Senec. Quare potius impetrem à fortuna quod det, quàm à me ne petam.

Capvt III.

De defensione proprij peccati, & de his quæ possunt valere ad eius detestationem.

SEquitur de tertio peccato linguæ, scilicet de defensione proprii peccati, quo vitio multum laborat humanum genus: quod figuratum est Genes. tertio: vbi legitur de parentibus nostris, quod cum cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Ad detestationem huius peccati. Primo possunt valere verba sacræ scripturæ dissuadentia illud ad Romanos duodecimo. *Non vosmetipsos defendentes charissimi.* Et super illud, *Nolite exaltare cornu*, dicit Glossa. Si iam fecistis iniquitatem per cupiditatem, non defendatis per elationem. Secundo possunt facere ad hoc exempla sanctorum, qui culpabiles se agnoscunt, vbi etiam culpabiles non sunt. Gregorius. Piarum mentium est ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est. Prouerb. decimooctauo *Iustus prior est sui accusator.* Et Genes. 27. Iacob qui lenis erat, nuda colli & manus pellibus hœdinis texit: in signum, quod vir iustus etsi innocens sit, peccatorem tamen se debet reputare. Et Genes. 44. Scypho inuento in sacco Beniamin. Iudas qui tenet figuram confessionis, accusauit se, licet sine culpa esset de illa re, dicens ita. *Quid respondebimus Domino nostro, &c.* Et subdit: *Deus inuenit iniquitatẽ seruorum suorum.* Ille etiam qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore, eius signa peccati habere voluit, voluit enim circuncidi, & cum iniquis reputari. Tertio potest valere ad hoc, si ostendatur quãti meriti sit humilis confessio & accusatoria. Vnde Gregorius. Non minus admiror humillimam confessionem peccatorum, quam sublimia gesta virtutum. Item in Psalm. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiã meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Prouerb. decimo quinto. *Responsio mollis frangit iram.* Mollis responsio, est suiipsius accusatio, quæ multum frangit iram Dei. Item super illud, *Iniustitias meas non abscondi, &c.* dicit Gloss. Quando homo detegit, Deus tegit: cum homo tegit, Deus nudat: cum homo agnoscit, Deus ignoscit. Item latro regnum in

Proprii peccati defẽsio detestabilis.

Peccati defẽsio Deo displicet.

in cruce meruit, qua se accusauit. Vnde Augustinus loquens de illo verbo, Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei, dicit: Latro in cruce quare meruit? quia illam viam tenuit, vbi ostenditur salutare Dei, à qua tibi pes non exeat. In eo enim quod se accusauit, Deum laudauit, & super illud: *Veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit.* dicit Augustinus, quasi diceret Deus: Parcamus ei, quia non parcit sibi: ignoscamus ei, quia non ignoscit sibi. Quarto potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quod peccatum istud multum impedit peccatorem: non enim vult Deus à peccatis suis liberare illum qui defendit ea. Vnde Aug. Tu factus es peccati tui defensor, quomodo erit Deus liberator? Vt sit ipse liberator, & tu esto accusator.

De stultitia illius, qui peccatum suum defendit.

Peccati proprij excusatio stultorum est.

QVinto potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur multiplex eius stultitia, qua peccatum suum defendit. Et primo stultus est talis, quia ipse defendit pessimum hostem quem habet. Peccatum ostenditur esse pessimus hostis, quē homo habeat, ex hoc quod nullus alius hostis, nec homo, nec diabolus potest nocere homini, si ab hoc hoste sibi cauerit. Greg. Nulla enim nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Secundo verè stultus est, qui defendit peccatum suum: quia cum abyssus miseriæ abyssum inuocet misericordiæ, ipse debuit miseriam suā plene exprimere, vt amplius misericordiā Dei posset mouere: ipse vero miseriam attenuat, quasi nolit quod miseria sua misericordiā Dei moueat. Non sic faciunt pauperes, qui eleemosynas volunt impetrare immo paupertatem & infirmitatem, si quam habent, hominibus denudant. Tertio stultus est: quia nō vult manifestare in misericordia peccatum suum, & reseruat illud in foro iustitię, vbi manifestabitur ad pœnā quod non vult manifestare veniam. Sexto potest valere ad detestationem huius peccati, si ostenditur in illis magna peruersitas, qui peccata sua defendunt. Peruersitas vero eorū patet ex hoc, quod illud quod Deus persecutus est vsque ad mortem propriam; scilicet peccatum, sicut ostensum est in principio Summę, ipsi defendere volunt ad læsionem propriæ conscientiæ, & vsque ad offensam, cum tamen omnes creaturæ peccatum debeant persequi tanquam opus diaboli, & tanquam illud quod solum indecens est in mundo isto. Septimo potest valere ad detestationem huius peccati, si ostēdatur ingratitudo eorum, qui peccatum suum defendunt. Ingrati vero omnes tales sunt Dei misericordiæ & bonitati, dum beneficium ipsius volent attenuare. Bonitatis diuinæ beneficium attenuat, qui culpam suam diminuendo beneficiū remissionis quodammodo diminuit. Vnde in Spiritum sanctum videtur peccare, cui bonitas attribuitur. Ad detestationem etiam huius peccati potest facere hoc, quod illi, qui peccata sua defendunt, in culpa sua ipsū Deū inuoluere volunt. Vnde super illud Genesis. 3. *Vocem tuam audiui in paradiso*: dicit Greg. Proprium est peccantibus Deo velle attribuere vnde accusantur: quod inde est, quia sic peccauit homo cum vellet esse par Deo, liber scilicet sicut ille ab omni domino: quoniam ergo illi in maiestate par esse non potuit, in peccato sibi parem eum facere contendit: immo vult eum ostendere nocentem, se autem innocentem, & super illud: *Nolite inique agere*, dicit Glos. Malum est peccare, & peius est perseuerare, perniciosius est in Deum defendendo culpam suam proiicere. Ad detestationem etiam huius peccati videtur facere, quod Dauid videtur specialiter petere custodiam ori suo, propter pecca-

tûm iſtud. Vnde Pſal. *Pone cuſtodiam ori meo:* & ſubditur, *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Non declines: id eſt, declinare non permittas. Excuſatione vero in peccatis dicuntur verba malitiæ: vel quia ſunt contra bonitatem Dei, dum beneficium Dei volunt attenuare: vel quia ille qui excuſat ſe, Deum vult infamare, dum culpam ſuam in Deum nititur refundere: vt Adam Gen. 3. quando dixit Domino: *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi,* & quia ipſe defendit quod omnes perſequi deberent, peccatum ſcilicet.

Pſal. 140.

De diuerſis modis excuſandi peccatum.

EST notandum quod multis modis ſolent homines peccatum ſuum excuſare vel defendere. Alii propter infirmitatem carnis contra illud Eccleſ. 5. *Ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam.* Alii multitudine peccantium, iuxta illud Eccleſ. 32. *Peccator homo vitabit correctionem, & ſecundum voluntatem ſuam inueniet comparationem.* Illis vero, qui ſe excuſant in multitudine peccantium, dici poteſt illud. Non minus ardebunt qui cum multis ardebunt. Immo maior ignis erit, ſecundum quod plura ligna erunt in igne: *quia ſecundum ligna ſyluæ exardeſcet ignis:* vt legitur Eccleſ. 28. Contra hunc modum exultationis eſt illud Exod. 33. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum.* Turbam ſequitur qui eam imitatur. Et Eccleſ. 7. *Nec pecces in multitudine ciuitatis.* Alii vero excuſant ſe per nobilitatem ſuam, qui magnum dedecus faciunt nobilitati ſuæ, quando rei viliſſimæ & immundiſſimæ de ea ſcutum faciunt. Immundiſſima res eſt peccatum. Turpius eſt nobilitate ſua peccatum defendere, quam ſi aliquis miles clypeo ſuo vile ſterquilium protegeret. Alii vero excuſant ſe per iuuentutem ſuam, qui videntur dicere quod iuuentutem ſuam à diabolo teneant, cum credant diabolo in iuuentute eſſe ſeruiendum.

[P]eccati [p]roprii [e]xcuſa[t]i viæ [q]uatuor[?]ures.

CAP. IV.

De peccato periurij, & de duabus ſpeciebus eius.

SEquitur de peccato periurij. Et notandum quod duæ ſunt ſpecies periurij. Vna eſt iuratio peruerſa, alia iuramenti liciti trangreſſio. Ad deteſtationem vero ſecundæ ſpeciei periurii notandum eſt, quod ille qui iuramentum licitum facit, ipſe quaſi laqueum ad collum ſuum ponit, iuxta illud Prou. 6. *Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis ſermonibus.* Quando vero iuramentum licitum tranſgredietur, ipſe laqueo illo quaſi propriis manibus ſe ſtrangulat. Potius expediret ei quod ſolummodo contritus eſſet, & quod laqueo ad collum ſuum poſito ipſe ſtrangularetur, quam quod iuramentum licitum tranſgrederetur.

Species periurii duæ.

De duodecim quæ debent retrahere hominē à peccato periurii.

DE aliena vero ſpecie iuramenti, notandum eſt, quod XII. ſunt quæ deberent homines cohibere à peccato illo. Primum eſt, quod ille qui ſcienter peierat, in primo periurio ſuo manum illam diabolo dat, qua ipſe tangit Euangelium, vel qua tangit manum illius cui iurat: & donec ipſe pœniteat de periurio illo, manus illa diaboli eſt & quãdocunque ſe manus iſta ſignat, hoc facit manu diabolica, & cibus, quem manu illa ſignat, manu diaboli ſignatur. Secundum eſt hoc, quia cum alia peccata fugiant, & quaſi timeant res ſacras, peccatum periurij non timet eas, ſed illis appropinquant. Si quis vult fornicari, ſi eſt intra Eccleſiam, ipſe exit inde: ſi eſt in cœmiterio, ipſe exit inde: ſi pro-

Periurii peruerſi fugaque neceſſaria ex duodecim hiſce rationibus colligitur.

1. pinquus est cœmiterio, vel Ecclesiæ, elongat se ab eis. Ille vero qui vult peierare, intrat ecclesiam, si ipse erat extra, intrat ad altare & committit peccatum periurii, quandoque super altare, quandoq; super Euangeliũ, quandoque super ipsum corpus Christi, quod horrendum est dictu. Mirum est quomodo ipsa terra eum non absorbet, vel quomodo angeli qui assistunt circa corpus Christi, eum non perimunt. Ipse etiam diabolus timet res sacras, & quasi reueretur, quod non facit ille qui peierat. Tertium est hoc, quod ille qui peierat, fur & sacrilegus esse videtur. Contrectat enim rem alienam inuito Domino, & rem sacram, quia nomen Domini sanctum assumit contra prohibitionem illam Exod. 20. *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Quartũ est hoc, quod ipse falsarius est. Si quis sigillo alicuius domini sibi commisso ad confirmandam aliquam veritatem, vteretur ad aliud confirmandum, ipse falsarius iudicaretur. Et si faceret hoc de sigillo domini Papæ, ipse esset excommunicatus ipso iure, nec posset absolui ab Episcopo suo. Sic quum Deus permiserit hominibus, vt assumant nomen suum ad confirmationem veritatis, si vtantur nomine ipsius ad confirmationem falsitatis, ipsi falsarii sunt, & quoad Deum excommunicati excommunicatione illa quæ dicitur 1. Corinth. 16. *Si quis non amat Dominũ Iesum Christum, anathema sit.* Quintum est hoc, quod ille qui scienter, peierat, ipse præter mortem aliorum peccantium vult Deum inuoluere in peccato suo. Cum enim iurare, secundum Augustinum, sit Deum in testem adducere, cum ipse iurat falsum, ipse vult adducere Deum ad testificandum falsum. Tales inquantum in se est, vult maius malum facere Christo, vt videtur, quam eius crucifixores. Ipsi enim intulerunt Christo tantum malum pœnæ: Ipse vero vult eum inuoluerent in malũ culpæ, quod deterius est: ipse vult facere reputari Deũ deceptorem, dum in nomine eius quasi per manũ eius, vult homines seducere: quod genus peccati non legimus commissum fuisse etiam à Diabolo, licet Diabolus mendax sit, & pater eius, & per mendaciũm homines seducat: non tamen legimus quod ipse iuramentum mendacio addat, vt melius possit seducere, sicut faciunt illi qui peierant. Sextum est hoc, quod cum in nomine Iesu flectatur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum, vt legitur ad Philip. 2. Ille qui peierat, quum in nomine Christi contumeliam Deo faciat, deterior videtur esse illis, qui in inferno sunt, qui in nomine eius genu flectere dicuntur. Septimum est hoc, quod cum homo per hæc torqueatur per quæ peccat, & talis in nomine Domini peccet, ipse in nomine Domine merito punietur: vt cum illud inuocauerit, non exaudiatur, & cum ad illud fugerit, non protegatur, quum aliis hominibus nomen Domini refugium sit: iuxta illud Pro. 18. *Turris fortissima, nomen Domini ad ipsam currit iustus & saluabitur.* Octauum est hoc, quod periurium enumeratur inter ea, quæ Dominus odit, Zach. 8. vbi sic legitur: *Vnusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, & iuramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus.* Nonum est maledictio, quæ est super periuros, & in præsenti, & in futuro. Vnde Zach. 5. *Vidi hominem, &c.* Et subditur: *Et dixit ad me Dominus. Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur sicut ibi scriptũ est, iudicabitur. Et omnis iurãs ex hoc similiter iudicabitur. Educam illud, dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus eius, & consumet eum, & ligna eius & lapides.* Decimum est hoc, quod peccatum istud re-

2.

3. Periur' est sacrilegus.

4. Qui sigillo Papæ falso vtitur ex cõmunicatur nec ab Episcopo absolui potest.

plet hominem iniquitate. Vnde Eccl. 23. *Vir multum iurans replebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga:* in fine huius verbi tangitur pœna periurorum in præsenti. Vndecimum est hoc,
11. quod periurus perdit Deum, dum iurat. Perdit etiam iustitiam siue fidem suam. Repellitur enim post periurium à testimonio: claudit etiam sibi ingressum regni cœlestis. Vnde in Psalm. *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit*
Psal. 14. *in loco sancto eius?* Et subditur: *Qui non iurauit in dolo proximo suo:* ibi per cõtrarium, innuitur, quod ille qui iurat in dolo proximo suo, non intret. Duodeci-
12. mum est hoc, quod Sacra scriptura propter magnum periculum periurij adeo dissuadet iuramentum, quod quibusdam visum est, quod iuramentum prohibeat. Vnde Matth. 5. *Ego autem dico vobis non iurate, neque per cœlum, neque per terram, &c.*

Quatuor quæ sacra scriptura dissuadet circa iuramentum.

ET notandum quod circa iuramentum septem dissuadentur in sacra scriptura. Primum est appetitus iurandi, siue effectio. Vnde Iac. 5. *Ante omnia fratres mei nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque per aliud quodcunque iuramentum. Sit autem sermo vester, est, est, non, non, vt non sub iudicio decidatis.* Secundum est assiduitas iurandi. Vnde Eccl. 23. *Iurationi non assuescat os tuum. Multi sunt casus in illa.* Et iterum *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo.* Tertium est iurare ex leui causa vel nulla. Vnde Deuter. 5. *Non vsurpabis nomen Dei tui frustra: quia non erit impunitus qui super re vana illud assumpserit.* Tria alia, quæ dissuadentur circa iuramentum sunt, falsitas eius quod iuratur, subita iuratio, & iuratio iniusta, quæ per oppositum innuitur Ier. 4. vbi sic legitur: *Iurabis, viuit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iustitia.* Quartum est, iurare per creaturas. Vnde Matth. 5. *Ego autem dico vobis non iurate omnino: neque per cœlum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum pedum eius est.* Ideo autem dissuadetur iurare per creaturas, ne assiduitate sic iurandi labantur homines in idololatriam.

Capvt V.

De peccato Mendacij.

SEquitur de peccato mendacij. De quo hoc ordine dicemus. Primo dicemus quid sit mendacium, & ponemus ea, quæ possunt valere ad detestationem huius peccati. Secundo tangemus aliquid de diuersis diuisionibus mendacij.

Quid sit mendacium, secundum Augustinum, & de his quæ faciunt ad eius detestationem.

EST autem mendacium secundum Aug. falsa significatio vocis cum intentione fallendi. Ad detestationẽ huius peccati, Primò possunt valere verba sacræ scripturæ, quæ dissuadent nobis mẽdacium. Vt est illud Eccl. 4. *Ne accipias faciem aduersus faciem tuam, nec aduersus animam tuam mendacium.* Faciem aduersus faciem suam accipit, qui in veritate exclusa à corde suo, quæ est Dei similitudo, faciem, quæ diaboli est facies, assumit, & Eccl. 7. *Noli amare mendaciũ,* & post in eodẽ capit. *Noli velle mentiri omne mendacium.* Secundo potest valere ad detestationẽ huius peccati hoc, quod peccatum istud est diabolicũ. Primum enim mendacium dixit diabolus, Genes. 3. *Nequaquam moriemini.* Vnde Ioan. 8. legitur de diabolo: *Cum loquitur mendacium ex propriis loquitur: quia mendax est, & pater eius.* Ipse est pater mendacii, quia primus inuentor est, & pater eius, scilicet hominis mendacis. Homo enim mendax filius est diaboli

Mendacium quid sit.

Quantũ detestetur S. scriptura mendaciũ.

Homo enim mendax filius est diaboli imitatione. Ioan. 8. *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Tertio potest valere ad detestationẽ huius peccati hoc, quod peccatũ istud membrum iniquinat, in quo magis est indecens immunditia, scilicet os. Reddit enim illud abominabile Deo. Vnde Prouerb.12. *Abominatio est Domino labiã mendacia.* Si quis os suum apertum haberet muscis & aliis rebus immundis quæcunq; vellent ibi intrare, & permitteret ea ibi nidificare, os eius abominabile esset hominib. sic os mẽdax est abominabile Deo, cum immunditia mendacij multo amplius displiceat Deo, quã immunditia muscarũ vel similium rerũ. Quarto potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quod peccatum istud hominem falsum reddit: quantum præualet bonus denarius denario falso, tantum præualet homo verax homini falso & mendaci. Vnus bonus denarius valet centum falsos, & vnus homo verax centum mendaces. Vnde multum melioraret se aliquis, si remoto peccato mendacii vera de cætero loqueretur: quia cui non desplıceat, si aliquem de denariis suis inueniret falsum, quis est qui non potius velit habere denarios bonos, quã falsos? Sed de seipsis non dolent miseri homines, quando seipsos falsos inueniũt, & potius se volunt esse falsos, quàm veros. In quo apparet cæcitas eorum, qui amplius amant denarium vnum, quam seipsos. Quinto potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quod mendacium est quasi quoddam venenum, quod tantæ efficaciæ est, quod in ipso ore existens hominem interficit: iuxta illud Sapient. 1. *Os quod mentitur, occidit animam.* Vnde mirum est quomodo miseri homines non timent, quin venenum istud in ore sentiunt. Peius est venenum istud veneno materiali: sicut causa deterior solet esse suo effectu. Mendacium enim quod fuit in ore serpentis, occasio videtur fuisse veneni quod in ore habet serpens. Sexto potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quod omnis mentiens proditor est. Vult enim quod ille cui mentitur, fidem sibi adhibeat: fidem tamen ei non seruat, imo vult eum decipere. Septimo potest valere ad detestationẽ huius peccati, magnitudo ipsius, quæ insinuatur nobis, Eccl. 20. vbi sic legitur: *Potior est fur, quã assiduitas viri mendacis: perditionem autem ambo hereditabunt.* Ideo videtur esse peior qui assuetus est mendaciis, quam fur; quia fur nocet corpori: ille autem qui mentitur, nocet animæ, dum eam in errorem inducit. Item appetitus malus qui est in fure, quo ipse appetit rem alienam, est appetitus rei bonæ: sed appetitus eius qui mentitur, est appetitus rei malæ. Fur enim suum bonum temporale quærit, sed mentiens alienum malum, scilicet errorem proximi. Vnde peccatum mendacii, peccatum diabolicum est, & peccatum malitiæ: & murmuratur à Salomone inter peccata quæ odit Dominus. Prouerbior. sexto vbi sic legitur: *Sex sunt quæ odit Deus, & septimũ detestatur animam eius. Oculos sublimes, linguam mendacem, &c.* Si ergo qui in furto deprehẽderetur erubesceret, sic erubescere deberet si mendaciũ eius deprehenderetur. Hoc autem quod dictum est, quod & fur & mendax perditionem hereditabunt, non est intelligendum de quocunque mendace, sed de illo, qui dicit mendacium perniciosum & nociuum, & ad eandem speciem mendacii referendum est quod dictum est prius. *Os quod mentitur, occidit animam.* Et illud Psalm. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Octauo potest valere ad detestationem huius pecati, pœna qua punitur peccatum istud. De qua habetur Prouerbior. 20. *Suauis est homini panis mendacij, & os eius implebitur calculo.* De pœna etiam mendacij habetur Actuũ, de Anania, vbi sic ait Petrus.

Non

Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit. Nonò, potest valere ad detestationẽ huius peccati hoc, quòd peccatum istud valdè nociuum est Ecclesiæ Dei. Facit enim vt vix alicui fides adhibeatur. Hieronymus: Mendaces faciunt, vt vera dicentibus non credatur: vnde propter mendacia hominum multiplicantur iuramenta & periuria. Lingua hominis mendacis est velut arcus diaboli, oculos interiores filiorum Dei sagittãs. Vnde Ierem. 9. *Extẽderunt linguam suam quasi arcum mendacii, & non veritatis.* & ibidem: *Sagitta vulnerans lingua eorum.* Decimò, potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur quanti meriti sit abstinere ab hoc peccato: ad quod pertinet quod in vitis Patrum legitur de quodã Eremita, qui visitatus ab aliis Eremitis delatis illuc per fluuium, ministerio Angelorum, dixit illis quærẽ-
Exẽplũ tibus aliquid de eius conuersatione. Hoc custodiui ex quo conuersus sum, quòd nunquam mendacium de ore meo procederet, nec postposui amorem cælestium terreno amori: sed nec gratia Domini hic mihi defuit, quidquid petii à Domino sine mora consecutus sum, & infra triduum, sicut ipsi præuiderunt, mortuus est, & anima eius ab Angelis, ipsis vidẽtibus, recepta est. Magni meriti sciebat Salomõ esse à mendacio cauere, cùm hoc petiit Prouer. 30. *Vanitatem & verba mendacij longè fac à me.* Vndecimò, potest valere ad detestationẽ huius peccati hoc, quòd homines assueti huic peccato, in opprobrio magno sunt. Vnde Eccl. 20. *Opprobrium magnum in homine mendacium.* & post ibid. *Mores hominũ mendacium sine honore, & confusio illorum cum ipsis sine intermißione.* & Eccl. 14. *Non contradicas verbo veritatis vllo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere.* Duodecimò, potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quòd grauiter vulneratur qui cadit in peccato isto. Vnde Eccles. 20. *Lapsus falsæ linguæ, quasi qui in pauimento cadit.* Multum videtur esse corruptus mentiens, cui potius placet quod non est, quàm quod est, & multum videtur habere oculos cordis infirmos, cùm tenebræ falsitatis ei placeant, & lumen veritatis ei displiceat. Corruptionem hominis mendacis insinuat Augustinus super illud Psalm. *Perdet omnes qui loquũtur mendacium:* sic dicens: Meritò perditur mentiens, quia declinat ab eo quod est, ad id quod non est.

De diuisionibus mendacij.

SEquitur de diuisionibus mendacii, quæ multæ sunt. Prima est in octo mẽbra siue octo species, quas ponit Augustinus in libro de mendacio. Prima species est mendacium in doctrina religionis, quod est contra fidem, vel bonos mores. Hoc summè fugiendum est, ad hoc nulla causa quisquã debet adduci. Octo species mendacii.
Secunda est, quòd nulli prodest, & alicui obest. Tertia est, quòd vni prodest, & alij obest. Quarta est, quòd fit sola mentiendi fallendique libidine: quod est mirum mendacium, sicut dicit beatus August. Quinta, quod fit cupiditate placendi de suaui eloquio. Sexta, quod nulli obest, & alicui prodest ad pecuniam eius seruandam. Septima, quòd nulli nocet, & alicui prodest ad vitam corporis seruãdam. Octaua est, quòd nulli obest, & ad hoc prodest, vt ab immunditia corporis aliquem tueatur. Tres primæ species mendacii sunt mortalia peccata, si cum deliberatione dicantur. Quinque aliæ venialia sunt peccata, nisi adsit aliqua circumstantia, quæ ea mortalia faciat. Quæ mortalia & quæ venialia mendacia. Alia autem diuisio mendacii diuiditur in tres species, scilicet mendacium perniciosum, & iocosum, & officiosum, siue benignum. Alia diuisio. Primum mendacium huius secundæ diuisionis continet tria membra primæ diuisionis. Secundum verò membrum continet quartum & quintum.

Tertium autem membrum huius diuisionis continet vltima tria membra primæ diuisionis. Tertia autem diuisio mendacii est in mendacium principalis assertionis, & mendacium falsi testimonij.

De his quæ possunt valere contra falsum testimonium.

AD detestationem verò falsi testimonij aliqua addere possumus, licet ea, quæ prius dicta sunt ad detestationem mendacij, ad dem possint referri. Notandum ergo, quòd contra peccatum falsi testimonij. Primò, possunt valere verba sacræ scripturæ quæ istud dissuadent: vt est illud Exod. 29. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Et eiusdem 23. *Non iunges manum tuam, vt pro impio dicas falsum testimonium.* Secundò, possunt valere ad idem comminationes, quas sacra Scriptura facit falsis testibus: vt est illud Prouer. 19. *Testis falsus non erit impunitus, & qui loquitur mendacia, peribit.* & Prouerb. 21. Testis mendax peribit. Tertium est hoc peccatum, quod multum nociuum est. Nocet enim Deo, nocet iudici, nocet ei contra quem testimonium fertur. Vnde Augustin, Falsus testis tribus personis est obnoxius. Primùm Deo, cuius præsentiam contemnit. Deinde iudici, quem mentiendo fallit. Postremò, innocenti, quem falso testimonio lædit: vnde falsus testis licet septennem pœnitentiã egerit de falso testimonio, nondum tamen liberatus est, donec ipse satisfecerit pro posse suo, qui rem suam pro falso testimonio amisit. *Testis iniquus deridet iudicium:* vt legitur Prou. 19. & ideò in extremo iudicio meritò deridebitur: quia, *per quæ peccat homo, per hæc & torquetur.* Sapientiæ 11. Quartum est hoc, quod ipse vendit Dominum. Vnde super illud Matt. 26. *Tunc abyt Iudas, &c.* dicit Gloss. Multi hodie sunt, qui factum Iudæ execrantur, & idem faciunt: nam cùm pro munere falsum testimonium dicunt, quia veritatem negant, Deũm, qui veritas est, vendunt. Et notandum, quòd qui vult à peccato mendacij cauere, oportet quòd peccatum cupiditatis à se repellat: ex peccato enim cupiditatis mendacia procedunt, vt patet in mercatoribus. Vnde Cain, qui inter homines primus legitur mendacium dixisse, Gen. 4. *Nescio Domine, nũquid custos fratris mei sum, &c.* Interpretatur possessio. Cupiditas etiam causa fuit, quòd Ananias & Sapphira Petro mentiti sunt. Timorem etiam humanum oportet remouere, qui vult cauere à mendacio. Hac de causa, Petrus Dominum negauit.

Tribus personis falsus testis nocet.

Vnde mendacia nascantur.

Quis hominum primus mentitus.

CAP. VI.

De peccato detractionis, & de duodecim quæ possunt valere ad eius detestationem.

PRimò, dicemus de peccato eorum, qui detractiones proferunt. Secundò, de peccato eorum, qui eas libenter audiunt. Tertiò, verò tangemus aliquid de impatientia eorum, quibus detrahitur. Circa primum primo ponemus ea, quæ possunt valere ad detestationem detractionis. Secundo, tangemus de diuersis speciebus detractionum. Notandum ergo, quod duodecim sunt, quæ possunt valere ad hæc verba sacræ Scripturæ, quæ nobis hoc vitium dissuadent. De quibus pauca ponemus. Dissuadetur autem nobis hoc vitium Leuit. 19. vbi sic legitur, *Non maledices surdo, nec corã cæco pones offendiculum: sed timebis Dominum Deũ tuum.* Ad literam valdè impium est surdo maledicere, quum ipse non audiat: nec contra obiecta aliquid possit respondere. Valdè etiam impium est coram cæco ponere offendiculum, quum ille non videat, nec possit sibi cauere. Sed secundùm glossam, surdo maledicit, qui absenti detrahit. Homo absens minus potest audire detrahentem, quàm si

Dissuadetur vitium detractionis.

surdus esset. Surdus enim quandoque audit, quando altè sibi clamatur: absens verò qui quandoque per duas leucas distat, vel amplius, non audit detrahentē, quantumcunque clamet. Detrahens etiā ponit offendiculum coram cæco, dum illi, qui eum auscultat, qui cæcus est, vel quia simplex est, vel quia nō cognoscit personam cui detrahitur, narrat alienum factum vnde ipse scandalizatur: vnde detractor impiè agit & proditiosè, tam in eum cui detrahit, quàm in eum, coram quo detrahit. Item dissuadetur hoc vitium post eodem cap. vbi sic legitur: *Non eris criminator nec susurro in populis.* Criminator idem est quod detractor, quia in alieno crimine delectatur. Item Leuit. 7. *Sanguinem omnis animalis non sumetis in cibum.* Item Leuit. 3. *Nec sanguinem nec adipem omnino comedetis.* Sanguinem comedit detractor, qui in peccato alterius delectatur. Deuter. 12. *Caue ne sanguinem comedas.* & Ecclesi. 5. *Nō appelleris susurro in vita tua, lingua tua ne capiaris.* & Iac. 4. *Nolite detrahere, &c.* Bernardus: Noli esse alienæ vitæ, aut temerarius iudex, aut curiosus explorator. Secundò, potest valere ad detestationem huius peccati, si diuersis generibus rerum detractor comparetur.

Quibus comparetur detractor.

Cani. NOtandum, quòd detractor comparatur cani. Vnde Matthæi septimo: *Nolite sanctum dare canibus, &c.* & Ecclesiastici decimo-nono: *Sagitta infixa femori canis, sic verbum in corde stulti.* Canis sagittam habens infixam femori, non quiescit donec remouerit: nec stultus quiescere potest, donec verbum malum, quod de proximo audiuit, alii retulerit. Detractores etiam sunt canes gregem diaboli custodientes, non permittentes etiam vnam ouiculam inde auferri, quin latrent, vel deridendo, vel aliter ostendendo. Canes isti non solū carnes comedunt, sed etiam ossa rodunt: quia non solùm carnalibus hominibus detrahunt, sed etiam spiritualibus. Specialiter autem detractores similes sunt canibus, qui in macello morantur, qui sanguini insidiantur, & sanguinolenta habent labia. Vnde ad eos pertinet illud Prouerbiorum primo: Insidiemur sanguini. Detractor etiam porco comparatur, quia ad modum porci ori suo non parcit ab immunditia, sicut nec pedi suo, non aduertens illud quod dicitur Sap. 1. *A detractione parcite linguæ.* Qui non vult parcere ei cui detrahit, saltem deberet parcere propriæ linguæ, quam inquinat, dum per immunditias aliorum peccatorum eam trahit. Porco. Porcus si hortum intret, vbi ex vna parte flores videat, & ex alia stercora, floribus neglectis ad stercora currit, & ea in ore suo ponit. Sic detractor si videat in aliquo aliqua imitatione digna, quæ velut flores sunt, & ex alia parte aliqua reprehensibilia, ipse versat in ore suo reprehensibilia: de his verò quæ sunt imitatione digna, quæ velut flores sunt, non curat. Propter hanc immunditiam, quæ est in detractoribus, voluit eos excludere Augustinus à mensa sua. Vnde legitur habuisse hos duos versus scriptos in mensa sua, sicut habetur in Gloss. Super illud Prouerb. 24. *Cum detractoribus ne cōmiscearis, &c.* *Quisquis amat dictis absentum carpere vitam, Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.* Multum immunda iudicauit ora detractorum Augustinus, qui præ cæteris peccatoribus eos exclusit à mensa sua. Detractor etiam comparatur serpenti. Serpētis Vnde Ecclesiast. decimo: *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Assimilatur detractor serpenti in his proprietatibus. Serpens est animal proditiosum, silentio mordens, tortuosè incedens, terram comedens. Sic detractor proditor est. Illos enim mordet retro, quos dum sunt præsentes, amare se simulat, nec detrahit, nisi vbi de silētio cōfidit: &

ficut ad literam ferpentes verbis & tumultibus hominum deterrentur: fic detractor timet, quando videt venire eum cui detrahit. Tortuosè etiam incedit detractor, dum à laude eius incipit, cui vult detrahere. Rectitudinem etiam fuæ attentionis prætendit, dicens: Non dico hoc animo detrahendi. Et, vt ei fides adhibeatur, dicit fe multum amare eum cui detrahit. Terram etiam ad modum ferpentis comedit: quia quod terrenum & infirmum eft in homine, hoc in ore fuo verfat. De his ferpentibus legitur Deuteron.32. *Dentes beftiarum immittam in eos, cum furore trahentium fuper terram, atque ferpentium.* & Ier.8. *Ecce ego mittam vobis ferpentes peffimos, quibus non eft incantatio.* Item homines affueti detractioni, vix corriguntur. Vnde Eccl.23. *Homo affuetus verbis improperij omnibus diebus vita fua non erudietur.* Bernardus. Nunquid vipera eft lingua, quæ tres interficit flatu vno? Lingua detractoris tres interficit fimul vno verbo, fcilicet fe, & eum qui audit quando confentit ei, quandoq; etiam eum cui detrahitur, quando peruenit ad eius notitiam. Detractor etiam monftrum eft, in ore gladios habens. Vnde ad detractoré pertinet illud Prouerb.30. *Eft generatio, quæ pro dentibus gladios habet.* & illud Pfalm. *Filii hominum dentes eorum, arma & fagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* & iterum: Gladius in labiis eorum, quoniam quis audiuit. Bernardus. Gladius triceps lingua detractoris. Nec huiufmodi linguam mucrone illo, quo Dominicum latus confeffum eft, crudeliorem dicere verearis. Fodit etiam hoc corpus, nec iam exanime facit. Ipfis etiam fpinis & clauis nocentior eft, quos ei Iudæus infixit, nifi enim corporis fui vitæ vitam iftius corporis pertuliffet, nunquam illud pro ifto mortis iniuriæ tradidiffet. Detractor figuratus eft per illam beftiam, de qua legitur Danielis 7. quæ fimilis erat vrfo, & hbaebat tres ordines dentium. Vrfus etfi

Lingua detractoris interficit tres verbo vno. Pfal.58.

homini fimilis fit, tamé homo nō eft. Sic detractor, etfi exterius videatur effe homo, tamen verè homo non eft, quum fanguine humano pafcatur. In tribus verò ordinibus dentium figurari poffunt tres modi, quibus detractor proximum lacerat. Lacerat enim eum, bona opera aperta minuendo, oculta negando, falfa crimina imponendo. Detractor etiam comparatur fepulchro patenti, de quò fœtor inceffanter exhalat. Vnde in Pfal. *Sepulcrum patens eft guttur eorum.* Nullum fepulchrum ita fœtet in confpectu hominis, ficut os detractoris in confpectu Dei. Sapiens: Non refert de his generationibus an à fuperiori, an ab inferiori intonent, quia non minus à fuperiori, quàm ab inferiori fœtent. Tantus eft fœtor in ore detractorum, vt ex fœtore illo multi moriantur. Aliqui tamen adeò fœtidi funt, quòd fœtorem iftum non fentiunt. Bernardus. Vbi omnes fœtidi funt, vnius fœtor minimè fentitur. Detractor etiam comparatur mulieri prægnanti, quæ cum dolore conatur ad emiffionem partus. Vnde Eccl.19. *A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis.* videretur detractori quod difrúperetur, nifi verbum malú auditum de proximo emitteret. Contra hoc quod dicitur Eccl. 19. *Audifti verbum aduerfus proximum tuū? commoriatur in te, fidens quoniam non te difrumpet.* Ad detractorem videtur pertinere illud Iob 32. *En venter meus quafi muftum abfque fpiraculo, quod lagunculas nouas difrumpit.* Detractor etiā fimilis eft noctuæ, cuius oculos nox illuminat, & lux excæcat. Detractores etiam funt vt ciconiæ, quæ venenatis animalibus pafcuntur. Sic detractores alienum peccatum, quodquafi venenum eft, in ore deferunt. Os etiam detractoris vas eft aquam maledictam diaboli continens, iuxta illud Pfal. *Quorum os maledictione plenum eft.* Detractor etiam eft peior furibus illis, qui veftes & alia bona temporalia furantur. Vnde

Sepulchro.

Prægnanti mulieri.

Noctuæ.

Vafi diaboli.

Furibus.

Ambrosius: Tolerabiliores sunt fures, qui vestes & alia bona nostra diripiunt, quàm fures qui famam nostram lacerãt. Cuius ratio est hoc, quod dicit Salomon Prouer. 22. *quod melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* vnde qui nomen bonum alicui aufert, magis nocet ei, quàm si ei multas diuitias furaretur. Præterea furtum tale vix aut nunquam potest restitui. Item detractores dapiferi diaboli sunt; qui carnes humanas hominibus comedendas apponunt. Vnde super illud Prou. 3. *Noli esse in conuiuiis potatorũ, neque in comessationibus eorum, qui carnes conferunt ad vescendum.* dicit Gloss. Carnes ad vescendum conferre, est in collocutione derogationis vicissim vitia proximorum dicere. Item detractores diabolo thurificant: & in cœtu diaboli, quasi thuribulum deferunt, in quo pro suaui odore fœtorem alienorum peccatorum hominibus ingerent. Detractores etiam sunt testes iniqui, qui nec rogati nec examinati testimonium ferunt, absente eo, contra quem testificantur. Seneca: Loquens de proximo tuo, scito te pro eo vel contra eum testimonium dicere. Psalm. *Insurrexerunt in me testes iniqui, &c.* Item videntur esse diaboli aduocati. Ipsi enim conantur ad hoc, vt quod est Dei, cedat in partem diaboli. Quid enim aliud est dicere: Iste est fornicator, vel vsurarius, quàm dicere: Ipse debet esse diaboli? Detractores figurati sunt per Amõ, qui rasit dimidias barbas nuntiis Dauid, & curtauit vestes eorum vsq; ad nates, vt legitur 2. Reg. 10. Dimidiam barbam radit detractor nuntiis veri Dauid, id est, Christi, dum medietatẽ viriditatis ei aufert. Dicit enim quòd benè faciunt, sed intentione mala. Detractio enim, sicut dicit auctoritas, filia liuoris est, quæ vbi benè facta negare non possit, quocunque modo peruertere tentat. Detruncat vestes vsque ad nates: quia si quid est pudibundum in eis, detegit. Tertiò, potest valere ad detestationem huius peccati, scilicet detractionis, si ostendatur quantæ crudelitatis peccatũ sit istud. Notandum autem, quòd detractor adeò crudelis est, quòd se primò lædit, vt post alios lædere possit. Se enim prius accusat, vt aliis possit detrahere. Crudelitas etiã detractoris ex eo patet, quòd carnes humanas comedit, sanguinem humanum bibit. Vnde Iob 19. *Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini.* Detractor hominẽ persequitur: quia de occultis vult iudicare, ac si esset Deus: Gregorius. Qui aliena detractione pascitur, proculdubiò alienis carnibus saturatur. ad Galat. 5. *Si inuicem mordetis, videte ne inuicem consummamini.* Detractor comedit quandoque patrem suum, vel matrem spiritualem, vel carnalem, dum ei detrahit. Nulli parcit, nec inimico. Vnde Ezech. 5. *dicit Dominus Ierusalem,* id est, Ecclesiæ: *Patres comedent filios suos in medio tui, & filij comedent patres suos.* Et Iere. 19. *Vnusquisque carnes amici sui comedet.* Detractores vno morsello comedunt Papam, vel vnum Archiepiscopum, vel Episcopum. Detractor etiam in 40. carnes comedit. Vnde quidam Abbas in vitis Patrum: Melius est comedere carnales, & bibere vinum, quàm comedere in vituperatione carnes fratrũ. Detractor non parcit etiam mortuis. Dissepelit enim homines mortuos in peccatis, quod est vnum opus contrarium illi operi misericordiæ, de quo habetur Tob. 2. Detractor etiam crudelior videtur esse lupis & leonibus, & cæteris bestiis. Leo enim leoni parcit, lupus lupo, & cæteræ bestiæ parcunt bestiis sui generis. Detractoris lingua peior videtur esse inferno, infernus enim solos malos deuorat. Lingua detractoris amplectitur & bonos & malos. Vnde legitur Eccl. 28. de lingua tertia, quæ est lingua detractoris, potius vtilius est infernus, quàm illa. Quartò, potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur quantæ immundi-

[Margin notes:]
...apiferi ...unt de... ...onis ...etra... ...tores.

Testes ...iqui.

...etra... ...orcru... ...lis.

Detractor comedit carnes semper viuorũ & mortuorũ.

tiæ est peccatum istud. Notandum est, quòd detractor crabroni comparatur, qui non quiescit, nisi in stercoribus: sic detractor in alienis peccatis. De crabronibus legitur Exod. 23. *Cunctorum inimicorum tuorum coram te terga vertam: emittens crabrones prius*, *&c.* Lingua detractoris velut rotabulum est, non cessans voluere & reuoluere sordes vitiorum. Quintò, potest valere ad detestationem huius peccati, si ostẽdatur quantæ iniquitatis sit detractor. Notandum ergo, quòd detractor iniquus est in seipsum, in proximũ, & in Deũ. In seipsum quia ipse quærit festucas vnde oculos sibi eruat, quando deberet quærere lumen alicuius boni exempli, ipse sufflat in puluerem, vnde oculi eius excæcãtur. Gregor. Quid aliud detrahentes faciũt, nisi quòd in puluerem sufflant, & in oculos suos terram excutiunt, vt vnde plus detractores perfluant, inde magis veritatis nihil debeant. Iniquus etiam est detractor in proximum, quem fœtore peccatorum vult corrumpere. Iniquus est etiam in Deum, cui iudicium suum aufert, contra illud Lucæ sexto: *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Detractor vult vsurpare sibi, quod ipse Deus pater sibi non vsurpat, scilicet iudicium. *Pater enim non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio.* Ioannis quinto. Iniquus etiã est in Deum, cuius partem, quantum potest, conatur minuere. Bonos enim qui ex parte Dei sunt, asserit esse diaboli, quãdo eos malos dicit. Sextò, potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur detractor exosus esse Deo & hominibus. Ad quod pertinet illud Ecclesiastici 21. *Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur.* & Ecclesiast. 5. *Susurroni odium inimicitia & contumelia.* Odium cordis, inimicitia operis, contumelia verbi. & ad Roman. primo: *Detractores Deo odibiles.* Septimò, potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quòd detractor

Iniquus in tres detractor.

Exosus Deo & hominibus.

maledictus est à Deo, & abominabilis hominibus. De primo legitur Eccl. 28. *Susurro bilinguis maledictus. Multos enim turbauit pacem habentes.* De secundo legitur Prou. 24. *Abominatio hominum detractor.* Octauo, potest valere ad detestationem huius peccati, pœna qua Dominus punit detractores. De pœna ista legitur Numeror. 12. de Maria sorore Moysi, quæ leprosa facta est, quia detraxit Moysi. De pœna etiam ista legitur Leuitici septimo: *Qui comederit sanguinem, peribit de populis suis.* Leuitici 17. *Homo quilibet de domo Israel, & de populis qui peregrinantur inter vos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo.* Delectari in sanguine peccati diabolicum videtur esse. Vnde detractores specialiter filij diaboli sunt, qui sanguisuga vocatur, Prou. 30. Sitiunt enim detractores sanguinem peccati, sicut & diabolus. Nono, potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur quãta stultitia peccator laborat. De stultitia ipsius dicit Philosophus quod proprium stultitiæ est aliena vitia cernere, & sua obliuisci. Legitur etiam in vitis Patrum, quod quidam frater inuentus est culpabilis, & adductus est Abbas Moyses vehementia precũ, qui tollens secum sportam vetustissimã, impleuit eam arenæ, & portauit eam retro. Illis vero admirantibus quid hoc esset, dixit: Peccata mea sunt post me currentia, & non video illa, & veni ego hodie aliena iudicare peccata. Sic detractor facit. Peccata enim sua, quibus totus plenus est, non videt, peccata autem aliena ante oculos suos habet. Decimo, potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur quàm damnosum sit Ecclesiæ Dei. Notandum ergo, quod detractor est ventus vrens vineam Domini, præcipuè in flore. Illi enim, qui sunt in initio bonæ vitæ, non possunt morsus detractionum sustinere, sed desistunt à bono incœpto. Et

Maledictus.

Exẽpl

Detractor ventus vrẽs vineam Domini.

ſicut poma debilium caudarum eiiciuntur ab arboribus vento: ſicut ventus detractionis illos à Deo ſeparat, qui nondum ei fermè adhæſerunt. Detractor, quantum in ſe eſt, vniuerſales tenebras facere nititur in mũdo iſto, ſicut leguntur factæ in paſſione Domini in vniuerſa terra. Lucernas etiam conatur detractor extinguere, dum ſanctos viros nititur infamare. Cùm Eccleſia tenebras ſuas faciat tantùm ter in anno, detractor cõtinuè tenebras ſuas vellet facere; detractor tenebras amat, & ideo in tenebras ibit. Vndecimò, poteſt valere ad deteſtationem huius peccati hoc, quòd peccatum iſtud eſt in Spiritũ ſanctum. Detractor enim impugnat gratiam Spiritus ſancti, dum conatur eam diminuere, vel totam ſuffocare in hominibus: ideò vix dimittitur peccatum iſtud à Spiritu ſancto, ad quem pertinet remiſſio peccatorum Duodecimò, poteſt valere ad deteſtationem huius peccati hoc, quod dicit Gloſſa de peccato iſto ſuper illud Prouerb. 24. *Cum detractoribus ne commiſcearis.* Hoc ſpecialiter periclitatur vitio totum penè genus humanum. Et notandum, quod licet quilibet debeat cauere à detractione quarumlibet perſonarum, præcipuè tamen à detractione patris vel carnalis, vel ſpiritualis. Vnde Exodi 22. *Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices.* & Geneſ. 9. legitur de Cham filio Noë quod patris ſui verenda detexit, & ideò in ſemine ſuo maledictionem recepit. Vnde legitur ibi: *Maledictus Chanaan puer, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.* Legitur etiam ſecundo Reg. 6. de Oza, quod à Domino percuſſus eſt, quia manum ſuã ad arcam Domini extendit. Per arcam, in qua cõtinebatur manna & virga Aaron, & tabulæ Teſtamenti, figuratur Prælatus, in quo contineri debet manna dulcis cõſolationis, & virga correctionis, & ſcientia diſcretionis. Ad quam arcam, ſi detractor manum extenderit, illi detrahendo, à Domino percutietur. Gregor. Multi dum plus vitam ſacerdotum, quàm ſuam, diſcutiunt; in erroris foueam dilabuntur: minus conſiderantes, quòd non eos vita ſacerdotũ læderet, ſi humiliter bonis ſacerdotũ admonitionibus aurem accomodarent.

De diuerſis ſpeciebus detractionum.

POſitis ſpeciebus illis, quæ poſſunt valere contra peccatum detrahentium, conſequens eſt vt aliquid tangamus de diuerſis ſpeciebus detractionum. Notandum, quòd ſuper illud Pſalm. *detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar:* diſtinguitur triplex genus detractionis. Primum eſt, malum dicere de alio. Secundum, audita mala cum augmento referre. Tertium eſt, libenter illud audire. Nos autem poſſumus diuidere detractionem in ſex ſpecies. Quarum prima eſt, oculta mala proximi publicare. Secunda eſt, addita mala cum augmento referre. Tertia, crimina falſa imponere. Quarta, bona occulta negare. Quinta, manifeſta bona minuere. Sexta, bona in mala conuertere.

De peccato libenter audientium detractionem.

SEquitur de peccato eorum, qui libenter detractores audiunt. Contra quod peccatum: Primò valere poſſunt verba ſacræ Scripturæ, quæ illud diſſuadent, vt eſt illud Prouerbiorum 4. *Labia detrahentium ſint procul à te.* Et illud Prouerb. 23. *Noli eſſe in conuiuiis potatorum, nec in commeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendum conterunt.* Et illud 24. *Cum detractoribus ne commiſcearis.* Et illud Eccleſiaſt. 28. *Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam.* Cõtra hoc peccatum etiam poteſt valere illud Benardi. Detrahere, vel detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non facilè dixerim. Sunt autẽ reprehẽſibiles

illi qui libenter detractiones audiunt, multis de causis. Primò, propter hoc, quòd vident fratres suos à canibus dilacerari,& non exterrent canes saltem clamoribus, præcipuè cùm sperent se proficere posse: imò canibus applaudunt. in quo potius se canes, quàm homines ostendunt.Eccles.13.*Quæ communicatio sancti hominis ad canem?* Cùm detractor serpens sit, vt prius ostensum est, non videntur homines esse, sed potius genimina viperarum, qui eos non exhorrent, qui lapides durarum increpationum nõ proijciunt, quando vident fratres suos ab eis morderi.

Multis causis sunt reprehensibiles, qui libenter audiunt detractores.

REprehensibiles etiam sunt, qui libenter audiunt detractores,quia illis qui fratres suos comedunt, salsam ministrant, ad quam eos comedant, hilarem eis vultum ostendendo, sine qua salsa morsus quasi insipidus esset detractoribus. Hieronymus. Nemo inuito auditori libenter narrat. Prouerb. 25. *Vẽtus Aquilo dissipat pluuias,& facies tristis linguam detrahentem.* Reprehensibilis etiam est ille, qui detractori consentit, quia testi deceptione pleno, non iurato, neque examinato contra absentem credit, & frequenter teste vnico, contra illud legis diuinæ, Matth. 18. *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum.* Imo quòd plus est, si vnus ribaldus detraxerit vni viro sancto, & decem boni viri dicerent contrarium, potius creditur illi ribaldo, simplici verbo testificanti contra virum sanctum, quàm decem bonis viris iurantibus pro ipso. Reprehensibilis etiam est talis, quia iuxta sepulchrum patens, vnde fœtor incessanter exhalat, potius eligit esse contra Dei voluntatem, & ad suam damnationem, quàm recedendo inde, & obmutescere faciat os detractoris. Si enim deesset auditor, deesset & detractor. Reprehensibilis est etiam talis, quia noctuæ credit testificanti contra lucem, quàm naturaliter odit.

De peccato eorum, qui impatienter tolerant detractiones.

SEquitur de peccato eorum,qui impatienter tolerant eos qui sibi detrahunt, qui valdè fatui sunt. Valdè enim vtiliter seruiunt eis, si ipsi patienter sustinent. Detractores enim sunt spinæ, viam inferni obstruentes viris sanctis. Vnde Oseæ.2.*Ecce ego sepiam viam tuam spinis.* Ipsi etiam sunt vigiles ciuitatum Ecclesiæ custodientes ad modum vigilum, quasi continuè mentientes. Ipsi etiam depascunt segetes Domini, ne in paleas luxurient,& pauca grana habent. Ipsi sunt limæ à vasis gloriæ rubiginem auferentes. Sed sunt quædam vasa maledicta, quæ à limis istis assumunt rubiginem, vnde deberent recipere pulchritudinem. Detractores à filiis Dei, quasi quodam rasorio peccatum elationis eradunt. Vnde Gregorius. Idcircò laxat Dominus linguas detractorũ in electos, vt si quid in eis elationis surrexerit, lingua detractoris eradat.

CAP. II.

De peccato adulationis, & de his quæ faciunt ad eius detestationem.

DE peccato Adulationis, hoc modo dicemus. Primò, ponemus ea quæ ad detestationem huius peccati possunt valere. Secundò, tangemus de remediis contra peccatum istud. Notandum ergo, quòd adulatio, sicut quidam dixit, est peruersa laudatio. Vnde nomen laudationis & adulationis eisdem literis constat,sed non eodem modo ordinatis, secundùm Tullium verò nomen à sono sumptum. Canes enim quorum, est mira adulatio, ferè exprimũt istum sonum, Ad detestationem verò huius peccati: Primò possunt valere verba sacræ Scripturæ, Quid a- dulatio

ptur, quæ illud dissuadent, vt est illud Exod. 30. *Hoc oleum vnctionis sanctum erit mihi in generationes vestras.* Caro hominis nõ vngetur ex eo. Et subditur paulo post: *Homo quicunque tale composuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo suo.* Oleũ istud laus est quæ debet Deo dari, non homini viuẽti. Item Leuit. 2. Hihil mellis adolebitur in sacrificio Domini. In melle dulcedo adulationis intelligitur. Item dissuadetur hoc vitium Exod. 23. *Non coques hœdũ in lacte matris.* Adulator hominem durum, quem diabolus frãgere non potest, in lacte adulationis coquit, vt diabolo comestilis fiat. Itẽ Prouerb. 24. *Nec lactes quenquam labiis tuis.* Et Ecclesiastici 11. *Ante mortem non laudes quenquam.* Secũdò possunt valere ad detestationem huius peccati exẽpla, præcipue exemplum Christi, de quo dicit glossa super illud Matth. 21. *Et relictis illis abijt foras extra ciuitatem*, quia pauper erat nuli adulatus, nullum in tanta vrbe inuenit hospitem sed apud Lazarum receptus est. Paulus etiam dicit de se 1. ad Thess. *Neque aliquando fuimus in sermonibus adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ: Deus testis est.*

Quòd adulatores diuersis generibus rerum comparentur.

TErtiò potest valere ad detestationem huius peccati, si adulatorem vel adulationem diuersis generibus rerum comparemus. Notandum ergo quod adulator nutrix diaboli est, filios diaboli lactans lacte adulationis. vnde Prouer. 1. *Si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.* Item Prouerbior, 16. Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam. Et Thren. 4. *Lamiæ nudauerunt mammas, lactauerũt catulos suos.* Lamia est bestia suis fœtibus crudelior, quàm cæteræ bestiæ. Vnde lamia quasi lania appellatur, quia catulos suos creditur laniare. Vnde bene signat adulatorem, qui in veritate eos laniat quos videtur lactare. Ideo autem comparatur adulatio lacti, vt ostendatur verecundum esse homini adulto adulationem amare, sicut verecundum esset homini barbato ad mammillas maternas pendere. Adulator ad modum nutricis filios diaboli obdormire facit in peccatis suis. Et sicut nutrix casum paruuli, ad eius consolationem saltum interpretatur: si adulator eius pecatum cui adulatur, quod in veritate casus est, asserit esse opus magnificum. Adulatores Ægyptiæ mulieres sunt, quarum mammillas Moyses respuit. Item adulatores locustæ sunt comedentes residuum grandinis. Exod. 10. Locusta æstate canit, hyeme silet. Vnde recte significat adulatores, qui eos laudant, qui habent æstatem prosperitatis: à laude verò eorum silent, qui habent hyemem aduersitatis. Vnde Eccles. 13. *Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum eius vsque ad nubes perducunt.* In grandine vero persecutor intelligitur: locusta ergo residuum grandinis comedit: qui secundum Gregor. quem persecutio frangens non vincit, multoties adulatio premit. Adulatio deterior videtur esse detractione, quia detractio hominẽ humiliat: sed adulatio hominem extollit. Adulatores etiam sũt ranæ, propter loquacitatem suam. Vnde Psalm. *Edidit terra eorum ranas, in penetralibus regum ipsorũ.* Adulatores etiam sunt Sirenæ vsque in exitium dulcees, secundum Boët. Item sunt ioculatores diaboli, non permittens diabolum in aliquo contristari. Vnde Oseæ 7. *In malitia sua lætificauerunt regem.* Ipsi etiam sunt sacerdotes diaboli, homines viuos sepeliẽtes. Vnde Mat. 8. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* De quo loquens Gregor. dicit: Tunc mortuus mortuum sepelit, cum peccator peccatorũ aggere adulationis premit. Adulator est Echo conformans se ei, cui adulatur. Si enim riserit, ridet: si fleuerit, flet. Sapiens 7. *Resonans*

Locusta sunt. Sirena. Echo.

in altissimis montibus Echo. Ipsi sunt quasi Chamæleon, quod secundum Solinum animal est de aëre viuens, quod colorem habet varium, & in momento mutabilem, ita vt cui rei se iungit, eius concolor fiat. Item sunt incantatores diaboli, qui faciunt hominibus de se credere quæ ipsi volunt. Terentius: Adulator homines prorsus insanos ex stultis facit. Vnde quidam: Nihil est quod non possit de se credere, cũ laudatur æqua potestas. Item adulator quasi sub prætextu decorandi & ornãdi hominem iugulat. Vnde ad eum potest dici: *Sicut nouacula acuta fecisti dolum.* Adulator etiam proditor est: sub specie enim osculi ad modum Iudæ, hominem tradit hostibus suis, & sub specie amicitiæ hominem interficit. Vnde recte significatur per Ioab: qui sicut legitur 2. Reg. 20. dixit ad Amasam: *Salue mi frater, & tenuit manu dextera mentum Amasæ quasi osculans eum, & percussit eum latere, & mortuus est.* Adulatio oleo comparatur. Vnde in Psalm. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* De quo oleo diabolus vngit suos, qui in extremis laborant. Hoc oleo etiam vngit diabolus homines, quos flectere nõ potest, vt ad malum eos molliat. vnde Augustinus, Oleũ est falsa laus adulatoris, quæ mentes à rigore veritatis emollit ad noxia. Adulatio etiam mel est, sed toxicatum. Etiã est sagitta aurea, & ideo aliqui non curãt si ab ipsa lædantur: Et etiam ventus, qui lenis videtur: transfert tamen montes de regno Dei in regnum diaboli. Itẽ est rete diaboli inuisibile. Vnde Prouerb. 29. *Qui blandis fictisque sermonibus loquitur, rete expandit proximo suo.* Quarto potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur quantum sit nocumẽtum homini istud vitium. Ad quod pertinẽt verba sacræ scripturæ quæ sequuntur super illud: *Quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ.* dicit Aug. Hæc est ira Dei magna, vt desit correctio & adsit adulatio. Adulantium linguæ alligant homines in peccata. Delectat enim hominem ea facere, in quib. non solum non metuitur reprehẽsor, sed etiam auditur adulator. Et super illud Lucæ 6. *Væ vobis, cũ benedixerint,* &c. dicit glossa. Magna pars pœnæ est peccatori sua scelera non solum non argui, sed insuper quasi bene gesta laudari. Et super illud: *Deus in adiutorium meũ intende,* &c. dicit Augustinus: Plus nocet lingua adulatoris, quàm manus persecutoris, & Prouer. 7. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis,* & Eccles. 7. *Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi.* & Esaiæ. 3. *Popule meus, qui te beatũ dicunt, ipsi te decipiunt.* Item Esaiæ 9. *Erunt qui beatificant populum istum seducentes, & qui beatificantur præcipitati.* Adulator dicit eũ, cui adulatur, quasi ad supercilium mõtis, vt inde præcipitetur, sicut Iudæi dicuntur fecisse de Domino, Luc. 4. Item Prouerbior. 11. *Simulator ore decipit amicũ suum.* Quartò potest valere ad detestationẽ huius peccati, si ostendatur adulator esse maledictus abominabilis & detestabilis. Ad primũ pertinet illud Esaiæ. 5. *Væ qui dicitis bonum malum.* Alia litera habet, *Væ qui dicitis malo, bonus es.* Et in eodem. *Væ qui iustificatis impium pro munerib. & iustitiã iusti aufertis ab eo.* Et subd. pœna propter hoc: *Sicut stipulã deuorat flamma ignis, & calor flammæ exurit: eorũ fauilla erit.* Itẽ Ezech. 13. *Væ qui consuunt puluillos sub omni cubitu manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis.* Quandoq; diabolus in aliquo peccatore fatigatus est, & vult corruere in eo: sed venit maledictus adulator, vt appodiet eum exẽplis malis cõfirmando. Ille qui peccat, quasi parietẽ facit inter se & Deũ, sed absq; tẽperamento est: & cito corruit, sed adulator linit eum vt fortior sit: vnde Ezech. 13. *Ipsi ædificabant parietem, ille autem liniebant eum luto absque paleis.* Dic ad eos, qui liniunt absque temperamento quod

casurus sit. Ad hoc verò quod adulator detestabilis sit, pertinet illud Prouerb. 24. *Qui dicunt impio, Iustus es: maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus.* Ad hoc quod abominabilis sit, pertinet illud Prouerb. 17. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, vterque abominabilis est apud Deum.* Ad idem pertinet quod dicit Gl. sup. Luc. 16. vbi agitur de diuite & de Lazaro, quod potest in lingua canum, lingua adulantiũ intelligi: qui vulnera lingunt, dũ mala, quæ in nobis reprehendimus, improbo fauore laudãt. Lingua etiam ista, quę vulnera lingit, indubitãter abominabilis est. Sextò potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur magna stultitia, qua laborat adulator. Est autem vna stultitia ipsius, quod ipse laudat hominem sibiipsi, quasi vellet eum vendere, vnde quidam dixit adulanti sibi: Quid me mihi laudas? nunquid mihi vendere me vis? Alia stultitia eius est, quod ipse homini adulatur, vt gratiam eius acquirat, quam tamen melius inueniret, si veritatem ei diceret, vnde Prou. 18. *Qui corripit hominem, gratiam posteà inueniet apud eum magis, quàm ille qui per linguæ blandimẽta decipit.* Et eiusd. 24. *Labia Deo osculabitur, qui recta respondet.* & ibidem: *Qui arguunt, laudabuntur, & super eos veniet benedictio.* Hoc est illud quod præcipuè deest diuitibus & potentibus, videlicet, qui verum eis dicat. Vnde Seneca: Monstrabo tibi quod omnia possidentibus desit: scilicet qui verum dicat, & hominem inter mentientes stupentem, & pro rectis blanda audientem ad verum perducat. Idem: Dic illis non quod velint audire, sed quod velint semper audisse.

De quatuor remediis contra peccatum adulationis.

SEquitur de remediis contra peccatũ istud: Et possunt esse quatuor contra istud vitium. Primum est, vt quando ventus adulationis flat, homo ad terrã descẽdat, vt quod infirmum est & infirmũ ipse in se consideret, & dicat: *Quoniam tu illuminas lucernam meã Domine, Deus meus illumina tenebras meas.* Aliud remedium est, memoria mortis, quod remedium figuratum est Exod. 10. vbi legitur, quod orauit Moyses Dominum, qui stare fecit ventum ab occidente vehementissimum, & arreptam locustam proiecit in mare rubrum. In locustis adulatores intelliguntur, quos ventus veniens ab occidente proiicit in mare, dum memoria mortis eos fugat: quia vanas hominum laudes contemnit, qui de morte cogitat quando veritas aperta patebit. Tertium remedium est, vt homo subtiliter discernat adulatorem esse eum qui sibi loquitur. Verecundabitur enim cum cognoscet se puerilem reputari ab eo qui sibi lac adulationis propinat, vnde Socrates cuidam sibi adulanti, dixit: Nihil proficis adulator, cum te intelligam. Quartum remedium est, quod homo tristem faciem adulantibus ostendat. Tristis enim facies eos fugat, sicut hilaris facies eos multiplicat. Vnde Prou. 25. *Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.* Renuere verò lac adulationis, multum est acceptum patri cælesti. Quod figuratum est Genes. 21. vbi legitur Abraham fecisse grande conuiuium, in die ablactationis Isaac.

Cap. VIII.

De peccato maledictionis, & de his quæ faciunt ad detestationem eius.

SEquitur de peccato maledictionis: Maledictionẽ vero hîc intelligo mali imprecationem. Cõtra quod peccatum primò, possunt valere verba sacræ scripturæ, quæ illud dissuadent: Vt est illud ad Rom. 12. *Benedicite, & nolite maledicere.* Et illud 2. Pet. 3. *Non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto.* Secundò, valere possunt ad hoc

exempla. Sicut est illud, quod legitur de Domino Iesu Christo 1. Petr 2. *Qui cum malediceretur, non maledicebat.* Et illud Apostoli 1. ad Cor. 4. *Maledicimur, & benedicimus.* Tertiò, potest valere contra hoc peccatum, si ostendatur multiplex malum quod sequitur ex eo. Primum malum est amissio regni æterni. Vnde 1. ad Cor. 6. *Neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Aliud malum est, quòd maledictio quam aliquis facit, super caput maledicẽtis reuertitur. Vnde Prou. 26. *Sicut auis ad alta transuolans, & passer quolibet vadens: sic maledictum frustrà prolatum in quempiam superueniet.* Ideò autem dicitur, frustra prolatum: quia est maledictum iuxta diuinam iustitiam prolatum: vt est illud Act. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Et tale maledictũ venit super illud cui maledicetur. Maledictum verò sine causa prolatum venit super eum, qui maledicit. vnde Eccl. 27. *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet.* & Genes. 27. *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus.* Et in Psalm. *Maledicent illi, & tu benedices.* & Matt. 5. Beati estis, cum maledixerint vobis homines, &c. Quartò, potest valere ad detestationẽ huius peccati, si ostendatur peruersitas eorum, qui male agentibus maledicunt. Cum enim illi qui male agunt infirmi sint, compatiendum est eis, & pro eis orãdum. Non esset malum imprecandum eis, cum plus malum habeant quàm expediat. Quintò, potest valere contra peccatum hoc quod maledicere adeò est illicitũ, quòd non est licitum maledicere diabolo. vnde Eccl. 21. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam, & dupliciter intelligi potest. Vno modo sic: Cùm impius maledicit diabolum, id est, cum dicit eum maledictum & condemnatum, ipse maledicit animam suam: id est, damnatam & maledictam ostendit, cum maledictũ imitetur. vnde ad Rom. 2. *Inexcusabilis es, ô homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alium, teipsum condemnas.* Alio modo sic intelligitur, Cum impius maledicit diabolo, id est, malum optat diabolo, ipse maledicit animam suam: id est, maledicto culpæ & pœnæ subijcit. Cum enim diabolus sit creatura Dei, peccatum est, malum optare ei. Vnde in Canonica Iudæ, vbi legitur, quòd cùm Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus inferre iudicium blasphemiæ, sed dixit: *Imperet tibi Dominus*, dicit Gloss. vbicunque vel quandòque hæc altercatio angeli facta fuit cum diabolo sibi aduersãti, blasphemiam dicere noluit, sed modesto eum sermone coërcuit: quanto magis hominibus omnis blasphemia est cauenda? Itẽ Gloss. Diabolus in substantia est bonus, sed in voluntate est malus. Et ideò ab angelo nõ blasphematur, quia aliquid proferre aduersus bonam naturam, blasphemiam reputat archangelus. Simile habetur Zachariæ 3. vbi sic legitur: *Ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini, & Satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei. Et dixit Dominus ad Satan: Increpet in te Dominus Satan, & increpet in te Dominus, qui elegit Ierusalem.* Præcipuè verò cauẽdum est parentib. à maledictione filiorum: quoniam illæ maledictiones magis nociuæ solẽt esse. Ec. 3. *Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Valdè impium est, quòd mater optat malum filio, quod non licet ei diabolum optare.

Capvt XI.

De peccato conuicij, & de his quæ cohibent homines ab hoc peccato.

Sequitur de peccato conuicij, à quo peccato primo deberet cohibere hoc, quòd conuicium multum vulnerat

ror eius, cui dicitur: Eccl. 28. *Flagelli plaga liuorem facit: plaga autem linguæ comminuet ossa.* Hieron. Sicut homo cauet ne percutiat aliquem cum baculo: sic cauere debet ne percutiat eum conuicio. Secundò, deberet cohibere homines à conuicio hoc, quòd conuicium charitatem seu amicitiam destruit, quæ est via excellentior. Vnde Eccl. 22. *Mittens lapidem in volatilia, deyciet illa*: sic & qui conuitiatur amico, dissoluit amicitiam. Tertiò, deberet cohibere à vitio hoc, quòd non de facili sit concordatio post conuicium dictum. Vnde Ecclef. 21. *Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes. Est enim regressus ad amicũ. Si aperuit os triste, non timeas: est enim concordatio: excepto conuicio, & improperio, & superbia, & mysterij reuelatione, & plaga dolosa.* Quartò, deberet homines cohibere à peccato conuicij, quod homo assuetus huic peccato vix corrigitur. Vnde Ecclesiast. 23. *Homo assuetus verbis improperii, in omnib. dieb. suis non erudietur.* Quintò, deberet cohibere homines à conuicio hoc, quod illi qui conuicia dicunt, frequenter cõuicia audiunt. Vnde Sapiens: *Qui pergit dicere quæ vult, audiet quæ non vult.* Prou. 13. *Impius confundit, & confundetur.* Pro. 26. *Qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.* Sextò, deberet cohibere homines à conuicio hoc, quòd conuicium dignum facit hominem morte æterna. vnde Matt. *Qui dixerit fratri suo, fatue: reus erit gehẽnæ ignis.* Septimò, deberet cohibere homines à conuicio hoc, quia dicere conuicium libenter homini, signum est impietatis, & magnæ peruersitatis. vnde Prou. 10. *Labia iusti considerant placita, & os impiorum peruersa.* Cùm ex abundantia cordis os loquatur. Matth. 12. Vitiosum est cor vnde frequenter exit conuicium: & in veritate rusticus est, qui rusticitatem libenter dicit. Quod valdè peruersus sit qui conuicium dicit, ex hoc potest patere: quia aut cõuicium quod ipse dicit, est malum pœnæ, aut malum culpæ. Si malum pœnæ est, cum malum pœnæ à Deo sit, ipse dicendo opprobrium homini, exprobrat creatori eius. Prou. 17. *Qui despicit pauperem, exprobrat factori eius.* Si verò est malum culpæ, diabolicum est gaudere de hoc, quod aliquis illud commiserit. Leui. 19. *Si habitauerit aduena in terra vestra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei, sed inter vos quasi indigena.* Aduena est homo, qui magnus peccator fuit, cui peccatum suum exprobrandum non est. Vnde Eccl. 8. *Ne despicias hominem auertentem se à peccato, neque improperes ei: memento quoniam omnes in corruptione simus.* Specialiter autem cauẽdum est, ne conuicium correctioni admisceatur, sicut faciunt quidam, qui sub specie correctionis conuiciantur hominibus. vnde Eccl. 19. *Est correctio mendax in ore contumeliosi.* Vere mendax est talis correctio. Mentitur enim talem correctionẽ, cùm potius sit conuiciatio. Tullius in tractatu de Amicitia: Monere & moneri est officium veræ amicitiæ, ita tamen quòd adulatione careat admonitio, & contumeliâ obiurgatio, & Prou. 12. *Qui suauis est, viuit in moderationibus, in suis admonitionibus relinquit contumeliam.* Homo mansuetus moderate corripit, & sic vitam animæ suæ seruat: homo iracundus immoderate corripiendo ipsam perdidit vitam. Cauendum est ab immoderata & immansueta correptione. Nisi enim homo caueat sibi, ipse ignem incendit, quem debuit extinguere, & occidit quem debuit sanare, & tenetur de damno quòd verbum incautè ab eo prolatum fecerit. Ad primum pertinet illud Eccles. 8. *Non incendas carbones peccatorum, arguens eos.* Ad secundum pertinet illud Prou. 15. *Lingua placabilis lignũ vitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum.* Lingua mansueta lignum seu arbor vitæ est. Occasio enim vitæ spiritualis est illis, quos corripit: sed lingua immoderata conteret spiritum tam

corripientis, quàm eius qui corripitur. Ad tertium pertinet illud Exod. 22. *Si egressus ignis inuenerit spicas, & comprehenderit aceruos frugum, siue stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succẽderit,* quod de igne iræ potest intelligi, cuius damnum tenetur reddere, qui verbo incauto illud succenderit.

Cap. X.

De peccato contentionis, & de eius prohibitione.

SEquitur de peccato contentionis. A quo peccato, primò, deberet cohibere homines, quia peccatum hoc diabolicum est. Vndè August. Nihil est similius actibus dęmonũ, quàm litigare: vndè seruos diaboli, non Dei, se ostendunt, qui litigant. 2. ad Timoth. 2. *Seruum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.* Item Apostolus 1. ad Cor. 11. *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus.* Secundò, debet homines cohibere à contentione; hoc, quod separare se à contentione nobile est. Vnde Prouer. 2. *Honor est homini, qui separat se à contentione.* Contendere autem ignominiosum est. Senec. Muliebre est litigare. Tertiò, deberet cohibere homines à contentione; hoc, quòd litigare signũ est stultitiæ seu superbiæ, & peruersitatis, & malitiæ. Ad primum pertinet illud Prou. 18. *Labia stulti miscent se rixis,* & illud 20. *Omnes autem stulti miscentur contumeliis.* In verbo miscẽdi, quia cõmixtio est inseparabilis vnio, intelligitur quòd stulti à contentione separari non possunt. Ad secundum pertinet illud Prouer. 16. *Homo peruersus suscitat lites,* & 26. *Sicut qui apprehendit auribus canem, sic pertrant si impatiens, & commiscetur rixæ alterius.* Ad tertium pertinet illud Prou. 17. *Semper iurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum.* Hoc erit in morte, quando angelus malus ad eum venerit, vt eum deferat in infernum. Vel angelus malus potest intelligi aliquis malus homo ad eum missus: vt dicitur vulgariter: iste est malus, sed quandòque inueniet parẽ suum. Quartò, deberet cohibere homines à cõtẽtione; hoc, quod multa mala inde proueniunt. Vnde Ecclef. 22. *Ante ignem camini vapor, & fumus ignis inaltatur: &, sic ante sanguinem maledicta, & contumelia, & minæ.* Et eius. 1. *A scintilla vna augetur ignis.* Et 28. *Certamen festinatum incendit ignem: lis festinans effundit sanguinem.* Quintò, deberet cohibere homines à contentione; hoc, quod abstinere à lite magni meriti est: vndè legitur in Vitis Patrum, quòd orante Machario vox insonuit ad eum, dicens: Nondum ad mensuram duarum mulierum peruenisti, quæ habitant in proxima ciuitate. Cumque Macharius intrans ciuitatem quæsiuisset conuersationem earum ab ipsis, dixerunt quòd erant vxores duorum fratrum, & per XV. annos simul fuerant, & nunquam aliqua earum aliam dicto vel facto contristauerat, & statuerant in corde suo, vt vsque ad mortem verbum inter se seculare non loquerentur: & libẽter intrassent religionem, si viri earum permisissent. Vnum eorum, in quibus consistebat meritum harum mulierum, erat hoc, quod litem non habuerant adinuicem. Animus vere innocens nescit litigare. Vnde legitur in Vitis Patrum, quòd duo senes erant in vna cella, qui nunquàm habuerant litem inter se. Dixit ergo vnus, Faciamus litem inter nos, & ponamus laterem in medio, & vtérque dicat quod suus sit, quia nescimus quid sit contentio. Cum positus fuisset later, iam vnus diceret: Meus est. Alter respondit. Ego spero quòd meus est. Cum autem primus diceret: Non est tuus, sed meus: Alter respondit: Si tuus est, tolle eum. Et sic non inuenerunt materiam litigandi.

Quod maximè cum quinque personis cauenda sit contentio.

ET licèt vniuersaliter declinanda sit contentio, præcipuè tamen cum quinque personis: scilicet cum homine potente, vnde Ecclesi. 8. *Non litiges cum homine potente, ne fortè incidas in manus illius.* Et cum homine locuplete. Ibidem: *Non contendas cum homine locuplete, ne fortè contra te constituat litem tibi.* Multos enim perdidit aurum & argentum. Et cum homine linguato, vnde Ecclesi. 7. *Non litiges cum homine linguato, neque struas in igne illius ligna.* Et cum homine iracundo, vnde in eodem: *Cum iracundo non facias rixam.* Item cum propria vxore. Ex quo enim aliquis litem habere cæperit cum vxore, nunquam habebit quietem. Prouerb. 19. *Tecta iugiter distillantia litigiosa mulier.* Qui in domo perstillanti est, quando vult declinare vnum stillicidium in vno loco, inuenit illud in alio, & ita non inuenit ibi quietem. Sic vir & vxor quietem non inueniũt, ex quo cœperint litigiosi esse, & valdè male est eis, quantascũque delicias habeant, vnde Prouerb. 27. *Melior est bucella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio:* & licet de nulla re litigandum sit, præcipuè tamen non est litigandum de re, quæ hominem non molestat. Vnde Ecclesi. 11. *De illa re quæ te non molestat, ne certaueris.*

CAP. XI.

De peccato derisionis.

DE derisione, quam mali faciunt bonis, breuiter pertransimus: cùm de ea dictum sit in tractatu de ornatu, in cap. de verecundia. Hoc solùm addentes quod legitur Neemias dixisse 2. Esdræ, quum Tobias Ammonites irrideret Iudæos ædificantes, dicens: *Si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum: audiui*, inquit, *Deus noster, quia facti sumus despectui; conuertere opprobrium super caput eorum.* & paulò post subditur: *Ne operias iniquitatem eorum coram facie tua, & peccata eorum non deleantur: quia irriserunt ædificantes.*

CAP. XII.

De peccato praui consilii, & de his quæ deberent cohibere homines ab hoc peccato.

SEquitur de peccato praui consilij. A quo peccato deberet cohibere homines, Primò quòd prauus consiliarius proditor est. Decipit enim eum qui in eo confidit, scilicet eum qui ab eo cõsilium petit: quod non est paruum peccatum, vnde Prouer. 26. *Sicut noxius est qui mittit lanceas & sagittas in mortem: ita vir qui fraudulenter nocet amico suo.* Secundò deberet cohibere homines ab hoc peccato, quod praui consiliarij quasi omnia mala faciunt: sic tamen vt nihil mali fecisse videantur. Ipsi dant palmas in faciem Christi, & in membris eius, dicentes: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* vt legitur factum fuisse Matth. 26. Cum Dominus captus teneretur: quasi Dominus ignorare possit astutias eorum, cum scriptum sit Iob. 12. *Ipse nouit decipientem, & eum qui decipitur.* Tertiò, deberet cohibere homines ab hoc peccato, quòd consiliarius prauus illud consilium, quòd ipse vult dare contra aliquos, primò dat contra seipsum. Istud enim habet iustitiæ omnis iniustitia, quod quinque vult nocere alii, primò noceat sibi. Omnis laqueus deceptionis primo capite eum qui tetendit: Omnis gladius persecutionis spiritualiter primò transuerberat eum, qui eo

vtitur. vnde Ecclef. 27. *Qui fodit foueam, incidet in eam: qui statuit lapidem proximo, offendet in eo: & qui laqueum alij ponit, peribit in illo. Facienti consilium nequissimum, super illum deuoluetur, & non agnoscet vnde hoc veniat illi.* Vnde Prouerb. 26. *Qui fodit foueam, incidet in eam: qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.* Et Psalm. *Lacum aperuit & effodit, &c.* Hoc est figuratum 1. Reg. 17. in hoc quod Goliath proprio gladio decapitatus est. Et Esther. 7. in hoc quòd Aman suspensus est in patibulo quod parauerat Mardochæo; praui consiliarij de rapinis & exactionibus quas fieri faciunt, habēt peccatum, & ad restitutionem tenentur, cum alij habent lucrum. Consilio eorum bene acquiescitur in malis faciendis, in bonis verò minimè. Quandòque modico tempore plus mali faciūt quàm toto tempore vitæ suæ possunt emendare: vndè nullum peccatum est quòd magis impediat homines à salute, quàm istud. Quartò, deberet cohibere homines ab hoc peccato, quòd peccatū istud multum nociuum est Ecclesiæ Dei. Vnus enim malus consiliarius destruit quandòque totam vnam patriam. Ad magnam malitiam praui consiliarii, referri potest illud Ecclef. 31. *Nequius oculo quid creatum est?* Consiliarius enim alicuius oculus dicitur. Vnde Matth. 5. *Si oculus tuus scandalizat te, &c.* Si consiliarius alicuius principis malus est, negocia eius malè disponentur. Vndè Matth. 6. *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Quintò deberet cohibere homines ab hoc peccato, quòd quandòque illi, qui astuti sunt ad dandum consilia nociua aliis, in consulendo seipsis iusto Dei consilio fatui inueniuntur. Vnde Iob. 12. legitur quod *Deus adducit consiliarios in stultum finem.* Legitur etiam Iob 5. de Domino: Qui apprehendit sapientes in astucia eorum, & consilium prauorum dissipat. Sic enim cauendum est homini, ne prauo consilio acquiescat. Vnde Ecclef. *Multi pacifici sunt tibi, sed consiliarius vnus de mille.* Et Ecclef. 37. *A consiliario malo serua animam tuam: priùs scito quæ sit illius necessitas, & quid ipse cogitabit, ne fortè mittat sedem in terram, & dicat tibi: Bona est via tua.*

A quibus personis consilium sumendum est.

CAuendum etiam est homini ne cōsilium quærat à iuuenibus. Hac enim de causa Roboam patrem regni amisit: quia acquieuit consilio iuuenum, relicto consilio senum: vt legitur 3. Reg. 12. Item cauendum est homini, ne amatores huius mundi consulat de salute animæ suæ, vnde Ecclef. 37. *Noli consiliari cum socero tuo.* Socer est mundus iste, qui quodammodo est pater carnis, quæ vxor spiritus est, cum quo consilium habendum non est de salute animæ. Quod figuratum est Genef. 31. in hoc quod Iacob recessit à Laban, ipso nesciente. Bernard. Angelus magni consilii vocat te, & alienum consilium præstolare. Idem: Amicos consulat, qui non legit quod inimici hominis domestici eius. Esa. 19. *Sapientes consiliarij Pharaonis dederunt consilium insipiens.* Cauendum est etiam homini, ne consilium cum stulto habeat. Vnde Ecclef. 8. *Cum fatuis consilium non habeas: non enim poterunt diligere, nisi quæ placeant eis.*

CAPVT XIII.

De seminantibus discordias, & de his quæ cohibent ab hoc peccato.

A Peccato eorum, qui seminant discordias, primò deberet homines cohibere hoc, quòd illud peccatum adeò est exosum Deo. Vnde Prouerb. 6. *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur*

testatur anima eius: Oculos sublimes, &c. Et numerat Salomon septimo loco, *eum qui seminat inter fratres discordias*: tanquam magis exosum Deo, quàm alios peccatores. Nec mirum, si Deus odiat eos, qui seminant discordias in Ecclesia. Magis enim videntur nocere ei qui hoc faciunt, quàm qui proprium corpus eius crucifixerunt. Plus enim dilexit Christus corpus Ecclesiæ, quam corpus proprium, quum pro corpore Ecclesiæ, corpus proprium morti exposuerit. Vnde qui fodiunt corpus Ecclesiæ, vnitatem eius diuidendo, magis videntur nocere ei, quàm qui corpus eius proprium foderunt, continuitatem in eo diuidendo. Ad ostendendum quod nullo modo volebat scindi corpus Ecclesiæ per discordias, voluit ipse tunicam incõsutilem indiuisam manere. Ioã. 19 Secũdo deberet cohibere homines ab hoc peccato hoc, quod nihil magis nociuum est corpori humano, quã diuisio continuitatis: nec magis nociuum est Ecclesiæ Dei, quam diuisio vnitatis. Ex vno verbo quod dicit ille qui discordiam seminat, quandoque nascitur discordia tanta, ex qua destruitur patria vna. Vnde magnæ malitiæ est seminare semen tale, cum ex vno gradu illius talis messis surgat. Tertio deberet cohibere homines ab hoc peccato hoc, quod opus illud diabolicum est, & contrarium operi Christi. Vnde de diabolo scriptum est Ioan. 10. quod *dispergit oues*: Christus vero de se dicit Matth. 2. *Qui non colligit mecum, dispergit.* Ad Christum & ad seruos eius pertinet vnire & pacificare. Matth. 5. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Hac de causa filius Dei venit in mundum, vt pacem reformaret in mundo. Ad diabolum vero pertinet dispergere.

CAPVT XIV.

De peccato bilinguium, & de his quæ deberent hominem cohibere ab hoc peccato.

SEquitur de peccato bilinguium. Bilingues autem dicuntur, qui mala loquũtur de hominibus in absentia, & bona in præsentia: vel qui prætendunt quod bona intentione dicant, vel causa loci illud quod proferunt, cum malam habeãt intentionem. A quo peccato primo deberet homines cohibere hoc, quod multum displicet Deo. Vnde Prou. 8. dicit sapientia increata, quæ est filius Dei: *Arrogantiam, & superbiam, & vitam prauã & os bilingue detestor.* Nec mirũ si Deus detestetur os bilingue, cum monstrum sit. Nullum animal bilingue inuenitur, excepto serpente, qui bilinguis est, iuxta vulgi opinionem, quia propter velocem motum linguæ sic apparet. Secundo deberet cohibere homines à peccato hoc, quod valde nociuum est proximo. Vnde Prou. 18. *Verba bilinguis quasi simplicia, & ipsa perueniunt vsque ad inferiora ventris*: id est, ad interiora mentis. Dicuntur autem verba bilinguis quasi simplicia, quia sub prætextu ioci vel bonæ intentionis ea dicit: tamen cor audientis multum lædunt. Vnde de ipsis potest intelligi illud Psalm. *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* Tertio deberet cohibere homines à peccato hoc, quod multum nocet proprio subiecto. Primo quia ponit illud in magno periculo: si enim est in magno periculo qui vnicam linguam habet; in quanto periculo est ille, qui bilinguis est: vix sufficit aliquis vnicam linguam regere. Secundo nocet, quia ponit hominem in opprobrio & fama mala. Vnde Eccl. 5. *Denotatio pessima super bilinguẽ.* Denotatio est digiti ostensio cõfusione plena. Item Eccl. 6.

Improperium & contumeliam malus hereditabit, & omnis peccator inuidus, & bilinguis. Tertio nocet, quia hominem reddit maledictum. Vnde Eccl. 28. *Susurro & bilinguis maledictus.* Multos enim turbauit pacem habentes. Bilingues sunt pseudo-apostoli variis linguis loquētes. A peccato vero isto præcipuè cauendum est illis, qui legem Dei habent alios docere. Vnde 1. Tim. 3. *Diacon. similiter pudicos, non bilingues, non multo, &c.*

Capvt XV.

De peccato amantium rumores.

AB hoc peccato pręcipue cauendum est claustralibus. Vnde Bern. rumorem in claustro enumerat inter XII. abusiones claustri, Duodecim vero abusiones claustri hæ sunt: Prælatus negligens, discipulus inobediens, iuuenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, religiosus causidicus, pannus preciosus, cibus exquisitus, rumor in claustro, lis in capitulo, dissolutio in choro, irreuerentia circa altare.

Capvt XVI.

De peccato iactantiæ, & de his quæ valent contra illud.

PEccatum iactātiæ dissuadetur Prou. 27. vt legitur: *Laudet te alienus, & nō os tuum.* Possunt autem valere cōtra peccatum istud, primò exempla: vt est illud quod legitur Daniel. 4. de Nabuchodonosor, quod verba iactātiæ proferebat in fine, dicēs: *Hæc est Babylon ciuitas magna, quā ego ædificaui in domū regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei. Et cum adhuc sermo esset in ore regis vox de cælo ruit, Tibi dicitur Nabuchodonosor rex, Regnum tuum transit à te.* Legitur etiā in Vitis patrum de quodam eremita, qui pollens omnibus animi virtutibus cœpit iactare se, & diabolus in specie mulieris venit ad speluncā eius: dicens, quod à bestiis nocte esset deuoranda, nisi susciperetur eius hospitio: quæ suscepta diuersis blandimentis inducit eum ad hoc quod mēbra eius singulatim tangeret: & cum inclinaret se, vt eam fœde amplecteretur, ipsa euanuit, deridens eum: & multitudo dæmonum clamauit: O monache, qui te vsq; ad stellas extollebas, quomodo demersus es in infernum? Disce, Qui se exaltat, humiliabitur. Tunc ille desperans & fugiens præ confusione à conspectu omnium religiosorum, reuersus est ad seculum tradens se omni impudicitiæ, ne quis eum salubribus monitis de præcipitio reuocaret. Item in regione Thebaïde manente quodam eremita Apollonio vitæ probatissimæ, dixit ei vox de cælo: Apolloni, per te perdam sapientiam sapientū, & etiam in Ægypto omnem culturam dæmonum subrues. At ille ait: Aufer à me iactātiam, ne forte elatus super fratres meos cadam ab omnibus bonis, & dixit vox: Mitte manus tuos ad ceruices tuas: & quod comprehenderis, cōstringe, & sub arena subrue, & continuo apposita manu ad ceruices apprehendit paruum Æthiopem clamantem & dicētem: Ego sum superbiæ dæmon. Et iterū vox ait: Perge nunc quocunque volueris in Deo securus. Secundo potest valere contra peccatum iactantiæ, si manifesteturstultitia eius qui hoc vitio laborat. Notandum ergo quod ille qui iactat se ore proprio, seipsum quādoque occidit. Vnde Prou. 18. *Os stulti contritio illius.* Filios autem suos ore proprio comedit, dum bona opera, se iactādo de illis, amittit. Ipse etiam Dei gratiam effundit vnde Eccl. 20. *Gratiæ fatuorum effundentur.* Ipse laudē, quam amat, in loco ponit vbi sordet: scilicet in ore proprio: omnis enim laus in ore proprio sordescit. Ipse etiam testimoniū fert de seipso. Ioan.

Exemplum.

8. *Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum.* Hoc de Christo non habet locum, quum se solus cognoscat, & ipsi soli credendũ est, iuxta verbum Hilarij: Soli Deo de se credẽdum est, qui se solus nouit. Sed in alijs verum est quod dicitur. 2. Cor. 10. *Nõ qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quẽ Deus cõmendat.* Ille qui iactat se, est idolum seipsum colens, & de seipso cãtans. Ipse similis est gallinæ, quæ postquam fecit ouum, non cessat clamare donec perpenditur quod ouum fecit: & sic ouũ amittit. Sic ille qui iactat se, tacere non potest, donec bonum opus quod fecit, amiserit. Tertio potest valere contra hoc peccatum, si ostẽdantur mala quæ ex eo sequuntur. notandum ergo quod ex hoc peccato sequuntur iurgia. Vnde Prou. 28. *Qui se iactat & dilatat, iurgia concitat.* Sequitur etiam inde odium. Vnde Sapiens: Vitiosa iactatio est, affertque audientibus non tantummodo fastidiũ, sed plerunque odium. Hoc tamen sciendum est, quod licet viris bonis opera sua bona quãdoque dicere ad Dei gloriam. Vnde 2. ad Corint. 11. dicit Paulus, *Æstimo enim me nihil minus fecisse à magnis apostolis.* Licet etiam ea dicere ad reuelationem spei. Vnde Esa. 38. dicit Ezechias: *Memento quæso, Domine, quomodo ambulauerim coram te in veritate.*

Cap. XVII.

De secretorum reuelatione.

A Secretorum reuelatione, debent hominem cohibere, tria. Primum est, hoc quod legitur Eccl. 27. *Qui denudat arcana amici perdit fidem.* Secundum est quod legitur Eccl. 22. *Est concordatio ad amicum, excepto conuicio & improperio, & superbia, & mysterij reuelatione, & plaga dolosa.* Vnde reuelatio secreti est vnum eorum, de quibus vix fit concordatio. Tertium est hoc, quod si aliquis infamatus fuerit illa reuelatione, vix potest ei restitui damnum quod suscepit. Vnde Prou. 28. *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio cito, ne postea emendare non possis cum dehonestaueris amicum tuum.*

Cap. XVIII.

De peccato indiscretæ comminationis.

PEccatum indiscretæ comminationis fugere debemus, Primò exemplo Christi, de quo legitur 1. Petr. 2. *Qui cum pateretur, non comminabatur.* Secundo debet cohibere ab eo vt demus locum timori Dei. Vnde Eccl. 19. *Corripe amicum antequam commineris, & da locum timori Altissimi.* Altissimi timori dat locum, qui potius vult quod homines dimittant peccare timore Dei, quam timore humano. Tertio, quia comminationes multùm offendunt hominem, & multa mala inde sequũtur. Eccl. 22. *Ante sanguinem maledicta, & contumelia & minæ.* Quarto cauendum est à comminationibus, ne stultiores nos ostẽdamus quam simus: *Homo qui comminari consueuit, ostendit se stultiorem quam sit, quia multa comminatur quæ nunquam facturus sit.* Vnde Prouerb. 14. *Qui impatiens est, exaltat stultitiam suam.*

Cap. XIX.

De peccato indiscretæ promissionis.

INdiscretæ promissionis peccatum fugere debent homines, propter tria mala quæ inde sequuntur. Primum est, remorsio propriæ conscientiæ. vnde Prouerb. 12. *Est qui promittit, & quasi gladio pungitur conscientia.* Hoc fit quando non soluit quod promisit.

Secundum malum est, quod inimicitas eius incurrit cui promisit, & non soluit. Vnde Eccles. 28. *Est qui præ confusione promittit amico, & lucratus est eum inimicum gratis.* Tertium malum est: quod tenetur soluere quod promittit. Vnde Eccl. 8. *Ne respondeas supra virtutem tuã: quod si spoponderis, quasi restituens cogita.* Specialiter autẽ cauere debemus à voto indiscreto, ne scilicet voueamus quod implere nolumus. In quo multum peccant aliqui claustrales, qui vouẽt ea quæ sciunt se non impleturos, in quo etiam aliqui multum peccant, qui suspiciendo sacros ordines continẽtiam promittunt, quam tamen non proponunt seruare, quod valde periculosum est. Vnde Prou. 20. *Ruina est homini deuorare sanctos*, id est, de voto suo honorare sanctos, & post votum retractari. Et Eccles. 5. *Melius est non vouere, quam post votum promissa non reddere.* Idem in eodem: *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim infidelis & stulta promissio.*

A voto indiscreto abstinendum

CAPVT XX.

De verbo otioso, & de his quæ deberent hominem ab his cohibere.

Quid otiosum verbum sit.

NOtandum quid verbum otiosum secundum Hieron. est, quod sine vtilitate loquentis dicitur, aut audientis. Verba vero scurrilia & turpia non sunt computanda inter otiosa. Vnde Hiero. Qui scurrilitatem replicat, & cachinnis ora dissoluit, vel aliquid profert turpitudinis; non otiosi sermonis, sed criminosi reus tenetur. Multa vero sunt quæ deberent hominem cohibere à verbis otiosis. Primũ est hoc, quod cum vir iustus cælũ sit, os eius porta cæli est. Et ideò aperiendum non est absque magna causa. Legimus enim cęlũ ad litterã multoties apertum fuisse, sed nunquam legitur quin aliquod mirum subsecutum sit. Legitur in Psal. *Et ianuas cæli aperuit*: Et subditur *Et pluit illis manna ad manducandum.* Legitur etiam Luc. 3. quod *Iesu baptizato & orante, apertum est cælũ.* Et subditur quod *descendit Spiritus sanctus. Vox etiã patris audita est.* Item cum beatus Stephanus lapidaretur, *aperti sunt cæli, & vidit Iesum stantẽ à dextris Dei, & gloriã ipsius*: & sic quando porta cæli spiritualis aperitur, scilicet os viri iusti, debet inde exire manna vel verbum dulcis consolationis, vel verbum quo Spiritus S. datur, vel verbũ quo Spiritus S. vel ipsius gratia hominibus ostẽdatur. Sed de quibusdam cũ expectatur vt exeat manna, exit potius rana, aliquid scilicet garrulitatis. Secundo deberet homines cohibere ab otiosis verbis hoc, quod lingua calamus est Spiritus S. Vnde Psal. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Solent Psal. 44. offendi scriptores quãdo calamo eorum aliquid inutile scriptitatur, & illum proiiciunt: Sic Spiritus S. quandoque linguã illam repellit, quæ verbis otiosis se exponit. Tertio deberet cohibere homines à verbis otiosis hoc, quod loquela naturaliter in solis rationem habentibus inuenitur: vnde per se data est loquela rationi, & ideò sine ratione fieri nõ debet. Quarto deberet cohibere homines à verbo otioso hoc, quod omnia verba ad examen Dei venient. Vnde Matt. 12. *De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent in die iudicij rationem.* Et Eccles. vlt. *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, &c.* Et dicit Gl. quod etiam de verbo ignoranter prolato hoc intelligitur. Vnde debemus verba nostra hîc examinare, vt per examẽ illud possint trãsire. Quinto deberet cohibere homines à verbo otioso hoc, quod homo est velut castrũ obsessum vndique. Vnde Psal. Psal. 16. *Inimici mei animã meam circũdederunt, &c.* Os vero hominis porta est, per quam sæpe hoc castrum captum est; ideò porta ista diligenter est custodienda, & non ad verba inutilia aperienda. Sexto

deberet cohibere homines à verbo otioso hoc, quod thesaurus magnus est in homine. Vnde Apost. 2. ad Cor. 4. *Thesaurum habemus in vasis fictilibus.* Ideo qui thesaurum suum non vult amittere, os suum clausum diligenter debet custodire. Septimo vtilitas magna quæ ex verbis potest prouenire. Verbo enim vno potest homo in oratione regnum æternum mereri. Item vno verbo potest dari occasio salutis plurib animabus. Vnde ex magna corruptione prouenit, hoc quod homo otiosa & inutilia loquitur libēter, ex quo potest adeò vtilia loqui. Hoc aūt præcipue reprehensibile est sacerdotibus. Vnde Ber. Inter seculares nugæ sūt, in ore sacerdotis blasphemiæ. Interdum si incidant, ferendæ forsitan, referendæ nunquam. Consecrasti os tuum Euangelio: talibus iam aperire illicitum est, assuescere sacrilegium: Labia sacerdotū custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, non nugas vel fabulas. Verbū scurrilitatis, quod faceti vrbaniue nomine colorant, non sufficit ab ore peregrinari, procul ab ore est relegandum: fæde ad cachinnos moueris, fædius moues. Hieron. Beata lingua quæ non nouit nisi de diuinis texere sermonem. Aliqui vero sunt qui non multum curant cauere à verbis otiosis, vel ab alijs venialibus peccatis, eo quod talia peccata sibi parua videntur.

De quinq; timendis circa venialia peccata.

IDeo notandum quod quinque sunt quæ debet homo timere circa venialia peccata. Primum est multitudo corū. Vnde Aug. Ista leuia contemnere noli. Si contemnis quādo appendis, expauesce quando connumeras. Secundum est hoc, quod pro talibus ad iudicium Dei sumus trahendi. Vnde super illud Iob. 31. *Non vias meas ipse considerat?* dicit gl. Sic Deus vniuscuiusque vias considerat, sic gressus dinumerat, vt nec minutissimæ cogitationes ac tenuissima verba, quæ apud nos vsu viluerunt, eius iudicio indiscussa remaneant. Sed quæ ratio poterit reddi de verbis otiosis, cum sine ratione dicantur? Vnde Bern. Si præterea verbum otiosum est, quod nullam rationabilem causam habeat, quam rationem reddere poterimus de eo quod est præter rationem? licet cōfabulari, aiunt, donec prætereat hora, quam tibi ad agendum pœnitentiam, ad obtinendam veniā, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miseratio conditoris indulserat. Tertio, timendum est ne inter multa venialia aliquod mortale incidat homine ignorante. Vnde Osee 7. Alieni comederunt robur eius, & ipse nesciuit. Quarto timendum est, ne per venialia homo ita debilitetur, quod in aliquod manifestum mortale cadat Eccl. 19. *Qui modica spernit, paulatim decidet.* Gregor. Vitasti grandia, caue ne obruaris arena. Idem: Si ista parua negligimus, insensibiliter seducti, audacter maiora perpetramus. Et si stupa & claui in nauibus sint minima: tamen defectus eorum occasio submersionis potest esse his, qui in nauibus sunt. Præsentia enim corū occasio est euasionis. Legitur quod Absalon occasione crinium interfectus sit. 2. Reg. 18. In crinibus parua peccata possunt intelligi, sicut & ibi: *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt.* Quæ parua peccata multis sunt occasio mortis. Legitur etiam Iudic. 16. quod Samson abscissis crinibus debilis factus sit. In quo figuratum est, quod aliquis debilitatur, quādo modica bona negligit facere: è contrà Nazarei nutriebant comam: vt legitur Numer. 6. Quinto timenda sunt venialia, quia profecto impediunt, quando enim aliquis Deo ingratus est, & nō vult facere pro eo nisi ad quod tenetur, Deus non ita abundanter largitur gratiam ei, vnde proficere possit. Præterea vnicus pilus cibum alicui reddit abominabilem, & modicum pulueris oculum multum

obnubilat. Sic venialia seruitium alicuius minus gratum videnturDeo reddere, & oculos cordis obnubilant.

Capvt XXI.

De Multiloquio, & de his quæ ab eo cohibent.

MVltiloquium peccatum est, à quo primo debet cohibere hoc, quod signum est imbecillitatis. Hieron. Inter canes qui infirmior est, magis latrat. Secundo vero hoc, quod multiloquium hominem odiosum reddit, pauciloquium vero amabilem: Vnde quidem Philosophus interrogatus quomodo quis hominibus posset placere, inquit: Si gesseris optima, & locutus fueris pauca. Et Eccl. 9. *Terribilis in ciuitate sua homo linguosus & temerarius in verbo suo odibilis erit.* Tertio hoc quod multiloquium impedit conuersionem. Vnde Iob. 11. *Nūquid vir verbosus iustificabitur?* Leuit. 15. *Vir qui patitur fluxum seminis, immundus erit.* Quarto vero hoc, quod in multiloquio nō deerit peccatum, vt legitur Prouerb. 10. & Eccl. 20. *Qui multis vtitur verbis; lædit animam suam.* Et Eccl. 5. *In multis sermonibus inuenietur stultitia.* Quinto hoc, quod multiloquiū signum est stultitiæ. Vnde Eccl. 10. *Stultus verba multiplicat.* Et Prouerb. 29. *Totum spiritum suum profert stultus.* Sextū vero est hoc, quod dicitur in Psalm. *Vir linguosus non dirigetur in terra.* Septimum est hoc, quod frequenter accidit, quod vbi est multitudo verborum, ibi est indigentia operum. Sicut vbi multum est de paleis, ibi sæpe parum est de grano. Prouer. 14. *Vbi verba plurima, ibi frequenter egestas:* & 19. *Qui tantum verba sectatur, nihil habebit.* Octauo magna vtilitas, quæ est in cauendo multiloquio. Vnde Eccl. 19. *Qui odit loquacitatem, extinguit malitiā.* Prou. 12. *De fructu oris sui replebitur vnusquisq; bonis.* Legitur in Vitis patrum, quod quidam portauit lapidem tribus annis in ore, vt vitaret multiloquium.

Capvt. XXII.

De Turpiloquio.

TVrpiloquium, peccatum est, à quo dissuadet nos Apost. ad Ephes. 5. dicens: Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia non nominetur in vobis, sicut decet sāctos: aut turpitudo, &c. Ab hoc peccato multum debemus cauere: quia hoc peccatum est turpitudo in ore, vbi multū indecēs est immūditia. Præterea turpiloquium proximum corrumpit. Vnde 1. ad Cor. 15. *Corrumpūt bonos mores colloquia praua.* & 2. ad Tim. 2. Quorum sermo serpit vt cancer. Corrumpit etiam ipsum qui turpiter loquitur, vt tandē turpia opera non abhorreat. Senec. Turpia ne dixeris, paulatim enim per verba pudor deiicitur, vt à verborum dicacitate abstineamus, & potissimum à turpibus. Natura linguam in medio capite collocauit, quam dentium multitudo & labia circumstant, ad insinuandum, quod tacendum est, vel iuste loquendum: secus est de auribus quas patulas reliquit, & ita de aliis sensibus. Insuper à multitudine actuali loquendi habitus emergit, qui virum ita propensum ad illicite loquendū reddit, quod abstinere ægerrime potest. Propterea habitus ne generetur, à principio obuiandum est: Secundum quod dicit Metrista: *Principiis obsta, serò medicina paratur.*

Capvt XXIII.

De Scurrilitate, & his quæ valere possunt contra hoc peccatum.

Scurrilitas, stultis curialitas dicta, detestāda.

SCurrilitas, quæ à stultis curialitas dicitur, est iocularitas, sicut dicit gl. su-

per epistolam ad Ephes.5. Contra quod peccatum primò possunt valere verba S. scripturæ quæ illud dissuadent: vt est illud ad Ephes.5. *Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas.* Et 2. ad Thess.3. *Audiuimus quosdam inter vos ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His autem qui huiusmodi sunt denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes panem suum manducent.* Secundo potest valere contra hoc peccatum, si scurras diuersis generibus rerum comparemus. Notãdum ergo quod scurra est velut capra, vel simia, cũ quibus ludit Diabolus, & homines excitat ad risum. Capra animal fœtidum est; Simia animal deforme. Sic tales valde fœtidi sunt & valde deformes. Ipsi etiam sunt fures damnosissimi. Tempus enim, quod nihil est pretiosius in vita ista, inter transitoria hominibus furantur. Ipsi consolatores sunt eorum qui laborant in seruitio diaboli. Ipsi reuelãt falsis recreationibus labores eorum qui vadunt in æternum, ne deficiant in via. Ipsi faciunt etiam obdormire homines in peccatis, vt à diabolo deferantur in infernum, & non excitentur. Tertio potest valere contra hoc peccatum, si ponantur ea quæ S. scriptura dicit de risu huius temporis, ad quem verba scurrilia excitant.

De risu huius temporis.

NOtandum ergo quod risus huius temporis error est. Vnde Eccles.2. *Risum reputaui errorem.* Est etiam velut quædam ebullitio stultitiæ. Vnde Prou.15. *Os fatuorum ebullit stultitiam.* Fit autem hæc ebullitio ad ignem prauæ concupiscẽtiæ, scurra sufflante illum ignem vento vanitatis incluso. Risus autem talis, est velut sonitus spinarum ardentium sub olla crepitantium. Vnde Eccl.7. *Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti.* Item risus talis, est velut quidam nuntius stultitiam cordis exterius insinuans. Vnde Eccles.19. *Amictus corporis, & risus dentium & ingressus hominis enuntiant de illo.* Item risus talis maledictus est. Vnde Luc.6. *Væ vobis, qui nunc ridetis, quia lugebitis.*

Quod multiplex risus malus sit.

EX his satis manifestum est, quanta sit fatuitas scurrarum, qui ad risum talem excitant. Item notandum quod est risus inuidiæ, risus perfidiæ, risus insaniæ, risus vanitatis puræ & risus prudentiæ. De risu inuidiæ loquitur poëta describẽs inuidiam: *Risus adest nunquam, nisi quem fecere dolores.* De risu perfidiæ legitur: Prou.10. *Quasi per risum stultus operatur scelus.* De risu insaniæ legitur Prou.15. Quod stultitia est gaudium stulto. Vnde Aug. Malũt sapientes se habere sanos lugentes, quam phreneticos lugentes. Item August. dicit: Gaudium mundanorum gaudium est phreneticorum. Risus vero puræ vanitatis est, cum aliquis ex sola leuitate ridet. Ad quẽ risum possumus referre quod legitur in vitis patrũ de quodam sene, qui vidit quendam ridentem, & dixit ei: Coram cœli & terræ Domino rationem totius vitæ nostræ reddituri sumus, & tu rides. Risus vero prudentiæ est risus rarus & tacitus: vnde Eccl.21. *Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacite ridebit.* Et Iob.39. *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* Gregorius. Prælatus debet se taliter habere ad subiectos, vt ridens timeri, & iratus possit amari, ne nimia lætitia vilem, vel immoderata seueritas reddat odiosum. Item notãdum, quod sicut risus præsentis vitæ debet esse rarus & modicus: sic lutus frequens & multus. Monemur autem ad hoc exemplo Christi, quem ter legimus fleuisse, risisse vero nunquam legimus. Fleuit Iesus super ciuitatis

destructionem Ierusalem. Luc. 29. & ad Lazari suscitationem. Ioan. 11. & in agonia quando prolixius orauit, de quo fletu habetur ad Heb. 5. Monet etiam nos ad hoc multiplex materia luctus, quam in mundo isto videmus, & hoc quod lacrymæ nostræ in suo valore sunt. De hac materia require in tractatu de Luxuria, in cap. de Choreis.

Capvt XXIV.

De indiscreta taciturnitate.

SEquitur de indiscreta taciturnitate. Et notandum quod sicut vitiosa est loquacitas, sic etiam vitiosum est semper tacere; vnde Eccl. 3. *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Isidor. *Seruanda est lingua, non insolubiliter liganda.* Bern. Mors & vita in manibus linguæ. Ideo ori ponenda est custodia, vt nec vitalem ædificationem clausura damnet, nec lethales pernicies liberum sortiantur egressum.

Quod tacere in Prælatis malum sit, & maxime à verbo prædicationis.

TAciturnitas vero præcipue est reprehensibilis in Prælatis, qui docere habent populum. Illis enim tacere à verbo prædicationis, mors est. vnde Exod. 28. Præceptum est quod in extremis partib. vestium Sacerdotalium fierent tintinnabula aurea mixta malis punicis, vt audiretur sonitus quando Aaron ingrederetur & egrederetur sanctuariũ in conspectu Domini & non moreretur. De quo verbo loquens Gregor. dicit: Sacerdos ingrediens & egrediens moritur, si de eo sonitus non auditur: quia cõtra se iram æterni iudicis prouocat. si de eo sonitus prædicationis non procedat. Ad idem pertinet illud quod legitur Ezech. 23. *Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animas, ille quidem iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram.* Apost. 1. Corinth. 9. *Væ mihi, si non euangelizauero.* Ad prælatum specialiter pertinet illud Esai. 58. *Clama ne cesses.* & illud Osee. 8. *In gutture tuo sit tuba:* & illud Esa. 6. *Væ mihi, quia tacui.* Si propter taciturnitatem prælati aliquis pereat, simile est ac si ipse eum interficiat. Vnde Paulus Actor. 20. *Mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi quò minus annuntiarem omne consilium Dei in vobis.* Innuens per oppositum; quod reus esset sanguinis eorum, si ipse eis non annuntiasset. Indiscreta taciturnitas dissuadetur Eccl. 4. vbi legitur: *Ne retineas verbum in tempore salutis.*

Pars III.

De octo remedijs contra peccatum linguæ.

POstquam dictum est de peccato linguæ & custodia in communi, & specialiter de 24. peccatis linguę, consequẽter tangendũ est aliquid de remediis cõtra peccatum illud. Et ponemus octo remedia contra peccatum illud. 1. remediũ est consideratio periculi quod est in loquendo. Tunc porta alicuius castri cautius aperitur, quando notum est homini castri, quod hostes portæ insidiantur. Vnde cum hostes inuisibiles portæ eius specialiter insidientur, cum cautela magna aperienda est. Ad hoc remedium potest referri illud Iob. 40. *Memento belli, & ne addas amplius loqui quidquam.* Secundum remedium est consideratio tam nobilitatis quàm vtilitatis huius membri. De qua nobilitate & vtilitate, habitum est in principio huius tractatus. Vbi dictum est quod in lingua præcipue indecens sit immũditia, & quod diuino officio

ficio præ cæteris membris deputata sit. Tertium remedium est, quod homo contra portam oris quasi quasdam barras facit. Barræ istæ sunt proposita firma declinandi personas illas, cum quibus peccare solet per linguam, vel loca illa in quibus solet habere occasionem per linguam peccandi, vel silentium tenandi horis in quibus facilius homo per linguam labitur, vt ora post cibum, & alia similia proposita, quæ custodiunt hominem ne offendat in lingua. De barris istis legitur Prou. 18. *Frater qui adiuuatur à fratre quasi ciuitas firma; & iudicia quasi vectes vrbium.* Proposita ex iudicio rationis facta de custodia sensuum, quasi vectes, id est, quasi barræ vrbium sunt. Quartum remedium est, quod homo raro loquatur. Exemplum de hoc habemus in B. Virgine, cuius septem verba tantum leguntur in Euangelijs. Ande Eccl. 19. *Qui odit loquacitatem, extinguit malitiam.* Quintum remedium est, quod homo pauca loquatur: *Sicut enim in multiloquio non deerit peccatum.* Prou. 10. Sic breuiter loqui ad hoc valet vt homo caueat à peccato. De quarto & quinto remedijs dicit Philosophus: Ad summam perfectionis volo te esse breuiloquum, & rariloquum, & submissa voce loquentem. Ad rariloquium monet Seneca, dicens: Auribus frequentius quam lingua vtere. Idem: In hoc incumbe, vt libentius audias, quam loquaris. Sextum remedium est tarditas in loquendo, vt homo non exeat in loquendo, nisi præcedente deliberatione. Ad quod pertinent verba S. scripturæ quæ sequuntur. Hier. Prius veniat sermo ad limam, quam ad linguam. Eccles. 4. *Noli citatus esse in lingua.* Et Eccles. 5. *Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo.* Innuitur causa quare non debeat homo loqui absque deliberatione: quod enim homo loquitur, coram Deo loquitur. Eccles. 21. Verba prudentium staterâ ponderabuntur. Seneca: Tardiloquum te esse iubeo, & prope erit tibi Deus. Prouerb. 13. *Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Qui enim non vult loqui absque deliberatione, clauem oris habeat in arca cordis. Vnde quantum ad hoc securus est Eccl. 21. *In ore fatui cor illius, & in corde sapientum os illorum.* Septimum remedium est, quod inter omnia præcipuum videtur esse vt homo orando linguam suam Deo commendet. Domini enim est gubernare linguam, vt legitur Prouerb. 16. Vnde Dauid: *Pone Domine custodiam ori meo.*

De silentio claustralium, & eius commendatione.

OCtauum remedium est, silentium claustralium, Hieron. Linguam maledicam indictum emendat silentium. Et sicut in sexto clauis oris ponitur in arca cordis, in septimo vero ponitur in manu Dei: Sic in octauo ista clauis oris ponitur in manu prælati. Qui autem nesciente prælato & nolente portam oris aperuerit, postquam ei clauem tradidit, fractor videtur esse templi spiritualis, & cum clauem faciat contra clauem, & videtur esse latro.

Quæ valeant ad commendationem silentij claustralis.

AD commendationem vero claustralis silentij primo possunt valere exempla, & præcipue exemplum Christi. De quo dicit Gl. super illud Esa. 2. *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Herodi vel Pilato pauca respondit, ne differretur salus humani generis. Le-

gitur etiam quod Abbas Agathon lapidem in ore suo per triennium portabat, donec taciturnitatem disceret. Legitur etiam de Abbate Pambo, quòd fratres dixerunt ei, vt diceret aliquem sermonem Alexãdrino Episcopo ad se veniente. Qui ait: si in taciturnitate mea non ædificatur, nec in sermone meo ædificabitur. Inuenitur etiam de quodam milite potente, qui voluit intrare Religionem, & misit quendam vassallum suum ad Abbatem, iniungens ei quod diceret abbati se velle intrare istam religionem. Addidit etiam quod diceret se esse mutum, paratum tamen in omnibus se obedire, quod ideo fecit, quia sæpe in lingua offenderat, & cogitauit quod nisi caueret sibi, lingua sibi auferret bona quæ ibi faceret, & receptus est miles in religione illa, & credebatur mutus. Exiens autem quadam vice cum abbate ad quendam militem, qui laborabat in extremis, videt animam eius, quum moreretur, mirabiliter à dæmonibus trahi, & compatiens fleuit, & discedentes inde obuium habuerunt quendam alium militem, qui promisit Abbati quod renunciaret seculo, & cum eum præcederet in quodam ponte tentaturus viam coram abbate, decidens de ponte submersus est; cuius animam vidit miles ab angelis in specie monachi in cælum deferri, & solutus est in gaudium. Cum autem Abbas venisset ad claustrum, adiurauit militem in virtute obedientiæ, vt sibi diceret si loqui posset: & cur in morte illorum duorum se taliter habuisset. Cui miles: Male fecisti, qui contra propositum meum me loqui fecisti: sed tamen tibi indicabo, & narrauit ei omnia per ordinem. Audiens abbas cecidit ad pedes eius. Miles autem renuens, petijt vt in aliquo recluderetur loco, vbi taciturnitatis suæ propositum posset seruare. Secundo possunt valere ad commendationem silentij sacra verba quæ illud dissuadent: vt est illud August. super Domine exaudi. Loquela sit in necessitate, taciturnitas in iocunditate. Et Arsenio cum discederet à palatio vt monachus fieret, facta est vox dicens: Arseni, fuge, tace, quiesce. Hæc enim sunt radices non peccandi. Hieron. Multo melius est de duobus imperfectis rusticitatem sanctam habere, quàm eloquentiam peccatricem. Tertio potest valere ad commendationem silentij, si ostendantur bona, quæ ex silentio proueniunt.

De vtilitatibus silentij, & eius commendatione.

NOtandum ergo quod silentium hominem fortem efficit: *In silentio & spe erit fortitudo vestra.* Abbas Pastor: omnis labor qui euenerit tibi ex taciturnitate, separabitur. Sicut vix vel nunquam pugil vincitur, nisi malum verbum dixerit: sic vix vincitur à diabolo, qui à malis verbis sibi cauerit. Item silentium pacem facit: Vnde. Esa. *Erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium.* Silentium est quasi quædam cultura iustitiæ, sicut enim ex nimia loquela frequenter sequitur iniuria tam Dei, quàm proximi: sic ex silentio iustitia nutritur, ex quo velut ex quadam arbore fructus pacis colligitur, vnde cum claustralibus pax summe necessaria sit, valde necessarium est eis silentium, vnde pax sequitur. Multæ lites & iræ remouentur ex obseruatione silentij. Prouerb. 26. Qui imponit stulto silentium, iras mitigat. Item silentium est signum sapientiæ. Senec. Taciturnitas homini stulto pro sapientia est. Quidam Philosophus cuidam rustico in conuiuio tacenti: Et docti, inquit,

hoc solum habes. Prou. 18. *Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur.* Et Iob. 13. *Vtinam taceretis, vt putaremini sapientes.* Sapiens: Nemo stultus tacere potest. Item silentium etiam est spiritualis profectus. Vnde Thren. 3. *Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit se supra se.* Homo qui iam leuauit se supra statum hominum, qui habet Deum consolatorem & collocutorem, potest esse solitarius, & tacere. Ex quo enim habet Deum pro socio, non curat de consortio humano. Senec. Primum argumentum compositæ mentis existimo posse secum consistere, & secum morari. Bernard. cum quo Deus est, nunquam est minus solus, quam cum ipse est solus: quod ideo dicitur, quia tunc liberius habet suum verum socium, scilicet Deum. Homo etiam cui Deus interius loquitur, non curat multum de loquela exteriori. Gregor. Non sufficit proficere homo ad vtrumque diuisus, quia si exterius auditum aperit, interius surdescit. Item silentium præparat hominem colloquio diuino. Vnde Thren. 3. *Bonum est præstolari cũ silentio salutare Dei.* Filius Dei verbum est, ideo aduitum & auscultationem requirit. Eccles. 32. *Vbi non est auditus, non effundetur sermo.* Et 1 Reg. 3. *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Silentium seruare, est os vnde exit ignis & flamma obstruere. Item silentium seruare, est bestiam indomabilem clausam tenere. Iacob. *Omnis natura bestiarum & volucrum & serpentũ & cæterorum domantur & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest.* Item silentium seruare, est gladium penetratissimũ in vagina abscõdere. Psal. *Lingua eorum gladius acutus.* Item silentium seruare, est foueam abstruere, per quã homo sæpe cecidit, & collũ cadendo sibi fregit. Eccl. 14. *Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo.*

Quod diligenter esset obturanda fouea illa, quæ totiens fuit homini occasio ruinæ, & talis ruina.

Silentium est frænum viri claustralis. Vnde claustralis sine silẽtio est quasi equus sine fræno. Silentiũ etiã clauis religionis est: vnde claustrũ absque silentio proprie claustrum nõ est, cum sit absque clausura: Sed est velut vrbs patens & absque murorum ambitu: vnde Prou. 25. *Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu.* Sic vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Claustrum absque silentio est velut vinea absque sepe, quæ direptioni exposita est. Ecclesiast. 19. *Vbi non est sepes, diripietur possessio.* Eccles. 10. *Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Matth. 21. legitur de sepe ista: *Homo erat paterfamilias, qui plãtauit vineam, & sepem circumdedit ei:* & Prou. 22 *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineã viri stulti, & ecce totũ repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & materia lapidũ destructa erat.* Item hîc per maceriam intelligitur quod prius per sepem. Et innuitur quod negligentia & pigritia prælatorum, causa sit, quod silẽtiũ & aliæ claustrales obseruantiæ in claustris non obseruantur. Sicut solet obstrui vas, in quo sit vinum seruatũ vt vinũ fortius sit: sic oportet quod claustralis districtio obseruet silentiũ, vt feruor deuotionis sit in eo. Alioquin os eius ad loquacitatẽ fuerit apertũ, quidquid deuotionis in eo est, exhalat. Item silentium in claustro suffocatio malitiæ est: quia iuxta verbũ prius positũ, qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. Silentium etiam signum est mortis veteris hominis: loquacitas in claustrali qui debet esse mortuus, stupenda est, sicut si vide-

remus hominem mortuum loquentẽ. Religio vero vbi non obseruatur silentium potest dicere illud Iob. 30. *Quasi rupto muro & aperta ianua irruerunt super me.* Vltimo ad commendationem silentij potest valere illud Sapientis: Locutum esse aliquando pœnituit me: tacere vero, nunquam. Itẽ, Chusi, qui interpretatur silentium erat amicus Dauid.

SVMMÆ VITIORVM FINIS.

INDEX RERVM QVÆ IN HAC *Summa Vitiorum continentur.*

A

ABusiones in claustro duodecim, 206.
& Acedia ibid.
Acedia alia secularium, alia claustral. ibid.
Acceptio muneris quam periculosa, 100
& quæ reprehendantur circa eam 101
acediæ opponitur feruor indiscretus, 210
acedia quantum Deo displiceat 168
Diabolo placet ibid.
Possessori proprio nocet. 169
aufert homini bona quæuis & replet malis 171. plurimum detestanda 173
acedia monachorum 206
quæ mala gignit ibid.
acediæ species diuersæ 174.175.
acediæ remedia octo 172
acediam dissuadet scriptura ac ad laborem hortatur 167
adulatio quid 400
cur lacti comparetur 401
detestanda ibid.
Diuersis rebus quomodo comparatur. ibid.
Cur detractione deterior ibid.
Literis dispositis scribitur fere vt laudatio 400
Quantum noceat homini 402
adulationis malum quomodo quatuor remedijs euitetur 403
adulationem dissuadet S. script. 401
Dissuadent exempla ibid.
adulator nutrix & filius diaboli ibid. diuersis rebus comparatur ibid.
adulterij species duæ 22 enormitas septem modis ostenditur ibid.
aduocatus malus est sagittarius diaboli. 106.
sibi & aliis damno est ibid.
aduocatorum officium octo dissuadent, 103, eorundem duodecim sunt pericula 104. eorundem auaritia, ib. fraus 106. eorundem scientia ex decretis qualis, ibid. lingua pernitiosa quid operetur 413
Ædificiorum superbia in sex reprehenditur 284
quæ cohibeant ibid.
altarium multiplicatio 133
ambitio 12
amator vanæ gloriæ puluerem Deo præponit 336
Ambitiosis ad dignitates aspirantibus mala multa euenire 143
amor carnalis detestandus 117
amicitiam destruit conuicium 405
amissio temporis 172
animalium amor mutuus 364
appetitus excellentiæ propriæ très continet partes, eius detestatio 143
appetitus magisterij magnas affectiones asportat 148
simplicis excessus vitium detestandum 252
appetitus Domini 142
appetens solus præ aliis videri quantum peccet 89 & seq.
appetentes diuinam scientiam, sui similes & quomodo puniendi 313
aspectus mulierum fugiendus 33
auaritia est Idololatria 53. Pessimus morbus 55. miserrima est seruitus 56 fortissime inter omnia alia peccata stringit, 63 Proximo est iniuriosa, ibid. sibi nociua, ibid. mercenariorum Ecclesiæ Dei multum est nociua 120
auaritia scientiæ, deterior pecuniæ 153
auaritia omnium infirmitatum spiritualium grauissima 52
Deo exosa, proximo iniuriosa, sibi nociua 65
vim magnam habet ad animas illaqueandas 60
mala quanta perpetret 76
auaritiæ detestatio 51
eius remedia 138

laquei quomodo occulti 62
eius species duæ 78
occasionem quæ subministrent 157
Auaritiam natura dissuadet 51
Iniqua in Deum & proximum & seipsum, 52
Quænam detestetur ib. & seq.
Auarus cur diuitiis non satietur 58
Infirmitates patitur septem 57
Nunquam benefacit nisi cum moritur 53
Duodecies in scriptura maledicitur 51
Dat tria creaturæ quæ Deo debentur 54
Rusticitates quinque Deo facit quas homini non faceret 64
Eius iniquitas 52
Est totus pauper 59
Eius incircumspectio 73
Incautela 74
Stultitia 75
Auari diuitis insania 71
Auaris cur Deus irascatur 64
Auarus à diuitiis possidetur 60
Cor diaboli est 66
Dormit instar porci 76
Quomodo ter stultus & quando 74
Est sicut infernus 79
Quibus in scriptura comparetur ib.
Est Idololatra 53
Fatuus negotiator 70
Pecunia malè acquisita velut moles, seu mola asinaria 88
Auditus cantionum amatoriarum fugiendus 33
Audientes libenter detractiones quàm grauiter peccent 399

B.

Barræ qui olim dicti 417
Benedicendi curnam sint persecutores 38
Beneficia plura possidentes reprehensibiles in sex 130
Beneficiorum Ecclesiasticorum collatio, 117 & seq.
Beneficiorum pluralitas, 124 detestatio, 128
dispensatio 132
Bellum ex ira oritur 361
12 impediunt 362
Bilingues qui, & quomodo cauendum hoc peccatum 343
Bilingue animal quodnam ibid.
Bilinguis verba quomodo simplicia ibid.
Blasphemiæ peccati magnitudo 377
Blasphemiæ detestandæ causæ, ibid. enormitas ex circumstantiis, 378. 379 malum tolerantes quantum peccent, 380 eius diuisio 381
Bona interna nostra esse tantum 67
Breuiloquium commendatur 417

C

Cantum amatoriarum illecebrarum fugiendum 33
Cantus in quo reprehensibilis 268
Canonici nolentes recipere nisi nobiles, taxantur 294
Carnalis amor plus nocet Ecclesiæ ministris quam simonia 118
Carnalis gloriæ detestationem quæ inducant ibid. 117
Carnis peccatum quam enorme in religiosis vitium 27
quomodo fuga vincendum 32
Caudæ mulierum 261
Celebrans vide Sacerdos
Choreas ducere malum, & res plena periculis esse declaratur 36
stultorum & fatuorum est opus 41
Choritarum peccatum detestandum 119
Cibi & potus excessus quam sit nociuus 11
Cibus quomodo sit sumendus & quoties 12
Cibaria delicata fugienda 11
mala multa inde oriuntur 168
Cibi & potus indiscreta sumptio 28
Clamor duorum præsertim peccatorum, ad Deum ascendit 20
Claustralium abusus duodecim 305
quadruplex eorundem superbia 304 Acedia duodecim mala producit, 206 Ædificia non magnifica, sed humilia commendantur, 285 Belli spiritualis exordium à gula sumitur, 198 bonum omne pax est, ibid. Luxuriam aggrauantia, 14 murmur 385 Proprietatis excessus fugiendus, 145 Superbia quadruplex 304 silentium, 417 quæ valeant ad commendationem eius ib. vita absque silentio, est vinea absque sepe, 419 vita à carnis illecebris sit oportet immunis 27
Clericorum auaritia ad horarios numos & funera currentium notatur 124
Clericorum luxus, cur laïcorum luxu grauior, 25. eorum delitiæ 102. auaritia, 108. Carnalis amor 24. simonia, ib. & seq. prodigalitas, 162. Rapina, ibid. Curiositas 305. prima tentamenta quæ 36. luxuria 13. humilitas interna non sufficit 298. splendide se ornantium excusationes & argumenta diluuntur
Clericus oculus Ecclesiæ 116
Cohabitare mulieribus tripliciter periculosum 35
Colloquia mulierum declinanda 33
Colorem inducere grande peccatum 24
Commendandi horam præuenire, gulosi est 12
Comessatio, Gulæ species 11
Comminatio indiscreta fugienda 316
Communicare non curantes per annum quantum peccent 143

Communicatio indigna quàm enorme scelus 144
Communicans cum excommunicato quomodo peccet 331
Concionaturus è suggestu quæ obseruare debeat 376
Condescendere cum suis quando iustum 412
Conditiones scientiæ decretorum & similium adscribuntur. 107
Confessionem sex vtilitates sequuntur 195
Confessionem differre vsque ad mortem, stulti est, ib. quàm sit periculosum 186
Confiteri nolentes nisi sub finem quadragesimę, errant 195
Consecrandi in Ecclesia Dei modus 137
Consuetudinis malæ pericula quæ 206
Consuetudo Ecclesiarum nolentium præter nobiles in canonicatûs ordinem admittere, reprehenditur 294
Consiliarius prauus quantùm obsit 295 & 407
Consilium à quibus sumendum 408
Consilium prauum dare, piaculum est 407
Contemnentium excommunicationem, grauiter peccant 329
Contemptus in monacho gignit scandala 308
Continentia quomodo possibilis 4.7. sine Dei auxilio continens nemo esse potest 49
Contentionis vitium diabolicum quomodo euitandum 406
Contentio cum quinque personis maxime cauenda 407
Continere sese posse negantium error exploditur 47
Contumelia multiplex oritur ex vitio gulæ 4
Contendere quid sit & quid à contentione nos retardare debeat 406
Conuerti differens ad Deum, stultè & iniquè quomodo agat, 187. iniquus est in Deum, 189. eius vita periculosa, 192. in angelum turpiter peccat, 190. in seipsum iniquus ibid. in proximum & inferiores creaturas iniurius 191
Conuersio dilata difficilior fit 187
Conuersionem quid impediat 183
Conuersionem morum octo nos monent accelerare ibid
& eius vtilitates octo ibid.
Conuicium quale peccatum, & quomodo ab eo abstinendum 404
Conuiciorum nimius apparatus 283
Coruis qui assimilentur 81
Corporis humani portæ, sunt oculi 32
Corpus mulieris ignis est, 34 vincula sunt manus illius 36
Correctio conuicio mixta, falsa & mendax est 405
Correctio immoderata fugienda ibid.
Corrigiæ sericæ deauratæ reprehensioni expositæ 262
Crapula quid 6
Curialitas seu iocularitas, scurrilitas quibusdam est 322
Curiositas magistrorum occupatio pessima 250

D.

DÆmon blandus quomodo dicitur 10 Decalogi transgressio in ludo accidere potest 154
Deceptio in cohabitatione mulierum prouenit ex tribus causis 35
Decimas dare quæ nos moueant 320
Decimæ de optimis rebus persoluendæ, integrè, citò, libenter 321
Debentur ministris Ecclesiæ ibid.
Delicata cibaria quot mala gignant 11
Delicata non quærenda ob triplicem rationem ibid.
Delitiæ clericorum 7. mortes continent 102
Derisionis peccatum 408
Desperationis origo & eius remedia 205
Detractio filia liuoris 397
Peccatum in spiritum S. 399
Personarum semper cauenda, sed tamen præcipuè parentum 399
Detractionis tria genera ibidem
patienter toleranda 400
Detrahentem audire quàm sit grande peccatum, & an hoc, an ipse detrahere sit maius peccatum ibidem
Detractor monstrum habetur & sepulchrum patens. ibid. quomodo fure deterior 397
Detractoris crudelitas ibidem
Detractionum variæ species 399
Detractionem dissuadentia 394
Detractores quibus rebus comparentur 395
Deo exosi, à Deo maledicti 398
Quare non audiendi nec admitrendi 399
Deuotus & indeuotus siue animæ languor vel spiritus inertia 203
Deum per mortale peccatum à se repellere piaculum maximum 144
Deus amator pacis 362 raptores multum puniet 92. summopere odit superbum 418
Deo summoperè placet hospitalitas 368
summoperè odit peccatum. 1. cur superbiam habeat exosam. 342. Pro socio homini quando detur 326
Diaboli cor quis 65. simia. 340 coruus. 308
eius seruitium obseruantes quò ducat 309
Diaboli martyr. 313. Templum taberna est 380. vaticinia 407. sagittarius quis 10. Nutrix quis 401. vnctio ibid. Incantato-

res 401 Præcipitatiua qui dicantur ibid.
Diabolum retinere quid sit 372
Diabolo qui thurificent 392
an maledicendum 404
à diabolo qui facile vincantur 315.316
Diabolus quandoque futura prædicit 313
Diabolus omnibus modis conatur seminare in Ecclesia Dei errores. 308. quomodo bonus, quomodo malus 404. Tribus modis per mulieres homines tentat 39 erubescit ob peccatum Luxuriæ. 18. In os hominis quando nidificat 372
Diligentia opponitur negligentiæ 199
Diligentia studii quomodo impediatur 209
Dilatio conuersionis periculosa, & eius incommoda 147
Dilatio nocet homini non parum, cuiusque species 191
Diluuium ob quæ peccata immissum 201
Discordias seminare quam sit impium, imo diabolicum 406
Discordiarum remedia 405
Dissolutio quæ & qualis 201
Dispensatio bonorum Ecclesiasticorum periculosa 132
Diues auarus quomodo peruersus sit erga Deum 70
Diuinatorum prædicta cur tam frequenter eueniant 313
Diuinationis species quatuordecim 310
Diuinatio multorum detestanda. ibid. eius pœna ibid.
Diuites debiles ad operandum 78
Diuitiæ animæ, corporis propriæ 68 53. indies mendaciis excæcant 76. hominis propriæ quæ 336. Amatoribus suis malefaciunt 697
Diuitiarum fructus quinque 68. eorum possessor, auarus 60
Doctorum ministerium, quam sit meritorium 148
Doctrina bona & vita mala Ecclesiæ multum nociua ibid.
Dominicus dies cur obseruandus 327
Dominico die factus est mundus, Christus natus, resurrexit, spiritum S. misit ibid.
Dormituro bene tria necessaria 177

E

EBrietas maledicitur à Deo 11
Ebrietas Gulæ species 10. Vile sepulchrum 6
Ebrietas detestanda ob multa 10
ex Ebrietate quanta oriantur mala ibid.
Ebriosus immisericors 7
Ecclesiæ nolentes in Canonicos præter Nobiles reprehenduntur 294
Ecclesiæ nocet Doctoris vita mala, etsi doctrina bona subsequatur 248
in Ecclesia Dei Diabolus errores seminare nititur 308
Ecclesiasticorum bonorum periculosa dispensatio 132. Auaritia 124. Luxus 74
Ecclesiæ ministris quantum obsit carnalis amor 118
Ecclesiæ plus obsunt discordes quam Christi crucifixores 390
Equorum apparatus nimius taxatur 292
Errores quatuor in quibus & fideles esse videntur 309
Erubescentia bona & mala quæ sit 274
Erubescentiæ malæ remedia 271
Erubescentia quare detestanda ibid.
Erubescentium bene agere triplex fatuitas monstratur 276
Erubescentes de bono, male se habere erga Deum 277
Exaltationis species sex 229
Excommunicatio, cur multum timenda 329
species duas habet ibid. non facile ferenda in aliquem 333
Excommunicatus an Gentili deterior 331
cum Excommunicato conuersare quale peccatum 330
Excommunicatus, Deo & mundo inutilis ibid.
Exemplum malum præcipuè Luxus fugiendum

F

FAciem fucantes reprehenduntur 264
Faciem aduersus faciem sumere quid sit ibid.
Fames & Esuries aliquando oritur ex Gula 391
Familia potentum reprehenditur ex tribus 283
Feruor indiscretus Acediæ opponitur, & detestandum vitium declaratur 209, 210
Feruorem indiscretum multa mala comitantur 211
Feruentes indiscretè, duodecim laborant stultitiis ibid.
Festis diebus à quibus vacandum 325
Festorum dierum obseruantia quid requirat 326
Festis diebus orationi vacandum 327 quatuor meditanda 326
Fide sublata destruitur totum spirituale ædificium 309
Filij Dei & Diaboli distinctio 381
Filiorum trium de hæreditate inter se disceptatio ibidem
Formæ habitus reprehenditur 26

Forma vestium vitiosa 266
Fornicatio animam & corpus maculat 14
Homicidio & Rapinâ peior 25 simplex prohibita 44. & ratio quare id factum 45
Meretricum detestanda 24
Fornicariorum congressus vitandus 130
Fratribus quomodo condescendendum 412
Fraus in mensura graue peccatum 97
Fructus Virginibus centesimus: Coniugatis tricesimus: Viduis sexagesimus debetur 25
Fructuum conseruatio in Ecclesiasticis beneficiis 133
Fulmina contra possidentes plura beneficia 126

G

Gastrimargia vnde dicta 10
Gula hominem totum requirit. ibid.
Naturam lædit 7. Infirmitates ac Mortes adducit 8. Voluptates in dolores mutat ibid. grauiter laborat ibid. à Diabolo firmiter tenetur 9. reddit hominem stultum, insanum 7 immisericordem: quasi porcum ibid. Vigilem & pauperem 8 Contumelias gignit ibid. vix curatur, occasio peccatorum multorum 5. causa variarum infirmitatum ibid. Spiritualium & corporalium infirmitatum mater ibid.
Gulæ species Commessatio & Ebrietas 10 species secundum Gregorium 11. species aliæ adhuc quatuor 12 satellites quatuor ibid
Gulæ Remedia octo ibid.
Gulosus Dæmonum habitaculum 4. maculatus non solum, sed ipsa macula ibid. Proximo iniurius fit ibid. ventrem pro Deo, coquinam pro Templo habet ibid
Gulosi grauitatem seruitutis sex docent 9
ex Gula quæ oriantur mala 7
Guerra vide Bellum

H

Habitus superbus culpandus. 261 ex forma qualis esse debeat 105. Vsurariorum & Raptorum 166. reprehensibilis & compositus ibid. Superbus quantum noceat 268
Hæreticis deteriores Aduocati mali 105
Homicidium Christianorum, Fratricidium 367. Iniustorum grauius est quam Iustorum 366. quæ cohibeant 368
Homicidii enormitas 369
Homicida cur sit irregularis 367
Homicida Filium Dei quomodo occidat 368
Homo spiritualis omne opus trina consideratione præuenit 128
Homo erubescere debet de veste triplici ratione 258
Hominis Bona propria quæ 67
Homini temporalia bona non sunt ibid. tria sunt necessaria vt debito modo dormiat 197
Hominem à malo duo cohibent 274
pigrum quæ efficiant. 6
Hominum genus triplex 251
Honorandi parentes 320. Honorandi alij præ aliis 316. Honore quis dignus 119. 120
ad Horarias preces & Funera excurrentes notantur 157. Hospitalitas Deo grata 366
Hypocrita quib. rebus comparetur 340. lanuginem pro fructu habet 341. vix conuertitur ibid. 8. maledictionibus à Deo maledicitur 342
Hypocrisis vitium detestandum 340 tres species 343

I.

Iactantia quid 318 vitanda ibidem
Iactantiæ Exemplum ibidem
Ignauia & Ignauus 105
Imaginationes somniorum vi Dæmonis immitti 312
Incendiarius quis, & quæ cohibeant hominem ab hoc malo 365
Incendiariorum peccatum in Spiritum Sanctum 365. pœna 366
Incestus quam enorme peccatum fit 5. modis ostenditur 21
Incuria & Incurius quis dicitur 143 144
Indeuotio quæ fit & dicatur 138
Indigne conficere Sacramenta quæ & quãta dissuadeant 137
Indiscretæ præceptiones multis fiunt modis 332
Indiscreta promissio quæ 310
Indiscretus feruor 210
Infidelitas superstitionum peior est paganorum Idololatria 234
Infirmitatum tam Corporalium quam Spiritualium Gula mater est 8
Infirmitates bonæ & malæ quæ 55
Ingratitudo magna non celebrari diem Dominicum 327
Iniuria multiplex proximo irrogatur ex Gulæ vitio 4
Inobedientia quomodo, & qualiter detestanda & quanta mala secum adducit 322
Inobedientiæ pœna ibid.
Inobedientia quomodo curata 323
Irreuerentia quid, 316. Irrisores & Irrisio 280
Inuidia peccatum abominandum, 344. & seq. habet species duas, 149. qualiter extirpanda ibid.

Inuidiæ malitia ibid. quare protoparentes seduxerit 345
Inuidi quasi dracones, ibid. sunt discipuli diaboli 348
Ira pericula quot gignat 36. bona, mala 360 in Deum, in proximum exterior & interior 361. Deo displicet valde 351. Diabolo placet 352. Proximo nocet, 353. Proprio subiecto ibid. detestandum malum 350 360
Iræ remedia 369
Iræ comparationes 354
Iracundus se volens vindicare peccat 360
Iracundi hominis amicitia cauenda. 353

L

LActi cur Adulatio comparetur 401
Lamiæ. ibid. Laquei Auaritiæ 63
Largitatis & Prodigalitatis differentia 160
Lectorum ornatus nimius reprehenditur 281
& quid eum contemnere faciat 282
Librorum supellex superba 287
Ligna regem vngentia super se 246
Lingua orationis est Organum 371
ad orandum deputata 372
Linguæ nocumenta 374. & cur gladio comparetur, ibid. bonæ vtilitas 375 vitium vitare quæ moneant 373. peccata 19. enumerantur 385. pronitas 373. Vitiosæ octo remedia 417 418
Litigare Superbiæ signum 406
Litibus abstinere magni meriti esse ibid.
Locustæ adulatores nominantur 401
Loquela cur homini data 372
Loqui raro decet 373, 417
Loqui multa quæ vetant 404, 405
Ludentibus quando quis non debeat assistere 157
Ludorum duodecim stultitiæ 154
in Ludo fit aliquando transgressio totius decalogi ibid.
Ludum consequuntur nonnunquam sexdecim mala 153
Lusorem quæ à ludo reuocent & arceant 158
Luxuria generaliter sumpta quinque species habet 19 diuiditur ex diuersitate subiectorum 24. sumitur dupliciter 19. Vitium est quod Dæmones erubescunt ibid. Deo execrabilis 15. Diabolo grata ibid. proximo iniuriosa 17. Subiecto proprio noxia ibid. & priuat hominem totaliter ibid. hominem fortiter retinet ibid. hominem vilem facit ac Seruum efficit 18 Angelis fetet 15. Clericorum detestanda 24. sacerdotum indecens 25 & Religiosorum 26 sanctimonialium 27 impugnanda fugiendo 34. cur detestanda 17
Luxuriæ species 19. fœtor, infamia & pœnitentia 15 fomenta, oculi subministrant 31 remedia 33 enormitas quæ est contra naturam ostenditur 20
Luxuriam detestari faciunt quinque 15
Luxuriosus gehennam quomodo hîc habeat ibid.

M

MAcharius eremita 406
Malefici ex multis efficaciam trahunt 315
Magisterium Dei proprium est 248 bonorum Doctorum magni meriti est 251 Curiosum magnæ est afflictionis 250
Magna auari iniquitas 52
Male agentibus non est male dicendum, sed compatiendum 404
Maledicere adeo impium esse vt non liceat Diabolo maledicere, ibid. caueant parentes filiis suis ibid.
Maledictio vel maledictum quid sit 403
quam execrandum malum 404
Malum multiplex oritur ex amore carnali 116
à Malo duo cohibere nos debent 214
Malefici qui dicantur 314
Maleficia vnde sortiantur efficaciam 315
Meditatio sancta diebus Festis circa quæ habenda 325
Meditatio & oratio pedes duo quibus in cælum ascenditur 327
Mendacium quid sit 391. eius pœna 392
Mendacii species octo 393
Mendaciis abstinere exemplo Eremitæ maximi est meriti ibidem
Mendaces plurimum nocere Ecclesiæ ibid.
Mensura fraudulenta execrabilis 98
Mercatorum fraudes 67
in mensuris triplex fraus 98
octo abundant malis 97
Mercenarii multiplex malum in Ecclesia adducunt 121 mali sunt latrones 123
Meretricum peccatum 24
Michael Archang. cur non ausus fuit Diabolo maledicere 404
Missas plures dicere quando licitum 132
quando non 133
Ministrorum Ecclesiæ Dei superbia 297
excusationes ornatum vestrum defendentes, exploduntur 299
Ministris Ecclesiæ plus nocet amor carnalis quam simonia 118
Ministerium bonorum doctorum magni est meriti 251
Moderatio prædicationis quinque respicit 376
Mollis & mollities quid 175
Monachus murmurans est vas vacuum & dolium absque gratia Dei 385 est Rota iuncta ibid profert Pater noster Dei sui ibid. discipulus Galeni fit 386
Monachis quando murmurare licere videatur ibid.

Monialibus quam sit turpe carnis vitio laborare 27
Mons superbiæ, locus est infelicissimus 127
Morum correctio & conuersio quid requirat 189
Mors peccatorum pessima 368
Mors ianitor huius mundi est 68
Mulier aliud nil quam laqueus diaboli 31 fugienda 35 ostentans se incendiaria est 270
Mulierum Caudæ 261 Peplæ & Vitiæ 263 Species gladius igneus 31 Proprietas triplex 35 accessus hominem decipit ibid. aspectus cur fugiendus 41 Colloquia vitanda 33 Tactus declinandus ibid. habitus ex intentione indicatur culpandus 261 Fucus 264 ornatus quis requiratur 254
Mulieri cohabitare damnosum 35
Mulieres ornare se non vt viris placeant, sed vt publice spectentur. 255
Mulieres ornatu quot modis peccent in choreis 37. sex cohibere debent ne deferant crines alienos 264 quinque auocare debent à nimio amore pulchritudinis 266 faciem stibio ornantes & sese fucantes perstringuntur 264
Multiloquium quæ cohibeant 414
Mundus quasi stabulum cæli 49
Munera accipientibus decem mala eueniunt 99 ea accipientes reprehenduntur 100
Munerum tres species 103
Musicorum instrumentorum sonus fugiendus 33
Murmur quid sit 381 detestandum malum ibid. claustralium 385
Murmuris diuisio 383 Remedia 386 eius Vindicta 383
Murmurare de paupertate & temporis importunitate stultum est ibid.
Murmurasse contra malorum hominum felices successus videntur Sancti 364
Murmurans claustralis vult sibi sua auctoritate, de Religionis cruce dispensari contra quæuis iura 385

N.

Negligentia in quibus attenditur & cui opponatur 199
contra Naturam peccatum quam enorme sit 20 detestanda 17
Negligentiæ remedia 200
Negotiatio bona & vtilis prius facta est mala 97
Nemini detrahendum 399
Nobilis quis vere dicendus 291
Nobilitas Animi duplex 292 Carnis cur aspernanda 291
Nobilitatis veræ signa quæ 292
Nostra bona quæ dici possint 67

O

Obedire vniuersa monent hominem 324
Obseruantiam Solennitatum quatuor docent 325
Obseruatio temporum quomodo reprehensibilis 314
Occupatio vt bona sit quæ requirat 168
Oculi portæ duæ in corporis castro 32. quomodo Luxuriæ fomitem administrent 31
Oculorum custodia summopere necessaria 32
Odium detestandum cur sit 361. Dei erga superbum inueteratum 420
Oris custodia quando necessaria 373. fructus octo 379
in Ore quare minus tolerabilis immunditia quam in aliis membris 5
Ordines sacros Pueris distribuere malum 135
Ornatus & Sordes fugiendi 254. Mulierum qui in capitibus relucet, reprehenditur 37 Mulierum superbus culpabilis 269. Mulierum superbus multis nocet 268. Clericorum taxatur 300. Lectorum carpitur 231 Raptorum & vsurariorum 166
Ornantes se 12. stultitiis agitantur 256
Ornatum superbum dissuadentia 257 258 259
Otiosus Stultissimus exitit, ac 12. stultitiis vexatur 178 Gratiæ tempore, quatuor de causis reprehensibilis ibid.
Otiosum verbum cum alios omnes, tum Sacerdotes minime decet 413

P.

Pacem à Deo multum commendari 362
Palpebræ in S. Scriptura quid significent 106
Parentes honorare quæ nos prouocent. 318
Parentes caueant à filiis maledicendo 404
Patri Carnali ac Spirituali reuerentia exhibenda 318. Iisdem non detrahendum 399
Pastor animarum in quo obligatus sit 130
Peccatum homini nocet quatuor rationib. 2 peccatum carnis inreligiosis diabolo nequiter placet 26. Deo quantum displiceat 1. tribus reddit hominem abominabilem 3 in Spiritum 2 Inuidia est 344. & est duplex ibid. bona omnia aufert, mala infert 2
Peccati excusatio Deo displicet 38 proprii excusatio stultorum est 388 proprii excusandi Viæ plures 389
Peccata in claustris commissa horrende à Deo punita dupliciter. 17. clamantia in Cælum cur ita dicta 367
Peccatum vetularum ad turpitudinem inducentium quam sit graue 29
in cor Peccatoris quæ impediant ne Deus intret 163
Peccantes Festis diebus grauius peccare 317
Pecuniam omnem secum in via ferre fatui est 71
Pedes recti qui sint 253
Pepla mulierum 293
Periurium detestandum Vitium 339 quæ cohibeant in homine ibid.

Periurii duæ species ibid.
Periurus manum dat Diabolo: sacra non reueretur, sacræ legis falsarius est ibid. quomodo à Deo maledicatur 390
Personæ aliæ plus, aliæ minus honorandæ 918
Personæ quinque quibuscum non est contendendum 408
Persecutores duab. de causis benedicendi 358
Petenda quæ 384
Philosophi laborant superbiâ 227
Pigritiam inducentia 175
Præceptorum nimietas religionem destruit 333
Præcipit quis indiscrete multis modis 332
Prædicator V. D. quid debeat obseruare 376
Prælatum deterrere debent sex à præceptorum multitudine ibid
Prælati multum conari debent ad humilitatem 303
Prælatorum habitus taxatur 258
Præferre se aliis iniquitas qualis & quanta 241
Præsumptio quatuor habet species 242 Valde timenda. 24 Præsumptionis mala ibid.
Principum magna peruersitas in capiendis bonis 381
Prodigalitas à Largitate quid differat 160
Prodigalitatem mala multa quæ consequuntur 161. in Clericis detestatur ibid
Prodigorum stultitiæ quinque ibid
Promittere indifferenter quam sit malum 411
Promotio puerorum ad sacros ordines valde nociua 134
Proprietas Religiosorum detestanda 145 Religiosorum triplex in Achor figuratur 146 religiosorum Vitium omnium maxime puniendum 16
Proprietarius religiosus duodecim laborat stultitiis 48 multa mala incurrit 150 proprij peccati defensio 587
Pueros ad sacros ordines promoueri valde nociuum 134
Pythonissa quomodo samuelem suscitârit 315

Q.

Quadragesimæ tempore confiteri differentes fatui declarantur 195

R.

Ranæ denotant Aduocatos 102
Rariloquentia commendatur 33
Rapina stolidorum Cleric periculosa 163
Rapinæ grauitas ex quibus reluceat ibid.
Raptus quid 24
Raptor pauperem excoriat 86 pellem, carnem & sanguinem aufert 98
Raptores diabolo in quib peiores 89 bestia peiores quacunq; 92 diabolo peiores vsurarij 89 puniri in hoc mundo 93 quatuor plagis à Domino percutiuntur 92
Redeuntes ad peccatum mortale post Eucharistiæ sumptionem grauiter peccant 144
Religiosus fugere debet vitium proprietatis 145 vide cetera Claustralis
Religionem destrui præceptorum copia 332
Remedia superstitiosa fugienda 314
Remedia Accediæ 207 Adulationis 40 Desperationis 205 Erubescentiæ vitiosæ 277 Iræ alienæ 354 iræ propriæ 355 luxuriæ 403 linguæ 386 murmuris. ibid. negligentię 200 superbia 244 vanæ gloriæ 339
Remittere bona opera indecens 20
Res qualiter æstimandæ 256
Reuerentia quibus exhibenda 316
Reuereri parentes quæ nos moneant 318
Reuelari secreta quæ impediant 411
Rex quidam purpura decorus à Philosopho consputus 257
Rigor disciplinæ quando & quomodo laxandus 212
Risus multiplex 415
Risus moderatus esse debet & rarus ibid.

S.

Sabbatum Virgini matri cur dicatum, 327
Sacerdos vt bene consecret quid requiratur, 137. indigne sacra conficiens quantum peccet ibid. & à tali peccato quæ retardent 138. Luxuriosus celebrans, Idolum Veneris ponit iuxta filium Virginis 142
Sacerdotes conte nere quam graue 319
Sacerdoti Luxuria valde inconueniens 25
Sacramentis præceptis redire ad pristina mala quale scelus 145
Saltatrices significari per Locustas 37
Sanctimonialium luxuria magnum peccatum 28. Scurra Simiæ vel Capræ comparatur 415
Scurrilitas, stultis Curialitas dicta detest. 414
Secreta reuelare quæ prohibeant 412
Seminare discordias quam sit impium 408
Sententia iusta vel iniusta 334
Signa Odii spiritualis quo Deus odit superbiam 221
Signa quib. probatur Deum pacem amare, 362
Silentium claustrale commendatur, 417. monachi frænum 419 18
Silentij exemplum admirandum. 418. commendatio ex S. Scriptura, ib. varij effectus ibid. & seq. Vtilitas, ibid.
Simonia infert contumeliam Deo 109
Simonia detestanda 108. adducit damna multa 111
Simoniæ & Simoniacorum triplex diuisio. 113
Sion in sanguinibus ædificare quid & quam magnum. 114
Solennitates Festo quomodo celebrandæ 525
Somnia an obseruanda. 312
Somniorum imaginationes à Dæmonibus immitti ib: quæ somniis fiunt, ea vera cre-

dere erroneum est 315. somnolentia 176
Somnus corporis in quinque reprehendi potest ibid. à sommo nimio quæ cohibeant hominem 177
sortibus an vtiliceat 3[illegible]
superbiæ affectus & eius diuisio 235. intellectus quæ sit 241. comparatur rebus diuersis 233. & seq. diuiditur multipliciter, eiusque species variæ 235. & seq. exterior membrorum corporis videl. quæ sit, eiusque differentia 251. appellatur fæx Vitiorum 214 peccatum maximum ibid. Satanæ imago 216. & seq. Magna deformitas 232. bona quæ sunt, expellit: quæ non sunt, intrare non permittit: quæ manent, falsificat 214. vitia quanta ex se producat ib animæ nocet, corpori nihil prodest 215 omnibus Vitiis immixta 216 hominem infatuat & excæcat 225 cur facile non curetur 231 modis sex ostenditur se bona sua à se habere 236 quomodo se habeat ad alia Vitia 214 quomodo se habeat ad Deum 217 quomodo se habeat ad proximum ibid. abominabilis 224 quomodo se habeat ad seipsum 222 Deo exosa 224 Arundini comparatur 235 Personarum vt puta ministrorum Eccl. 298 Prælatorum 303 Claustralium 304 Clericorum 298
Superbiæ remedia 239 diuisio sumpta ex diuersitate personarum 297 Gradus secundum Bernardum 305 Signum euidentissimum esse aut electionis aut damnationis 297 detestationes quæ subministrant 230 ornatus in vestium copia, in pretio 259 ornatus in lectis 281 ornatus in equis 282 ornatus in habitu 257 ornatus in familia copiosa 283 ornatus in Conuiuiorum apparatu ibid. ornatus in Ædificiis 284 ornatus in Lib. pretiositate 287 ornatus in aliis omnib. destruitur auctoritatibus 296 ornatus in Cantu 288
Superbus stultitiis variis laborat 226 adamussim describitur 217 Deum odit 221 supra Deum extollitur 223 peccat directe contra Deum 217
Superbum abominatur Deus 220 ad dignitates euehi cur permittat Deus 2 2 detestatur Deus, eumq; cur aliquando cadere permittat 221
Superbire de Corporis bonis stultum 291
de Temporalibus rebus fatuum 296
de Nobilitate generis impium 290
Superbe se ornantium 12 stultitiæ 256
superstitiosa remedia 314

T

Taberna templum diaboli cur sit 380
Tactus mulierum multum periculosus 33
Tacere prælato quando non expedit 416
Taciturnitas ind screta & vitiosa ibid.
Tædium vitæ vnde proueniat 204
Talliæ iniustæ quæ 96
Tarditatis vitium sex dissuadent 198
Temporalia non sunt hominis 67 & seq. quænam in primitiua Eccl. non fuere coniuncta spiritualib. 122 123 pro æternis quærere stultum est 70 cur tam facile euanescant 73
Tepiditas quid sit, & quæ mala secum asportet 174
Testimon. falsum quæ nos cauere faciant 39[illegible]
Timent tripliciter erubescentes 276
Tribulationum vtilitas 371
Turpiloquium proximum corrumpit 415

V

Vacandum festis diebus à quibus 325
Vana gloria Deo contumeliosa: proximo nociua 336 quomodo diuidatur 338 diuersis rebus comparatur 337 octo stultitias in se continet 335 remedia quæ habeat 339
vaticinia diaboli 313
velum in mulieris capite quid significet 263
vestis materia curiositate hominum supramodum creuit 261
de Veste quare sit erubescendum 257
vetularum peccatum turpitudinem suadentium detestandum 28
vetulæ incantatrices lingua & folles diaboli appellantur 29
virgini Deiparæ cur sabbatum dicatum 327
virginitas amissa bonum irrecuperabile 23
virginitatis votum non admittit dispensationem ib Viri ab vxorib. honorandi 318
virtus homini naturalis 3
visus quantum & cur restringendus 31
vitia ob tres causas vitanda 1
vitiorum doctrina quare necessaria ib.
vita vitiosorum hominum aspera & molesta 3
vitam malam & doctrinam bonam habenti verecundum, Ecclesiæ vero pernitiosum 248
voluptas carnis 9
voluptas gutturis cur postponenda ibid.
vsura detestanda 80 & seq. alia palliata, alia manifesta 85 palliata sex habet species,
vsurarum species duæ ibid.
vsurarius sextuplam patitur stultitiam 80 Multiplicem in se habet iniquitatem 81 octo in se habet reprehensionibus exposita 86 Vsurarium quæ inducant ad restitutionem 87
vsurariorum ornatus & habitus taxatur 266
vultum stibio & fuco exornare, detestabile 264

FINIS INDICIS.

DATE DUE

AUG 25 '78			

GAYLORD PRINTED IN U.S.A.

27430